


Smithsonian Institution
Libraries

GIFT OF
*Marcia Brady Tucker*

Collated O.K.
M.C. 8/01/50

# VLYSSIS ALDROVANDI

PHILOSOPHI AC MEDICI
BONONIENSIS.
Historiam Naturalem in Gymnasio Bononiensi
Profitentis,

# ORNITHOLOGIAE

HOC EST
DE AVIBVS HISTORIAE
*LIBRI XII.*

## AD CLEMENTEM VIII.

*PONT. OPT. MAX.*

*CVM*
*INDICE SEPTENDECIM LINGVARVM*
*COPIOSISSIMO.*

BONONIAE
*Apud Franciscum de Franciscis Senensem.*
CIↃ. IↃ. XCIX
*SVPERIORVM PERMISSV.*

ALEX. MAG. ARIST.

VESP. IMP. PLIN.

*CVM PRIVILEGIIS.*



QL
673
A43
1599
folio
c.1
SCNHRB

# BEATISSIMO, AC SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI OCTAVO PONT. OPT. MAX.

CVR in tanta Sereniſsimorum, Illuſtriſsimorumq́; Principum, qui non ſolùm in hac noſtra Italia, verùm etiam in toto orbe verſantur, copia, tibi potiſsimùm, CLEMENS VIII Pontifex Opt. Max. Pontificum, quotquot hactenus regnarunt, quotquot olim regnabunt, clementiſsime, præclariſsime, celeberrimeq;, hoſce meos fructus, hoſce, inquam, priores meos de Auibus Commentarios, qualeſcunque illi ſunt, (Sunt autem multis vigilijs, ac magnis ſumptibus conſcripti, iconibuſque, in quibus ad viuum depingendis, ac ſculpendis, non dico huic ſoli operi inſerendis ſolùm, ſed alijs pariter, vbi hoc prodierit, in lucem edendis, omnes penè facultates meas impendi) cur, inquam, tibi dicare, nuncupareq; cenſuerim, viri multi, ijque grauiſsimi, præſertimq; Illuſtriſsimi aliquot Cardinales, atque inter hos feliciſsimæ memoriæ Palæotus, & ante aliquot menſes Illuſtriſsimus, ac Reuerendiſsimus Parauicinus acerrimo iudicio pollens, cùm Muſæum meum viſitaret, authores fuere, multæque præterea, ac grauiſsimæ rationes impulere: Supremus in primis ille dignitatis vertex, Pontificatus, inquam, ad quem ſplendidiſsimis illis toto terrarum orbe virtutibus tuis, geſtis, factiſque præclariſsimis æternùm memorandis, communi purpuratorum conſenſu, DEO ita ſtatuente, euectus es: ad hæc flagrantiſsimum bonarum omnium diſciplinarum, maximè verò ſacrarum litterarum, quarum quoque multa in hiſce meis lucubrationibus loca enodantur, ac dilucidantur, ſtudium; amor etiam, & gratia incredibilis, qua omnes viros doctos, eorumque cultores complecteris, & Cardinalis etiamnum complectebaris, necnon ſingularis illa tua erga me beneuolentia, ac animi promptitudo, cuius ampliſsimus mihi teſtis eſt Illuſtriſsimus, ac Reuerendiſs. Cardinalis Bandinus, cùm te mei iuuandi cauſa alloqueretur. Accedit etiam, quòd Ciuibus Bononienſibus hoc peculiare quaſi videatur, vt nominis Pontificij ſtudioſiſsimi ſemper fuerint. Sed vt ad te me conuertam, eſt in primis Familiæ Tuæ antiquitas, à minimè obſcuris hiſtoricis, qui de nobilioribus Italiæ familijs libros ediderunt, celebrata, cùm quendam prædicent Hildebrandum, virum ſtrenuum, Ducem inuictiſsimum, ac rei militaris peritiſsimum, qui Longobardorum olim Dux Italiam inuaſit, multa in ea loca occupauit, atque indu-

bitanter nominis sui stirpem reliquit; vt verisimile sit, eo tempore, quo sermo Romanus cum Barbaro illo confundebatur, ex Hildebrando ALDOBRANDINVM nomen dimanasse. Quapropter cùm & nostræ familiæ cognomen (si minima maximis æquare fas est) cum eadem voce similitudinem haud paruam gerere cernerem, (Quippe Aldobrandi, non vt hodie, corrupta videlicet voce, Aldrouandi, primis temporibus nominabamur) iuro nihil mihi gratius, nihil iucundius vnquam accidisse, quàm audire Cardinales ALDOBRANDINOS nominari, & eiusdem familiæ Summum Pontificem haberi, eumque Pontificem, quem ego, ob admirabilem Naturam, exquisitamq; doctrinam cum acerrimo iudicio coniunctam, & summam vitæ, ac morum honestatem, quam cum Polonia reuerteretur, & Bononia transiret suspexi, tanto dignitatis fastigio dignissimum iudicabam, occasionem mihi demum dari exoptans, qua hoc meum desiderium, obseruantiamque demonstrare possem: quod nunc demum facio, hasce meas vigilias ante Sanctiss. pedes tuos genibus flexis humiliter admodum offerens. Adest postremò ipsius operis conditio, quæ pariter & ipsa ad hoc me consilium, deliberationem, sententiamque non solùm inuitauit, sed & incitauit. In quo quantum laboris, quos sumptus consumpserim, Tua velim Sanctitas iudicet. Etenim non nomina duntaxat auium, de quibus agitur, Græca, ac Latina, verùm Hebraica etiam, Arabica, Italica, ac denique omnium gentium indicaui: ad hæc aues descripsi, descriptas, quas nanciscì licuit, delineatas legentibus ob oculos pono, naturam earum & mores patefacio, quo victu vtantur, qua arte capiantur, quomodo condiri debeant, quale comedentibus nutrimentum præbeant (quæ pars in secundo opere magis pertractabitur) quibusuè medeantur morbis, edoceo; emblemata, symbola, icones, numismata, adagia, mystica cùm ex sacris, tùm ex profanis, ac hieroglyphica, declaro: Ex quo quicquid de Auibus dici queat, hinc peti potest, adeo vt Illustriss. Parauicinus, quem heroem ob exactissimum, quo præstat, iudicium, libenter nomino, cùm hoc opus ei monstrarem, diceret, nullum me alijs dicendi locum reliquisse. Quotquot autem ab alijs de animalibus lucubrationes hactenus editę sunt, eæ propemodum omnes vel Summis Pontificibus prædecessoribus tuis, vel Imperatoribus, vel Regibus, consimilibusque Serenissimis Principibus nuncupatæ sunt. Et quamuis in communi adagio sit, *Vino vendibili non opus esse suspensa hedera:* contrà tamen sese res habere videtur in hoc negotio. Siquidem lucubrationes, licet per se laudabiles, ac posteritate dignæ, nisi magnorum virorum cura, authoritateque diuulgentur, plerunque vel intereunt subitò, vel saltem parui fiunt. Hi enim idem litteris præstant, quod aqua lupinis; nam sicuti hoc leguminis genus ea maceratum, omnem amarorem deponit; eodem pariter modo litteras illi suo fauore cuique gratiores & efficaciores efficiunt: Quod videntes viri sapientissimi, tam prisci, quàm recentiores, principum authoritate doctrinam suam protexerunt. Hinc est, quod naturalis Plinij historia semper floruit, floret etiamnum, ac perpetuùm florebit, quia nimirum Vespasiano Cæsari dedicata est, & commissa. Aurea Oppiani carmina, quæ ætas delebit? nulla profectò, nulla; nam immortalia ea reddidit Antonini Cæsaris patrocinium. Neque fortè Aristotelis nunquam satis laudatos, laudandosque de animalibus commentarios haberemus, nisi Magnus ille Alexander, cùm in conscribendis, tùm in edendis suam interposuisset Regiam Maiestatem. Sexcentis præterea destitueremur aureis libris, quos nunc exosculamur, non tam authoribus, quàm quorum commissi sunt fidei, gratiam habentes. Sed vt coætaneos meos appellem, Hippolytus Saluianus, mihi olim familiariter notus, suas de piscibus præstantissimas historias lucubrationes Paulo IV. Pontif. Max. Andreas Matthiolus, & ipse non notus mihi tantùm, sed cui plurima communicaui, commentaria in Dioscoridis de materia medica libros Maximiliano II. Imperatori, Petrus Bellonius

Cenomanus

Cenomanus de auibus hiſtoriam Gallicè conſcriptam Henrico II. Gallorum Regi nuncupauit. Cùm itaque, tu Beatiſsime Pater, potentiſsimos hoſce heroas dignitate præcellas, ingenio verò ſis quàm ſimillimus, eandem planè, quam illi viam pleno, imò pleniori inſiſtens gradu, ac maximo cum doctorum virorum ſolatio ad conſimilem gloriam totis viribus contendas, ego hanc Ornithologiæ primam partem pudore ſimul, ac tædio tarditatis meæ victus, ſub Sanctiſsimi tui nominis præſidio nunc tandem in publicum mitto, ſecundam, ac tertiam propediem editurus. Ecquem enim patronum in toto terrarum orbe te potentiorem nanciſci queam, qui eam & poſteritati commendare, & aduerſus innatum quibuſdam hominibus maleuolentiæ virus vindicare valeat? quo nimirum nihil altius, nihil clarius, nihil venerabilius, imò cui nihil ipſe par habet terrarum orbis. Tu enim, qui in D. Petri Principis Apoſtolorum locum ſuffectus es, quin ipſiuſmet Saluatoris Noſtri IESV CHRISTI partes agis, iuremeritò Rex Regum, Princeps Principum exiſtis. Tibi vni, quotquot Chriſtiani ſunt, quotquot id nominis ſibi vendicant, quotquot totum hunc orbem habitant, tibi, inquam, vni obediunt, vel ſaltem obedire diuino iure tenentur. Te is Paſtorem nobis dedit, qui in te veterum illorum Sanctiſsimorum Pontificum imaginem rediuiuam agnoſcit, quam & nos magis agnoſceremus, ſi corruptiſsima huiuſce ſæculi conditio pateretur. Quamplurima, eaque prorſus admiranda de tuis innumeris virtutibus hic mihi ſcribenda forent, ſi mihi ita, vt mente cõcepi, ac prout equidem vellem, & res ipſa deſiderat, liceret explicare. Etenim admirabilis quædam ac in omni re commendabilis animi tui modeſtia, magnitudinem geſtorum tuorum altiſsima diſſimilatione abſtrudens, & occultans, maiorique ſtudio laudari refugiens, quàm plerique geſtiunt, tuis me de rebus timidè, ac parcè dicere cogit. Sed vt ſaltem aliquo pacto ſatisfaciam officio, ſimul & animi tui modeſtiæ obſecundem, dicam breuiſsimè, nam prorſus tacere nefas reor. Tu (dicam hoc verè, & dicam magno doctorum, bonorumq; omnium aſſenſu, gaudio, ſolatioq;). Tu, inquam, quod pauciſsimis mortalibus cõtigit, cum ſplendore nobilitatis, virtutis omne genus, cum virtutis præſtantia, prudentiam rerum eccleſiaſticarum; cum prudentiæ gloria ardorem animi coniungens, ſtudia Chriſtianæ pietatis, & doctrinæ tueri, prouehere, ornareque cupientium, non dicam adæquaſti, at omnibus, vt aiunt, ſtadijs, & paraſangis longè ſuperaſti. Quid verò nobilius, quid bono Paſtore dignius, quàm oues ſuas protegere? Quid magnificentius, quid hominibus Chriſtianam fidem profitentibus, quid Deo ipſi gratius accidiſſe potuit, quàm Regem à Chriſtianæ pietatis ſinceritate aberrantem ad veram Romanæ Eccleſiæ doctrinam ac fidem, & è profundiſsimis tenebris ad lucem perduxiſſe? Tu CLEMENS VIII. non tantùm tuas oues, populum Chriſtianum aduerſus communes hoſtes tueris, pecunijs, ac militibus iuuando, verum etiam IOANN. FRANCISCVM ALDOBRANDINVM conſanguineum tuum, Virum tanto & maiori etiam oneri parem, dum eò proficiſci ipſe non poſſes, quoties opus fuit, miſiſti, vt Imperatore, cæteriſq; Chriſtianum nomen defendentibus vnà coniunctis prudentia, conſilio, authoritateque res Chriſtianorum in melius procederent, quemadmodum certè fauente Deo proceſſerunt. Tu Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Cardin. PETRI ALDOBRANDINI nepotis tui cariſsimi, in quem Deus immortalis omnia bona effudiſſe videtur, opera, induſtria, ductu, auſpicijs totam Ferrarienſium diœceſim tam illuſtri victoria, eaque incruenta potitus, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ imperio adieciſti. Tu eo ipſe profectus populum incredibilis CLEMENTIAE tuæ vinculo mirum in modum obſtrinxiſti, quod poſitis per vrbem ſimulacris, ad ſummam illam tuam CLEMENTIAM alludentibus ſatis ſuperque indicauit. Tu tandem terrarum orbe, ingenti totius Catholicæ Reip. oblectatione in pace compoſito, ita duo præ-

cipua Christiani nominis imperia optato pacis fœdere deuinxisti, vt Philippus Secundus Hispaniarum Rex tanto obstrictus beneficio, cum de filio suo, quem vnicum Regnorum suorum, regiæ magnanimitatis, atque inuictissimi animi sui hæredem reliquit, fœlicioribus coniugij vinculis obstringendo deliberaret, Apostolicæ tuę celsitudinis CLEMENTIAM obnixè rogarit, vt quæ Filius suus nuptiarum sponsalia cum Serenis. Austriacæ gentis Margarita contracturus esset, ea Ferrariæ Apostol. tuæ benedictionis præsentia sacrarentur. Ita enim fieret, vt inuictissimus Philippus Tertius Hispaniarum, atque Indiarum Rex à felicibus tuæ benedictionis auspicijs tanti sui Imperij primordia inchoaret, & Serenissima coniux, quam è Germaniæ partibus ingenti apparatu, ac pompa mirabili iam oras Italiæ penetrantem, atque ad Beatissimorum Pedum tuorum oscula properantem incredibili omnium lætitia, veluti alteram Reginam Sabam ab vltimis terræ finibus ad audiendam Salamonis sapientiam aduentantem, & suspicimus, & admiramur; non tam futuræ prolis arrham, quàm sanctæ fœcunditatis, qua auita Austriacæ gentis pietas propagetur, certum capiat auspicium. Prætereo modo nobilissimam illam tuam ad Sigismundum Suetiæ ac Sarmatiæ Regem legationem de tam grauibus, & ad vniuersam Christianam Remp. pertinentibus negotijs. Etenim hæc quamuis qui vir esses, & ad quàm ardua, magnaque natus, demonstret: attamen si cæteris actionibus tuis decantatissimis assimiletur, exigua existit. Quid modò de liberalitate dicam, qua non pauperes solùm ac inopes subleuas, sed viros pariter benemeritos manu ipsa Mecænatis prosequeris? Hæc & cæteros ineffabiles virtutes tuas, quibus vndequaque ceu Sol splendes, cætera inquam, longè maiora facta prędicabunt haud dubio alij, quorum celebrandis tuis laudibus ingenium atque eloquentia suffecerit. Mihi, qui philosophiam naturalem perpetuos iam quadraginta sex annos in hoc florentissimo Archigymnasio Bononiensi profiteor; non oratorem, aut historicum ago; modulamen illud orationis, atque phrasis, quam nuncupant alij, Ciceroniana non est, quibus tua Sanctitate Maiestateque digna canere valeam. nam fortia facta, vt Cato Censorius grauissimus ille vir dicere solet, eleganti egent oratione, videlicet ne sua fraudentur gloria. Ita prisci illi sapientes nullius rei memoriam diutius perseuerare posse animaduertebant, nisi quæ facunda veriq; oratione litterarum monimentis fuisset commendata. Quapropter ne ego dum encomia tua quodammodo illustrare contendo, orationis meæ rubigine tenebras offundam, dicendi finem libenter facio, atque has meas interim vigilias, & me ipsum tibi dico, tibi inquam CLEMENS VIII. tanquam vnico, & splendissimo orbis Soli, qui quemadmodum radios suos omnibus, quæ eorum capacia sunt, citra inuidiam ac summo cum eorundem emolumento communicat, ita pariter Tuæ benignitatis, pietatisque fuerit, non ægrè ferre, si quod vniuersum tuum est, scintillas aliquas ad me, & alios eam implorantes transmittat. Ego interim, Deum præcor Opt. Max. vt totius Christianæ Reip. nauem, teque huius nauclerum, gubernatorem sapientissimum vnà cum vectoribus tuæ ab illo fidei commissis atq; concreditis, inter tot ac tantas sæculi huiusce ceu pelagi fluctuosissimi procellas atque tempestates secunda semper gratiæ ac fauoris sui aura prosequatur, & quàm diutissimè saluos incolumesque conseruet. Vale Pontifex Opt. Max. atque hosce meos labores accipere, ea qua cætera solitus es, beneuolentia, & me humillimè ad Sanctissimos Pedes tuos prolapsum amplecti ne dedignere.

*Beatitudinis vestræ Humillimus Seruus.*

*Vlysses Aldrouandus.*

# PRAEFATIO
## AD LECTOREM.

CVM perpetua, planeq; immutabili naturæ lege ita comparatum sit, Candide Lector, vt nihil nascereturimmortale, suoq; cuncta, quæ in hoc hæmisphærio ortum aliquando habuissent, exitio essent obnoxia: fieri profectò non potuit, vt quantumuis insignia doctissimorum hominum monumenta, non eidem, cui cætera omnia interitus necessitati subiacerent. Nam etiamsi summus ille rerum opifex Deus, eiusq; ministra natura nihil ijs diuturnius, nihilq; viuacius gigni, nihil minus deniq; temporis iniuriam reformidare voluerint: suum tamen & ipsis modum statuerunt, eademq; lege nasci voluerunt, vt & æui vitio obsolescerent, & cæcis bellorum, incendiorum, aliarumq; iniuriarum casibus in præceps raperentur. Quæ omnia tanquàm nimis vera consideranti mihi, tantarumq; cladium causas paulò altiùs reputanti: tandem in mentem venit aurea illa Salustij, quam de auaritia omnis malitiæ, ac prauitatis materie protulit, sententia, quod illa sit, quæ fidem, probitatem, cæterasq; bonas artes euertat. Tam diù enim prima illa artium omnium, virtutumq; alumna, atque excultrix Priscorum Græcorum, Aegyptiorum, Romanorumq; ætas floruit, ac in suo vigore stetit, quàm diù Reges, Principes, cæteriq; homines suo contenti statu viuentes, non quærerent aliena, non dominij sui limites egrederentur, non regni amplificandi causa alios bello lacessèrent, non rebus per fas, nefasq; cumulandis inhiarent: sed pacem domi colentes bonarum disciplinarum, aliarumq; virtutum inuentores, cultoresq; summo afficerent honore, & amplissima ijs præmia proponerent. Postquàm verò immanis illa pestis, auaritia inquam, hominum animos inuasit, tum opes malorum irritamenta virtutibus præferre, artes omnes honestas, earumq; peritos negligere, & nihili pendere, sed fines agrorum suorum dilatare, pomœria extendere, solis diuitijs accumulandis incumbere homines cœpere. Sed verò illi mihi veram, ac solidam demeretri gloriam visi sunt; qui suo labore, sumptuq; Patriam, Remq; publicam ornant, amplificantq;: Cum primis autem ij, qui in id incumbunt, vt veterum scripta labore suo in lucem proferantur, suisq; sumptibus ad nunquam intermorituram posteritatis memoriam propagentur, quorum quidem certè numerus est rarissimus. Quapropter dissertissimus noster Plinius plurimorum naturæ partuum, qui Priscis illis erant notissimi, suo quo ne memoriam quidem superstitem esse queritur; & maximopere miratur, cùm ob maiestatem, dilatatumque Imperium Pop. Romani non ea solùm, quæ illi cognoscebant, sed quæ illos latuere quoque nota esse deberent: Felices illos asserens, atque beatos, quòd exiguo admodum labore naturæ arcana perscrutari potuerint; se verò, suosq; coætaneos infelices, ac miseros, propter auctum laborem; quòd non deperdita tantùm ob mutatos hominum mores, sed ea etiam, quæ noua tunc erant, posteris tradere cogerentur. Quorum cognitio quanto honore, quouè pretio apud antiquissimos reges, prudentesq; homines fuerit, passim loquuntur quorũcunq; classicorum Scriptorum monumenta, in quibus recensendis, ne tempus teramus, pauca tantummodo hic subdo à Magni illius Alexandri Macedonum Regis liberalitate exorsus, quem constat Aristotelis nomini non solùm patriam condidisse, ac tantæ rerum claritati benignum (vt Plinius inquit) animi testimoniũ miscuisse, sed etiam naturæ sacra, & causas perquirenti opem maximam tulisse: ne tàm diligenti studio, & honestissimæ disciplinæ sua deessent emolumenta. Quantum verò illud est, quòd cùm libros illos quinquaginta de animalibus composuit, qui à Græcis πολυτάλαντα βιβλία sunt appellati, octingenta quidem talenta, teste Athenæo, in hos impensa sunt? neque id mitum nobis videbitur, si modo Plinio fidem habeamus referenti, aliquot hominum millia in totius Asiæ, Græciæq; tractu parere illi esse iussa, eorum uidelicet, quos venatus, aucupia, piscatusq; alebant: quibusq; viuaria, armenta, piscinæ, auiaria in cura erant, ne quid vsquam gentium à tanto viro posset ignorari. Romanos quoque deinceps Imperatores legimus scientiam hanc non solùm maximo affecisse honore, verùm etiam (vt refert Galenus) libros, in quibus vel plantæ, vel animalia, vel alia quæpiam res naturalis depicta erant, vel de ijs agerent, & viros etiam, qui eos enuclearent, magnis conquisiuisse sumptibus. Antoninus Imperator Seueri filius erga Oppianum ob confectum de animalibus poema insignem in primis liberalitatem exercuit, vt nedum patris ei exilium remiserit, verùmetiam pro singulis versibus totidem aureos annumerari iusserit, quibus muneribus exhilaratus Poëta, aureis characteribus poema suum conscripsit: quod cùm eam ob causam, tùm ob elegantiam, ac præstantiam aureum iuremeritò nuncupatum fuit. Quid de Neruæ, & Hadriani cùm Aeliano, quid de Vespasiani cùm Plinio, quid de Traiani cùm Plutarcho, quid de multorum aliorum Imp. Regumq; cum alijs huiusce cognitionis peritis familiaritate dicemus? familiaritate autem? immò summorum in eos honorum collatione, & munificentia omni æuo deprædicanda. Hinc nimirum factum est, vt multi doctissimi viri partim naturæ admiratione, partim præmijs propositis impulsi, alij de stirpibus, alij de animalibus, alij de alio naturæ partu historiam diligentissimè conscripserint; inter quos, vt alios præteream, Plinius maxima laude dignus est, qui ex melioribus authoribus optima quæq; decerpens, integram naturalem historiam triginta septem libris contexuit, cum quo quem conferre possumus, authorem nullum haberemus, si longiori vita à Deo data, quædam recognoscere, ac ijs iudicium adhibere potuisset. Quæ cùm ita se habeant, in promptu ratio est, cur veteres hanc scientiam tanti fecerint: in qua si Plinius multa, quæ suo tempore

*Omnia interitui obnoxia.*

*Doctorum monumenta interire temporis longitudine.*

*In Catilinario.*

*Auaritiam esse radicem omnium malorum.*

*Lib. 14. in proemio.*

*Priscorũ felicitas in cognoscẽdis rebus naturalibus.*

*Rerum naturaliũ cognitionis honor apud priscos Alex. Magni liberalitas erga Arist.*

*Arist. Lib. de Animal. quot. L. 8. c. 16.*

*Imp. Rom. maximi fecisse rerum natur. perscrutatores.*

*Antonini Imp. liberalitas ergà Oppianum.*

*Oppiani carmen cur aureũ dictum.*

*Cur multi de rebus naturalib. scripserint.*

*Plinij laus.*

tempore periclitant, nobis scripsit, quid nos de nostrorum proauorum sæculo post Plinij ætatem dicemus? qui rerum domesticarum studio potiùs, quàm scientijs hisce, atq; alijs bonis disciplinis intenti, & in summa vertantes barbarie, in causa fuere, vt in tantos errores demersi fuerimus, omnesq; artium, & scientiarum fructus amiserimus. Deo igitur Opt. Max. auctori, conseruatori, à quo omnis rerum cognitio ad mortales proficiscitur, quiq; hoc thesauro carere nos diutius noluit, immortales gratias debemus, quòd nostri tandem misertus, varios in varijs orbis partibus excitarit viros, qui perdita illa restituerent, quæq; in profundo obscuritatis, ac ignorantiæ cœno demersa erant, & iam multis sæculis latuerant, ad lucem reducerent: ex quibus alios, prout varia maiestatis eius, vt ait D. Paulus, sunt talenta, & gratiæ, videmus, qui barbariem eam funditùs, radicitusq; sustulerunt, alios, qui in sacra Theologia, alios qui in Iurisprudentia, alios qui in Medicina immensos pertulere labores, qui Anatomen, cuius scientia omninò erat abolita, renouarunt, alios qui noui orbis notitiam præbuerunt, alios qui philosophiam, quiq; abstrusos hosce naturæ partus, quorum cognitio non medicis, non viris doctis (proh dolor) sed pharmacopæis, vetulisq; maximo cum ægrorum detrimento erat commissa, illustrarũt: Inter quos tanquàm præcipua lumina præterire non possum Ruellium, Petrum Bellonium, Iacobum Siluium, Io: Fernelium Ambianum, Vvilhelmum Rondoletium, Iacobum Dalechampium inter Gallos: Inter Germanos Valerium Cordum, Hieronymum Tragum, Ioachimum Camerarium filium, Bauhinos Iohannem, & Gasparum fratres, Rembertum Dodonæum, Matthiam Lobelium, Carolum Clusium, Melchiorem Guilandinũ: Inter Italos Iulium Cæsarem Scaligerum, Petrum Andream Matthiolum, Bartholomæum Maranram, Antonium Brasauolum, Andream Cisalpinum, Andream Baccium, Iohannem Baptistam Portam, Hieronymum Mercurialem in almo Gymnasio Pisano primarium Medicinæ Professorem, Iohannem Costæum Laudensem, Fabium Columnam, Massarium Venetum, Lucam Ghinum olim præceptorem meum, qui primus cùm Bononiæ, tùm Pisis historiam stirpium publicè professus est, Aloysium Anguillaram eius discipulum, Iacobum Ant. Cortusum, utroq; Patauini horti olim Præfectos. Inter Hispanos Amatum Lusitanum, Andream Lacunam, Garziam ab Horto, Franciscum Valesium. Quorum clarissimorum virorum alij in id, ut eorum quæ in terra, alij quæ in aere, alij quæ in aqua gignuntur, causas, actiones, vires, formas illustrarent, omne suum studium, omnem operam, industriam, curamq; contulere. Qua equidem tàm præclara exercitatione ego à teneris ferè unguiculis nihil præstantius esse duxi, nec ullam ferè rem aliam esse existimaui, quæ melius, & illustrius Deum nobis ob oculos ponat, & summam eius potentiam, eximiam bonitatem, sapientiam inexplicabilem ostendat. Quapropter statim, ut studia humaniora degustaui, cùm septem continuos annos iuri ciuili, ac canonico totum me dedissem, tantosq; in eo progressus fecissem, ut me quilibet ad insignia supremi eius gradus accipienda hortaretur; tamen gustatis philosophiæ primordijs, logica scilicet, tanto philosophici studij amore exarsi, ut inuitis, meq; acriter increpantibus amicis iurisprudentiæ ualedixerim, eiq; philosophiam prætulerim. Quam cùm ex rebus his particularibus constare animaduertissem, ad eas intelligendas naturæ instinctu summoperè sum inflammatus, ad has uelut ad summi boni finem, scopumuè omne dictum, omne factum, omnem operam, & ceu nauigans quispiam ad certum aliquod sidus, cursum direxi, Stoicorum præcepto monitus, qui cuilibet homini finem aliquem certum proponendum esse iudicabant. Vbi uerò à summo illo bonorum auctore hocce mihi talentum tributum cognoui, abstrusa scilicet, ac recondita naturæ arcana (quod ueri philosophi munus est) perscrutandi, & uitam ad ea percipienda, ac intelligenda, satis mihi longam suppeditatam; non potui non ob accepta hæc à diuina maiestate beneficia, ne ingratus sim (neq; enim qui plantat, ut ait D. Paulus, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus) tantillum grati animi signum edere. Quod ex parte me facturum arbitror, si ea, quæ toto hoc uitæ meæ cursu, summis laboribus, ac maximis sumptibus acquisiui, posteris relinquerem. Verùm enimuerò cùm otij acerrimus semper fuerim hostis, & ad intelligenda hæc recondita diù noctuq; vix habita sanitatis ratione, nec horridæ hyemis intensa frigora, nec torridæ æstatis intolerabiles æstus perhorrescens, nec vllos vel perarduos labores effugiens, omne tempus impenderim, multa non de rebus naturalibus solùm, sed alia etiam philosophica, ac medica opera, philosophis in primis, ac medicis, alijsq; viris literatis, vt opinor non inutilia, atque necessaria conscripsi. Inter quæ illa primo loco mihi edenda visa sunt, quæ de animalibus tractant, quòd nobilitate cæteris præferri debeant. Cùm verò animalium quatuor genera totidem huius mundi elementis respondentia diuinus ille Plato faciat, vnum nempè terrestre, seu in terra uictitans, πεζὸν καὶ χερσαῖον ipsi dictum, alterum ἔνυδρον, seu aquatile, tertium πτηνὸν ἢ ἀεροπόρον seu volucre, quartum ac postremum τὸ πυῤῥον, siue igneum; quare à volucrium genere haud inconsultò exordiri mihi videbor, quòd id tanquam ordine primum (igneum enim haud in rerum natura esse existimo) mihi sese offerat. Sed cùm etiam sub hoc genere insecta quædam volatilia, quorum alia ἀνέλυτρα seu dectectas alas, vt apis, alia κουλεόπτερα, hoc est, in vagina absconditas habentia nuncupantur, vt Scarabeus, itaq; ordo dignitatis expostulare videtur, vt modò de Auibus, vtpotè non cartilagine, vt insecta illa, sed pennis volitantibus agam: perarduum sanè propositum, sed quantò quæq; res difficilior, tantò dignior, in qua generosus animus vires suas experiatur, vt si ad optatum finem adspiret, nihil plebeium, nihil vulgatum, at magnificum quidpiam, ac honorabile videatur assecutus; sin ad eum peruenire nequeat, laudetur tamen egregius, & Hercule dignus conatus. Sed arguat fortè me hic quispiam, cur non potius de quadrupedibus, quàm de auibus tractarim: Quadrupeda enim sunt, quæ quòd vsui hominum quàm maximè inseruiant, operas commendent, alimoniam quotidie suppeditent primum in animalium genere locum sibi vendicant. Ille tamen facilè, ut arbitror, ueniam mihi dabit, si causas, quæ me ad Ornithologiæ editionem impulerunt, intellexerit, vt suo loco intelliget: Secuudum itaq; quadrupedibus locum dabo, atq; eò maximè, quòd aues vt plurimùm in aere, illa nobiscum in terra vitæ vsura fruantur. Tertiò animo concepi Ichthyologiam, seu aquatilium historiam, vbi inexhaustam, & fœcundam vndarum sobolem, ac cærula, vt Poetæ loquuntur, Neptuni regna innantes piscium greges, pelagios, saxatiles, littorales, & qui in stagnis marinis, fluuijs, & lacubus degunt, declarabo. Quartus & postremus inter animalia locus exanguibus cùm vtilibus, tùm inutilibus debetur, vbi multa quidem animalcula veteribus, & neotericis haud cognita in lucem prodam. Deinde ad locupletissimum illum

*Dei Benig.*

*Epistol. 12. Corinth.*

*Dona Deus diuersimodè largitur.*

*Autores historiæ naturalium.*

*Authoris genius.*

*Authoris opera, & ordo imprimẽdorum.*

*Animalium quatuor genera.*

*Volucrum nomine quæ animalia cõtineantur.*

*Causa cur prius de Auibus, quam de quadrupedibus sermo habeatur.*

*Piscium historiæ difficultas.*

*Exanguiũ historia.*

# PRÆFATIO.

illum plantarum, fossiliumq; campum me conferam. Cum itaq, de auibus generalem quoq; historiam, opus, ni fallor, egregium, ac omnino philosophicum, aliàs si Deo placuerit, typis mandandum, conscripserim, naturæ ordinem aliquis me inuertere dicat, si modo particularem hanc Ornithologiam generali illi præferam, cui responsum uelim, uarijs me, ut dixi, atque ijs grauissimis causis, ad quas enumerandas nunc me conuerto, eò induci; nam cùm particularis huiusce historiæ dignitatem, uenustatem, utilitatem, quam alijs præbet scientijs (ut proprio capite uidere est) atq; immensos, qui penè loculos meos exhausere, sumptus mecum perpendo, qu possim obsecro, & studiosorum omnium, & meis etiam rebus consulens, hoc opus particulare, quod nobis ad vniuersale melius intelligendum aditum præbet, non iure optimo alijs edendis operibus præuertere? At nemo quidem sumptuum, quos in eo impendi, magnitudinem, nisi qui similem aliquando prouinciam susceperit, æstimare possit. Nam cum compertum mihi esset Plinium, Auicennam, Auerroem, Albertum Magnum, atq; alios nonnullos probatos scriptores multa sæpè ex aliorum relatu memoriæ tradidisse, eaq; tanquàm uera, & ex tripode, quod aiunt, profecta, ad posteros transfudisse, uerbi causa, quòd vipera à fœtibus interficiatur, quòd fœmina mari caput mordendo amputet, quòd Castor sibi testes auferat, similesq; nugas alias, quæ à multis tanquam ueræ habitæ sunt. Eis igitur, qui rerum harum sensibilium, quæ in maximo hoc hemisphærio procreantur, historiam typis ad posteros tradere cupiunt, omnino necessarium esse existimaui, vt proprijs eæ oculis uideantur, proprijsq; manibus tractentur, earum deniq; anatomen ipsi exerceant. Quemadmodum enim illi, qui de repub. eamq; gubernandi ratione libros condere student, nisi ex proprijs exercitationibus vrbis gubernandæ periti fuerint, grauiter sæpè hallucinantur, legentemq; in maximos errorum labyrinthos deducunt, ut de Pittaco legum conditore olim accepimus, qui multa ex aliorum relatu transcribens malè apud homines audiuit, sic qui proprio periculo de eadem re scribunt, uera narrant, & laude maxima apud omnes extolluntur, ut de Solone, & Lycurgo constat: quare cùm nihil magis ad officium Philosophi spectare uiderem, quàm cæteris omissis ueritati assiduè incumbere, quoniam hæc tàm altè posita est, tanquàm in tenebris obruta, atque recondita, ut nihil sit æquè difficilè, quàm eam indagando peruestigare, peruestigatamq; cognoscere: nec temere dictum fuit à Democrito, in profundo puteo eam latere: Videmus etiam placitis his ueterum Philosophorum Christianorum placita consentire, asserentium, nihil in tota vita aut esse amplius, aut melius, quàm diuinæ ueritatis patrocinium subire, & in eius maiestate conquiescere. Vnde ego in singula ferè auium nostrarum historia, ut tàm interna quàm externa nota redderem, & eorum oculatus testis essem, ingentem pecuniæ uim cùm in uarijs peregrinationibus in diuersas orbis regiones auium potissimùm, ac aliarum etiam rerum naturalium causa susceptis, tùm in eisdem describendis, proprijs coloribus depingendis, ac in tabulis ex pyro confectis, delineandis, exculpendisq;, atque tandem excudendis, consumpsi: ideoq; pictori in ea arte vnico triginta, & amplius annos annuum aureorum ducentorum stipendium persolui, dilineatores celeberrimos, Laurentium Benninum Florentinum, & Cornelium Suintum Francofortensem meo ære conduxi, necnon Iacobi Ligotij Serenissimi Hetruriæ Ducis pictoris eximij opera in hac eadem prouincia Florentiæ quandoq, vsus sum, vt quo maximo fieri posset artificio, aues eæ designarentur; tandem Sculptorem habui, & adhuc habeo insignem Christophorum Coriolanum Norimbergensem, atq; eius Nepotem, qui eas adeò venustè, adeò eleganter exculpserunt, ut non in ligno, sed in ære factæ videantur.

His tam magnis expensis aliæ accedunt causæ, inter quas hæc imprimis non est inuoluenda silentio, quòd pictor meus, vt maiorem sibi facetet quæstum, clàm multis nobilibus, ac studiosis icones multas vendiderit, quas verebar, ne aliquando typis mandarent, quemadmodum aliàs mihi contigit. Nonnulli enim plurimas plantas, quas vel à me in celeberrima hac Bononiensi Academia, ubi quadraginta sex annos publicè profiteor, aut didicerunt, aut dono acceperunt, tanquàm suas ediderunt, & me qui eas aliquando in lucem dare decreueram, præuenerunt; ut ex mea segete messem facerent. Prætèrea authorem inter Italos (de ijs loquor, qui ex professo scripsere) qui de auibus egerit, neminem esse sciebam; inter Gallos solum Petrum Bellonium, sed suo idiomate, & inter Germanos Ornithologum tantùm, sed confusè omnia sine ulla methodo, utpotè ordine alphabetico, & paucarum tantummodò, earumq; vulgatarum icones tradentem. Ad hæc deniq; spem emolumenti, quod ad alia edenda auxilio mihi futurũ est, & preces adiungo multorũ literatorũ hominũ, Illustrissimi; Senatus nostri, (cui ob multa in me collata beneficia, atque ob opem in hoc opere, cùm sua sponte, tùm Sixti V. Pont. Opt. Max. iussu, mihi præstitam obedire & debeo, & uolo) authoritatem, ac adhortationem, qui uisis hisce lucubrationibus magnoperè mihi authores fuerunt, ut quas Reipub. literariæ gratas, utiles, fructuosas cognoscerent, in lucem ederem. In quarum declaratione utilia simul cum iucundis miscebo, Horatianæ normæ haud immemor, ait enim.

*Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.*

Nam quæ cum iucunditate coniunctam simul habent vtilitatem, ea legentis animum exhilarant, memoriæ commodùs mandantur, tenaciusq; inhærent. multa enim imprimis ad priuatam publicamq; vitam, atque mores benè informandos regendosq;, perquàm utilia documenta Ethica, Oeconomica, Politica, atq; etiam militaria ex antiquis literarum monumentis deprompta in hoc volumine continentur, multa valetudini tuendæ, atque conseruandæ salutaria ac medica præcepta in eodem reperies; habebunt adhæc linguarum variarum studiosi synonimorum varietatem omnibus penè idiomatis expressam. Multas alias vtilitates hic licebit videre, quas nunc non commemoro, abundè de ijs suo loco acturus. Quæ omnia lucida admodum, ac perspicua (nisi me animus fallit) methodo traduntur, & quæ ad Physicam speculationem spectant, vt puta Aequiuoca, Synonima, Genus, Differentiæ, Locus, Cognominata, Denominata primò adducuntur; dein ea quæ iucunditatem legentibus parere solent, vt Moralia, Vsus, Mystica, Hieroglyphica, Historica, Symbola, Numismata, Icones, Emblemata, Fabulæ, & Apologi.

Vt verò magis adhuc studiosorum rebus consulerem, omnes quas nasciscì potui, auium, multarumq; cum externarum, tùm internarum partium Icones, tanto sculptas artificio, vt viuæ potiùs quàm mortuæ appareant, quæ non visu tantùm spectatorem oblectant, sed ad auium, quarum sunt, cognitionem (sunt enim picturę muti quidem

*Author scripsit Ornithologiam generalem.*

*Author cur incipiat ab Ornith particulari.*

*Sumptuum enumeratio & Author in hoc opere impendit.*

*Veterũ quorundã nugæ.*

*Comparatio*

*Pittacus cur malè apud doctos audiat.*

*Solonis, & Lycurgi laus.*

*Democriti dictum de veritate.*

*Authoris diligentia.*

*Designatores auium.*

*Artifices qui operam suã collocarunt in perficienda hac Historia.*

*Pictoris fraus.*

*Senatus Bononiensis liberalitas.*

*Sixti Quinti Põt. Max. beneficentia.*

*Ratio tractãdi operis.*

*In arte Poetica.*

*Vtilitas huius operis.*

*Ordo obseruandus in tractando opere.*

*Picturæ vtilitas.*

quidam magiſtri, qui quaſi digito demonſtrant, quæ in Hiſtorijs tractantur) perductur, addidi, & ſuo quaſq; loco diſpoſui, non tamen, vt earum ſpectator tantummodo ſit lector, ſed vt vtrisq; collatis lectione ſcilicet, & inſpectione veras cùm internas, tùm externas auium notitias in animum deferat, & memoriæ affigat, curioſitate, atq; inutili viſus voluptate contempta: Abſurdum enim eſt, ac nulla ratione comprobandum rerum naturalium imagines ideò ſpeculari libentius, vt ingenium eorum, qui eas fecerunt, pictoris ſcilicet, & ſculptoris admiremur, & ſolertiam; rerum autem naturæ miro ingenio, ac ſtudio procreatarum contemplationem non potius proſequamur, atque amplectamur, vt cauſas earum indagare valeamus. His præterea Iconibus multarum plantarum, atque animalium figuras ad viuum exſculptas addidi, quibus aues illæ vel veſci ſolent, vel obIconib⁹ cur hiſtoriæ ornentur. lectari, uel ſanitatem conſeruare, uel recuperare. Quantum verò eiuſmodi Icones ad rem ipſam declarandam conducant, uel ex hoc manifeſtum eſt, quòd plurima ab antiquis conciſè, breuiterq; deſcripta, ac tanquàm nimis vulgata neglecta, nobis hodierna die vel adhuc incognita ſint, vel maximas obſcuritates pariant,
Cur multa nobis incognita. quæ ſi Iconibus expreſſa eſſent, omnem nobis laborem ademiſſent. Cuius rei difficultatem olim Euax rex fortè ſecum reputans, plantas non tantùm exactè deſcripſit, ſed depingi etiam curauit, quas ita depictas, & deſcriptas Neroni Cæſari miſit honoris gratia.

Euax rex plantas cur depinxerit. Habebis præterea Lector humaniſſime Hiſtoriam Auium non ſimplicem, ſed veluti commentarios copioſos, & plurimas caſtigationes non tantùm ueterum, uerùm etiam neotericorum, qui de animalibus ſcripſere, quos videre nobis hactenus licuit, præſertim in lucubrationibus Ariſtotelis, Plinij, Aeliani, Oppiani, Athenæi, au-
Ornithol. nõ eſſe hiſtoriã ſimplicem. thorum de re ruſtica, Alberti Magni, & quoruncumq; aliorum; ideoq; vt noſtra hæc Ornithologia, non Philoſophis ſolùm & Medicis, ſed cuiuslibet etiam alterius facultatis ſtudioſis prodeſſet, & vt legentium animi in multiplici, ac varia lectione aliquid ſaltem inuenirent, quod ingenium ſuum inſtruere, aut excitare poſſet, li-
Authores, quibus author vſus eſt in hoc opere. buit præter noſtras obſeruationes quoq; quaſi ſyluam Claſſicorum Scriptorum Græcorum, Latinorum, ac Arabum admittere; inter quos præter Philoſophos, ac Medicos, Theologi etiam ſunt, & Iuriſconſulti, multique Poëtæ cùm antiqui, tùm recentiores, quorum omnium floſculis, roſisque hinc inde diuerſo tempore, cùm ſe mihi obtulit occaſio, collectis, ſpinis, & inutilibus reiectis, opus hoc recto ordine, & methodo vſus exornaui; &
Comparatio Author. ad apes. *Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant, omnia nos itidem decerpimus aurea*, & quemadmodum illæ flores ad mel accumulandum petentes, ſua faciunt, quæ modò erant aliena, & ſua induſtria in propriam conuertunt vtilitatem, ita nos ſtudio, labore, &, quod caput eſt, longa experientia ea, quæ ab alijs deſumpta ſunt, ruminauimus, digeſſimus, & tanquam in ſuccum, & ſanguinem huius fœtus noſtri conuertimus. Cuius rei Lectorem admoneri oportuit, ne temerè coniectos, & conſarcinatos eſſe authorum locos exiſtimet. Cuipiam hic
Author cur ſemper corũ non memineri, cum Diuo Hieronymo reſpondeo, qui cùm plurima ex Origenis ſcriptis in ſuos libros tranſtuliſſet, atq; ideò ab æmulis carperetur, ſeſe defendit, dicendo, ſe ea ad leuandum Lectori tædium tacuiſſe, quæ in præfa-
nerit, à quibus quid mutuatur. tione ſat fuerat ſemel innuiſſe: nam & ego eandem ob cauſam eos tacui quandoq;, atque eò maximè, quòd quę ex illis excerpſi, ex primis claſſicorum fontibus deprompta ſint, quodq; qui illis, idem & mihi ſpiritus inſtillare potuit. Ne tamen arroganter nimium mihi tribuere videar, cùm *ingenui ſit pudoris*, vt ait Plinius, *fateri per*
In Præf. ad Veſpeſ. *quem profeceris*, omnium authorum, quotquot in hac Ornithologia vſus ſum, nomina ſuo præmittam loco. Eorum uerò uirorum, qui mihi aues mittendo, uel ſecando opitulati ſunt, nomina hic recenſeo, quemadmodũ & in alijs Hiſtorijs omnes celebro, qui microcoſmum meum nouo aliquo naturæ partu ditarunt, cùm ne ingratus (quo ut ait Mimus, terra nil peius creat) ijs uidear, tùm etiam, ut eorum animos ad alia mittenda, ac impertienda excitem, ac calcar inijciam.

Author veniam precatur, ſi errauerit. Non me clam eſt, poſſe eſſe multa, quæ in hoc opere iuſtam reprehenſionem ſeueri, & attenti Lectoris non effugiant, quorum ſi me admoneant docti homines, ſiq; euincant, beneficij loco habebo per eos profeciſſe. Etenim homo ſum; humani nihil à me alienum puto; Errare, labi, decipi humanum eſt; & in tanta, tamque
Multa hactenus incognita. immenſa naturæ uarietate, multa ſcio reſtare incomperta nobis: quæ diſcere non erubeſcam, ſi quid de ijs melius, vel oratione, vel ſcriptis aliorum liquere poſſit. Et uerò ego is ſum, qui nihil tàm carum, & pretioſum apud me habeo, quod non cupiam uel vltro in commune conferre, modo intelligam, id bonis, & ſtudioſis profuturum, cum vix aliud uiro bono tam indignum eſſe cenſeam, quàm uelle occultare, quod prodeſſe, & iuua-
Authoris liberalitas in docendo. re poſſit plurimos. At uidemus hac noſtra ætate nimis uberem horum mortalium prouentum, qui ſub modio abſcondunt, quod iuxta Euangelicam ſententiam, ſupra montem ponere, & in lucem proferre debuerant, atq; adeò in confeſſo eſt, multos optimos authores hodie paſſim deſiderari, & à tineis rodi, quòd qui eos poſſident,
Multorũ in uidia, & illiberalitas in cõmunicando. & in occulto compreſſos tenent, bonis, & ſtudioſis inuideant. Quod quàm ſit illaudatum, & flagitioſum, atque adeò ſordidi animi, nemo eſt, qui non videat, quandoquidem non ſolùm nobis ipſis nati ſumus, imò ad hoc maximè nati, ut alij alijs proſint, & vt communes utilitates in medium conferamus, dando, & accipiendo humanam ſocietatem foueamus. Non ambigo fore nonnullos, (neq; enim dicente Aeliano omnibus omnia placent) qui cupidine magis accuſandi, quàm animo rectè iudicandi, hæc ſint adituri; quoniam pleriſq; innatum hoc eſt, vt malint uideri in alieno opere ingenioſi, quàm in docendo, atq; intelligendo alijs prodeſſe: nam reprehendere, atque damnare imperiti etiam uolunt; iudicare, ac probè expendere prudentes tantùm,
Authoris humilitas. atque egregiè docti poſſunt, ad quorum ego iudicium ſemper mihi elaborandum duxi. Hoc unum tantùm ab æquis laboris mei iudicibus peto, vt quod minus uidebitur illis probandum, æſtimata rei totius difficultate, leniùs, & placidiùs reijciant abſq; contentionis, & conuiciorum acerbitate. Scio enim multa quoq; poſt noſtras obſeruationes ſuperfutura, quæ vel à me prætermiſſa, vel non ſatis animaduerſa (nam interdum hebeſcunt etiam perſpicacium oculi, & quandoq; bonus dormitat Homerus) acriora iudicia poſtulent, à quibus nec odio commotis, nec inuidia, facilè, ni fallor, impetrabo, vt ueniam dent, aut ſedatè arguant. Spero tamen, (abſit inuidia dicto) omnibus quarumcunq; artium ſtudioſis, atque profeſſoribus hoſce meos labores aliquid
Vtilitas operis. allaturos utilitatis, imò magno admodum illis ad quoſuis authores cùm ſacros, tùm profanos faciliùs intelligendos, futuros adiumento.

Quod

# PRÆFATIO.

Quod si quis à viro magno, ac graui alienum esse putet de auibus, & rebus ad eas pertinentibus scribere, mihi grauiter hallucinari, & tota quod aiunt, uia errare uidetur. Et illiberalis sordidusq́, eorum animus est, qui hisce spretis ad eas solùm scientias incumbunt, quæ ad rem domesticam solummodò augendam faciunt, & vbiq́; vtilitatem, & lucrum spectant; illi profectò Aesopico gallinaceo similes censendi sunt, qui repertæ gemmæ hordei granum prætulit, quòd vsum gemmæ ignoraret. Cùm itaq́; nullum sit animal, teste Aristotele, adeò exiguum, adeoq́; abiectum, in quo non aliquid rarum, reconditum, imò (vt ita dicam) diuinitatis aliquid spectetur, itaq́; & auium, quæ animalia sunt perfecta, & admiratione plena, notitia non cum fastu reijcienda, at pro viribus cuique amplectenda est.

*Gallo Aesopico qui similes.*

*Lib. 1. de part. c. 1. In minimis admiranda Dei conspiciuntur.*

Quo in genere cum elaborarint non pauci, neque obscuri viri, egregiam operam huic scientiæ nauasse sunt iudicandi: quorum laborem quantum illustrarim, quilibet æstimet, at ij faciliùs, qui in hac disciplina ver sati sunt.

Hæc autem omnia, Lector studiose, ab animo bono, ac Reipub. literariæ quouis modo gratificandi cupidissimo profecta (quæ vt & alia tibi utilissima iamdiù edere volui, sed propter ingentes sumptus non potui) si bona, beneuolaque mente acceperis, ad reliquas lucubrationes, quarum Franciscus Senensis Typographus, sponte sua, si vita suppetat, edendarum prouinciam suscepit, alacriori animo, & voluntate me accingam.

Vale, & faue.

✣

In V. C.



# In V. C. VLYSSEM ALDOBRANDVM ſuorum editionem operum ab Ornithologia inchoantem.

## Aſcanij Perſij.

Ἀλδοβράνδε, φύσις τῷ πανδώτειρα δίδωσιν
Ἴδμον' ἔμεν πάντων, ὅσ' ἡ ἔτευχε, μόνῳ,
Ὄρνεα μὼν ἀφίης πρὶν πάντεσ' εἰσοράασθαι,
Σεῦ κλέος ὡς πτήσει θᾶττον ἔχῃ σκεδάαν;

## Iulius Signius vertit.

*ALdobrande, datur cui ſingula noſcere ſoli,*
*Quæ natura parens prouida in orbe creat,*
*Num prius emittis volucres, vt præpete penna*
*Ocyus effundant ſcripta, decuſq; tuum?*

## Eiuſdem Iulij Signij. I. V. D.

*ALdobrande forent totidem ſi candidi olores*
*Aonij, quot aues explicat iſtud opus;*
*Quæ miranda tuum Muſaum continet inſtar*
*Parui orbis, cantu non ſatis exprimerent.*

# OMEN FELIX

## Ex eo, quod Clarissimus D. D. Vlysses Aldrouandus Libris suis edendis initium fecit

## DE AVIBVS.

Acceptum à Iusto Raphelengio Antuerpiensi Med. XXIIII. Martij M. D. XCVII.

*Quod libris, vir magne, tuis primordia sumis*
*Ex Auibus, fausto non caret augurio.*
*Ominor, & numquam quisquam etsi doctus aruspex*
*Auspicium ex vlla certius hausit aue.*
*Nam velut alituum genus alta per æthera cæli*
*Alarum celeri remigio vehitur,*
*Sic te præpetibus rapiet quoque gloria pennis*
*Astra per, & cælo contiguum faciet.*
*Nec solùm hoc, sed ceu Phrygius Iouis alite vectus*
*Aecitus stellis celsa per astra puer,*
*Non secus ipse nouum cælo accenseberis astrum*
*Aldrouande, tuo & nomine sidus erit.*
*O te felicem? iunget te gloria Olympo,*
*Famaq; per terras irrequieta vehet.*
*Fixum erit in cælis nomen, terrisq; volabit,*
*Quamdudum pennis vlla feretur auis.*

# Elogium in Aquilas, & naturam earum, & more, institutoque hominum imperatrices, earumque vnum γραφιώτερον, historiographum, virum Illust. & Clariss. Vlyssem Aldrou.

QVid mea sumpsisti tibi dicere Musa? Iouisne
Summi Aquilas? magis an signiferumne Aquilæ
Aldrouandum Aquilæ cunctæ gerulum vnicum Vlyssem
Et notorem auium, cætera mille genus.
Atqui ea nunc illi propria ista negocia soli,
Et rem linque tuam tot modo auispicia.
Iamq; ipsam mihi saltem Aquilam spectato, suas vt
Vni isti laudes conferat illa viro.
Nempe auium ante alios adamauit Iupiter orbem,
Et regnum aëreum proprium habere dedit.
Vni cumprimis Aquilæ, quam sceptra tyranni,
Et summam fecit tollere verticem humo.
Reginamq; auium incendit propriore fauillæ
Admissam Vestæ cælitis in penetral.
Vtque illam vltrici posse incandescere flamma,
Sic iras voluit, telaq; ferre sua.
Et solam vultum & Phœbææ lampadis ignes
Inspicere & fecit cætera despicere:
Flammauitq; orbes oculorum; & fulminis alis
Afflatum, atrauit plumeolum omne sagum.
Ac totum incoxit generoso pectus honesto,
Omniaq; irarum nobilium arma dedit?
Insuper & vitæ igniculum solidauit aheno:
Certare & seclis addidit æthereis.
Quas iam omnes dotes, suaq; regalia signa
Huicce suo confert illa Tyranna viro.
Remigioq; suo famæ secum euehit: ipsis
Diuinum ingenium reddere prompta dijs.
Nunceq; alium nobis per terrarum omnia, Vlyssem
Giratum spatia, & totius orbis opes.
Nunc alium Promethea habet, quem certius ipsum
Admoueat regnis denique & æthereis.
Quique fidem faciat prisci rumoribus æui
Noster Prometheus verior Italicus.
Hic vir, hic est eteni m: cor cui rosere tenellum
Vngue inde à primo Vulturium omne genus:

*Et vitæ genialem omnem pauere medullam,*
*Inque ſuas leges tota habuere virum.*
*Ergo etiam his ſtudijs illo immoriente Saperda*
*Magno Naturæ totius indiculo.*
*Sanguinibus tumuloq; viri nec alid, niſi veræ*
*Naſcentur totidem congeneres Aquilæ.*
*Ac famam implebunt veterem, & Promethea Vlyſſem*
*Perpetuarum addent gloriæ Olympiadum.*

Viri Naturæ conſultiſſimi honorî gratiæq; faciebat Ioann: Ferſius Sileſius Doct. cùm iterum ipſum Italiamq; inuiſeret: Anno quem numerales literæ indicant huius ſolenni voti etiam numeroſi.

*VIVat ODIſſeVS*
*BononIensIs ALDroVanDVS*
*AVſonIæ IVbar ſUæ.*

Io: Cornelius VVtervverius Batavus Delphenſis Med. Doct. congratulatur Illuſt. & Excell. Dom. Vlyſſi Aldrovando præceptori ſuo, quod ab Avibus inceperit, hortaturq; vt cætera, quæ in eius Muſæo conſpiciuntur, Opera admiranda propediem in lucem edat.

*GAVDEO, ſed quæ animo concepi gaudia, lingua*
*Et ma... , & morbus ſignificare vetant.*
*Lætitiæ cauſa eſt, quia cum tot ſcripta reſeruas*
*Ingenio diuino accumulata tuo,*
*Ab volucrum genere ordiris, quod gratulor, & ſi*
*Chriſticolæ fas eſt, accipio augurium*
*Id, quod maius eò eſt, quoniam Iouis ales honoris*
*Obtinuit primum non ſine laude locum,*
*Aduentu quæ cuncta ſuo extinxiſſe putata eſt*
*Auguria, & quamuis proſpera ſæpe forent.*
*Laus quoq; Vulturibus magna eſt, quod Reme probaſti*
*Morte tua, fratri regia ſceptra parans.*
*Unguibus Accipiter curuis, tua Phœbe volucris,*
*Rariùs infelix edidit augurium.*
*His igitur tribuens primas celeberrime Vlyſſes*
*Tute tibi felix augurium inde capis.*
*Macte age ſic quotquot retines cognomine veſtro*
*Inſcriptos, etiam propediem ede libros.*
*Nonne vides prudens, vt publica commoda tardas,*
*Quæ potes ingenio demeruiſſe tuo?*
*Diſce tui viuus mercedem ferre laboris,*
*Nam venit extructo gloria ſera rogo.*

*Sic etiam*

*Sic etiam veſtrum venientia ſæcula nomen*
*Noſcent, & quis ſis fama loquetur anus,*
*Et manè auroræ qua Lucifer excitat ignes,*
*Et iuga quà Titan veſpere ſoluit equis.*
*Quam canis, ad cælum Iouis ales nube ſerena*
*Te feret, atque nouum ſidus ibi eſſe dabit,*
*Sidus, quod radijs omnes fulgentibus oras*
*Clarabit, cælo ſidera donec erunt.*

# IN VLYSSIS ALDROVANDI Ornithologiam.

## P. AEMILII LVCHINI C.

*NATVRAE atque artis perquirere facta labore*
*Nil opus eſt, hoc qui quæris anhælus iter.*
*Vnius eſt ſed enim ſtudio, vix credere dignum,*
*Factum hominis, ſi hominem dicere tanta ſinunt,*
*Vt quicquid vigilans animi prudentia cernit,*
*Hic doceat turbæ pennipotentis honos.*
*Hinc quantum vel terra tenet, mare claudit, & æther*
*Ponderat, omnicremo quicquid & igne calet,*
*Multicolor monſtrat ſoboles, hic dicta, volucrum,*
*Aligerum & faciunt ſymbola multa patens.*
*Hoc variæ Altilium ſpecies teſtantur, & Hæmi*
*Concaua quæ in gelidis vallibus antra petunt:*
*Quiq, Arabum terris totiens longæua veſurgit*
*Rara auis, & nullum quæ capit una cibum.*
*Magna quidem dictu: ni quondam ſæcula prima*
*Maiora ex auibus vaticinata forent.*
*Læa etenim uolucres monuere negocia Priſcis*
*Fortia, Vulturibusq; eſt data ſæpe fides.*
*In bellis fulsêre Aquilæ ſignata ferocis*
*Corpore vexilla; hæc ſcuta notata virùm.*
*Et Grus, alta petens Cæli, monſtrante magiſtro*
*Vſu, homini atque artes prodidit una bonas.*
*Quid Corui, pluuiam referentes voce canora*
*Ex ſole, atque imbris ſole tepente fugam?*
*Et uiridis noſtri quidam ſermonis imago,*
*Pſittacus, humaniq; æmula Pica ſoni?*
*Reſque aliæ, quarum ſpecies veneranda vetuſtas*
*Credidit ex auium fingere poſſe notis?*
*Quæ, licet innumera, hic numero Aldrouandus Vlyſſes*
*Comprendit; calamoq; abdita multa docet.*
*Nec mirum: Poſtquam rutilo quod Phœbus in ortu,*
*Veſperis occidui & quod parit ora, ſimul*
*Collectum ſua ſola domus tenet. Inſpice Lector,*
*Naturæ liber hic totius inſtar erit.*

# In Ornithologiam celeberrimi viri Vlyſsis Aldrouandi Philoſophi, ac Medici Bononienſis.

Annibal Paganus Regienſis, eius Alumnus.

*INCLITA non pandam rudibus tua facta camœnis*
*Aldrouande meis, digna Marone cani,*
*Qui fructus etenim velocibus hiſce petantur*
*Ex pennis, breuibus claudere Muſa iubet:*
*Sumereq; à primis noſtra hæc exordia ſignis,*
*Quæ celeres formant celſa per aſtra Grues.*
*Fabellas numeris vanas intexere vatem,*
*Appologos vero Mercurium ex auibus.*
*Alma quibus ſeruare parens dedit arcta per æuum*
*Vincula connubij, munus & Oeconomi;*
*Miſceri & rebus ſeſe, queis publica gaudent,*
*Queis Architectus, Muſicus, Aſtronomus.*
*Hic Emblematibus patefacta arcana recondis,*
*Atque ſimul pandis, ſymbola cuique parans.*
*Hinc Hieroglyphicis penetras myſteria olimpi,*
*Inque ægros artem fundis Apollineam.*
*Exacta demum ſapiens indagine quicquid*
*Perpendit, docta perficit atque manu,*
*Hiſce nouis calamis illuſtras, omnibus vt ſis*
*Et rerum interpres vnicus omnigenum,*
*Teq; trahant adſe, quos gloria, fama, decusq;*
*Virtutis terris aurea ad aſtra vehit.*

# In Excellentiſs. Vlyſsis Aldrouandi Ornithologiam.

Innocentij Honeſtij Picenſis tetraſticon.

*ABDITA qui ſophiæ geſtis perquirere mente*
*Dogmata, naturas alituum omnigenas,*
*Et ritè expreſſas oculis luſtrare figuras;*
*Perlege diuinum, Lector, Vlyſſis opus.*



VLYSSES ALDROVANDVS BONONIENSIS ANNO ÆTATIS LXXIIII
NON TVA, ARISTOTELES, HÆC EST, SED VLYSSIS IMAGO
DISSIMILES VVLTVS, PAR TAMEN INGENIVM
Io: Corn. Weerver. M.D. faciebat
SENSIBVS
HÆC IMIS RES EST NON PARVA
REPONAS

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS PROLEGOMENA IN ORNITHOLOGIAM.

## DE VTILITATE Operis.

INTER plurima diuinæ bonitatis munera, quorum magnitudinem vel numero metiri, vel pretio æstimare neutiquam possumus; certè hoc non in postremis collocandum videtur, quod toti hominum generi flagrantissimos quosdam veritatis cognoscendæ igniculos naturâ inseuerit; quibus à fluxis ac caducis rebus procul ad præstantissimarum artium cognitionem auiditas quædam immensa ac insatiabilis excitaretur. Quæ sanè cura multorum clarissimorum virorum ingenia assiduâ solicitudine ita exercuit, vt plurimi postpositis huiuscæ vitæ illecebris, prauisq; cupiditatum lenocinijs extinctis, omnium diuitiarum onere, ac amicorum solatio se liberauerint; quò deinde melius ciuilis, & non simulatæ philosophiæ delicijs, veriſque animi voluptatibus oblectentur. Horum ego probatissimo exemplo, laudatissimoq; instituto mirum in modum extimulatus, cùm ipsius sapientiæ exactam cognitionem longè, latèque in omnes humanæ societatis partes, ineffabili suo decore disseminatam esse perpendissem: atq; hocce meum de natura Auium opus cæteris nõ inferius esse cognouissem, nõ parum studiosorum, omniumq; doctissimorum virorum reipub. me profuturum credidi, si in lucem id tandem darem, eoq; maximè; quòd Auium cognitio profundo ferè hactenus ignorantiæ cœno submersa, ac penitus oppressa iacuerit.

Antequàm verò tractationem hãc lectorum oculis subijciam, haud alienum ab officio meo facturus mihi videor, de vtilitate, quam omnibus ferè scientijs, atque artibus præbet, quædam præfari, ac nonnulla etiam ab ipsomet Aristotele; etsi multifaria cognitione exculto, ac disertissimo philosopho prætermissa, adducere. Ille enim quamuis abstrusas rerum causas, ac recondita principia sedulâ indagatione inuestigauerit, aditumque nobis ad quamplurima maximis difficultatibus implicita percipienda patefecerit; tamen & ego nonnulla obseruaui propriâ experientiâ, cùm in anatome, tùm generatione, alijsq;, vt posteà Deo fauente ostendemus, quæ illius operâ minimè adhuc nota sunt.

Inter artes igitur, quæ hinc non parum hauriunt emolumenti, primo loco occurrit Grammatica, cui literarum sequentium inuentione Aues opitulatæ videntur: quamuis Phœnicibus Grammatica.

eam multi adſcribant. Exploratum enim eſt, Troiani belli tempore, Palamedem ex Gruum volatu ſibi literas finxiſſe, eaſque prioribus Phœnicum addidiſſe: illæ enim volantes aut γ, aut γ, aut λ efformant, quod rectè his verbis innuit [a] Martialis:

[a] *In Xenijs.*

*Turbabis verſus, & litera tota volabit,*
*Vnam perdideris ſi Palamedis auem.*

[b] *Lib. 5. de bello Pharſalico.*

Ad quod rectè etiam alludit [b] Lucanus, dum ait:

*Effingunt varias, caſu monſtrante, figuras,*
*Mox vbi percuſſit tenſas Notus altior alas,*
*Confuſos temerè immixtæ glomerantur in orbes,*
*Et turbata perit diſperſis litera pennis.*

[c] *Epiſtol. 4. ad Ruſt. monachum.*

Hinc & [c] D. Hieronymus, *Grues*, inquit, *vnam ſequuntur ordine literato.*

Rhetorica.

Quid hîc deſumptas ex Auibus ſimilitudines, quibus Oratorum ſcripta plena ſunt: Quid parabolas: quid apologos commemorem; quibus orationes ſuas tanquàm ſale condiunt, & quaſi gemmis quibuſdam exornant?

Poëſis.

Sed nonne & Poëtarum optimi, atque antiquiſſimi ab Auibus etiam plurima, & perquàm accommodata exempla depromunt? nullus enim habitus humanæ voluntatis eſt, quem nõ ab Auium actionibus, affectibuſq; exprimi videamus. Quinimo ad ſedandos animi noſtri effrenes motus, plurima virtutum, ac officiorum ſpecimina, quæ neſcio qua peculiari, latẽteq; vi ac energia, & veluti tacita quadam exprobratione, calcar nobis ad virtutes capeſſendas addunt, ab auibus, ſi ab vllis alijs rebus, depromuntur.

Ethica.

Ethica philoſophia hinc ſua habet emolumenta, de quibus adducta hæc exempla fidem faciant: Ac Gruum in primis inſignis illa in ſemetipſis conſeruandis prudentia, quem non reddat prudentiorem? has, ferunt, imbecillitatis ſuæ conſcias, atq; ideò non mediocriter pertimeſcentes; ne in pernitiem aliquid redundet, metamq; deſtinatam præuaricent, lapillos portare, vt ex eorum caſu, ſupra terram ne; an ſupra mare volitent, percipiant, vlteriusq; progrediendum, an conſidendum, cognoſcant. Sed quid de Anſeris verecundia dicam, quem conſtat modo, & modeſtia vitæ ſuæ curſum metiri? Quid de Luſcinia? quæ pullis ſuis, ſimul atq; in hanc lucem factus eſt aditus, canendi viam aperit, ac eos magnâ diligentiâ inſtruit. Quem, quæſo, non incitet admirabilis illa Reguli, etſi omnium minimæ auiculæ magnanimitas? ille enim, quamuis corporis exiguitate contemptibilis videatur; tamen ex tenui corpuſculo formoſum animum quandoq; exire, quaſi non ignarus (poteſt enim virtus ſub qualibet cute latere, ac poſſeſſorem ſuum adornare) non Aquilæ auium omnium fortiſſimæ magnitudinem, ferociamq; perhorreſcit: ſed de imperio cum ea decertare audet.

Gruũ prudentia.

Luſciniæ inſtitutio.

Reguli magnanimitas.

Oeconomica.

Qui fortunæ bonis, facultatibuſq; cumulandis inhiant, Picæ in primis ſedulam in victui neceſſarijs cogendis operam, ac curam ſecum expendant. Illa enim, ne brumali tempore pereat inediâ, glandium, quibus tunc victitet, acceruos, non aliter ac formicæ fruges, terrâ recondit. Quid de Cuculo dicam? quem aſſerunt tantâ glandium affluentiâ, cauitatem, in qua hyeme latet, replere: vt multa elapſo frigore, atq; adueniente vere, adhuc ſuperſint ad propulſandam famem. Quis igitur eſt, qui, niſi rationis impos, harum ac aliarum, quas breuitatis cauſa taceo, exemplo, ad res neceſſarias proſpiciendas non incendatur?

Pica œconomiæ magiſtra.

Cuculi ſedulitas.

Reſpubl.

Quantum verò huius operis lectio ijs, qui rempub. adminiſtrandam ſuſcipiunt, conducat, compertum habebunt omnes, ſi Gruum, inter alias aues in hoc genere, ſedulos labores agnoſcant. Hæ enim cùm gregatim volant, exacta indagine perpendunt, ac communibus quaſi ſuffragijs conſentiunt, quî non ſolùm aduerſis rebus perfugium, atque ſolatium inuenire: verùm etiam ſecundas maioribus ornamentis illuſtrare poſſint; ac inde quod diuerſæ ſententiæ, denuò mutuo neceſſitudinis vinculo alligentur, (deducto inde verbo) Congruere dicuntur.

Grues magiſtri politici.

Agricultura.

Nonne Agricola, qui operis præſtantia, & nobilitate, cæteris omnibus mechanicas artes exercentibus; præfertur, Auium acceſſu, & receſſu imminentes imbres, aliasq; tempeſtatum iniurias aduentare colligit? nonne etiam ex Gruum in ſublime migrantium volatu, aduentantis hyemis acceſſum exploratum habet; ac ideò terræ exercendæ magis animo incumbat? id ſanè & [d] Heſiodus teſtatur his verbis:

[d] *Lib. 2. de dic & opera.*

Φράζεσθαι δ' εὖτ' ἂν φωνὴν γεράνου ἐπακούσῃς
Τηλόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης
Ἥτ' ἀροτοῖό τε σῆμα φέρει, καὶ χείματος ὥρην
Δεικνύει ὀμβρηρῆς. ideſt

*Conſidera verò, cùm vocem Gruis audieris*
*Altè ex nubibus quotannis clangentis,*

Quæ &

*Quæ & arationis signum affert, & hyemis tempus*
*Indicat pluuiæ.*

Nonne auium excrementis lætæ fiunt segetes? nonne cicurãdo syluestres; pascendo custodiendoq; cicures; alendo fœcundas; cùm ex ouis fructu dulcissimo atq; vberrimo; tùm ex fœtura gregem supplente maximum sibi comparat prouentum? Sed quorsum hæc refero? cur non potius exprimam Aues sationis, ac insitionis modum aperuisse? Tradit id sanè [e] Plinius, *Semine quoque*, inquiens, *inserere natura docuit, raptim fame Auium deuorato, solidoq; ac alui tepore madido, cum fœcundo simi medicamine abiecto in mollibus arborum lecticis, & ventis sæpè translato in aliquas corticum rimas: vnde vidimus Platanum in Lauro, Laurum in Ceraso, & baccas simul discolores. Tradunt & Monedulam condentem semina in thesauros cauernarum eiusdem rei præbere caussas: hinc nata inoculatio sutoriæ simili fistula aperiendi in arbore oculum cortice exciso, semenq; includendi eadem fistula sublatum ex alia.* Hactenus ille. Sic Cornices sæpè serunt iuglandes, quas nos ita satas comedimus. Non minori quoque emolumento Seleucides aues Casij montis incolis à Ioue impetratas, vt Locustas agrorum fruges deuastantes occiderent, [f] idem asserit.

*Lib. 17. cap. 14.*

Inoculationis origo.

Cornices iuglandes serunt.

Seleucides frugiuoras Locustas necant.

Qui verò formas rerum ductis lineis repræsentant, pictores dicti, maximum arti suæ decorem, opesq; conciliant ex imaginibus Auium, in quibus cùm diuersa figura effingendis, tùm varijs ac diuersis colorum generibus distinguendis, qui iucundissimam oculis omnium venustatem pariunt, tantum luxuriata fuit natura, quantum in nullo alio animalium genere. Hinc ea promanauit consuetudo, quod magnates, viriq; nobiles ac diuites, cùm inter cætera animalia Aues non infimum nobilitatis locũ obtinere cognoscerent; partim huius, partim illius Auis effigie insignia sua cõdecorarint; quemadmodum Semiramidem Columbæ, Romanos Aquilæ (quam & nostri adhuc Imperatores sibi seruant) alios Corui, alios Gryphi, alios Vulturis, alios Anseris, alios denique aliarum nobilium Auium iconibus in insignibus suis delectatos esse accepimus.

[f] *Lib. 10. cap. 27.*

Ars pictoria.

Aues ad insignia illustrium hominũ translatæ.

Plumatilis ars, quam Indi Floridæ regionis incolæ summa industria exercent, quantum ab alitum genere vtilitatis reportet, vel ex hoc constare arbitror; quod non exemplaria solùm: sed & instrumenta, ac materiam ex eo petere cogatur. De cuius artis præstantia, cùm suo loco acturus sim, superuacaneum nunc existimo longiori eam sermone prosequi; vnam tamen, eamq; eximiam huius generis tabulam silentio inuoluere non possum; quam Illustrissimus Cardinalis Palæotus incomparabili doctrina & probitate vir mihi dono dedit; quamq; ego in Musæo meo appensam adhuc asseruo. In hac D. Hieronymi Christum Saluatorem nostrum cruci affixum genu flexo adorantis imago, ex versicoloribus Auium Indicarum pennis ad viuum ita expressa est; vt non plumis contexta, sed penicillo ducta videatur. Hac ex Hispanijs secum allata, Illustrissimus Cardinalis de Burgos Illustrissimo Cardinali Palæoto gratificari voluit; qui eam postea nostro Musæo consecrauit. Antonius Gigas, morum probitate, & eruditione præstans vir, inter plurima, quæ habet rarissima, capitium quoq; asseruat scitè admodum atq; affabrè contextum ex Auium pennis; cuius imaginem ego reliquis meis iconibus appingi curaui.

Ars plumatilis.

Opus plumariũ egregium.

Scripturis quoq; ab auibus compluribus, potissimum autem ab Oloribus, atq; Anseribus, necessaria suppeditari instrumenta, quis est qui ignoret? Illud tamen haud ita vulgatum adijcio, pennarum seu calamorum Coruini Generis Auium, in iconibus in tabulis ex pyro sectis, multò quàm cum aliarum calamis fieri solet, subtilius delineandis; vt postmodum sculpturo seruiant, maximum vsum esse; quod mihi è pictore meo Cornelio Suint Francofurtensi, iuuene huius artis peritissimo, exploratum est.

Scriptores.

Pennarum ex Coruino genere vsus.

Illud etiam minimè tacendum censeo, ex Auium plumis, potissimùm verò Anserum, Onocrotalorum, Cygnorum, Anatum & Gallinarum humano generi quietem conciliari; lassitudinemq; vel ex longo ac difficili itinere, vel ex alio quouis diutino labore leniri ac penitus subleuari. Hisce enim lectos & culcitras, aliaq; id genus quieti destinata instrumenta; quæ πτερωτὰ καὶ πτίλωτα προσκεφάλαια Græcis dicuntur, impleri videmus: neq; nobis tãtum id vsitatum est, sed antiquissimis quoq; Romanis; vt ex hisce [g] Ciceronis verbis colligere est; *Eripiamus huic ægritudinem, quomodo eum collocemus in culcitra plumea, psaltriam adducamus.*

Ars quieti destinata.

[g] *Li. 3. Tusc. Quæst.*

Quarundam etiam Auium pennis matronæ nobiles in Italia, ac potissimùm ex Struthionum plumis flabella sibi parant; quibus æstiuis temporibus calidiorem aërem temperent. Nonne & Musas olim eisdem ab antiquis decoratas verisimile est; cùm non alias reperias pretiosiores? Ego sanè, qui earum statuas ita exornatas Romæ in ædibus Petri de Radicibus; vt in libro meo de statuis iam ante multos annos edito, videre est; obseruaui: ita esse non dubito; idque ideò factum fuisse existimo, quòd illæ cantus sui dulcedine, ac lenocinijs, nec non poëtarum carminibus, quibus materiam subministrare credebantur, eos, de quorum laudibus & encomijs scribunt, quasi volare faciant.

Architectura.

Sed quid? nonnè caſas quoque, magnasq; domos fabricare; omnemq; Architecturam ab Auibus edocti videmur? Quis enim, bone Deus, eſt; etſi in hac arte peritiſſimus; qui ſe ab Hirundinis auiculæ tam exiguæ ſolertia, ac labore in nidi ſui conſtructione, ſuperari non fateatur? Illa enim ſibi nidum, quo quieti conſulat; quo ſobolem ſuam nutriat; totum luto conſtruit; ſtramine roborat; eorumq; inopiâ, multâ ſe madefacit aquâ, pennisq; puluerem ſpargens lutum ſibi parat, & pro ſtramine mollibus vtitur plumis, floccisq; atque hac tam inſigni ſagacitate defectum ſupplet. Quarè rectè [h] Ariſtophanes ὄρνιθας τέκτονας, id eſt, Aues fabros vocabat: & Epigrãmatarius πηλοπύτας θαλάμους, Hirundinis nidos; & πηλοδομεῖν, ex cœno fabricare dicebat.

Hirundinis ſolertia in nidificio.

[h] *In Auibus.*

Ars militaris.

Quin etiam quantum ad militarem diſciplinam ſpectat; nonne Grues in orbem conglobatæ, omnesq; ſibi aduerſantibus Aquilis roſtra obuertentes: ita vt impunè laceſſiri nequeant, aciei inſtruendæ modum quendam aperuiſſe videntur? Buteo ad primum, ac etiam ſecundum, quo petitur, telum; immotus atque vix tertio cedens; fugaci militi timiditatem apertè exprobrat. Nonne etiam Grues caput ſibi, regemq; conſtituendo ducis in bello ſummam demonſtrant neceſſitatem? Imò verò tota ferè militaris ars ab eis accepta videri debet; ſi modo vera ſint, quę de eis legimus: aliæ enim in excubijs nocte locatæ ſunt: aliæ cœteris dormientibus circumeũt, & explorant; ne qua ex parte inſidiæ tententur; vbi vigiliarum tempus fuerit impletum, perfunctæ munere in ſomnum ſe præmiſſo clamore componunt, vt excitent dormientes, quibus vicem muneris trãdituræ ſint: at illæ volentes ſuſcipiunt ſortem, vicemq; exequuntur; & quam acceperunt gratiam, pari cura & officio compenſant. Hinc etiam antiquiſſimum illum apud Romanos vſum profluxiſſe reor; quod coronis plumeis, vt [i] Polybius refert, è Struthionum, vt puto, pennis contextis, capita ſua adornare conſueuerint; quemadmodum & noſtri adhuc milites cum hoſtibus manus conſerturi pileos, caſſidesq; eiſdem cohoneſtant. Tibiarum bellicarum inuentionem ex Gruum tibijs, ad ſonũ edendum aptiſſimis, promanaſſe conſtat. Aethio pes etiam in clypeorum locum pelles Gruum ſubrogaſſe [k] Herodotus ſcripſit; ita vt ex horum obſeruatione clypeos hiſce diebus notos eſſe videamus. Accepimus quoq; Aues tabellariorum vice nonnunquam eſſe functas; vt de Marrhe Aegypti rege narrat [l] Alexãder ab Alexandro; qui Cornicem habuit, cui litteras perferendas traderet. Columbam hoc quoq; officio functam narrat ✲ Egnatius. Galli enim ac Veneti Ptolomaidem in ora Syriæ obſidentes tabellariam Columbam litteras circumferentem, à Sultano ſuis ciuibus diutina obſidione defatigatis, adepti ſunt; quibus ſignificabatur, Regem breui cùm maxima claſſe hoſtium vires facile extirpaturum: quo explorato pro interceptis fictitias litteras affigunt, quibus Regis nomine monebantur obſeſſi, vt ſe dederent; hoſtibus parerent; rebusq; ſuis conſulerent: ſe alijs negotijs diſtrictum, minimè illis opitulari poſſe: pertulit ita ſuis Columba fictitias litteras, quibus perlectis ſine mora earum mandatis obſequentes, repentè vrbem dediderũt. Talequippiam I. Lipſius [m] refert factitatum eſſe apud Batauos, Columbis literarum adminiſtris, & ad eos delatis, ſeſe è maximis vitæ periculis ereptos. Atq; eodem in loco alia ſimilia exempla de Columbis recenſet.

Grues militiam exercendã edocuerunt.

Buteonis audacia.

[i] *Lib. 6. de mil. Rom.*

Tubæ antiquitus fiebant ex tibijs Gruũ.

[k] *Lib. 7.*

Aues tabellariorũ munere functæ.

[l] *Lib. 1. cap. 17.*

✲ *Lib. 7. c. 4*

[m] *Lib. 2. Sat. cap. 6.*

Ars nauigatoria.

Quin etiam maximum aues naucleris auxilium præbent, teſte [n] Plinio, curſum nauium dirigentes. Miluus gubernandæ nauis modum edocuiſſe videtur, flexu caudæ iter ſuum per aëra dirigens; natura præmonſtrante in aëre, quid in aqua fieri oporteat. At in Taprobana inſula, quod nulla ſit ſyderum obſeruatio; neque Septentrio cernatur; alites nauibus imponunt; quarum volatum ſequuntur nautæ, cum datur occaſio, & ſimul terram petunt.

[n] *Lib. 6. c. 22.*

Ars culinaria.

Coquinam, popinamq; omnem frigere, ac ieiunam eſſe ſine auium ſupellectile, norũt, quotquot in Apicij ſchola edocti ſunt. Neque enim ad neceſſitatem ſolum & ſanitatem alendi corporis: verùm & ad ſuauitatem oblectandi guſtus (cùm in nullo cibi genere maiorem palato adlubeſcentium ſaporum varietatem ſit reperire, quàm in hoc ipſo, quod ab Auibus petitur) tanquam quodam cupediarum penu vberrimo, homini abundè ex auium genere proſpectum voluit benigna parens rerum natura: ita vt nec opipara, nec dapſilis cõuiuatoris habeatur menſa; ſed à lautioribus potius faſtidiatur conuiuis; quæ non varijs ex volucrum materia ferculis inſtructa ſit. Hinc omnibus hominibus; tùm maximè epulonibus, ac ventribus; quorum nulla præter aqualiculi, & cuticulæ curandæ cura mentem ſollicitat: ſcilicet, vt edant natos ſe credentibus, tantis votis expetuntur in epulas Gallinacea familia, Columbæ, Palumbi, Pauones, Anates, Anſeres, Perdices, Coturnices, Turtures, Turdi, Attagenes, Phaſiani, Ficedulæ, Cenchrides ſiue Miliariæ, quas Hortulanos Bononiæ dicunt; Sturni, Merulæ, & huiuſcemodi aliæ plurimæ.

Aucupes quoq; Accipitrum, Falconum, Bubonum, ſimiliumq; Auium miniſterio; non minori voluptate, quàm fructu; Auibus tàm vagis, quàm gregalibus capiendis inhiant.

Ludi.

Hoc quoq; inter cœteras haſce vtilitates ſilentio inuoluere non poſſum; quod Auium quoque vſus in ludis apud antiquos fuit; vt ex Suidæ hiſce verbis eſt colligere: Ὀρτυγόκοπος *Ludus quidam*

*quidam est, in quo Coturnices in orbem collocant, quorũ capita feriunt, & qui in gyro Coturnicem proſtrauerit, ordine reliquas capit: qui verò aberrat, tradit alteri Coturnices verberandas; idq; per vices faciunt.* Coturnicũ ludus.

Phyſico abſtruſa ac recondita naturæ arcana perſcrutari cupienti, diuina quædam ſpeculatio, in Auium omnium, ac operationum earum examine, præter vtilitatem, ſummam quoque parit gratiam, ac voluptatem. Hinc enim Symbola, Emblemata, Prouerbia, Hierogliphyca, ſimiliaq; alia ſuam originem agnoſcunt. Phyſica.

Medicis quoque ex huius noſtræ Ornithologiæ opere non mediocris vtilitas acceſſura eſt: cùm quia in victu tam ſanis, quàm ægris præſcribendo, hinc ſalubrium & inſalubrium Auium diſcrimina ſcitu neceſſaria hauriant: tùm quòd ab Auibus integris & earum partibus medicamina ſæpius depromant. Efficax enim Ciconiæ vſus eſt in Apoplexia & Paralyſi: Alaudæ in morbo Colico: Picæ loquacis in Cordis Palpitatione: Ictteri ſeu Galbulæ in Ictero: Paſſeris Trogloditis in Calculo, & Vrinæ difficultate. Pelles Cygnorum, Onocrotalorum, Vulturum & Aquilarum ventriculo appoſitæ, concoctionem promouent. Pinguedines multarũ Auium, Fel, atque ipſa etiam excrementa in medicinæ vſum cædunt. Quid? nonne medici ipſi multarum quoq; plantarum inuentionem Auibus acceptam referre debent? quæ à natura eruditæ, eas nobis ceu digito commonſtrarunt, earundem in ſeipſis prodito effectu. Pauca, ne ſim longior, exempla fidem facient: Morbum enim ingruentem Hieracio herba Accipiter propulſat; Chelidoniam viſui ſaluberrimam Hirundines monſtrauêre; vexatis pullorum oculis illâ medentes: Origano ſibi medetur Ciconia; Aetite Lapide Aquila; Circus Cichorio; quòd fascinationi reſiſtat: Miluus Rhamno; Vpupa Adianto; Turdi Myrti ramo; Pauo radice Lini; Ardea Cancro; Palumbes, Gracculi, Merulæ, Perdices lauri ramo annuum faſtiduum purgant: Columbæ, Turtures & Gallinacei herba, quæ vocatur Helxine: Anates, Anſeres, cæteræq; aquaticæ herba ſiderite: Grues & ſimiles Iunco paluſtri: Coruus occiſo Chameleonte, qui etiam victori nocet, Lauro infeſtum virus extinguit. Ad hæc valetudinis conſeruandæ ſtudium ijs maximam ineſſe videmus; cùm regiones ac ſedes pro tempeſtatum varietate, nunc caloris, nunc frigoris, aliarumq; aëris iniuriarum, mutare ſoleant; vt in Ciconijs, Gruibus, Coturnicibus, cæterisq; huiuſmodi licet obſeruare. Præterea non magis quàm natura fert ſe cibo replent; motus & quietis modum ſeruant: ſorte denique ſua contentæ viuunt: adeò, vt nulla ferè medicinæ pars ſit, quæ non ab auibus aliquod emolumentum reportet; quod huc vſque oſtenſum paſſim eſt ab authoribus. Therapeuticam autem Ibis auis roſtro Nili aqua pleno ſaturam aluũ proluens, qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt, Clyſteris inuentione auxit. Medicina. Homines quæ medicamẽta dicerunt à varijs Auibus. Auiũ temperantia in cibo.

Qui tempora anni diſtinguere non norit, ab Auibus quibuſdam id facile edocebitur. Nam Hirundinis, Coturnicis, Ciconiæq; aduentus, redeuntem annum demonſtrat: Coturnix eijciens triſtitiam hyemis, lætitiam veris introducit, recedens frigus inſtare denunciat: ita Hirundinis aduentus æquinoctium vernale; receſſus autumnale ſignificat: Luſcinia cum ſolſtitio æſtiuo colorem & vocem mutat. Vnde [o] Baptiſta Mantuanus de Auium ingenio loquẽs ſic canit: Aſtronomia. [o] *Li. 5. Alphonſi.*

*Aſtra etiam, pluuiasq; docent, & certa dierum*
*Tempora, & annorum; Sic ver cognoſcit Hirundo;*
*Alciones hyemem, ventos & fulmina cudunt,*
*Et tempeſtiuos campis ſitientibus imbres.*

Muſicis opus hoc quoque non erit inutile, cùm pateat à quibuſdam Auibus viam quandam patefactam, qua ad vocis harmoniam amplectendam dirigamur; vt rectè meminit [p] Plinius: *Luſcinijs*, inquit, *diebus ac noctibus quindecim garrulus ſine intermiſſu cantus, denſante ſe frondium germine, non in nouiſſimum dignq; miratu aue. primum tanta vox tam paruo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus. dein in vna perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus; & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur exciſo, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuſcatur ex inopinato; interdum & ſecum ipſe murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extenſus vbi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus.* Quanta in Acanthidis; quanta in Oloris voce præſtantia? Quis obſecro Auium garritum muſicum concentum in ſe habere non dicat? nonne earum cantus in prouerbium abijt? Poëtas enim Theocritus Μεσὸν ὄρνιθας vocare conſueuit, quod Luſciniarum in morem aſſiduè canant ſua poëmata. *Clitarchus*, referente [q] Aeliano, *author eſt in India volucrem amatorio affectu flagrantem nomine Horionem (ſi rectè memini) naſci magnitudine parem Ardeæ, rubris ſimiliter cruribus, oculis cæruleis; ſic à Muſca inſtructum, vt naturæ munere tam ſuauiter canat, vt ipſas referat Sirenes, & dulcedine ad ſuauiſſimos hominum cantus, qualis eſt in primis Hymenæi nuptialis, accedat.* Muſica. [p] *Lib. 10. cap. 29.* [q] *Lib. 17. cap. 22.*

Quantum ad Theologiam ſpectat, & illa certè maximam hinc perceptura eſt vtilitatem; quandoquidem cùm in nouo, tùm in veteri teſtamento plurimarum Auium fit mentio; multæq; ab ijs ſimilitudines capiuntur; earumq; aliæ mundæ; aliæ immundæ cenſentur; quorum Theologia.

omnium rationem, ac cauſas percipere non poſſunt, qui Auium naturam perſpectam non habent. Quin etiam conſtat Aues quaſdam inſignia nobis probitatis, pietatisq; exempla præbere. Quis enim ita Cupidinis, Veneriſq; retibus irretitus eſt, quem non inſigne illud in Porphyrione adulterij odium reuocet ad pudicitiam? Quæ obſecro fœmina tam impudica eſt, quæ viſa Turturis caſtitate vitam eam nefariam ac belluinam non prorſus deteſtetur? Auis ea non niſi vni iungitur marito, coniugium nunquam deſerit; imò ne morte quidem à ſe dirempti mariti, quoad viuit, quem ſolitario gemitu teſtatur, torum violat. Quis erga parentes adeò durus & immanis eſt; qui Ciconiæ, aut Meropis, Pellicanive pietate erga parentes conſpecta, impietatem cum pietate commutare non cogitet? Quem non moueat Hirundinis, Accipitriſq; in ſui generis Auibus ſepeliendis amor? Quis adeò in ſuos inhumanus, illiberaliſq; eſt, quem Oſſifragæ benignitas in pullos Aquilæ non faciat paulò humaniorem? Erubeſcant ſanè illi, qui parentibus ſuis pietatis beneficium negant, & ad Cornicis exemplar ſeſe conferant, quæ pullos ſuos in iuuentute omni ſedulitate paſcit, eiuſdem officij in ſenectute ab ijs talionem receptura.

[f] *Tract. 2. lib. 8. de Animal. c. 6.* Narrat [f] Albertus Magnus, aucupes quoſdam in ſuperiori Germaniæ parte caſu in canũ, cœcumq; arbori inſidentem Falconem incidiſſe, admiratosq; quî ſibi victum pararet, atque ideò dum in ſylua ſe abſcondunt, duos conſpexiſſe Falcones alios, qui ſuam illi prædam, inſigni profectò pietatis exemplo, participabantur. Non minor etiam affectus quarundam Auium eſt erga homines; à quibus diſcant auari illi & *μισάνθρωποι*, illiberalesq;, qui omnem humanitatem erga proximos exuerunt; & noſcant beneficia etiam in alienos collocare. Tale eſt, quãus

[g] *Lib. 3. c. 2* fabuloſum mihi videatur, quod narrat [g] Diodorus Siculus de Semiramide à matre ſua in loca ſaxoſa & deſerta, in quibus Aues erant plurimæ, expoſita. *Tradunt*, inquit, *rem mirandam, Aues infantem alis confouentes nutriſſe coagulato lacte ex proximis paſtorum mapalibus rapto. Acto anno cum firmiori egeret alimento, Aues caſeum eodem ex loco raptum ori infantis admouiſſe. Qua re à paſtoribus ex corroſione caſei animaduerſa, infantem ſpecioſam forma compertam ferunt; nutritamq; apud ſe dono poſteà datam præſidi paſtorum, regio nomine Simma. Hic liberis carens, vt filiam magna cura nutritam Semiramidem ab Auibus (eo enim nomine linguâ Syrâ vocantur) appellauit: quas poſtmodum Syri*

[h] *In Quæſt. Rom.* *omnes vt deas honorant*. Romani quoque, [h] Plutarcho teſte, Picum Martium diuino ſolent afficere honore, quòd Romulus & Remus à Lupa, & ab ea Aue enutriti fingerentur. Adhæc ſempiternum illud materni erga liberos affectus vinculum, ſi ab vllis animãtibus, ab Auium genere in primis ſuam agnoſcit originem. Cuius rei mirum equidem exemplar hominibus præbet Hirundo, vt interim alias præteream: illa enim in prole enutrienda, inſigni atque incomparabili æquitate tam mas, quàm fœmina, vt ſæpius in Tuſculano meo obſeruaui, laborat: impartit ſingulis pullis cibum, obſeruat conſuetudinem quandam; ne qui acceperit, bis accipiat, excrementa pullorum communi ope vterque eijcit, ne eorum putor proli noceat; quam, vbi

[i] *Li. 6. Alphonſi.* adoleuerit, circumagi foraſq; ea egerere docet. De eadem Aue idem ferè canit [i] Baptiſta Mantuanus.

*——Dum parua domus, dum infirma propago,*
*Dum nati implumes, tepido fert pabula nido*
*Semper, & extenſis docet ire per aëra pennis.*
*Hæc eſt cura tenax, ſtudiumq; immobile matri.*

Non minori quoque induſtria, atque amore rapaces Aues filios ſuos inſtruunt ad venationem, donec ad perfectum robur peruenerint; quod tempus per menſem vnum durat; poſtquàm verò è nido euolare cœperint; Aues viuas capiunt, & coram pullis dimittunt, eisq; occidendas tradunt: atque ita tandem ad venatum eos aſſuefaciunt.

Ex quibus omnibus facilè conſtare arbitror, quantum vtilitatis ex hac noſtra Ornithologia quiuis reportare poſſit. Nulla enim ſcientia eſt, atque ars, quæ non ab Auibus, etſi rationis omnis expertibus, vel ſua hauſerit rudimenta, vel ſaltem aliqua acceperit emolumenta.

# DE ORDINE.

CVM ordinem, qui τάξις Græcis dicitur, rerum animam appellare Platonem videam; & tantum ei tribuere Menandrum, vt dispositione fabularum constituta, per hunc illi poëtices parti colophonem imposuisse crediderit; non ab re fore decreui, cùm rectam tractandarum rerum dispositionem maximo præconio, summisq; laudibus doctissimorum virorum cõsensu efferri cognoscam: quippe quæ tanquam artissimum vinculum cœtera omnia complectitur, & omnium tam dictorum, quàm factorum norma est, & regula; si pauca de ordine huius historiæ nostræ præfatus fuero. In spem enim ducor, his prælibatis, cœtera clariora & dilucidiora fore. Nam cùm rerum naturalium riui innumerabiles sint, ideòq; earum historiam perpolire arduum esse introspexissem; rationi consentaneum esse duxi, in methodum eas redigere: ac deinde ne confusa cognitio obscuritatem pariat, ad sua propria loca omnia reuocare. Cum itaque particularem omnium auium, tàm ab antiquis, & recentioribus descriptarum, quàm nostris diuturnis obseruationibus conquisitarum historiam contexendam susceperim; in huius enarratione seriem dignitatis seruare duxi: primumq; rapacibus, tanquam nobilitate reliquis longè præferendis, inter omnes Aues dare locum statui. Primò igitur omne id genus Auium, quod aduncis est vnguibus, carnibusq; vt plurimum (quandoq; enim etiam glande & pomo) victitat, ex nostro hoc auiario propositurus sum. Carniuora autem isthæc, cùm quædam diurna, quædam nocturna habeantur; ego primùm de diurnis, quod prædam interdiù rapientia, sensu, & viribus alijs præpolleant, tractabo. Nocturnorum verò, quæ obscura nocte carnium pastum quærunt, veluti Vlularum, Bubonum, Asionis, Aluconis, Caprimulgi explicationem ad proprium librum transferam. His & alias multas Aues subiungam, & non sine ratione; vt patebit posteà.

Ordo materiæ tractatæ in hoc libro.

A diurnis igitur rapacibus auspicaturus, in primis de Aquila Auium reginâ, in genere, singulas statim Aquilarum species subnectens: deinde hoc eodem semper dignitatis ordine seruato, de reliquis rapacium diurnorum speciebus sum acturus. Non tamen me latet alios alium ordinem fuisse secutos: [a] Plinius enim à Struthiocameli historia orditur; Phœnicemq; mox subijcit. Verùm cùm horum ille quidem ancipitis inter quadrupedes, & bipedes sit naturæ: hic verò fabulosis hominum figmentis potius, quàm à natura sic compositus existat; ego potius ab his, quæ reuera & simpliciter volatilia sunt, quàm à Phœnice commentitijs authorum mendacijs obuoluto, aut ab ancipitis naturæ Struthiocamelo inchoandum putaui. Arbitror tamen Plinium maxima Struthiocameli corporis mole ac robore motũ, primum ei inter Aues locum tribuisse. At qui alphabeticum in Scientijs ordinem secuti sunt, vt Galenus in simplicium facultatibus describendis: & Paulus Aegineta, atq; Auicenna; vt & in hac Auium historia quidam recentiores semper mihi summoperè displicuerunt: quod rerum species commiscentes, quæ similis naturæ sunt; ideoq; coniungenda, distrahant, quæ verò plurimũ à se mutuo discrepant, ideoq; distinguenda; contrà connectant, naturæ ordinem turbent, scientiarumq; methodum omnem inuertant, ac confundant. Neque Petri Bellonij ordo quicquam me mouet, vel authoritas, qui historiam de Auibus particularem linguâ Gallicâ conscriptam (quam nos multis ab hinc annis latinam fecimus) aggressus, Vulturi principem locum assignat: inductus fortè fuit hic vir egregius ijsdem, quibus [b] Pierius Valerianus rationibus, qui in volucrum genere nullam hac magis admirandam esse censuit; idque peculiari eius vitæ ratione ab omnium Auium vulgo semota, tum etiam ob singulares ingenij eius dotes, quibus cœteris præcellit, principumq; dicterijs & picturis sæpe inseruit. Sed me eximia illa aquilinæ naturæ dignitas, quæ in progressu manifestè apparebit, cui veterrima apud antiquos existimatio, nec non philosophiæ, ac poëtios principum Aristotelis & Homeri authoritas accedit, vt inter rapaces Aquilæ primas tribuam, impellit. Philosophus enim in ordine rapacium diurnarum primo loco Aquilam nominat; vltimo verò vulturem; Neque ipse [c] Plinius, cùm de Phœnice abundè dixisset, ab hoc ordine deflexit: sed proximè Aquilæ tractationem subiunxit; Etenim disertis verbis in ipso capitis limine Aquilæ debitum honorem præfatus, *Ex his*, inquit, *quæ nouimus Aquilæ maximus honor, maxima vis.* Quamuis enim eiusdem generis diuersarum specierum nulla ordine essentiæ aliam præcedat, nec vna aliâ sit prior; sunt enim simul naturâ omnes species sub vno genere contentæ; dignitate tamen ac nobilitate, si species inter se, non ad genus conferantur, cœteris præminet Aquila, quòd multiplici cùm animi, tùm corporis dote præcœteris Auibus sit insignita. Secundum itaque locum cùm ob iam dictas rationes, tùm quòd excepta vna Aquila rapacium omnium

Plinij ordo refutatus.

[a] *Lib. 10. cap. 1.*

Bellonij ordo.

[b] *In hieroglyphycis.*

[c] *Lib. 10. cap. 3.*

omnium diurnarum ſit maximus, Vulturi aſcribendum exiſtimo. Tertium iure optimo ſibi vendicant Accipitres, quòd nõ Aegyptijs ſolùm, ſed alijs etiam gentibus ſacri ſint habiti; ideoq; ἱεράκας Græcis dicti; His Falcones non quòd viribus ſint inferiores, ſed quòd Accipitrum quoque ſpecies ſint (Falconis enim nomen recentioribus tantum vſitatum eſt) ſubiungam: Hos Miluus ſequitur cùm animi, tùm corporis dotibus multo inferior; at à Plinio inter Accipitrum quoque genera relatus. Agmen hoc claudit Cuculus, & Ariſtotelis item temporibus Accipiter creditus; alioquin ex rapacium genere reijciendus; quòd à minimis etiam auiculis impunè laceſſatur. Inter nocturnas verò rapaces Bubo, poëtarum in primis ſcriptis ſummoperè decantatus, cœteraſq; omnes magnitudine vincens, primus occurrit; ſecundus Aſio ſiue Otus illi ſimillimus ferè, at paulò etiam minor; quibus Scopem quamuis Alucone, Vlulaq; minorem, ſubneximus; quòd excepta magnitudine tota facie ferè eos referat; quare quartum Aluconi, qui corporis mole vix Aſioni cedit; quintum Vlulæ locum aſſignauimus; ſextum Noctuæ, quæ, ſi animi eius dotes conſideremus, vel primum, vel ſaltem ſecundum ſibi vendicabat: hanc ſeptimò ſubſequitur Strix, noctuæ, vt patebit, haud abſimilis; octauò atq; vltimò Caprimulgus cũ hac confuſa auis. Quarum omnium rapacium traditâ hiſtoriâ de Veſpertilione, etſi non à nocturnis ſolùm, ſed à cœteris etiam omnibus, præter vnicam Vulpeculam, diuerſa aue habebitur ſermo, quòd nocturno tempore ſua, ut nocturne, obeat munera: Veſpertilioni Struthium cùm quòd & ille auis ſit ambiguæ naturæ, tùm quòd aptior illi locus alius aſſignari non poterat, addidimus. Cùm verò de Gryphe, Harpyis alijſq; cùm rapacibus, tùm etiam alijs fabuloſis Auibus paſſim claſſicorum ſcriptorum monumenta referta ſint, non ab re facturum me credidi, vt & de illis quid memoriæ proderem; ſed cùm mecum reputarem; qua operis parte eas reponerem, tandem concluſi rapacium hiſtoriæ; quòd & illæ vt plurimum ex raptu viuere crederentur, ſubiungere; Inter quas Gryps, quòd viribus alias præcellat, principem locum ſortitur; ſubſequentibus Harpyis: tertiò Stymphalides aues tãta corporis mole, vt ſolis radios obumbrare fingerentur, deſcribuntur; Quibus tandem Sirenum, etſi minimè carne veſcentium, fabuloſarum tamen, hiſtoria adnectitur. Hiſce itaque rapacibus cùm diurnis, & nocturnis, tùm fabuloſis ſatis ſuperq; declaratis; antequàm ad Coruini generis Aues, quibus caro quoque aliquando pro paſtu eſt, primùm de Pſittacis mihi agendũ duxi; hac ſola ratione, quod Accipitribus toto corporis habitu ſint apprimè ſimiles: nam & roſtrum habent curuum, & pedes aduncos. Inter Coruini generis aues Coruus & robore & corpore maior, primas obtinet; hunc Cornices, has Gracculi, hos Picæ, inter quas Picam Breſilicam quoq; repono, ſequuntur; atque ita data à poſtrema hac aue occaſione, de peregrinis quibuſdã ſermo habetur, videlicet de Rhinocerote, de Manucodiatis, Rhyntace, de fabuloſo Phœnice; item de Cinnamomo, & Ruc aue omnium maxima. Adduntur tandem & aliæ in hoc opere pertractandæ, quòd roſtra habeant robuſta; in quibus Picis martijs, vt reliquas præteream, ſuo loco abundè dicturus, meritò primæ attribuuntur. Atque ita in tres partes Auium omnium, quotquot vel mea induſtria, vel aliorum opera hactenus obſeruare mihi licuit, hiſtoria diuidetur; In quarum prima de iam recenſitis, agetur; Secunda præter Graniuoras aues, Gallinacea ſcilicet genera, Columbas, Pauones, Phaſianos, ſimileſq; alias, eas quoque continebit, quę Vermibus victitant, item quę Paſſim phagæ ſunt. Tertia ac poſtrema parte Aues omnes quotquot vel in aquis, vt Anſeres, Mergi, Anates, vel circa eas, vt Ardeæ, victitant, recenſebuntur; ſi Auctor ille vitæ noſtrę dabit vitam & vires.

DE PRÆ-

# DE PRÆSAGIIS NATVRALIBVS.

SED priusquam historiam ipsam aggrediamur, nos operam non lusuros fore credimus, si primùm de præsagijs Auium; postmodum verò de augurijs sermonem habeamus: re profectò non ingrata, sed ad operis intellectum maximè necessaria. Sæpenumerò enim in hanc narrationem incidemus, vt quid ipsæ præsagiant, quæ diuinationum genera ab ipsis apud antiquos deproimpta sint, dicamus; quorum ratio nisi prius constiterit, vel negocium faceſſet exquisitis ac delicatis ingenijs; vel in re obscura & incognita non exiguas tenebras legentibus offundet. Accedit quod hi quidem effectus sint maximè generales Auium, & ex quibus agricolis in primis, tum uerò nautis & mercatoribus, qui, ut rem faciant, sub Dio uersari coguntur; quin medicis ipsis non exiguum emolumentum accedat. Ex his equidem auguria reuera præstigiæ sunt, quibus à uiro Catholico fides haberi non debet; at præsagiorum rationem causamq; afferri certissimam posse, non obscurè profitemur. Quæ enim præsagiunt aues, licet nullo penitus rationis discursu cognoscant, sagacissimo tamen naturæ instinctu, aëris sæpius permutationem, quæ eas uellicat, noxamq; infert, percipiunt. Huius perceptionis causam, quamuis etiam alij ad cœlum, eiusq; statum tantummodo referant; id tamen ad particularem earum naturam potius reduci debere arbitror. Nam quemadmodum etiam multi nostrorum ex alteratis suis corporibus, lunæ, solisq; coniunctionem, adfuturasq; tempestates conijciunt; sic & illæ, cùm ex ambientis aëris uapore afficiuntur, temporis mutationes denunciant: non tamen præsagiendi omnes eadem signa habent. In alijs enim obseruatur uox, in alijs uolatus, sunt quæ locum mutent, quæ nouos gestus exerceant, aliæ pennas suas expurgant, aliæ seſe in aquis abluunt: rursus cœli statum nonnullæ, aliæ morbos, pestem, & iram quandoque diuinam, aliæ agrorum sterilitatem portendunt. Sed manifestiora omnia euadent, si ad singula accedamus. Pluuiam in primis annunciabunt Aues, quæ lacus, fluuiosq; incolunt; si, ut obseruauit [a] Virgilius,

Lacustriũ auium præsagia.

[a] *Georg.* 1.

*Certatim largos humeris infundere rores,*
*Et caput obiectare fretis, & currere in undis,*
*Ac studio incassum cernes gestire lauandi.*

Nam cum in aqua uictitent, illius aduentu iam iam adfuturo exultant atque gestiunt. Vel hæc etiam in aquatilibus hisce Auibus causa assignari possit, calida scilicet quędam intemperies ab uaporosa illa exhalatione in earum corporibus inducta: tunc enim calidiori aura æstuantes impendentis pluuiæ refrigerium summoperè exoptant. Quæ in arboribus uitam degere consueuêrunt, si ad eas ocyus quam solent, recurrant, procellarum, uentorumq; iam iam imminentium haud incerti testes ab agricolis habẽtur: Tales enim Aues cùm siccitatis potius quàm humiditatis sint amantes, cœlestem breui adfuturam aquam subterfugiunt. Quæ uerò rarius, uel nunquam aquas frequentare solent; si ad earum margines & riuos plumas obseruet uellicare agricola, sub tecta messem suam, ne à pluuijs, quas ab auibus sumpto argumento adfuturas extemplò agnoscit, corrũpatur, defert: Tum enim aëris humidioris exhalatio grauedinem Auibus adfert; quapropter ut ab ea noxa seſe liberent, pennas suas uellicando id onus excutere adnituntur. Rursus si eædem, atque etiam marinæ relictis sedibus in siccum exeant, maximę tempestatis nunciæ habentur. Quæ terrestria loca habitant, si cum silentio ad humidiora proficiscantur, serenitatem portendunt: quemadmodum etiam procelloso tempore si aliæ alias inuolent, atque ultrò citròq; inter se contendant. Præterea si terrestres uel saltem quæ in aquis habitare non solent, abluere seſe obseruaueris; de procellis uenturis metuendum Aristoteles docet, ac Aelianus. Auium, quæ insularum incolæ esse consueuêre, ingens conuentus, ac præter morem in æstate congregatio, aquam portendit. Siq; in magno numero in regione, quam habitare non solent, appareant, damnaq; inferant; iram Dei in eam gentem adtestari uidentur. Vnde [b] Ieremias propheta uerba Domini de punitione pronunciãs, ait: *Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, gladium ad occisionem, canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & bestias terræ ad deuorandum & deuastandum.* Porrò si alites relictis insulis, campis, atque syluis ad ciuitates, oppidaq; atque alia loca habitata seſe transferant, agrorum sterilitatem significant; uti & morbos, aërisq; contagium si uel mortui in terram decidant, uel si nidos proprios relinquant. Aquila si in Orientem contẽderit, uentorum nuncia creditur. Si accipiter, inquit [c] Theophrastus, in arbore considens, & intus inuolans pediculos quęrat, haud procul abesse pluuias demonstrabit. Noctua si ante solis occasum & citius; quàm solet garrula nimis, cauis suis exeat, pluuias portendit: tunc etenim tempus prœuertit, ne a pluuia, cuius breui adfuturę nuncia est, & inimica, pabulum

Arborum incolæ.

Marinæ. Terrestres.

Insularum incolæ.

[b] *Cap.* 15. *in princip.*

Aquila.

[c] *De signis pluuiar.*

Noctua.

ca, pabulum ſibi parare impediatur. Si verò dum pluit nimia quoque loquacitate moleſta eſt,
Coruus. tranquilliorem, ſerenioreḿq; cœli ſtatum prædicit. Si Corui, ac Graculi magna cópia ac gregatim volantes, Accipitrina voce vtantur, procellas iam iam imminere pollicétur. Auſtrina verò atque humida aëris intemperies mutationem vocis adferre potuit. Nam cùm aërem, & per eum, arteriam & pulmones, cœteraq; formandæ vocis inſtrumenta, humiditas nimia impleat; diuerſam ab conſuetudine ſua vocem proculdubio efformant: quòd verò turmatim coeant ac congregentur; quædam Sympathia ac mutuus amor id poteſt efficere. Corui quoque ſi arborum ramis inſidentes, alas præter morem multoties concutiant, pluuiam ex veterum obſeruatione indicare creduntur; tunc enim motu illo (qui ab Academicis cenſetur calefacere) corporis ſui noxam, quæ ab humida illa cœli aura inducta eſt, naturâ duce ſtudent eluere. De ſignis
[d] 1. Georg. futuræ pluuiæ, quæ de Coruo obſeruantur, eadem ferè canit [d] Virgilius:

*——— E paſtu decedens agmine magno*
*Coruorum increpuit denſis exercitus alis.*

Sicca enim & retorrida eorum complexio cauſam præbet, vt adueniente iam humore præſenti aduerſus illam remedio, hæ Aues exultent, quaſi & geſtiant. Rurſus raucam edentes vocem, atque, vt Plinij verbis vtar, cum ſingultu quodam diù multumq; latrantes, aquas vel pro illis ventos ſignificant.
Cornix. Cornix vbi nimia garrulitate faſtidium parit, ſeq; vndis ſubmergere ſub-
[e] 1. Georg. inde nititur, certa pluuiæ prænuncia eſt. De hoc ſic apud [e] Virgilium;

*Tùm Cornix plena pluuiam vocat improba voce,*
*Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.*

Præterea ſi frequẽti numero prope aquas cornicatur, eaſdem portendit. Ratio eſt, quòd aduentitia corporis eius moleſtia, quam vaporoſus ille aër induxit, ad expellendum eam inuitat; vnde ad aquas ſeſe recipit, vt earum frigiditate calorem illum ſuperfluum obtundat. Si denique ſub veſpertinum crepuſculum nimis querulam ſe audiri ſinat, tum ſerius imminere pluuiam
Gracculus. pollicetur; quin eam deteſtari creditur. Graculi ſub domorum tecta ſolitariè degentes, & alas præter morem motitantes, vellicantesq; & explumantes, pluuias in propinquo eſſe annunciant; quemadmodum etiam ſi ſerius quàm ſolent, à paſtu domum redeant. Huius rei ratio eſt; quòd præcognitis naturæ ductu cœli iniurijs, vt proſequentibus etiam diebus de pabulo ſibi præuideant, ſolliciti ſunt. Si verò ſummo manè loquaciores, vocalioreśq; ſint, quàm ſolent;
Picus Martius. tempeſtatum haud dubia teſtimonia ſecum ferunt. Picus Martius, qui & pluuiæ Auis nuncupatur, ſi altiori voce, & plus ſolito ſtrideat, tunc certus eris de adfuturis aquis.
Gallus. Gallus Gallinaceus, quẽ ad excitandos ad opera mortales, rumpendũq; illis ſomnũ natura genuit, nouit ſidera & ternas diſtinguit horas cantu, cum ſole it cubitum, ſolis ortũ percipit, diem nũciat venientem cantu & alarum applauſu. Hic ſi primis noctis horis, ſtatimq; vbi occubuit ſol, inſolita ac rauca voce cucuriat, alasq; quatiat, imbrium, procellarumq; teſtis habetur. Nam exhalatio illa humida, atque Auſtrina aëris conſtitutio, voci deſtinata membra, vt ſenſim replet; ita multa pituita infarcit, raucitatemq; parit: à cuius pondere atque moleſtia cùm liberare ſeſe ſtudeat, ad vocis ac motus opem confugit: vel quòd larynx ab humidiori aëre dilatatus grauiorem vocem efformat, eamq; raucam & clangoſam. Pulli Gallinacei, & cœteræ ferè alites omnes, ſi roſtro pedunculos ſuos plumatim vellicent, ſeq; præter ſolitum ſaburrent (quod de Echinis quoq; teſtatus
Pulli. [f] *Lib. 18. cap. 35.* eſt [f] Plinius) pluuiam adfore denotant. Pruriunt enim ob efferuefactos intus humores, & ab ambiente expirari prohibitos, quam noxam vellicatu eo, vel tollere penitus, vel mitigare ſaltem
Gallinæ. adnituntur. Gallinæ ac Galli, ſi, vbi mox oborta eſt pluuia, domum ſub loca ab aquis tuta magno curſu ex agris contendant; & ſi manè ad paſtũ tardius quàm ſolent, & quaſi coacti exeant, procellarum, magnarumq; tempeſtatum futurarum, aut præſentium, quæ nondum ceſſaturæ
Gallinaceus. ſint, teſtimonia adferunt. Gallinaceos quoque teſtatur Aelianus, cœterasq; domeſticas Aues, ſi alarum, vocisq; nimio ſtrepitu ac cucuritu obmurmurent, tempeſtatem minari. Columbi ſi domicilia ſua ſerius quàm ſolent repetant, nullo etiam abigente, vel ſi à paſtu ſolitum redeundi
Columbus tempus præueniant, pluuias metuunt; atque ideò tantum ſibi cibum quærunt, vt pro craſtina
Pauo. die etiam ſufficiat. Pauones per nocturna ſilentia vocem clangoſam ſæpius reiterantes, haud longè abeſſe vndas denotant: cauſam ſuperiora declarant; Vocis tamen illa ingeminatio copioſiorem intus calorem, auctumq; vocalem ſpiritum teſtatur. Paſſerculi crepuſculo matutino
Paſſer. Grus. pipientes, tempeſtatum ſigna in aëre impreſſa ſignificant. Grues ſi è mari ad mediterranea loca contendant, vehementes pluuias, ſi Philoſopho habenda eſt fides, minantur: contrà ſi inter volandum non clamitent, ſerenitatem promittunt. Si volantes à recto flecterent curſu, & retrocederẽt, infandam nautis tempeſtatem, & mare procelloſum, mox turbines & fluctus pronunciant; idq; [g] Virgilij teſtimonio comprobatur:
[g] *Lib. 1. Georg.* *——Nunquam imprudentibus imber*

*Obfuit,*

*Obfuit, aut illum ſurgentem vallibus imis*
*Aëreæ fugêre Grues.* & alio loco,
*——Quales ſub nubibus atris*
*Strimoniæ dant ſigna Grues, atque æthera tranant*
*Cum ſonitu, fugiuntq́ Notos clamore ſecundo.*

Horum enim Notorum calorem fugiunt, cùm reuertuntur in Thraciam. Eædem ſi voce vtentes inconcinna & male explicata, & non ſeruato ordine in volatu ſuo per aëra ferantur, ſiq́; tandem valles deſerant, & humilem volatum, & obliquè inſtituant, atq; eundem, vnde venêre, locum repetant: pluuiarum & hybernæ conſtitutionis nunciæ habentur. Demiſsè autem volitant, vt nubem, quæ in altiori aëris parte tunc exiſtit, fugiant: primum locum repetunt, ne pluuia ac tempeſtas iter earum impediat. Hirundo aquas & paludes frequenter petens, & ventre illas, & alis contingens adfuturas iam pluuias prænunciat. Eadem ſi nullo fixa loco, modò hâc, modò illac volitans parietibus ſubinde hæreat; vel demiſſum adeò exerceat volatum, vt terram tangere videatur, & puluerem excitare, pluuiarum item ſignum adfert. Dixerit quiſpiam; quod ipſa futuram tempeſtatem præcognoſcens, dum ſerenum adhuc cœlum eſt, de muſcis, formicis, atque id genus animalculis humi & in muris victitantibus, ſibi pulliſq; ſuis proſpicere cupiat: vel quòd ſurſum elatos vapores perhorreſcens, (eſt enim Auis mollicula) humi degat; vel quòd per eam auram, æſtuante aëre excalefacta, in terra, locisq; vmbroſis, refrigerium quærat. Regulus Auis omnium quotquot hactenus obſeruaui, auicularum minima, ſi motum, cantumq́; exerceat inſolitum, eadem per omnia promittit. Retorridam enim, atque exuſtam ſentiens temperiem, humidiori lætatur aura, aduentantemq́; pluuiam exoſculatur. Rubecula auis tecta, locaq́; ab hominibus habitata, motu inſolito petens, tempeſtati mox venturæ ſe ſubducere innuit. Picrochola auis aquam ſuæ naturæ congruam ac peroportunam voce ſua annnuciat, & venientem maximo applauſu ſalutat. Anſeres magno cum clangore ad aquas accelerantes, ſeſeq́; placidè ijs immergentes; adhæc inſolito garritu tumultuantes pluuias (modo recentem aquam frequentare liberè anteà potuerint) præſagire annotarunt antiqui, & quotidiana docet experientia: ad bilem, quam præ omnibus animalibus magis æruginoſam egerunt, noua humiditate temperandam, aquas proximè adfuturas, magna voce, atq; applauſu inter ſe congratulantur. Anates ſi tempore ſereno gregatim ſocientur, & nullo ſeruato ordine volitent; adhęc ſi frequentius, quàm ſolent, & turbulentius vociferentur (niſi aliquos ex ſuis ſe amiſiſſe ea voce teſtentur) ſub tecta reducenda ſunt, quæcunq; ab inſtantibus procellis corrumpi poſſint; quarum aduentus illi naturali inſtinctu periti, nullum cùm in motu, tùm in voce ac volatu ordinem ſeruant; quibus tanquam peroportuno remedio moleſtiam, quam à vaporoſo aëre acquiſiuerunt, expellere conantur. Eædem Aues & Mergi, ſi alis nimium laſciuiant, ventum portendunt, &, vt inquit [h] poëta:

Hirundo.
Rubecula.
Picrocholа.
Anſeres.
Anates.
Mergi.

*Cum medio celeres reuolant ex æquore Mergi,*
*Clamoremq́ ferunt ad littora: cumque marinæ*
*In ſicco ludunt Fulicæ.*

[h] 1. *Georg.*
Fulicæ.

Haud enim ignorant Aues illæ nubem eam obſcuram, quę à vaporibus ex aquis ſurſum elatis dependet, aquam denuo minari; cuius impetum vetitæ aliò migrant: vel quòd tunc pabulum ijs ſuum (piſcibus enim victitant) ob talem auram in medijs aquis deficiat. Ardea aquas ſtagnantes ſibi familiares vociferabunda deſerens, longeq́; inde ad medios agros plorabunda ſubſiſtens, aut ſupra altam nubem ſe efferens, pluuias & tempeſtates præſagire traditur. De quo [i] Virgilius ita:

Ardea.

*——Notasq́ paludes*
*Deſerit, atque altam ſupra volat Ardea nubem.*

[i] *Georg.* 1.

Propter enim vaporoſi aëris iniuriam ad loca à pluuijs, ventisq́; tutiora profugit, corporis ſui imbecillitatis conſcia; vel adde, quòd tum ob cutis raritatem noxâ contractâ virium robore quodammodo deſtituatur. Hinc illæ querelæ, & ad refocillandum calorem altus volatus. Eadem etiam impetuoſam tempeſtatem, Ariſtotele teſte, ſi mane in aurora clamitet, annunciat.

# DE AVGVRIIS.

HIS ità enarratis, tractatus de augurijs & auſpicijs annectatur, res non abſimilis ſuperioribus; quæq; ex illo diuinandi genere ortum ſuum habuit. Cùm enim Aues naturali quodam inſtinctu, ſiue quòd animalia ſint, quæ ſenſu ſaltem viuant, & ſenſibus addicta ſenſilium impreſſiones facile percipiãt; ſiue quòd imbecilliora ſint, & ad patiendum faciliora externas affectiones præſagire videret ſuperſtitioſa antiquitas: itaque eò deuenit ſententiæ, vt aliquid diuinius in eis ineſſe exiſtimaret, & non ſolum externas cœli, aëriſq; mutationes; ſed futuros etiam euentus, quorum vel Deus ſolus, vel nos ipſi authores ſumus, coniectare eas, & diuinare crederet. Quæ ſententia maximè erronea eſt, & ſuperſtitioſa, ſacriſq; literis planè contraria. Quid enim de actionibus noſtris, atque earundem euentis, quarum principium in noſtra poteſtate ſitum eſt; & in nobis ſit velle & nolle; quarum progreſſus tot caſibus, vel impediri, vel adiuuari, etiam nobis inconſultis, poſſunt: quoniam exitus ſoli Deo notus eſt; quid, inquam, Aues ex his rebus dubijs prænoſcant? Habent equidem pluuiæ, tempeſtates, ſerenitatesq; cauſas ſuas naturales ſtatas & certas; at de bellis, de nuptijs, de itinere, de auſpicandis quibuſcunque negocijs, & ſummatim de ijs, quæ in noſtra voluntate ſita ſunt, & ab conſilio, vel noſtro, vel aliorum dependent, nulla certa coniectura eſt, vel opinio. Quid? quod Deus qui cæteras coniecturales artes, medicinam, agriculturam non modo admittit: ſed etiam laudibus extollit, hanc Hetruſcorum diſciplinam maximè exoſam habet: atque ideò eius vſum Hebræis planè interdicit: [a] *Vos nolite*, inquit, *audire Prophetas veſtros, & ſomniatores & augures*. Et [b] iterum: *Gentes iſtæ quarum poſſidebis terram augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo aliter inſtitutus es*.

[a] *Ierem.* 27
[b] Deut. 18

Nolim ergò hiſce anſam dari Chriſtianis mentibus, ad hanc vanam & ſuperſtitioſam diſciplinam amplectendam (hanc enim amentiam puris mentibus extirpari optimum exiſtimo) ſed, vt qui noſtra hęc lecturi ſunt, vel in antiquis monumentis peruoluendis quotidiè verſantur; quæq; his nugis paſſim plena ſunt, ea facilius & commodius percipiant; & vana quæ ſunt, vt vana cognoſcant, atque vt vana contemnant. Non enim ſcire, ſed facere mala, malum eſt.

Verùm cùm veteres, ut Nonius Marcellus annotat, auguria pro rerum omnium coniecturis acceperint; vnde [c] Cicero, *O mea ſemper fruſtrà verriſſima auguria rerum futurarum*: latius quoque pro quauis dixit diuinatione. Ego auguriorum uocem hîc accipio, ut à ſolis Auibus dependeat; ut ſcilicet ſint diuinationes ſiue coniecturæ, quæ uel ex earum inſpectione, uel uoce obſeruabantur. Non poſſum autem laudare argutam quidem, atque ingenioſam [d] Iohannis Goropij etymologiam, quam ex Germanorum ſuperiorum lingua depromit: illi enim pro Oog, quod ſine diſcrimine uel acutè uidere, uel oculus ſuis dicitur, Aug ſcribunt; Vult ergò augur eſſe uocem compoſitam ex aug & ur; & hac excellentiam perfectionis: illâ acumen uidendi notari. Nam reuera augurium ab Auium garritu; ut ait Feſtus: uti auſpicium ab Auibus ſpeciendis, ut uult Varro; nomen traxit: & augur paſſim pro auſpice apud Authores ſumitur.

[c] 2. *Philipp.*
[d] *In hiero-gliph.*

[c] *Lib.* 5. *c.* 13. *genial. dier.*

Et quamuis [c] Alexander ab Alexandro quinque recenſeat ex Feſto auguriorum genera; quorum alia proſpera, alia piacularia ſint; primum videlicet ex cœlo; ſecundum ex Auibus; tertium ex tripudijs quartum ex animalibus; quintum ac poſtremum ex diris: ego qui de Auium augurijs hîc ſolummodo ago, ad bina hæc genera ea reduco; ad oblatiua ſcilicet, & imperatiua. Imperatiua petebantur à Dijs; nec in imperantis erat manu, ea uel accipere, uel non accipere: uel agnoſcere, vel non agnoſcere: Quæ uerò ultrò non petentibus facta & oblata erant, in poteſtate hominum erant. Vtraque modò fauſta, modò infauſta portendebant; infauſta, Piacularia quoque dicebantur. Cliuia erant, quæ fieri aliquid prohibebant; & caduca, cùm in templo, ſeu augurij loco, per augures metato, excidebant; ueluti uirga è manu. Triplici uerò ratione Aues auguria faciebant; uolatu nempe, uoce, & paſtu: primæ Præpetes dicebantur: quarum item duplex erat genus; aliæ enim altum, quæ Præpetes ſimpliciter; aliæ humilem, quę Inferæ nuncupabantur, uolatum exercebant. Quæ uerò uoce, uel cantu, uel garritu augurium edebant, Oſcines dicebantur; quaſi ore canentes; quare & oſmen pro omen quoque ueteres dicebant. Erat & tertiuro genus, quod ex Auium paſtu colligi dixi; id tripudium Soliſtimum appellabant: [f] Cicero Terripauiũ primùm dictũ fuiſſe ſcribit; & poſtea voce paulatim immutata Tripudiũ. Soliſtimum uerò à ſolo nomen meruit: coactum id augurium idem Cicero loco citato uocat; quòd auguretur è pullis in cauea antè fame enectis, & quod ex offa cadere aliquid oporteret, ut tripudium ſoliſtimũ fieret: contrà liberum, quod ex præpetibus capiebatur, quali uſum fuiſſe refert Deiotarũ; qui liberè uolãtes Aues aperto cœlo, non clauſas cauea, ſpectabat.

Auguriorũ genera.
Imperatiua auguria quæ.
Oblatiua.
Piacularia.
Cliuia.
Caduca.
Augurandi modi.
Præpetes.
Inferæ.
Oſcines.
[f] *De Diui.*
Tripudiũ Soliſtimũ.
Terripauiũ
Coactũ augurium.
Liberum.

Græci

Græci ac Persæ, vt ex [g] Xenophonte liquidò constat, auspicia dextra feliciora crediderunt; Romani verò sinistra magis approbare visi sunt; vnde [h] Plautus; *Tacete*, inquit, *habete animum bonum liquido exeo foras auspicio, Aue sinistra*. Et [i] Dionysius Halicarnassæus, vt causam adferat, cur sinistra auguria pro felicibus habita sint; in hæc verba scribit; penes quem fides esto: *Habent autem*, inquit, *Romani talia pro addictorijs, siue ex disciplina Hetruscæ, siue ita edocti à maioribus, hac ratione (vt equidem arbitror) vt sedes sit optima in captandis auspicijs, quæ Orientem spectet; vnde sol & luna surgunt, stellæq; tam fixæ, quàm erraticæ, & vnde mundi motus sumit exordium; cuius circulari vertigine, quæ in eo sunt, modò super terram existunt, modò sub terra latitant. Porrò qui Orientem spectant, Septentriones à sinistris habent; à dextris Meridiem. Honoratius autem est prius, quàm posterius: Sublimis enim ab Aquilonari tractu polus attollitur; circa quem mundus voluitur; & è quinque cœli circulis, qui vocatur Arcticus, hac parte semper est conspicuus: At ab Australi tractu, is qui vocatur Antarcticus, semper in ea parte delitet. Verisimile est autem inter signa, quæ de cælo seruantur, ea præcellere, quæ fiunt in parte optima; & quoniam ad Orientem vergentia potiorem partem obtinent, quàm Occidentalia; tum in his ipsis celsiora sunt Australibus Aquilonaria, meritò habentur optima*. Hæc ille: Et Donatus in hæc [k] Virgilij verba;

——*Subitoq; fragore*
*Intonuit læuum;*

læuum pro prospero accipiendum esse vult; hancque addit rationem, quòd precantis latus læuum, dextrum sit eius, qui postulata largitur; Pariter & Seruius sinistra auguria, à sinendo; quòd nos agere aliquid sinant, dicta scribit; quod & [l] Festus ex [m] Varrone probat. Ego tamen & auguria dextra fausta fuisse Romanis quoque reperio, Corui in primis atq; Aquilæ; [n] Plautus; *Impetritum*, inquit, *inauguratum est, quòuis ammittunt Aues, Picus, Cornix est ab læua, Coruus, Parra à dextera consuadent*. Et [o] Cicero. *Quid habet augur, cur à dextra Coruus, à sinistra Cornix faciat ratum?* Item & [p] Horatius;

——*Ego cui timebo*
*Prouidus auspex*
*Antequam stantes repetat paludes*
*Imbrium diuina Auis imminentem*
*Oscinem Coruum prece suscitabo*
*Solis ab ortu.*

Aquila si è dextra parte veniret felix omen faciebat, & magnarum rerum auspicia. Sic [q] Homerus, cùm primò Aquilam altè volantem populũ retinere pro infelici augurio dixisset; mox, vt sentiat nihil interesse inter dextrum & sinistrum in hęc verba Hectorem introducit loquentem, auguriaq; vt vana contemnentem.

——Τῶν ὅτι μετατρέπομ', ὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δέξι ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠελίόντε,
Εἴτ' ἐπ' ὐριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
——*Quas minimè moror, neque curo*
*Siue ad dextram vadant, versus auroram, solemq;*
*Siue ad sinistram istæ aduersus occasum obscurum.*

Bonum quoque & felix habebatur augurium si pulli per quos auspicabantur, comedissent, præsertim si eis comedentibus aliquid ab ore decidisset; pulticula enim illis potissimùm dabatur in auspicijs, quia ex ea necesse erat aliquid decidere; quod tripudium faceret. Sin verò omninò non edissent; periculum imminere credebant, & infausta portendi.

Erant & Aues, quarum auguria plerumq; bonum: item & aliæ quarum infelicem euentum fortiebantur. Inauspicatarum variæ erant nomenclaturæ. Alteræ enim dicebantur, quæ superuenirent, & felici auspicio vitium facerent; Arculæ, quæ arcerẽt: Cliuiæ, quæ difficulter admitterent; Enebræ & Inebræ, quæ obstaculum darent, ab inhibendo: Remores; Fecilytræ; Voisgræ; quæ sese vellendo malum auspicium nunciarent. Bubo funebris, & maximè abhorrens publicis præcipuè auspicijs, deserta incolit; si itaque in vrbibus aut omninò in luce visus esset; pro diro habebatur ostento; & Vrbs lustrata quandoque dicitur, quod Capitolij cellam intrasset. *Cornices inauspicatæ garrulitatis haberi* scribit [r] Plinius, *à quibusdam tamen laudari. Corui*, eodem teste, *in auspicijs soli videntur intellectum habere significationum suarum: pessima eorum significatio, cùm glutiunt vocem velut strangulati*. Parra item est inauspicata, de qua [s] Horatius Galateæ suæ nauigationem dissuadens, inquit:

*Impios Parræ recinentis omen*
*Ducat*, &c.

Inter auspicatas Aues Aquila primas obtinet; vnde apud [t] Homerum Priamus ab Hecuba admo-

[g] *Lib. de Pædia Cyri.*
Auguria dextra, an sinistris feliciora, & contra.
[h] *In Epidico.*
[i] *Lib. 2. non longè à principio.*
[k] *Lib. 2. Aencid.*
[l] *Lib. 17.*
[m] *Lib. 5. Epist. Quæst.*
[n] *In Asinaria.*
[o] *1. De Diuinat.*
[p] *Lib. 3. carm. Od. 27.*
[q] *Iliad. M.*
Alteræ.
Arculæ.
Cliuiæ.
Enebræ.
Inebræ.
Remorès.
Fecilytræ.
Voisgræ.
Bubo.
Cornix.
[r] *Lib. 10. cap. 12.*
Corui.
Parra.
[s] *Lib. 3. Ode. 27.*
Auspicatæ Aues.
[t] *Iliad. Ω.*

ba admonitus; Iouem orat, vt Aquilam mittat, cuius volatu in bonam ſpem erectus, auſpicioq; ſecundo confiſus, ad Naues Græcorum ſe conferat.

Πέμψον δ' οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον, ὅς τοι αὐτῷ
Φίλτατος οἰωνῶν, καὶ ἓυ κράτος ἐστὶ μέγιϛον,
Δεξιόν, ὄφρά μιν αὐτὸς ἐν ὀφθαλμοῖσι νοήσας
Τῷ πίσυνος ἐπὶ νῆας ἴῳ Δαναῶν ταχυπώλων, id eſt.

*Mitte autem Alitem velocem nuncium; qui tibi ipſi*
*Dilectiſſimus inter alites; cuius fortitudo eſt maxima.*
*Dextrum, vt eum ipſe oculis percipiens;*
*Hoc fretus in naues eam Danaorum equitum:*

Atque hinc eſt, quod [u] Seneca inquirat, *cur Aquilæ hic honor ſit datus, vt magnarum rerum ferret auſpicia?* de quibus nos ſuo loco. [x] Plinius *ex Accipitribus Circon* refert *claudum altero pede, proſperrimi fuiſſe augurij, nuptialibus negotijs:* Nuptias enim ſtolida gentilitas, teſtibus Macrobio & [y] Alexandro ab Alexandro; *duobus auſpicibus, & totidem ſignatoribus ſpondebat, ſtipulabaturq;*; inquit, *is noctu, ac quandoque prima diei luce; magna cautione; id ne fieret motu cœli & terræ; cælo turbato; inquieto; procelloſoq; die; publicis feſtis; lemurijs, quibus occiſi Remi vmbra placabatur; feralibus; ſiue parentalibus; ancylibus nondum conditis; poſtridiè nonas; idus; calendas; quoniam ij dies atri erant.* Quas ſuperſtitiones ridet [z] Plautus his verbis:

[u] *Lib. 2. natural. quæſt. cap. 32.*
[x] *Lib. 10. cap. 8.*
[y] *Lib. 2. c. 5.*
[z] *In prologo Caſina.*

*Argentum ſi quis dederit, vt ego ſuſpicor;*
*Vltrò ibit nuptum; non manebit auſpices.*

Triorchis. Sed ad auguria, vnde digreſſa eſt oratio; reuertamur. *Triorchi, quem Buteonem Romani appellant, familia etiam ex eo cognominata, cùm proſpero augurio in ducis naui ſediſſet; Phœmonoe principatum in augurijs dedit*, vt Plinius loco citato narrat. Vulturis quoq; plurimus erat vſus; quia Romulo in condenda vrbe duodecim apparuiſſent; vel quia, vt Herodotus vult; *Vultur nulli nocet animali, qui non niſi cadauera comedit; nec Aues mortuas attingit*; Erat tamen infauſtum plerunq; eius augurium; potiſſimùm ſi fana Deorum inuolaſſet. Sed de Auibus alijs, quarum felix, & infelix augurium erat; conſule [a] Alexandrum ab Alexandro.

Vultur.

[a] *Lib. 5. capit. 13.*

Augures auguria captaturi in ſupremam curiæ partem, quam auguraculum antiqui appellabant; ſe recipiebant; veſtemq; induti ſacerdotalem; lituum, qui virga erat, manu tenentes eleuata, oculis intenſiſſimis Aues obſeruabant; ſiniſtrorſum ne, an dextrorſum; canentes ne, an tacitę, aduolarent; bonum inde aut malum rei, quam meditabantur; elicientes euentum. Captantes porrò auguria ſedebant, vt ex [b] Plutarchi his verbis quis intelligat, Ὅτ' ἂν ἀρχὸν ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος, ἔξω πόλεως οἶκον, ἢ συνῳδὸν μεμιθωμένῳ, ὑπ' αἰτίας τινὸς ἀναγκαθῇ, μήπω γεγονότων σημείων ἐναβαίων ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν ἀφεῖναι ἐρχῶ, τὸ προμεμιθωμένον οἴκημα, καὶ λαβεῖν ἕτερον ἐξ οὗ ποιήσεται τῷ θέαν αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς. hoc eſt *Magiſtratum; cùm extra vrbem conducta ad hoc domo aut tabernaculo augurij capiendi gratia conſediſſet; atque priuſquam id eſſet peractum; neceſſaria aliqua de cauſa, in vrbem redire coactus fuiſſet*, oportebat priori loco relicto alium conducere indeq; augurium petere. Hinc Seruius in illud [c] Virgilij, *Sacrata valle ſedebat, ſecundum augures*, inquit, *ſedere eſt augurium captare:* Interdum verò cubantes auſpicabantur; vt idem quoque teſtatur. Precabantur autem certa ſibi, ac clara & proſpera, è cœlo ſigna dari; quæ [d] 3. *Aencid.* Deos eorum precibus annuere teſtarentur; harum precationum formulas expreſſit [d] Virgilius his verbis:

Augures auguria captaturi

[b] *In Marcello.*

[c] *Lib. 9. Aencid.*

*Quem ſequimur? quòue ire iubes? vbi ponere ſedes?*
*Da Pater augurium, atque animis illabere noſtris.*

Augurari quibus & quãdo prohibitum.

Si verò augures vlcus haberent; augurandi cauſa prohibebantur; quia integros & ſanos corpore & mente eos eſſe oportebat. Erant & tempora, quibus augurari erat vetitum: Metellus enim Pontifex Maximus poſt ſextilem mẽſem auguria captari noluit; quòd adultis & perfectis Auibus auſpicando; antequam æſtas aduenerit, ſit prudentiæ: autumno autem Aues partim inutiles ſunt; partim morbidæ; partim pulli imperfecti; & aliquę propter anni tempus aliò deuolant: Sic ex vlceratis Auibus auguria captari non licere (ſiquidem morboſæ Aues augurium nullum faciebant) ſæpe relatum eſt.

Augurũ honor apud Romanos.

Cæterùm quanto olim in honore atque authoritate haberentur augures apud omnes gentes; ac potiſſimùm apud Romanos: paſſim quæuis ſcriptorum monumenta teſtantur. Hos etenim ex maioribus, præſtantioribusq; Vrbis eligebant, vnde Cicero ſe ab Hortenſio viro clariſſimo in collegium augurum fuiſſe cooptatum gloriatur; Et Q. Mutium Sceuolam augurem videmus, inter primarios omnium ætatum viros connumerari; cuius ſanguine; quòd aram in templo Veſtæ, quo nihil in Vrbe habebatur præſtantius; illum amplexantem Syllæ carnifices interfeciſſent; ignem illum qui Virginum cura perpetuus erat; penè extinctum fuiſſe credebant.

bant. Sed & Paulus Aemylius ſolitus eſt dicere; quod nec Senatus cogi, nec conueniendi locum poterat habere; niſi quando & vbi augures præſcripſiſſent. Omnia enim gerebantur auſpicatò; præſertim in bellis; vnde [c] Cicero; *Rem bellicam noſtri maiores adminiſtrari niſi auſpicatò, noluerunt*; Et Liuius prælio Allienſi, vt nouum & triſte prodigium habet, quod *nec auſpicatò, nec litatò inſtruunt aciem*; Et ſæpè apud eum, aliosq; hiſtoricos fit mentio, *Conſules auſpicio operam dediſſe*. Sed *quid maius, ſi de iure quærimus; quàm poſſe* (vt cum [f] Cicerone dicam) *à ſummis imperijs, & ſummis poteſtatibus comitia tollere; conſilia & inſtituta demittere; vel habita reſcindere? quid grauius quàm rem inceptam dirimi, ſi vnus augur ALIO DIE dixerit? quid magnificentius, quàm poſſe diſcernere, vt magiſtratu ſe abdicent Conſules? Quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius dare, aut non dare?* Non parum quoque augurum authoritatem extollere illud videtur; quod cum cæteris ſacerdotibus ſimul, ac ad iudicium ducti, ac damnati ſunt, alium ſoleant ſubſtituere: Augurem verò donec vita ſuppetebat, licet maximorum criminum conuictum; ſacerdotio non mulctarent. Hos etiam Deorum internuncios, interpretesq; vocitabant; vt ex verbis Aeneæ apud [g] Virgilium ad Helenum augurem conſtat, ait enim:

[c] *Lib. 2. de Diuinat.*

[f] *Lib. 2. de legib.*

[g] *Aencid. 3*

*Troiugena interpres Diuûm, qui numina Phœbi,*
*Qui tripodas, Clarij lauros; qui ſydera ſentis;*
*Et volucrum linguas; & præpetis omina pennæ.*

Quapropter non plebeios ſolùm illis morem geſſiſſe legimus; ſed ipſos etiam Conſules; Dictatores, nec non & Reges; penes quos omne erat imperium. Scipionem ferunt, quòd augures iudicaſſent; vitio creatum eſſe; ſponte ſua ſe magiſtratu abdicaſſe. P. Claudius, ac L. Iunius Coſſ. ſupplicio digni iudicati ſunt; quòd contra auſpicia nauigaſſent. Et quamuis Proprætores, & Proconſules legamus rem quandoque geſſiſſe inauſpicatò, id augurum dignitati non repugnat, quòd ſoli magiſtratus auſpicia haberent. Denique tanti fecerunt auguria, vt apud [h] Liuium extet, *Auſpicijs vrbem conditam eſſe; auſpicijs bello ac pace, domi militiæq; omnia geri; quis eſt qui ignoret? Quid enim eſt, ſi pulli non paſcantur, ſi ex cauis tardius exierint? ſi occinerit Auis? parua ſunt hæc; ſed parua iſta non contemnenda, maiores noſtri maximam rem hanc fecerunt.*

[h] *Lib. 5.*

Sed vt deteſtandam hanc idolatriam, quæ à viro Chriſtiano omnino debet eſſe aliena, ac tanquam ſumma pernicies euitari; plenius perſequamur; paucis itaque adductis argumentis ex eorundem ſuperſtitioſorum Ethnicorum ſcriptis, quàm breuiter fieri poteſt, eandem refutemus: Cùm etenim ſimia ille Dei Dæmon, vt Deus haberetur; auguriorum ſit inuentor: (quamuis Carea, à quo Caria appellata ſunt, reperiſſe dicatur [i] à Plinio) nihil inde boni haberi potuit. Quis enim ita mente captus, qui Deum Opt. Max. ſecreta ſua, quæ non homines ſolùm, ſed ipſos etiam latent Angelos, Auibus manifeſtaſſe credat? quando ipſamet Auis periculum ſibi ob oculos propoſitum non noſcat? Quanam obſecro ratione, quod futurum erat, prædixiſſe potuit? Equidem è nido auolans aliunde paratura alimoniam nutricandis pullis, plerunque regreditur re infecta, nec uſpiam inuento cibo. Refert [k] Euſebius, cùm Alexander Macedo ad mare rubrum proficiſceretur, Iudeum quendam adfuiſſe, nomine Moſomanum; qui augure omnes conſiſtere iubente, Auemq; ei cauſam illius rei inquirenti oſtendente, ac dicente conducere ità conſiſtere, donec Auis an hâc vel illac eundem indicaſſet; Auem ſagitta interfecit; auguriq; ac alijs id ægre ferentibus respondit; quis eſt iſte furor? quomodo Auis iſta, quæ nihil de ſagitta præuiderat, de itinere nobis prædicere potuit? Quare ociosos & feriatos fore Deos dicebat doctiſſimus M. Varro; ſi ſua Conſilia Corniculæ crederent, aut Coruo. Cicero etiam ipſe augur auguria ridebat, hominesq; arguebat, qui Auium vocibus, aut volatu, aut paſtu conſilia ſua moderarentur; & Nonio dicenti, *ſpem optimam habere licere, quòd ſeptem Aquilæ in caſtris Pompei eſſent captæ, rectè dicebat moneres, ſi contra Picas nobis pugnandum foret*. Sed Clodium, Flaminium, aliosq;, ſuperſtitioſus quiſpiam dixerit exercitum perdidiſſe; quòd pullorum Soliſtimum Tripudium expectare recuſaſſent. Quid Regulus? nonne auguria ſeruauit, & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum tamen miſſus eſt. Pullos edaces habuit Paulus ad Cannas; tamen cum maiore reipub. parte proſtratus eſt. C. Cæſar ne ante brumam in Africam nauigia tranſmitteret, augurijs & auſpicijs renitentibus ſpreuit: eò facilius & nauigauit & vicit. Troianorum fortiſſimus Hector auguria prorſus contemnens, ſic infit apud [l] Homerum:

[i] *Lib. 7. capit. 56.*

[k] *Lib. 9. de Præparat. Euang.*

[l] *Iliad. M.*

Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ,
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης
*Nos autem magni Iouis pareamus conſilio*
*Vnum auſpicium optimum, pugnare pro patria.*

Quo poſtremo verſu Epaminundam Thebanum vſum etiam fuiſſe, teſtatur [m] Diodorus ante Leuctricam victoriam. Qui quoque cum duo contraria auguria, quo tempore moturus erat

[m] *Lib. 15.*

castra, apparuissent, quorum altero victoria, altero clades portendebatur; anxios inde milites conspicatus, ac sciens huiusmodi res esse uanissimas, animos addidit militibus; dicens moneri altero exercitum; si fortiter hostem aggressus esset, uictoriam promitti: altero autem internecionem, nisi ordinem in acie tenuissent, uel ducibus non obtemperassent. Ita Q. Fabius Maximus augur apud [n] Ciceronem dicere est ausus: *optimis auguriis ea geri, quæ pro reip salute fierent; & quæ contra remp. ferrentur, contra auspicia ferri.* & Consul ille, qui pullos pasci nolle annunciantibus, iussit, ut biberent, proijci in fluentem, is minimi auguria fecisse uideri potest. Rectè Virgilius:

[n] *Lib. de Senect.*

*Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ.*

Vt itaque finem confutandæ uanæ huic gentilium auguriorum fiducię colophonem impo- 10
nam, [o] Prudentij sequentes uersus epilogi quasi loco subiungam, qui scilicet superstitionem illam egregiè refutant.

[o] *Lib. 2. cõtra Symmachum.*

*Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, Mithridatem*
*Flora, Matuta, Ceres & Laurentina subegit,*
*His tamen auspicibus successus dextra dederunt*
*Omina latificos, & felix adfuit ales,*
*Quid sibi vult virtus, quid gloria, si Coruinum*
*Coruus Apollineus penna vel gutture iuuit?*
*Sed tamen hic Coruus, cur defuit exitiali*
*Forte die, infaustas tegerent cùm funera Cannas,* 20
*Oppeteretq; super congesta cadauera consul?*
*Cur Cremeræ in campis Cornice vel oscine Parra*
*Nemo Deum monuit perituros Marte siniſtro*
*Ter centum Fabios vix stirpe superstite in vno?*
*Nullane tristificis Tritonia Noctua carris*
*Aduolitans, præsto esse Deam prænuncia Crasso*
*Prodidit? aut Paphiam niueæ vexêre Columbæ,*
*Cuius inauratum premeret gens Persica lembum.*

Non mirum itaque, cùm plena mendaciorum ac fallaciæ; ut omnes sunt Dæmonum inuentiones, sint ipsa auguria; si à Deo, eiusq; ministris in ueteri testamento, ac tandem à Sanctissimo Concilio Tridentino reiecta, & hominibus Christianis interdicta fuerint. Sed hæc 30
quantum ad generalem quandam cognitionem attinet, satis dicta sunt: nobis enim properantibus ad altiora, plura de his scribere, & tempus & ratio prohibet.

VLYSSIS

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIAE LIBER PRIMVS,

## Qui est DE AQVILIS IN GENERE,

## DE AQVILÆ DIGNITATE.

NON satis efficax eorum, etsi grauium virorum, mihi videtur opinio, qui vel Gallinaceo Gallo, vel Pauoni principem in alitum genere locum tribuunt. Nam quamuis dimicans Gallus cantu suo exultans superbiat, & Leonibus ipsis omnium animalium ferociſſimis aspectu suo pauorem incutiat, regnumq; in quacunq; sit domo, exerceat, atque ternas discernendo horas, quasi gnarus astrorum dicatur; ille tamen sponte sua Aquilæ, cuius non præsentiam solùm, sed vocem etiam eminus expauescit, meritò cedet. Pauo autem licet ob versicolores pennas, præsertim si in rotam eas expandat, Auium sit formosiſſimus, maiestatemq; ac grauitatem incedendo præ se ferat, atque rationis aliquo pacto (laudatus namque orbem erectis caudæ pennis gloriabundus effingit, idque aduerso maximè sole, vt fulgentius radient) particeps videatur, cum Aquila tamen de dignitatis, nobilitatisq; loco certare non potest: præsertim si volatus sublimitatem, celeritatem, ac durationem, visusq; acumen, animi generositatem, magnificentiam, liberalitatem, corporis robur, vim, audaciamq;, denique & viuacitatem contemplemur. Aquila enim reliquis omnibus volat altius, adeò vt cœlum petere, illudq; adniti contingere videatur: vnde apud Ethnicos Iouis nuncia vocatur, & à Theologis D. Iohanni Euangeliſtæ, quo nullus mystica, cœleſtiaq; Dei dogmata accuratiori indagine perscrutatus est, meritò assignatur, ita vt teste D. Augustino, si altius de Deo locutus esset, cum diceret, *In Principio erat Verbum*, nemo hominum intelligere potuisset. Ob eandem excellentiam Romani bellica & triumphalia signa eius imagine decorarunt, vnde meritò Romanus ales fuit nuncupata. Nulla enim ferè orbis terrarum pars fuit, ad quam modò patuerit accessus, quam feliciſſimo huius Auis ductu Romani suo non subiecerint imperio. *Quorum cuiq; legioni præerat*, vt [a] Iosephus testatur, *rex ipsa Auium omnium, & eadem valentiſſima; vnde etiam imperij signum ipsis est, & velut omen victoriæ in quoscunque eunt*. Haud me fugit tamen Persas longè ante illos auream Aquilam alas expandentem sibi pro signo militari feciſſe. Omniũ præterea Auium (reiecto, exploso q; fabuloso Phœnice, quem sexcentos & sexaginta annos viuere vulgus nugatur) viuaciſſimam, solertiſſimam, ac velociſſimam Aquilam esse perspectum est. Insuper quænam cum hac viribus contendere audeat, quæ Dracones ad pugnam lacessit, ac cum ijs decertat; Tauros adoritur, ac interimit; Hinnulos vincit; Vulpes lacerat; Anguibus vescitur? Quæ hac ipsâ alia Auis in prole educanda benignior? quæ in deligenda iustior? quæ visu præstantior? quæ in auspicijs felicior? quæ præsagiendo habita veracior? qua sanè ratione Græci nominis, etymiq; dignitatem meretur Ἀετός, quasi veritatis signum dicta. Huic enim vni aliti Ethnicorum omnium & Haruspicum maximè consensu id honoris datum, vt magnarum rerum secundi semper euentus eius auspicijs portenderentur, ac Buteonem, Sanqualim, Immusulumq; longè diuinando anteire crederetur. Reliquarum ergo volucrum ostenta quæcunque interuentu suo abolebat. Neque verò per aërios tractus vlli omninò cedit, præterquàm fulmini.

[a] *Lib. 3. de bel. Iud. c. 5.*

Aquilam itaque reliquis omnibus Auibus prælucere non ſolùm ex deſumptis rationibus, quas iam adduximus, ſed & grauiſſima poëtarum, philoſophorum, aliorumq; illuſtrium ſcriptorum authoritate euinci poteſt, & in primis fatidicæ Sibyllæ canentis:

*Ex Aſia veniet Aquilæ Rex magnus ad inſtar*
*Ardens, qui terram peditumq; equitumq; caterua*
*Obducet, qui cuncta malis labefacta replebit.*

[b] *Iliad. 8. & ω.* Item [b] Homeri, qui τελειότατον πετεηνῶν, hoc eſt volatilium perfectiſſimam tanquàm βασιλικώτατον eam appellauit. [c] Daretis quoq; Phrygij ita ſcribentis, regioq; eã nomine compellantis.

[c] *Lib. 6. de bello Troiano.*

*Rex Auium, ac viſo cunctatur funere, fulmen*
*Deponens.*

Pindarus quoque hanc Auem pluribus in locis ſummo honore dignatur; præſertim verò his verbis, [d] τεῦτ' ἄρα οἱ φαμένῳ πέμψεν θεὸς ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν Αἰετόν, ideſt, *hæc illi locuto miſit Deus ducem Auium magnam Aquilam*. Item vbi excellentiam eius in exemplum trahens de Arceſilao tradit in hæc verba: [e] πρέσσονα μὲν ἀλικίας νόον φέρβεται, γλῶσσάν τε, θάρσος τε πανύπτερος ἐν ὄρνιξιν Αἰητὸς ἕπλετο, ideſt, *præſtantiorem ætate mentem alit, & linguam, & animi magnitudine eſt veluti Aquila inter Aues expandens alas*. Alibi etiam reginam volucrum à Deo declaratam prodit. Ad cuius confirmationem inter cœtera, quæ adduci poſſint, minimè digna omiſſu, aut neglectu, viſa eſt tam multis & tantopere decantata illa, licet fabula, de Iouis alite; idq; propter authorum, qui eam literis tradiderunt, eruditionem ac dignitatem, narrationis varietatem; exempla quoque morum hinc emanantia; denique ob tractationem omnibus numeris abſoluendam; ne quid ſcilicet huic noſtræ deſit hiſtoriæ, quod latere ſub fabularum cute dubitemus: atque vt, ſi quid exiſtimauit antiquitas poſſe ex fabuloſis commentis rei naturalis cognitioni, virtuti, famæ, & honori accedere; illud etiam & nos animo & re ipſa aſſequamur. Primùm itaque cur Ioui dicata ſit, eiusq; ſceptro inſideat, vt [f] Luciano, & [g] Oppiano placet; item quod Auis Dei dicatur, vt Danti; triplici oſtendi poteſt ratione, naturali nimirum, hiſtorica, & fabuloſa. Nam quemadmodum ipſa viſu, vt diximus, eſt perſpicaciſſimo, oculorumq; acie ſubtiliſſima atque puriſſima: ita principibus ad rectam rerum adminiſtrationem ſumma prudentia & perſpicacitate eſſe opus certum eſt. Ioui autem aduerſus Titanas proficiſcenti, ſacraq; facienti, vt [h] Lactantius aſſerit, in auſpicium aduolauit; ſicuti etiam cum Saturnum bello ſuperauit, vt Seruio placet, ideoq; victor pro bono omine acceptam tutelæ ſuæ addixit. Sunt & multa huiuſmodi alia; quæ de ea referuntur; quæ hîc recenſere longum eſſet. Eam etiam Ioui cum Gigantibus prælio dimicanti fulminum tela ſubminiſtraſſe narrant. Aglaoſthenes enim author eſt Iouem Aquilæ aſſumpta figura Naxum inſulam, in qua primùm infans Cretæ ſubreptus, educatus fuit, vt regnum conſequeretur, petiiſſe: Addit & Aquilam Ioui ſacrificanti auſpicatam; & cum Titanibus manus cõferenti tela ſubminiſtraſſe, eoq; auſpicio vſum, eam inter aſtra collocaſſe. Qua de cauſa [i] Virgilius, [k] Ouidius, & [l] Claudianus *armigerum Iouis alitem* vocant, & *flammigerum* [m] Statius

[d] *Ode. 6. Iſthmior.*
[e] *Ode. 5. Pythior.*
[f] *In Deor. concil.*
[g] *In Ixeut.*
[h] *Lib. de falſa Relig.*
[i] *Aencid. 9.*
[k] *Metamorph. 13.*
[l] *Epig. de Phœn.*
[m] *Thebaid. 8.*

*——Nec ſegnius ardens*
*Accurrit, ntueo quem flammiger ales olori*
*Imminet.* Et quidam Ornithologus recentior
*Inter quadrupedes debetur quanta Leoni*
*Gloria, tanta mihi creditur inter Aues.*
*Ales ſacra Iouis magnarum gloria rerum,*
*Inter Aues omnes regia ſceptra gero.*

Vnde in multis vetuſtis numiſmatibus Aquilam ſupra Iouis fulmen, & in aliquibus ferentem ipſius ſimulacrum videre eſt, in alijs geſtantem Iouis ac Iunonis effigiem: Sicuti autem Aquila Iouis, ita Pauo & Struthiocamelus Iunonis Aues dictæ ſunt. Referunt etiam Iouem ob memoriam anteacti obſequij, quòd ſcilicet Ganymedem, quem ardenter deperibat, vt pocillatoris munere apud ſe fungeretur, in cœlum rapuerit, hanc Auem ſuam feciſſe; Fabula eſt notiſſima, verùm in ea enarrãda authoribus non omnino inter ſe conuenit. Ganymedes patria Phryx fuit, Trois Regis filius (catamitus Feſto & Martiali ab officio cognominatus, & ante illos [n] Plauto, *Dic mihi nunquid vidiſti tabulam pictam in pariete, vbi Aquila catamitum rapuit?*) puer vultu adeò venuſto, adeò liberali; vt nihil ſupra; quem aliqui paſtorem; aliqui venatorem faciunt. Hunc, dum in ſyluis venaretur, vt Virgilius; ſeu dum greges paſceret; vt Lucianus ait, Iouis iuſſu ab Aquila in cœlum ſublatum ferunt. Lucianus Iouem ipſum in Aquilam conuerſum, puerum pocula miniſtraturum ſublimem abripuiſſe ſcribit: Vt vt ſit, fabuloſum vtrumq; eſt: In hoc tamen omnes conſentiunt; nempe in huius facti præmium Aquilæ effigiem cœlo donatam & collocatam eſſe; quæ ſuper Aquario, quem Ganymedem, quaſi aquam ex vrna affundentem

Iunonis Aues quæ.

[n] *In Menæch.*

vocari

vocari plures teſtantur, volitare videtur. Hanc fabulam [o] Theocritus, [p] Ouidius, [q] Virgilius deſcripſerunt. Virgilius diuinè his verbis:

*Intextusq́ puer frondoſa regius Ida*
*Veloces iaculo Ceruos, curſuq́ fatigat*
*Acer, anhelanti ſimilis; quem præpes ab Ida*
*Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.*
*Longæui palmas nequicquam ad ſidera tendunt*
*Cuſtodes, ſæuiq́ Canum latratus ad auras, &c.*

Sic autem Ouidius:

*Nec mora percuſſum mendacibus æra pennis*
*Arripit Iliadem; qui nunc quoque pocula miſcet;*
*Inuitaq́ Ioui nectar Iunone miniſtrat.*

Meminit item Auſonius:

*Stat Iouis ad cyathum, genuit quem Dardanius Tros.*

Huc facit & [r] Martialis dialogus:

*Dic mihi quem portes volucrum regina? Tonantem.*
*Nulla manu quare fulmina geſtat? amat.*
*Quo calet igne Deus? pueri. Cur mitis aperto*
*Reſpicis ore Iouem? de Ganymede loquor.*

Aquilam marmoream iam dictæ fabulæ manifeſtum teſtimonium; Ganymedem ſcilicet raptum ferentem, ego olim Romæ in ædibus Reuerendiſſimi Epiſcopi de Ruſticis, in platea de Valle vulgò dicta obſeruaui: item apud Illuſtriſſimum Camillum Capranicum, nudi Iouis ſimulacrum, cui item marmorea Aquila prope pedes aſtabat. Aſteriam quoque Cei filiam à Ioue, vt ait Fulgentius, adamatam, poſt vitiatam Latonam, ab eoque in Aquilam mutato oppreſſam fuiſſe tradunt, & ex eo concubitu Ioui Herculem peperiſſe. His ſi placet & hanc adde fabulam, quæ Aquilam Ioui adhuc puero nectar miniſtraſſe, atq; ideo inter aſtra relatam, narrat; Meminit huius Mæro apud [s] Athenæum his verbis:

*Educabatur in Creta Magnus Iuppiter, nec vlli*
*Cognitum id erat beatorum; is autem membris omnibus creſcebat.*
*Ipſum autem alebant in antro diuino ✲ Trerones,*
*Ex Oceani fluentis Ambroſiam adferentes.*
*Nectar verò ex ſaxo ingens Aquila ſemper hauriens*
*Aduolans portabat conſultò, prudentiq́ Ioui.*
*Eam victo patre Saturno Iuppiter altiſonus*
*Immortalitate donatam, in cælo habitare voluit.*
*Eademq́ magnificentia Treronas Pleiadas honorauit,*
*Quæ nunc æſtatis ſunt ac hyemis nunciæ.*

Nec deſunt qui fabulentur, cum Dij Aues omnes inter ſe partirẽtur, Aquilam in portionem ſuam ſortitum eſſe Iouem, quòd altius cunctis euolet, & inter omnes principatum obtineat: Vnde & prouerbio locus datus ζεὺς Ἀετὸν ἕιλετο, ideſt *Iuppiter Aquilam delegit*; vbi quis aſciſcit ſibi præclaros, ſuisq́ rebus accommodatos viros. Hinc peculiari priuilegio à fulmine eam immunem eſſe; cuius tela Ioui porrigat; non tantum ex antiquorum monumentis oſtenditur; verùm etiam naturali ratione. Dicitur enim ſupra ſecundam aëris regionem nubium ac fulgurum ſedem euecta, cùm fulgura, quæ infra ſe ſunt, tantum feriant, ab omni horum ictu ſeſe tutam præſtare, quemadmodum [t] Apuleius his verbis teſtatur: *Aquila cum ſe nubibus tenus altiſſimè ſublimat, euecta alis totum iſtud ſpatium, quo pluitur & ningitur, vltra quod cacumen nec fulguri, nec fulmini locus eſt in ipſo, vt ſic dixerim, ſolo ætheris & faſtigio hyemis; cùm ſe extulerit, nutu clementi leuorſum & dextrorſum tanta corporis mole labitur, velificatas alas quò libuit, aduertens, modico caudæ gubernaculo &c.* In hanc opinionem comprobandam facit quod Pindarus eam *nubiuagam* vocat, & [u] Homerus de ea loquens, *vt Aquila*, inquit, ὑψιπετὴεις, ideſt *alta petens, quæ deſcendit in campum* διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν, ideſt *per nubes obſcuras*. Et [x] Ariſtophanes γενόμαν Ἀετὸς ὑψιπέτας, ideſt, *Aquila fiam in nubibus* de altiſſimo volatu dixit. Ad hunc ſenſum Romæ, teſte literatiſſimo [y] Iuſto Lipſio; in vinea apud Cardinalem Carpenſem in arcula marmorea antiquiſſimum extat monumentum; in quo inſculptum eſt Iouis nubiferi caput, cum pectore, & ſub eo Aquila expanſis alis ſubuolans ſubſequitur. Honores item Aquilæ in ſacris & templis delati, vſusq́ in triumphis ac ludis varijs, quos conſultò hîc prætereo, proprio capite de ijs acturus; regiã, principemq́ Auem eſſe, cœterisq́ anteponendam declarant. Hanc denique noſtram ſententiam duplici Ariſtotelis authoritate communire placet, [z] primâ ex primo hiſtoriæ: [a] alterâ ex nouo eiuſdem:

quarum

[o] *In Syracuſis.*
[p] *Io. Metamorph.*
[q] *Aeneid. 5*
[r] *Lib. 5. Epigramm.*
[s] *Lib. 11. Deipnoſoph. cap. 13*
✲ τρήρωνες pauidæ Columbæ: trepidæ Pleiades.
[t] *In Floridis.*
[u] *Iliad. χ.*
[x] *In Auibus.*
[y] *In Antiq.*
[z] *Cap. 5.*
[a] *Cap. 32.*

quarum prioris hæc ſunt verba: *Volucrum aliquæ penna volant, vt Aquila & Accipiter; Aliquæ membrana ſicca, vt Apes & Scarabæi, aliqua inſecta volatilia, quæ exanguia ſunt: aliæ cute, vt Vulpeculæ Auis & Veſpertilio. Volant pennis & cute ſanguine præditæ.* Ex his verbis palam eſt inter volucres pennis volantes rapacibus, & inter has Aquilæ primatum ab illo dari. Eadem omnino ratione adſerere poſſumus inter inſecta membranâ volitantia primum nobilitatis gradum Apibus ab eo adſcribi. Neque id ab re, cùm ab his tot, tantaq; & tam ſtupendo artificio proueniunt emolumenta; quod Maro diſertè ac copioſè ſuo carmine oſtendit. Altera item authoritate Ariſtotelis ductus omnibus alitibus anteponendam Aquilam, clarè colligo, quæ ſic habet: *Volant ſublimes, vt quàm longiſſimo diſſita interuallo deſpiciant, qua de re ſolam Auium omnium Aquilam diuinam perhibent.*

Apum primatus inter inſecta.

Dubitare autem quiſpiam poſſit, cùm Aquilarum multæ ſint ſpecies, quænam harum Ioui in miniſterium aſcita fuerit, tranſlataq; in cœlum: cui reſponſum eſto, eam ſibi Iouem delegiſſe, quæ aurea dicitur nomine Chryſaëtos. Sanè non omnes Aquilæ fuluæ ſunt, ſeu aureæ: Alias nigricantes eſſe conſtat; alias albicante cauda; alias aterrimas; alias denique alterius coloris; vt ſuo loco apparebit. Verùm quæ colore ſunt ſubrutilo, vt cæteris nobilitate præſtant, ita teſte Ariſtotele raræ ſunt conſpectu. Ex his ea cœlo donata dicitur, quæ Ganymedem Ioui amanti tradidit. Itaque Clearchus Tyrannus cùm ex ſucceſſu continuæ felicitatis ſe Iouis filium diceret, præferri ſibi Aquilam auream tanquam generis argumentum voluit; & [b] Pindarus aureas tantummodo Aquilas Ioui ſacras indicat; vbi ait, ἔνθα ποτὲ χρυσέων Διὸς Αἰετῶν πάρεδρος, id-eſt, *vbi olim ea, quæ aureis Iouis Aquilis aſſidet Sacerdos:* Idem teſtatur [c] Ouidius, inquiens:

*Grata Ioui fuluæ noſtra videbis Auis.*

Et [d] Cicero de glandifera quercu loquens, *fuluam Aquilam Iouis nunciam olim refert ex ea euolaſſe.* Item & Claudianus ——*Fuluusq; Tonantis Armiger*, pro Aquila nobiliori dixit.

[b] *Ode. 4. Pythior.*
[c] *Lib. 5. Faſtor.*
[d] *Lib. 2. de legib.*

# ÆQVIVOCA NOMINIS AQVILÆ.

QVONIAM verò maximam ad rem ipſam intelligendam negocium legentibus faceſſere ſolet eiuſdem vocabuli varia ſignificatio, quam æquiuocationẽ vocant Philoſophi; idcirco rectæ rationi conſentaneum exiſtimo; ne in ambiguo verſemur; vt prius huius dictionis (Aquila) æquiuocationem in diuerſas rerum ſignificationes diffuſam diſtinguamus. Omnis autem æquiuocatio inde naſcitur, quòd res, quàm voces multò plures numero ſint. Quò fit, vt fæpenumero grauium errorum tricis implicari, turpiſſimeq; hallucinari nos contingat, dum animum non ſatis aduertentes vnam rem pro altera, etſi toto cœlo ac genere diſſideat, accipimus; & quæ longè diuerſiſſima ſunt, eadem facimus: Nempe morbum, plantam, lapidem, animal, idq; nominis ſimilitudine decepti.

Errores quorũdam grauiſſimorum hominũ ob amphibologiam.

Quòd ipſum ſummis, doctiſſimiſq; Theologis vſu veniſſe videmus: nempe uerbi gratia Diuo Ambroſio, qui pro uoce Græca Τρυγὼν in Hexamero piſcem marinum planum, Paſtinacam Latinis dictum deſignante, quæ per radium ceu telo virus eiaculatur, Turturem, Auis innocuæ nomen vertit, (vtrumque enim ſignificat) amphibologiâ ſcilicet deceptus. In eundem errorem D. Baſilij interpretem, item qui Galeni librum de compoſitione medicamentorum in Latinã linguam tranſtulit, lapſum, imò & Plinium aliquoties ſimiliter hallucinatum uidemus. Nam exempli gratia, [a] nominis Ixia (quod Chamæleonis nigri venenum etiam alioqui ſignificat,) ſimilitudine falſus, Ixon (quod viſcum ſonat, & non uenenum, ſed illomet teſte præſens contra id remedium) interpretatus eſt, non ſine graui errore.

[a] *Lib. 22. capit. 15.*

Quò itaque omnia dilucidiora appareant, huius dictionis (Aquila) diuerſam notionem ad diuerſas res manifeſtandas deſumptam, paucis perſtringamus, eo ſeruato ordine, quem rerum dignitas poſtulat. Aquilæ nomine uir uenit intelligendus genere Ponticus, religione Iudæus, de quo D. Lucas, *Egreſſus*, inquit, [b] *Paulus Athenis Corinthum petijt, & inueniens quendam Iudæum Aquilam nomine, & Priſcillam, acceſſit ad eos, & quoniam illis erat ὁμότεχνος*, ideſt *eiuſdem artis*, uidelicet *Scænofactoriæ, vel Sutoriæ* (vt interpretatur Origenes) *itaque unà cum illis huic opificio operam dedit, poſtquam ipſi in Achaiam ab vrbe Roma veniſſent.* Huius D. Paulus multis in locis tanquam dulciſſimi amici meminit. Erat enim ipſis, ut artificium commune, ita & animus concors, mensq; eadem. Nam & unà ſimul, cùm ſe Deo uouerunt, capillitium ſibi ſuccidi iuſſêre, pro more, qui ab omni ætate, apud omnes gentes, omniq; in religione inualuerat.

Aquila Põticus.
[b] *Act. 18.*

Aquila Põticus.

Alius fuit Aquila, Ponticus itidem, ac religione Hebræus, qui ſub Adriano Imperatore vixit, cui adeò

cui adeò charus fuit, vt eum reſtituendæ Hieroſolymæ operum conſtitueret præfectum. Hic cùm quotidiè Chriſtianorum numerũ augeri, Deumq; oſtenta & prodigia per eos edere cerneret, occulto ſtimulo quodam percitus, ſe Chriſtianis adiunxit, baptizariq; iuſſit. Erat autem Aſtrologiæ peritiſſimus, & genethliacis iudicijs aſſiduè intentus. Quo factum eſt, poſtquam Chriſtianorum religione fuiſſet imbutus, & priora ſtudia nollet deſerere, vt Chriſtiani Sacerdotes, qui eum poſt multas admonitiones ab aſtrologicæ diſciplinæ ſtudio deſiſtere nolle cernerent, hominem illum à cœtu ſacro ablegarent, & Eccleſia ejicerent, hac ſcilicet pœna irrogata emendatum eum iri exiſtimantes. Ille verò contra iracundia maiori accenſus ad Iudæorum ſacerdotes ſe contulit, ac per execrationem Chriſti ianiſmo eiurato, circumciſionem denuò recepit, & Proſelytus effectus eſt. Atque hac ipſa de cauſa linguam hebraicam breui edoctus, nouam quandam ex Hebræo in Græcum ſermonem interpretationem literarum ſacrarum inſtituit, & quædam etiam in Caldaicum vertit, teſtimonia de Chriſto prorſus obſcurare ac tegere ſummo ſtudio conatus. Deum autem cum Mane hæretico mendacem dixit. Nam vocem hanc Græcam, κατ' ἀντὸν, contra ipſum Deum ſic interpretabatur, propterea quòd Adamum Eua non multo poſt ad mandati diuini violationem impulerit, ideoq; facta ſit inſidiatrix, quę adiutrix appelletur. Hæc illius erat opinio, ſed ex D Cyrilli & Damaſceni interpretatione adiutrix Adami dicta eſt ad humani generis propagationem: Multa alia de Deo & præſertim de Chriſto Ieſu mentitus eſt, eaq; de cauſa à Iudæis cæteris omnibus interpretibus antepoſitus, vt notat [c] Diuus Auguſtinus. Hic Aquila creditur eſſe ille, qui & Onxelos D. Hieronimo vocatur.

Epiph. lib. de pond. & menſur.

[c] *Lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 23.*

Aquila præfectus Alexandriæ.

Fuit inſuper alius vir Aquilæ nomine Alexandriæ Aegypti præfectus teſte [d] Nicephoro, qui vixit ſub Heliogabalo, tempore eo, quo Origenes Alexandriæ florebat.

[d] *Lib. 5. Hiſtor. Eccl.*

Aquila Rhetor.

Fuit & Aquila Rhetor celebris, qui ſcripſit de luminibus illis orationis, quæ Schemata vocantur, teſte [e] Petro Victorio.

[e] *In Demet. Phalar.*

Aquila Põtius tribunus.

Pontij Aquilę nobilis tribuni meminit [f] Tranquillus, quem *vnum è collegio triumphanti, & ſubſellia tribunitia præteruehenti non aſſurrexiſſe ſibi adeò indignatus eſt Cæſar, vt proclamauerit; Repete ergo à me Aquila remp. tribunus: & nec deſtitit per continuos dies quicquam cuiquam, niſi ſub exceptione polliceri, Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.*

[f] *In C. Cæſare. c. 78.*

Aquila piſcis.

Aquilo.

Eſt & Aquila nomen piſcis ex genere planorum, quem & Græci Ἀετὸν appellant, cartilagineus, Paſtinacæ ſimilis, adeò vt aliqui eum ſecundam Paſtinacæ ſpeciem exiſtiment. Ariſtoteli notus & Romanis ſub nomine Aquilonis celebratus: Genuẽſibus peſce Ratto. Aquila ideò vocatur, quia veluti expanſis alis Aquilam imitatur: Peſce Ratto à cauda tenui, oblonga & murinæ ſimili.

Peſce ratto

Aquila lignum.

Aquila etiam lignum ſignificat, his qui hiſtoriam rerum Indicarum conſcripſerunt, nempe corticem ligni Aloes, Aluedi Campaa appellatum, quod quidam odoratum admodum in Iaponenſi regione naſci aſſerunt, quamuis Chinam id producere tradant eius hiſtoriographi. Huius vſum eſſe in ſuffumigijs, ſeu thymiamate ad Idolorum ſacrificia apud Barbaros propter gratum odorem, rerum Iaponicarum Liber V. teſtatur: Equidem crediderim eſſe verum Agallochum [g] Dioſcoridis, & Agalugin Arabum, ex quo barbari extrahentes ſuccum ad nos exuccum, aridumq; corticem tranſmittunt inſigni impoſtura.

Alue di Campaa.

Agallochũ

[g] *Li. 1. c. 21.*

Agalugin.

Aquila herba.

Aquila pręterea herba eſt Heſychio quę in Libya prouenit, item & Varino. [h] Galenus refert Pamphilum quendam in opere ſuo de herbis inſcripto, grammatico & magico potius, quàm medico Ἀετὸν, ideſt, Aquilam herbam inter alias recenſere, cuius nulla vſpiam apud Græcos mentio vnquàm facta legatur, præterquàm in libro quodam Hermæ Aegyptio attributo, cui titulus eſt, de triginta ſex ſacris horoſcoporũ herbis, quas clarũ eſt, nihil aliud, quam nugas veras ac deliramenta anilia eſſe ipſius Pamphili ſimilia à Ophionicis Conchlacis. Nec enim prorſum quiſpiam extitit Conchlax: ad riſum enim fictum nomen eſt, ſicuti pleraque alia in libro eius conſcripta. Nec triginta ſex herbæ illę vltra nomen ipſum quicquam ſunt, nec vlla ipſis res ſubiacet. Verùm Pamphilo, ſicuti & plerisq; alijs ocium fortaſſis ſupererat inutiles fabulas libris intexere: Hactenus Galenus. Hæc fortè fuerit Promethei herba dicta Apollonio, quam è ſanguine eius natam fingit: qui à iecinore, quo Aquila depaſcebatur, profluebat. Vnde & radix ſanguinolenta apparet, flore croceo cubitali vel cubitum à terra diſtante, caule gemino. Scholiaſtes poëtam hanc comminiſci ait, cùm à nullo rhyzotomo talem ſtirpem deſcribi comperiamus. Centaurij quidem maioris radicem ſucco manare ſanguineo apud veteres legimus, verùm huic reliqua deſcriptio minimè conuenit.

[h] *Lib. 6. Simpl.*

Hermę Aegyptij liber.

Promethei herba.

In Argonaut.

Centauriũ maius.

Aquila Aſtrum.

Alkair.

Aſtrum item eſſe Latinis Aquilæ nomine donatum Arabibus Alkair, omnes aſtrologiæ periti teſtantur. Eſt autem decima nona ſtellarum Septentrionalium imago, ſeu partitio. Stellis quatuor conſtat, quarum vna in capite eius conſtituta eſt, vt inquit [i] Hyginus, In vnaquaq; ala vnam,

[i] *Lib. 3. Aſtro.*

vnam, vnam item in pectore ſed obſcuram, in capite vnam, eamq; fulgentem admodum habet: Cœli multam partem occupat, dextra quidem ala extra circulum Aequinoctialem non multum prodit, ſiniſtra autem nõ lõgè à capite Ophiuchi figurata videtur. Roſtrum à reliquo corpore eius diuidit circulus ille, qui à Cãcro ad Capricornum peruenit: In duodecima Aquarij parte ſiniſtra oritur vnà cum Capricorno, occidit autem exorto Leone xiij. Cal. Auguſti, cuius [k] Plinius meminit; *coitus omnibus*, inquit, *pecoribus ad Arcturi occaſum*, ideſt, *à tertio idus Maias ad Aquilæ occaſum*. Aſtrologorum experientia tempeſtates ciet, Genethliacis verò (ſi his fides adhibenda ſit) fauſta ac felix eſt. In [l] Arati commentario legitur de Aquilæ die quod ſit in Italia ad xiij. Cal. Ianuarias, & quòd ſi puro & miti appareat aëre, lætas promittat futuras ſegetes. Nam tum genitalis lacteusq; ſuccus traſinittitur à lacteo circulo in terras. Si verò Luna illâ die roſcido frigore aſperſerit ſegetes, ægrè illas habituras ſignificatur, ſi verò fuerit interlunium, omnes hybernos fructus læſos iri. Porrò de hoc aſtro [m] Manilius ita canit:

[k] *Lib. 8. capit. 47.*
[l] *Capit. penult.*
[m] *Lib. 1. c. 4. & lib. 5. c. vnico.*

*Nunc Aquilæ ſidus referam, quæ parte ſiniſtra*
*Rorantis tuuenis, quem terris ſuſtulit, ipſa*
*Fertur, & extentis prædam circumuolat alis.*
*Fulmina miſſa refert, & cœlo militat ales,*
*Biſſextamq; notat partem fluuialis Aquari,*
*Illius in terris Orientis tempore natus*
*Ad ſpolia, & partas ſurget vel cæde rapinas.*

Sal ammoniacum. Mercurius. Sulphur. Arſenicũ. Aurum. Aquila lapis. Gryphus lapis.

Aquilæ nomine Chymicis multa veniunt, Paracelſus ſalem ammoniacũ ob leuitatem ſuam in ſublimationes, item & Mercurium præcipitatum, Aquilam vocat, Hortulanus idem quoq; nomen ſulphuri, arſenico, nec non & auro tribuit.

Lapis item eiſdem eſt Aquilæ nomine, verbi gratia cùm aquam Aquilæ, aquam lapidis eſſe dicant, qui huiuſmodi commenta vocibus tam obſcuris & inauditis inuoluunt, ne ſcilicet intelligantur pulchra ſua iſtæc myſteria, & certè hæc non intelligi multò ſatius eſt. Appellatur idem etiam lapis illis Gryphus non temere forſan, quòd non aliter ac hoc animal ſua rapacitate nocet, ita ille lapis cęteraq; omnia, quibus ad ſuam Chryſopœam vtuntur Chymici, pecunias ex loculis noſtris eripiant, noſq; ſæpius Codro, quod aiunt, pauperiores reddant. De hoc lapide [n] Auicennas ſeu potius Chymiſta quiſpiam.

[n] *Lib. de lapid. nomin.*

Aquila fluuius. Nilus.

Hoc idem Aquilæ nomen eſt cuidam fluuio Aegypti (præter Nilum, qui & ipſe à multis Aquila cognominatus fuit,) ob curſus velocitatem, ſeu rapiditatem, alueiq; profunditatem à Priſco rege quodam Aegyptio inditum: Hic enim cùm olim intima Aegyptij longè ac latè inundans totam regionem depopulatus eſſet. Itaque ab Hercule gnauo (vt fama eſt) contiuuò, obturata eſt eius eruptio, & in ſuum alueum concluſa. Quare Græci fabulati ſunt Herculem Aquilam occidiſſe; quæ Promethei iecur aſſiduè rediuiui deuoraret.

Fluuius Scythiæ.

Eodem nomine & Scythiæ quidam fluuius vocatur apud Herodotum, & Agretam, à quo quòd optimam atque intimam Scythiæ, cui imperabat Prometheus, partem deuaſtaret, locum datum volunt fabulæ, quod Promethei hepate veſceretur, idque Iouis iuſſu, quoniam imbres frequentes, eius impetum & amplitudinem augerent.

Fluuius in Eridanum influens.

Fluuium eiuſdem nominis eſſe, & in Eridanum defluere hiſtoria habet tripartita, de quo memorandam hanc refert hiſtoriam: *Maxentio Herculij filio perempto, Conſtantinoq; iam ſolo rerum potito, Eccleſiæ Chriſti efflorescere ac vigere in religione cœpêre, datumq; ijs iam licenter, & alacriter agere potiſſimum, qui circa Tyberim fluuium & Eridanum (quem Padum accolæ appellant) item circa Aquilam commorabantur. In hùc locum ſermo fertur aduectam nauigio Argo ad Tyrrhenum pelagus fuiſſe perductam. Argonautæ enim ventum validum declinantes, non eodem nauigio in regreſſione vſi ſunt, ſed tranſeuntes mare, quod ſuper Scythas eſt, per hæc flumina venerunt ad terminos Italorum, & hìc hyemantes condiderunt ciuitatem, quæ vocatur Amona. Æſtate verò ſuperueniente, cooperantibus eis prouincialibus ferè quadringenta ſtadia arte mechanica trahentes Argo per terram ad fluuium Aquilam deduxerunt, quì permiſcetur Eridano fauces habenti in Italicum mare.*

[o] *Lib. 1. capit. 7.*

Iſter fluuius.

Sozomenus, Zozimus & Caliſtus Iſtrum fluuium ἀκυλῶν Acylin vocãt, quorum interpretes, teſte ✻ Abrahamo Ortelio Aquilã & Aquilum fecêre. Iſter autem hic apud antiquiſſimos authores Iſtriæ fluuius eſt, alius ab Iſtro Germaniæ, vt Pomponius affirmat, qui addidit, eum ex aduerſo Padi oſtio in mare effluere, idq; ratione horum duorum fluminum aluei dulce exiſtere. Fluuius fabuloſus eſt etiam [p] Plinio teſte. Nec deſunt tamen, qui hunc eundem cum Plinij Nauporto putant, & hodie Quieto dici, ſed & hoc falſum.

✻ *In Teſauro Georg.*
[p] *Lib. 3. capit. 18.*

Cataloniæ oppidum.

Aquila oppidum eſt in regno Cataloniæ, propter quod cæſus fuit exercitus Ioſephi Eneſiris regis Morochi.

Abrutiorũ urbs.

Aquila ciuitas eſt Veſtinorum ſeu Abrutiorum, vbi olim Amiternum, quod & Turconium

Vola-

Volaterrano dicitur, fuit, natalibus C. Crispi Saluſtij Oratoris ac hiſtorici præclari inſignis. Reſtauratæ tempore Caroli primi Siciliæ regis, nomen Aquilæ impoſitum eſt ea occaſione, quòd qui vrbem ſtatuebant, eam inter vicinas caput elaturam haud aliter, quàm Aquila inter Aues ſperarent, vel quod magis eſt veriſimile, quòd Amiterno primo illius conditori nomen eſſet Aquilo; Meminit eius Baptiſta Mantuanus hoc verſu:

*Sfortia belligerans Aquilæ ſub mœnibus altis.*

Aquila ſeu ἄκυλα apud Ptolomeum Tuſciæ mediterranea vrbs eſt. Leander Acqua pendente vocat. Aquenſes forte Plinij, quos Taurinos cognominat, Ortelio authore. Tuſciæ vrbs.

Aquilæ etiam tres inſulæ ſunt in mari mediterraneo paulo ſupra littus Bethicæ. Inſulæ Aquilæ.

Video etiam pagum quendam prope Treuiros, Igle, ideſt, Aquilam indigete voce ab ea gente vocari, quo antequam Romani operis molem etiamnum licet conſpicere. Igle.

Aquila maior & minor Mauritaniæ Tingitanæ duo loca ſunt apud Antoninum. Mauritaniæ loca.

Item prædium in Phrygia apud Nicetam. Prædium Phrygiæ.

Ad Aquilas Atticæ locus eſt apud Pauſaniam. Ad Aquilas.

Locus item eſt ab Rauenna viceſimo miliari, vbi baſilica D. Chriſtophoro extructa viſitur, id nominis habens.

Eſt etiam mons Aquilæ nomen in comitatu Veldkirchij Germaniæ vrbis.

Eſt quoque machina bellica ſiue tormentum miſſile antiquis vſitatum. Machina bellica.

In carcerum Olympici certaminis embolo, ideſt roſtro, Delphis æreus in canone erectus viſitur, & in medio ara, quæ Aquilam ex ære alis longè extenſis ſuſtinet. Eſt autem machina huiuſmodi, vt ea commota Delphinus in terram cadat.

Aquila monetæ genus eſt Ferrarienſibus inde nuncupatum, quòd in ea Aquilæ alas expandentis effigies inſculpta ſit. Moneta.

Aquila inſuper, quòd Imperatorum militare inſigne eſſet, vt ſuo loco declarabitur, paſſim pro eo, & pro quauis legione accipitur. Signũ militare. Legio.

# SYNONYMA, EORVMQVE ETYMVM.

AQVILA Græcis ἀετὸς teſte Heſychio etiam dicitur τὸ κυμάτιον τὸ ἐν γείσοις, cymation in ſuggrundijs, forſitan quia id formam Aquilæ, vt poſtea ſuo loco dicemus, volantis habeat. Primùm ſi quid ominis eſt in vocabulis Græcis, vt certè eſt, aptè profectò Græcis ἀετὸς dicitur παρὰ τὸ ἀΐσσω: quod eſt propemodum rapior impetu, & concitus feror, Hoc volandi probat pernicitate, vt & Cælius notauit: vel παρὰ τὸ ἀεὶ ἐτεὸς εἶναι, quòd ſemper augurium Aquilæ ſoleat eſſe veridicum: Ἀϊετός communi lingua vocatur, Attici tamen aptius ἀετὸς ſine ι proferunt: legitur vtraque vox apud Ariſtotelem. Quamuis Orion ἀετὸν dici à verbo ἀΐσσω, ideſt, imperium facio, non impetum, quòd in cæteras Aues imperium habere videatur, exiſtimet. Alij ab α particula intendente, & dictionis ſignificatum augente, & nomine ἐτεὸς deriuari volunt, quoniam Ioui, qui allegoricè aërem denotat, ſacra eſt, eadem origine, qua & aër à verbo ἄω, ideſt ſpiro, deducitur. Cypriorum dialecto Ἄγορ teſte Heſychio, Ἴβινος Varino, Macedonum, Παραὸς, Pergæorum Ἄϊβετος, dicitur. Rurſus ijſdem Macedonibus Ἀργιόποος, item Ἀνγίπος; Ἄρξιφος Perſis; Καταῤῥάκτης Sophocli; Ἀκυλεὺς Heſychio voce forſan à Latina corrupta. Quibuſdam Ἄϊας, Homero Οἰωνὸς, vt & nonnullis alijs. Demum & Γδάτιον vocatam eſſe comperio: item & Ὄρνεον voce generica κατ' ἐξοχὴν, vt apud Plutarchum & Athenæum. Eodem modo Latini Auem Aquilam vocant. Aquila autem ijs dicitur, ab acutè videndo, vt Pompeius vult; Eſt enim tam exacti contuitus, ut ſuper mari immobili penna in eam altitudinem elata adeò, ut nec humanis pateat oculis, piſciculos tamen de ſublimi natare uideat, unde Aquila quaſi Acula nomen nacta uideri poſſit, quia triplici acumine uiſus, iræ & uenandi inſtrumentorum, roſtri ſcilicet, unguium, & oculorum, prædita eſt. Alij uerò ab Aquilo colore uocem hanc manare uolunt: Eſt enim Aquilus color fuſcus & ſubniger ab aqua denominatus, qualis eſt Aquilæ. Nuncupatur & Latinis paraphraſticè regia & regalis Ales, Iouis ales, flammigera Auis, regina Auium, alijſq; modis. Arabibus Alnẽſer, & Zumac, Hebraicè נשר neſer Alchal gagita & Aakeb. Pandectario Eſcos: Gallis Aigle, Anglis an Egle, & Arnt, vel Arent. Illyricis Ozel vel Orzis. Germanis, Heluetijſq; Ein Adler, quaſi Adelar, ac ſi nobilem Aquilam dicas, quod Chryſaëto maximè congruit. Hiſpanis Aguila conocida. Germanis inferioribus Arn & Arent, ut & antiquis Frãcis, vnde ipſorum Rex Arnhulphus ab Aquilæ auxilio nomen adeptus fuit Carlomani filius. Alijs etiam inferioribus Germanis Ein Aar, nempe Tungris. Hæc de Synonymis: Reſtat autem vt iam rem ipſam aggrediamur. Aquila Cymation dicta, & cur. Etymologia. Ἐτεός Aquila unde dicta. Iouis ales. Regina Auium.

FORMA

# FORMA ET DESCRIPTIO
## Aquilarum in genere.

ARDVVM atque difficile eſt, confuſum in ſuas partes ordine referre; ſed difficilius omnibus ſatisfacere: vtrunque pro viribus & ingenio præſtare conabimur. Nunc prima facie ſe oſtendit ſubiecti tractatio, illius quidem vniuerſalis, (cùm Aquila non vnicã tantum complectatur ſpeciẽ) ſub quo & Aquilas omnis generis exactè inquirimus. Earum tractationem vtpote naturæ ordine poſteriorem, generali ſermoni ſubnectere proponimus; vt non ſolùm vniuerſale à particularibus rectioris doctrinę gratia ſeiungamus; ſed etiam, vt illud hiſce iubente Philoſopho, & natura ipſa dictante præferamus. Auium quædam natura placidæ ſunt ac mites, quædam verò feræ, cultu tamen, arteq; cicurantur ac manſueſcunt. Aquila nec habilis eſt ad vllam diſciplinam, nec facile humano ſtudio domatur; tantum naturæ impetu præceps fertur. In deſcribenda eius forma in genere, neque colorem, neque magnitudinem determinatam adferre poſſumus, vterq; enim pro varietate ſpecierum in ſingulis diuerſus eſt; Illud tantum, quod commune erit omnibus hîc proſequemur.

Delineatio Aquilæ. Eſt Aquila omnis γρυπὸς, ideſt adunco roſtro, & recuruo vngue; Corpore cæteris Auibus collata, magno quidem, non tamen maximo, cùm à multis magnitudine vincatur, Carne dura, & oſſe firmo; Plumis rigidis: tota pene corporis compoſitione denſa, probè compacta, ac robuſta; figura, vt plurimùm erecta, ita vt vel ex ipſo habitu poſſis intelligere carniuoram eſſe Auem, quietis ac pacis inimicam, ſolitariam, ſylueſtrem, ad prædam ac pugnam natam.

Roſtrum. Capitis anterior pars porrecta paulatim arctatur, & terminatur in roſtrum, quod durum ſolidumq; eſt, ſed temporis tractu fit inutile, qua de re vbi de iuuentæ renouatione habebitur ſermo, plura ſumus dicturi. Creſcere idem vſque ad ſenectam mirum videri non debet, cùm ex genere ſit excrementorum, vnà cum vnguibus & pennis, quæ ſuperſtite animali continuo augentur incremento. Proprium verò maximè eſt Aquilę roſtrum habere admodum aduncum, adeò vt in prouerbium, abierit: Naſus Aquilinus, pro inſigniter adunco, quem generoſi animi ſpeciem præbere adulatoriè potius, quàm verè aſſeri vulgò, Plutarchus ſentit.

Naſus Aquilinus.

Oculi Aquilæ quales. Animoſi qui dicẽdi. Oculi vt plurimùm rubore viuido perfuſi ſunt, non glauci, ſed quales Leonum, charopi dicti, concaui, ac profundi; non admodum rotundi, nec nimium oblongi, magnitudine mediocres, ad reliquum verò corpus comparati, parui videntur: acutùm cernunt, limpidiſſimi enim ſunt & acres: Vnde Philoſophus, quibus oculi non glauci, ſed charopi ſint, animoſos haberi dicit, cõiectura quadam à ſimilitudine ad Leonem & Aquilam ducta, qui omnium animalium animoſiſſimi reputantur. Hanc verò, quam omnes & ſcriptis & verbis celebrant, admiranturq; viſus aciem, diligentiores rerum naturalium ſcrutatores, Haliæto tribuunt præcipuam, & quàm reliquis maiorem. Laudatiſſimis autem Aquilis oculi profundi & caui, in quibus vis videndi melius colligitur.

Dentes. Dentibus caret omnis Aquila, etiam Morphnos: cui quidam dentes falsò tribuunt, demunt linguam. Crediderim ego ſerratum intus roſtrum, minus propriè dentatum os exiſtimari & vocari.

Collum. Alæ. Collum habet longum, alas rectas & extenſas, ſed in ſummitate recuruas, neruoſas paucæq; carnis, tantæ magnitudinis vt eas [a] Homerus thalami ianuis compararit, vbi ait, Τόσσ' ὄρα τὰ ἑκάτερθεν ἔσαν πτέρα, hoc eſt tantæ eius ab vtraque parte erant alæ, videlicet quantæ ianuæ thalami, ſeu alæ iſtius Aquilæ magnitudine ſua fores thalami æquabant.

[a] *Iliad. ω.*

Crura. Pedes. Cauda. Crura præ corporis proportione, haud ita longa. Pedes minimè æquales; Dextrum nempe ſiniſtro maiorem; colore varios, à natura obtinuit. Cauda prædita eſt breui.

Cerebrum eiuſq; uis. Cerebrum ei obtigit caliginoſiſſimum, adeò vt in puluerem redactum, etiamſi Cicutæ ſucco permiſceatur, & cuipiam propinatum, calido uapore imbutis cerebri ventriculis imaginationem mirè concitet, imò vt & in maniam inducere, à quibuſdam credatur:

Fel. Fel cuiuſcunq; Aquilæ impendiò acre & mordax eſt, ad cor rodendi uim uſque: quamobrem colore uiſitur ærugineo [b] Galeno teſte, qui tamen, cùm de præſtantiſſima Aquilæ ſpecie loquatur, de Chryſaëto intelligendus uenit.

[b] *Lib. 4. de comp. med. ſecundum locos.*

Sanguis. Sanguinem habere craſſum, fibroſumq; ueriſimillimum eſt, cùm animal ſit magnanimum, ac robuſtum; Qualia omnia ſanguinem conſiſtentiâ ſpiſſum, ut timida tenuem ac dilutum poſſidere Philoſophi ſentiunt.

Oſſa. Oſſa craſſiſſima duriſſimaq; & ſolida pene ei natura dedit, quibus & medullæ ineſt minimum. Pennas habet, firmitate ac duritie inſigni, quæ (ut experientia multorum & authoritate didici) pennas aliarum Auium, præſertim uerò Anſerum & Columbarum permixtæ abſumunt, idque forſan ob latentem quandam, qua præditæ ſint, uim; Auis

Pennæ.

enim

enim ipsa, dum viuit, reliquis omnibus volucribus infesta est; itaque deriuari vim illam animalem in res quoque eius exanimes per sympathiæ contagionem non improbandum est: vt re[i] euentus docuit, etiam in interemptis, super quos patrator sceleris vel casu, vel ad testandam conscientiam adductus fuerit. Alij pestiferam quandam maleolentiæ vim aliti inesse deprehendêre, nam & animam ipsi pessimè olere certum est, propter quam contacta ab ea corpora facilè computrescant: Indicio esse reliquias eius hesternas, quæ neque ab ea ipsa, neq; ab alio quopiam animalium repetantur. Permeare verò eam contagionem in pennas, ita vt alienas iuxta se positas propemodum adurant, est probabile; itaque si telorum aliquod ex pennis ipsius alarum in pharetram immissum fuerit, hanc consumere cæteras pennas, plurimi tradunt. Aluus ei mollior est, quàm cæteris Auibus: cibus enim eius multò, quàm non rapacium, est humidior; Qua etiam de causa non bibit.

Halitus Aquilæ pestifer.

Pennarum Aquilæ cõtagiũ in alias pẽnas.

Aluus.

Cibus Aquilæ qualis.

Vngues, vt omnium rapacissima, pro mucronibus gerit aduncos, recuruos, firmos, Leonum unguibus non dissimiles, qui & ipsi aduncisunt. Cùm enim multa animalium genera, docente[g] Aristotele vngues, sed diuersos obtineant, (habent autem illa vngues quibus digiti sunt, his verò digiti sunt, quibus sunt & pedes, excepto Elephanto; huic enim digiti indiuisi, ac leuiter formati, neque vngues omnino sunt) erunt aut rectis vnguibus instructa, vt homo, aut aduncis, vt inter quadrupedes, Leo, inter volucres, Aquila & Accipiter. Quod ad corporis totius magnitudinem attinet, nihil vt dixi, determinatum adferre possumus, videmus tamen quasdam uisendæ adeò & magnæ proceritatis, vt incommodum sit eas in pugno gestare.[h] Athenæus scriptum reliquit 20. Aquilas cubitalis magnitudinis in pompa Ptolomæi Philadelphi delatas fuisse. Apud Ornithologum historia talis est, Inter Misenam & Bresam Germaniæ oppida, dum rustici pecora amissa quærerent, in nido ingenti super tres patulas quercus, quaquauersum tanto spatio expanso, vt quadrigę sub eo conuerti potuissent, pulli Aquilini tres spectandę magnitudinis inuẽti fuerunt. Horũ maximis alæ per transuersum extensæ septem vlnarũ mensuram æquarunt, vngues viri grandis & corpulenti digitis nihilo minores, crura Leoninis maiora erant. Verumenimuerò pro specierum diuersitate corporis earum quantitatem variari iam paulò ante monuimus, itaque cùm ad particularem de singulis tractationem ventum erit, accuratè & sigillatim exponemus. Temperiem seu crasim Aquilæ calidam, & siccam arguunt motus, ira, salacitas, ferocia & animositas, habitus corporis densus, anhelitus grauè olens, stercus denique tantæ acrimoniæ, vt nulli in Medicina vsui esse possit,[i] Galeno authore. Sanguine tamen abundant magis hæ, quæ frigidioribus nascuntur regionibus, quæ nempe ad Aquilonem vergunt.

Vngues Aquilæ quales.

[g] *3. Natur. Histor. c. 9.*

Magnitudo Aquilæ quæ.

[h] *Lib. 5. Dypnos.*

Aquilarum maximarũ historia.

Tẽperies.

Stercus quale.

[i] *Lib. 10. de simpl. med. facult.*

Robore magno, viribusq; corporis inter omnes Aues Aquilam validissimam esse, ex natura partium, constitutione instrumentorum, dispositione totius molis, ac temperatura, ipsa tãdem experiẽtia cognoscimus, authoritate probamus, iudicio fatemur. Non autem credat quis, cùm tanta corporis adsit moles, multum carnis possidere, vnde & grauior, & ignauior ad motum, vel hoc indicio existimari possit; Nam pondere carnis destituta Aquila neruorum robore abundè armatur, & quæ pauca caro est, pondus addit; neruus robur ac fortitudinem.

Fortitudo.

# DE AQVILÆ SENSIBVS, & primò de visu.

PRAECELLENS animal inter uolatilia, & omni admiratione dignum, sapiens natura fecit Aquilam; sed hoc parum esset *βασιλικὸν* si tantũ instructam aduncorostro, aduncisq; unguibus, & solo neruorum robore munitam finxisset; nisi additi fuissent oculi plusquam lyncei, & ad clarissimos solis radios inconniuẽtes & intrepidi. Qua de causa ob aciem luminum felix à[a] Seneca vocatur, & ipsam Aquilam inde nomen sortitam esse plerique uolunt. Et sanè exacta neruorum opticorum compagine, puritate & copia spirituum uisibiliũ, crystallini humoris soliditate & splendore Aquilarum oculos constructos esse, uero est admodum simile. Et quidquid Auerroes suis moliatur assertionibus, clarum est uisum Aquilæ esse perfectissimũ, cùm remotissima quęque exactè perspiciat. Hęc eminus uidendi uis, non ab imbecillitate seu defectu, ut ille contendit, sed ab instrumenti proficiscitur splendore & spirituum claritate & copia. Fit etiam quòd ab obiecti excessu minimè lędatur; non autem quòd differentias uisibilium exactissimè discernat; hoc enim iudicio uerius, quàm sensorio tribuitur. Vnde cùm à uiris doctis Aquila omnium animalium sensu uidendi prętantissima scribatur; non utiq; homini

Oculi plusquam lyncei Aquilis.

[a] *2. De beneficijs.*

Auerrois opinio refutatur de perspicacia Aquilarum.

Quomodo Aquila hominib. exactius uideat.

mini anteponitur diſcernendi ui, ſed ſenſorij ſoliditate, ac ſplendore. Homo quidem pro ſui magnitudine minimè procul uidet, uerùm uiſibilium differentias accuratiſſimè dignoſcit: ſyncerum enim purumq; habet oculum, in quo exigua quęq; apparet motio, ueluti in ueſte mundiſſima minima etiam macula clarè conſpicitur; Quemadmodum etiam tactu cęteris animalibus prępollet, quòd pro ſui corporis proportione cutem tactus organum, tenuiſſimam minimeq; corpulentam ſortitus ſit. Quare in aſpectabilium diagnoſi homo non ſolùm reliquas animanteis, ſed & ipſam Aquilam ſuperat, ob animę ſcilicet pręſtantiam; hæc uerò ob organi robur, & ſpirituum copiam, & nitorem, uiſu ualet; præſertim ad eminus proſpectandum. Ad quod etiam facit oculorum ſitus profundior, quem in Aquilis notant, qui harum bonitatem ac præſtantiam, oculorum alta cauitate metiuntur. Quandoquidem conſtipatius lumen habent, & radios obiectorum magis congregatos recipiunt. Quæ omnia efficiunt, ut non ſolùm citra noxam intẽta acie ſolem aſpiciat Aquila, uerumetiam ut uiſus eius ſolis lumine quodammodo perficiatur. Idem habemus ex [b] D. Auguſtino, cùm dicit: *Sol iſte, quo verè nihil inter viſibilia pulchrius inuenitur, noſtros fauciat & obtenebrat oculos, Aquilinos verò vegetat inſpectus.* His ipſis de cauſis Galenus, Plinius, & alij complures aciem noſtram, ſi cum Aquilina conferatur, debilem affirmarunt. Et [c] Baptiſta Mantuanus ſummam oculorum aciem exprimens, ait:

*——Vt intrantum noxas & nomina finxit*
*Diuino clarum ingenio, viſuq; potentem*
*Perſpicuo, cui non Aquilæ, quæ pignora ſoli*
*Obiciunt, non ſe valeant componere Lynces.*

Homo uiſibiliũ differentias acutiſſimèdignoſcit.

Tactu homo prę cæteris animalibus pollet.

[b] *Lib. 2. de morib. Manich. c. 250.*

[c] *Lib. 2. Alphonſi.*

Eſt enim tanti contuitus Aquila, ut cùm ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos etiam minutos natare uideat. In eandem ſententiam Aurelius Auguſtinus. *Oculus* (inquit) *Aquilæ multò quàm noſter eſt breuior, eo tamen ipſa ſublimè ita volans, vt à nobis tanta luce difficilè cernatur, latentem ſub frutice Lepuſculum, ſub fluctibus nantem piſciculum uidere comperta eſt.* Quam rem grauiſſimo ſacræ paginę teſtimonio ſi confirmauerimus, facilius quiuis inducetur, ut credat. [d] D. Iobi enim iſtęc ſunt uerba. *Aquila de rupibus contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt.* [e] Homerus autem, cuius minimè uulgaris eſt authoritas, pulcherrimè idem uerſibus expreſſit qui latinè redditi ſic ſonant, uerbo ad uerbum reddito: *Vndiq; circumſpiciens vt Aquila, quam quidem dicunt acutiſſimè cernere inter cæli volucres, quam etiam in alto exiſtentem non celer pedibus latuit Lepus ſub frutice vmbroſo recubans.* Apud [f] Plutarchum carmen ita latinitate donatum reperitur:

*Illa etiam ſublime volans, cæloq; propinquans,*
*Velocem pedibus Leporem videt eminus, atque*
*Arripit, &c.*

Maxima Aquilarum perſpicacia.

[d] *Cap. 9. & 37.*

[e] *Lib. 17. Iliad. verſ. 675.*

[f] *Lib. de Homero.*

Eodem accedit [g] Horatius, dicens,

*Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,*
*Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm*
*Quàm aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius?*

[g] *Lib. 1. ſermon. ſat. 3.*

Verùm inſigne illud Aquilæ viſus acumen, vel ex eo maximè æſtimare debemus, quòd ipſa à natura ſeipſam, ſuasq; dotes agnoſcere edocta, in exploranda prole à viſu indubitatum argumentum ſumit. Cùm enim ipſa contra ſolis radios obtutum nòn flectere feratur, & ſola contra rotantis iubaris ſplendorem immotam tenere aciem, itaque pullos ſuos ſuſpenſos vngue ſolis radijs obijcit, & quos viderit immobilem contra firmare pupillam, vt dignos ſuo genere conſeruat; quos verò flectere obtutum videt, quaſi degeneres abijcit, & hac quidem ratione, vt Silius Italicus ait:

*Phœbæa dubios explorat lampade fœtus.*

Vnde rectè viri perſpicaces & docti Aquilis: indocti ac cæci Noctuę prouerbialiter comparantur. Martialis: *Aquilasq; ſimiles facere Noctuis quæris?* Nec audiendus eſt ille magnus alioqui ſubtilitatũ indagator, aſſerens Aquilam aduerſus Lunæ fulgorẽ, cùm plena eſt, nictare: Nã omnibus clarum eſt, Aquilam inter Aues diurnas cenſeri, ac re vera eſſe: Quæ verò diurnæ ſunt, noctu quieſcant, neceſſe eſt: & quidem maximè rapaces, quæ victum labore ac corporis motu ſibi quęrunt ſub ſole, vt è contrario nocturnæ, nunquam vel rariſſimè interdiu videntur; Non eſt ergo exiſtimandũ, vt mea fert opinio, in tale diſcrimen à natura vocari Aquilam, vt viſum probet contra lunæ fulgorem, cùm illum in Phœbæos radios lucidiſſimos & acutiſſimos figat intrepidè. Imò ſenio hebetatum oculorum lumen ſolari lumine emendat, vti latius exponetur cùm ad locum de affectibus Aquilæ ventum erit. De Aquila itaq; hęc [h] Hetruſcorum poëtarum principis verba ſunt accipienda:

Aquila an aduerſus lunæ fulgorem nictet.

[h] *Petr. ſonet. 18.*

*Son animali al mondo di sì altera*
*Vista, che contra il Sol pur ſi defende.*

DE ODO-

# DE ODORATV, GVSTV reliquiſque Aquilæ ſenſibus externis.

QVILA iuxta, ac Vultures odore percipere dicuntur à Philoſophis cadauera remotiſſima, atque etiam tranſmarina, ad quorum eſcam aggregantur: quod & [a] D. Hieronymus attingit ad illum locum: *Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* Adijciunt alij eam cadauera diſſita fere miliaribus quingentis odore perſequi. Quamuis id non de omni in vniuerſum Aquila intelligi velim. Cadauera enim reliquæ non conſectantur, ſed Gypaëtos, ideſt, Vulturina Aquila inde dicta, cui & Hypaëto, ideſt, Subaquilæ, tanquam degeneri eadem de cauſa nomen inditum eſt: Neque enim alioqui [b] Ariſtoteli aſſentiremus, qui ſolum Gypaëtum ex Aquilis, cadaueribus ueſci ſcribit. Quoad guſtum, non tantum carniuora, ſed & multiuora dicitur eſſe. Quadrupedes, Aues, Piſces, Serpentes, Inſecta, & Glandes, & ſi perrarò, comedit; placẽtas quin etiam, & mellita pulmenta vorare perhibetur. ſed plura, vbi de uictu Aquilarum agemus. Reliquos ſenſus, auditum nempe & tactum, eidẽ minimè denegamus, cùm hi animali omni perfecto, ſola Talpa excepta, omnes adſint. Aquilam uerò animal perfectum eſſe, utpote quæ notis quatuor moueatur, ſitq; ſanguinea, nulli dubium eſt, qui [c] Ariſtotelem legerit.

[a] *In Comm. Matth. capit. 24.*

Gypaëtos dicitur Hypaëtos, & cur.

[b] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 32.*

Gypaëtos ſolus ueſcitur cadaueribus.

Aquila carniuora, & multiuora eſt.

[c] *De inceſſu animal. & de natura corundẽ.*

## SEXVS.

QVOD ad ſexum attinet, huius differentijs nomina peculiaria non ſunt poſita, ſed Aquilæ nomine, cùm mas, tùm fœmina ſine diſcrimine Grammaticis intelligenda uenit. Quod etiam Iureconſultorum Coryphæus [a] Baldus confirmat, cui ſubſcribit Bartholomæus Cæpola [b]. Reuera Aquilæ inter ſe diſcrimen habẽt ſexus, cuius natura certiſſimum in omnibus animalibus perfectis ſtatuit indicium; penem ſcilicet in mare & teſtes, uterum uerò in fœminis; quòd non ſolum in plurimis obſeruauimus Auibus, quas diſſecuimus, uerùm & in ſerpẽtibus: imò binum in uipera mare penem, & in fœmina duplex vuluæ orificium, facta à celeberrimo noſtri temporis anatomico D. Gaſparo Taliacotio earum anatome conſpeximus. Accipitris quoque id genus, quod eam ob rem Triorchis appellatum fuit, tribus à natura donatum ſcimus teſticulis, quamuis quibuſdam aliter uiſum ſit. De quibus ſingulis ſuo loco latius. Externis quoque notis quibuſdam ſexum Aquilarum deprehendere inde docemur, quòd fœminæ omnes in genere rapacium corporis mole maiores, pulchrioresq;, at ingenio ferociores minusq; tractabiles eſſe videamus; Contra mares, & minores, & manſuetiores.

[a] *l. quicũq;. 2. col. in verbo. Item nomine uniuerſitatis. C. de ſerv. fug.*

[b] *l. 1. penul. col. ff. de verbor. ſign.*

# SEDES, LOCVS.

MONTIVM vertices editiſſimos quoſque, & conſpicuos incolunt Aquilæ, ſiue cùm à venatu ad quietem ſe recipiunt, ſiue vbi ſoboli nidos parant. Rarò ſanè ad campos relictis rupibus deſcendunt, ſed vt plurimùm è ſpeculis hiſce ſuis, vti teſtatur Oppianus, cælum proſpectant. Verùm non in petris ſolùm, ſed & in arboribus, præſertim admodum celſis, ſi [a] Ariſtoteli, ac [b] Plinio credimus, vitam agunt. Denique loca ardua, aſpera, & inacceſſa habitant, quod [c] D. Iob etiam docet, cùm ait: *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Idem [d] Propheta Hieremias innuit, dicens. *Si eleuaueris vt Aquila nidum tuum, inde detraham te.* Solerter admodum hoc faciunt, quo nempe, vt affirmat [e] Philoſophus, ab animalium cæterorum inſidijs tutę degant, neve ſerpens aut aliud animal noxium veneno aut ſtrage prolem enecet, atque ne corporis mole ſublimem aëra ſubiturę impediantur, cùm difficulter à terra tollantur: præterea ne cum alijs Auibus rapacibus quid commune habeant, prout ſylueſtris ac ſolitaria feraq; earum natura eſt: Ab omnibus enim hominum ędificijs, atque ab aliorum Auium rapacium nidis ſemota procul affectant loca, cùm quò (vt diximus) pulli extra omnem periculi metum degant, tùm ne ob loci propinquitatem cum alijs de præda contendendum ſit, multæq; mutuæ ſuſtinendæ moleſtiæ. Iſtud cunctis Aquilarum ſpeciebus conuenit, præterquam Hinnulariæ, quæ Pygargos dicitur, & Morphno: illa enim in planis, oppidis, & campis, lucisq; commoratur, vt eſcæ propriæ vicinior ſit, quæ tamen quandoque montes & altiora ſuis freta viribus conſcendit: huic verò vita circa ſtagna eſt & lacus, aquaticas nempe appetenti Aues. Fugere tamen ſcribitur Aquila quæcunque ſaxa, cùm quia ſua duritie vngues hebetant, tùm quia horum curuitate non facile loca lęuia amplectitur, & gradum figit. Hoc tamen his, quæ ſupra allata ſunt, aut etiam rationi aduerſari minimè putandum eſt; Nam vt eminentiſſimis præcipitibusq; locis, quæ non ſemper, vt plurimum tamen petroſa ſunt, ſedem figere, nidumq; collocare dicamus, non tamen ideo neceſſe eſt eam huc illuc diuagari, & ſumma ſaxorum pedibus obire. Cauet enim maximoperè, ne vngues iniuriam patiantur, quorum magna conſeruandorum cura tenetur, vt fuſius ſuo loco dicemus. Magnum loci ambitum tenet vnum par Aquilarum, vt ampliori ad prædandum tractu occupato facilius ſatientur, neque vllo pacto vicinas patiuntur; determinant ergo ſpacia, nec in proximo prędantur nidis loco, ſed diſtanti admodum, vt [f] Ariſtoteli & Plinio placet: Quod quidem non temere facere videtur, vt ita minus nidum prodant, & prędam, quæ in propinquo capi poſſet, ad vſum maiorem, vrgente neceſſitate reſeruent, cùm illa ſemper, vbi lubet, potiri poſſint. Remotiores verò eſſe volunt, ne aut citius fuga euadere venatum earum, aut ab alijs rapacibus comprehenſa facile queat præripi. Aelianus cauſam eſſe ſcribit, ne ex mutua loci propinquitate inopes prędæ pereant. Inſulas non habitant, paruas præſertim, cùm hæ neque montes excelſos, neque animalia in quæ rapacitatem exercere, ſuamq; voracitatem explere queant, habeant. In inſula Rhodo idcirco nunquam alioqui conſpecta. Tiberio in ea agente ante paucos, quàm Romam reuocaretur dies, vt narrat [g] Suetonius, in culmine domus eius Aquila aſſedit, quod portenti loco acceptum fuit. Et [h] Strabo ſcribit hoc locis prope Mæotidem paludem peculiare eſſe, ne Aquilam gignant. Earum verò regionum, magnos potiſſimùm montes incolit, quæ animalibus abundant, ibiq; vbi cibi copia abundè ſuppetit, frequens viſitur. Quare cùm regiones Septentrionales, ut Polonia, Britannia, Suecia, Dania, & his finitimæ, Ruſſia, Boruſſia, Lituania, Liuonia, Auibus aquaticis, quæ ad volatum, adeoq; ad effugium tardiores ſunt, & Agnis, qui quia carnoſiores ſunt eſcam largiorem præbent, (in his enim ob cęlum frigidius corpora ſucculentiora, & obeſiora ſunt,) refertæ ſint; fit vt hiſce in locis Aquilæ plerumque eximiæ ſint magnitudinis, ſummæ rapacitatis ac ferocię; Quanquam in alijs regionibus pro corporis proportione, ac (vt aiunt) cæteris paribus, uigore, audacia ac feritate haud inferiores poſſint uideri. Peruanum Americæ regnum, vt [i] Franciſcus Lopez refert Aquilis abundat, quæ coloribus varijs & pennis lucidiſſimis ornatæ ſunt. In Tauro quoque & Caucaſo frequentes reperiuntur, raræ verò aut planè nullę in Scythia extrema & parte Sarmatię ob aëris inclementiam. Hiſce adijcitur quòd Aquila, quoad viuit, neque nidum, neq; locum mutet, ſed uno quoque anno ad eundem reuertatur. Atqui hinc obſeruatum eſt eam diu viuere, quaſi connatus aër, atq; cęlum domeſticum ad vitam prorogādam etiam Aquilis, quę ſponte & ſuapte natura benè conſtitutę ſunt, non minimum conferat. Teſtatur [k] Ariſtoteles *diuturnitate eiuſdem nidi vinacitatem declarari*, quod, niſi idem perpetuò ei nidus eſſet, minimè verum eſſet dicere.

[a] *Lib. 9. c. 32. de nat. anim.*
[b] *Lib. 10. cap. 3.*
[c] *Cap. 39.*
[d] *Cap. 49.*
[e] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.*
[f] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 32.*
[g] *In Tyberio. c. 14.*
[h] *Lib. 7. Geograph.*
[i] *Parte 2. hiſt. Ind.*
[k] *9. Hiſtor. cap. 32.*

Aquila procul ab hominibus & alijs Auibus habitat.

In Septentrionalibus regionibus Aquilę grādiores sūt & ferociores.

In Peruano regno Aquilę uariæ ſunt colore.

Aquila neque nidum neque locū mutat.

VOLA-

# VOLATVS.

DIXIMVS, cùm de corporis, partiumq; habitu ageremus, alas Aquilis neruosas,& maximè densas ac firmas esse, ne ab re statuere videremur,quòd nullo labore & exiguo tempore magna itineris spatia dimetiantur, & volatu sint quàm velocissimo. Adhæc pennas nactæ sunt valde densas,& corpus,si id illis compares,admodum exiguum. Quare tam sublimes feruntur,vt cæteras Aues omnes, atque eas potissimùm, quæ corporis mole & pennarum raritate in altum se efferre non possunt, sub se despiciant: despiciunt autem eas industria naturali spontaneoq; motu, ac tum præsertim cùm prædæ inhiant, nempe, vt quàm maximè procul, iuxta Philosophi[a] opinionẽ,eam aspiciant.Vti pulcherrimè describit[b] Apuleius his verbis: *Cùm nubium tenus sese Aquila extulit, nutu clementi leuorsum vel dextrorsum tanta mole corporis labitur, velificatas alas,quo libuit, aduertens modico caudæ gubernaculo, inde cuncta despiciens,ibidem pennarum eminus indefessa remigia, ac pauliſper contabundo volatu pene eodem loco pendula circumtuetur, & quærit, quorsus potissimùm in prædam supernè sese ruat fulminis vice.* Quam rem allatis aliquot tùm è sacris, tùm è prophanis literis,testimonijs confirmare libet: [c] Salomon in Prouerbijs:*Opes* (inquit) *faciunt sibi pennas quasi Aquilæ; & volabunt in cœlum.* [d] Habacuch. *Venient equites eius à longinquo, & ad volabunt vt Aquila festinans ad comedendum.* Eandem velocitatem istæ quas ponemus, comparationes, declarant. Prima est ex [e] Deuteronomio: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo,in similitudinem Aquilæ volantis cum impetu.* [f] Item: *Aquilis velociores, Leonibus fortiores Saul & Ionathas*; Hinc est, vt ad prophanos transeamus, quod eam [g] Homerus, cæteris Auibus sublimia petendi facultate præualere ostendere volens,per antonomasiam Αἰετὸν ὑψιπέτην, & ὑπερμενέτην, ideſt altiuolantem vocat,& πετεηνὸν, ideſt volucrem κατ' ἐξοχὴν. [h] Item vbi Achillem ei comparat: *Aquilæ* (inquit) *impetum habens nigræ venatricis, quæ simul fortissimaq; celerrimaq; altum est.* Pindarus Aquilam velocem appellat inter uolatilia. Homericum Aquilæ epitheton * Lucretius hoc versu repetijt:

*Hîc neque tum solis rota cerni lumine largo*
*Altiuolans poterat.*

Vtriusque dictionem vnicam * Vergilius duabus expressit:

*Vtque uolans altè, raptum cùm fulua Draconem*
*Fert Aquila, &c.*

Minus mirandum videbitur, quod eam sese nostris obtutibus eripere altissimo suo volatu tradunt, quando,vt * Oppianus canit:

*—— Aquila æthereas pennis pernicibus auras*
*Sulcans æquarit sola.*

Et Ludouicus[i] Arioſtus, vt Gryphi celeritatem in uolando exprimeret, ipsum Aquilam & Falconem superare dicebat:

*A uso facea andar di Palafreno*
*L'Ippogrifo per l'aria à sì gran corso,*
*Che l'Aquila, e il Falcon vola assai meno.*

Ex alto eam cæteras Aues adoriri [k] Virgiliana probant hæc carmina:

*Aspice bis senos lætantes agmine Cycnos*
*Aetherea quos lapsa plaga Iouis ales, aperto*
*Turbabat cælo &c.*

Ad eundem ferè sensum[l] Cicero: *Ad interpretem*, inquit, *detulit, Aquilam se in somnis visum esse factum. At ille, vicisti. Ista enim Aui volat nulla vehementior. Huic equidem Antipho. Baro (inquit) victum te esse non vides? ista enim Auis insectans alias Aues & agitans, semper ipsa postrema est.* Illud sanè peculiare, & eximium Aquilæ inter volandum alarum robur liquidò ostendit, quòd ipsa sola inter Aues recta via, non obliquò,vt cæteræ, sursum feratur, deorsum item vnico impetu instar iaculi descendens sese præcipitet,neque hinc vel inde inclinata. Pindarus,qui in laudibus Aquilæ canendis multus fuit,vt ipsarum mirabilem pernicitatem innueret, fabulam commentus est, qua refert Iouem, cùm vellet maximè mediam habitabilis orbis partem certa mensura deprehendere,duas pari velocitate Aquilas, vnam ab Oriente,alteram ab Occidente emisisse; Illas verò vtrinque pari pernicitatis contentione vsas conuenisse Delphos, seu Pythonem, cui loco idcirco Omphalo seu vmbilico nomen sit. Itaq; in rei memoriam Aquilas aureas in templo Apollinis binas cõsecrasse, quæ postea bello Phocico sublatæ sint. * Idem Dei potentiam, quem nulla quantumuis maxima remorentur interualla, exprimere volens, Aquilæ comparatione vtitur *Deus* (inquiens) *qui & alatam Aquilam assequitur, & marinum præuertit Delphina.*

[a] *Hist. lib. 9 cap. 22.*
[b] *Floridis lib. 1.*
[c] *Prou. 23.*
[d] *Habac. 1.*
[e] *Deut. 28.*
[f] *2. Regum cap. 1.*
[g] *Iliad. O.*
[h] *Iliad. Φ.*
* *De rer. nat. lib. 5.*
* *Lib. 11. Aen.*
* *Lib. 1. de Venat.*
[i] *Cant. 33. stan. 96.*
[k] *Aencid. 1*
[l] *Lib. 2. de Diuinat.*

Aquilę mira inuolatu pernicitas.

Omphalus seu Vmbilicus Delphi dicti, & cur.

* *Pythior. Ode. 2.*

[m] *In Nemeis.* Hic ſe tanquam ardua petentem, Aquilam vocat, [m] at Bachilidem æmulum humi reptantem Gracculum: videlicet, quòd illum tanto vinceret carminibus interuallo, quanto cœlum à terra diſtat. Homerus ſublimipetę Auis velocitatem, cum ſumma viſus excellentia coniunctam ex eo probat, quòd ipſa in ſublimi conſtituta, maximoq; diſiuncta ſpatio, animal paruum, idq; velociſſimum, & videt & capit, multas dotes ſimul vno verſu complectens, quem Plutarch. citat:

*Illa etiam ſublimè volans, cæloq; propinquans*
*Velocem pedibus Leporem videt eminus, atque*
*Arripit*, &c.

Huc faciunt Adagia, quæ hinc manarunt, eodem celebrata ſenſu. Ἀετὸς ἐν νεφέλαις, ideſt *Aquila in nubibus:* quòd de re magna, quàm non facilè aſſequaris, plerique interpretati ſunt, ad diſtantiam referentes; Alij de ijs qui longè reliquos antecedunt, & ad virtutem reſpiciunt. Vnde apud [n] Ariſtophanem:

[n] *In Equitibus.*

——Ὥ περ ἥδομαι,
Ὡς ἐν νεφέλῃσιν ἀετὸς γενήσομαι, ideſt,
——*Gaudeo iſthoc nomine,*
*Quòd Aquila fiam in nubibus.*

Verba ſunt populi Athenienſis promittentis ſibi fore, vt orbi vniuerſo imperet, tãtoq; interuallo reliquas antecellat vrbes, quanto Aquila in nubibus reliquis uolatilibus eſſet ſublimior. Item illud: *Aquilam volare doces.* Ἀετὸν ἵπτασθαι διδάσκεις; in hos, qui monere quempiam conantur in ea re, in qua ipſe ſit exercitatiſſimus & feliciſſimus. At uerò tempore generationis, incubatus, ac pullorum nutricationis minus ualet pernicitate, atque ui uolandi; ita ut nec eam, quam aſſiduè ſolent, aſſequantur prædam. Volatus quoque ſicuti, & quietis tempus proprium illis eſſe ab ipſo Philoſopho aceepimus, cui Plinius aſtipulatur. Nam ab meridie operantur & uolant, prioribus uerò horis diei ſeu mane, donec impleantur hominum conuentu fora, prandendiq; iam inſtet hora, ignauę ſedent. Inſuper diuerſum ab alijs Auibus uolatum, dum prædę intenta eſt, exercet Aquila, eum tonicum uocant, qui ſublimipetis tantum competit, cæterisq; ſarcophagis. Eſt autem motus tonicus firma quædam & ſtabilis motio, qua mouens ſumma contentione, ac niſu potius in loco manens, quàm ab eo diſcedẽs mouetur: fitq; ut medicis placet, muſculis ſimul contractis, & membrum quaſi immotum conſeruãtibus, dictus quidem tonicus ἀπὸ τοῦ τόνου quod eſt firmum, quoniam uolatuum atq; motuum is habetur firmiſſimus, ut cui magna ſit opus ui, ac neruis ad illum ſuſtinendum, nempe dum eiuſmodi Aues ſeſe in aẽrem altiſſimè attollentes paſſis licet alis, tamen immotæ manent, adeoq; aduerſo uento & proprio corporis ponderi reſiſtunt, ut neque hoc ipſo premente ferantur deorſum, neq; illo etiam huc atque illuc impellente loco dimoueantur.

Volatus tẽpus propriũ Aquilæ.

Motus tonicus in Auibus qualis ſit.

# DE INGENIO SEV MORIBVS Aquilæ.

Animaliũ differentię penes eorũ ingenia.

INGENIVM eſt uis quædam naturalis, uel naturæ cuique ingenita, quæ Græcè dicitur εὐφυΐα, ſecundum quam ſic uel aliter animalia affecta eſſe dicimus, ſpectatq; ad partẽ animæ irraſcibilem. Hoc in ſingulis admodũ differens cernitur. Nam alia mitia, remiſſa ac minimè peruicacia ſunt, ut Boues: alia animoſa, peruicacia, bruta omnino, ut Sues ſylueſtres: alia ingenioſa, ac timida, ut Cerui, Lepores, Cuniculi: alia illiberalia, perfida, inſidioſa, ut Serpentes: alia liberalia, fortia, & generoſa, ut Leones: alia ferocia, inſidioſa, ut Lupi: alia aſtuta, malitioſa, ut Vulpes: alia animoſa, blanda, & obſequioſa, ut Canes: alia mitia & manſuetudini addicta, ut Elephantes: alia uerecunda, & cauta, ut Anſeres: alia inuida ac ornatus & politurę ſtudioſa, ut Pauones. Quod [a] Lucretius aſtruit inquiens:

[a] *Lib. 6. de rer. nat.*

*Quippe etenim varij ſenſus animantibus inſunt,*
*Quarum quæq; ſuam propriè rem percipit in ſe.*

[b] *Ethicor. lib. 3. c. 5.* Alibi [b] Ariſtoteles ingenium deſcribit uim quandam certã, qua ea perficere aut adipiſci poſſit quiſpiam, quæ ad propoſitum pertinent. Sanè non priore ſolùm ratione animantes ingeniũ ſuum quaſque habere proprium, ſed & hac poſterius allata ingenioſas eſſe quaſdam, & ſolertes uerum eſt aſſerere, etiamſi hæc homini magis propriè, & excellentius competere minimè negandum ſit. Veruntamen non ſolùm huius, ſed & diſciplinæ, eruditionisq; complures animanteis commune aliquid habere [c] Ariſtoteles docet, & ratio, experientiaq; confirmant. Alia

[c] *Lib. 9. hiſtor. anim. cap. 1.*

enim

enim uicissim inter se, alia ab homine prolatas, (quæ scilicet auditu non carent) non modo strependi, sed & significandi differentias possunt dignoscere. Et certè nisi his ingenium esset, & docilitas, non uocum formulas, non tempus respondendi addiscerent; non motus compositos; non uocem altoris & domini, non sibila, non nutus cognoscerent, non omnia quæ cultura atq; cicuratione blanditijsq; addocentur. Atque hoc quidem pacto alijs magis, alijs minus ingenij adesse pro totius corporis temperie, organorumq; dispositione putandum est: Adeò ut [d] Philosophus ita scribat: *Omnino ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ similitudinem, magisq; in minori genere, quàm maiori videris intelligentiæ rationem.* Sed non est existimandum hominis ingenium cum brutorum ingenio unitate speciei idem esse, aut uniuocè de utroq; dici, uerùm his inest tantummodo per analogiam quandam, ea parte qua disciplinæ capaces sunt: Dissimile autem est inuentionis munere. Præterea etsi animal omne meminisse possit, reminisci solius est hominis. Imperfectius quinetiam, multoq; debilius brutis adest ingenium, quippe quod patientis solum rationem obtineat: homini uerò nobilius, quod & agendi & patiendi munus subeat, disciplina, inuentione & iudicio.

[d] *Hist. c. 7. lib. 9.*

Ingenium Per Analogiam quale sit.

Quòd cùm ita sit: ut ad Aquilam nostram ueniamus, hanc non solùm communi illo omnibus animantibus modo, ingenium peculiare, animæq; mores congenitos, quibus à cæteris plurimùm discrepet, habere fatendum est, præsertim cùm uehementissimorum, maximeq; diuersorum affectuum in ea conspiciamus effectus, iuxta quos non solùm generosam Aquilam, magnanimam, fortem, temperantem, feram, syluestrem uocamus: uerùmetiam illo altero modo ingeniosam, miraq; solertia ac sagacitate, si quę alia, prędităm: Imò astu, industriaq; sibi à natura indita (cuius instinctum ductumq;, ut cæterę omnes ratione destituta sequitur) hanc multis atque adeò pro maiori parte, animantibus præcellere meritò affirmare possumus. Cui sententiæ nostræ [e] Philosophus clarissimis uerbis astipulatur, ubi tradit: optimè constare ea animalia, quæ calidum, tenuem & sincerum sanguinem habent, quippe quæ unà & uiribus corporis & ingenio plurimum ualeant. Aquilam uerò, cùm supra calidę, sicceq; temperaturę fuerit declarata; sanguine bilioso, ac propterea minimè crasso, feruido defęcatoq; esse, nemo iuerit inficias. Ex quibus eam ingenio cæteris prestare consecutione syllogistica colligimus. Cuius plurima ac diuersissima specimina, euidentissimaq; postea sigillatim recensebimus. Profectò esset eadem forsan aliquanto minus noxia, nisi (ut ferrum per se nocens ueneno tinctum magis noxium euadit) ad arma dotesq; corporis astus accederet ingenij. Calliditas enim & uafricies in potente, & uice uersa, potentia in homine docto, at malo; est tanquam gladius in manu furiosi; ut contra homini opulento, at stolido & rerum ignaro; opes ac potentia idem sunt, quod annulus aureus in rostro Suis humum effossurę, uelluisq; aureum Oui natature; Obsunt enim potius, quàm prosint. Imò uerò, quod uiribus minus est concessum, hisq; deficit, sępenumerò astu supplet; Inferior alioquin futura esset Aquila, nisi Vulpinã pellem adderet, ut cùm Ceruos, ac etiam Tauros aggreditur. Sic ut raptas Testudines frangãt è sublimi iaciendo ingenium [f] Aquilis esse testatur [f] Plinius, uti latius suo loco declarabimus. De singulis autem quę ad Aquilę ingenium spectant, aut eius naturę peculiaria sunt, dicturi, primùm, num docilis etiam sit, consideremus. Inde enim uel maximè ingenij uis elucebit.

Aquila duplici præstat ingenij significatione.

[e] *Lib. 2. de part. cap. 2.* Effectus calidi tenuis & sinceri sanguinis.

[f] *Lib. 10. cap. 3.*

## DOCILITAS.

SVAPTE quidem natura Aquila ingenium suum varijs commonstrat exemplis, cùm tamen naturæ sit feræ, syluestris, ac solitariæ. Nam infirmis adhuc alis iuxta parentes volitat, ijsque magistris ad uolatum se exercet, cùm verò efferre se potest, parentes anteuertit, præsertim cùm prædæ auidos esse, & ob nidorem humi uolitare sentit. Ingenio est minus tractabili, difficiliq; admodum ad parendum humanæ institutioni. Nihilominus tamen, etiamsi hoc docilitati Aquilæ haud parum deroget, non tamen eam penitus abrogat, cùm ex sententia multorum, & experimentis, prima & tenera etiamnum ætate cicurari possit, cùm nimirum adhuc pullus nido eximitur, nec in feritate sua confirmata adoleuerit; solent enim audacia innata, ac feritas vnà cum ætate nobis simul accrescere. *Fœminæ quoque,* [a] Arist. teste, *moribus mollioribus, mitescunt celerius, & malum facilius patiuntur. Discunt etiam, imitanturq; ingenioſius, minus quàm mares animoſæ.* In quibusdam regionibus citius ac faciliori opera mitescunt, obtinent namque loca ac plagæ quandam varietatem naturæ, qua ingenia quoque fiunt dissimilia. Imò verò nullius animalis feritas aut ferocia tanta tamvè indomita est, quæ non humana ratione, arteq; & longo vsu paulatim domari ac cicurari queat. Nam, vt ait ille:

[a] *Lib. 9. Hist. c. 1.*

*Longa*

*Longa dies homini docuit parere Leones.*

Aquilę quo modo perdomandæ ſint.

Quodſi igitur cuipiam huius Auis capiendæ, necnon manſuefaciendæ cupido inceſſerit, ille à me rationem ac modum edoctus hæc obſeruabit. Ante omnia funę longiſſimo ab excelſis rupium montiumve cacuminibus in ſporta demiſſus, pullum Aquilinum è nido tollito, inter abripiendum interim ab Aquilæ ferocia caueto, caput probè munitus, necnon humeros & brachia, & manus craſſiori quopiam tergore ſeu corio. Sublatum palo alligato haud procul à nido. Sic enim fiet, vt querulo pullo excitus, vel alter vel vterque parens aduolet, eſcam delaturus. Eſcę genus diligenter obſeruato, poſt eodem quo illi cibo ipſum paſturus, obſcuroq; repoſitum loco, primùm doceto in manus affilire: hinc Aues cicures inuadere, quas ab eo examinatas in paſtũ exhibebis. Quò verò à fugæ metu ſecurus eſſe poſſis, aut pennas caudæ, ne eas ad volandum queat extendere conſuito, aut podicem in ambitum plumis ſpoliato, quo tenellæ ac frigoris impatienti parti conſulens, neque aëris, & auræ algidiori ſeſe committere auſa, ab altiori volatu abſtineat, & humi ſeſe contineat: Quorum hoc tutius erit, ne cauda conſuta & volandi impotens cæteris Aquilis ad iniuriam exponatur. Eo igitur modo, vt dictum eſt, pulli necdum prouectæ ętatis nidis eximendi & manſuefaciendi ſunt. Adultas haud tutum eſt cicurare, cùm propter connatam ingenij feritatem, qua per ætatem magis proficiunt, (tantum abeſt vt eam exuant) tùm propter inſtrumentorum robur, quo blanditijs reluctari, faciem manus aliaſque inſtitutoris partes grauiter poſſent lædere. Solent verò in hunc finem cicures reddi ac inſtrui, vt earum ope Aues grandes quæuis, præſertim verò odore Canum deprehenſi Lepores, Cuniculi, & Hinnuli capiantur.

Aquila ad uenãdum quomodo manibus geſtanda.

Qui autem eam manu geſtaturus eſt ad venatum, robuſtus ſit oportet, vt pondus eius ſuſtinere queat, ac ſtatim ſimulatq; viderit prædam à Cane deprehenſam, inſtructam ad hoc, & aſſuefactam extemplò dimittat ſupra Canem tãtiſper volitaturam, donec Leporem conſpicata adortum capiat. Aegrè verò Aquila etiam cicur manu geſtari poteſt. Brachio toti onus tolerabilius erit, ſi ab humero vltra manum pelle ſeu tergore Ceruino, aut alio corio munitũ ſit.

Volare conata impedienda, aut retinenda non eſt, ſed dimittenda, ne impetu illo brachium geſtantis offendat; aut ſanè oculis uelatis portanda eſt. Reuocata redit ad brachium aucupis, ut uel prædam adepta, uel fruſtrata ei inſidens quieſcat.

Aquilarũ cibus.

Nutrienda omnino eſt earum animantium carnibus, quas rapuit, aut ſolet rapere, vt Anſerum, Ardearum, Caprearum, Agnorum, Leporum &c.

[b] *Lib. 4. de Anim. c. 26*

Si ergò Leporem ceperit, Leporina in cibum porrigenda eſt, idq; ſæpius, quo libentius animalia huiuſmodi inſequatur. Cuius rei probè gnari Indi, ut [b] Aelianus refert, Aquilarũ pullos educatos, ad Leporum, Vulpiumq; uenatum, (neq; enim ad horum capturam Canibus egent) hoc modo inſtituunt. Primùm ad Leporem, ſeu Vulpem manſuefactos carnem appendunt, eos abire ſinunt, & ad curſum incitant; Ad eos à tergo inſequendos Aues emittunt. Illæ prædam acriter conſectantur, & ſimul ut hanc uel illum ceperint, premium pro captura appenſam carnem conſequuntur. Hæc nimirum apud eas proſequendi has beſtiolas maxima illecebra eſt. Poſteà uerò quàm eas exactè ad uenationem erudierint, tum in montanos Lepores ac feras Vulpes emittunt. Alites aſſueti, ſpe prædij, quæ ex obiecta præda ijs oſtenditur, & inſequuntur celeriter, & comprehendunt. Quæ ceperunt, dominis reportant, non planè inſcij pro carne illa, quæ prędæ domeſticæ appendi ſolebat, ſeſe ex fera nunc uiſcera reportaturas.

Pullorum Aquilæ inſtitutio ad uenatũ Leporem, & Vulpium apud Indos.

Habuiſſe perhibetur Cublai Tartarorum imperator multas Aquilas, neſcio utrum naturali blandicie, an magica arte cicuratas, quę nõ ſolùm Lepores, Capras, Damulas & Vulpes caperent, uerùm etiam inaudita audacia, & magno cum impetu in Lupos inſilientes eos adeò diuexarent, ut ab hominibus ſine labore & periculo capi poſſent.

Lupi ab Aquilis capti.

In Africa quoque aſſuefiunt uenari Vulpes, atque Lupos, qui reſiſtentes, acriter cum eis certant; uerùm ſolertes ac ingenioſę Aquilę ſupra uerticem eorum uolant, inſident capiti, ac faciem roſtro impetunt, ita ut Lupis eas ſauciare ſit difficile. Et quamuis humi deiectus Lupus volutando, Aquilam à ſe conetur excutere, perſiſtit tamen illa, nec niſi effracto ipſi capite, aut euulſis oculis ab eo diuellitur.

Venatiocũ Aquilis apud Africanos.

Aquila magica arte cicuratæ.

[c] *In Numa.*

Inueniuntur quinetiam Aquilę magica aliquandò cicuratę arte, ut [c] Plutarchus de Pythagora teſtatur, *Cùm Romana Reſpublica bellicoſis audaciſſimiſq; hominibus tunc æſtuaret, cùm Numa principatum obtineret, fluctuantem & exaſperatum populum tractare, & ad pacem traducere intelligens, à religione primùm auxilium petijt; quæ res cum primis effecit, vt ſapientiam, diſciplinamq; ſuam Pythagoræ conſuetudine paraſſe videretur. Nam & huius Philoſophiæ, & illius ciuilis prudentiæ, magna pars in congreſſu cum Dijs, & ſtudio religionis conſumebatur. Iam ſplendorem etiam externum habitumq;, eodem quo Pythagoras conſilio, aſſumpſiſſe dicitur, qui Aquilam cicuratam, cùm ſuperuolaret, magicis quibuſdam vocibus, ac ſuſurraminibus ſiſtere atque deducere ſolitus eſſet, & in Olympijs per catum populi tranſiens fæmur au-*

*mur aureum ostendisse, aliisque portentosis machinationibus & actionibus vsus fuisse perhibetur.* Hactenus Plutarchus. Apolloniadæ Epigramma extat in Aquilam, quę Rhodijs, vbi alioqui Aquilæ nunquam conspiciuntur, Neroni Imperatori illic agenti, vltrò sese mansuetam præbuit.

Verùm vt ad institutionem Aquilarum edocendam, vnde digressa est nostra, reuertatur oratio, videamus, num qua ratione prospicere possimus, ne iam multa opera perdomitæ fugitiuæ aliquando factæ spe concepti emolumenti dominum frustrentur. Potissimùm verò eo tempore, fugæ periculum esse solet, quo Aues libidine accensæ generationi dant operam. Quare tunc arsenicum seu auripigmentum cibo permistum offerendum est: hoc enim æstum ac feruorem libidinis eius extinguit. Fugam an moliantur, hoc pacto deprehendi poterit. Quum Aquila dominum suum circumuolat, sic vt non longè ab eo recedat, se fugitiuam non futuram ostendit. At si volans caudam extenderit, & se circa illam conuerterit, versus plagam aliquam ascendens, tum fugam meditari indicium est. Item si non descenderit ad clamorem, quo pastus offerendi signum datur, nisi forte nimis satura est aut obesa. Quum circa pugnum, cui prius insedit, desertum circumuolat, aut in terram desilit, captandæ fugæ desiderium prodit. Illud quoque eius ingenio adscribendum videtur, quod passim de ea referunt authores, quòd scilicet aduersus noxia animalia Callitrichum herbam in nidum suum ingerat.

Quomodo Aquilæ ab fuga prohibeantur.

Quomodo Aquilæ fugam moliri cognoscantur.

Aquilæ callitricho se tuentur ab animalibus noxijs.

# VOX.

CLANGOR propriè Aquilarum vox est: & dicitur Græcè κλάζειν, vt Apollonius asserit; quod varijs etiam Homeri probari potest locis, præsertim eo: [a] Αὐτὸς δὲ κλάγξας πέτετο φωνῇσ' ἀνέμοιο,

*Ipsa verò (Aquila) clangens volabat flatibus venti.*

Quod tamen Eustathius Auium signare vocem voluit, quæ leuiusculum clamorem aut clangorem edunt, & minus esse, quàm κλάζειν. [b] Hesiodus hãc vocem Aquilis quidem, at non solis, tribuit, nam & Vulturibus. Homerus verò cum [c] Apollonio fabulosis etiam Harpijs, Vnde [d] Vergilius:

*At subitò horrifico lapsu de montibus adsunt*
*Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas.*

Clangor.

[a] *Iliad. M.*

[b] *In Aspide.*

[c] *Argon lib. 2.*

[d] *Aeneid. 3.*

Alij Gruum proprium esse clangorem dixerunt, sed author Philomelæ Aquilæ peculiarem facit:

*Dum clangunt Aquilæ, Vultur pulpare probatur.*

Est autem Aquilarum clangor aliarum Auium clangori admodum dissimilis. Quidam illum reboatum appellarunt, propter strepitum grauem, Auibus alterius speciei, maximè nocentibus tam inimicum, adeoque terribilem, vt earum feratur tardare motum, & obtundere, qualis sanè regiam Auem decebat: qui tamen, quod mirum est, spernitur à pauidis Columbis. Reuera tantum abest, vt vocem aliquam edat, aut canat Aquila, vt mutam pene quidam tradant, aut vix vocalem: Melanætum verò, ne vix quidem, quam [e] Plinius sine clangore, sine murmuratione esse scribit. Quod cùm de generosissima ac præstantissima Aquila etiam à [f] Philosopho verum esse scribatur, cõtrà verò famelicam semper esse, & querulam; de generi Aquilarum generi, Vulturinæ nempe (Subaquilæ ideo dictę) tribuatur; videri cuipiam haud temere potest, quòd animi quadam magnitudine ducta hæc Aquila pulla, & innata temperantia, qua fame ac siti illam superiorem esse dixit [g] Gyllius, ab clangore illo, queruloq; murmure sese contineat. Voces enim huiusmodi plerunq; intemperantis, impotentisq; animi affectus aut inopiam, aut cupiditatem, aut timorem, aut lætitiam indicant. Nam Melanætum, quam liberalem uocat, inuidięq; expertem, ideò non clangere nec murmurare [h] Aristoteles autumat, quia modesta minimeq; petulans affectus moderari, ac cohibere melius possit, quàm cæteræ. An ob organorum uocis prauam quampiam aut ineptam constitutionem uocem non edit? Nam pullos adhuc mutos omnino esse constat, quod illis ob linguam humore quopiam etiamnum tenellis impeditam fortasse accidere quis existimet. An id potius naturali quadam prudentia facit? ne præda, cui inhiat, hac sua uoce ac reboatu admonita sibi fuga consulat, atque ea ratione uox sua sibi ipsi damnosa sit. Hoc ingenio sanè Aelurus Musculum inuadens altum agit silentium, molliq; ac suspenso gradu incedens omnimodo cauet, ne uel minimo strepitu de præsentia sua eum commonefaciat.

Reboatus Aquilarũ stridor inimicus est auribus.

Melanętos sine clangore.

[e] *Lib. 10. cap. 3.*

[f] *Lib. 9. Hist. cap. 32.*

[g] *Ex Aeliã. cap. 3. lib. 14. de hist. animal.*

[h] *Lib. 9. Hist. 32.*

Causa cur non clangant Aquilæ.

# VICTVS.

ANIMANTIBVS omnibus natura quærendi victum non una, at varia admodum ratione prouidit. Sunt quæ ſummo labore eſcam acquirant, ſunt quę nullo penè: ut quid valerent ingenio, quid ſolertia, quidue pigritia, aut vecordia, viribus quoq; quantum inter ſe differrent, eadem oſtentaret. Etenim quibus vires, & expeditiorem motum largita eſt, his modum quærendi eſcam, occaſionemq; difficilem reddidit. Contrà verò cui difficile erat, & propter corporis munia aut imbecillitatem, aut paruitatem victum quærere, nec illi conſuluit de ingenio, nec detraxit de alimonia, imò ex ſubiecta humo accommodauit appetitui commodam alimenti ſubſtantiam. Damnanda profectò erat Natura, ſi Leoni vim laniandi Ceruos, Ceruis autem velocitatem ad fugam; ſi Aquilis rapacitatem, ac non Ardeis pernicitatem; ſi qui buſdam dentes piſcibus, & non alijs teſtam, dediſſet, cuius munimine vita eorum virium inops ab aliorum aſſultu tuta eſſet. At nec imprudens in cæteris fuit: Nam cùm per virium corporis reſtaurationem, quibus vegeti mobilesq; ſpiritus vitam fouent, animalium indiuidui perpetuitatem, quoad fieri poſſet, moliretur, itaque illud abſque alimonia fieri noluit, ſed internum illis motum appetitus tanquam ſtimulum quendam ingenuit, vt pro ſeipſis paſtum quotidiè quærerent. Quem etiamſi non continuò quæritant, continuò tamen aluntur; Vnde tunc animalibus neceſſe fuit, quibus corporis robur ac inſtrumenta aderant, vſque ad feritatem protrahi ob indiuidui ſcilicet conſeruationem. Hinc eſt quod animalium quædam rapacia, quædam mitia dicantur; & quæ rapacia, carniuora: mitia pene omniuora; & rurſus quæ carniuora, victus & cibi auida; quæ verò omniuora eadem temperantia, præſertim, quæ ex herbis, frugibus, fructibusq; victitant: Neceſſe autem fuerat huiuſmodi animalia, quæ carniuora erant, ex alijs animalibus viuere & eſcam raptu acquiſitam auiditate conficere. Ex horum numero eſt Aquila, quæ, quorum carnibus victitet, rapina docet; Ob nutrimentum enim carnes omnis generis animalium deuorat; At ob ſui à morbo tutelam quærit Lepores, qui ad cibum & medicinam faciunt, vt quorundam opinio eſt. Quadrupedes ergo, Aues, Piſces, Serpentes venatur. *Violentum enim* (teſte [a] Aeliano) *animal & tyrrannicum non modo in aſſequendis ad viuendum neceſſarijs rapinas exercet; ſed etiam vſu carnium delectatur: nam ad ſe explendam Lepores, Hinnulos, Anſeres ex corte, & alia plerunque rapit.* Quæ verò his Aelianus addit, dum ita ſcribit: *Vna tantum ex Aquilarum genere, quæ Iouis appellatur, carnes non attingit, ſed ad victum ei herba ſatis eſt: & quamuis Pythagoram Samium non audiuit, nullam tamen animantem edit:* fabulam ſapit, & rei veritati aduerſatur. Nam [b] Ariſtoteles expreſsè teſtatur *aduncas Aues omnes carniuoras eſſe & fruges* (quanto magis herbas?) *etiamſi in os indideris, reſpuere.* Anguibus etiam veſcitur, hosq; vel propter antipathiam, vel propter eam, quam ex humido & frigido cibo capit voluptatem, maximè omnium appetit. Nam in eos, vbicunque viderit ex alto magno ſtridore fertur, oppreſſos laniat, & poſtquam extracta de viſceribus venena ſugendo decerpſerit adhuc ſaucios deuorat. Ex Auibus gregales maximè inſequitur, vt Columbas, Anſeres, Cycnos, Gallinas, & huiuſmodi alias. Agnos & Oues raptos in frequenti cibo habet; vt & [c] Flaccus de Aquila loquens teſtatur:

*—— Mox in ouilia*
*Demiſit hoſtem viuidus impetus,*
*Mox in reluctantes Dracones*
*Egit amor dapis atque pugnæ.*

Imo non Oues tantum, ſed & Pecoris cuſtodes quantumuis truces Canes abripit, ita vt paſtores, vbi forſan Aquila in propinquo agit, non minus Canibus ſumma cura ab his, quam gregi ſuo prouidere cogantur. Tauri quinetiam, Cerui, Hinnuli, & Vulpes in cibum ipſis cedunt, aliaq; permulta: de quibus copioſius in Venatu enarrando agetur. Piſcibus libentius, quàm carnibus veſci Aquilonares Aquilas [d] Albertus magnus refert; & Cancros inter cætera eis eſſe gratiſsimos, niſi fortè de Haliæto dicere voluiſſe credendus eſt. *Condunt reſeruantq;*, vt inquit [e] Philoſophus, *ſuo nido, quantum cibi pullis ſuperest. Cùm enim die quaque facultas venandi non detur, ſit interdum, ne quod portent, extrinſecus habeant.* Auidæ admodum & pene inexplebiles ſunt Aquilæ, ideoq; ſi quando famem (cuius alioqui patientes ſunt) tolerarint, tum diuturnum ieiunium multo cibo aſſumpto conpenſant. Vnde ſi quid ex copioſo venatu ſupereſt iam exſatiatis, reliquis Auibus, quæ ipſas huius rei cauſa aſſectari ſolent, relinquunt; At ſi eis ad plenam ſaturitatem quidpiam deficiat, ad conuiuas reuertuntur, quibus ſuam ingluuiem, violata

Cur appetitus ſtimulum natura animantibus indiderit.

Aquila carniuora eſt.

[a] *Lib.9.cap.10.de animalib.*

[b] *Lib.8.Hiſtor.cap.3.*

Serpetum Aquila auida eſt.

Aquila gregales Aues maximè inſequitur.

[c] *Lib.4.Car. Ode 4.*

Aquilę canes apud gregem ab ripiunt.

[d] *Lib.23.de animal.*

Piſcibus Aquilonares Aquilæ delectantur.

[e] *Lib.9. Hiſtor.cap.32.*

Aquilæ maximè auidæ ſunt.

Aquilæ in hoſpitesim manes.

violato hoſpitij iure, explent. Nam iuxta [f] Ouidium:

*Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.*

[f] *Lib. 1. Metamorph.*

Imò, ſi forſan maior fames eas premat, neque à ſui generis volucri abſtinent. Quo nomine prophanarum notam, quam illis inurit Aeſchylus, haud poſſunt effugere. Vnde meritò auaræ vocantur ab [g] Aeliano. At Albertus hoc non facere ſcribit Aquilam, niſi iratam; quando videlicet diu cum alia de præda colluctatur. Tunc enim contingit, vt victrix deuoret de victam. Cadauera & exanima corpora non tangunt, præter ſolam Percnopterum Auem degenerem. Quare quod in [h] Euangelio Matthæi ſcriptum eſt: *Vbicunque fuerit corpus illic congregabuntur & Aquilæ*, vt de myſtico ſenſu, de quo agere non eſt huius loci, nihil dicam, [i] D. Iohannes Chryſoſtomus *de Vulturibus* intelligi vult, cum inquit: *De Vulturibus enim dicit ſcriptura, in* [k] *Iob, Quoniam vbicunq; fuerit corpus, illic inuenientur Vulturum pulli. Hoc enim naturale his eſt*, vt dicit [l] D. Hieronym. *vt etiam tranſmarina cadauera ſentiant.* Ne verò ſacrum Textum aut corrumpere, aut in eo temere quidpiam innouare, vel etiam antiquorum Patrum ac Eccleſiæ Doctorum ſententiæ refragari velle videamur, accommodum vtriq; reconciliando loco, & veritati hiſtoriæ naturalis maximè conſonum erit exiſtimare cum [m] Ariſtotele, Aquilas, quæ cadauera ſectantur, Vulturinas eſſe & Vulturis ſpeciem referre, dubij nempe inter hunc & illam generis. Vnde & Subaquilæ Latinis & ὑποαετοι, vel γυποαετοι, ideſt, Vulturinæ Aquilæ Græcis, dicuntur, nempe degeneres & victu inertes. Hac itaq; ratione cùm Iob, & D. Chryſoſtomo Vultures, cum D. Matthæo Aquilas vocabimus, vtroq; modo aptè, cùm vtriuſq; naturam referant.

[g] *Lib. 2. de animal. cap. 39.*

[h] *Cap. 24.*

[i] *Hom. 49. In 24. Ma.*

[k] *Cap. 39.*

[l] *Tom. 6. 71. d.*

[m] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 32.*

Cõciliatur Iob. & D. Chryſ. cum D. Matth.

Sed Hactenus victus potiorem partem, eſculenta ſcilicet, abundè præſtruximus: nunc poculenta examinemus. Aquila, ut aduncæ prope omnes (excipiuntur enim Tinnunculus & Miluus) ſine ullo potu uiuit, quod ſanè Heſiodus neſciuit; facit enim in narratione obſidionis Nini Aquilam augurij præſidem bibentem. Siti enim ſuperior, & inaudita fortitudine, temperantiaq; in victu præſertim prædita, fontes minimè quærit, nec puluerulentas uolutationes, ut Aelianus, nec arenam eius firmitudo deſiderat, ut Suidas ait, neque ſiti neque frigore uicta, laboris alleuationem extrinſecus obiectam expectat, & aquas & requiem præclarè contemnens. Hanc miratur hiſce uerſibus Scaliger.

Aquila nõ bibit.

Heſiodi error.

*Patientia quanta eſt Aquilæ Miluioq;*
*Terras abeunti, ac maria, aërisq; tractus?*
*Quanto tolerant tempore ieiunia?*

Sunt qui exiſtiment, inter quos eſt Suidas, eam idcirco aquam non bibere, quòd ad potum ſanguis eorum animalium, quæ ceperit, ipſi ſufficiat. Et Aegyptijs, teſte [n] Oppiano placuit, Aquilas non aquam, ſed ſanguinem bibere ſeu ſorbillare. Quod ne cui dubium relinquatur, irrefragabili [o] Diui Iobi authoritate aſtruemus, qui ſic habet. *Pulli eius* (de Aquila loquens) *lambunt ſanguinem.* Cæterùm ſi forſan aliquando aquam bibiſſe uiſæ ſunt, non potus, ſed medicinæ gratia id feciſſe putandum erit. Aluus uerò earum ſemper mollis ac liquida eſt, etiam ſi non bibant: nam humoris, quod ſatis eſt, ex nuper occiſorum animalium ſanguine ad coctionem & digeſtionem ſufficit. Si tamen vel morbo, aut nimio æſtu cõfectas, aut fractas eſſe contingat, refrigerium quærere, idq; non niſi tardè ac ſumma neceſſitate coactas eaſdem docuit natura ſolers ac prouida; Vnde in vltimo ſenio roſtro præ ſiccitate incuruato, ita vt cibum capere nequeant, vitam aliquandiu, bibendo ſaltem ſuſtinere coguntur.

[n] *In Ixeuticis.*

[o] *Cap. 39.* Aquila ſanguinẽ lambit.

# COITVS.

AQVILAM, quia fera admodum eſt, Venereis illecebris minus tangi cuipiam videri poſſet. Gregalia enim propter abundantem in eis humiditatem ac ſocietatis vſum, Veneri indulgere magis quis credat? Eã nihilominus, quòd fortaſſe bilioſi valdè ſit habitus, ſalaciſſimam eſſe conſtat; Quod probè perſpectum habuerunt Memphitici ſapientes; Cùm enim Martis congreſſum cum Cytærea uellent pingere, duas Aquilas ſimul ſibi mutuo ex aduerſo ſedentes delineabant, marem Marti & fœminam Veneri comparantes: Et hoc ideò, quia cùm reliqua animalia non ſemper mari ad omnem mixtionem parere velint, (niſi forte Paſſerem ſalaciſſimum omnium Auium excipias) Aquila nunquam ſubigi recuſat. Ter decies enim in die compreſſa, poſtquam ſurrexerit, ſi mas reuocet, denuò accurrit. Eandem ob cauſam, nempe quòd in Venerem maximè prona ſit, Aegyptij eam Venerem vocarũt, & Soli dicarunt, quia ſolem, qui munus ſuum atque verſum triginta dierum ſpatio, ſaltem ſecundum Aegyptios abſoluit

Aquila Veneri maximè indulget.

Paſſer ſalaciſſimus.

Orus *lib. 1.* Aquila dicata ſoli.

abſoluit, imitata ter denum numerum coeundo compleat. Miretur nec immeritò quiſpiam, quòd cùm animalia omnia ſalacia breuioris vitæ ſint (Venus enim dum ſpeciem inſtaurat, abſumendo humidum perdit Indiuiduum) Aquila tamen libidinoſiſſima ſit æquè, ac volucrũ viuaciſſima. Aiunt Accipitrẽ quandoq; commiſceri cum Aquila fœmina, ſed ipſa oua, quæ ignobilitate ante conceperit, ne incubare quidem dignatur, & vt marem lateat, procul auolat. Nam ille, quum adulterio corruptam ſenſerit, vleiſcitur grauiter, & tandem data pœna abigit.

Aquila uiuaciſſima.

Narrant qui res Africanas literis mandarunt, Aquilam marem aliquando cum Lupa coire, grauidæ autem in tantam molem vterum, vt rumpatur, intumeſcere, Producíq; ac edi Draconem, qui roſtro & alis Auis ſpeciem referat, cauda Serpentem, pede Lupum, cute eſſe verſicolorem, nec ſupercilia poſſe attollere. Hoc quidquid dicant alij, in mundi ratione poſſibile eſſe, monſtrum tamen eſt deforme ac inſolens, etſi fama ſit Africam ſemper aliquid noui producere, & Dracones frequentes dare. Mihi equidem, vt [a] Iulij Scaligeri verbis vtar, animal quodpiam illis in locis eſſe tale, quò minus credam, detrahit fidem vanitas generationis. Vnicuiq; homini libero licet in re literaria, & quod nõ nolit, admittere, & quod nolit, repudiare.

Draco mõſtrificè ex coitu Aquilæ maris, & Lupæ ortus.

[a] *Exerc. 183.2.*

# INCVBATVS. EXCLVSIO.

IN Nido exſublimi rupe aut excelſa arbore conſtructo, ac concinnè præparato, oua deponit, vt incubet. De horum numero ſcriptoribus inter ſe non conuenit. Quidam in ea ſunt ſententia, vt tria in nido collocare dicant, antiquis adhærentes. Quòd verò [a] Ariſtoteles tradit ex Muſæi verſu:

*Excludit binos, edit terna, educat vnum.*

[a] *Lib. 6. ca. 6. Hiſt.*

Licet vt plurimùm hoc ita fieri verum ſit, tamen binos aliquando viſos pullos alij, & Auicenna quandoque ternos ex vnico nido exemptos memoriæ prodiderunt. Et Ornithologus teſtis eſt, tres in uno nido inuentos, ut ſupra habuimus. Quod verò de ſeptenis Aquilæ pullis Mario puero repertis, item alijs ad Albini cunas è nido allatis ſcriptum eſt, & à nobis inter auguria poſt referetur, aut inter fabulas, cum Plutarcho, qui ternos tantum ad ſummum naturæ conſueto more excludi aſſerit, aut inter portenta & monſtroſos partus cum ipſo Albini patre aſcribimus. Cùm autem duos pleruníq; excludant, vnum tantummodò educunt, & alterum (vt Ariſtoteles & Plinius tradunt) expellunt nutriendi tædio. Quippe eo tempore ipſis cibum negauit natura, proſpiciens ne omnium ferarum fœtus raperent. Vngues quoq; ipſis tum inuertuntur, & pennæ inedia albeſcunt, vt meritò partus ſuos oderint, quos cùm ſcilicet generant, eò maciei rediguntur, vt exhauſtis viribus feris capiendis non ſufficiant, vnde hebetiores & ignauiores redditę, Exaëtõν degenerantium Aquilarum eo tempore nomen accipiunt. Tempus, quo ouis incubant, ſpatio tricenûm dierum maioribus, minoribus verò viginti, vt plurimùm definitur.

Ἔξαετος degenerãs Aquila.

Maxima verò difficultate fouendis ad excluſionem ouis dant operam, nec omnino pullos excluſuræ eſſent, niſi Aetitem lapidem in nidum importarent. Ipſæ enim adeò exæſtuant, vt oua propè excoquantur (incaleſcunt enim tantopere, ac ſi bulliant) quare neceſſe erat eius lapidis refrigerio feruorem temperari, & peculiari qua pollet ui, accellerari partum. Et cùm binos tantum lapillos nempe marem & fœminam (vt quidam volunt) in nidum inferant, binos etiam tantummodò pullos pariunt. Alij ideò hoc fieri dicunt, vt lapidum pondere depreſſus firmius conſiſtat nidus; ſed prior ſententia vera eſt magis ſimilis. Hinc [b] Lucanus:

Aetitem lapidem cur in nidũ inferat Aquila.

[b] *Lib. 6. de bello ciuil.*

*Quæq; ſonant fœta tepefacta ſub Alite ſaxa.*

Alij lapidem eam ob cauſam in nidum inferri inquiunt, vt is contra uentorum, tempeſtatumq; violentiam tutus ſit; quod tamen ſuperſtitioſum eſt credere. Vnde hominem, qui alicubi firmas ſedes fixit, per Aquilam lapidem ita in nidum collocantem, hieroglyphicè ſignificari volunt. Huius autem lapidis mira uis eſt ad eliciendum fœtum, quamobrem hodie parturientibus admouetur ad accelerandum partum, vt ego Deo dante, in libris de foſſilibus abundè dicturus ſum, ſed nunc vel illud quoque ſolum dixiſſe volui, lapidem eſſe nobilem, qui ab Aquilis nomen meruit, magnitudine vix ouum ſuperans, colore puniceus, vel rubeus, vel cinereus. Quod nunc de hoc lapide diximus ab Aquila in nidum inferri, id [c] D. Hieronymus tamen ex incerto authore Amethyſto gemmæ tribuit, ſi hoc verum eſt, ob recenſitas rationes fiat, neceſſe eſt, idq; fortè in defectu Aetitis, uel etiam ut eo nidum à uirulentis animalibus defendat, quæ enim ebrietati reſiſtit gemma, ut etymum nominis indicat, id facilè præſtare poſſe, etſi non affirmem, rationi tamen haud abſonum iudico. Sunt præterea qui & Adiantum herbam ab Aquila ob eaſdem rationes in nidum imponi tradant.

Aetitis lapidis uis ad partum accelerandũ.

[c] *Tom. 4. li. in Eſaiã. cap. 65.*

Alber-

[d] Albertus Aquilam frusta ait, seu partes Vulpinæ pellis, Leporinęue, aut molles calidosq; pilos animalium colligere, hisq; oua foouenda imponere. Editis verò iam pullis, quorum summo amore flagrat, omne studium, omnemq; curam nutricationi impendit. Verùm, * vt Claudianus poëta canit:

*Paruos non Aquilis fas est educere fœtus*
*Ante fidem Solis* &c.

Antequam ergo enutrire pergant, iure pullos suos, ne scilicet degeneres alant partus, diligentius examinant, & adhuc teneros & volare non valentes ex vnguibus suspendunt, Solisq; offerentes radijs, cogunt aduersos intueri solem, percutiunt recusantes, soli inuitos obuertunt, Aristotele teste, vt si fortè oculos suos vi splendoris inflexerint, aut nictatione obnubant, eos tanquam degeneres & adulterinos nido abdicent, ac laxato vngue in præceps dimittant: Si verò constanter aduersum solem oculisq; immotis aspiciant, tum extra omnem suspicionem illos inter legitimos fœtus ascribant. Itaq: cælestis ignis, vt inquit Aelianus, est generis incorruptus iudex, quo suorum pullorum ingenuitatem legitimam Aquilæ experiuntur. Aristoteles, cuius oculi illachrymarint, à parentibus occidi, scribit: at illum educari, cuius acies firma contrà steterit. Huius facti causam reddit [e] Plinius, quia *Haliæti*, (quibus id potissimũ tribuit etiam Aristoteles) *suum genus non habent, sed ex diuerso Aquilarum coitu nascuntur. Id quidem quod ex ijs natum est, in Ossifragis genus habet, è quibus Vultures progenerantur minores, & ex ijs magni, qui omnino non generant.* Hinc fit vt electos pullos ab Aquilis cognatum genus Ossifragę, quas Phanas Antigonus vocat ex Aristotele, excipiant & educent cum suis. Sanè nullũ est Auiũ genus, quod species suas magis permiscear, ac cõfundat, quàm Aquilarũ, vt in tractatu earum particulari exponetur latiùs.

Cæterùm genuinos ac legitimos, qua ratione educare soleat Aquila, luculenter docemur, vbi dicitur. *Quomodo portauerim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi*, quasi uelit dicere. Portaui vos quasi in humeris, sicut Aquila pullos suos gestat, prętер morem cæterarum Auium, quæ pullos pedum digitis comprehensos, quò lubet, ferunt. Timent enim eis ab Auibus, quæ ipsis uolãt altius. Aquila uerò cùm omnes uolatus sublimitate superet, ea de re secura, attamen, quia telo potest impeti, pullos suis alis exceptos per sublime vehit, insigni pietatis argumento, quasi corpore clypei vice telis obiecto, sese discrimini malit exponere, quàm pullos perire, nõ detrectans vel vitæ propriæ dispendio, quam fœtui dederit, incolumem conseruare. Hinc maxima solicitudine pro nido, pullisq; tutandis excubias agit. Fertur ipsi quædam præsagiendi inesse vis, qua hostem quantumuis procul absit, nido instare sentit, eum aut arcet, aut, si iam violantem nidum deprehendit, vnguibus lacerat teste [g] Aristotele. Ad venationem aliquãdo exercendam à teneris pullos instituit, & imbellibus adhuc Agnos, Arietesq; & huiusmodi animalia non omnino extincta, sed spirantia adhuc ac semiuiua tradit, ac in pastum exhibet, quò minori negotio ea debellare possint, & quodammodo triumphantes ferocitatis suæ quoddam faciant tyrocinium.

Erga eosdem, si quando ægrotare cõtingat, magna indulgentia ac benignitate vtuntur. Vbi enim ob stomachi debilitatem, solidiorem cibum cõcoquere nequeant, tum sanguinem è præda exactum, oreq; hausturn suo, in os pullorum parentes euomunt, hoc pacto leui ac digesti facili recreantes cibo, qui morbo fracti duriusculum seu difficiliorem conficere non possunt. Iuxta illud [h] Iobi paulò antè adductum: *Pulli eius*, nempe Aquilæ, *lambunt sanguinem*.

Dehinc viribus ac ætate aliquantum confirmatos ad volatum instruit. Vnde optimus Iehoua paternum suũ affectum erga Israëlitas exprimere volens, ab hac Aue comparatione desumpta, ita fatur [i]. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit in humeris* &c. Parentes enim, vt primùm alis paulò firmioribus volatum affectare vident, pullos in altum sublatos, vt testatur [k] Sinesius, dimittũt, quasi permittentes, aut potius periculo ipso monentes, vti proprijs fultæ pennis, iam (quod dici solet) sine cortice natare, & æthera uolatu superare discant. Sibi relictas, ac dilapsas fortè, rursus suscipiunt, anteuertentes ætatis ipsorum debilitatem. Hoc exercitationis genus sæpe iterant, accrescente paulatim cum viribus ac ætate, audacia & robore. D. [l] Hieronymus eos qui de animantium scripsere naturis, omnium quidem bestiarum, & Iumentorum, & Pecudum, Auiumq; ingenitum esse in filios, pullosq; suos affectum testari perhibet, sed maximum amorem esse Aquilarum, quod Homerus [m] quoq; approbare videtur, Telemachum atq; Vlyssem eis comparans, longam ab se inuicem absentiam deflentes. Verba eius sunt:

——Τηλέμαχος δὲ
Ἀμφιχυθεὶς πατέρ᾽ ἐσθλὸν ὀδύρετο δάκρυα λείβων.
Ἀμφοτέροισι δὲ τοῖσιν ὑφ᾽ ἱμέρος ὦρτο γόοιο
Κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἢ τ᾽ οἰωνὼ

[d] *Lib. 23. de Anim.* Vulpinæ, Leporinæue pellis retrimenta, cur in nidũ importet Aquila.

* *Li. 11. in præfatione tertij Cõsulatus Honorij Augu.* Aquila qd experiatur antequam pullos enutriat.

[e] *Li. 10. c. 3.* Aquilæ q̃ spuriæ, & quæ legitimæ.

[f] Aquila quo modo educat suos legitimos fœtus.

[f] *Exod. 19.* Aquila pullos suos in alis portat.

[g] *Lib. 9. Hist. c. 32.* Ad uenatũ exercet pullos suos Aquila.

Aquila ægris pullis quomodo indulgeat.

[h] *Cap. 39.* Ad uolatũ quomodo Aquila suos fœtus instituat.

[i] *Deute. 32.*

[k] *In Dione.*

[l] *Lib. 18. in Esaiã. c. 65. fol. 292. g.*

[m] *Odyss. π.*

Φῶαι, ἢ ἀιγυπιοὶ γαμψώνυχες, ὅσσι τε τέκνα
Ἀγρόται ἐξείλοντο, πάρος πετεηνὰ γενέσθαι. ideſt,
——*Telemachus autem*
*Circunfuſus patrem bonum lugebat lachrymas fundens*
*Ambobus autem his deſiderium obortum eſt luctus.*
*Flebant autem ſtridulè tanquam Aues*
*Aquilæ aut Vultures curuæ unguibus: quibus filios*
*Ruſtici excipiunt, antequam volatiles fierent.*

Aquila quo modo fœtus grădiuſculos aſſuefaciat ad cibũ q̃rendum.

Factos verò iam pullos grădiuſculos, eoq; annorum ac roboris proiectos, vt iam ſine parentum ope victum parare queant, tum longiſſimè à nido fugãt, imò ne quidem in eadem regione eos hærere patiuntur, rapinæ ſcilicet æmulos, vt [n] Plinius refert, adeo vt, quemadmodum Auicenna teſtatur, fœtus fugientes, & parentes perſequentes, in retia ſimul quandoque incidant. Imò verò, ſi [o] Ariſtoteli potius (vti ſanè debemus) fidem adhibemus, eijciunt ſuos pullos antè, quàm tempus ſit, & dum adhuc parentis operam deſiderant, necdum volandi facultatem adepti; quod per inuidiam eos facere creditur. Naturâ enim inuida ac famelica eſt, nec copioſæ venationis, & vt ille ait, amicus egomet mihi. Inuidet igitur ſuis liberis iam maiuſculis, ac edacioribus, & ob eam rem vnguibus ſecat.

[n] *Li.10.c.3.*
[o] *Lib.6. Hiſtor. Anim. cap.6.*

Offifragæ pietas erga fœtus aliarum Aquilarum.

Pulli etiam ipſi inter ſeſe de ſede ac paſtu pugnare incipiunt: Itaque à parente domo exturbantur; deiecti vociferantur ac periclitantur. Eos Offifraga recipit, tuetur & alit, vſq; dũ, quod ſatis eſt, adoleuerint. Huic tamen loco repugnare videbitur, quod ab eodem [p] Ariſtotele ſcriptum eſt, in hæc verba: *Alunt pullos ſuos, donec poteſtas volandi fiat; tum nido eos expellunt.* Verùm hos locos prima fronte diſſidentes tertius eiuſdem Philoſophi locus conciliabit, eiuſdem capitis, vbi de Melanæto agens ita ſcribit. *Vna hæc fœtus ſuos alit, atque educit; pernix, concinna*, &c. cæteras igitur eos abdicare & exponere indicat. Cæterùm iſtam naturæ ingenijq; in Aquilis inter ſe diſcrepantiam ac varietatem in tractatu particulari minutiùs excutiemus. Propulſionem pullorum innato & patrio vigori [q] Horatius tribuit:

[p] *Li.9.c.32 Hiſtor.* Ariſtotelis cõciliatio.
[q] *Lib.4. carmi.Odc.4.*

Pullorum propulſio vnde naſcatur.

*Olim iuuentas, & patrius vigor*
*Nido laborum propulit inſcium:*
*Vernique, iam nimbis remotis*
*Inſolitos docuere niſus*
*Venti pauentem: mox in ouilia*
*Demiſit hoſtem viuidus impetus;*
*Nunc in reluctanteis Dracones*
*Egit amor dapis atque pugnæ.*

Cuius verò dapis amore teneantur potiſſimùm, pulchrò docet carmine [r] Iuuenalis;

[r] *Satyr. 14.*

Aquilę pulli quam eſcam appetant.

*Sed Leporem & Capram famulæ Iouis & generoſæ*
*In ſaltu venantur Aues, tunc præda cubili*
*Ponitur, inde autem cùm ſe matura leuabit*
*Progenies, ſtimulante fame feſtinat ad illam*
*Quam primò rupto prædam guſtauerit ouo:*

Innuit Poëta ea in poſterum eſca pullos affici, quam à matre poſitam, oblatamq;, ſimulatq; oui putamine effracto excluſi ſunt, primò delibarunt.

Eorundem pullorum naturam iam grandiuſculorum poëta vetus [s] Guntherus in ſuo culto canit carmine.

[s] *In Liguriuo.*

Pullorum grădiuſculorum naturæ deſcriptio.

*Regia ſic volucris primas vt creſcere plumas*
*Artubus, & teneros dureſcere ſenſerit vngues;*
*Naturæ ſectatur iter; iam iamq; parentum*
*Officio contemnit ali, nidoq; relicto*
*Egreditur, paruoq; pudet latuiſſe cubili;*
*Mox confiſa ſibi ſecuro tuta volatu,*
*Aut Leporem venatur agris, aut æthere Cycnum*
*Corripit, & proprios in acuta rupe penateis*
*Acdificat, ſimilesq; ſibi parat edere fœtus.*

# GENEROSITAS AQVILÆ.

GENEROSISSIMAE esse naturæ Aquilã plurima ac manifesta argumenta satis docent. In primis verò regiam illius indolem vel illud maximè declarat, quòd minus quàm possit lędere contenta, in nidi violatore, tanquam subiecto parcens, vltionis rigorem, quadam clemẽtia temperet. Nam, vt refert [a] Aelianus; Cùm ex omnibus animalibus maximo studio in natos suos existat, acriter eum persequitur, quem illos inuasisse conspexerit, nec inultũ impunitumq; dimittit; Non tamen ad infligendam illi pœnam, aut sumendum de eo supplicium rostro vtitur, sed moderatiùs verberat alis tantùm, & vnguibus lacerat. Non minus etiam excelsam eius ac generosam indolem commonstrat, quòd generis sui legitimiq; ortus seueriſſima assertrix sit, malẽs proprij fœtus facere iacturam, quàm natales eorum in dubium reuocare, & uel solius suspicionis nota, tanquam parum genuini sint, contaminari: Vnde ut dictum est, solari lumine ceu incorrupto iudice examinatos, ab oculorum limpiditate probat, legitimam & se dignam prolẽ minimè existimãs, in qua semina paternæ uirtutis non eluceãt. Etenim ut [b] Flaccus canit:

*Est in Iuuencis, est in Equis patrum*
*Virtus, nec imbellem feroces*
*Progenerant Aquilæ Columbam.*

Et hunc imitatus Ludouicus Arioſtus:

*Che la Damma non genera il Leone,*
*Ne le Colombe l' Aquila, ò il Falcone.*

[c] item rursus:

*Di Vacca nascer Cerua non vedesti,*
*Ne mai Colomba d' Aquila, ne figlia*
*Di madre infame di costumi honesti.*

[a] *Lib. 2. capit. 40.* Aquilæ vltio aduersus inuadẽtes fœtus suos.

Aquila quo modo suos fœtus legitimos probat.

[b] *Lib. 4. carm. Ode 4*

[c] *Sat. 5.*

Illud quoque magni animi magnum est argumentum, quòd etsi Cornix eam insectetur, ac conflictationibus eludere studeat, hanc tamen præclarè contemnat, & innata quadam nobilitate dissimulans, ipsam deorsum ferri sinat. Illa uerò sursum quàm potest sublimius euolat.

Cornix cur laceret ab Aquila.

Hoc quidem non Cornicum timore agit (Quis enim hoc dicat, qui planè perspectam habeat Aquilæ uim?) sed potius propria quadam animi magnitudine, qua Cornicis infra se uolantis lapsum non ægrè patitur, ut author est Aelianus. Sin uerò non desistat ab incepto, nec importuna procacitate molesta esse desinat, tunc correptam unguibus lacerat. Hinc natum adagium, Ἀετὸν κορώνη ἐρεθίζει, ideſt, *Aquilam Cornix prouocat*: si quando leuiusculus quispiam homuncio, qui neque prodesse queat, neque lædere, maximis uiris oblatrat. Huic simile est & illud: *Aquila Thripas aspiciens*, Ἀετὸς θρίπας ὁρῶν, De animo generoso qui pusilla negligit. Est autem Thrips, ut quidam arbitrantur, Auicula quædam minutissima, quam Aquila cùm uideat (est enim oculatissima) haud quaquam dignatur persequi, utpote prædam suis unguibus parum dignam. Ad hunc ferè modum in Græcorum commentarijs scriptum legitur: Ego emendum subesse suspicor. Nã Thripas uermiculi genus esse constat, & Theophrastus σκώληκας, καὶ θρίπας nominat, quos Theodorus Gaza Vermiculos, & Tineas uertit: Plinius Tineas, & Thripas uocauit, & culicibus similes. Per Thripes etiam significare uidetur uermiculos, qui radices siccas erodunt; unde radices θριπηδέσαι apud Theoph. dicuntur, quę corrosæ sunt uermibus. Sæpenumero huiuscemodi uermiculos circa fruticum radices inueni, & etiam circa ligna eorundem, cuius materies facillimè ab illis perforatur, maximumq; damnum radicibus illorum inferunt. Huiusmodi uermium discrimina multa obseruauimus secundùm differentias uarias radicum plantarum, quorum effigies ad uiuum in nostris Insectorum Historijs insculptas, & ligno incisas habemus; quemadmodum etiam Cossos obseruauimus, qui in lignis sponte nascuntur, eaq; corrodunt, teste [d] Plinio: qui uerò his Cossis uescuntur, θριποφάγοι dicuntur. Eodem pertinet & illud. Ἀετὸς οὐ θηρεύει τὰς μύιας, ideſt, *Aquila non captat muscas*. Summi uiri negligunt minutula quæpiam, animusq; excelsus res humiles despicit. Et maximis occupati negotijs ad pusilla conniuent. Huic non dissimile est. *Ne sustineas tenere primas inter Graculos si Aquila esse possis.* Huius Auis exemplo exprobrata uecordia, quendam obiurgat [e] Sannazarius Poëta, cum ait:

Aquilam Cornix prouocat.

Aquila Thripas aspiciens.

Thrips Auicula.

Thripes uermiculi radices corrodentes.

Cossi uermes.

[d] *Lib. 11. c. 33.* θριποφάγοι. Prouerbiũ aliud.

[e] *Lib. 2. carm.*

——*An hoc pudendo sanguine*
*Se tingit Aquila fulminum, & cæli immemor?*
*Ponenda honestæ mortis hæc spes est tibi.*

Falco quãdoq; Aquilã insequitur.

Quod uerò Falco seu Gryfalco, quandoque Aquilam turbare ac insequi dicitur, nihil huius debet derogare generositati, imò eius est culpanda audacia, & tanquam maiestatis rea, insimu-

landa ſuperbiæ ac rebellionis, quòd Auium reginam offendere præſumat. Neq; Aquilis ignauiæ nota propterea inuri poteſt, cùm multò maiora & fortiora non ſolùm uolucria, ſed & quadrupeda, ut Ceruos & Tauros aggrediatur, & deuincat, indubitato ſanè, & euidenti magni animi, qui ſibi ipſi imperat, argumento. Hinc etiam cadauera non guſtat, per arrogantiam quandam, quòd regiam in genere ſuo obtineat dignitatem, niſi fortè à ſe occiſi & relicti animalis. Adde etiam quòd cùm maxima alitum pars in Noctuam uel terrore, uel nouitate eccitæ inuolent, illa id parum regiam Auem decere credens, illius ſpectaculo non moueatur,

Aues multæ cur in Noctuam inuolent.

# TEMPERANTIA, LIBERALITAS.

AB aliena præda ſe continet Aquila. Nihil enim tale, etſi humi iacens, attingit, ſed ſuis laboribus gaudet, imò neque prædam ſuam, niſi admodum famelica ſit, totam ſola deuorat; ſed Auibus alijs ſe eius rei gratia ſectantibus tanquam menſæ aſſeclis communem exponit, ſua tamen prius recepta portione, hactenus enim à communicando cum alijs abſtinet. Poſteaquam verò expleta eſt, reliquias cæteris ſuas relinquit, verùm (ut Aelianus ait) ipſis iam ad vſum ineptas. Vnde ſi participes eius prędæ futuræ ſint Aues aliæ, intactam ipſi nanciſcantur oportet, veluti cùm fortè prædæ pondus experta, neque totam aſportare potis, circumfuſis Auibus, ſuamq; quaſi portionem ſibi dari præſtolantibus, impertiri partem cogitur, alioquin inutilem ipſis futuram, ſi ab ea ſemeſa foret, quòd putido illo halitu, vt dictum eſt, omnia inficiat. Hinc meritò dubitare quiſpiam poſſit, nunquid liberalitati id attribuendum ſit. Nihil enim ſuapte largitate, aut communicandi animo, cæteris Auibus impertit, ſed id ſolummodo, quòd ipſi iam ad ſummum expletæ ac ſaturæ ſuperfluit, ac inutile eſt. Imò uerò inexplebili quadam auiditate, nec non immani crudelitate prædita cõſideranti uidebitur, quòd cùm reliquæ omnes Aues, quæ rapina uiuũt, omnibus à ſe ſuperatis animalibus ueſcuntur, præterquam his, quę ſunt eiuſdem ſecum ſpeciei, (quod Aeſculus Poëta teſtatur citante[a] Plutarcho:

Aquila an liberalis cẽ ſenda.

[a] *In Romulo.*

*Volucrem volucris eſt prophana ſi voret)*

Aquila tamen neque ab his quidem uorandis ſibi temperet. Eam tamen quidam ſic excuſaret, quòd id non faceret deuorãdi animo, uerùm dum eſcæ quidpiam ex gutture alterius euellat, illam hoc pacto iugulet. Alij putant unam Aquilam perſequi alteram, ac uenari, ut prędam, quam fortè nacta eſt, ab ea extorqueat. Hæc ſi ad ſedandum latrantem ſtomachum ſuffecerit, ſinit ut auolet libera, aut ea inoffenſa recedit. Sin minus, & uictam iam à ſe & iure belli in ſua poſitam poteſtate, innata uoracitate depaſcitur. Auicenna uult Aquilam hoc non facere, niſi præ nimia ira, qua æſtuat, dum propter prædam cum altera colluctatur. Vnde iure merito eius crudelitas culpãda uenit. Vna namq; (ut inquit Soſitheus) Aquila innumeras exagitabit Aues, quòd uiolentum ſit in rapinis animal & inexplebile, nempe cùm cæteras omnes Aues rapacitate ſuperet. Sed quicquid ſit, hoc maximè admirandum eſt, quòd non niſi labore & induſtria partis ſpolijs gaudeat.

Auicennæ opinio de Aquilæ liberalitate.

# VENATVS, PVGNA, PRÆDA.

VENARI à meridie quædam incipiunt, deſinunt veſpere. Quædam verò ab orto ſole vſque ad meridiem. Cùm verò vnguium beneficio potiſsimùm prædam & aſſequuta rapiat, & raptam auferat; ideoq; eorum vſus, probè gnara, maximam illorum curam gerit, cauetq; ne vlla ratione obtundantur. Hinc in inceſſu eoſdẽ intrò ſemper vertit, ac contrahit. Sic in ſaxoſa ingredi refugit, ne aciẽ eorũ vllo modo atterat. Et ſi fortè eam in petris agere, aut inſidere contingat, tum pelles occiſorum à ſe animantium, ne offendantur, pedibus ſubſternit. Tantopere de his ſolicita eſt, vt vbicunq; ſedens, niſi aut ſolem, aut prædam intueatur, vngues ſuos perpetuò inſpiciat, metuens ne nimium incuruentur. Si verò fortè hebetati fuerint, tùm roſtro acuit, aut ad lapides atterendo prædationi aptiores reddit. Accipitres prædam digitis adoriuntur, & capiunt, Aquilæ verò ſecundum quoſdam, poſteriore digito pedis eam feriunt prius, (vnde & à feriendo nomen Stoëſſar apud Germanos impoſitum) non tamen quamlibet impetunt; ſed eam dumtaxat, qua ſe credunt viribus eſſe ſuperiores. Sunt autem ad prædam apprehẽdendã admodum veloces ac dextræ, vnde ὀξυλαβῆς eas Græci vocarũt, ac ὀξυλάβειαν ſtudium velociter quidpiam capeſſendi. *Raptam non protinus deferunt, ſed primò deponunt,*

Accipitres & Falcones quomodo uenentur.

Aquila cur Stoëſſar Germanis dicta.

*deponunt, experta; pondus tum demum abeunt*, vt[a] Plinius refert. At Gaza, ex[b] Aristotele paulò aliter: *Rapta*, inquit, *non protinus ferunt, sed cùm corripuerint & sustulerint, deponunt, experta; iam pondus requiescunt*. Iam quod occiderint, non eodem de loco statim deuorant, ne quis subitus hostis incursus incautas deprehendat, & præda liberè potiri prohibeat; sed exploratis prius ac refectis viribus, prædam in nidum, velut in castra, locumq; tutum deuehunt. Cùm verò venationi sese accingunt, tum in alta rupe sedentes, & velut ex alta specula longè latèq; prospectantes, prædam obseruant, vt scitè hoc ipsum quidam autor refert: Aquila in sublime elata, indeq; cuncta despiciens, ibidem paulisper contabundo volatu penè eodem loco pendula, circumtuetur & quærit, quorsum potissimùm in prædam supernè sese ruat, fulminis vice. De cælo improuisa ac instar tormenti descendens, simul campis pecora, simul montibus feras, simul homines vrbibus, vno obtutu sub eodem impetu cernens, num rostro transfodiat, num vnguibus necet, vel Agnum incuriosum, vel Leporem meticulosum, vel quodcunq; esui plumatum vel lanatum fors obtulit. Leporem autem, vt tradit[c] Aristoteles, non statim rapit, sed expectat dum prodeat in plana, nec protinus de alto in terram descendit. Quod ideò facit, vt tutior sit ab insidijs. Rapit hos vt plurimùm anniculos, quorum vt & Agnorum pulpis, iuxta Oppianum maximè delectatur,[d] vnde Homerus:

[a] *Lib.* 10. *cap.* 3.
[b] *Lib.* 9. *Hist. c.* 32.
[c] *Lib.* 9. *Hist. c.* 32.
[d] *Iliad.* χ.

——ὥς τ' ἀετὸς ὑψιπετήεις
Ὅς τ' ἔστιν πέδιόνδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν.
Ἁρπάξων ἢ ἀρνὸν ἀμαλὸν, ἢ πτῶκα λαγωόν. id est,
——*velut Aquila altè volans,*
*Quæ descendit in campum per nubes obscuras,*
*Raptura vel Agnam teneram, vel timidum Leporem.*

Testudines terrestres, quibus etiam mirè afficitur, hac item ratione venari solet, eas non solùm in cibum, sed etiã in medicamentũ, (si fortè ægra est) expetit. Hæ igitur fœminæ in coitu supinæ iacent, quo peracto, cùm se se conuertere nequeant, tum Aquilis pręda & alijs animalibus relinquuntur. Menedemus, vt est apud[e] Diogenem Laértium in eius vita, Aquilam à testudine capi dicebat, prouerbiali scilicet dicterio: Non quòd res in se habeat veritatem, sed vt ostendat, fortes ab imbellibus nonnunquam interimi: sic Leporem à boue capi nostrates dictitant eodem ferè sensu, non quidem velocitate, sed astu: sic & Homerus Martem celerrimum à claudo Vulcano comprehensum scripsit: sunt autem Menedemi hæc verba:

[e] *Lib.* 2. *de vita Philosoph.*

Ἡλίσκετ' ἄρα καὶ πρὸς ἀθανάτων ταχὺς.
Καὶ πρὸς χελώνης αἰετὸς βραχεῖ χρόνῳ.
*Deprehensus olim est ab impotenti celer.*
*Et tarda cepit testudo regem alitum.*

Has autem raptas è sublimi iaciendo frangunt, vt[f] Plinius testatur: Nam unguibus complexa & ex alto locum speculata idoneum, eas in saxum aliquod demittit allidendas, vt hoc modo effracta testa, carne vesci possit. Quæ sors interemit Aeschylum poëtam, ejus diei ruinam fatis, vt ferunt, prædictam, secura cæli fide cauentem. Sed fuit in hoc parum Aquilinis oculis Aquila, cùm ad huius albicantem caluariam, saxum esse rata, demittens testudinem, miserum illum occidit, vt vel ob hanc vnam causam optimo iure poëtis omnibus conueniat inuisam esse. Aues cæteras hoc ferè pacto persequitur. Sanè tam sublimis volat, vt sub se omnes alias despiciat volucres, quarum nulla cùm robore, tùm pondere, & impetu ei par esse potest. Quod si impressionem primã frustra fecerit, ita vt petita Auis euadat celeritate, atq; inferior ictum euitet, sicq; est ex genere non rapaci, puta Ardea, Anas aut Columba, tum abit libera, & periculum cum fuga, & metum cum spe commutat. Sin aliud genus Aquilarum fuerit, vbi eam pondere, atque impetu delatam uidet, tum vicissim audet eam aggredi, cùm suæ celeritatis, tùm illius tarditatis cõscia, teste[g] Aeliano. Quod *à nobis* (ait[h] Scaliger) *in Petrocorijs cõspectum ac obseruatum est accidisse. Nam Falco ab Aquila appetitus, cùm celeri dilapsione sese irruenti illi subtraxisset, collectis cum animo viribus, aliquot rotationibus redintegratis vltrò aggressus in fugam compulit.* Vnde non semper superiorem esse, nec quauis præda à se petita potiri eam apparet: Nam & de Cyminde, de quo * Homerus: Χαλκίδα μυκήσασθαι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν. id est,

[f] *Lib.* 10. *capit.* 3. Aeschylus Poëta à testudine ab Aquila demissa inter fectus.
[g] *Lib.* 7. *capit.* 16.
[h] *Exercitat.* 231. Falco quãdoq; perse quitur Aquilam.

*Chalcida Dij perhibent, homines dixere Cymindem:*

licet victoriam, Cadmæam tamen & ipsi etiam victori exitialem reportat. Tam acriter enim cum ipsa pugnat, vt sæpius ambæ deferantur in terram, alis sibi mutuò implexæ, quo fit ut uiuæ in pastorum manus ambæ deueniant. Verùm hæc de hybride uidetur tradere Aristoteles, de qua proximè erat locutus, etsi Gaza eam uocem omisit, in Græco textu tamen reperitur. Vulpes etiam Aquilæ impetum supina excipit: Hoc & ipsa Aquila, Aeliano teste, cùm in pugna contra nescio quæ animalia succumbit, præstat: nam supinam se ad terram abijciens in hostem

* *Iliad.* ξ. Accipitris nocturni pugna cũ Aquila. Aquilę pugna contra quędam animalia.

ungues dirigit, quod cùm hoſtis præſtare non poſſit, in fugam facilè compellitur. Sed tamen Polypũ imbellem alioqui,& timidum nõ impunè,uti de Cyminde quoq; retulimus,capit,ut ex hac hiſtoria fiet palam,quam [i] Aelianus refert. *Cùm in ſaxum non admodum è mari eminens, Polypus aliquando correpens aſcendiſſet, ibiq; explicatis brachijs ſumma cum voluptate, quòd frigida tempeſtas eſſet, à tepore ſolis caleſceret, neq; ſanè in ſaxi colorem ſe vertiſſet (quod quidem ipſum cùm ad declinandas, tùm ad moliendas magis piſcibus inſidias facere ſolet:) Aquila acris & acuta in videndo,prædam non quidem ſibi futuram bonam paratam & promptam ſibi, & ſuis pullis perſpicuè cernens quanto potuit maximo alarum impetu in Polypum inſiluit. Sed & piſcis hic circumplicantibus Aquilam, & pertinaciter adhæreſcentibus cirris in profundum detraxit, & hoſtem capitaliſſimum ſimul interfecit: quæ quidem ceu Lupus hiãs,(vt eſt in prouerbio) inani ſpe deluſa deinde in mari mortua fluitabat.* Id ideo accidere exiſtimo,quòd alas quaſi loris quibuſdam vinctas explicare nequeat. Sed illud ſatis admirari nequeo, quod [k] Ambroſius Nolanus refert, Sturnorum conglomerantium turmam Aquilæ pauorem incutere, quo minus illis inuadat, aut rapiat, cuius verba, quòd inſolens quippiam narrent, hîc libuit adijcere: *Spectante*, inquit, *Ferdinando rege Alphonſi primi filio fortè ſupra molem, ſtationemq; Neapolitanam, ad turmam Sturnorum ingentem aduolauit Aquila, cuius præſentia perterriti Sturni, veluti ſigno dato, omnes quoad fieri potuit, ſibi hæſerunt volando, grexq; omnis adeò compactus erat, vt Aquila nullo pacto auderet quenquam eorum inuadere. Quinetiam illi vnà atque arctiùs volantes ſemel atque iterum circumîêre ſub Aquila inſidiante, ac deinde rectò volatu facto ſubfugierunt nemine eorum offenſo, nec illos etiam Aquila inſecuta eſt.* Quæ res, ſi apud alios, apud me fidem non habet. Audio tamen Aues aquaticas, ac Anates in primis viſa Aquila ſimul quoq; cõgregari in aqua, & in Aquilam demerſo capite aquam ſpargere, atque ita acceſſum prohibere. Feliciori ſanè ſucceſſu,quamuis maiori ingenio,& audacia,quàm viribus, Tauros in Cræta inuadit, [l] Aeliano atteſtante, *Interea cùm Taurus ſe abijcit ad paſtum, tùm ex inſidijs Aquila in ceruicem inuolans, crebras illi, & acerrimas plagas roſtro infligit. Ille tanquam aſylo excitatus, primum incenditur ad curſum, deinde, quà poteſt ſeſe in fugam confert. Quamdiu in plano & ſtabili loco fertur, ab Aquilæ moleſtia requieſcit; ea nimirum, quoad in planitiem excurrit, nihil illi exhibet negotij, ac quieta volans illum acerrimè obſeruat, quacunque ingreditur. Cùm illum proximè ad præcipitem locum ac decliuem acceſſiſſe videt, explicatis in orbem alis, illius oculos quatit, & ea quæ ante pedes ſunt, nihil illum prouidentem, vi magna præcipitem agit, laniatuq; ventrem appetens, quantum eius cupiditas fert, nullo deinde negotio, præda potitur.* Simili ſolertia Ceruos quoque ingenti confidentia ac animoſitate adorta vincit. His enim, vt author eſt [m] Plinius *multum pulueremi volutatu collectum inſidẽs ipſorum cornibus, excutit in oculos, eius ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet. At acrior eſt cum Draconæ pugna multoq; magis anceps etiamſi in aëre, Hic Aquilæ conſectatur oua auiditate malefica, at illa ob hoc rapit vbicumq; viſum Draconem. Ille multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, vt ſimul decidant.* Hãc pugnam [n] Nicander deſcribit his verbis: *In Dryinum ſerpentem ſupramodum excandeſcit regia ales Aquila, ad viſum vbicunque Draconem confeſtim aduolans, & infeſto cum eo animo dimicans, quamprimùm in ſylua paſcentem conſpexerit, quandoquidem totos nidos deſertos fecerit, ſpoliarit, diruerit, vaſtauerit, æque cùm ipſius Aquilæ fœturas, tùm mitta oua lancinans. Enimuerò impetu quodam ex inopinato ſuperueniens, & Auem & Leporem leuem facilè Draco extrahit ex recens deprehendentis vnguibus, ex arbuſtis, & fruticibus, quibus abditus latebat, fortè fortuna proſiliens: ſed is malum declinat. Ibi tum pro conuiuio acriter decertatur. Interim Lepus ſeſe in fugam dat. Sed hinc inde volantem alitem nequicquam inſequitur in ſpiram contractus, oculoſq; in Aquilam retorquens ſuſpicit, quod in ſublime elatam attingere non poſſit.* Hanc deſcriptionem ſeu pugnæ hiſtoriam, idem carmine reddidit non inuenuſto:

*Prouocat hunc verò fuluus Iouis ales ab æthra,*
*Plumea colla tumens, ſi quando in valle repertum*
*Paſcentem videat. Namque hic populatur vbiq;*
*Nidorum pullos, diffringens dentibus oua.*
*Aſt Aquilam, rapuit Leporem cùm aut vnguibus hædum*
*Forte Draco ſurgens denſo de ceſpite, præda*
*Nudat, & hæc volitans, dapibus pro lurida pugnat:*
*Hic ſequitur fruſtrà deluſus præpete curſu,*
*Contorquens orbes ac toruo lumine cernens.*

Idem certamen [o] Homerus ita depingit:

*Auis enim ipſis venit tranſire promptis,*
*Aquila altè volans, ſiniſtrorſum populum impediens*
*Cruentum Draconem ferens vnguibus magnum*
*Viuum adhuc, palpitantem, & nondum oblitus eſt pugnæ:*
*Incidit enim ipſam tenentem in pectore circa iugulum*
*Reuolutus retrò, hæc à ſe miſit humum*

*Dolens*

[i] *Lib.7. capit.11.* Polypus Aquilã in mare detraxit,& interfecit.

Lupus hians prouerb.

[k] *Lib. Proble.314.*

Anates quomodo acceſſum Aquilæ prohibeant.

[l] *Lib.2. capit.39.* Aquilę pugna cum Tauris.

Aquilæ pugna cum Ceruis.

[m] *Lib. 10. cap. 4.*

Draconis pugna cum Aquila.

In Dryinũ excãdeſcit Aquila.

[n] *In Theriacis.*

[o] *Iliad. M.*

*Dolens doloribus, media autem in deijcit multitudine,*
*Ipsa autem clangens volauit flatibus venti.*

Et[p] Cicero: [p] *Lib. 1. de Diuinat.*

*Hîc Iouis altisoni subitò pennata satelles,*
*Arboris è trunco serpentis saucia morsu,*
*Subbigit ipsa feris transfigens vnguibus anguem*
*Semianimum, & varia grauiter ceruice micantem.*
*Quem se intorquentem lanians, rostroq; cruentans,*
*Iam satiata animos, iam duros vlta dolores*
*Abijcit efflantem, & laceratum affigit in vnda,*
*Seq; obitu à solis nitidos conuertit ad ortus.*

Hosq; imitatus [q] Vergilius: [q] *Lib. 11. Aeneid.*

*Vtq; volans altè raptum, cùm fulua Draconem*
*Fert Aquila, implicuitq; pedes, atque vnguibus hæsit,*
*Saucius at serpens sinuosa volumina versat,*
*Arrectisq; horret squammis, & sibilat ore,*
*Arduus insurgens, illa haud minus vrget adunco*
*Luctantem rostro simul æthera verberat alis.*

Naso[r] idem asserit: [r] *Li. 4. Metamorph.*

*Vtq; Iouis præpes vacuo cùm vidit in aruo*
*Præbentem Phœbo liuentia terga Draconem,*
*Occupat aduersum, neu sæua retorqueat ora,*
*Squammigeris auidos figit Ceruicibus vngues.*

Vbi Poëta Aquilæ astum in opugnando Dracone optimè describit, quem imitatus uidetur noster[s] Ludouicus Ariostus Rogerium Aquilæ comparans, cuius uersus propter uenustatem, non possum præterire: [s] *Cant. 10. Stan. 103.*

*Come d'alto venendo Aquila suole,*
*Ch'errar fra l'erbe visto habbia la biscia:*
*O che stia sopra vn nudo sasso al sole,*
*Doue le spoglie d'oro abbella, e liscia;*
*Non assalir da quel lato la vuole,*
*Onde la velenosa soffia, e striscia;*
*Ma da tergo la adugna, e batte i vanni,*
*Perche non le si volga, e non l'azzanni.*

Item rursus[t] Ouidius in fabula Salmacis, & Hermaphroditi: [t] *Metamorphos. 4.*

*Implicat vt serpens, quàm regia sustinet ales*
*Sublimemq; rapit pendens caput illa pedesq;*
*Alligat, & cauda spatiantes implicat alas.*

Albertus hanc Aquilæ cum Dracone pugnam negare velle videtur, vbi scribit. *Aristoteles videtur dicere Vulturem cum Dracone pugnare, quod falsum est.* Imo potius Aristotelem hoc scripsisse falsum est, sed Auicenna aut huius interpres Vulturem cum Aquila sæpe confundit. Addit Albertus: *Non omnis quoque Aquila cum Dracone pugnat. Sed quoddam Aquilæ genus esse paruum, quod venetur Serpentem quendam, qui generali nomine Draco appellatur.* Verùm qua ratione fultus ipse tantorum virorum authoritati refragari audeat, equidem non video, præsertim cùm ipsemet alio loco, velut sui oblitus, dicat: *Aquila etiam cùm tyro* (id est vipera) *& Dracone pugnat pro animalibus quæ aliquando venantur, dum alter alteri prædam eripere conatur.* Sanè paruum illum quem ipse Draconem communi vocabulo dici affirmat, Serpentem, animalia venari non est verisimile.

Draco Alberti.

Aquilę pugna cum Vipera, & Dracone.

ANTI-

# ANTIPATHIA.

TAM verò internecino odio ſe mutuò proſequi Aquilam & Draconem, ex dictis facilè eſt colligere, ob innatũ ſine dubio & contrarium quẽdam animi affectum, quem Antipathiam vocant Philoſophi. Qualem in plureis alias gerere Aquilam animanteis in ſequentibus latiùs declarabimus. Quamuis Draconem odiſſe videtur propter victum: Nã Serpentibus veſcitur Aquila. Huiuſmodi ei diſsidium ac inimicitia cum Oloribus intercedit, qui authore [a] Ariſtotele, Aquilam repugnantes vincunt, ſi pugnam cœperint: ipſi autem nũquam niſi prouocati, inferunt pugnam. Idem [b] Athenæus refert ex eodem Ariſtotele, ſed in numero ſingulari. Verùm hic in numero multitudinis Cycnos Aquilam ſuperare ſcribit. Hoc quidem eſt veriſimile, ſi Cycni plures cùm ſint Aues gregariæ, Aquilam vnam aggrediantur. Sin verò aliquando vnicum Cycnum ab alijs ſemotum repererit Aquila, non eſt mirum, ſi eum uincit, quod [c] Ariſtoteles alibi teſtatur, cùm ait. *Cum Aquila pugnat Olor, nutritq; eam ſæpius.* Vbi pro (nutrit) malè quidam (uincit) legunt. Hanc rem Albertus confirmat; *Siquæ* (inquiens) *Auium rapacium, vt Vultur aut Aquila Cycnos adortæ fuerint, acriter ſe tutantur, ipſi tamen nunquam pugnæ authores, aliàs vincunt, aliàs ſuccumbunt. Aliquando inſpectantibus nobis cum multis alijs amicis Aquila & Olor inuicem conſtixerunt, vterq; in aërem erectus adeò ſublimis, vt neutrum viſu aſſequeremur. Poſt duas horas vterq; delapſus, Aquilam Cycno ſuperiorem animduertimus, quæ famulo noſtro, vt Olorem caperet, accurrente, fuga arrepta auolauit.* De hac pugna [d] Statius:

Aquilæ cũ Oloribus pugna.

[a] *9. Hiſtor. cap. 12.*

[b] *Lib. 9. de ipnoſoph. cap. 16.*

[c] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 1.*

[d] *Li. 3. Thebaid.*

——*Clara regione profundi*
*Aeteris innumeri ſtatuerunt agmina Cycni,*
*Siue hos Strymonia Boreas eiecit ab arẽto,*
*Seu fœcunda refert placidi clementia Nili:*
*Fixerunt curſus, hac rere in imagine Thebas.*
*Nam ſeſe immoti gyro, atque in pace ſilentes,*
*Ceu muris, vallo q; tenent. ſed fortior ecce*
*Aduentat per inane cohors, ſeptem ordine fulua*
*Armigeras ſummi Iouis exultante caterua*
*Intuor, Inachij ſint hi tibi (concipe) reges.*
*Inuaſẽre globum niuei gregis, vncaq; pandunt*
*Cædibus ora nouis, & ſtrictis vnguibus inſtant,*
*Cernis inexperto rorantes ſanguine ventos?*
*Et plumis ſtillare diem?* &c.

Et [e] rurſus: ——*Nec ſegnius ardens*
*Accurrit niueo quàm flammiger Ales Olori*
*Imminet, & magna trepidum circumligat vmbra.*

[e] *Lib. 8. Thebaid.*

Et [f] rurſus: ——*Vtq; feri victorem fulminis albus,*
*Cùm ſuprà reſpexit Olor, cupit hiſcere ripam*
*Strymonos, & trepidas in pectora contrahit alas.*

[f] *Lib. Thebaid. c. 9.*

Nec temere hiſcere ripam Poëta dixit, nempe vt ſe ſubmergat & fugiat Aquilam. Mirum ſanè (vt inquit) [g] Oppianus ab ea vinci ſæpenumero, ac ſuperari tam pugnacem beluam. Eſt enim, teſte Ariſtotele, referẽte [h] Athenæo, Cycnus fœcundus & pugnax. Nam mutuò pugnãtes interficiuntur. Beroaldus capitalem quorundam inter ſe inimicitiam exprimere volens, ab his volucribus exemplo petito, ſic ait:

[g] *Lib. 5. de piſcibus.*

[h] *Li. 9. Dipnoſophiſt. cap. 16.*

*Vtque Aquilam Cycnus, Congrum Murena, Camelum*
*Odit Equus,* &c.

Eodem modo Aquila cum Auicula Trochilo, cui & ſenatoris, & regis nomen eſt, pugnare fertur, [i] vt Philoſophus tradit, ideoq; cum ea diſſidet, ſi credimus, quoniam Rex appellatur Auium. Quare vt regni affectatorum extremo perſequitur odio, quanquam non is eſt hoſtis, cuius vires metuit Aquila. Nam Trochilus imbecillis eſt & fugax, ſolertia tamen & ingenio præditus, fruticetis & cauis abdit ſeſe, vt à potentiore faeilè capi nequeat. Hinc [k] Baptiſta Mantuanus, aliquid à primo ſuo inſtituto mutatum deſignare volens, ita à ſimilitudine ab harum natura ducta, ait:

Aquilæ & Trochili pugna.

[i] *Lib. de Hiſt. anim. 9. cap. 11.*

[k] *Tom. 3. lib. 5. Alph.*

*Non Cycnis infeſtæ Aquilæ, diſcordia nulla eſt*
*Cum Trochilo, licet hic faſtus, nomenq; ſuperbum*

Regis

*Regis & immeritos Aquilæ indignetur honores.*

Nec cum Gruibus eis satis conuenit. Hæ tamen ab illis solertia & ingenio superantur. Etenim cùm Grues è Cilicia migrantes, montem Taurum Aquilis plenum parant transmittere, quibusdam lapillis, quò vocem cohibeant, in os sumptis noctu tacitè transuolant, atq; ita deceptis Aquilis tutò traijciunt. At cùm se ab Aquila impeti perspiciunt, in orbem consistunt, & contractæ in sinum, & tanquam acie instructa speciem pugnæ ostendunt; quare Aquila regreditur. Idem Anseres ab Aquila sibi metuentes cùm Taurum traijciunt, facere testatur Plutarchus[l] & ex eo Ammianus Marcellinus. Pugnat & cum Ardeolis Aquila, vt ex[m] Aristotele discimus. Nam hæ Aues vnguibus fretæ non verentur eam adoriri, & tam acriter dimicare, vt in conflictu sæpe moriantur. Cum Ciconia frequenter dimicandi causam habet, quòd vna comedat oua alterius, Ciconia Aquilam (vt vult Albertus) potissimùm insequitur tempore pullorum, & si sola non sufficit, plures alias sibi adhibet pugnæ socias. Hæc rostri mucrone multùm valet. Eandem ob causam summo odio persequitur Sittam & Subim, quòd & hæ Aues Aquilarum oua frangant. Hoc etiam de Scarabæo in fabulis referetur. Bellum & inimicitiam haud leuem gerit cum eo Accipitrum genere, quem Hierofalconem, item cũ eo quem Falconem montanum vocant. Hic Aquilam magnitudine, moleq; corporis haud inferior, prælio aliquando sternit. Vulturem veluti edacitatis æmulum, & homotechnum odit maximopere, de quo [n] Q. Calaber. *Et imbellibus*, inquit, *Vulturibus similes gradum sistere non audebunt, quos in fugam egit Aquila omnium Auium præstantissima, cùm in montibus greges à Lupis deiectos dilacerant.* Rapaces omnes, vt carniuoras, inimicas habet, eas capit aliquando, maximè cùm videt gestare lora pedum, id cibi aliquid esse existimans. Alioqui in deserto, vbi & feræ sunt, & sine loris, eas non solet aggredi. Quare vt hoc periculum euitetur, non nisi ademptis loris tam Aquila, quàm alia ex rapacibus cicurata in prædam emittenda est. Denique omnes in vniuersum Aues tam rapaces quàm non rapaces Aquilam extimescunt, adeo vt illa, qua eam aut viderint, aut audierint die, ad prædam non ausint prodire, vt Plinius tradit; ita vti & Draco ipse clãgorem Aquilæ audiens, terrore perculsus intra latebras suas mox mox se abscondat. Rectè igitur Aristoteles Aquilam dicit nullum habere animal amicum, plurima inimica. Quidam, inter quos Albertus, non verentur dicere, omnia. Neque tamen ideò statim existimandum est inter ipsam, & omnia ea, quæ persequitur animantia, Antipathiam quandam esse propriam, nempe innatum illud, & maximè occultum odium, quo percita omnibus æquè animalibus bellum indicat, & non potius euidente aliqua causa ducta ac incitata, vt cùm ——*pedibus prædator aduncis*

*Deposuit nido Leporem Iouis ales*, vt ait [o] Ouidius: aut cùm vt [p] Valerius Flaccus:

——*altum Iouis armiger æthra*
*Aduenit, & validis fixam abripit vnguibus Agnam:*

denique quamuis aliam

*Venatrix prædam rostro meditatur adunco*
(*Alituum regina*).

Nam non magis ea odisse dicitur, quàm Gallus hordei, aut frumenti granum, Pyrrhocorax panem, Picus uermem, Canis Leporem, Vulpes Gallinam, aut homo Turdũ & Perdicem: quæ nihilominus omni studio consectatur, non vt tãquam de hoste mortuo gaudeat: verùm ut uoluptatem ex simili præda stimulata fame & cibum capiat, huius rei argumentum satis manifestum est, quòd omnia occisa comedat. Probat hoc cùm natura eius, si ullius alterius Auis, maximè sanè rapax, tùm vniuersalis omnium, præsertim eorum, quæ uincere potest, persequutio. Nam & Rex dicitur Auium, non quòd verum imperandi modum imitetur, sed potius à uiolentia, & tyrannide, qua omnibus dominatur, dum omnes opprimit, dum deuorat, dum omnibus hostis omnes habet pro hostibus. Non iuerim tamen inficias sibi cum quibusdam Antipathiam & internecinum intercedere odium, sed cum paucis admodum, nempe cum Dracone, cum Olore, cum Cyminde, cum Subi &c. Ad antipathiam illud quoque procul dubio est referendum, quòd quæ serpentibus impunè vescitur, & à Dracone uictrix illæsa abit, innoxio homini symphyto interimitur, quod [q] Aelianus scriptum reliquit. Denique nulla re tam liquidò Aquilas à multis Auibus naturali quodam dissidio distare patet, quàm eo, quod quidam referunt, si modò uerum est, nempe quòd non modò præsentem & uiuentem, ceu reginam cæteræ Aues & multa alia etiam animantia extimescant: uerùm quòd & pennæ eiusdem, quasi deriuata quadam odij illius parte in partes exanimes cum alijs præsertim Anserum, aut Columbarum pennis communem societatem haud quaquam ferant, sed ipsæ incorruptæ atque integræ, alias sibi admixtas corrumpant, quod in pharetris probasse asserunt. Quibusdam tamen aliter uisum est, qui dicunt idem accidere etiam non coniunctis, & seorsim asseruatis utriusq; pennis. Sicciorum enim animalium partes sicciores, & minus excrementitias esse, atq; ideò diuturnio-

res;

Cum Gruibus nõ cõuenit Aquilæ.

Grues quo modo contra Aquilas se defendant.

Anseres quomodo ab Aquilis se defendant.

[l] *Tom. 2. li. de Garrulitate.*

Aquilæ pugna cũ Ardeolis.

[m] *Lib. 9. Hist. c. 1.*

Aquilę pugna cũ Ciconia.

Aquila cur Sittę & Subi infesta.

Aquila cũ quibus Accipitribus pugnet.

Aquila cur Vulturem oderit.

[n] *Lib. 3. Paralipom.*

Omnes Aues Aquilã timent.

Aquilã non ex odio omnia persequi animalia.

[o] *Li. 6. Metamorph.*

[p] *Lib. 1. Argon.*

Aquila cur rex dicatur.

Aquilę antipathia cũ Symphito herba.

[q] *Lib. 6. capit. 46. de Anim.*

Pennarum Aquilę antipathia cũ alijs pẽnis.

res; è contra verò humidiorum. Syluestria autem omnia manſuetis ſicciora ſunt, cùm quòd exerceantur ampliùs, tùm quòd pabulo ſicciore & minus copioſo fruantur. Non deſunt, qui contrarium aſſerunt, ſcilicet quòd, quia carnes, quàm fruges ſint humidiores, ideo non potu opus ſit, quibus victus eſt è carnibus. Verùm vtcunq; ea res ſe habeat, certum eſt Aquilæ naturam calidam eſſe, & ſiccam admodum, ideoq; corporis partes denſas, duras, & corruptioni minus obnoxias. Albertus quidem profitetur, pennas plures Anſerinas ab vna Aquilina conſumptas, ſeſe expertum eſſe. Sed ſi naturâ citius pereunt Anſerinæ, neque verè aut propriè ab Aquilinis eas deuorari, ac interteri dicemus, nec occulto aliquo, ac ingenito diſſidio ſeu antipathiæ id attribuemus. Experiri poterunt curioſi, Anſerinis pennis alijs ſeorſim ſepoſitis, alijs cum Aquilinis commixtis, vt videant pariter, nunquid hæ vel illæ priores contabeſcãt.

Temperies Aquilæ.

# DE MORBIS AQVILÆ.

PAVCISSIMIS Aquila morbis obnoxia eſt. Horũ præcipui ſunt, viſus hebetudo, pennarum caſus, & roſtri nimia aduncitas, quę extremo iam ſenio victum impedit. Vnde rectè [a] Plinius non ægritudine, ſed fame Aquilas ait oppetere, in tantum ſuperiore accreſcente roſtro, vt aduncitas aperiri nequeat. Quòd verò hæc ægra medicata ad iuuentam redeat, authores vno conſenſu produnt; & [b] Io. Baptiſta Porta eã ob cauſam ad cutis hominis mutationem eam prodeſſe aſſerit. At de modo alij aliter ſentiunt. Mihi quidem nulla ratio tam probabilis huius mutationis eſſe videtur, quàm quæ de mutatione pennarum intelligitur. Videntur enim Aues, quæ pennas mutarunt, quod vt plurimùm faciunt rapaces, vt in Aquilis & Accipitribus præſertim obſeruare licet, renouari ac velut ſenecta depoſita reiuueneſcere. Quam quidem ſententiam varijs Sacræ ſcripturæ locis confirmare licet. In primis verò illo [c] Micheæ Prophetæ, *Dilata caluitium tuum ſicut Aquila*. Item altero [d] Dauidis vbi ait: *Renouabitur vt Aquilæ, iuuentus tua*. Ita ſanè etiam Serpentes quotannis reuireſcere dicuntur, cùm leberidem, id eſt, pellem veterem, quam inde & ſpolium & ſenectam, nec non exuuium vocant, exuerit. [e] Diuus verò Hieronymus, iuuentutis in Aquila renouationem hoc pacto deſcribit: *Aquilæ vbi conſenuerint, grauantur pennæ, & oculi: Quærit illa fontem, erigitq; pennas, calorem in ſe colligit; eo modo ſanantur oculi, in fontem ſe ter mergit, atque ad iuuentam redit*; vnde in [f] Pſalmo. *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*. In eundem hunc locum [g] D. Auguſtinus ſcribens, multò aliter id recenſet. *Dicitur Aquila cùm ſenectute corporis preſſa fuerit, creſcentis roſtri immoderatione os aperire, & cibum capere non poſſe. Itaque modo quodam naturali in menſura quaſi reparandæ iuuentutis, Aquila dicitur collidere ad petram ipſum quaſi labium ſuperius, quo nimis creſcente, edendi aditus clauditur, atque ita caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur, accedit ad cibum, & omnia reparantur, erit poſt ſenectutem tanquam iuuenis Aquila, redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelſa, ſicut antea; fit in ea quædam reſurrectio*. Quòd autem ſupra modum vnguium, & roſtri reduci vitium ad ſaxa illidendo emendet, & verum, & re ipſa compertum eſſe teſtatur Albertus Magnus. Rabbi Rahadias, teſte [h] Rabbi Dauid, hiſtoriam Aquilæ reuireſcentis ita refert: *Quolibet decennio ad centum annos vſque ignem elementarem petit, cuius calore ſupra modum accenſa, in mare ſeſe dat præcipitem, ſicq; renouat, plumæ nouæ repullulant. Centeſimo verò anno, cùm id tentet facere, deſtituitur viribus, quare cum è mari præcipitata reſurgere nequeat, ita tandem emoritur*. Alij hanc rem ita referunt. Cùm ſenecta grauatur, ſuper nubes, quàm poteſt, volat ſublimius; vnde Solis calore hebetudo, & caligo oculorum conſumitur: ipſa mox impetu facto in ipſo adhuc caloris feruore, aquis frigidiſsimis tertiò immergitur, atque inde reſurgens, ſtatim nidum petit, vbi inter pullos iam capturæ aptos quadam quaſi febre correpta, cum ſudore quodam plumas exuit, à quibus donec pennas, plumaſq; reſumpſerit, ſedulò fouetur, & paſcitur. Etenim naturalis στοργὴ, & erga parentes pietas, quam non minimam inſeuiſſe naturam brutis conſpicimus, in Aquila præcipua eſt, ac ſingularis; ſicuti & in Ciconia, quæ parentes ſenio iam confectos, ac ſi ipſi pulli eſſent, educare, & nutrire ſolet, non ingrata acceptorum beneficiorum memoria. Cùm enim ſenes iam effœtæ viribus rapinas ampliùs exercere nequeant; itaq; à iuuenibus, ijſq; maximè rapacibus, & roboſtis auxilium petere coguntur. Hoc Epicrates apud [i] Athenæum his verſibus, quibus in Laidem meretricem iam anum ludit, aptè admodum expreſſit:

[a] *Li.* 10. *c.* 3

[b] *Li.* 5. *Phyſog. c.* 13.

Aquila quo modo ſenectam mutet.

[c] *Cap. prim.*

[d] *Pſal.* 102.

Serpentes ſenectam exuunt.

[e] *Tom.* 4. *in Commẽt. in Eſaiam.*

[f] *Pſal.* 102.

[g] *In eodem Pſalm.*

[h] *In Comment. c.* 41. *Eſaiæ.*

Ciconiæ amor erga pullos ſuos.

[i] *Li.* 13. *Dipnoſoph. c.* 10

—— *Mihi videtur id perpeſſa, quod*
*Solent Aquilæ, nanq; hæ iuuenes cùm ſunt, Oues,*
*Leporesq; carpunt arduis ex montibus,*

*Tulêre*

*Tulêre ſublimes quos pedum robore.*
*Vbi ſenecta mox grauis compreſſerit,*
*Iuuenes volantes quæritant actæ fame.*

Ad eundem ferè modum, quo diximus,[k] Albertus ex Ioracho, & Adelino authoribus ſenem Aquilam recreari iuuenta reſumpta refert, licet eius rei periculum feciſſe neget, cùm ait: *Dicunt ſenem Aquilam eo tempore, quo pulli iam adulti volare poſſunt; ſicubi deprehendat fontem clarum, & latè ſcaturientem, rectè ſupra illum in ſublime efferri, vſque ad tertiam aëris regionem, quem in Meteoris æſtum vocauimus, vbi cùm incaluerit, ita vt ferè exuri videatur, ſubitò demiſſis, retractiſq; alis in fontem frigidum illabi, vt à frigiditate forinſecus adſtringente, calor internus augeatur: tum fonte relicto ad nidũ ſuum non procul diſtantem aduolare, & inter alas pullorum tectam reſolui in ſudorem; & ſic cum veteribus pennis ſenectam exuere, induiq; nouis; interea verò dum renatæ fuerint, nutriri præda pullorum. Ad hæc non habeo, quod dicam, niſi mirabilia naturæ eſſe multa: in duabus quidem Aquilis, quæ apud nos alebantur, nihil huiuſmodi obſeruaui; erant enim illæ cicures, & ad modum aliarum Auium rapacium mutabantur.* Hoc enimuerò Accipitri in genere tribuitur, vt annoſus iam ſpirante Auſtro Solis radijs alas oppandat, vt tepente aura pori cutis aperiantur, pennæq; relaxatæ veteres, excuſſæ excidant, nouis ſuccedentibus. Quod ipſum ſanè ſacræ literæ diſertè teſtantur ore[l] Iobi dicentis: *Nunquid* (ò Deus) *per ſapientiam tuam plumeſcet Accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum?* Prætera quemadmodum domeſticus Accipiter, cui, vt pennis veteribus exutis nouæ ſuccreſcant, in loculum quendam, ſeu ædiculam recluſo, ſi quid cibi venenoſi exhibeamus, vt ſerpentis carnem, citius, ac facilius renouatur (Nam Tyrorum vſu, ex quibus antidotum illud præſtantiſſimum Theriaca conficitur, Elephanticis, Leproſis, alijſq; cutaneis vitijs deturpatis priſtinus decor,[m] Galeno teſte, reſtituitur) ita etiam Aquilę ſerpentum paſtum, quo delectari ſolet, ad plumeſcendum denuò, priſtinumq; nitorem recuperandum, haud parum conferre, non temere quiſpiam exiſtimare poſſit. Vnde hæc tria, nempe flatum Auſtri, & Solis radios (addunt quidam, calorem motu, & agitatione corporis, dum ſublimi is volat, comparatum) vim denique veneni ad reparandas vires, ac iuuentam inducendam plurimùm facere veriſimile eſt. Verùm, vt ſerpentum eſus hac in parte Aquilæ ſalubris eſt, ita idem cauſa eſt incommodi illius, quod in viſu perpetitur. Nam in tanta virium & annorum iactura haud facilè poteſt illam, quam antè iuuenis adhuc digerebat, cruditatem concoquere; vnde craſſis uaporibus ad caput elatis oculos ſuffundi contingit, cui affectui, ſolari lumine ex præſcripto naturæ, eo, quo ſuprà retulimus, modo mederi ſolet. Verùm ſenio decrepitis iam ſuperius roſtrum vſque adeo recuruatur, ut tandem fame pereat. Hinc fabula fidem inuenit, quæ id ideò accidiſſe ait Aquilæ, quòd olim cùm homo eſſet, hoſpiti iniuriam fecerit. Idem ex Ariſtotele Aelianus paulò aliter refert: Latio fuit, qui in Aquilam mutatus, vncis vnguibus uidetur. Hic in ſenecta, roſtro eius ob nimiam aduncitatem reddito inutili, hanc pœnam, famem ſcilicet ob vitam, dum homo eſſet, crudeliter peractam ſubit, & inſuper Scarabeorum odium. In ſenecta ergò cùm cibum vorare nequit, ſorbere cogitur, vnde natum prouerbium, *Aquilæ ſenectus*, in ſenes bibaces exprobratio, quippe quòd amiſſa edendi facultate, edentuli humorem aſſiduè ſorbillent, & uitam pertenui illa ope aliquandiu protrahãt. Hinc[n] Terentius: *Viſa verò eſt, quod dici ſolet, Aquilæ ſenectus.* Verba ſunt Syri adulantis hero, quòd ſtrenuè bibiſſet pridie in conuiuio. Peculiaris enim ſenibus eſt bibacitas, & uinoſior ſenilis ætas: nam uinum minuit ſenectutis moleſtiam, eiusq; ſiccitatem, & frigiditatem humiditate, ac caliditate temperat. Hinc Plato iuuenibus nullum, uiris moderatum, ſenibus largiorem uini uſum concedit. Et ſanè uinum lac ſenum vulgò eſt, & dicitur. Dicitur etiam idem prouerbiũ alio paulò ſenſu de his, qui in ſenecta meliores ſunt, non quidem ſponte, quia nolint, ſed quia ob ætatem inepti praua agere nequeant, uti tum uictum uitæq; conditionem mutant Aquilæ ob roſtri incuruationem innocentiores. Solet & iſtæc dici parœmia *Aquilæ ſenecta, Corydi iuuenta* de uiridi, & cruda ſenecta; quæ aliquorum ignauæ iuuentæ præſtat. Nam Aquila anus præſtat Corydo auiculæ etiam ætate integra. Huius ſententiæ ſunt illa ſapientis Græci:

*Illa ſenectus grauior, quæ parilis iuuentæ,*
*Illa iuuentus grauior, quæ ſimilis ſenectæ.*

Eſt autem notandum, quòd[o] Aelianus, ubi faſcinãtium oculos etiam beſtias etſi omnis rationis expertes, arcana ac mirabili quadam ui cauere ſcribit; Aquilam quoque gentili ſuo lapide ęti- te contra faſcinationem ſe tueri teſtatur. Prętęr hos, quos recenſuimus affectus, quidam phtyriaſi quoque, ſeu pediculari morbo Aquilas quandoque infeſtari ſcribunt, hac fortaſſe de cauſa, quia pulueratrices nõ ſunt, quemadmodum Perdices, Gallinę, Phaſiani &c. quę eidem aliqui malo obnoxię in puluere uolutatę ſibi medentur. Quandoquidem uerò iam Aquilam ad extremum ſenium, imò ad ultimam uitę metam perduximus, ut quemadmodum ipſa ſua uita, ita &

[k] *Lib. 23. de Animal. c. de Aquila.*

Accipiter pęnas quomodo mutet.

[l] *Cap. 39.*

Theriacæ vis.

[m] *De Theriaca ad Piſonem.*

Aquilæ uiſus quomodo corrum patur.

Aquilæ roſtri curuitas quã notã inferat.

Aquilæ Senectus ꝓuerbium.

[n] *In Heauton.*

Vinum ſenibus maxime confert.

[o] *Lib. 1. ca. 35. de Animal.*

Pedicularis morbus Aquilæ.

ita & nos quoque eius enarratione defuncturi, extremam manum imponamus, colophonis vice hoſce verſus ignoti cuiuſdam Poetæ, qui capita ſumma totius Aquilinæ vitæ complectuntur, memoriæ cauſa adijcere libuit:

Aquilinæ vitæ breuis deſcriptio.

*Alta volat, manet in petris, roſtrum terit, eſt rex,*
*Venatur, ieiunat, habet gemmam, rota Solis*
*Sola probat pullos, lambit, fonte innouat alas,*
*Fulua, videns vngues, piſces, prædataq; clangit.*

# HISTORICA.

CVM ea, quæ de Aquila ſparſim, & apud diuerſos authores leguntur, hiſce quæ hactenus de natura eius ac indole, totiusq; vitæ ratione dicta ſunt, tam arcto vinculo colligentur, vt commodè ab his diuelli nequeant, quippe quæ vel potiſſimùm Aquilæ ingenium, mores, eiusq; ingenitas, ac naturales affectiones oſtendant. Itaque hiſtorica quædam hoc loco ſubnectere non ab re nobis viſum fuit. Sunt autem pleraque huiuſmodi, vt ſingularem quendam affectum pietatis, ac amoris erga hominem, vt vel in beneficio collocando benignos, vel pro accepto ſeſe gratos declarent. Ex quibus ſanè quanta ipſi cum reliquis animalibus antipathia eſt, tantam è conuerſo cum homine ſympathiam intercedere conſtat. Gratitudinis præclaræ illud eſt, quod referunt in Seſto educatam à virgine Aquilam, eamq; libertate donatam, hanc duplicis beneficij gratiam retuliſſe, primò ut Aues, mox etiam vt venatus virgini aggereret. Quidquòd cùm virginem diem obiiſſe, iamq; rogum exurendæ extructum vidiſſet, in accenſam pyram ſeſe iniecit, & ſimul conflagrauit, quippe quæ pari fato interire, quàm altrici dominæ ſuperuiuere ſatius habuerit. Hanc ob cauſam incolæ, quod vocant Heroum, in eo loco fecerunt, appellatum Iouis, & Virginis, quoniam illi Deo ales adſcribitur. Si quis tamen à veritate hoc alienum putet, [a] Plinium huius rei authorem mendacij inſimulet, per mè licet, penes quem fidem eius rei eſſe volo. Simile eſt, quod de Aquila Pyrrhi Epirotarum regis alumna narratur. Hæc affectũ erga dominum demonſtrãs, gaudebat ſi quis fortè dixiſſet Pyrrhus, quaſi ad nomen altoris auditum geſtiens. Hæc eadem mortuo domino ab omni cibo prorſus abſtinẽs inediâ ſemet confecit. Ptolomæum Soterem Arſinoæ filium ferunt Macedones expoſitum, & ab Aquila nutritum. Hæc ſublimis ſuper infantem extenſis alis, & æſtum ſolis & pluuiam auertebat, Aues gregales arcebat, & Coturnicum ſanguine tanquam lacte infantem alebat, vt Suidas in Lago teſtatur. Ariſtomenem quoque ſcribit [b] Pauſanias miro ab Aquila modo è Ceade (ſic altè dehiſcentem ſoueam uocabant) liberatum, cuius rei hiſtoria, cùm inſolens ſit, ac relatu iucunda, non pigebit authoris hîc verba referre: *Ariſtomenem qui ſæpè aliàs, idem & tunc Deus ſeruauit: cuius qui res geſtas magnificentius extollunt, aduolaſſe Aquilam dicunt, quæ cadentis corpus paſſis alis ſubiens, ita illum liberauerit, vt omni ex parte illæſus ad eius barathri ima delatus fuerit: Fato certè neſcio quo exitus ei è tetro illo hiatu monſtratus eſt. Nam cùm in imo iam ſpecu conſtitiſſet, veſte obuolutus decubuit, extremam, quam proximè adeſſe putabat, vitæ horam expectans. Triduum erat ibi iam commoratus, cùm audito ſtrepitu quodam retecta facie per ſubluſtres tenebras Vulpem vidit cadauera appetentem. Cogitans itaque per oſtiolum omnino aliquod beſtiam illuc penetraſſe, vt ea quantiſper propius accederet, operiebatur: Id cùm, vti volebat, accidiſſet, feram manu altera comprehendit, altera, quoties ſe illa conuertiſſet, manu, chlamydem mordicus prenſandam obiiciebat, & currentem quidem, qua ſe via dabat, curſu conſequebatur; trahendum verò ſe beluæ per inuia præbebat. Vidit poſtremò cuniculum nihilo ampliorem, quàm vnde poſſet Vulpes euadere, per quem luminis ſe aliquid oſtendebat, per illum quadrupes, vt primum dimiſit eam quaſi manumiſſam Ariſtomenes, luſtrum ſuum repetijt. At ille anguſtam illam & minimè peruiam cauernulam manibus aperiens intrans ad ſuos tandem euaſit. Fuit eius fortuna, cùm captus eſt, mira & inopinata; maior enim viri ſpiritus erat, maior ex rerum geſtarum magnitudine audacia, quàm vt quiſquam capi illum poſſe ſperare debuerit, ſed nihil fuit admirabilius, nullum certius præſtantiæ huiuſce argumentum, quàm quòd è Ceada elabi potuerit.* Quam ſanè ſalutem Aquilæ debebat; nunquam enim Vulpeculæ beneficio euaſurus fuiſſet, niſi in medio lapſu ab Aquila ſuſtentatus placidè ad ima conſediſſet, alioquin in mille fruſta abiturus.

Aquilæ in uirginẽ mirus amor.

[a] *Li. 10. c. 5*

Aquila Pyrrhi nominis amans.

Ptolomæus Soter ab Aquila nutritus.

[b] *Lib. 4.*

Ariſtomenes quomodo liberatus ab Aquila.

Sed quoniam in Aquilæ benignitatem incidimus, minimè omittẽdum eſt, quod apud [c] Plutarchum legitur, vt ſi cui argumentum placuerit, totius hiſtoriæ ſcenam ſibi pingendam curet. Cùm peſtis olim apud Lacedæmonios graſſaretur, vrbemq; exhauriret, oracula monuerũt mali vim ceſſaturã, ſi quotannis nobilem aliquam virginem immolaſſent. Obſequuti Lacedæmonij oraculi fidem approbauerunt. Fortè verò euenit, vt Helenæ ſors obtigerit, quæ cùm ma-

[c] *In Parallelis ex Ariſtodemo in tertia congerie fabul.*

Helena ab Aquila ſeruata.

ctanda

randa duceretur, Aquila deuolans sacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatum superiuuencam demisit, cuius prodigij argumento Παρθενοκτόνια sublata est.

Pari prorsus pacto apud Valerios Virgo, cui nomen Valeriæ Lupercę erat, sacrificio sorte destinata Aquilæ beneficio seruata est. Valeria virgo ab Aquila seruata.

Non minus memorandum ardentissimi amoris Aquilæ in hominem insigne exemplum, quod à Philarcho acceptum Athenęus scriptum reliquit. *Puer Auium studiosissimus Aquilæ pullum, quem dono accepisset, vario, & multiplici cibo aluit, & studiosè diligenterq; curauit, ægrotanti quandoq; medici officium præstans: Nam eam ipsam non tanquam rem ludicram alebat, sed tanquam alius vel amores suos & delicias, vel natu minorem germanum fratrem, sic sanè is Aquilam magna diligentia & cura tuebatur. Cùm autem progressu ætatis in mutuam inter se amicitiam vehementer exarsissent, atque accidisset, vt ex morbo puer laborasset, tum ei Aquila assiduitate officij assistebat; cùm non ederet, ipsa pariter cibum non admittebat: Posteà verò quàm è vita excessisset, atque efferretur ad monumentum sepulchri, eum prosequuta est, cùmq; cremaretur in medios sese rogos immisit.* Aquilæ & pueri mirus amor.

Crates Pergamenus historiam in beneficentiæ genere præclaram de Aquila recitat, quam & Stesichorus Poëta poëmate prosequutus, & [d] Aelianus refert. *Decem, inquiens, & sex viri frumentū in area perticis excutientes vastissimis Solis ardoribus, cùm ardentissimè sitirent, vnum ex suis, vt aquam mel. de proximo hauriret fonte, miserunt. Is messoriam falcem in manibus habebat, & in humeris situlam gestabat, vbi verò ad fontem venit, Aquilam strictissimè, cautèq; offendit serpente circumplicatam, iam iam proximam, vt strangularetur. Agricola vel quod non ignoraret, vel quòd auditione accepisset, Aquilam Iouis nunciam & ministram esse, & item quòd egregiè teneret feram bestiam esse serpentem, falce eum dissecuit, & vinculis Aquilam, vnde effugere non poterat, exoluit. Cùmq; his obiter gestis reuertisset, atque hausta aqua vinum temperatum omnibus ministrasset, ij quidem auidissimè bibere aggrediuntur. Is autem qui aquam hausisset, iam post illos bibiturus erat. Ad labra igitur poculum cùm admouisset, seruata Aquila circum locum illum etiam nunc versans, vt hanc mercedem suæ salutis persolueret, sic in poculum inuolauit, vt scyphum frangeret, potioq; omnis effunderetur. Ille quòd vehementer sitiret, grauiter indignatus ait: Hancne gratiam, cùm sis illa (nam Auem agnoscebat) tuo conseruatori refers? Itane Iouem gratiarum inspectorem & præfectum vereris? Cùm hæc eloquutus in siti se ad alios conuerteret, videt ex venenata potione palpitantes extremum spiritum aflare. Serpens enim vt conijcere licebat, suo veneno fontem infecerat. Itaque redemptionis præmium ei, qui se conseruasset, Aquila cum pari salute compensauit.* Hoc gratitudinis & relati beneficij exemplum est. [d] *Lib. 17. c. 37. de Animā. de* Agricola Aquilā liberat aduersus serpentem pugnā tem. Agricola ab Aquila præsetuatur.

Nunc aliud non minùs memorabile, sponte seruati infantis ex eodem [e] Aeliano addamus, cuius hæc sunt verba; *Est & amor & benignitas erga homines in brutis laudabilis; Nam Aquila olim infantem seruauit. Sed operæpretium est historiam integram explicare, amplum sententiæ nostræ futuram testimonium. Sacchoræ Babyloniorum regi futurum è filia nepotem, qui regnum auo adimeret Chaldæi prædixerant. Hoc ille metuens, in filiam durior est: & vt omnis abesset suspicio, arctissimè inclusam custodiri voluit. Sed frustra suo consilio rem fatalem impedire conatus est. Nam filia ex obscuro quodam homine grauida peperit. Natum autem ex ea infantem custodes regis metu ex arce (cui filia includebatur) præcipitarunt. fortè autem præteruolans Aquila, viso casu, perspicacissima nimirum Auis, illicò, priusquam terræ allideretur, volando subiens infantem dorso excepit, & in hortum quendam deportatum leniter deposuit: Eum loci dominus inuentum, forma eius delectatus amauit, educauitq;: & Tilgamum appellauit. is postea in Babylonios regnum adeptus est. Hoc si cui fabula videtur, me quoque non approbare illi fatebor. Audio tamen Achemenem Persam quoq; à quo nobilis Persarum prosapia descendit, Aquilæ alumnum fuisse.* [e] *Lib. 12. de anim. c. 21.* Infans ab Aquila seruatus. Tilgamus rex. Achemenes Persa Aquilę alumnus.

Prophanis hisce sacras aliquot historias libet subnectere, veriores procul dubio & fide magis dignas, ex quibus appareat, vt multarum aliarum auium & animantium, sic etiam Aquilæ ministerio ad priorum subsidium diuinam bonitatem vsam esse. Laurentius [f] Surius hanc de S. Medardo narrat historiam. *Post eius decessum, cùm iam domi paratum esset conuiuium, per quemdam seruorum puer à parentibus vt conuiuio interesset, inuitatur. Ille verò, qui ad hoc missus est, eminus prospiciens, videt puerum propter pluuiam, quæ tunc fortè ingruebat, aliquantum ab equis secessisse, ac tanquam latebram propter imbrium effusionem quærentem, ab officio declinasse: & in altum oculos eleuans videt Aquilam alarum expansione, omnisq; ad hoc distento corpore, tam congruenter puerum cooperire, vt in nullo, cùm circumquaque pluuia illa grassaretur, ab innundante aëris illius contingi posset exundatione. hoc diu miratus tandem non sine multa trepidatione appropinquans, humillimè puerum sanctum adyt, & ex præscripto patris paterno interesset conuiuio, diligentissimè inuitauit.* [f] *To. 3. de vitis sanctorū in vita S. Medardi.* Aquila puerum sanctū à pluuia defendens.

Idem auctor de S. Benedicto refert, quod occisi à latronibus corpus eius ab Aquila sit inuentum; *Cùmque* ait, *per tres annos exemplo magistri districtè vitam ageret, latrones superuenientes, & multam apud ipsum pecuniam esse sperantes, ductum ad ripam fluminis Vuag, iugularunt, & in ipsam aquam demerserunt. Diu verò corpore eius quæsito & non inuento, per integrum annum uisa est Aquila in ri-* S. Benedicti corpus repertū ab Aquila.

*pa eiuſdem fluminis, quaſi quædam obſeruatura, ſedere: per quam de corpore certi eſſecti, quendam in aquas immergi fecerunt, & ſic integrum, quaſi nuper obiiſſet, inuenerunt.*

[g] *Lib. 3. Poloniæ hiſt.*

Ioannes Herbortus, item Martinus Cromerus de Stanislao Epiſcopo Cracouienſi ſanctiſſimo hanc referunt hiſtoriam, hoc ferè modo: *Iratus, furensq; Boleslaus Poloniæ Rex, in ædem D. Michaëlis in rupe prærupta ſupra Viſtulam conſpectu arcis ſitam, quò ipſe ad faciendam ſacræ miſſæ ſacrificium cum paucis ſacerdotibus commeabat, contendit, & Stanislaum ſacris operantem per Satellites ſuos aggreditur, qui introgreſſi, ſubito & inſolito fulgore perculſi, ſupini cadunt, indeq; manibus & pedibus reptantes, ſe proripiunt. Submittit Rex alios iterum atque iterum, idem & ijs, quod primis, accidit. Furore igitur percitus, moræq; impatiens, increpita ſatellitum ignauia & formidine, ipſe ſtricto enſe in templum irrumpit, lethaliq; ictu ſacroſanctı Epiſcopi verticem ferit, ita ut cadens parietem proximum cerebro aſpergeret. Ibi ſatelliites templo corpus humi procumbens extractum minutim, furori regio morem gerentes, concidunt, & in ſubiectis pratis Canibus, & Volucribus laniandum diſiciunt. Dies, quo hæc patrata ſunt, fuit octauus Maij anno Chriſti, 1079. cùm Stanislaus vix triennium Epiſcopus fuiſſet. Rege autem cum ſuis militibus abeunte, quatuor Aquilæ inuſitatæ magnitudinis apparuiſſe feruntur, corpus ſanctum à laniatu Canum & Rapacium Auium defendentes, toto biduo, donec moti ea re pij Sacerdotes reſumptis animis membra diſiecta collegerunt, & ſuo ordine diſpoſuerunt, quæ è veſtigio mirandum in modum coaluiſſe dicuntur. Ita corpus integrum pro foribus ædis illius, vbi martyr Dei cæſus eſt, in Vrna venerabundi condiderunt, quod decimo poſt anno in arcem Cracouienſem in medio Baſilicæ reconditum eſt. Quin & lucernæ permultæ in aëre ſuper eum locum, vbi diſiectum erat corpus Stanislai nocte proxima, quæ cædem conſequuta eſt, ardere à nonnullis viſæ commemorantur.*

S. Stanislaus à Boleslao Poloniæ Rege occiſus.

S. Stanislai membra ab Aquilis ſeruantur.

Beda Venerabilis cognominatus, qui martyrum Eccleſiæ Anglicanæ pro Chriſto cæſorum hiſtoriam texuit, Aquilæ cuiuſdam meminit, quæ miraculosè Piſcem accepit è flumine, & Sancto Cuthberto Epiſcopo Lanſarnienſi, ne fame periret, detulit; eius verba ſunt: *Diſce, filiole, inquit vir ſanctus, Dei fidem ſemper, & ſpem habere in Domino, quia nunquam fame periit, qui Deo fideliter ſeruit. Et ſurſum aſpectans, videnſq; Aquilam in altum volantem: Cernis, inquit, Aquilam illam porrò volitantem? Etiam per huius miniſterium poſsibile eſt Domino Deo noſtro, nos hodie reficere. Talia confabulantes, agebant iter iuxta fluuium quendam. Et ecce ſubitò vident Aquilam in ripa reſidentem, dixitq; vir Dei: viden vbi noſtra, quam prædixi, miniſtra reſidet? Curre, rogo, & quid epularum nobis attulerit, inſpice, & citius affer. Qui accurrens attulit piſcem non modicum, quem nuper illa de fluuio prehenderat. At vir Dei, quid, inquit, feciſti fili? quare miniſtræ ſuam partem non dediſti? ſeca citius medium, & illi partem, quam nobis miniſtrando meretur, remitte. Fecit vti iuſſerat, ſumptaq; ſecum parte reliqua, vbi tempus reficiendi aderat, diuerterunt ad proximum vicum, & dato ad aſſandum piſce, ſe pariter & eos, ad quos intrabant, gratiſsimo refecêre conuiuio, prædicante Cuthberto verbum Dei, atque eius beneficia collaudante. Et quia beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Et ſic reſumpto itinere ad docendum eos, quos propoſuêre, ſunt profecti.*

In vita S. Cuthberti Epiſcopi.

S. Cuthbertus ab Aquila piſcem accipit.

# VSVS.

HAudquaquam muneri noſtro nobis facturi ſatis viſi ſumus, ſi nudam tantummodo Aquilæ hiſtoriam texere contenti eſſemus, niſi etiam prodeſſe, adq; eius vtilitatem, in cuius gratiam æternus ille & optimus naturæ pater omnia animãtia produxit, ſermonem conuertere velimus. Nam vt inquit[a] Horatius:

*Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.*

[a] *In arte poëtica.*

Qua de cauſa Aquilæ uſum, qui ad finem cauſarum omnium nobiliſſimum refertur, ſingillatim exponere decreuimus, vt non minus vtilitate, quàm nobilitate ſua, tantopere iactata poſthac omnibus fiat commendatior. Aquilæ uſus uarius eſt ac multiplex: & alius quidem nominis, alius verò rei: & qui rei, alius in ſacris, alius in humanis. Qui in ſacris, uel ad cultum diuinum, aut actorum expiationem, aut futurorum augurium, & huiuſmodi alia. Qui in humanis, vel ad actiones ac mores, & affectus uel animi, uel corporis, uel ad externa, ut ad quæſtum, ſpectat. Et hæc partim à primordio inuenta, ſed non ad nos uſque propagata, partim per multum antea tempus ad noſtrum uſque æuum obſeruata ſunt, præſertim quod ad ſacra attinet, vt ex ſequentibus apparebit. In ſacris uerò tractandis, nihil mihi liceat, niſi authoritatem ſanctorum patrum puram deſcribere, doctorumq; dogmata, quę ab Eccleſia Romana recipiuntur. Nolo falcem meam, ut dici ſolet, in meſſem alienã mittere, verùm omnia ab orthodoxis patribus tradita, & Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ aſſenſu comprobata, vera, firma ac rata, indubitataq; habere volo: vt & ſi quid in meis ſcriptis minus purgatum aures pias offenderit, irritum eſſe cupio, ac iubeo. Reſtat nunc, vt de vſu, quem præbet in ſacris, aliquid dicamus.

Aquilę multiplex vſus.

# COGNOMINATA, & Denominata.

AQVILAE cognomine ſacris ſcriptoribus uenit D. Ioannes Euangeliſta, neq; id immeritò, quippe qui aſſumptis ſanctæ contemplationis pennis, ut Aquila recto intuitu ad Solem, ſic ipſe ad Dei uerbum, ipſum Solem iuſtitiæ mentis oculis conuerſis eleuatus fuit. Vnde[a] D. Auguſtinus de eo in hanc ſententiam ſcribit: *Eius doctrina Euangelica altitudine differt à reliquis. In quatuor Euangelys vel potius in quatuor libris vnicus Euangelij Ioannes Apoſtolus non immeritò ſecundum intelligentiam ſpiritualem Aquilæ comparatus multò ſublimius alijs tribus crexit prædicationem ſuam, & ita corda erigi voluit. Nam cæteri Euangeliſtæ tanquam cum homine Domino in terris ambulabant, de diuinitate eius pauca dixerunt. Iſtum autem, quaſi piguerit in terra ambulare, ſicut ipſe in exordio ſui ſermonis intonuit, erexit ſe non ſolùm ſuper terram & ſuper omnem ambitum aëris, & cœli, & ſuper etiam omnes exercitus Angelorum, omnemq; conſtitutionem inuiſibilium poteſtatum, & peruenit ad eum, per quem omnia facta ſunt; dicendo: In principio erat verbum*, &c. Idem[b] Auguſtinus ita ſcribit. *Ioannes maximè diuinitatem Domini, qua patri eſt æqualis, contendit, eam præcipuè ſuo Euangelio, quantum ſufficere credidit, commendare curauit. Itaq; tribus alijs altius fertur, ita ut uideas eos quaſi in terra cum Chriſto homine conuerſari, illum autem tranſcendiſſe nebulam, qua tegitur omnis terra, & peruenisſe ad liquidum cœlũ, vnde acie mentis acutiſſima atque firmiſſima videret, In principio verbum, verbum apud Deum, per quod facta ſunt omnia, & ipſum agnoſceret carnem factum eſſe, vt habitaret in nobis, & quod acciperet carnem, non quòd mutatus fuerit in carnem.* Tres Euangeliſtæ temporalia facta Domini, & dicta, quę ad formandos mores uitę preſentis maximè ualerent, copioſius proſequuti, circa actricem illam uerſati ſunt virtutem. Ioannes uerò facta Domini multò pauciora narrans, dicta uerò eius, præſertim quæ Trinitatis unitatem & uitæ æternæ felicitatem conformarent, diligentius, ac uberius conſcribens, in uirtute contemplatiua commendanda, ſuam intentionem prædicationemq; tenuit.[c] Idem, *inter ipſos*, inquit, *Euangeliorum ſcriptores, Ioannes eminet in Diuinorum myſteriorum profunditate, qui à tempore aſcenſionis per annos LXV. verbum Dei abſque adminiculo ſcribendi, vſq; ad vltima Domitiani tempora prædicauit, ſed occiſo Domitiano à Senatu Romano, cum permittente Nerua ab exilio rediiſſet Epheſum, compulſus ab Epiſcopis Aſiæ de cœterna patri diuinitate filij ſcripſit hoc Euangelium aduerſus hæreticos, qui eo abſente in eius Eccleſiam irruperant, qui Chriſtum ante Mariam fuiſſe negabant.* Vnde meritò in figura quatuor animalium, quæ uidit Ezechiel, Aquilæ uolanti cõparatus eſt. Et[d] alibi rurſus inquit: *Iohannes iſte Euangeliſta multum altè volat, vix eſt*

D. Ioannes cur dictus Aquila.

[a] *Serm. 34. in D. Ioannem.*

[b] *Lib. 1. de cõſenſu quatuor Euãg.*

Euangeliſtarum diſcrimen.

[c] *In Prolog. ſuper Euangel. Ioan.*

[d] *Serm. 25. ſuper Ioan.*

*eum mente comprehendere* ; adeò, vt alibi idem D. Auguſtinus teſtatur, *ſi altius de Deo ſcripſiſſet, nullus hominum eum intellecturus fuiſſet.* Inter cæteros ſcriptores Eccleſiaſticos, qui Ioannem Aquilæ cognomine donant, [c] Hieronymus Vida eum ſcitè hiſce ſuis verſibus depingit:

[c] *Li.4. Christiados in principio.*

*Qualis vbi alta petens terris aufertur ab imis*
*Alituum regina, vagas ſpatiata per auras*
*Dat plauſum gyro, atq; in nubila conditur alis,*
*Aetherea iamq; illa plaga leuis inſtat, & acrem*
*Intendens aciem, criniti lumina Solis*
*Suſpicit, obtutuq; oculos fixa hæret acuto.*

[f] *Lib.3. Parthe. ſecund.* Et [f] Baptiſta Mantuanus.

*Quartus Ioannes Aquila ſignatus, amictu*
*Lucet in albenti, mentoq; & vertice caluus.*

Cæſar & Ariſtoteles Aquilæ dicti. Sunt qui lepidè admodum & doctè Cæſarem & Ariſtotelem vitæ humanæ lumina & præcipuarum virtutum ſimulacra Aquilas cognominent, vnde hæc carmina alibi legimus:

*Geminas Aquilas rebus in arduis notaui,*
*Cæſar creperi gloria, fulmen atque belli,*
*Ac Ariſtoteles altera natura loquendo.*

Nabuchodonoſor cur cognominatus Aquila.

De Nabuchodonoſore magno Babylonis Rege ſub Aquilæ cognomento hæc habet ſcriptura ſacra apud [g] Ezechielem Prophetam: *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, ſummitatem frondium eius euulſit, & tranſportauit eam in terram Chanaam. In vrbe negotiatorum poſuit illam, & tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine, vt firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud. Cùmq; germinaſſet, creuit in vineam latiorem, humili ſtatura reſpicientibus ramis eius ad eam, & radices eius ſub illa erant. Facta eſt ergo vinea, & fructificauit in palmites, & emiſit propagines, & facta eſt altera Aquila grandis, magnis alis, plumiſq; multis, & ecce vinea iſta quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam, vt irrigaret eam de areolis germinis ſui, quæ in terra bona ſuper aquas multas plantata eſt, vt faciat frondes, & portet fructum, vt ſit in vineam grandem.* Huius vaticinij hic eſt ſenſus; Nabuchodonoſor Rex Babylonis, qui ideò Aquila nominatur, quia quemadmodum illa habet inter Aues principatum, ſic ille inter homines Chaldæos, de quo & [h] Ozeas: *Quaſi Aquila ſuper domum domini.* Magnarum autem alarum & longo membrorum ductu dicebatur, quia multas gentes ſibi ſubditas regebat, ducebatq; magnum exercitum, qui alarum nomine ſignificatur, vt apud [i] Eſaiam. *Erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ*: Et apud [k] Ieremiam. *Extendens alas ſuas ad Moab*: apud Latinos etiam dicta eſt ala equitum turma, quòd pedites tegat alarum vice. Et in acie ala dextra locatur & ſiniſtra inſtar alarum Auium. (Plena plumis) quia ditiſſimus erat. (Venit ad Libanum) hoc eſt, ad templum Salomonis, propter eminentiam & excellentiam ſic vocatum, vel quia erat ex lignis Libani, ſeu ex Cedro montis Libani, quæ & Cedrus maior dicitur, conſtructum. Venit enim Nabuchodonoſor Hieroſolymam, quam expugnauit, & abduxit ſecum quicquid erat pretioſum, cum Ieconia Rege, & optimatibus ferè omnibus qui per medullam Cedri intelliguntur. Et facta eſt altera Aquila grandis. hic fuit Rex Aegypti potens ac magnus, & præcipuus Babyloniorum hoſtis, ad quem Zedechias confugiens, totum ſeſe ad eius fidem & amicitiam contulit, & fœdus, quod cum Nabuchodonoſore inierat, & iureiurando confirmauerat, periurus violauit.

[g] *Cap.17.*
[h] *Cap.18.*
[i] *Cap.8.*
[k] *Cap.48.*

Ala dicitur turma equitum, & quare.

Templum Salomonis ex quo ligno ſtructum.

Hieroſolyma capta.

Aiax cur Aquilæ cognomē habuerit.

Cur Aiax Aquilæ cognomine cohoneſtatus fuerit, [l] Pindarus exponit in hæc verba:

[l] *Iſthm. Ode. 6.*

Ταῦτ' ὄρα οἱ φαμένῳ πέμψειν θεὸς
Ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν αἰετόν.
Ἁδεῖα δ' ἔνδον μιν ἔπνιξεν χάρις.
Εἶπέν τε φωνήσαις, ἅτε μάντις ἀνήρ,
Ἔσσεταί τοι παῖς οὐ ἀιτεῖς ὦ Τελαμών.
Καί νιν ὄρνιχος φανέντος
Κέκλεται ἐπώνυμον εὐρυβίαν
Αἴαντα, λαῶν ἐν πόνοις ἔκ-
παγλον Ἐνυαλίου. id eſt.

*Hæc illi loquuto miſit Deus ducem Auium magnam Aquilam & dulce intus ei titillauit gaudium, & dixit loquutus, vt vir vates, erit tibi filius, quem petis Telamon, & eum Aquilæ, quæ apparuerit, cognomento appellabis Aiacem latepotentem, ſtupendum in laboribus turmarum Martiarum.* Cùm enim Hercules in Telamonis gratiam ſacrificaret, vt ei filius naſceretur, itaq; filius propter Aquilæ præteruolantis auſpicium, Aiax Telamoni natus primùm Αἰτὸς dictus eſt. Pyrrhum Epirotarum

Pyrrhus rex Aquila dici voluit, & quare.

Regem

Regem Aquilæ sibi cognomen assumpsisse, & eo gauisum fuisse Plutarchus testatur. *Pyrrhus à pugna, magna cum gloria ac celebritate nominis, ac lætitia in Epirum reuersus, cùm* Ἀετὸς, *id est Aquila salutaretur, per vos, inquit,* Ἀετὸς *sum, qui me vestris armis, tanquam alis in altum extulistis. Vnde semper ei Aquilæ cognomen summè placuit, eoq; vsus est.* Tradit item[n] Plutarchus Tyrannos quosdam & Reges se vrbium expugnatores, fulmina, victores, Aquilas, Accipitres appellari ingenti cum voluptate voluisse. Hos tamen non nominat. Scimus autem Antiocho gratum fuisse Accipitris cognomen, etsi aliquibus Buteo propter impudicitiam dictus fuit. Ea est enim animi humani elatio, vt propter gloriam ac ostentationem, multa ab animalibus quoq; ratione carentibus mutuetur, quorum vel actio, vel constitutio aliqua nobilis, atq; clara appareat. Vnde etiam Pindarus Lyricorum Princeps, suauissimusq; alioqui Poëta se Aquilam, at æmulum Bacchilidem Gracculum cognominauit. Qui verò metempsychosim profitetur, nõ re saltem, sed & nomine cum animalibus communicare voluerunt. Sic Magi Aegyptiorum, patres appellabãt Aquilas & Accipitres, & Leones, qui sacris ijsdem initiantur. Quid? quod ab animantibus, quibus quid generosum inesse cõspexerunt, natos suos Germani sua indigete lingua iam ab omni æuo recepta consuetudine semper denominarunt. Huius rei exempla sunt Arnhulphus, & Arnoldus. Arnhulph enim non aliud, quàm Aquilæ auxilium sonat, quo quicunq; id nominis nactus est, monetur, vt natis suis, amicis, subditis, Aquilina fortitudine, seu instar Aquilæ auxilium præbeat, præsertim si princeps fuerit. Fuit autem Arnhulphus Caroli magni filius Rex Francorum, qui honestè ac sapienter ab Aquilæ auxilio, quod, vt quidam volunt, aliquando ab ea accepit, vel potius quod populis suis debuit, & tulit, cognominari, imò nominari uoluit. Siquidem vox illa Aren, seu Arn, vel Aar, quæ, vt quibusdam placet, ab Hebræa in Germanos deriuata est; vt autem mihi videtur, ex ipsorũmet linguæ fontibus hausta est, quibus (Ar) iratum signat, cùm nulli volucri bilis plus insit, quàm huic omnium crudelissimæ, quæ Aquila dicitur, quamuis non desint, quibus Arnhulphus quasi Ernhu phus dictus putetur, qui honesto opẽ ferat, idq; promoueat. Pari pacto Arnoldus Aquilæ nomen debet, quod Medico illi Villanouano fuit, & Aquilini animi seu indolis heroem denotat. Simili ratione Arnehim Belgij vrbi, ab Aquila Romanorum, qui castra illic habuerunt, nomen remansisse (sonat enim Aquilæ domicilium) verisimile est.

Aquilæ cognomen etiam Nilo fluuio olim fuisse legitur, vt ex [o] Diodoro Siculo palàm fit, ob cursus videlicet velocitatem & aluei altitudinem. Nonnulli verò Nilum Aquilam cognominari opinati sunt à colore, vtpotè qui, vt [p] Maro inquit:

*Et viridem Aegyptum nigra fœcundat arena.*

Aquilę autem pleræq; tali sunt colore. Catullus etiam æquora colorari à Nilo affirmat. Nomen illi à limo, quem trahit, factum aiunt Etymologici. Nam mare in longa inficit spatia, eaq; de causa Melas olim, & mox Melon Ennio, Ausonio & alijs appellatus fuit. Atque id etymon à nigrore Festus & Seruius agnouêre. Hinc est quòd Aquila apud Aegyptios Nili fluminis hieroglyphicum habita fuerit.

Ab Ἀετὸς Aëtius Medicus & rerũ naturæ indagator insignis denominatus est, fortasse propter animi impetum & acumen ingenij.

Huic simile est apud Latinos Aquilius siue prẽnomen, siue cognomen sit, ab Aquilo colore (vt videtur) petitum.

Ἀετὸς ἵππος Archiæ equus est Iberus tantæ uelocitatis, ut solæ cum eo certare posse uideantur Aquilæ.

Ἀέτωμα Græcis ab Aquila dictum. Cuius inuentionem Ion & Pindarus Corinthijs ascribunt. * Pindarus in hæc uerba quærit:

Τίς θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆα δίδυμον ἔθηκε; ideſt,
*Quis Deorum templis Auium regem duplicem posuit?*

Aetoma autem templi pars erat in modum alæ constructa, uel quòd Aquilæ effigiem supra templi culmen haberet, qualis erat in fastigio templi Salomonis ab Herode erecta. Ante uerò retroq; aëtomata concinnari solita prodidit Didymus, quod quidã cum Pindari Scholiaste de duplici Aquila intelligunt. Eustathius uerò de illa culminis parte, quæ speciem volãtis Aquilæ ostendit, nempe qua tectum in altum scãdit figura triangulari. Neq; n. omnia tecta hac specie constituuntur. Solent autem ditiores ex antica parte, seu frontispicio, & postica trigona figura muros, qui per interualla scansilia sese colligunt in mucronem ad instar pẽnarum extensarum huiusmodi tectis adstruere, qui ipsi muri uel pinnę murorũ, an similiter aëti uel aëtomata dici possint, uid rint alij. [q] Galenus in hæc Hippocr. uerba ἀνέλκειν τῲ κλίμακα πρὸς τύρσιν τινὰ ὑψηλὴν, ἢ πρὸς ἀέτωμα οἴκου, *ideſt, Scala ad turrim aliquã altam, aut domus fastigiũ attrahenda.* Ἀέτωμα οἴκου (inquit) *vocat culmen seu suprema domus partem triangulari forma; nãsi solarium quispiam fa-*

Pyrrhus rex Aquila dici voluit, & quare.

[n] *In Aristide.*

Tyrãni qui bus nominibus appellari voluerunt.

Antiochus Accipiter dici uoluit.

Pindarus Aquila dici uoluit.

Aquilæ & Accipitres, Leonesq; quinam dicti apud Aegyptios.

Arnulphus Frãcorum Rex, nominisq; illius Etymologia.

Aquila quo modo Germanis dicta.

Arnehim urbs unde dicta.

Nilus fluuius cur Aquila dictus.

[o] *Lib. 1. c. 2.*

[p] *Lib. 1. Georg.*

Nili Etymologia.

Aëtium ab Aquila nomen habuisse.

Equus ab Aquila dictus.

Aetoma quid sit.

In Agamẽnone.

* *In Olymp.*

[q] *Li. 3. comment. in lib. Hipp. de articulis.*

*cere uelit, loco tegularum aream planam conſtituet, at ſi tegulas imponat, ea forma tectum erigit, qua facilè pluuialis aqua defluere queat. Vnde in altum medio culmine à poſteriore in anteriorem partem per longitudinem porrecto, hinc & inde ſupra laterales parietes tectum humiliter deducitur, vt geminarum alarum demiſſarũ ſpeciem præ ſe ferat, ex qua ſimilitudine veteres huiuſmodi tecto ætomatis nomen indidiſſe videntur, quod & ἀετὸν appellarunt tum Diocles, tum alij.* Hactenus[r] Galenus. Rurſus ἀέτωμα τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς ἅσπερ τρίγωνον exponit, id quod ſupra tectum triangulari forma eleuatum eſt, aut in ſublime erectum. Erotianus verò ἀέτωμα τὶ τῶ σφάιλω τᾶ δώματος, domus faſtigium & culmen. Dicitur & ἀετὸς, vt ex Galeno dixi, & Varinus quoq; annotat, qui ex Suida ait, ἀετώματα dici τὰ τῶν ἱερῶν σγάσματα, ἃ πτέρυγάς τε καὶ ἀετὰς καλοῦσιν, hoc eſt; ſacrarum ædium tecta, ἀετώματα & ἀετὰς; hoc eſt, Aquilata & Aquilas dici & alas. Ex quo ſcriptum eſt apud Ariſtophanem[s] τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς αἰετὸν, ideſt: veſtras domos ad faſtigium tegemus. Heſychius ἀετὸν dici vult κυμάτιον τὸ ἐν τοῖς γύσοις, cymatium aut prominentiam ſuggrundarum & imbricum, fortè quia ea Aquilę volantis formam præ ſe ferat. Annotatur etiam ex Euſtachio μέρος τι τῶν ναῶν dici ἀέτωμα, & ἀετὸν, διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξιν ἀετᾶ, nempe templorũ pinnacula & faſtigia, quòd Aquilæ alarum ſint ſimilia. Ex quibus doctiſſimus[t] Anutius Fœſius in Galeni loco à nobis etiam primùm citato manifeſtum adeſſe vitium aduertit. vbi enim huius nominis notionem exprimit, quòd tectum ab vtraque parte demiſſum ſit ad alarum expanſarum inſtar, ſic legendum cenſet, ἅτινες γὰρ ἐοίκασιν εἰκάσαντες οἱ παλαιὰ καλέσαι τὸ τῆς οἰκίας τὸ μέρος, ἀετὸν δὲ καὶ οἶδε. videntur enim, inquit, veteres ex hac ſignificatione iſtam domus partem ſic vocaſſe & ἀετὸν quoque: vt ſignificet Galenus tecti culmina, & pinnacula πτέρυγας dicta, & ἀετὰς antiquis. Apud quem ibidem quoque ex Diocle τὸ ἀέτωμα οἰκίας ἀετὸν explicari legendum mihi videtur, cùm locus in omnibus exemplaribus legatur corruptus.

[r] *In Exeg.*

[s] *In auibus.*

[t] *In Oecon. Hippo.*

Aegypti regio Aetia cur dicta.

Aetia dicta fuit olim Aegypti nobiliſsima & fertiliſsima regio, vt quibuſdam placet, ab Aquila; vt alij volunt; ab Aeto quodam Indo.

Aquilus color quis.

Aquilus color dicitur fuſcus & ſubniger, verùm dubium eſt, vtrum hic ab Aquila, an Aquila ab hoc fuſco colore dicta ſit.

Aquila vnde dicta.

Aquilaria locus.

Aquilam etiam ab acutè videndo quidam dictam volunt: alij verò ab aquæ colore, qui incertus eſt inter album & nigrum.

[u] *Lib. 2. de bel. Ciu.*

Aquilaria locus eſt in Africa authore[u] Cæſare à Clupeis diſtans. 22. milliaribus non incommoda æſtate nauibus ſtatio.

Aquilo vētus vnde, & cur ſic dictus.

Ab Aquila etiam, vt notat Leander, ſecundum quoſdam Aquileia Fori Iulij vrbs primaria Ptolomæo, Straboni, Plinio & alijs dicta eſt, quæ Incolis adhuc nomen retinet, Germanis Aglar vocari puto. Aquilam quoque vocatam teſtatur Euſtathius. Acyleia ἀκυλήια eſt Stephano. Colonia dicitur in Veſpaſiani nummo.

Aglar. Acyleia.

Trigeſtinus ſinus.

Item Trigeſtinus ſinus Plinij vocatur ab Euſtathio & Stephano Aquileius ſinus, vti & Ptolomæo. Intimus Maris Hadriatici receſſus eſt, hodie golfo di Trieſte appellant.

Golfo di Trieſte.

Aquilonem ab Aquila deduci plerique arbitrantur: eſt autem Aquilo ventus Septentrionalis frigidus ac ſiccus, ita dictus à vehementiſsimo & maximè impetuoſo flatu, inſtar Aquilæ. Huius vim[x] Ouidius ita deſcribit.

[x] *Lib. 6. Metamorph.*

*Apta mihi vis eſt, quia triſtia nubila pello,*
*Et freta concutio, nodoſaq; robora verto,*
*Inducoq; niues, & terras grandine pulſo:*
*Idem ego cùm fratres cælo ſum nactus aperto:*
*(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,*
*Vt medius noſtris concurſibus inſonet æther,*
*Exiliantq; cauis eliſi montibus ignes:*
*Idem ego cùm ſubij conuexa foramina terræ,*
*Suppoſuiq; ferox imis mea terga cauernis,*
*Solicito manes, totumq; tremoribus orbem.*

[y] *Lib. 2. ca. 47.*

Aquilonis venti Etymum.

Flat autem hic ventus[y] Plinio teſte inter Septentrionem & exortum ſolſtitialem, è regione Cauri. Atqui hîc ego[z] Ioannis Goropij Becani viri longè doctiſſimi, de Aquilone, eiuſq; Etymo ſententiam præterire nequeo, qui ſic ſcribit: *Sexto menſe certo ſigno demonſtrabatur id, quod antè Noë crediderat, ita vt iam reuera oſtenderetur, Deum fidum in his, quæ promiſerat, fuiſſe. Nullo autem certiore ſigno id poterat oſtendi, quàm flatu vehementer deſiccante & omnia nubila maxima vi diſsyciente, qualem Aquilonem eſſe nemo eſt qui neſciat, cui inde Romani nomen dederunt, quod cælum ſudum ab eo redditum Aquilum colorem videatur habere, id eſt aquæ tranquillæ extra Solis radios & reliqua colorem immutantia inſpectæ ſimilem. Ventus hic vnà cum colore, à quo nomen habet, Saturninus eſt: atque idcirco facilè Suetonio credo, Auguſtum partem huius coloris à Saturni domo præcipua, quam in Ho-*

[z] *Lib. 4. Chronic. in origin. Antuerpianis.*

*in Horizonte cœlestis schematis habuit, sibi traxisse. Quemadmodum verò Saturno septimi orbis Planetæ gratus est hic ventus, & hic in cælo color, ita Noacho, cui Saturni nomen à posteris est impositum, nihil potuit unquam in vita accidere iucundius, quàm hunc flatum sentire in arcæ tecto magna vi detonantem, cui Aquilum, sudumq; cælum ne cessario succedit.* Hactenus Goropius.

Aquilo villa.

Ab Aquilis est & Aquilo villa non lõgè à Nicomedia, cuius meminit [a] Platina, ubi Constantium Magni Constantini filium hæreticum & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomedien si in ea villa clarè tradit. Hinc autem deprehendi error potest, quo ducuntur nonnulli, qui hanc hæresim Constantino adscribunt, quæ profectò in tantum Principem tanquam religionis Christianæ amantissimum, nec debuit cadere, nec potuit.

[a] *In Felice. secundo.*

Aquilonia urbs.

Aquilonia Hirpinorum, quos Aquilonos Plinius vocat, in Italia ciuitas, ab Aquila quoque nomen meruisse videtur: Liuius atque ipse etiam Ptolomæus illius faciunt mentionem, & [b] Leander eam nunc Agnone castellum vocat.

[b] *In Aprutio.*

Aquilinus quid significet.

Aquilinus verè ab Aquila denominatur, uel nasus adũcus, uel uisus acutissimus Græcè ἀετώδης, & ἀέτιος. Nasus ille apud Persas, vt Plato [c] & Plutarchus scribunt, in maxima veneratione fuit, quasi animi cuiusdam generosi indicium præ se ferat, adeò vt regno indignos existimarẽt, quibus hic faciei ornatus aberat. Nam Cyrum talem fuisse historici plures tradunt, atq; ea se specie gloriari solitum. Aquilinus item in malam partem accipitur, videlicet pro rapaci, [d] Plautus. *An tu inuenire postulas quenquam coquum, nisi sit Miluinis & Aquilinis vngulis?* vbi Aquilinas vngulas pro manibus rapacibus dixit. Eadem vox & in propria cedit nomina. Hinc dictus Aquilinus Episcopus quidam Ebroicensis, cuius vita apud [e] Surium legitur.

Nasi Aquilini nobilitas.

[c] *In Apophthegmatib.*

[d] *In Pseud.*

Aquilinus Episcopus.

[e] *Lib. 5. de uitis sanctorum.*

Aquilifer etiam ab insigni Aquilæ ferendo dicitur, vulgò Alfiero.

Aquilifer quis.

Aquilex verò non ab Aquila, sed ab Aquis legendis nomen habet eleganti certè vocabulo, quòd aquas inuestiget & colligat.

Aquilex qs dicatur.

# AQVILÆ VSVS IN VANIS Ethnicorum sacris.

VARIO certè ritu, & diuerso respectu Aquilam antiqui Ethnici in vsum religionis attrahebant. Quidam vuas ad cultum diuinum adhibebant: Quidam earum simulacro vtebantur. Illi eas aut alebant in honorem Iouis, aut Dijs immolabant, vt gratiam Deorum sibi vel conciliarent, vel augerent, vel referrent, vel propter consuetudinem. Apud quosdam funeralibus & iustis adhibebantur, vel ad cœlum emittebantur animam crematorum Regum, & Imperatorum (quod prorsus viris Christianis non est credendum, vtpotè quod Catholicæ, & Apostolicæ religioni repugnet) in cœlum euecturæ. Vnde legimus intra septa templi Syriæ Deæ liberi, ac Dijs cõsecrati pasci solitos fuisse Boues magnos, & Equos, & Aquilas & Vrsos, & Leones, atq; illos homines haudquaquam læsisse, sed omnes & sacros fuisse, & mãsuetos. [a] Arnobius item sacrificari Aquilas solitas innuit, cùm inquit. *Quòd si animantium cruore afficiuntur superi, cur non mactatis ijs Aquilas & Vultures?* Idem testatur [b] Iulius Capitolinus; *Si*, inquiens, *hecatombe Imperatorio sacrificio fiebat, non centum Pecora, sed centum Leones, centum Aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriebantur.* Hecatombas enim vouere, & Græcis & Romanis olim moris fuit, cùm pestilentia alijsq; grauibus morbis laborarent, quem morem à Laconibus primùm fluxisse ferunt. Cuius voti obseruatio talis erat, vt centum aras vno in loco aggesto cespite facerent, in eisq; centum Boues, centum Oues, centumq; Sues vno tempore immolarent. Si verò Imperatorum id votum esset, tum Leones centum, centum Aquilas vno tempore mactabant; fuitq; institutum, vt cùm hecatombæ, vel publica vota soluebantur, lugere populus & mœrere desineret. Nam in luctu vouere mali auspicij erat, & detestabile. Sic Paulus Aemilius sacrum centum Boum vouit apud Plutarchum. Quod & Marium fecisse [c] idem testatur. Longo verò antè tempore apud [d] Homerum Minerua monuit Pindarum, vt Apollini voueat hecatomben Agnorum primogeniorum. Idem videre est in [e] Odyssea & alibi. Apud Lusitanos id sacrificij genus in vsu etiam fuisse testis est [f] Strabo. Quod verò in funeribus & iustis Aquila adhiberi sit solita, in primis ex Antipatri, seu ut alij, ex Speusippi memorabili Epigrammate, de Platonis sepulchro facilè liquet, cuius ille animam ad sepulchrum è cœlo allapsam in Aquilæ speciem agnoscit.

Aquilæ vsus in funeralibus.

Aquilę Dijs sacrificatę.

[a] *Lib. 7. cõtra gentes.*

[b] *In vita maximi, & Balbini.*

Hecatombas quãdo vouerent Græci, & Romani.

Hecatombarum institutio.

[c] *In vita propria.*

[d] *Iliad. δ.*

[e] *Lib. 23.*

[f] *Lib. 3. Geogr.*

*Cur Aquila ad tumulum hunc volitas dic: nunquid ab astris*
*Hic habitare Deum fortè aliquem intuita es?*

*Imò*

*Imò anima extincti ſum diua Platonis, Olympum*
*Quæ colo, ſed corpus terrigenum Attica habet.*

Idem [g] Herodianus & [h] Dion graues hiſtorici teſtantur. Imperatore enim, qui in Deos referendus & conſecrandus erat, vita functo, pyram in tabernaculi formam conſtruebant, idq; auro, & ebore, ſignisq; & tabulis pictis exornatum mirificè, alio deſuper breuiori vſque ad tertiam contignationem erigebant. Aquilam vnà cum omnium odorum aggeſtu, lectoq; auro & purpura conſtrato, in quo defuncti effigies iacebat, in ſummo culmine collocabant. Hunc lectum Senatus, Equeſter ordo, ac viri triumphales, quiq; ampliſſimos honores geſſerant, in pyrã cum carmine & hymnis deferebant, multis omnis generis honoribus diuinis & humanis aggeſtis: tandem incensâ pyrâ cùm vapore & fumo Aquila agitata, è ſummo culmine tabernaculi aéra petijſſet, religio meuſſa fuit, ipſius Imperatoris animam per inane cœlum petijſſe, ipſumq; omni eo, quod mortale & caducum erat, depoſito, & quaſi defæcato, in numerum cœleſtium, & Deorum concilium, receptum eſſe: quam conſecrationem ἀποθέωσιν, & ἀθανάτωσιν Græci nuncuparunt. [i] Dion Caſſius funus Auguſti deſcribit his verbis: *Hæc cùm recitaſſet de ſcripto Tiberius, feretrum ijdem, qui antè, ſublatum triumphali porta, ex Senatuſconſulto extulerunt. Adeſſent ducendo funeri Senatus, Equitesq; cum coniugibus, Prætorianiq; milites, ac ferè omnes, qui tum Romæ agebant, homines. Poſtquam cadauer rogo in campo Martio impoſitum fuit, primùm omnes Pontifices eum circumierunt, deinde Equites, tum Legionary, reliquiq; milites, & ij demum, qui cuſtodiæ præfuerant, omnia præmia, quæ ob ſua quondam in bello egregia facinora ab ipſo accepiſſent, ſuper eum conijcientes. Poſthæc Centuriones acceptis facibus, iuſſu Senatus, rogum ſuccenderunt. Eo abſumpto, Aquila ex eo emiſſa euolauit, quaſi animam Auguſti in cœlum ferens. His peractis reliqui diſceſſerunt. Liuia autem cum Equitum primis in eo loco quinque dies commorata, oſſa eius legit, ac in monumento condidit: luxêre viri non multos dies, luxêre mulieres integrum annum, quod decretum erat.* Tanta itaque erat olim in his & alijs multis Romanorum credulitas, vt non ſolùm Imperatoris animam ab Aquila è rogo raptam in cælum portari, & inter numina referri exiſtimarent, ſed vt etiam ſeſe id oculis vidiſſe ſanctè adiurarent. Vt autem augerent hanc perſuaſionem, itaque homines conducebant, qui plebi hanc fallaciam impingerent. Vnde Imperatoribus Aquilæ dedicatæ fuerunt, cùm propter hoc, tùm ob portenta varia per illas non ſine ſucceſſu allata. Imperatori Seuero ſigna mortis attulerunt Aquilæ quatuor, à quibus ſibi viſus eſt per nocturnam imaginem in cælum abripi. De qua re plura, cùm ad auſpicia ventum erit. Idem videre eſt in numo, cuius inſcriptio eſt D. AVGVSTI PATRIS. in quo Aquila ex igne ſubiecto euolat. Hoc ego ad iuſta eius retulerim. Nonnulli ſacrum eſſe putant, quòd Imperatoria ſacrificia, quæ Græci Hecatombas appellant, ex centum Leonibus & centum Aquilis celebrata fuerint ab aliquot Imperatoribus, vti & à Græcis, quemadmodum paulò antè diximus. Sed hoc nihil ad Auguſtum, de quo nihil tale memoriæ proditum legitur. In numo autem, cuius inſcriptio eſt: DIVVS PERT. PIVS PATER, Aquila eſt pilæ inſidens, quaſi ipſum ſupra cælum ſublatum eſſe velit innuere. Nam altera inſcriptio eſt CONSECRATIO. eſt verò iſtæc Aquila in Diui Marci Antonini Pij, & Pertinacis numis diuerſo modo expreſſa, nonnunquam cum fulmine, aliàs Antoninum ipſum inter alas geſtat, nonnunquam verò cubicularem lectulum in cælum tollit cum inſcriptione: CONSECRATIO. Simile numiſma depingit Sebaſtianus [k] Erizzus, ſed veri Imperatoris effigiem repræſentans. At [l] Gulielmus Choul M. Aurelij numum habet, in quo Aquila fulmen pedibus ferens, & in dorſo virum nudum, qui ſceptrum manu tenet, alis expanſis ad cælum volare conſpicitur, cum inſcriptione; CONSECRATIO S.C. In fœminarum funeralibus non Aquila adhibebatur, ſed Pauo, quamuis id vni Sabinæ Auguſtæ non negatum ſit. Huius rei duo item videas numiſmata Fauſtinæ apud eundem Choul, quorum vnum Pauonem ſolummodo habet ad cælum aſpicientem cùm inſcriptione, CONSECRATIO, aliud verò Auem mulierem nudam ferentem eodem titulo.

Huius alitis imagini alij diuinos honores deferebant, tanquam ſub eius ſpecie Iouem ipſum venerantes. Iudæos verò hoc genus idolomaniæ exoſum habuiſſe vel ex eo oſtenditur, quòd cùm Herodes inter cætera templi ornamenta ſupra maiorem portam Aquilam auream poſuiſſet in ſignum ſaltem Romani nominis, à quibus regnum Iudææ acceperat, non vt illam adorarent Hebræi; illi indignantes eò collocari animantis effigiem, quò religio ſua vetabat, authores fuerunt quibuſdam iuuenibus magni animi, & fortitudinis, vt Aquilam eò collocatam detraherent, infringerent, & patrios ritus illibatos conſeruarent.

[g] *Lib. 4. Hiſtor. Rom.*
[h] *Lib. 56. Hiſt. Rom.*
Aquilæ vſus in funeralibus Imperatorũ.
Apotheoſis Græcis qd.
[i] *Lib. 56. Rom. Hiſt.*
Aquila Auguſti animã in cælum ferre putatur.
Romanorũ falſa perſuaſio de animæ Imperatorum immortalitate.
Aquilæ pilæ inſidentis declaratio.
[k] *De numiſmatibus.*
[l] *De reliq. antiq. Rom.*
Funeralia fœminarũ ſine Aquila.
Aquilæ diuini honores attributi.
Aquila aurea ab Herode ſupra templi portam cur poſita.
Iudæorum lex cõtra Idololatriã.

# AVGVRIA ET AVSPICIA.

TANTVM tribuit superstitiosa antiquitas augurijs & auspicijs, vt nihil inauspicatò tentaret, vel agendum susciperet. Cùm verò ab Aquila sæpissimè auguria antiquis desumerentur, itaq; illis Præpes dicta fuit, quasi volatu auspicia faciens, vt aliæ Oscines, quæ garritu. Verùm quòd aduolantem Aquilam imperia portendere & honores afferre crederent, id temerè sanè, & stultè admodum egisse videntur, quòd & ignobilibus, infimæq; sortis hominibus Aquilam aduolare sæpe contingat, quorum tamen nemo vllam aut nominis, aut dignitatis celebritatem assequitur. Apud honoratiores verò hæc ostenta saltem obseruabant. Nam magnificis omnia sunt magnifica. Et fieri consueuit, vt eorum, qui ad aliquam amplitudinem euehuntur, tam dicta, quàm facta quamuis leuia sedulò obseruent homines, & nil nisi summa & diuina in illis admirentur. Veruntamen tot exemplis moniti, inficias ire non possumus, quin in Aquila id sit præcipua admiratione dignum, quòd vna omnium animantium, idem apud omnes nationes gentesq; semper indicarit, quodq; Aquilæ rebus gerendis tam sæpe sese duces exhibuerint & quasi diuinitus (vt ipsi putabãt) missæ, vel quid agendum ostenderint, vel quò res euasura esset, præmonuerint. Sed omnia istæc portenta non aliò, quàm ad Cacodæmonem referri possunt, nec debent, qui huiusmodi præstigijs vanas nimium & credulas gentilium mentes irretire, & ad cultum suum pertrahere studuit. Auspiciorum, quæ ab Aquila petebantur, hæc erat ratio. Si enim è dextra parte aduolabat, patulisq; ac exporrectis perstrepebat alis, tum omen bonum certissimò sibi persuadebant. Si sedentem vidissent, magnum omnino augurium esse existimabant, sed laboriosum in re peragenda; Nam sedenti Aquilæ Aues cæteræ molestæ sunt. Si cor victimæ raptum ab Aquilis fuisset, nimium propitios fore Deos ea res ostendebat. Minora auspicia, etsi priora, vt Cornicis & Columbarum, semper maioribus cedebãt, & Aquila superueniente, nullum erat. Rursum si Aquilæ, Corui, & Vultures in vnum coijssent, cędem interpretabantur. Si cuius ædibus insedisset Aquila, aut si pileum in alicuius caput misisset, imperium portendebat. Hasce & alias auspiciorum Aquilę significationes ex quamplurimis exẽplis, quæ ideò hîc subiungimus, colligere ac confirmare licet.

Aquila prę pes dicta.

Aquilã nõ portẽdere Imperium.

Augurium felix ab Aquila.

Aquilæ in augurijs pstantia.

In natali Alexandri Magni die, Aquilæ duæ præpetes supra culmen domus insederunt, omen duplicis Imperij, Europæ Asiæq; præ se ferentes.

Alexandro Magno qũo Aquilæ duæ Imperium portendant.

Nato Maximo (qui turbulentissimis Reip. temporibus Imperator electus est à Senatu, ut Maximini obuiam iret crudelitati) quamuis ex humili & obscuro genere, patre scilicet arte ferrario, aut, vt alij dicunt, carpentario, auspicium dedit Aquila, cùm carnem bubulam, & quidem multam in patris cellam angusto impluuio proiecisset, eam deniq; cùm iaceret, & nemo attingere auderet religionis metu, iterum sustulit, & in proximum sacellum Iouis Præstitis detulit.

Maximus quomodo imperium adeptus.

Simili ostento infantem adhuc Aurelianum vinctum fascia sine vlla noxa de cunis sustulit, & in aram, quæ iuxta sacellum fortè sine ignibus erat, deposuit, vt author est Sabellicus.

Aurelianus Imp. ab Aquila de cunis sublatus.

Albino etiam septima hora, postquam natus est, in conuiuio, quòd natalitijs suis deputabatur, dum sibi inderetur nomen, septem Aquilæ paruulæ allatæ sunt, & quasi ad cunas pueri constitutæ. Omen pater eius procliuiùs admisit, eò quòd id rarissimum esset in illis regionibus, vbi Hadrumentum est.

Albino sep tem Aquilę allatæ paruæ.

Octauio Augusto, cùm puer adhuc ruri quarto ab vrbe lapide via Campana educaretur, in nemore prandenti ex improuiso Aquila de manibus panem rapuit, moxq; altissimè euolauit, quæ paulò post leniter delapsa ex improuiso eundem ei reddidit, Xiphilino, Suetonio, & Dione testibus.

Augusto Aquila panẽ eripuit, & restituit.

C. Marius cùm nidum Aquilæ cum septem pullis puer adhuc in agro reperisset, eumq; gremio susceptum ad patrem detulisset, is admiratione motus consultis auspicibus septies penes filium rei summam futuram accepit. Id in tot, quot gessit, consulatibus apparuit, quos eo numero primus omnium assequutus est. Hoc tamen [a] Plutarchus Romanæ quodammodo hostis historiæ, rem fabulosam existimat, quòd Aquilam dicant non vltra duos pullos parere, vt suo loco dictum est.

Mario qd septẽ Aquilę pulli portenderint. [a] *In Mario.*

Regni auspicium Romulo allatum ex Ennio habemus in hisce versibus à [b] Cicerone citatis. [b] 1. *Diuina.*

*Et simul ex alto longè pulcherrima præpes*
*Læua volauit Auis, simul aureus exoritur sol,*
*Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta*

*Auium,*

*Auium, præpetibus ſeſe pulchriſq; locis dant:*
*Conſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora*
*Auſpicia regni, ſtabilitaq; ſcamna ſolumq;.*

Aquilę duę Romulo apparẽtes Imperiũ portenderunt. Tarquinio Priſco Aquila Imperũ promittit.

Dum enim fratres de Imperio certarent, ac vter eorum mœnia conditurus eſſet, contenderent, ſe auſpicio ſtaturos pactum inierunt; Itaq; Aquilæ binæ præpetes Romulo primas detulerũt.

Aquilam Tarquinio Priſco regnum portendiſſe vulgatiſſimum eſt; quippe quæ pileum ſedenti abſtulit, mox remiſit: futurum inde Tanaquil eius vxore Hetruſcorum diſciplina inſtructa, interpretante, vt principatum caperet, de quo Dionyſius [c] Halicarnaſſæus ita ſcribit. *Vt enim ad Ianiculum peruenit* (Plinius affirmat id factum, cùm Capitolium peteret) *vnde Roma ex Hetruria venientibus primùm conſpicua eſt, Aquila repente demiſſa pileum ei de capite rapuit, ac ſublime reuerſa, cùm penſile vehiculum, cui Tarquinius inſidebat, volatu obyiſſet, & deinde ſe in altiſſima aëris regione abſcondiſſet, mox ſubitò rurſum delapſa, capiti pileum aptè repoſuit: ibi omnibus prodigij miraculo ſtupentibus, mulier ſcorſum abductum virum complexa benè ſperare iuſſit, euaſurum à priuata fortuna ad poteſtatem regiam; monuit tamen, daret operam, vt volentibus Romanis principatum aſſumeret, dignumq; ſe præberet honore tam eximio. Ille cœleſti prodigio latus, iam portæ propinquus vocatis in vota Dijs, precatus eſt, vt ratum auſpicium facerent, aduentumq; ſuum fortunarent, atque ita vrbem inuectus eſt. Poſthæc admiſſus ad Martij Regis colloquium, primùm quis eſſet, indicauit, deinde habitatum in vrbem ſe veniſſe cum toto patrimonio, quod vt maius, quàm pro priuati hominis facultatibus, libenter ſe depoſiturum in vſum Regis & Reip.*

[c] *Li. 3. Antiq. Rom.*

Pileũ è Tarquinij Priſci capite raptũ ab Aquila, & poſt ab eadem capiti impoſitum quid portenderit.

[d] Plutarchus de Agone ſcribit: *Apud Argiuos aliquando defecit Heraclidarum genus, è quo Regem eos deligere patria conſuetudo iubebat; Quærentibus & ſciſcitantibus, oraculum datum eſt, regem ab Aquila demonſtratum iri, ac poſt paucos dies Aquila in domum Agonis deuolare conſpecta fuit, itaque Agon Rex deſignatus eſt.*

[d] *Orat. 2. de fort. Alex.*

Agon cur rex deſignatus.

Auſpicatum ſimiliter etiamſi ſomnium Aquilæ per quietem viſæ Penelopi fuit, quod illa Vlyſſi marito nondum agnito recenſet apud [e] Homerum:

Penelopis ſomniũ de Aquila, & Anteribus.

χῆνές μοι κατὰ οἶκον ἐείκοσι πυρὸν ἔδουσιν
Ἐξ ὕδατος, καί τέ σφιν ἰαίνομαι εἰσορόωσα.
Ἐλθὼν δ' ἐξ ὄρεος μέγας αἰετὸς ἀγκυλοχείλης
Πᾶσι κατ' αὐχένας ἦξε, καὶ ἔκτανεν, οἱ δ' ἐκέχυντο
Ἀθρόοι ἐν μεγάροις. ὁ δ' ἐς αἰθέρα δῖον ἄρθη.
Αὐτὰρ ἐγὼ κλαῖον, καί μ' ἐκώκυον ἐν πρὸ ὀνείρῳ.
Ἀμφὶ δέ μ' ἠγερέθοντο ἐϋπλοκαμίδες Ἀχαιαί,
Οἴκτρ' ὀλοφυρομένην ὅ μοι αἰετὸς ἔκτανε χῆνας.
Ἄψ δ' ἐλθὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπὶ προὔχοντι μελάθρῳ.
Φωνῇ δὲ βροτέῃ κατερήτυε, φώνησέν τε,
Θάρσει Ἰκαρίοιο κόρη τηλεκλειτοῖο.
Οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν, ὅ τοι τετελεσμένον ἔσται,
Χῆνες μὲν, μνηστῆρες, ἐγὼ δέ τοι αἰετὸς ὄρνις
Ἦα πάρος, νῦν αὖτε τεὸς πόσις εἰλήλουθα,
Ὅς πᾶσι μνηστῆρσιν ἀεικέα πότμον ἐφήσω.

[e] *Odyſſ. τ. lib. 19.*

*Anſeres mihi in domo viginti triticum edunt*
*Ex aqua, & ipſis lætor inſpiciens.*
*Veniens autem ex monte magna Aquila curua roſtro,*
*Omnibus in ceruices ruit, & interfecit; hi autem fuſi ſunt*
*Congregati in domibus; hæc autem in æthera diuinum eleuata eſt.*
*At ego flebam & lugebam in ſomnio;*
*Circum autem me congregatæ ſunt pulchræ crinibus Achiuæ*
*Miſerabiliter lugentem, quòd mihi Aquila interfecit Anſeres;*
*Retrò autem veniens deſedit in prominenti domo:*
*Voce autem detinuit vociferauitq;:*
*Confide Icarij filia valde inclyti,*
*Non ſomnium, ſed verè bonum, quod perfectum erit:*
*Anſeres quidem proci, ego autem Auis*
*Fui antea; nunc rurſus tuus maritus veni,*
*Qui omnibus procis indecentem mortem inferam.*

Marciano Imper. vmbra ab Aquila facta quid portendat.

Marcianus Imperator egregia prædituſ indole, cùm miles eſſet, fortè ad expeditionem ſe conferebat: in itinere cùm dormiret aliquando, ij, qui cũ eo cubabant, citius experrecti, Aquilam homini expanſis alis vmbram præbere vident. Itidem in expeditione aduerſus Giſerichũ Libyæ Principem accidit, vt Marcianus inter alios in hoſtium poteſtatem veniret. Itaque Giſerichus

ſerichus captiuos inſpicere volens ex ſublimi quodam loco eos intuebatur. Hic Marciano consopito cernens vmbram fieri ab Aquila expanſis alis, rem pro miraculo habuit, & virum diuinum, & Imperio Romano dignum cenſuit.

Idem accidit Baſilio Macedoni Imperatori, qui annis viginti regnum obtinuit. Is cùm adhuc infans admodum eſſet, vti Zonaras commemorat, fortè Soli expoſitus in æſtu iacebat, meſſe occupatis parentibus egenis admodum. Tum verò Aquila de ſublimi aduolans, expanſis alis vmbram ei præbebat. Quum autem aliquoties mater eam abigere conata nihil efficeret, tandem hanc rem boni augurij loco duxit.

[f] Suetonius quoque inter alia prodigia, quæ Galbæ Imp. regnum portendebant, de Aquila ita ſcribit. *Galbæ Imperatoris auus dum ſacra perageret fulgur procurans, quum Aquila ex eius manibus exta rapuiſſet, ſublimiſq; elata in frugiferam extuliſſet quercum, auguráq; ſummum, ſed ſerum Imperium portendi dixiſſet; ſanè, inquit ille irridens, quum pariet Mula. Quo prodigio in primis Galba confirmatus dicitur; Nam cùm in Hiſpania res nouas moliri eſt adortus, in ea terra Mula enixa eſt.* Idem quoque ex Suetonio recenſet [g] Sabellicus.

Felix inſuper illud fuit, quod idem [h] Suetonius recenſet de Claudio, qui cùm diu inter ludibria aulæ fuiſſet, ſub Caio demum fratris filio Conſulatum adeptus eſt; *quamprimum autem*, inquit author, *cum faſcibus ingreſſus eſt forum, præteruolans Aquila dexteriore conſedit humero, indicio futuri apud eum Imperij manifeſto.*

[i] Et rurſus de Vitellio copias ſuas diuidente, quas aduerſus Othonem præmitteret, quaſq; ipſe perduceret, fauſtum hoc narrat augurium. *Præmiſſo agmine lætum euenit augurium: ſiquidem à parte dextra repentè Aquila aduolauit: luſtratiſq; ſignis ingreſſos viam ſenſim anteceſſit.*

Non minus celebre fuit auſpicium, quod in extructione vrbis Lauinij acciditſſe ſcribitur. Feruntur namq;, dum conderetur, oblata Troianis quædam prodigia. In nemore orto ſua ſponte incendio, Lupus ore aggeſſit fomitem aridum, Aquila verò alarum ventilatione flammam excitauit, contrà Vulpes cauda in flumen intincta, ignem conata eſt extingere: & cùm nunc accendentes, nunc extinguentes præualuerant, tandem vicerunt illi duo: hæc verò abijt conatu irrito: Quo viſo illuſtrem quidem, & mirandam futuram eam eſſe Coloniam Aeneas dixit, ſed ſuis incrementis inuidos impedimentum non ſine moleſtia allaturos, fore tamen vt tandem vincat ſuæ felicitatis aduerſarios fauore numinum. Extant tam inſignis futuræ vrbis fortunæ præſagij monumenta in foro Lauinienſium, effigies æreę horum animalium, longiſſimo quidem tempore aſſeruatæ.

Non minore admiratione dignum illud fuit, quòd Aquila, cùm primùm ſupra caput aruntis filij Gordij, pauperis alioqui viri, volaſſet, currus iugo inſidere non prius deſierit, quàm is arationem ad veſperam dimitteret; vnde Phrygiæ regnum Midæ filio præmonſtratum.

Hieronem quoq; Siculum admodum adoleſcentem, priuatæ fortunæ hominem Aquila, quæ primo bello, quod inijt, in eius clypeo reſidit, regem aliquando futurum indicauit.

Xenophonti tale quid oblatum eſt. Cùm Epheſo ad Cyrum iter arriperet, dexteræ Aquilæ, quæ ſedebat, obuiam factus, futuræ celebritatis, magno tamen labore comparandæ, vt poſtmodum probauit euentus, omen accepit.

Galeotes & Telmiſſes fratres, filij Apollinis, & Themiſtûs filiæ regis Hyperboreorum, Labij dicti, oraculum in Dodona acceperunt, vt hic Orientem, ille Occidentem verſus nauigaret, & cùm de ſacrificijs ipſorum fœmora rapuiſſet Aquila, aram ibi conderent: Itaq; Galeotes in Siciliam, Telmiſſes in Cariam, vbi Apollinis Telmiſſi ædem condidit, profecti fuerunt.

Deiotaro Regi omnia ferè auſpicatò agenti ſalutaris Aquilæ conſpectus fuit, qua viſa continuit ſe ab eius tecti vſu, quod nocte ſequenti ruina concidit, vt refert [k] Valerius Maximus.

Hactenus fortunæ melioris nunciam fecimus, nunc quos bellorum euentus prædixerit, videamus. Anacreon author antiquiſſimus ſcribit Iouem aduerſus Titanas (alij dicunt, aduerſus Gigantes) profecturum, ſacrificium feciſſe cęlo in Naxo inſula, in qua primùm infans educatus fuit, Aquilaſq; dum ſacrum faceret, ei apparuiſſe, & telum prætuliſſe. Quibus mox viſis bonum auſpicium ſuſcepit, victoriæ indicium, quæ cùm ſubſequuta eſſet, inſigne bellicum auream inde Aquilam, vt proprium geſtaſſe dicitur, vt Aglaoſtenes alijq; teſtantur.

Magnam quoque ſpem Cyrus Perſarum Rex ex ſequęti cepit augurio, quod [l] Xenophon his verbis narrat. *Cyro aduerſus Armenos proficiſcenti continuò in primo agro conſurgit Lepus. Aquila autem volans dextra Leporem deſpiciens in fugientem irruit & percuſſit, extulitq; correptum, & ablato pro libidine vtebatur præda. Augurium igitur Cyrus intuitus, cùm lætatus eſt, tùm Iouem Regem adorauit, dixitq; ad præſentes: Venatio quidem pulchra eſt futura, ſi Deo libuerit.* Et [m] alibi de eodem Cyro; *Cùm talia differentes*, inquit, *ad fines vſq; Perſidis veniſſent, eſſetq; his Aquila dextra apparens itineris dux facta Deos, heroasq; precati terram colentes Perſida, vt ſe propitij iuuarẽt ac mites, ita fines ſuperarunt.*

Baſilio Macedoni Imperium obtinuerit.

Baſilio Macedonum Imp. Aquila umbram facit.

[f] *In Galba cap. 4.*

Galbæ Imp. quo Aquila Imperiũ portẽderit.

[g] *Enncade 7. lib. 2.*

Claudio Aquila Imperiũ promittens

[h] *In Claudio cap. 7.*

[i] *In A. Vitellio cap. 9.*

Auſpicium lętũ capit A. Vitellius Imp.

Lauinium urbs quo extructa.

Midę quo regnum ab Aquila prę monſtratũ.

Hieroni Siculo regnũ pmõſtratũ.

Xenoph. Aquila celebritatis augurio eſt.

Galeotes, & Telmiſſes fratres, eorũq; augurium.

Deiotarus rex cur tectũ nollet ingredi.

[k] *Lib. 1. c. 4. de ominib.*

Iuppiter Aglę auxilio uſus cõtra Gigantes.

Iupiter cur Aquilã aurea geſtet.

[l] *Lib. 2. de Pedia Cyri.*

[m] *In principio eiuſdẽ.*

Cyro Aqla itinerisdux

Mario Aquilã reditum pollicita ẽ.

Aquila Mario reditum cum ſumma gloria triumphabũdum pollicita eſt, cùm Anguem arreptum vnguibus dilaceraſſet, & in aquas abieciſſet, atque inde occaſum verſus auolaſſet:

*Sic Aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen*
*Partibus intonuit cæli pater ipſe ſiniſtris.*

vt teſtatur [n] Cicero.

[n] *In Mario.*

Alexãdri victoriæ ſignum ante pugnam.

Ariſtander augurio Aquilæ traijcientem in hoſtes Alexandrum victorẽ pronunciauit ante conflictum. Illa autem (non quæ duplex imperium tulit, de quo ſupra in natalitijs) à claſſe in continentem progreſſa, ibiq; firmata augurio fuit, Perſas terra, non mari debellandos eſſe etiã Alexandri ipſius interpretatione, ſecus quàm ſentiret Parmenio.

Alexandri de Parianis victoriæ ſignum.

Et difficilimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbellam commiſſum eſt, quo nullum vnquã acrius inter eos fuit, Aquila paululum ſupra caput Alexãdri placidè volitans, nec annorum ſonitu, nec gemitu, clamoreue vllo morientium terreri potuit, ſed diu circa Equum Regis pendenti magis quàm volanti ſimilis conſtitit, præſagiens vel indicans potius, quò res euaſura eſſet.

[o] *Lib. prim.* Fabio valẽti dux Aquila quid portendat.

Neque diſſimile eſt, quod [o] Tacitus Fabio Valẽti ſcribit oblatũ, cui cùm exercitum in bellum educeret, ipſo profectionis die Aquila leni meatu, prout agmen incedebat, veluti dux viæ præuolauit, & per longum ſpatium cùm nullo gaudentium militum clamore, & augurium accipientium, alitemq; ſaluere iubentium, terreſieret, iter ita continuauit, vt haud dubiè magnæ & proſperæ rei omen traderet.

[p] *In Domit. 6.* Aquilæ augurium in cõplexu ſtatuę Domit.

Teſtatur tale quoque quid [p] Suetonius. *Siquidem*, inquiens, *ipſo, quo dimicatum eſt die, ſtatuam Domitiani Romæ inſignis Aquila circumplexa, pennis clangores lætiſsimos edidit: pauloq; poſt occiſum Antoninum (belli motorem) adeò vulgatum eſt, vt caput eius quoque apportatum plerique contenderent.*

[q] *Illiad. μ.* Troianorũ auguriũ felix ab Aquila ſiniſtra.

Troianis feliciter pugnantibus apud [q] Homerum & iam foſſam ac vallum Græcorum transituris, Aquila ſiniſtra apparet, non (vt Scholiaſtes interpretatur, & vt malè colligit Polydamas) tanquam infauſta auis, cùm alioqui ſiniſtræ infortunatæ ſint, ſed ad decipiendos Græcos, quominus illi ſibi cauerent, tanquam Troianorum conatu non ſucceſſuro. Ait itaque Homerus.

Ὄρνις γάρ σφιν ἐῶν ἦλθε περησέμεναι μεμαῶσιν,
Αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων,
Φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον.
*Auis enim ipſis venit tranſire paratis.*
*Aquila altiuolans ſiniſtroſum populum impediens,*
*Cruentum Draconem ferens vnguibus magnum.*

Aquila dextra felixsẽper auguriũ.

Aquilam verò dextram fauſtam ſemper eſſe [r] idem innuit.

Ὣς ἄρα οἱ ἐπόντι ἐπέπταθ' δεξιὸς ὄρνις
Αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπὶ δ' ἴαχε λαὸς Ἀχαιῶν
Θάρσυνος οἰωνῷ.
*Sic ei dicenti (inquiens) volauit dextera auis*
*Aquila altiuolans, ſubclamauit autem populus Achiuorum.*
*Confiſus augurio.*

[r] *Hom. Iliad. N.*
[s] *Odyſſ. l. O.*

Locrorũ victoria ab Aquilę portento.

Sic Helena apud [s] eundem Menelao Vlyſſis in patriam reditum auguratur, ac Telemacho, cùm dextra ei Aquila Anſerem vnguibus ferens apparuiſſet.

[t] *Lib. 2. ann.* [u] *In Comm.* Cæſaris victoriæ ſignum.

Pugnantibus autem Locris cum Crotoniatis Aquila à facie Locrorum nunquam receſſit, eosq; tandiu circumuolauit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo iuuenes, diuerſo à cæteris armorum habitu, eximia magnitudine ex albis Equis, coccineis chlamydibus paludati pugnare viſi ſunt: nec vltra apparuerunt, quàm pugnatum eſt.

[x] *Lib. 43.* Pompeij exitij ſignũ.

[t] Cornelius Tacitus auſpicium Aquilarum octo notat his verbis. *Intentus paratusq; miles, vt ordo agminis in aciem adſisteret,* (adſtitêre legit doctiſſimus [u] Iuſtus Lipſius & mea quidem ſententia optimè) *viſis Cheruſcorum cateruis, quæ per ferociam proruperant, validiſſimos Equitum incurrere latus; Stertinium cum cæteris turmis circumgredi, tergaq; inuadere iubet, ipſe in tempore adfuturus. interea pulcherrimum augurium octo Aquilæ ſyluas petere & intrare viſæ, Imperatorem aduertêre: exclamat, irent ſequerentur Romanas Aues, propria legionum numina.*

[y] *In vita Craſſi.* [z] *Lib. 4. de bello ciuili.* Aquilę duę ſigniferorũ Aquilis inſidentes.

Cęſari contra Pompeium dimicanti victoriam nunciarunt, [x] Dione authore. *Aquilæ* (inquit) *legionum eius alas concutientes & fulmina, quæ aurea pedibus tenebant, abijcientes Pompeio exitium palam denuntiabant, ipſeq; ad Cæſarem quaſi auolabant.*

Simili pacto tradunt primam Aquilam, quæ in exercitu Craſsi ferebatur, ſua ſponte nemine cogente eſſe conuerſam, cùm aduerſus Parthos proficiſceretur, vt author eſt [y] Plutarchus.

[z] Appianus quoque binas Aquilas refert in Caſſij caſtris apparuiſſe, vbi ait: *Paulò poſt & Imperatores ſequuti ſunt: Eo tempore Aquilæ duæ ſupernè demiſſæ argenteas ſigniferorum Aquilas inſederunt tundentes*

*tundentes rostris, vel, vt quidam tradunt, alis protegentes. Permanserunt in exercitu alentibus Imperatoribus ex publico, donec pridie, quàm pugnatum est, auolarent.*

De Octauio Augusto contra Antonium & Lepidum pugnaturo [a] Suetonius in hæc verba scribit. *Contractis ad Bononiam Triumuirorum copijs, Aquila tentorio eius superſedens, duos Coruos hinc inde infestantes afflixit, & ad terram dedit, notante omni exercitu; futuram quandoque inter collegas discordiam talem, qualis secuta est, ac exitium præsagiente.* Nam Aquilâ significabatur Augustus, qui collegas Antonium & Lepidum infestos ita conflictaret, vexaretq; quemadmodum Aquila duos Coruos afflixit.

Augusti cõtra Antoniũ & Lepidũ uictoriæ signum.

[a] *In Augusto. cap. 96.*

Non dissimile siue augurium, siue portẽtum Bruto, cum Antonio, Cæsareq; prælio decertaturo, exitium indicauit. Cùm enim starent ambæ acies in procinctu signum expectantes, duæ Aquilæ magno alarum clangore ex aduerso conflixerunt, rostris sese mutuo ac infesto volatu incessentes. Suspendit id ostentum vtrumq; agmen in præsentis pugnæ euentum: postremò quæ ex Antonij plaga stetit, validè aduersam Auem fugauit. Quo omine Antoniani in spem certam victoriæ erecti, sublato clamore in hostem decurrunt: Nec aduersa parte minus ferociter confligitur: fit primo congressu cruentum prælium, complexi se inuicem milites, consertisq; manibus, non minore odio, quàm vi vtriq; dimicant, circunsonare gemitus & suspiria cadentium, & iam plurimus erat cruror fusus tetra illa & cruenta cæde, quum prima acies Bruti loco submota est, ordinibusq; vi solutis, ad secundum, tertiumq; ordinem penetrauit metus. Tum res ad fugam inclinauit, qua animaduersa Octauij milites hostilium castrorum portas multa vi occupant, ne cedentibus à tergo pateret effugium. Tum verò excluſorum cædes fit, & à fronte Brutiani pressi fæda colluctatione, cæcoq; occursu in se ruentes cæduntur. Meminit eiusdem augurij [b] Appianus, cuius hîc verba ascribere non pigebit. *Iamq; dies*, inquit, *dum se parant, ad nonam horam processerat, cum Aquilæ duæ pugnare cœperunt inter vtramq; aciem intentam summo silentio, cùmq; fugata esset, quæ à Bruto steterat, conclamarunt hostes, & signa collata sunt, fuitq; congressus superbus & immitis.*

Aquila duos Coruos affligẽs quid denoret.

Bruti interitum Aquilæ præsagiẽtes.

[b] *Lib. 4. de bell. ciuil.*

Eiusmodi duarum Aquilarum pugnantium auspicium Vespasiano contigit, narrante his verbis [c] Suetonio: *Ac non multò post, comitia secundi Consulatus ineunte Galba, statua Diui Iulij ad orientem sponte versa est: acieq; Bebriacensi priùs, quàm cõmitteretur, duæ Aquilæ in conspectu omnium confligentes, victâque alterâ subuenit tertia à Solis ortu, ac victricem abegit.* Per duas autẽ Aquilas primas intelligitur Vitellius & Otho, tertia verò veniens ab ortu Solis, significabat Vespasianum, qui, cùm ex Iudæa veniret, abegit victricem illam Aquilam, hoc est Vitellium Othonis victorem.

[c] *In Vespasiano cap. 5.*

Vitellius & Otho per duas Aquilas significati.

Vespasianus per Aquilã victricem designatus.

Hæc auguria & ostenta non solùm Ethnicos idolomaniæ tenebris immersos, sed etiam qui Christo nomina dederunt, solicitos ac suspensos aliquando tenuerunt, tantum valet apud homines semel concepta opinio. Verùm hi ipsi superstitionis notam effugere minimè posse videntur, quòd vera pietas omnem vanis hisce obseruationibus auctoritatem ac fidem abroget. Huiusce humanæ imbecillitatis exemplum dabit [d] Baptista Mantuanus, qui de Gonzagę victoria Aquilæ auspicio (vt ipse ait) prænuntiata, ita canit:

*Hinc igitur motis montana per inuia castris,*
*Dum properant, Aquilas sudum per inane volantes*
*Quot simul ire hominum nemo conspexerat vnquam,*
*Suspiciunt, mirati Auium spectacula fixo*
*Lumine & à cilio, dextris pendentibus, altè*
*Obseruant, quò se inclinent, quò tendere pergant:*
*Illæ vbi castra super gyros duxêre frequentes,*
*Parthenopen versus celerem vertêre volatum.*
*Et quanquam augurio non sit mens fidere, Ductor*
*Id tamen est felix omen ratus, Imperiumq;*
*Parthenope à Gallis iam nunc discedere fatus,*
*Macti animo tali auspicio grandiuntur, &c.*

Christianos augurijs aliquãdo credidisse.

[d] *Lib. 4. Trophæi Gonzagæ.*

Gonzagę uictoriam Aquila portendit.

Hactenus fortunata auspicia quæq; honores atq; dignitates ac prosperos euentus, aliquibus saltem, prænuntiasse putantur, enarrauimus; nunc infelicium succesſum exempla aliquot ponemus.

Auguria infelicia ab Aquila.

Penelopis procis mortem ex duarum Aquilarum augurio prædicit Halitheres. de quo augurio sic [e] Homerus scripsit.

[e] *Odyss. B.*

Ὃς φάτο Τηλέμαχος. τῷ δ' αἰετὼ εὐρύοπα Ζεὺς
Υ̓ψόθεν ἐξ ὀρέος πωροήκεα πέτεσθαι.
Τὼ δ' ἔως μέν ῥ' ἐπέτοντο μετὰ πνοιῇς ἀνέμοιο,
Πλησίω ἀλλήλοισι τιταινομένω πτερύγεσσιν.

Αλλ' ὅτε δὴ μέσην ἀγορὴν πολύφημον ἱκέσθην,
Ενθ' ἐπισυνηθέντε τιναξάσθην πτερὰ πολλὰ,
Ε'ς δ' ἰδέτην πάντων κεφαλὰς, ὀσσοντο δ' ὀλεθρον.
Δρυψαμένω δ' ὀνύχεσσι παρειὰς ἀμφί τε δειρὰς,
Δεξιὸ ἤϊξαν διὰ τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν.
*Sic ait Telemachus: huic duas Aquilas latè videns Iuppiter,*
*Ex alto à vertice montis præmiſit volare,*
*Hæ vſque quidem volabant ad flatum venti,*
*Propinquæ inuicem extendentes alas.*
*Sed cùm iam ad mediam concionem celebrem peruenissent,*
*Hic conuerſæ quatiebant alas denſas.*
*Aſpexerunt autem omnium capita; portendebant autem mortem*
*Laniantes verò vnguibus maxillas, circum autem collum*
*Ad dextras volarunt & per ædes & per vrbem ipſorum.*

Tarquinij ſuperbi exitij ſignum.

Fœtus Aquilarum implumes, à Vulturibus roſtro pedibuſq; à paſtu abacti, & raptati, concerptiq; cum ipſis nidis, Tarquinio ſuperbo exilia portenderunt, ac regni amiſſionem.

Dionyſius Syracuſanus regnũ amittit.

Iaculum de ſatellitum manibus roſtro extortũ, & deiectum in profundum ab Aquila; Dionyſio Syracuſano regnum abrogauit, & diras calamitates incuſsit.

Ariſtotimi Eleorũ Tiranni exitij ſignum.

Ariſtotimo Eleorum Tyranno, Aquilę oſtentum, exitium portendebat. Hoc [f] Plutarchus narrat: *Cùm meridie*, inquit, *cum vxore cubaret, prandiumq; eſſet paratum, viſa eſt Aquila in aëre ſe librans ſupra domum, ac quaſi prudens ac dedita opera, lapidem iuſtæ magnitudinis, in eam partem tecti deiecit, vbi erat cubiculum, in quo iacebat Ariſtotimus, ſimul autem deſuper ingenti ſonitu exiſtente, & foris clamore ſublato ab ijs, qui Auem viderant, perterritus Tyranus uatem acciuit, quo ſolebat aſſiduè in foro uti, perturbatusq; interrogauit, quid iſto ſigno portenderetur. Vates bono ipſum animo eſſe iuſſit, quòd excitatus, & adiutus eſſet à Ioue. Ciuibus autem, quibus fidebat, dixit, vindictam Tyranni capiti impendere, ac iam iam elapſuram. Quò oſtento confirmati, qui Duce Hellanico in Tyranni necem conſpirauerant, ſine ſtipatoribus in forum deſcendentem trucidarunt.*

[f] *Lib. de uir tut. mulier.*

Lacapeni Imperatoris & Simeonis Bulgarorum Ducis diſſidij indicium.

Triſte item minimeq; fauſtum fuit, quod Lacapeno Imperatori, & Simeoni Bulgarorum Principi accidiſſe ſcribitur. Quo enim tempore hi congreſſi inter ſe colloquebantur, Aquilæ duæ ſupra ipſos volaſſe traduntur; cùmq; non ſine clangore & alarum inſigni ſtrepitu, ſeſe mutuò infeſto roſtro, vnguibusq; aggreſſæ conflixiſſent, mox alteram ab altera diſceſſiſſe, cùm vna ſe ad vrbem conferret, altera Thraciam verſus volaret. Hoc prodigium augures minimè lętum eſſe iudicabant; nam ſignificari futurum, vt hæc inter eos pax reſcinderetur.

[g] *In Paral.*

Amphiarai haſta ab Aquila abrepta mortẽ illi portendit.

Scribit [g] Plutarchus Aquilam quandoq; Amphiarai haſtam abreptam ſuſtuliſſe in altum, mox dimiſiſſe, eam verò terræ impactam, Lauri ſpeciem prębuiſſe. Poſtero die hoſtibus acri prælio ibidem congredientibus, terrę hiatu repentino hauſtus cum curru Amphiaraus perit, vbi poſtea condita fuit vrbs Harmatis cognomine inſignis.

[h] *Lib. 1. Paralip.*

Niger cur cõtra Seuerũ expeditionẽ omiſit.

Priamus quoque, vt narrat [h] Q. Calaber, victoriam à Ioue implorans, Penthesileam non reuerſuram è prælio incolumem, inde credebat; quòd Aquila à dextra precanti, acutum clangorem edens, Columbamq; num reſpirantem vnguibus tenens, impetuosè aduolaſſet.

Niger, cùm bellum motum eſſet, venit Byzantium, inde Perinthum exercitum duxit: ſed cùm multa prodigia ei minus proſpera eueniſſent, vehementer perturbari cœpit. Nam Aquila, quæ in ſtatua eius militari cõſederat, licet abigeretur, immota tamen, quouſque capta eſt, conſtitit. Apes etiam in ſignis militaribus, & maximè in ſtatuis ipſius fauos finxerunt: his de cauſis Niger expeditionem contra Seuerum omiſit. Contrà Galdus Scotorum rex, quum ducenti in Romanos exercitum, varia oblata eſſent prodigia, atque Aquila diem penè totum expanſis alis ſupra exercitum laborioſiſſimè volitaret, idq; multis terrorem incuteret, ſeſe eo prodigio interpretantibus, Romanis, quibus Aquila inſigne erat, dedendos iri, benè omnes ſperare iuſſit; fore namq;, vt ea expeditio Romanis multum laboris & anxietatis eſſet allatura. Nec omnino eum ſpes fefellit. Cruentiſsima enim ea fuit pugna, & magna vtrinque cum ſtrage: Romanorum ſex millia cæſa: Rex & ipſe ſaucius, duodecim millibus cæſis, exercitum amiſit.

Helleborus niger quãdo non debeat effodi.

[i] *Lib. 9. hiſt. plant.*

Helleborum nigrum effoſſuros circunſcribere iubent (vt ſcribit [i] Theophraſtus) ſpectando exortum, precandoq;, vt liceat id ſibi concedentibus Dijs facere, cauere Aquilam, tàm à dextra, quàm à ſiniſtra. Periculum enim aiunt ſecantibus imminere: & ſi Aquila propè aduolarit, moriturum illo anno, qui ſuccidit, exiſtimant.

# MISTYCA.

HVC vsquè promiscuè tam sacris, quàm profanis impij paganismi cultibus adhibitas Aquilas declarauimus. Nunc quæ ad pietatem conferant, quæue mysteria ex Aquilis eruerint, atque in vtilitatem Philosophiæ Christianæ conuerterint Ecclesiæ Doctores, paucis videamus.

Clarissimum & acutissimum Aquilæ visum, vnde & nomen accepit, altam arduam, intentamq; beatorum contemplationem significare, sancti patres referunt: Qui enim mentis aciem in Deum, solem verum, ac omnis luminis fontem figunt: hosce diuinæ visionis summa felicitate participes, meritò Aquilæ cognomine appellari dicunt.

Et sicuti Aquila fulmine non tangitur, quod tamen mortalibus omnibus terrori est: ita pijs nulla manet damnatio, vltimum re vera terribilium.

[a] D. Dionysius Carthusianus Aquilam scribit in sacra scriptura significare regiam dignitatem, motumq; ad superna tendentem, celeremq; volatum, atque ad captandum reparandis viribus cibum, agilitatem atque vigilantiam & cursum & facilitatem summam: ac præterea vim illam singularem speculandi liberè, directeq;, ac in nullam partem inclinando, aciem oculorum in vberrimum illum & lucidissimum Deitatis radium.

Multa de Aquila mysticè à Propheta Ezechiele recensentur, quæ, etsi ad Nabuchodonosoris cognominata superius partim relata sint, hîc tamen, etiamsi [b] Origenes plurimis illa tradat, quam breuissimè fieri poterit, mysterij sensum apponere non ab re nobis visum fuit. Sacræ itaque literæ per Aquilam terrarum dominationem intellixerunt, vti apud [c] Ezechielem legimus; *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri. Summitatem frondium eius auulsit, & transportauit eam in terram Chanaam, in vrbe negociatorum posuit illam.* &c. Neque huic absimilis altera adiecta est, quę vitium earum palmites deprædaretur. *Facta est ergò vinea, & fructificauit in palmites, & emisit propagines. & facta est Aquila altera grandis magnis alis, multisq; plumis, &c.* Per priorem illam Theologi aiunt, Nabuchodonosora Babyloniorum Regem interpretari: per alteram verò Pharaonem Aegypti Tyrannum. Horum ille Hierosolymam cepit, & populum cum Rege ipso Sedechia, principibusq; alijs in captiuitatem abduxit: Hic verò, cùm bellum aduersus Assyrios mouisset, Israëliticum populum seruitutis affectum tædio ad se traduxit. In vtroque Aquilæ hieroglyphicum proponitur, sed longè est latior interpretatio in ea, quæ Nabuchodonosora describit. Alæ siquidem diffusæ, numerosos indicant exercitus, quos ille secum traxerat. Membrorum exporrecta longitudo, regni eius diuturnitatem ac amplitudinem. Plumæ nihil aliud sibi volunt, quàm diuitias, quibus esset affluentissimus. Varietas plumarum gloriam rerum ab eo gestarum innuit. Armorum horrorem, vngues. Libanus Iudeæ claritatem atque celsitudinem longa annorum serie conspicuam; vnde ille medullam Cedri auulsit, quippe nobilitatem extirpauit, & summas quasq; frondes decerpsit, hoc est, ne tenerimæ quidem Regum proli, ætatis scilicet infirmæ pepercit. Verùm, vt [d] D. Chrysostomus testatur, *Propheta*, inquiens, *ipse interpretationem istius allegoriæ minimè finit suspensam esse ad libidinem auditorum, sed ipse edisserit, quem per Aquilam intelligat, quem rursus per Cedrum.*

De alarum Aquilarum magnitudine, ac robore sacra [e] Biblia item parabolicè ita loquuntur. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum.* Item alibi [f] Esaias. *Assument pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt.* &c.

Aquila apud [g] Esdram, alarum duodecim, Imperatores designabat, qui fuerunt integri Romanæ Monarchiæ possessores, & tria eius capita, triplex significabant eiusdem monarchię Imperium; hæc Aquila apud [h] Danielem vocatur quarta bestia; de hac vide Antonium Louisinum, qui integrum de ea librum accurratissimè Italo sermone conscripsit. In eiusmodi quoque sensum [i] D. Iohannes Euangelista in Apocalypsi ita scribit: *Datæ sunt mulieri duæ alæ magnæ, vt volaret in desertum, in locum suum.* Mulier ista animam pœnitentem significat, de qua Christus apud [k] D. Ioannem ait: *Mulier cùm parit, tristitiam habet*, id est: Anima, cùm parit in confessione peccatum, quod delectatione concepit, mœret, atque dolet. Sunt qui Mulieris nomine Romanam Ecclesiam, & alarum Imperium cùm Orientale, tùm Occidentale exponant.

Rabanus, citante [l] Lipomano, alas Aquilarum doctrinas mysticè appellat duorum testamentorum. Ecclesia enim in modum volucrum, in primis verò Aquilæ, duobus testamentis perinde ac duabus alis vtitur, quorum remigio omnium inimicorum insidias gestit euadere,

Aquilæ visus quid in sacris significet.
Aquilę qui mysticè dicendi.
Aquilã fulmine non tangi quì mysticè intelligatur.
[a] *Cap. 15. ęz lect. hierarc.*
[b] *In Ezechielem homilia 11. cap. 17.*
[c] *Cap. 17.*
Aquila magna quid mysticè.
Nabuchodonosor p Aquilam significatur.
Pharao Aegypti Tyrãnus per Aquilam significatus.
Alę mysticè quid.
Plumę mysticè quid.
Libanus mons mysticè quid.
[d] *Tom. 1. in cap. 5. Esaię.*
[e] *Prou. c. 23*
[f] *Cap. 40.*
[g] *Cap. 11. & 12.*
[h] *Cap. 7.*
[i] *Cap. 12.*
Mulier volans mysticè quid.
[k] *Cap. 16 Euang.*
Mulier pariens quid mysticè.
[l] *In Exodũ.*
Doctrina duorum testamentorũ per alas Aquilę significata.

geminæ charitatis præcepto ſubnixa. Aquila altè volat, ardentesq; ſolis radios fixè intuetur, nidum in ſublimi petra reponit, ne callidus raptor propè quandoq; accedat. Sic ipſa Dei Eccleſia ſuper Chriſtum, ſolidam celſiſſimamq; petram compoſita, fidei lumine ſolem diuinitatis irreflexè intuetur, à terra nimium, nimiumq; ſublata, vt nihil terreni ſpiret, nihil ſapiat, ſpem totam vitæ in ſolo Deo collocet, cui ſolitudo eſt mundana peregrinatio, de qua loquutus fuit.[m] D. Ioannes: *Et datæ ſunt mulieri duæ alæ magnæ Aquilæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum.* &c. Ad hæc alia etiam ratione Aquilæ comparatur Eccleſia; illa nanq; altiùs cæteris alitibus volans, viſo tamen cibo, indigentia naturali ſubacta, mox ad ima deſcendit: Sic Eccleſia in ſpiritualibus membris, cùm ea, quæ ſurſum ſunt, mente comprehendat, infirmitate tamen corporis grauata, neceſsitatibus ſubiacet indigentiæ corporalis, pro quibus ingemiſcit, & vſque adhuc parturit.

[m] *In Apoc. cap. 12.*

[n] D. Ioannes in Apocalypſi vbi de quatuor animalibus ſenis alis præditis agit, Aquilæ, vti cęteris, ſex quoque alas aſſignat. Quarum prima lex denotatur naturalis, ſecunda lex Moſayca, tertia Prophetarum oracula, quarta Euangelium conſiliorum, quinta doctrina Apoſtolorum, ſexta ſtatuta generalium conciliorum. Iſtis enim ſex alis, ſex viri Eccleſiaſtici debent deſcendere deorſum ad ædificationem proximi, & volare ad dexteram per gratiarum actionem in ſecundis, ad ſiniſtram per patientiam in aduerſis. Vel ſex alæ ſunt cognitio operum Dei factorum ſex dierum curſu, vt oſtendit Moyſes, quorum notitia in altum tolluntur, qui in eis benè operantur.

[n] *Cap. 4. Alæ ſex Aquilæ quid myſticè denotent.*

Aquila, quæ viſa eſt inter quatuor animalia prope ſedem Dei, *ſignificat*, vt[o] Abbas Ioachim ſcribit, *Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quia infra terminos tenebatur illa Eccleſia, cui à D. Paulo non ſine cauſa myſterij à principio dictum eſt: Aemulor enim vos æmulatione Dei: deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, & ad virgines pertinent pennæ Aquilæ volantis iuxta illud; & datæ ſunt mulieri alæ duæ, ſicut Aquilæ.*

[o] *Apoc. introduct. c. 19*

Aquilę caliditas myſticè interpretata.

Quemadmodum Aquila eſt calida & ſicca temperamento, ac fortis; ita viri probi per charitatem calidi, per ſpontaneam paupertatem vel etiam per ſobrietatem, ac abſtinentiam ſicci, ſunt conſtantes, ac in aduerſis fortes.

Aquila viſus myſticè. D. Iohannes cur Aquila dictus.

Vt etiam Aquila viſus acie pollet, ita Chriſtus Deus noſter humilia reſpicit in cælo, & in terra, qui in altis habitat. Sed hac de re etiam paulò ſupra mentionem habuimus. Ob eandem viſus aciem D. Ioannes Euangeliſta, quod etiam aliàs meminimus, quoniam recondita illa & altiſſima diuinæ in Chriſto natiuitatis myſteria acerrimè ſolus introſpexerit, Aquila dictus fuit. Vnde Sedulius.

*More uolans Aquilæ uerbo petit aſtra Ioannes.*

[p] *In Cõmẽt. Symbolicis.*

[q] *In Proëmio Catenæ aureæ.*

Sunt tamen & aliæ cauſæ præter hanc, cur eidem hoc nomen rectè competat, quæ [p] Antonius Ricciardus Brixianus ex [q] D. Thoma colligit. Solus enim altiora de reſurrectione Domini miracula expreſſit. Solus ipſe à principio omnium rerum Deo ipſo Euangelium ſuum exorſus eſt. Solus ſupra cęlos omnes euectus, ad contemplationem ſummi boni conuertitur, cùm cæteri actiuam vitam ſolummodo complectantur. Quam eandem ob cauſam Ioannes Euangeliſta verè diuinitus Aquilæ ſaltiuolantis, ſolisq; iubar irreuerberatis oculis intuentis, effigiem

[r] *Lib. 3. aduerſus hæreſ.*

iuremeritò ac imaginem gerit, illius quidem, quam, vt inquit [r] D. Irenæus, *Sacri præuidêre uates, quæ Ioannis noſtri beneficio ſpiritus in Eccleſia aduolantis gratiam manifeſtat.* Hic enim altè exorſus principium, quod à patre eſt, effigiem verbi, quæ refertur in filio, & præclaram eius generationem enarrat, tanta cum fiducia rem tam arduam agreſſus, vt Aquilæ meritò figuretur ſymbolo. Ioannes, inquam, ille altiloquus, quòd Aquilæ referatur typo, ipſa ſuſceptæ, vt Eucherius teſtatur, lucubrationis materia, & ab eo ipſo rerum principio repetita, in cauſa fuit. Proinde cùm volatu ſublimi in ipſam omnipotentis Dei aulam elatus ſit, & oculorum aciem viſu præpollens, in admirandæ diuinitatis faciem infixerit, doctrinam nullo antea mortalium ingenio conceptam, ab alto detulit, cuius initium. *In principio erat uerbum.*

✠ *Ioan. c. 1. Euang.*

Sicut Aquila à longè contemplatur, & præter mare odoratur eſcam, & vbicunque ſenſerit, ad cadauer delabitur, ita piæ mentes eminus vltra huius mundi mare, quæ in cęlo locata eſt: ſuam prædam olfaciunt Deum ipſum, ad quem ardenti mentis deſiderio ſeſe conuertunt.

[s] *Cap. 8. Vox Aquilę myſticè.*

De voce Aquilæ in [s] Apocalypſi D. Ioannes: Ita ſcribit, *Et uidi, & audiui uocem unius Aquilæ uolantis per medium cœli & dicentis magna uoce, uaeh, uaeh, uaeh, habitantibus in terra.* [t] D. Auguſtinus per Aquilam hanc Eccleſiam intelligit volitantem in medio cęli, id eſt in medio ſui diſcurrentem & plagas nouiſsimi temporis magna voce prædicantem. Quando enim ſacerdos diem Iudicij annunciat, Aquila in medio cęli volat. Viſio eadem, vt ſcribit [u] Cælius Pannonius, imaginaria fuit, vt cæteræ, ſed myſtica, in qua idem ſunt videre & audire. vidit, ergò & audiuit, ideſt, intellexit. Græca quædam exemplaria Angelum habent, vetuſtiora Aquilam,

[t] *Hom. 6. in Apoc.*

[u] *In Cõmẽt. ca. 8. Apoc. ſect. 5. pũct. 3.*

lam, sed nihil refert, dummodo certò teneas, typum esse vniuersorum decretorum Dei interpretum, tam Angelum, quàm Aquilam, quorum conuersatio cælestis est, & volant in omni solicitudine annunciantes decretum Dei in plebe. Triplicat autem vaeh Aquila, ad exaggerandum terrorem, clarioremq; mentis suæ expressionem, conformans se consuetudini Prophetarum, qui instante graui discrimine, sæpius eandem vocem repetere consueuerunt; sæpè per id interim doloris vehementiam exprimentes. Sic Ioel, sic Ieremias, sic Ezechiel. In Zacharia O, bis repetitur, ad terrorem audientium, propter quem sæpe voces eiusmodi geminantur. Est autem vaeh, nota maledictionis & execrationis pœnam cõminantis Dei omnipotentis, qua si diceretur: Maledictioni & execrationi sunt obnoxij omnes, quotquot relicto Deo & iustitia eius, viam peccati sequuntur. Abbas Ioachim hisce vocibus Gregorium Papam significari author est. Hic fuit anno Domini 590. & composuit multa ad correctionem populi Dei, in quibus operibus semper exclamat, dicens instare tempora valdè amara. At Francisco Riberæ quoniam non dicit, *audiui uocem Aquilæ uolantis*, sed *unius Aquilæ*, magna suspicio est, virum aliquem illius temporis sanctitate insignem indicari, siue is ex prædictorum numero sit, siue priuatus homo, cui tunc Deus hanc Prophetiam inspiret.

Prophetæ cur eãdem vocem repetant.

Vaeh particula quid.

Gregorius Papa per Aquila denotatus.

Aquila maximè omnium auium est sublimipeta & volat altissimè. Ita Christus Dominus noster supra omnes cælos, vnde venerat, redijt, eoq; nomine meritò Aquila dicitur. Vnde & Beatus [x] Iob dixit: *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum?* Præterea eodem hoc loco, vt testatur [y] D. Gregorius, Aquilæ nomine subtilis Sanctorum intelligentia & sublimis eorum contemplatio designatur. Tantum enim est Aquilæ visus acumen, vt oculos in Solem fixos nulla luminis quanuis splendidissimi coruscatio reuerberet, aut nictare faciat. Sic sancti Dei verentes magnitudinem & eminentiam diuini iubaris, à cuius gloria incautus perscrutator potius opprimitur, omnem mentis, & cogitationis aciem in eius contemplationem dirigunt, & nulla vi ab hac tam suaui & alta meditatione coacti desistunt.

Aquilæ quo Christus cõparetur.

[x] *Cap. 39.*

[y] *Lib. 31. moral. c. 19.*

Sanctorum intelligentiam Aquila denotat.

Ad præceptum ergò Dei eleuabitur Aquila, ideſt, pia mens, dum mandatis Dei obtemperat (Nam in his vita est) & in arduis ponent nidum suum, dum abiecto terrenarum rerum desiderio mente & spe iam in cælis cum Deo conuersantur, [z] iuxta illud: *Nostra conuersatio in cælis est*; & [a] rursum, *Qui conresuscitauit & considere nos fecit*. [b] Et Iob. *Sicut Aquila uolans ad escam*. Mos quippe est Aquilæ, vt cùm refectione indigeat, eandem oculorum aciem, quam radijs solis infixerat, ad eadauer inclinet, & quanuis sublimis super aërem euolet, pro sumendis tamen carnibus terram petit. *Sic* (inquit idem [c] D. Gregorius) *antiqui patres in quantum humanitatis infirmitas admittebat, creatoris lucem erecta mente contemplati sunt: sed incarnandum hunc in mundi fine præscientes, quasi à Solis radijs ad terram oculos deflexerunt; & quasi de summis ad ima ueniunt, dum hunc Deum supra omnia & hominem intra omnia agnoscunt, quem pro humano genere, dum passurum moriturumq; conspiciunt, qua scilicet morte semetipsos refici, atque reformari ad uitam nouerunt, quasi more Aquilæ post contemplatos Solis radios in cadauere escam quærunt. Libet spectare Aquilam Solis iubar intuentem, [d] quæ ait: Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: sed ab alto uolatu celsitudinis ad terras veniat, escam cadaueris inferius inquirat, dicens. [e] Disciplina pacis nostræ super eum, & eius liuore sanati sumus. Et rursum: Et homo est, & quis cognoscet eum?* In eundem locum, alio tamen sensu idem author sic scribit: *Aquila alto valdè uolatu suspenditur, & anniſu prapeti ad æthera libratur, sed per appetitum ventris terras expetit, sesesq; à sublimibus repentè deorsum fundit; sic genus humanum in parente primo ad ima de sublimibus corruit. Quod nimirum conditionis suæ dignitas in rationis celsitudine, quasi in aëris libertate suspenderat: Sed quia contra præceptum uetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras uenit, & quasi post uolatum carnibus pascitur, quia illa libera contemplationis spiracula perdidit, & deorsum corporis uoluptatibus lætatur.*

[z] *Philip. 3.*

[a] *Ephes. 2.*

[b] *Cap. 9.*

[c] *Lib. 9. moral. cap. 16.*

[d] *Esai. 9.*

[e] *Esai. 53.*

Aquila cum impetu volans, vt est in [f] Deuteronomio, ad prædandũ, significat [g] quoque Diabolum eiusq; membra, & rapinas potentum, & eos qui verbis nil nisi sublime, & pium sapiunt; opere verò ac reipsa res proximorum diripiunt: deniq; superbos & ipsam superbiam. Huius similitudinis meminit [h] Baptista Mantuanus his verbis:

Aquila cum impetu volans quid significat.

[f] *Deut. 14.*

[g] *Sylua Alleg. ex Clem. Alex. 3. Pedæ. 9.*

[h] *Lib. 3. Parth. secundæ.*

——*Socios ac Dæmones omnes*
*Ad prædam ciet ex aris adytisq; Deorum.*
*Illi præcipites altis è turribus adsunt*
*Corripiuntq; vagas animas, stygijsq; coercent*
*Persimiles Aquilis, quoties uidere uolucres*
*Dulcibus è stagnis tolli, tenuemq; per auram*
*Nare cateruatim, campisq; inferre uolatum.*

Hinc & apud [i] Abacuc *Aquila festinans ad comedendum*, Diaboli significat promptitudinem ad perdendas animas. Sic vbi à [k] Mose in Deuteronomio profertur: *Sicut Aquila prouocans ad*

[i] *Cap. primo.*

[k] *Cap. 2.*

uolandum pullos ſuos, & ſuper eos uolitans expandit alas ſuas, poteſtas Deo aduerſaria intelligitur, quæ ex permiſſu Dei elata in ſuperbiam, multa poteſt, ſicut & [l] Propheta ait: *Et erit ſicut Aquila ſuper domum Dei:* Ob hanc ipſam ſuperbiam Diabolum prophetæ tumentem ſuper montes Aquilonis eleuari ſcribunt, & ſuper aſtra cæli ponere ſedem ſuam, cupientem ſe exæquare Altiſſimo. In arduis quoque ponit nidum ſuum, ideſt (myſticè intellectum) in magnis quibuſq; & eminentibus ſeculi huius hominibus ſedem ſibi conſtituit, vt in eis velut trux dominus & immaniſsimus tyrannus commoretur. [m] Vnde, *Si exaltatus fueris ſicut Aquila, inde detraham te, dicit Dominus.* Et [n] Ieremias, *Velociores fuerunt perſequutores noſtri Aquilis cæli*, de inſidiatoribus ſpiritibus dixit. Quare [o] & in lege præcipitur, vt non comedamus Aquilam: & Iſidorus inquit, *qui Aquilam, aut Miluum aut Accipitrem odit, odit raptores & ſcelere uiuentes*: & * D. Thomas Aquilam ſuperbiæ typum eſſe inquit. [p] D. Auguſtinus quoque Dæmonem Aquilam myſticè vocat ob rapacitatem, vbi ſic habet: *Si & per aurum traheris, quò non vis, & ideò te quærit maior raptor, quia inuenit minorem raptorem, ideò te quærit maior Aquila, quia prior cepiſti Leporem. præda tibi fuit minor, præda eris maiori. Hæc non vident homines, in rebus humanis, tanta cupiditate cæcantur. Quærit potentior infirmiorem, & quærit eum opprimere, non ob aliud, niſi quia habet, quod illi auferat. Videt illum pati ſub ſe tribulationem, non ob aliud niſi propter quod habet, & hoc ipſe, propter quod ille patitur tribulationem, ad ſe congerit.* Hactenus D. Aurelius. Pari pacto vbi apud [q] D. Iobum legitur: *In petris manet & præruptis ſilicibus, ac rupibus inacceſſis commoratur Aquila:* Per Aquilam malus genius ſeu Dæmon intelligitur, qui in potentibus ac malitia fortibus, petris certè excelſis ac duris habitat. Per præruptas verò rupes ac ſilices deſignantur illi, qui in cælum attollentes os ſuum horrendas & immanes aduerſus Deum blaſphemias effutiunt, homines corde duro ac indomito, nec vnquam in melius profecturo. Inacceſſæ verò rupes homines ſunt immodico adeò, & intolerabili faſtu tumentes, vt vel nullus monendo, & corrigendo eò accedere, aut pertingere poſſit.

Aquila etiam quę ſingulari naturæ inſtinctu pullos abijcit eos, qui vel ad Solem illachrymant, vel auerſi ſplendorem eius non ſuſtinent, pios parentes innuit, quibus pignora ſua non ſunt cordi, niſi & ipſi pietatem colant, & niſi totos ſeſe ad præcepta & nutum diuini Solis componant, iuxta conſilium ſapientis in [r] Eccleſiaſte dicentis: *Ne iucunderis in filijs impijs, ſi multiplicentur, nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis.* Et iterum: *Melior eſt vnus timens Deum, quàm mille filij impij, & vtile eſt mori ſine filijs, quàm relinquere filios impios.* Sed & ad Chriſtum parabola myſticè referri poteſt [s]. Quemadmodum enim Aquila nonnunquam alienam prędatur prædam, ita Saluator noſter Ieſus Chriſtus, quum Limbum aperiret, Diabolo ſuam prædam eripuit. [t] D. Ambroſius Ieſum Aquilæ aſſimilans ita ſcribit: *Quemadmodum Aquila colona quaſi mater nidi ſemper vnius eſt, nec ad procreandam ſobolem aliud quandoq; cubile perquirit; & cùm primùm calidis ouis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes, hos contra faciem feruidi ſolis opponit, vt qui ægram & inualidam coruſco radiorum appulſu aciem ſubmiſerit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum conſortio ſeparetur & deijciatur in terram: & ſicut Auis iſta inimica ſerpentum eſt, quos cùm in aëra alarum remigio ſubuectando ſupportat, hos adunco roſtro, & armatis quaſi quibuſdam telis, pedibus ſuis lacerat ac diuellit, quos cùm deuorat, calore ſuo interno noxium illud virus extinguit. Ita Chriſtus Dominus vnam diligit Eccleſiam, vt Aquila nidum ſuum, quam ab æſtu perſequutionis alarum ſuarum defendit vmbraculo. Sic quoque extra Eccleſiam proijcit, in quibus fidei lumen infirmum eſt, qui igneam Euangeliorum lucem vitijs ſecularibus inquinati ferre non poſſunt. Et vt Aquila ſerpentes deuorat, & eorum venena calore concoquit interno: Ita & Chriſtus Dominus noſter Dracone percuſſo, ideſt, Diabolo lacerato, dum humanum ſibi corpus aſſumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernicioſum virus extinxit, ſicut [u] Apoſtolus ait. Et de peccato damnauit peccatum in carne ſua. Et alibi: [u] Qui cùm peccatum non noſſet, pro nobis peccatum fecit. Ad hoc quoque [x] Moſes ſerpentem æneum in eremo ſuſpendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Chriſti, vt [y] quicunque in eum aſpiceret, non periret. Corpus enim hominis per tranſgreſſionem vas fuerat ſerpentis effectum. Sic & alibi ipſe [z] Moyſes virgam proiecit in terram, quæ in ſimilitudinem eſt corporata ſerpentis, quæ quia & ipſa imago erat corporis Chriſti, & tantæ virtutis in ſe typum gerebat, omnium Aegyptiorum poteſtatem abſorbuit.* Illud quoque quod idem [a] Salomon in Prouerbijs ſuis ſcribit, vbi ait: *Tria ſunt mihi incognita, quæ aſſequi nequeo; veſtigia Aquilæ volantis &c.* ad Chriſti referendum eſt perſonam. Hic enim, vt idem D. Ambroſius paulò poſt interpretatur, *etſi poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam præſentibus Apoſtolis aſcendit ad cælum, tamen cuius hominis tam altus ſenſus & tantus eſt, vt explicare poſſit, quomodo illa tanta maieſtas de cælo aut venire dignata fuerit, aut redire? Cùm hoc nobis ſolùm ſcire liceat, quod aut venit, aut redit. Quis enim cognoſcere poterat, quomodo verbum in Virginem venerit, vt repentè conceperit, vt tam felicem fœtum partus Virginalis effunderet, vt hominem Deus indueret, quem totus mundus non poteſt ſufferre, nec capere? id eſt, quod ait: veſtigia Aquilæ volantis, ideſt, Chriſti aduenientis ad terram, ac redeuntis ad cælos veſtigia comprehendi*

[l] *Oſeæ.* Diaboli cũ Aquila cõparatio.

[m] *Abdiæ. b.4.*

[n] *In Threnis.cap.4.*

[o] *Leu.c.11.* Aquilæ eſus cur in lege prohibitus.

* *Aquila ſuperbiæ typus 1.2æ.q. 102.*

[p] *Tom.8. Commen. in Pſal.123.*

[q] *Cap.39.* Blaſphemi myſticè ſignificati. Superbi myſticè indicati.

Aquila pullos degenere abijciẽs quid myſticè ſignificet.

[r] *Cap.16.* Chriſtus Aquilę comparatus.

[s] *Tom.2.lib. de Salomone cap.2.*

[t] *Ad Ro.8.*

[u] *2.Corin.5.*

[x] *Num.21.*

[y] *Ioan.3.*

[z] *Exod.4.*

[a] *Prou.30.* Tria incognita Salomoni.

*hendi non posse*. Item alibi: *Aquila*, inquit, *intelligitur Christus, qui volatu suo descendit ad terras. quod animalis genus non nutritur, etsi primum castitas comprobetur matris, vt apertis oculis absque palpitatione totum aspiciat Solem. meritò enim hoc animal comparatur Saluatori: quoniam cùm aliquid rapere voluerit, non vestigijs ambulat terras, sed excelsum eligit locum. sic & Christus alta Cruce suspensus, tonante strepitu & terribili uolatu impetum ab inferis fecit, sanctosq; rapiens ad superna remeauit.* In fragmento capitis quinti eiusdem.

Non'ne item Deus & Christus per Moysem nominatus Aquila, [b] alibi *(quoties volui congregare filios tuos, sicut Gallina pullos sub alas, & noluisti?)* dici voluit Gallina, quæ idem est, si ponderemus significatum per Aquilam vel Gallinam, quæ pascunt suos pullos? nam & Christus verus pastor ita fecit, qui in sacra Scriptura nominatur terra viuentium, mare magnum, puteus aquarum viuentium, paradisus voluptatis, regnum Dei, lapis fundamenti, Architriclinus, Aquila, Gallina, vel quæcunque Auis pullos enutriens. D. Thomas citante * Antonio Ricciardo Brixiano Aquilam spiritum Sanctum significare scribit, qui locutus est per ora Prophetarum, & hinc est quòd doctores Græci Aquilam D. Marco attribuunt, quòd à Prophetico testimonio Euangelium suum sit exorsus. & Titus Prosper [c] Martinengius hisce Iobi verbis, *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum?* Beatam Virginem matrem Mariam significari scribit.

[b] *Matt.23*

* *In Commentar. Symbol.*

[c] *In Theotocodia.*

Vt etiam Aquila, cuius idcirco insignis prædicatur liberalitas, prædam, quam cepit cum alijs Auibus communem facit: Ita Christus æternę beatitudinis præda nequaquam solus potiri voluit, sed omnes nos eius participes reddit: vnde est, quòd frequens eum fidelium turba insequuta est, nempe prædę huius spe allecti, diuinæ gratię in hac vita, ac sempiternæ glorię in futura, dicente [d] D. Matthęo, *Magister, sequar te, quocunq; ieris.*

[d] *Cap.8.*

Eadem istæc liberalis Aquila hominem pium designare potest, qui lubens siti & fame pressis, larga, quantum potest, manu subuenit, præmium aliquando ab supremo illo Agonotheta reportaturus. Locum [e] Matthæi & [f] Lucæ, vbi dicitur: *Illuc, ubi fuerit corpus, congregabuntur & Aquilas*, D. Augustinus ait, *significare Sanctos de uolatu spiritualis corporis, quorum congregantibus Angelis conuentus futurus est in loco passionis Dominicæ.* Eundemq; [g] D. Chrysostomus emendans inquit. *De Vulturibus dicit scriptura in [h] Iob. Vbicunque fuerit corpus, illic inueniuntur Vulturum pulli: Hoc enim naturale est Vulturum, sicuti dicunt quidam, vt etiam transmarina cadauera sentiant. Quoniam ergò turpes Aues sunt Vultures, idcò Vulturinis quidem moribus aptauit nomina Aquilarum, ut in moribus quidem Vulturum Sanctorum congregatio ostendatur ad Christi aduentum; in Aquilis autem regalibus. regalis Sanctorum dignitas ostendatur. Ideo enim Sancti Aquilis assimilantur, quia sicut filij Aquilarum ad solem probantur, ut siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios Solis, intelligantur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscantur adulterini, ita & filij Dei ad Christi iustitiam comprobantur. Si enim potuerint pleno corde iustitiæ uerba suscipere, intelliguntur esse legitimi, si autem non potuerint, cognoscuntur de Diabolo esse nati.*

[e] *Cap.24.*

[f] *Cap.17.*

[g] *Tom.2. Homil.94. in c.24. Matt.*

[h] *Iob.39.*

Sancti cur Aquilis cõparati.

Aquila à longè dicitur escam prospicere apud [i] D. Iobum, nempe vt eam det pullis suis, allegorico sanè sensu. Aquila enim est nedum familia Israëlitica, sed etiam virtus illam nutriens & dirigens, de qua virtute scriptum est: [k] *Sicut Aquila prouocans pullos suos ad uolandum.* Hęc Aquila est mulier illa nisallor, de qua dicitur: [l] *Facta est nauis quasi institoris, de longè portans panem suum*, Illum videlicet panem, quem edocuit nos filius Dei petere, dicentes: [m] *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

[i] *Cap.9.*

[k] *Deut.c.32.*

[l] *Prou. 31.*

[m] *Luc.11.*

Nemo verò Deum ipsum Aquilæ comparari miretur, etiamsi immũda sit & rapax. Nam & Leoni, & Serpenti cõparatur Christus, non quidẽ ob malitiam, aut rapacitatem, sed propter virtutem & regnũ. Leo enim Rex Ferarum est. Serpenti verò, & præcipuè Viperę vis inest salubris aduersus omnia venena. Non igitur quòd rapax sit vel immunditijs delectetur Christus noster, ideò Aquila est, sed quia Rex noster est, & super omnia positus, fidelium suorũ, vt clemens pater, curã gerit. Aquila aliàs ratione contraria Diaboli typũ gerit ob rapacitatem & superbiam.

Deus comparatur Aquilæ.

Diaboli typus Aquila.

Eadem & iustos significat, vt apud [n] D. Ambrosiũ quoque, qui locum eum [o] D. Lucæ supra dictum, nempe de congregatione Aquilarum ad corpus, enarrans, ita scribit: *Iustorum animæ Aquilis comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquant, longæuam ducere ferantur ætatem, vnde [p] Da uid animæ suæ dicit: Renouabitur, ut Aquilæ iuuentus tua. Si igitur intelleximus Aquilas, de corpore iam non possumus dubitare, maximè si meminerimus, quòd à [q] Pilato Ioseph corpus acceperit. Non'ne uidentur tibi Aquilæ circa corpus, [r] Maria Cleophe, Maria Magdalene, Maria mater Domini, Apostolorumq; conuentus circa Domini sepulturam? Non'ne tibi uidentur Aquilæ circa corpus, quando ueniet in illa die cum intelligentibus nubibus filius hominis, [s] & uidebit eum omnis oculus & qui compunxerunt eum. est etiam corpus, de quo dictum est: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Circa hoc corpus uerę Aquilæ sunt, quæ circumuolant alis spiritualibus. sunt & circa corpus Aquilæ, quæ credunt Iesum in carne uenisse, quia omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, de Deo est: ubi ergò fides, ibi sacramentum, ibi diuersorium sanctitatis. Est etiam corpus Ecclesia, in qua per baptismi*

[n] *Tom.3.lib. 7.comment.*

[o] *In Euang. Lucæ c.18.*

[p] *Psal.102.*

[q] *Ioan.19.*

[r] *Apoc.1.*

[s] *L.99.*

*gratiam renouamur ſpiritu, & occidua ſenectutis in rediuiuas reparantur ætates.* Rurſus vbi de innouatione agit baptiſmatis in illa verba (*Renouabitur ſicut Aquilæ iuuentus tua*) *Intelligit*, inquit, *Propheta per gratiam baptiſmi occidua vitæ noſtræ poſſe reuiuiſcere, & iuuentute quadam renouari id, quod in nobis fuerat delictorum vetuſtate collapſum. Vt autem intelligas, quia de gratia batiſmatis Propheta loquitur, innouationem ipſam Aquilæ comparauit, quæ Auis aſſidua commutatione habitus ſui longam ducere fertur ætatem, & vetuſtis iam fatiſcentibus plumis noua pennarum ſucceſſione iuueneſcere, ita vt depoſitis antiquitatis exuuijs, rediuiua indumentorum natiuitate ſe veſtiat. vnde intelligimus, quòd ſenectutem Aquilæ non ſentiunt membra, ſed plumæ. De nouo ergò ſe veſtit, & pullulantibus pennis vetuſta mater iterum renouatur in pullum: pullis enim tunc comparanda eſt, quando radiantibus plumis, neceſſe eſt, illi rurſum meditari rudem volatum & alarum olim exercitata remigia, tanquam neuella volucris intra nidum pigra compeſcere: quanuis illi ſit volandi notitia de conſuetudine, deeſt tamen illi de pennarum raritate fiducia. De baptiſmatis igitur gratia hoc Pſalmographus prophetauit. Nam vtique Neophiti noſtri nuper baptizati, tanquam Aquilæ depoſitis vetuſtatis exuuijs, noua ſanctitatis indumenta ſumpſerunt, & fatiſcentibus antiquis maculis, ſicut plumis leuibus, rediuiua gratia immortalitatis ornantur, ita vt in his ſenectutis occidua peccata ſenuerint, vita non ſenuerit: tanquam Aquila in pullum, ſic illi in infantiam reuocati. eſt eis ſeculi de conuerſatione notitia, ſed adeſt illis iuſtitiæ de reparatione ſecuritas. Quid igitur ſanctus Dauid dicat, adhuc diligentius videamus. Non enim ait, renouabitur ſicut Aquilarum, ſed ſicut Aquilæ iuuentus tua. Vnus ergò Aquilæ renouandam in nobis aſſerit iuuentutem, quam vnam, & ſolam Aquilam rectè Chriſtum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata eſt tunc, cùm à mortuis reſurrexit. Depoſitis enim corruptelæ corporalis exuuijs, rediuiua carnis aſſumptione refloruit, ſicut ipſe ait per* [t] *Prophetam. Et refloruit caro mea & ex voluntate mea confitebor illi. Refloruit, inquit, caro mea. videte, quo verbo vſus eſt; non ait, floruit, ſed refloruit. Non enim refloreſcit, niſi quod antè floruerit. Floruit autem caro Domini, cùm primum de Mariæ Virginis illibata vulua proceſſit, ſicut ait* [u] *Eſaias, dicens. Exibit virga de radice Ieſſe, & Flos de radice aſcendet. Refloruit autem, cùm ſucciſo per Iudæos corporis flore, rediuiua de ſepulchro reſurrectionis gloria germinauit & in floris modum odorem pariter & nitorem cunctis immortalitatis afflauit: odorem honorum operum ſuauitatem circumferens: nitorem in corruptelâ perpetuæ diuinitatis oſtendens.* Hactenus ille. Simili ferè ſenſu [x] D. Chryſoſtomus eum Pſaltis Regij locum, quem modò tetigimus, exponens, ait. *Renouationem eam (quam Pſalmographus iuſtis pollicetur, cùm dicit; Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua) Dominus per ſanctum baptiſma donauit, atque abraſo peccati ſenio, nos ex ſenibus iuuenes reddidit. Quibus verbis congruunt ea, quæ Deus per Eſaiam Prophetam ait: Qui expectant me, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt Aquilæ. Quoniam enim diuinas ac regias notas in ortu noſtro accepimus, easq; per varia peccati ſtudia obſcurauimus, atque corrupimus, idcirco Prophetica oratio regni recuperationem nobis pollicetur (regia enim hæc eſt auis & volucrum regina) docet autem nos etiam diuinæ liberalitatis & munificentiæ modum, vt huiuſmodi iuuentus renouetur, veterem hominem deponens, nouum autem, qui in Creatoris agnitionem renouatur, aſſumens. Ad hunc enim modum inquit: Iuuentus tua renouabitur, vt in vita ab omni interitu aliena conſtanter florens ac vegeta ſit. Quandoquidem Aquila omnium Auium maximè regia eſt atque altiſſimè volans. Præterea, quoniam hoc vnum animal aduerſus Solis radios obtueri poteſt, idcirco haud ab re animæ renouationem, atque à terra in cælum volatum, ipſiusq; vitam in ſummo lumine futuram Aquilæ naturæ comparauit.* Sancti itaque repueraſcunt aſſumpto immortali corpore, laborem non ſentientes mortalium, Chriſto obuiam in nubibus rapti. Deſijt alia ratio, quæ cogat hominem ſuarum virium obliuiſci, & toto pectore ſe Deo credere, ſenectus certè abundè id præſtat. reddit enim hominem moroſum, querulum, voluptatum oſorem, vilem, ridiculum. Itaque ſi in eo rerum ſtatu quiſpiam iuuentam reddat, nonne is videbitur ſe mimortuum reuocaſſe in vitam? Atqui mirum videtur, cur non omnia nobis polliceamur de noſtro conditore, quando ſacer ſpiritus ſponſor exiſtit iuuentutis, ſimilitudinem afferens Aquilæ, quæ exuit ſenectam. Quanquam minimè in hac vita ſperandum alicui idem arbitretur, cùm de anima præcipuè loquatur. Alia quoque ratione reiuueneſcit Aquila, cùm roſtrum nimio ſenio aduncum adeò, vt cibum capere nequeat, ad petram rupis excutit, atteritq; priſtino ſtatui reſtituens. Hæc petra Chriſtus eſt. Roſtrum obuncum prauitatem animi, iracundiam & rapacitatem phyſiognomis deſignat. vitia hæc non alia ratione, quàm per Chriſti diſciplinam excuti queunt, atque ita pro iuuentutis renouatione animi depurationem intelligimus. Corpus enim noſtrum ab adoleſcentia pergit ad ſenium, verùm anima ſapientis, pij, probatiq; viri à ſenecta in adoleſcentiam tranſmittitur, atque flaueſcente, & deficiente homine exteriore interior magis vigeſcit, ac reuireſcit. quo diutius in iuſti honeſtiq; meditatione exercitioq; vitam degit. Tale aliquid apud Platonem inuenias dicente Socrate. *Tunc ſanè mentis oculus acutè cernere incipit, cùm oculus corporis incipit hebeſcere.*

De amore Aquilæ in pullos ita ſcribit [y] D. Hieronymus. *Inter cæteras animantes omnes Aquilarum quidem maximus in pullos eſt amor, quæ in excelſis & inacceſſis locis nidos collocant, ne Coluber fœtus uio-*

[t] *Pſal. 27.*
[u] *Cap. 11.*
[x] *In Pſ. 102. homil.*
[y] *Comm. in Eſaiam. cap. 65. lib. 18.*

*ta violet. Amethyſtum quoque inter pullos eius lapidem reperiri ſcribunt, quo omnia uenena ſuperentur. Si hoc verum eſt, rectè affectus Dei in ſuas creaturas Aquilis comparatus eſt, qui omni ſtudio protegit liberos ſuos, ne Draco, & Coluber antiquus Diabolus obrepat nouellis fœtibus, vt ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Syon, omnes aduerſariorum inſidiæ frangantur.* Eadem amittens pennas ſuas, vt eſt apud [z] Micheam, ſignificat pœnitentes, qui caluitium pœnitentiæ aſſumpſerint, vt idem tradit, citante [a] Ricciardo Brixiano.

[z] *Cap.1.*
[a] *In Symb.*

Quemadmodum etiam Aquila, vbi cum Ceruo pugnat, puluerem alis collectum in oculos eius excutit, vt mox excœcatum præcipitet, ita aduerſarius noſter Diabolus, quos aggreditur, obiectis diuitijs, alijsq; huius mundi illecebris excœcare & in caſſes ſuos præcipites dare annititur. Nihil enim aptius eſt ad fallendas hominum mentes, quàm opes, honores, cupiditates, & alia vitæ blandimenta, quibus fretus Diabolus quamplurimos ineſcat & ad ſe attrahit immotos aliàs, ſi aperto Marte & validis tribulationum, & miſeriarum tormentis ageret. Quo ſenſu [b] apud Eſaiam dicitur. *Excæca cor populi huius, ne audiat, auresq; eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè uideat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.*

[b] *Cap.6.*

# MORALIA.

PLVMAE Aquilæ pro diuitiis ac opibus præſertim Principum ac Regum, in primisq; Imperatoris, cui Aquila eſt pro inſigni, accipi quandoq; ſolent; vt enim alarum plumis deſpoliata Aquila volandi impotens fit: Ita & Principum dignitas omnis, niſi pecunia (quam belli neruum vocant) fulta, ſeu robore omni deſtituta, & labefactata facilè corruit, quemadmodum argutè ac ſapienter Imperator Carolus Quartus ad Principes Germaniæ ſermonem faciens, [a] Dubrauio referente, ediſſerebat.

Diuitiasplumæ Aquilæ denotant & cur.
[a] *Lib.22.*

Ob temperaturam cum Aquilis non incongruè Tyranni & iracundi quiuis conferuntur, quorum animos ira, leuiſsima quauis de cauſa tranſuerſos rapit. Ira etenim fortis, vt teſtatur [b] Ariſtoteles, non niſi in corporibus admodum ſiccis dominatum obtinet. Aquilæ exemplo voluptates ac ſuperuacanea omnia reijcere ac aſpernari docemur. Parit enim ea tria ad ſummum oua, quorum tertium, tanquam duo ad conſeruandam ſpeciem ſint ſatis, è nido præcipitat. Incubatu enim fotuq; ouorum, ſpiritibus abſumptis, vires adeò fatiſcunt, vt propemodum volatui inepta ſit, tantum abeſt, vt ad venatum prodire poſsit & prædam agere. Terna hæc oua triplicem hominis repræſentant appetitum. Quandoq; recta ratione quippiam humanus animus appetit, quod ad perfectionem ſuam & felicitatem attinet. Nonnunquam de his quæ ad corporis vſum ſpectant, eſt ſolicitus, ne animus hoſpes ſqualente, ac ruinam minitante domicilio peius, quàm opus eſt, habitet. His tamen, quæ neceſſitati ſufficiunt, non contenta mens noſtra ad voluptates quandoq; à fronte blandientes conuertitur. Verùm hæ eædem vt tertium Aquilæ ouum non tantummodo, ut ſuperuacaneæ, ſed & tanquam pernitioſæ homini repudiandæ ueniunt. Emolliunt enim deliciæ atque animum virtuti intentum aliò diſtrahunt, impediuntq; quo minus liberè euolare & arduam uirtutis uiam ſectari poſſit, ſed deprimunt ſenſum multa cogitantem, & ut ait [c] Horatius:

Tyranni Aquilæ comparati.
[b] *Ethic.3.c.8*

Appetitus hominis triplex per Aquilæ oua deſignatus.

[c] *In Satyr.*

*Affigunt & humo diuinæ particulam auræ.*

Indoles generoſa & regia ab Aquilæ liberalitate.

Quæ de liberalitate Aquilæ afferuntur, ſanè ad generoſam, ac regiam indolem declarandam faciunt. Nec enim in puſillis animis ac ſordidis hæc uirtus inhabitat: Sed Regium eſt, ut in Emblematis ſuis Bochius inquit, ET POSSE, ET VELLE BEARE. Quandoquidem ex tantilla præda, quam fecit Aquila, ſortem ſuam alijs, aut Auibus, aut beſtijs relinquit. Pietatem verò cùm in plerisq; brutis animantibus erga parentes inſignem, tùm uerò uel maximè in Ciconia & Aquila eſt conſpicere. Hos ſenio confectos non alunt tantùm, ſed & humeris ſuis aut alis exceptos, quò opus eſt, tranſportant, dignam certè accepti beneficij mercedem rependentes. Hic notent ſuam ἀστοργίαν & impietatem plurimi, qui parentibus non modò non nutricationis præmium referunt, ſed iam ſenio confectos uix uiuere ſuſtinent: imo uerò mortem etiam ijs imprecantur. At hi non erubeſcunt ſeſe rationis capaces, ab irrationalibus pietate & benignitate uinci.

Aquilæ pietas erga parentes.

Aquilè à Polypo captæ qui ſimilis.

Cyrus Cambyſis filius deceptus.
[d] *Lib. 2. in Enterpe.*

Quod de Aquila Polypi cirris implicata, ideoq; in mare delapſa ac demerſa, refertur; ad eos pertinet, qui aut prædam ſibi damnoſam captant, aut in alios moliuntur, quæ ſibi ipſis exitio futura ſunt. Quemadmodum Cambyſis filius alter Cyrus apud [d] Meſſagetas ab Herodoto decantatus; & Polycrates cùm ad diripiendum aurum magno ſtudio ad Oretem profectus eſſet

Polycrates deceptus.

eſſet, tanquam eſca illecti, tandem decepti fuerunt; & in foueam, quam alijs foderant, ipſi irruerunt. Bruta eiuſmodi diſcrimina, quia ignorant, ſæpe non cauent: homines verò & prudentes in tantum praua cupiditate vinci, vt ſemetipſos præcipitent, hoc moleſtum eſt. Vndè prouerbium; *Malum conſilium conſultori peſſimum*. Et vt verè non minus, quàm ſcitè Ouidius canit:

*—— Neque enim lex iuſtior vlla eſt,*
*Quàm necis artifices arte perire ſua.*

Fures quo Aquilam imitentur.

Aquila non venatur locis nido ſuo propinquis. Qua in re vafri & verſipelles eam probè imitari norunt, qui à vicinis expilandis abſtinent, gnari non diu ſe latituros, apud quos iam innotuerint.

Auari Aquilæ rapaci comparati.

Cum rapaci quoq; Aquila non inconcinnè illi comparari poſſunt, qui ſublimibus ſtudijs operam dantes, cœleſtium corporum motibus & rerum naturis conſiderandis intendunt. Aut etiam qui altiſſimorum pietatis noſtræ myſteriorum contemplationem profeſſi, vita interim & impuri ſint ac ſcelerati, toti ſordibus terrenis immerſi, ſuis commodis omnia metiuntur, & inexplebili auaritia æſtuantes, quoruncunq; bona per fas & nefas ad ſe pertrahunt. Huius farinæ hominem [c] D. Hieronymus notat, nempe Heremitam quendam, qui publicas priuatasq; eleemoſynas in ſuum & ſuorum vſum conuerterat. Ita enim ſcribit: *Vidimus & planximus, Craſi opes vnius morte deprehenſas, vrbisq; ſtipes, quaſi in vſum pauperum cõgregatas ſtirpi & poſteris derelictas.*

[c] *Epiſt. 4. ad Ruſtic. monach. de viuẽdi forma.*

Aquilæ renouatio qd denotet.

Aquilæ renouatio omnes in cognitionem ac emendationem vitiorum ducit. Virtutes enim quoniam nos perficiunt, atque exornant, præclara quædam animi indumenta ſunt, quibus homo amictus & ornatus, longo à vulgo diſcrimine ſeiungitur.

Aquila etiã quæ inter ambulandũ vngues contrahit, ne aciẽ eorũ atterat: teſte Plutarcho, monet, ne ingenij noſtri acumẽ in rebus vilibus hebetemus; ſed arduis, & preſtãtibus impẽdamus.

# HIEROGLYPHICA.

QVANDOQVIDEM ea doctrina, quam notis illis ſacris, & occultis Aegyptij ſapientes exprimere voluerunt, ad moralem potiſſimùm Philoſophiam ſpectat; atque cùm fabulæ quoque, apologi ac emblemata ſub fictæ hiſtoriæ aut ſimilitudinis inuolucro, ceu ſub cortice medullam, præclara quædam documenta, ſimile argumentum cum illis contineant; ne ea, quæ inter ſe maximam affinitatem habent, diuelleremus, ideo myſticis, moralibusq; iam tractatis, Hieroglyphica primùm, quæ & ipſa myſtica ſigna ſunt, hinc fabulas, dein apologos, denique emblemata, hiſce, quæ ab Aquila petuntur, commoda, iam iam ſubnectemus.

Hieroglyphica quid & quando & cur inuenta.

Quod ad ſacra ſigna, ſeu hieroglyphica attinet, vt quid ea ſibi velint, primùm intelligat lector, ſcire licet characteres illos, ſeu literarum quædam rudimenta, quibus Aegyptij vſi ſunt, tum primùm fuiſſe excogitatos, cùm primi parentes (Joſepho teſte) qui rerum cæleſtium rationem primi mortalium indagaſſe traduntur, ante diluuium illud vniuerſale duas diuerſæ materiæ columnas conſtituerunt, lateritiam vnam, quæ ignibus, ſi fortè orbis conflagraturus fuiſſet, reſiſteret; lapideam alteram, quæ ab aquis terram totam inundaturis non effenderetur, in quibus totum de conſumatione mundi arcanum deſcriberent, & id quidem varijs animalium, rerumq; naturalium formis ac imaginibus literarum loco effigiatis. Cuius rei non ignarus videtur fuiſſe [a] Lucanus, qui Phœnicibus, qui Syriæ prope Damaſcum populi erant, nempe Hebræi Paleſtinę incolę antiquiſsimi, primis hanc inuentionem aſcribit, cùm ait:

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Phœnices primi Hieroglyphica inuenisse.

Aegyptij quãdo hieroglyphica inuenerit.

[a] *Lib. 3.*

[b] *Lib. 36. c. 8.*

Poſt verò cataclyſmum Aegyptij hieroglyphicæ huius ſcripturæ primi authores aſſeruntur, quos conſtantiſsima fama eſt, omnem naturæ obſcuritatem adeò manifeſtè cognitam perſpectamq; habuiſſe, vt eandem per manus traditam, quaſi hæreditariam poſſiderent. Eam notis illis myſticis occulentes poſteritati ſolebant conſignare. Has literas, quas ſcalpturas effigieſq; vocat [b] Plinius, ſoli nouerant Sacerdotes, & qui ab ijs deſcribendis ἱερογραμματεῖς vocabantur: vulgus enim alijs vtebatur. Harum præclara fama ac nomine exciti Pythagoras ac Plato, relicto patrio ſolo in Aegyptum magno ſtudio profecti ſunt, vt hiſce ſe erudiendos traderent. Moyſes quoque gentis Hebreæ dux à Pharaonis filia adoptatus, adhibitis regio more peritiſſimis quibuſq; Aegyptiorum, omni ſcientiarum genere imbutus fuit.

Pythagoras & Plato cur in Aegyptum profecti.

Moyſes hieroglyphicorũ peritus.

Inter cæteras itaque Hieroglyphicas notas ipſis Aquilæ imago frequens admodum fuit, & variæ ſignificationis.

Aquilæ in hieroglyphicis varie ſignificationes.

In

In primis Regem, rerum tantũmodo suarum satagentem, nec aliorum cõmoda vel incommoda aspicientem, quique tantum gauderet solitudine, per eam, quam proposuissent, Aquilam, ostendere voluerunt. Hæc enim in extruendo nido solicita admodum, in excelsis arduisq; locis nidulatur, & altissimo volatu cęteras Aues omnes superat; Hinc fit, vt ab aliarum consortio sese longissimè abducere videatur; Qui quidem plerisq; regibus mos est, humanam & præcipuè subditorum conuersationem ita auersantibus, vt non nisi propria vel vtilitate vel necessitate coacti, sui videndi copiam faciant. Regem Aquila denotans, & qualem.

Præterea quum Deum, aut sublimitatem, altitudinemue, aut contrà humilitatem, depressionemq;, aut excellentiam, aut sanguinem, aut victoriam, significare volunt; Aquilam pingunt. Et primò quidem Deum, eò quòd sit Auis hęc fecunda & longæua: & quia simulachrum videtur esse Solis, cùm præter cæterorum volatilium naturam, intentos oculos, immotosq; ad radios solares teneat. Deum Aegyptij notabant per Aquilam & quare. Solis imago Aquila.

Hinc & Solem, ceu visus dominum, aliquando Aquilæ figura repræsentant. Altitudinem verò, quandoquidem cæteræ alites, cùm sursum euolant, obliquo tramite ascendunt, sola Aquila in altum recto fertur. Altitudo cur Aquilæ cõparetur, & cur depressio.

Depressionem contrà eandem ob causam, nempè quia sola inter volucres Aquila, maximo & infracto impetu recta, ac veluti perpendiculari linea deorsum labitur.

Excellentiam autem, quoniam præstat cęteris volatilibus omnibus. Excellentię Aquilę typus.

Sanguinem, quia non aquam, sed sanguinem seu cruorem, dicunt bibere. Sãguis per Aquilam indicatus.

Victoriam, quòd reliquas Aues omnes robore, ac viribus longè superat. Quinimò si fortè cum Aue quapiam congressa, propè esse, vt ipsa vincatur, præsentit; supinam sese in terram proijcit, vngues exporrigit, horumq; sese armis tuetur, ac alteram impugnat & lacessit, quod ipsum cùm aduersaria Auis præstare nequeat, in fugam facilè vertitur. Victorię Aquila hieroglyphicum, & quare.

Pro Anima quoque Aquila ponitur, ex nominis interpretatione. Vocatur enim apud Aegyptios anima Baieth; hoc autem nomen diuisum cor & animam significat. Est enim Bai anima, Eth verò, Cor. Cor autem apud Aegyptios est ambitus animæ, vnde nomen ipsum sonat, quasi cordatam animam. Quia & Aquila eiusdẽ naturæ cum anima, vt plurimùm aquam non bibit, sed sanguinem, quo & cor nutritur: non autem anima, vt perperam opinabantur Aegyptij; nam sic & anima corpus esset: Hominis, qui firmas in loco sedes posuit, hieroglyphicum.

Aquila quoque Sacerdotum Aegyptiorum hieroglyphicum fuit, quæ saxum gestaret, hominemq; designaret, qui firmam stabilemq; in vrbe, locoue quopiam sedem sibi posuisset. Illa enim simul atque nidum suum compósuit, vt stabilitatem ei maiorem conciliet, ac procuret, lapidem quendam quæsitum, allatumq; in nidum pro firmamento collocat. Neq; aliam huius rei causam sacerdotes illi tradidêre, satis habentes constructi nidi firmitatem hoc argumento indicasse. Nam & firmandis nauibus priusquam anchoræ vsus repertus esset, id opis saxa contulêre. Id quod Apollonius Argonautas fecisse scribit. Saxa pro anchoris in vsu fuisse.

Quidam etiam, cùm pium ac misericordem, vel regem, vel diuitem, qui scilicet victum, cæteraq; vitę sustentandæ necessaria, inopibus erogat liberaliter, describant, Aquilam ob oculos ponunt, eam præsertim, quæ ab insigni vigore Ossifraga nominata fuit, quæque pullos ab Aquilis alijs eiectos nido, imbecilles adhuc, ac parentis opera etiamnum egentes, ad se recipit, tueturq; benignè, ac fouet, donec ad iustum robur adoleuerint, & sibi ipsis victum parare possint. Regis Pij hieroglyphicum. Ossifragæ pietas.

Eandem benignitatem, cùm alij denotare vellent, Aquilam cum alia quauis alite, ex eadem olla cibum capientem finxerunt. Benignitatis typus.

Sed enim ab his diuersa ponere videntur Aegyptij sacerdotes, qui morosum & difficilem admodum in filios patrem, per id genus Aquilæ, cui Pygargo nomen est ab albicante cauda, significare voluerunt. Ea enim maximè omnium animalium pullos suos fastidit, vt non immeritò Plotinus eos, qui sine ratione, modoq; ciuitates atque imperia, aut domos suas, & familias administrauerint, post obitum per παλιγγενεσίαν Aquilas fieri dixerit. Patris in filios impij typus. Pygargi Aquilæ impietas in filios.

Ob eandem hanc causam per Aquilam haud ineptè regni solitudinem intelligimus. Sunt enim qui hoc, quam iniquitatem in prolem quidam uocant, ita tuentur, vt regium esse dicant unicum è filijs hæredem instituêre, rerumq; habenas vni soli committere, quandoquidem ut ait [c] Ouidius: Solitudinis regni imago.

*Non bene cum socijs Regna, Venusq; manent.* & alibi:
*Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur*
*Maiestas & Amor.* & ut [d] Lucanus.
*Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas.*
*Impatiens consortis erit.*

[c] *Lib. 3. Metamor.*

[d] *Lib. 1.*

Et

Et meo iudicio non immeritò. Nam apud rerum ſcriptores paſſim legimus potentiſſimas vrbes euerſas, clariſſima regna deleta, illuſtres familias extinctas, & in populos omnia malorum genera graſſari cepiſſe, ſimul atque poteſtas regia pluribus fuit communicata. Quin etiam [c] Iſocrates æquabiliorem ciuibus monarchiam oſtendit, propterea quòd illa ambitiones, omnium popularium diſſenſionum ſemen, extinguat. Quod cùm [f] Ariſtoteles quoque mirum in modum approbaret, [g] Homeri ſententiam ſequutus, quo diſputationibus ſuis pondus adderet, & authoritatem, verſum eius citauit:

[c] *In Nicocle.*
[f] *Polit. 4. cap. 4.*
[g] *Ill. B.*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς Βασιλεύς. Quæ latinè ſonant:
*Non bonum eſt multorum dominatus: vnus dominus eſto,*
*Vnus Rex.*

Alibi etiam [h] Homerus vnius Imperium optimum eſſe teſtatur, cùm ait:

[h] *In Iliad. ex Polyantea. 728. 2.*

*Multorum Imperium multa eſt confuſio ſemper,*
*Multi ſunt damno domini: rex vnicus eſto.*
*Vnus ſit Princeps populum ditione gubernans,*
*Cui dedit Imperij ſceptrum Saturnius ingens.*

Potẽtiæ pernitioſæ typus.

Pantheræ antipathia cũ Hyena.

Simili ratione ijdem Sacerdotes potentiam cuiuſpiam, quæ ſocijs & amicis pernicioſa eſſet, per Aquilæ pennas ſignificabant. Huiuſmodi ſiquidem pennarum, vt ſuo loco à nobis dictum, ea vis eſt, vt aliarum Auium plumas, ſi commiſceantur, interterere, & quodammodo deuorare videantur. Quod & in tergoribus Panthere, atque Hyenæ identidem fieri compertum eſt. Ita eius, qui rerum ſumma potitur, maieſtas, fulgore ſuo reliquos obſcurat, & veluti micantiſſimum Solis iubar, vbi exortum fuerit, lucem omnibus ſtellis intercipit. Obijciunt alij, hoc in multorum Principum tyrannidem, & rapacitatem, quibus non ſine rerum tuarum iactura poſſis adhæreſcere. Quomodocunque autem quiſpiam hoc acceperit, ita natura comparatum eſt, vt debiliora à validioribus abſumantur.

Si verò hominem eo mortis genere, quod Homero, Platoniq; omnium eſt miſerrimum, perijſſe, ijdem ſignare voluiſſent, hieroglyphicum habebant Aquilæ, cuius roſtrum eſſet curuum enormiter. Seneſcentibus enim Aquilis roſtrum ſupernum increſcit adeò, & curuatur, vt nulla demum aperiendi data copia, inediâ plerunque deficiat. Hinc illa in bibaces ſenes exprobratio: *Aquilæ ſenectus*. quòd hæc amiſſa comedendi facultate ſorbillando aliquandiu vitam ſuſtinere cogatur.

Conuitiorũ contẽptoris hieroglyph.

Si verò conuiciorum contemptorem ſignificare volebant, Aquilam depingebant immotam, quæ nec pennis, nec roſtro minaretur quicquam mali, & iuxta eam Cornicem, quæ eam laceſſeret, & conuicijs moleſtaret.

[i] *Lib. de abſtinendo ab animatis.*

Magi quoque, vt [i] Porphyrius refert, hominum ad animalia bruta affinitatem inſinuantes, brutorum etiam nominibus eos appellant, vt Leones, ijſdem ſacris initiatos mulieres Hyenas, miniſtros Ceruos, patres verò Aquilas & Accipitres.

Magi homines brutorũ nominibus compellãt.

Aquilæ autem pullus Aegyptijs maſculum & orbiculatum quidpiam, vel ſemen hominis denotabat.

Maſculi, & feminis typus.

# EMBLEMATA.

IOS, qui Emblematis conſcribendis operam dederunt, pulcherrima ab huius Alitis natura, ſymbola mutuatos eſſe videmus. Huius rei fidem facturi exempla aliquot ex doctiſſimi Alciati poemate ante alia ſubijciemus. Primum ad magnanimitatem ſpectat, quę per Aquilam demonſtrabatur, Alitem nempe generoſam & fortiſſimi Ariſtomenis tumulo inſidentem. Hoc ſic habet:

Magnanimitatis ſymbolum.

*Quæ te cauſa mouet, Volucris Saturnia, magni*
*Vt tumulo inſideas ardua Ariſtomenis?*
*Hoc moneo, quantum inter Aues ego robore præſto,*
*Tantum ſemideos inter, Ariſtomenes.*
*Inſidcant timidæ timidorum buſta Columbæ,*
*Nos Aquilæ intrepidis ſigna benigna damus.*

Alterum eiuſdem Emblema inſcriptum:
QVAE SVPRA NOS, NIHIL AD NOS, Aquilæ voraciſſimè Promethei iecur exedentis ſymbolum, curioſis maieſtatis cæleſtis, rerumque diuinarum ſcrutatoribus applicat, cuius hæc ſunt verba:

*Caucaſea*

*Caucasea æternùm propendens rupe Prometheus,*
*Diripitur sacri præpetis ungue iecur:*
*Et nollet fecisse hominem, figulumq́ perosus*
*Accensam rapto damnat ab igne facem.*
*Roduntur variis prudentum pectora curis,*
*Qui cæli affectant scire Deûmq́ vices.*

Tertium eiusdem authoris, sub lemmate, DEVS, Aquilæ Ganymedem in cælum rapientis imagine, in Deo lætandum docet:

*Aspice, vt egregius puerum Iouis alite pictor*
*Fecerit Iliacum summa per astra vehi:*
*Quisue Iouem tactum puerili credat amore?*
*Dic hæc Mæonius finxerit vnde senex?*
*Consilium, mens atque Dei, cui grandia præstant,*
*Creditur is summo raptus adesse Ioui.*

Sed Homerus diuina potius ad nos, quam humana ad Deos transferre debebat: neque enim in Deum humanorum huiusmodi affectuum uitia cadere credendum est. Habet & aliud Emblema quod nos à minimis quoque timendum esse admonet ex [a] Oro Apolline nimirum, vel ex Aesopica fabella, quam postea nos ponemus, desumptum, ita habens:

[a] *Lib. 1. Hierogl.*

*Bella gerit Scarabeus, & hostem prouocat ultrò,*
*Robore & inferior, consilio superat.*
*Nam plumis Aquilæ clam se neque cognitus abdit,*
*Hostilem vt nidum summa per astra petat.*
*Quaq́ confodiens, prohibet spem crescere prolis,*
*Hocq́ modo illatum dedecus ultus abit.*

Quidã eruditus vir Cæsar Triuisanus, vt narrat doctissimus [b] Ioachimus Camerarius iunior Medicus præclarus, olim discipulus noster, integrum commentarium edidit Italicum, de quodam symbolo siue emblemate. Curauit autem author ille depingenda quatuor diuersi generis animalia eo modo, vt unum alterum respiceret. Inter illa Aquila, & Leo è regione superius, & inferius Siren, & Draco conspiciebantur. His animalibus, amorum quatuor genera voluit repræsentare; nimirum desiderium, & amorem veræ gloriæ, & famæ; secundum virtutis, & præstantiæ animæ; tertium pulchritudinis; quartum diuitiarum. His eorum proprietates accommodat. Nam ad primum, quod omnia inferiora in altum ducit, & famæ & gloriæ è rebus præclaris, & laudabilibus conquisitæ incumbit, Aquila pertinet, quæ inter omnes alias Aues volatu suo partes superiores cæli petit, & acie præterea oculorum singulari prædita est. Vnde veteres Poëtæ, vt antea diximus, Iouis ministram esse fabulati sunt. Solæ autem Aquilæ corona in capite addita est, quę amorem sanctum, & diuinum circa res cęlestes designat. Leo secundo generi accommodatur, qui robore & fortitudine quadam cęteris animalibus dominari dicitur, adeò generoso animo & alto, vt quemadmodum scribunt, hominibus dormientibus, vel in terram, quasi mortui essent prostratis, uel etiam infantibus parcat, nec ullam noxam inferat. Præterea in campis apricis & amplis securus, spretis uenatoribus, non mutato consueto ingressu procedit, quod uirtutis & magnanimitatis exemplum est. Ad tertium genus amoris, quod in pulchritudine appetenda consistit, Siren additur, cui, ut fingunt poëtę, tam suauis uox est, ut omnes, qui audiant, ita demulceat, ut etiam somno inde corripiantur. Draco ultimo generi comparatur, quod uersetur circa diuitias, & opes mundanas; nam his illum præsidere, easque custodire perhibent, estq; oculis acutissimis, quę omnia diuitijs conquirendis non malè possunt applicari. Emblematis siue symboli huius inscriptio erat; AMOR CAVSA OMNIVM. Quòd si cum microcosmo quoque, ideſt paruo mundo, siue homine hęc conferre uoluerimus, Aquilę semper in altis locis uiuenti, & prędę inhianti, caput respondet, in quo est intellectus in perpetua rerum inueniendarum meditatione occupatus, cui os quoque ad cibum ingerendum inest. Leoni cum pectore conueniet, in quo consistit fortitudo. Sireni tanquam uoluptuarię, & in aquis degenti, inferior uenter. Et tandem Draconi per terram repenti, pedes & crura attribuentur. Circum hęc uerò animalia undequaque flamma mollis & lucida depicta erat, qua nobilitas ex excellentia amoris denotatur. Nam inter alia elementa ignis præcipuum locum obtinet, tanquam reliquis efficacior: Occupat autem hęc flamma uniuersum spatium circa quatuor animalia, quoniam ipsius uis & potentia per cũctas res penetrat, atq; sese diffundit; quod etiam catena indicat, qua animalia inuicem colligantur, & sæpè vnum ad alterum pertrahitur. Est autem illa in superiore parte aurea circa Aquilam, & Leonem, cùm amor diuinus & vniuersalis sit præstantissimus; circa

[b] *Cent. 2. de anim. symb. vltimo.*

Amorum quatuor genera repræsentata per quatuor animalia.

Amor causa omniũ.

inferiora autem animalia plumbea, humanum, atque etiam beſtialem amorem ſignificãs. Huic μυθολογημῶ figmento auctor addidit inſcriptionem græcam hanc, Ο ΕΡΩΣ ΑΠΑΝΘΩΝ ΑΙΤΙΟΝ, ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΑΤΤΟΝ ΑΠΑΝΤΑ. ideſt: AMOR CAVSSA OMNIVM, ET AD IPSVM OMNIA: quod nimirum ex amore vero, omnes res originem ducant, primumq; rerum ſit principium, & ſic tandem in ipſum vniuerſa quoque reuertantur. Hæc ex Cæſare Treuiſano Camerario, & alia quæ breuitatis cauſſa prætereo.

Iulianum Apoſtatam legimus Aquilam, quam homo proprijs ipſius pennis transfigeret, pro Symbolo cum inſcriptione, SIC ARS DEPRENDITVR ARTE: quod in labaro ante ſe ſemper ferri voluit, habuiſſe. Hoc ſignificabat ſe à proprijs artibus impetitum fuiſſe: meminit eius Emblematis [d] Achilles Bocchius conciuis noſter, his verbis: 10

[d] *Lib. 1. ſymb. quæſt. ſymb. 19.*

*Impoſtor ille Iulianus maximè,*
*Qui Chriſtianos perſequi decreuerat,*
*Artes eos docere vetuit liberis*
*Dignas hominibus, ſcilicet ne præpetes*
*Euellerent de Aquila ſua pennas, quibus*
*Configerent etiam Aquilam. Qua imagine*
*Vſum ferunt illum eſſe, vbi primùm artibus*
*Seſe impetitum fortè deprehendit ſuis.*

[e] *Lib. de ſymb. Heroicis.*

[e] Claudius Paradinus, vt monſtret ad res difficiles & arduas ſuperandas, ſumma induſtria, labore, ac diligentia opus eſſe, Aquilam depingit, Cerui capiti inter cornua inſidentem. Illa enim Ceruum adoriens in eius cornua ſe inſinuat, puluereq; (quem plumis ſuis ad eam rem prius congerit) ita eius oculos opplet, vt tandem de rupe aliqua præcipitem ſe dantem ſuperet; inſcriptio huius Symboli eſt: ARDVA DETVRBANS VIS ANIMOSA QVATIT. 20

Draconi ſuprà diximus cum Aquila perpetuam intercedere inimicitiam, quò fit, vt nunquam abſque acerrima pugna mutuùm occurrant, tamq; periculosè in aëre inter ſe committantur, vt Aquila Draconis cauda circunuoluta, ambo deorſum ſimul corruant. Animalia iſtęc ita conuoluta cum inſcriptione, VT LAPSV GRAVIORE RVANT; depingit idem author. Hoc Emblemate ſuperbos, & potentes inter ſe contendentes, ac diſſidentes, vtroſq; ſæpè exitium ſibi accerſere, ſignificare poſſumus. Aquila enim & Draco pugnantes ambo ſæpe moriuntur. 30

Hieronymus Ruſcellus, vt ducem, cui alioquin bella potius, quàm pax colenda eſſet, pacis amantem exprimat, Aquilam depingit, pedibus oliuæ ramum ferentem cum inſcriptione,

In Inſigni Franciſci Gonzagæ.

BELLA GERANT ALII.

Aquila eodem authore, quæ teneat oculos intentos in Solem cum verbis: CHE MI PVO' FAR DI VERA GLORIA LIETA. Significat mulierem, quæ demonſtret habituram ſe ſemper mentis ſuæ oculos in Deum intentos, qui ſolus cùm cordis, tùm renum abſcondita illuminat.

In Inſigni Irenis Caſtriotæ.

In Inſigni Gabrielis Cæſarini.

Eadem Auis apud Camillum Camillium liberos Soli opponens, quod facere ſolet, vt probet, nunquid ad illius lumen caligent, patrem, qui filios ad paternam nobilitatem adhortetur, denotat adiectis Verbis, MEI NON DEGENERANT. 40

In Inſigni Vnici Acoli Aretini.

Ruſcellus ſimile ferè refert emblema, ſed diuerſo admodum ſignificatu. Aquila enim eodem modo fœtus ſuos in Solem intentis oculis exponens, in nido depingitur cum inſcriptione, SIC CREDE. Hæc viri à muliere, quam deperit, non redamari ſe credentis, typus eſt, niſi ea veri amoris de ſe edat ſpecimina. Nam Aquila, etſi roſtrum, caput, pectus, vngues, pennasq; ac reliquum corpus, ſuo ſimillimum liberos ſuos habere videat, ſi tamen ad Solem nictent, tanquam ſpurios eos reijcit.

In Inſigni Curtij Gõzagæ.

Quæ verò recto volatu ad Solem contendit, cum Hetruſci huius verſus inſcriptione, PVR CHE NE GODAN GL'OCCHI, ARDAN LE PIVME, egregiè vel virum exprimet, qui de nulla alia re ſe ſolicitum demonſtret, quàm vt mulieris, quam ſummo proſequitur amore, conſpectu fruatur: vel eum, qui nullum non contemnere laborem velit, aut aduerſa quæuis ſubire, dummodo ad gloriæ, quæ ex ſcientiarum cognitione procedit, metam perueniat. Aquila enim mentis intentionem denotat, & Sol, vt Philoſophi teſtantur, ſcientiarum fons eſt, ac origo. 50

In Inſigni Galeatij Fregoſij.

Ad eundem ferè ſenſum illud eſt emblema apud eundem, in quo Aquila ita depicta, vt ſub cælo procelloſo, ac fulgurante, immunis atque intacta, Solem inſpiciendo, ab altera parte ad montem volatu contendere videatur; cum lemmate, NI MAZZAR ME, NI SPAVENTAR ME, hoc eſt: NEQ; OCCIDERE ME, NEQ; TERRERE ME,

ME, significat virum, qui nullis aduersitatibus expauescit, quò minus in incœpto amore, vel in quouis alio honesto negocio perseueret. Alesenim virum, mons virtutem, tempestas aduersitates denotat.

Aquila Promethei cor siue hepar corrodens cum lemmate, ALTA COGITATIO, Principem significat, qui profunda atque alta mentis indagatione perscrutetur, atq; ponderet.

A Dipsade serpente Aquila in pectore morsa, cum inscriptione, SEMPER ARDENTIVS; virùm exprimit, qui quò sæpius dilectę à se fœminæ conspectu fruitur, eò magis eam depereat. Tantam enim serpentis illius morsus affert sitim, vt eo ipso puncto, quò plus sint potæ, plus sitiantur aquæ. Hæc eadem ales oculos in Solem intentos, fixosq; tenens apud amatores amantis in amatam reiteratum significat sæpius intuitum.

Si pedibus pingatur terram tangentibus, capitibusq; (est enim nostris Impp. biceps) ad cęlum elatis & alis expansis, cùm fulmine à sinistra, & Lauri ramo à dextra, & cum lemmate E'N KAI'PΩ E'KA'TEPON, id est: IN OPPORTVNITATE VTRVNQVE, typus erit Imperatoris, se in terris quidem imperare demonstrantis, sed tamen mentis intentione ad cęlum aspirare, summoq; desiderio cùm contemplando, tùm imperium domi, militiæq; benè gerendo ita intentum, vt tandem ad Deum, cui omnia refert accepta, peruenire studeat. Aquila enim Imperij, fulgur belli, & pœnarum, laurus pacis & premij signum est.

Non inuenustum quoque est hoc Emblema quod [g] Stephanus Vinandus Pighius describit, Principis, inquit, nostri (loquitur autem de Carolo Cliuensis ducis filio) clypeus coloris erat argentei cum margine purpureo, qui distinguebatur aureis Leonum capitibus & rosis. In vmbone medio synthema depictum istud: Aquila nigra, fulmen aureum vnguibus tenens à dextris: item Vultur, siue Accipiter fuluus, cùm diademate aureo in vnguibus à sinistris. Quæ Aues duo sceptra inter ipsas decussatim posita contingant, quibus notatur concordia, & confederatio potentiæ. Aquila designat summum in primis Imperium atque Principatum: Vultur in Hetrusca disciplina, & augurijs Romanis inter alia multa, regem, & regnum, quemadmodum etiam Accipiter in literis Aegyptiorum hieroglyphicis, vt Orus Apollo testatur: sic etiam Imperij vim ipsam, fulmen istud Iouis, & diadema regnum significant. Hactenus itaque ille.

[g] *In descrip. pompæ equest. in Coronat. Rodulphi Imp.*

# FABVLÆ.

FABVLAE, etsi commentitiæ plerunque, & pro authoris libitu excogitatæ sint, veritatis tamen nonnihil tanquam sub vmbraculo in se quandoque continent. Hoc inter alios ea, quæ de Ganymede ab Aquila Iouis ministra rapto, passim apud fabulosos simul & mysticos poetas legitur, satis declarat. Hanc enim, vt fabulam, scitè his versibus [a] Ouidius Iouem in Aquilam versum fingens expressit.

Ganymedis à Ioue rapti fabula.

[a] *Lib. 10. Metamor.*

*Rex superûm Phrygij quondam Ganymedis amore*
*Arsit, & inuenium est aliquid, quod Iupiter esse*
*Quàm quod erat, mallet, nulla tamen alite verti*
*Dignatur, nisi qua posset sua fulmina ferre,*
*Nec mora percusso mendacibus aëre pennis*
*Arripit Iliadem, qui nunc quoque pocula miscet,*
*Inuitaq; Ioui nectar Iunone ministrat.*

De eadem Fabula hęc [b] Ciceronis extant verba: *Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Dijs raptum ait propter formam, vt Ioui pocula ministraret; non iusta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hæc Homerus & humana ad Deos transferebat, diuina mallem ad nos.* Vbi Ganymedem Laomedõtis filium facit, lapsus videlicet memoria, quo nomine magni viri magnis, grauibusq; curis impediti, cùm citant vel authores vel eorum testimonia, laborare solent. Homerus Trois filium facit, cuius fabula refertur in hanc sententiam, vt vertit Nicolaus Valla:

[b] *In prima Tusculana.*

*Tros ab Ericthonio satus est de sanguine Trois*
*Ilus & Asaracus, similisq; Deo Ganymedes*
*Egregius forma raptus sublimis in auras*
*A superis cælo positus Diuûm inter honores*
*Pulcher, vt ante Iouem misceret pocula mensis.*

[c] *Lib. 1. in vita Commodi Imp.*

Veruntamen hanc fabulam [c] Herodianus præter alios, ad rem verè gestam refert, cùm inquit.

*Pugnam illic Ilum Phrygem, Tantalumq; Lydum inter ſe conſeruiſſe, ſiue de via, aut obiter ortam, ſiue ob raptum Ganymedis, comperio, nomenq; ex ea clade conflictus loco eſſe impoſitum. Cùm enim æquis viribus decertatum eſſet, & permulti vtrinque cecidiſſent, Ganymedem ipſum ferunt trahentibus in diuerſa Germani fratris & amatoris manibus, vita eſſe orbatum ſublatumq; è medio. Pro calamitatis ſolatio relata ad Iouem raptorem fabulâ, diuinis fuiſſe honoribus affectum.* [d] Paulus etiam Oroſius, *Tantalus,* inquit, *Rex Phrygiorum Ganymedem Trois Dardaniorum regis filium, cùm flagitioſiſſimè rapuiſſet, maiori conſerti certaminis fœditate detinuit, ſicut Phanocles poëta quoque confirmat, qui maximum bellum ob id concitatum fuiſſe commemorat.* [e] Euſebius idẽ ferè ſcribit, inquiens, *Ob raptum Ganymedis, & Trois patris, Ganymedis & Tantali bellum exortum eſſe.* Quam in rẽ confirmandam Phanoclem poëtam citat authorem. [f] Lactantius verò poëticum velamentum ita referat, vt tradat ideò dici Iouem rapuiſſe in Aquila catamitum, quia aut per legionem rapuit, cuius inſigne Aquila eſt, aut quia nauis qua fuit impoſitus, Aquilam tutelarem habuit. Fruſtra igitur Iouis fabula fertur, & raptrix Aquila fingitur, ideoq; magis, quòd Chalcidenſes, vt & Strabo confirmat, oſtendere ſolebant locum, vocareq; harpagium. ἁρπάζω enim Græcis eſt Rapio. Id autem circa Dardanium montem accidiſſe arbitrantur. Hanc Aquilam tanto ex ære fecit artificio Leocras ſtatuarius, vt [g] Plinius refert, *vt quid raperet ipſa videretur intelligere, parcereq; ne vnguibus veſtem, quem ferret, Ganymedis rumperet,* vnde etiam Martialis ait:

*Illæſum timidis vnguibus hæſit onus.*

Illud quoque, quod Prometheum poſt factos à ſe homines, ſolis ignem furatum, ideoq; iratos Deos febres ac morbos immiſiſſe terris, vt Sappho & Heſiodus commemorant, & [h] Horatius obiter his verbis attingit:

*Poſt ignem ætherea domo*
*Subductum, macies & noua febrium*
*Terris incubuit cohors.*

Et quod ipſum in monte Caucaſo per Mercurium religatum ad ſaxũ, adhibita Aquila Typhonis, & Echidnæ filia, quæ cor eius (alij hepar) exederet, fabulantur, ad hiſtoriam referri nec ſine ratione poteſt. Nam Prometheus vir prudentiſſimus, & quidem à prouidentia ſic dictus, primus Aſtrologiam Aſſyrijs indicauit, quam agens in monte altiſſimo Caucaſo, nimia cura, & ſolicitudine deprehenderat. Quod autem ad fabulam ipſam attinet, [i] Lucianus Prometheum de ærumnarum diuturnitate conquerentem inducit hiſce verbis: *Igitur ſufficientem iam pœnam perſolui, tantum tempus in Caucaſo affixus, peſſimam alitum perditam Aquilam nutriens hepate.* Et [k] Martialis de pœna Laureoli:

*Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus*
*Aſſiduam nimio pectore pauit Auem.*
*Nuda Calidonio ſic pectora præbuit vrſo*
*Non falſa pendens in cruce Laureolus.*

De liberatione verò ipſius [l] Pauſanias inter cætera Herculis facinora, illud quoque memoriæ prodidit, quòd Hercules Aquilam voracem ſagitta trãsfixam interemerit, Prometheumq; è vinculis exemerit. Hoc etiam Phærecides teſtatus eſt, vbi Herculem à Prometheo poculum accepiſſe ſcribit, ac in eo nauigaſſe per Oceanum, cùm ad aurea [m] Heſperidum mala contenderet. A Prometheo quoq; iam vinculis ſoluto viam didiciſſe, qua illuc pergeret.

Alij tamen, non ab Hercule occiſam Aquilam, ereptumue Prometheum, ſed à Ioue ſolutum ſcribunt, quoniam illi vaticinatus eſſet, quòd ſi rem cum Nerine nympha haberet, vel vt alij cum Tethide Achillis matre, futurum eſſe, vt filius ei naſceretur, à quo eadem Iupiter pateretur, quæ ab ipſo paſſus fuerat Saturnus. [n] Philoſtratus verò Herculem non illum fuiſſe ſcribit, qui Thebis eſt ortus, ſed alium quendam, cuius genealogiam tamen non recenſet. Ligatum autem fuiſſe Prometheum, vt alij putant, in antro, quod in radice montis oſtenditur, vbi & vincula petris affixa conſpici Damis refert, quæ difficillimum noſſe ſit, quanam ex materia confecta ſint: vel ut alij in ſummo cacumine, & fuiſſe biceps, ideoq; ſingulis tumulis ſingulas manus alligatas fuiſſe, cùmq; ſtadij unius ſpatio inuicem diſtent, ideò tanta illum corporis proceritate fuiſſe narrant. Addit etiam Aquilas quicunque Caucaſum habitant, inimicas habere, ideoq; illarum nidos, ubicunque enatos igniferis ſagittis incendere, laqueos demum ad eas capiendas tendere, Prometheum ſeſe ulciſci dictitantes. Non deſunt, qui dicant, Aquilam corrodẽtem Promethei cor, ſiue hepar ſignificare Nilum fluuium, cuius incremẽti cauſas cùm ille inueſtigare neſciret, ab Hercule edoctus, ab Aquila liberatus dicitur. Ouidius verò Periclimenum, qui à Neptuno poteſtatem habuit, ut in quas uellet, ſe mutaret, formas, cùm in Aquilam uerſus eſſet ab [o] Hercule ſagitta confoſſum fuiſſe ſcribit hiſce uerſibus:

*Hic vbi nequicquam eſt formas variatus in omnes,*

*Vertitur*

[d] *Lib.1.c.12*
[e] *In Chronicis.*
[f] *Lib.1. de falſa relig.*
[g] *Lib.34. cap.8.* Promethei fabula.
[h] *Lib.1.car. ode.2.*
Prometheo Aſtrologiã inuenit.
[i] *Dial.prim. Deor.*
[k] *Lib.3.Epigr.7.*
[l] *In Eliacis.* Hercules Prometheum liberat occiſa Aquila.
[m] *Lib.10. de nuptijs Iunonis.* Prometheum cur Iupiter liberauit.
[n] *Lib.2. In vita Apollo.*
[o] *Lib.12. Metamor. M.109.*

*Vertitur in faciem volucris, quæ fulmina curuis*
*Ferre solet pedibus, Diuûm gratissima Regi,*
*Viribus vsus Auis, pennis, rostroq; redunco*
*Hamatisq; viri laniauerat vnguibus ora.*
*Tendit in hunc nimium certos Tirynthius arcus,*
*Atque inter nubes sublimia membra ferentem,*
*Pendentemq; ferit lateri, qua iungitur ala.*

Fabula etiam est Meropem Coum, cùm vxorem Nymphã Ethemeam (quæ, quòd colere Dianam desijsset, ab ea iaculis configi cœpta, tandem viua ad inferos à Proserpina rapta fuerat) mortuam deflere non desineret, sibiq; mortem præ dolore vellet conscisce re, à Iunone, quam fortè dum vxorem lugeret, hospitio exceperat, sortis miserta, in Aquilam conuersum, & inter sidera relatum esse, ne sic etiam si hominis effigie illum eò collocasset, nihilominus coniugis desiderio teneretur. Merops Cous cur figura Aquilæ inter astra relatus

Nonnulli tradiderunt Mercurium, alij Anapladem pulchritudine inductum, Venerem deperisse, & cùm eius copia non daretur, animo vt contumelia accepta, defecisse. Iouem autem eum miseratum, cùm Venus in Acheloo flumine lauaret, misisse Aquilam, quæ soccum eius in Amythaoniam Aegyptiorum delatum, Mercurio traderet, quam persequens Venus ad cupientem sui peruenit, qui uoti compos factus, pro beneficio accepto, Aquilam cælo locauit. Mercurius Veneris amore captus. Aquila cur in cælo locũ habeat.

Similem siue fabulam, siue historiam de [p] Rhodope Strabo, vbi de Pyramide agit tertia Aegypti, quæ primis duabus quidem minor est, sed maiore impensa exstructa, in hæc uerba scribit: *Hæc dicitur meretricis sepultura ab animantibus facta, quam Sappho poëtria Doricham vocat. Alij eam Rhodopen nominant, atque fabulam narrant, quòd, dum lauaretur, Aquila alterum ex calceis è manu ancillæ ereptum Memphim deportarit, & in sublime supra Regis verticem iura dantis elata, calceum in eius gremium demiserit, cuius ille venustate, & rei miraculo permotus, tota eam regione perquiri iusserit, quæ huiusmodi calceum gestaret, quæ tandem in vrbe Naucratitarum inuenta, & ad Regem adducta, ab eo in vxorem accepta fuerit, & post mortem hanc sepulturam habuerit.* [p] *Lib. 17. Geogr.*

Eadem penè [q] Aelianus, Regem hunc Aegypti, in cuius gremium iniectus sit calceus, Psammeticum nominans, enarrat. [q] *Lib. 13. de varia Hist.*

In Aquilam item mutatum Cæneum fuisse post mortem Poëtæ referunt, qui cum Centauris pugnauerit, cuius item Ouidius [r] meminit his verbis: [r] *Metamorphos. 12.*

*Abnuit Ampycides, medioque ex aggere fuluis*
*Vidit Auem pennis liquidas exire sub auras,*
*Quæ mihi tum primùm, tunc est conspecta volucris,*
*Hanc vbi lustrantem leni sua castra volatu*
*Mopsus, & ingenti circùm clamore sonantem*
*Aspexit, pariterq; animo est, oculisque secutus,*
*O salue, dixit, Lapithæ gloria gentis,*
*Maxime vir quondam, sed Auis nunc vnica Cæneu.*

# APOLOGI.

APOLOGI [a] Plutarcho teste, veluti emblemata animata ad vsum virtutis, & ad actiones hominũ distinguendas effícti sunt, & vtilitatem simul cum delectatione coniungunt. Cuiusmodi inter alios satis frequentes ab Aquilæ natura petiti sunt. Hęc enim vbicumq; magnorum ac potentum aptè personam gerit. [a] *Lib. de audien. Poët.*

Talis est, qui de colloquio inter Aquilam & Vulpem confictus est. Cuius narratio talis est. Vulpis catuli aliquando, quæ in antro suo latitabat, ludibundi foris discursabant, eos uisos Aquila diligenter obseruauit, tandemque vnguibus abripuit comprehensos. Horum clamore & planctu excita mater, è cauerna prodijt, quid rei esset uisura, suspiciens, catulos Aquilæ prędam factos conspicit, supplex rogat, vt eos demissos sibi velit reddere. Hæc vlla ratione id facere se posse negat, his pullis suis famelicis pro esca opus esse: quo dicto nidum petens auolat. Vulpecula calamitatem suam frustra deplorat, ad nidum usque catulos prosequitur, instat precibus, vt salutem catulorum impetret. Tandem vbi se incassum querelas fundere, nec quicquam precando promouere videt, ad solitas artes conuertitur. Arripit ignitam facem & stipulis, aridisque ligni ramentis, quę arbori, cui Aquila insidebat, circumposuerat, admouet. Quo peracto, ita ad Aquilam infit. Nunc quæ alijs salutem, quam potes, non vis præstare, te ipsam cum pullis, si potes, serua. Aquila periculi Vulpis & Aquilæ colloquium.

magnitudine viſa, ac pietate materna ergà pullos mota, Vulpem orat, igni parcat, nec arborem comburat, ſe catulos incolumes reſtituturam eſſe. Docentur hoc apologo potentes ac locupletes, ne miſeris, inopibuſque inferant iniuriam, non tantùm, quia iniquum ſit calamitatem addere calamitoſo, ſed etiã, quòd ſæpenumerò contingat, vt etiam infimę ſortis quiſpiam & minus potẽs nocendi facultatem nanciſcatur. Hic apologus carmine non ineleganti ita expreſſus legitur:

Calamitas
Calamitoſo non addenda.

*Dum Vulpes Aquilam pro rapta prole perungit*
*Melle precum, prædam reddere neſcit Auis.*
*Præda gemit, volucriſq; timet cibus eſſe guloſæ,*
*Sed redimit natos vtilis arte parens:*
*Arboreum ſepit ſtipulis, & vimine truncum,*
*In ſtipulis docto dirigit ore facem.*
*In pullos Aquilæ coniurat copia fumi,*
*Hunc timet, & Vulpem prouida placat Auis.*
*Non ſit, qui ſtudeat, quia maior, obeſſe minori,*
*Cùm benè maiori poſſit obeſſe minor.*

Cornicis & Aquilæ Apologus.

Alius de eadem & Cornice interloquentibus apologus ex Aeſopo Phrygio tranſlatus ita habet. Aquila, cùm aliquando in maris litore obambularet piſcationis gratia, nihilque aliud quo famem expleret, inuenire poſſet, Concham fortè repertam, ſed quæ Teſtudinem haberet intus, vnguibus abreptam ad litus detulit, illic Teſtudinem voratura. Concham verò vtpote teſtâ duriſſimâ, Aquila, etſi robuſto admodum roſtro, vnguibuſq; fruſtra frangere tentauit. Aderat fortè fortuna eorum, quæ ab Aquila gerebantur, ſpectatrix Cornix, & Aquilam uidẽs operam ludere, propius acceſſit, & hiſce verbis cõpellauit. Si mihi Teſtudinis portionẽ impartiri non renuis, rationem edocebo, qua incluſa Concha eſca potiri poſſis. Placuit Aquilæ conditio. Itaque Cornix magiſtra vafra Aquilam ita inſtruit: Se in altiſſimũ æthera pernicibus alis euehat, & è ſublimi, laxato ungue, Concham præcipitem in ſaxum aliquod allidat: Ita fore, vt ruinæ impetu, confracta teſta in cibum, quæ ſubeſt, Teſtudo cedat. Probat credula Cornicis conſilium Aquila, & in ſublimè euolans, ex alto explicato pede Concham deorſum prolabi ſiuit. Quod ipſum vt fieret, expectans Cornicula, quę eodem loco humi conſtiterat, proiectam ab Aquila Teſtudinem abripuit, eoq; aſtu Aquilam famelicã ſperato cibo fruſtrata eſt. Innuit hæc fabula ingenio ſæpè à minimis perfici, quæ fruſtra potentes viribus, quantiſcunq; conentur, exequi. Hæc tali Epigrammate reddita ſunt:

Cornix Aquilam ludit.

Ingenio vires ſuperari.

*Pes Aquilæ prædo Teſtudinis aëra ſcandit,*
*Hanc ſua Concha tegit, cornua longa latent.*
*Hoc monitu Cornix Aquilam præmunit, ineptum*
*Fers onus, & fiet vtile crede mihi.*
*Quod geris in Concha, cibus eſt, tibi ſurripit illum*
*Concha cibum, Concham frange, cadetq; cibus.*
*Vt Concham lanies, pro viribus vtere ſenſu,*
*Hanc ſi celſa cadet, ſaxea franget humus.*
*Decipientis homo ſubuerſus turbine linguæ*
*Corripit, & fortes iſta procella rapit.*
*Ingenium ſuperat vires, prudentia ſumma eſt,*
*Credere prudenti lingua miniſtra necis.*

Lepores cũ Aquilis pugnantes.

De Leporibus cum Aquilis bella gerentibus hæc quoque habet Aeſopus: Lepores olim belligerantes cum Aquilis, inuocarunt in auxilium Vulpes. Hæ autẽ dixerunt, vobis auxiliaremur, niſi ſciremus, qui vos eſtis, & cum quibus bellamini. Fabula hæc ſignificat eos, qui cum præſtantioribus certant, ſuam ſalutem contemnere.

Aquilæ & Scarabei apologus.

De Aquila item Leporem perſequente, & interceſſore Scarabeo, huiuſmodi fabula narratur. Lepus, infectante Aquila in luſtrum Scarabei profugit, rogans, vt ab eo ſeruaretur, Scarabeus Aquilam orauit, ne occideret ſupplicem, per ſummum Iouem, ne hoſpitij iura violaret, neue paruitatem ſuam contemneret. Illa verò irata Scarabeum percuſſum terræ allifit, Leporemq; arreptum deuorauit. Scarabeus vnà cum Aquila ad nidum luſtraturus ſubuolauit, vt acceptam iniuriam quauis occaſione vlciſci poſſet. Ad quem cùm peruenifſet, oua Aquilæ deuoluta deorſum diſrupit. Illa indigniſſimè ferens quempiam repertum fuiſſe, qui hoc auſus fuiſſet, ſublimiori loco ſecundum denuò nidum conſtruxit, quò nihilominus ſimiliter Scarabeus ſurrepſit, eodemq; facinore, quod prius patrauit, oua diffregit. Aquila conſilij inops ad Iouem conſcendit, inq; eius gremio tertium ouorum partum deponit, obſecrans, vt ea ſibi cu-

Scarabeus oua Aquilę rumpit

ræ sint. Scarabeus, qui Iouem sordibus insuetum offendi sciret, ex fimo pillulam factam in eius sinum in sublime elatus demisit. Iupiter spurcitiem hanc exhorrens, cùm, vt fimum excuteret, surrexisset, depositi immemor, cum fimo simul & oua gremio iacentia, deorsum deturbata contriuit. Fassus est Scarabeus ingenuè id sese non alia de causa facere, quàm vt vindictam de Aquila non solùm in se iniuriosam, sed in Iouem etiam ipsum hospitij iuris vindicem, contumeliosam sumeret. Reuersæ igitur Aquilæ, reiq; indignitate commotæ, Scarabeum esse, qui has turbas excitasset, eamq; hac contumelia affecisset, & id quidem iuremerito, Iupiter indicauit. Ne verò posteritas periclitaretur, Aquilæue raresceret genus, Scarabeo consulit, vt Aquilæ concilietur. Scarabeus autem inueteratum hoc odium exuere se posse negans, eo tempore, quo Aquila parit, vspiam gentium apparere, aut è latebris prodire à Ioue prohibetur. Nullum impunè contemni monet fabula. Nemo enim tam vilis est, qui se contemptum non ferat ægerrimè, & opportunitate data omni studio de illata contumelia non quærat vindicare. Hinc natum est adagium Ἀετὸν Κάνταρος μαιεύσομαι, Aquilæ Scarabeus ero obstetrix, de ijs qui potentiores, lacessiti iniuria, vlciscuntur. Nemo contemnēdus.

Alibi ab Aesopo huiusmodi refertur fabula: Sedebat quondam ab excelsa rupe prospiciens, & in Leporem capiendum intenta Aquila: hanc interim iaculo quidam confixit. Quo vulnere languens, & in sagittam Aquilæ pennis alatam inspiciens, ait: Eheu quòd proprijs perimus pennis. In eos quadrat hic apologus, qui, vt de Turdo prouerbium habet, *sibi ipsis malum cacant*, suoq; se gladio iugulant.

# VSVS IN MEDICINA.

DE vsu, quem Aquila præbet, iam acturi, primò, quas corpori vtilitates, quosque quæstus dominis suis conferat, dicemus.

Pellis Aquilæ, vt à similaribus incipiamus, curata diligenter cum plumulis, quibus densissimis, ijsq; tenerrimis adinstar Cygni, ceu leniissimo vellere obsita est, colicos mirè adiuuat, & qui stomachi vitio laborant. Pellis Aquilæ ad colicũ dolorẽ valet & cõ ctionẽ promouet.

Neruos & præsertim colli & dorsi, nec nõ vertebrarum spinas dextras dextris, sinistras sinistris doloribus manuum, & pedum mederi putant. Simili ratione crurum Aquilinorum nerui, si Kyranidi credimus, gonagram & podagram sanant. Nerui Aq̃lę ad Chiragram.

Ossa præcipuè verticis, corio Cerui inuoluta, hæmicraniam curant. Vnde quidam:

*Nec taceas iecoris laudes, nec verticis ossa.*

Ossa cranij ad cephalalgiam magno miraculo alligantur, dextrum dextrę, & sinistrum sinistrę. At illius, quæ vocatur Phenes seu Ossifraga, ad coxam suspensa Κίρσους, id est varices pedum curant. Ossa Aquilarum.

Sanguis Aquilæ per decem dies potus cum oxymelite, Epilepticos sanat. Sanguis Aquilę ad Epilepticos.

Alis pedibus subiectis partum accelerandi vim adscribunt.

Lumborum dolorem Aquilæ pedes euellunt in suffragine alligati, dexter dexteris, sinister sinistris, vt Plinius author est. Lumborũ dolores sanant Aquilę pedes.

Cerebrum in vini cyathis tribus epotum morbo regio resistit: quod ipsum cum oleo, & modica cedria inunctum scotomaticos, & omnem capitis affectum sanare dicitur. Addunt quidam hoc, si in puluerem redigatur, & succo Cicutæ commixtum comedatur, futurum esse, vt qui comederit, non prius sibi euellere capillos desinat, quàm concoctum, ac digestum ex toto fuerit: est enim cerebrum calidissimum Aquilæ, ita vt multo spiritu, quem gignit, mentem obnubilatam, ac turbatam lędat. Morbus regius. Capitis dolor. Cerebrum Aquilæ ad quæ mala vtile.

Non præteribo, quod de Aquilina herba, scribit[a] Io. Baptista Porta, nempe quòd semen eius dragmæ pondere, addito croci momento, potum in vino, sanet icteritiam, quia flores in caulium cacuminibus inferiori parte cornicula sursum reflexa, Aquilę quodammodo rostrum æmulentur. Habet & vim melli commixtum, vt visum acuat. [a] *Lib.4.c.15 phitog.*

Incontinentiam vrinæ idem, vti & eius lingua & Anserina vi quadam occulta persanat. Eadem Aquilæ lingua collo, è panno lineo suspensa, summoperè ad arterię asperæ, columellęq; vitia, & ad spiritus difficultatem, & tussim facit, vt [b] Galenus docet. Linguę Aquilę vsus. [b] *In Eupor. lib.3.c.37.*

Cor Aquilæ impositum vino, melleq; & aromatibus conditum diebus septem, corio deinde Lupino inuolutum, ac gestatum, omne malum, morbos, & feras amoliri dicunt, sed fides penes authores esto, mihi autem non fit verisimile. Cordis Aquilæ uirtus.

Ventriculus Aquilæ, & præsertim Ossifragæ, arefactus & potus (madefactus & appositus in codice Marcelli Empirici, quod non placet) qui non conficiunt cibos, vtilissimus est, vel si ma- Ventris Aquilę vsus.

nu

nu tantum teneant, dum cibum capiunt. Quidam alligant eadem ex cauſa, ſed nolim proſequantur. Facit enim maciem.

Hepar Aqlæ ad Epilepticos.

Hepar ſiccum & tritum, cum proprio ſanguine & oxymelite potum per dies decem, epilepticos ſanare exiſtimant.

Fellis Aquilæ vſus.

Felomne acre eſt, & amarum, calidumq́; ſed aliud magis alio. Aquilinum inter efficaciſſima [c] Dioſcoridi numeratur, quod vel colore ſuo ærugineo teſtatur, qui tamen interdum niger eſt. Hoc [d] Galenus inquit, miſceri collyrijs ad ficoſas, aliasq; eminentias, & oculorum ſuffuſiones. *Liquida*, inquit, *baſilis, hoc eſt regina: hanc Reparatricem appellamus. Recip. Omphacij 3.ij. Myrrhæ 3.ij. fellis Aquilæ 3.ij. Opobalſami drac.ij. Lacrymæ oleæ drac.ij. Ammoniaci thymiamatis 3.i. fellis hyenæ 3 viij. excipe melle Attico.* Quidam efficacius reddi credunt, ſi medicamento hellebori lib 1. aut dimidia addatur myrrhæ, cui tantundē mellis adiectum attemperatam faciat inunctionē. Auiceuna eius Aquilæ, quam ipſe Rachame vocat, & interpretes Oſſifragā vertunt, *fel*, inquit, *cum oleo violaceo in aurem oppoſitam aduerſus hæmicraniam & aurium dolorem inſtillatur*. Paratur ex eodem Errhinum pueris, & infantibus idoneum, ad flatus in capite diſſoluendos. Cum aqua frigida leucomata, ſeu albuginem oculorum deterget. Aſſerit medicorum Arabum quidam, Aquilę fel exiccatum vaſe vitreo in vmbra, vtiliter illiniri Viperæ morſui: addunt alij, & venenum Scorpij, & Serpentum illitu extinguere.

[c] *Lib.2.cap. 96.*

[d] *De ſimpl. lib. 10. cap. 13. & de eō poſt. ſecundū locos lib.4.*

Teſticulorum Aquilæ vſus.

Teſticulorum exiccatorum puluis venerem ſtimulat.

Pennæ Aquilę ad myrmecias.

Pennis Aquilinis ad myrmecias vtimur. Hæ myrmecijs craſſitudini reſpondeant, ne eas excedant amplitudine, ſed arctè amplecti totas poſſint. Imum verò, quod in circulum exectum eſt myrmecias, & tenue ſit, & acutum, vt profundiùs adigatur, atque ita melius educant myrmecias, & radicitus euellant. Sunt autem Aquilinę cæterarum Auium pennis aptiores multò, & commodiores, quòd firmiſſimæ ſint, ac duriſſimæ. Abſcindere verò à myrmecijs tantum radicem verſus oportet, quantum ſatis ſit, vt calamus exactè eas complectatur, vt docet [e] Galenus. Apud Columellam Aquilæ pennis aluearia emundantur, qua parte emundari non potuerunt. Idem de pennis cuiuſuis alitis vaſtæ, quę rigore commendantur, verum eſt.

[e] *Lib.14. Meth.c.17*

Fimus Aqlę ad quid.

Fimi ſuffitum fœtum expellere ex Dioſcoride Serapio inquit. Alij ex eodem Gypaëto, ſeu Vulturinæ Aquilæ hoc tribuunt: alij rurſum, inter quos Syluaticus, Alrachama.i. Oſſifragæ. Porta fimo Aquilæ non fugari ſolùm Serpentes ſcribit, ſed ne ad locum quidem accedere, vbi ille ſit.

De ungue Aquilæ.

Non præter rem futurum exiſtimo, ſi, quam Antonius Ludouicus in ſuis miſcellaneis narrat, hiſtoriam hoc loco apponam. *Fortè fortuna*, inquit, *cùm ad aurificem deueniſſem, offendo quendam, qui argentei annuli pala, Aquilæ vnguem iuberet includere excuſſori; Rogito, cuiuſnam rei gratia: Reſpondet puellam cordis valetudine affici; ad eam rem Aquilinum vnguem, dum carnem tangeret, apprimè conducere argento clauſum; Auro non ita validam vim obtinere; addebat volucrem cardiaco morbo ſæpius tentari, atque vbi pede & vnguibus pectus pulſarit, & percuſſerit, ſanitati mox reſtitui.* Cuius quidem rei veritatis ego me iudicem non interponam, ſed alijs diſcutiendam relinquo.

[f] *Lib.37.c.9*

Magorum vanitas, [f] Plinio teſte, è ſmaragdis promiſit, ſi Aquilæ ſcalperentur, aut Scarabei grandinem auertere, ac ſimilia, & locuſtas, precatione addita. Sed hoc ipſi, vt ait verè Plinius, ſcripſerunt non ſine contemptu & irriſu generis humani.

# VSVS IN CIBIS.

[a] *Leuit.11.* Aquilā cur Chriſtiani non comedant.

CVM edicto Dei vetitū eſſet [a] Hebręis comedere carnes animalium rapacium: itaque nullus erat antiquis earundem in menſis vſus, aut apparatus. Chriſtiani qui ſenſum præcepti cognoſcunt, non ob id ab Aquilæ eſu abſtinent, quòd ex ſe immunda ſit (nā & Accipitres inter rapacia volucria, & Sues inter quadrupeda immunda aſſiduè comedunt, & ſanguine animalium in cibis vtuntur) ſed quoniam dura carne ſit, & fibroſa, atque excrementitia, necnon quia ſubſtantia ſua humorem atrum procreet. Hinc à D. Hieronymo inter eas enumeratur Aues, à quibus non cibus, ſed medicamina petuntur.

# VSVS IN VENATV.

ETSI Aquila ferox, & syluestris sit, non destitit tamen humana mens, quæ indefessa industria, præsertim ab artium magistro, ut ait Persius, ventre incitata, quiduis tentat etiam difficillimum, quousque etiam Aquilam edomare, & naturam eius maximè infractam mansuefacere. Itaque non exiguum ex ea quæstum herus percipit, dum canum venaticorum ope Aues quascunque, quantumuis magnas, vti & Lepores, Capreolos capit, ac huiusmodi alia, nullo aut exiguo negotio, quamuis etiam Ctesias Indos ea sine Canum ope vsos scribat. Aquila curari potest.

Neque his contenta humana sedulitas, aliam præterea rationem excogitauit, qua ex Aquila etiamnum fera, & indomita vberiorem tamen multò fructum, quàm ex mansueta sibi compararet. Quæ quidem est huiusmodi. Aucupes seu venatores dum insignem Aquilarum erga pullos affectum, & solicitam in educandis curam probè perspiciunt, nidos conscendunt, & pullorum anus vinculo constringunt: Sic prohibita excretione, omnis ciborum appetentia ipsis deijcitur. Parentes, vt ægram prolem reficiant, curentq;, ferarum omne genus aere, terra, mariq; conquisitum in nidos inferunt, vt saltem aliquo cibi genere languentem appetitum excitent. Hæc aucupes è nido auferunt, eaq; aut edunt, aut vendunt, non sterili sanè quæstu. Nam quandoque Lepores, Vrogallos, Phasianos, Anseres, Anates, Lucios prægrandes pluris æstimatos inueniunt: adeoq; felix est aucupium hoc, vt aucupem vnum ex duobus Aquilarum pullis plus lucri facere, quàm agricolam ex binis prædijs sæpenumerò compertum sit. Tum verò ne pulli fame pereant, podicem laxant, animæq; languenti cibum vicissim indulgent, dein rursum aluum colligant, idq; iterant, quantum natura tolerare eorum queat diutissimè. At sanè difficilem ab ijs prouinciam suscipi certum est. Remotissimas enim, abditasq; semper sedes, nec nisi arte peruias quærunt Aquilæ, & inhabitant. Aucupes quomodo ex Aquila quæstum sibi parent.

# VSVS IN SIGNIS, INSIGNIBVS, & Imaginibus.

DIVINAE huius Alitis imaginem non solùm viros virtute, ac potentia celebres, sed & populos integros, tanquam fortitudinis suæ testem, ab omni memoria adhibuisse, cùm belli, tùm domi legimus. Ipsa enim, cùm Auium omnium longè sit nobilissima, ac generosissima, ideoq; Regis imaginem repræsentet, licet non sit formosa, aut canora, aut apta esui, sed carniuora, rapax, prædatrix, bellatrix, inuisa omnibus, non immeritò à magnanimis tanquam non absimilis sua virtute, idoneum maximè, & vnicum nobilitatis animi signum semper habita fuit. Varijs autem modis signis inserebatur, & ex varia materia, variaq; figura effingebatur, prout & vsus, & luxus, & occasio postulabat.

Inter primos Iouem huius imaginem, signumue excogitasse ferunt, eoq; tanquam tessera aduersus Titanas in bello vsum esse, inde ad Cretenses delatum, à Cretensibus ad Troianos, à Troianis demùm in Latium ab Aenea transportatum. Sunt tamen, qui ab Hetruscis ad Romanos deriuasse velint. Iustus [a] Lipsius ipsosmet Romanos illius inuentores statuit, vel vicinarum gentium exemplo Aquila vsos fuisse. Hinc factum est, vt sceptris Iouis proximè fulmina insidere Aquila credita sit, & vt Pindarus eam dormire in sceptro [b] Iouis fabuletur, vel vt alijs placuit, in capite, idq; hac de causa quoniam Aues vnicuique Deo sacras in capite collocare veteres solebant. Iouis autem imago, læua sceptrum, capite diadema, dextra verò nunc Aquilam, nunc victoriam prætendebat, illam quidem ob vtriusque excellentiam, victoriam verò, quòd omnia ei deuicta & subiecta fuerint. Vnde etiam [c] Lucianus de ea ita inquit: *Proinde neque de Aquila quidquam dicturus sum, quod & illa in cælo versatur, regio sceptra insidens, & tantum non super capite tuo nidificans, & Deus esse gestiens, aut illam quoque in Ganymedis gratiam præteribimus.* Verùm & in antiquissimis cùm Consulum, tùm Imperatorum numis videre est Regiam hanc Alitem, non fulmini, sceptroq; Iouis insedisse solùm; sed ipsius quoq; Dei simulachrum modò in capite, modò supra alas tulisse. Ad huius rei confirmationem numisma Hadriani Græci extat, in quo ab vna parte Auis Iouem in capite, ab altera Iouem in dextra, Iunonem in sinistra ala portat. Exstat eiusdem rei emblema apud [d] Claudium Paradinum, cuius inscriptio est, Aquilæ in insignibus vsus origo.

[a] *Lib. 4. de Mil. Rom. dialogo. 5.*
[b] *Ode 1. Pythior.*
[c] *To. 2.*
[d] *In Symb. Heroicis.*

CAELO

CAELO IMPERIVM IOVIS EXTVLIT ALES. Qua de cauſa in ſceptris Regum, quòd, hi ceu Iouis filij ſint, exprimi ſolet, vt Ariſtophanes teſtatur; & [e] Iuuenalis vbi ait:

[e] *Sat.10.*

*Da nunc & volucrem ſceptro, quæ ſurgit eburno.*

[f] *Lib.7.Pæd. Cyri.*

Prudentius item noſter, *Aquila*, inquit, *ex eburno ſumit arrogantiam*. [f] Xenephon quoque ita de ea ſcribit: *Erat autem ei ſignum Aquila aurea extenſis alis in longa haſta ſuſpenſa*. Id inſigne Perſarum Regibus multò pòſt manſit, à Romanorum tamen Aquila paulò diuerſum. Sic Artaxerxis id ſignum Regium fuiſſe, idem author eſt, cùm inquit: *Barbari cunctati ſunt, primùm quid ageretur, incerti, & ſe Regale ſignum videre dicebant, auream Aquilam in pelta ad ſummam haſtam alligata*. Alexandrum Epirotarum Regem Aquilam habuiſſe pro inſigni ex eius numo antiquiſſimo licet coniectare, in quo ab altera Regis caput, ab altera tota ſedentis & Aquilam dextra ferentis icon apparet. De Romanis æneum adducitur numiſma, in quo Aquila ſtellam in roſtro ferens, & duos poſt tergum, quaſi globos habens cum inſcriptione, ROMA, Romam ipſam ac eius imperium denotat. Id paſſim alia, cùm Coſſ. tùm Impp. numi teſtantur. Liuius, Florus, cæteriq; qui Romanorum res geſtas memoriæ conſignarunt, Tarquinium Quintum Romanorum Regem, vt exemplum adferunt. Is toga purpurea vtebatur, Sellâ eburneâ, geſtabat in capite coronam auream, ſceptrumq; in manu eburneum, cui in ſumitate Aquila aurea inſidebat, permiſſu ſcilicet Senatus & populi Romani. Solere autem hanc eburneo imponi ſcipioni, ſeu ſceptro, etiam alibi ſcripſit [g] Liuius; *Eumeni*, inquiens, *Regi omnes à Senatu habiti honores, donaq; ampliſſima data cum ſella curuli atque eburneo ſcipione*. Idem etiam author eſt [h] *Maſaniſſam Regem appellatum, eximijſq; ornatum laudibus, & aurea corona, aurea patera, ſella curuli, & ſcipione eburneo, toga picta, & palmata tunica à ſcipione donatum*. Conſtat autem ex [i] Dionyſio Halicarnaſſæo ſceptrum illud Elephantinum non aliud, quàm ſcipionem eburneum fuiſſe, cui Aquila impoſita erat. Quæ Regia ornamenta poſteriores Romanos à maioribus accepta, ſemper retinuiſſe patet. Imò verò C. Marius bello Cymbrico, reliquis militaribus ſignis depoſitis (nam ante Lupi, Minotauri, Equi, Apri, ſingulos ordines anteibant) poſthabitis Lupis, etſi Romanæ gentis nutritijs, Vulturibus etiam neglectis, etſi horum auſpicio Romanorum imperium conditum eſſet, Aquilam ſolam tenuiſſe fertur, eamq; argenteam magis, quàm auream habuiſſe: Nam ex argento omnia ſigna olim fuiſſe Plinius teſtatur, etiam in caſtris Bruti, hac nempe de cauſa, quòd fulgentior ex argento, quàm ex auro foret, & conſpectior. Paruam verò hanc fuiſſe ex [k] Floro colligere licet, vbi ait: *Tertiam Aquilam ſignifer, priuſquàm in manus hoſtium veniret, euulſit, & intra balthei ſui latebras gerens in cruenta palude delituit*: Non enim balthei, vt doctiſſimus Iuſtus Lipſius etiam annotat, latebris tegi potuiſſet, Aquila tam magna. Romana itaque Aquila ſummæ haſtæ inſiſtebat, eratq; vel ex auro, vel argento, & fulmen ſæpe tanquam manibus tenebat, quaſi iaculatura, licet [l] Dion ſecus ſcripſiſſe videatur his ſce verbis: *Quod Aquilam dicunt, eſt modicum ſacellum, & in eo Aquila aurea, conſtituiturq; in omnibus legionibus; Eam vir vnus aliquis haſtæ oblongæ impoſitam portat, cuius haſtæ ima pars acuta eſt, vt [m] defigi in ſolum poſſit*. Quod autem ait ſacellum eſſe, caue cenſeas, inquit [m] Lipſius, in haſta ipſa ſimile quippiam fuiſſe templi (nuda enim Aquila & ſine tegmine ullo ſacelli fuit, vt docent monumenta, & numi, quorum centenæ aliquot extant) ſed ad caſtra hoc referendum eſt, in quorum principijs ædicula quædam, ſiue templum, in quo religionis cauſa Aquilæ, & ſigna ſeruabantur. Prætereà nonne etiam prægraue pondus, (vt eiuſdem verbis vtar,) ferenti fuiſſet? In columna tantùm Traiani, neſcio quid in alis Aquilarum imponitur, quod fateor me non explicare. Niſi ergo Dionis vltimo illo æuo mutata Aquilę forma, cenſeo mentem eius eſſe, Aquilam cùm in hybernis eſſet in ſacello repoſitam, atque inde motam, cùm educenda. Id mihi approbat [n] Herodianus, qui de Prætorianorum caſtris loquens, Antonium facit venire in ſacellum, in quo ſigna & imagines exercitus adorantur. Eſt autem in Dionis etiam deſcriptione, [o] *defigi in terram ſolere*, quod in exemplis multis legas; [o] Tacitus: *Plurimus circa Aquilas labor, quæ nempe figi limoſa humo, neque aduerſum ferri ingruentia tela poterant*. Figebantur igitur, & in ipſa pugna, cùm ea in loco ſtaret, nec impelleretur hoſtis. Sed & in caſtris defixæ ſtabant, ac legis inter prodigia, cùm in hoſtes eundem eſſet, non potuiſſe euelli. Huius ſententiæ puto, quod in Thebaide Tragedia Senecæ inſcripta, legitur:

[f] Cyri inſigne. Artaxerxis.

Alexandri Epirotarũ regis.

Tarquinij Priſci maieſtas.

[g] *Lib.42.*
[h] *Lib.30.*
[i] *Lib.3.*

Marius primò habuit Aquilã auream.

Aquila cur ex aurea Argentea facta.

[k] *Lib.4.*
[l] *Lib.40.*
[m] *Lib.1.cõ. in Tacit.*
[n] *Lib.4.*
[o] *Lib.1.Annal.*

——*æra iam bella cient,*
*Aquilaq; pugnam ſignifer mota vocat.*

Munacius Plãcus quo modo à ſeditione militum liberatus.

Non enim ibi ventilatio aliqua, aut in aëre motus Aquilæ capiendus, ſed quòd refixa, ac loco mota ab ſignifero fuerit præeunte ad pugnam. Ex Dione etiam palam fit, quanta hanc ipſa religione coluerint, adeò etiam vt ad eam tanquam ad ſacram anchoram confugerent, vt ex Taciti hiſce verbis facile colligere eſt, de Munacio Planco, in quem ſeditioſi milites coniurarant;

rant: *Neque aliud*, inquit, *periclitanti subsidium, quàm castra primæ legionis, illic signa, & Aquilam amplexus, religione sese tutabatur*. Obseruationis tantæ erat, vt quæ in castris ante Prætorium figebatur, non antè euelleretur, quàm acie dimicandum foret, nec prius hybernis moueri solita est, quàm vniuersus exercitus egrederetur, aut captatis auspicijs legiones in prælium prodirent. Prælia enim maiores nostri nunquam nisi, vt alibi abundè demonstrauimus, auspicatò gerebant, & hoc est, quod [q] Virgilius canit:

*——Vbi primùm vellere signa*
*Annuerint superi, pubemq; educere castris.*

Tantæ dignitatis fuit istud Aquilæ signum, vt in omni legione in prima semper cohorte præferretur, quam viris doctis, ac literatis ferè constitisse scribit [r] Fonteyus. Itaque illam, & principatus insigne putabant, omenq; victoriæ, quodcunque bello petierit. Erat enim, & anteà prima inter quatuor alia signa, quæ singulos ordines anteibant. Sed, vt ante dixi, Marius solam in acie portare cœpit; reliquis in castris relictis. Hinc Iulius Cæsar, cùm superata Britãnia ad Caledoniam Syluam arma Romana perduxisset, & aduersus Pictones, Scotosq; rei etiam benè gestæ memoriam relinqueret, non procul à Carrona amne lapideam domum extruxit, quatuor supra viginti cubitos altam, latam amplius cubitis duodecim, ex magnæ molis quadratis, politisq; saxis. Quibus Aquilas insculpsit (nunc vetustate penè attritas) vt posteris seculis monumentum esset illò Romanas copias peruenisse: Refert id [s] Hector Boëthius. Similiter Veronæ in vico D. Thomæ in quodam trophæo ex marmore Aquilæ insigne conspicitur: quod trophæum C. Marius, vel indè deuouisse dicitur, quòd primus, vt aliquoties dixi, Aquilę argenteæ signo sit vsus, vel quòd magis verisimile est, in memoriam cladis insignis, qua ille & Domitius collegæ Germanos in eo agro affecerant. Ex tantis itaque Aquilæ attributis honoribus, *notatum, non ferè apud legiones vnquam hybernatum esse in castris, vbi Aquilarum non sit conspectum iugum*, vt [t] Plinius tradit. Signa verò apud Romanos militaria erant vel vocalia, vel muta. Vocalia erant tubæ, cornua, litui. Muta verò & principalia erant Aquilæ, & Dracones, manipulus & vexillum. Postea verò vni Aquilæ militaris signi honor habitus, hac nihil vnquam apud Romanos frequentius, nihil honoratius, aut sacratius fuit, ita vt Romana cognomento appellari meruerit, cuius ductu totum ferè orbem subiecerint. Nam, vt ait illa:

*Hac duce Romanus Gallos Iouis arce fugauit,*
*Hac laudem domitor Cæsar ab hoste tulit.*

Qui hanc Aquilam ferculo, seu hastæ longæ præfixam signifer portabat, Aquilifer dicebatur, qua primùm quidem, ut suprà sæpius diximus, Marius argentea usus est, deinde Catilina, ut Cicero ostendit. Pompeius quoq; argentea in campo cæruleo, Cæsar auream in purpureo habuit, Octauianus Augustus nigram, quę Inperatoribus hucusq; seruata dura[u]. Hæc singulis legionibus unica præferebatur, (ut docet doctissimus Iustus Lipsius) quarum singulæ sub huius unius Aquilę ductu, decem cohortes continebant; ideo (ut Lipsij uerbis utar) improuidè à Lucano scriptum aliquis censeat, de Arimino à Cæsare capto:

*Vt notæ fulsêre Aquilæ, Romanaq; signa.*

Nam una profectò fuit, nec tunc apud Cæsarem (consensu omnium) non nisi legio una: sed aut improuisio, aut de industria enalloge quædam poëtica numerorum. Legio si perfecta erat, pedites habebat sex mille & centum, equites septingentos uigintisex. Maior numeros interdum esse consueuit, minor esse non debuit, prętereaquam solius milliarię, quæ Aquilam etiam ferebat. Triginta autem legiones fuisse sub Traiani imperio constat, sicuti & sub finem belli Punici viginti, sub imperio Iulij Cæsaris sedecim, sub Vespasiano autem triginta sex. Hasce singulas certis signis distinctas fuisse, ita ut legionum ordines designarent, & legionarij milites suã Aquilam ab alijs diuersam facilè agnoscerent. Nam primæ legionis signum erat una Aquila, præter frondes, omni alio ornamento nuda. Secundę autem signum erat eadem inter lauream coronam. Tertiæ uerò hæc ipsa intra lauream itidem coronam: hoc tamen intererat, inter secundam & tertiam (nam prima per se nota est) quòd illam laurea tantum corona cingebat, ad hanc ultra laureum sertum etiam aliud accedebat. Simili ratione cæteræ certis differentijs dirimebantur. Collocabatur autem Aquila in medio legionis, & ubi erat Imperator, quem ante eam stetisse, docet luculẽter admodum Iustus Lipsius: inter Principes, *Argumento*, inquit, *quòd is eius situs in castris, ante principia dico, & Aquilas*. Itaq; & Salustius de Catilina: *Ipse cum libertis propter Aquilam adstitit*. Idem Legatis & Tribunis erat locus, ut ex Taciti hisce uerbis doctissimus ille uir colligit: *Ante Aquilam Præfecti castrorum, Tribuniq;, & primi Centurionum. &c.* Triariorum uerò custodiæ erat Aquila, & signa præcipua. Prę erat uerò ei primus Centurio, licet quæuis legio, ut idem quoq; Lipsius alibi docet, sexaginta haberet Cẽturiones, & totidem Succenturiones siue optiones; quod autem Cæsar scribit, *rel ita ad se centum octoginta signa militaria, Aquilas nouem*

Munacius Plãcus quo modo à seditione militum liberatus.

[q] *Lib. 11. Aeneid. circa principium.*

Aquilæ signi dignitas.

[r] *Lib. 2.*

[s] *Lib. 3. Hist. Scoth.*

Marij & Domitij pugnę cũ Germanis memoria.

[t] *Lib. 10. cap. 4.*

Signa Romanorum qualia.

Aquilifer quis.

Orat. prima in Catil.

[u] *Lib. 4. de mil. Roman. Dial. 3.*

[x] *Lib. 1.*

Legio perfecta.

Aquilæ legionum diuersitas.

Imperatoris locus in bello.

[y] *Lib. 4. de mil. Roman. dial. 4.*

Legatorũ, & Tribunorũ locus in acie.

*nouem fuiſſe*; fieri non potuit, ſi Polybio credimus: ſi enim nouem Aquilæ (Lipſij uerba ſunt) capta, quæ ratio aut proportio, ut tantùm centum octuaginta è reliquis? Atqui legiones Romanæ illic undecim ſteterant: ergò ſigna manipulorum circiter ſexaginta ex priore illa ſententia: quod minimè conuenit in numerum Iulianum. Qui itaq; Aquilæ præerat Primipilus, Dionyſio ἡγεμὼν τῆς τάγματος, dux legionis, aliquoties στρατοπεδάρχης τῆς τάγματος, præfectus legionis dicitur: Cui omnes parebant, quòd Aquilam regeret, primum ſignum: Alij Centuriones ſua quidem ſigna adſiſtebant & tuebãtur: hic uerò totius legionis Aquilam cuſtodiebat. Quod etiam in [z] Vegetio clarè: *Centurio*, inquit, *Primipili non ſolùm Aquilæ præerat, ſed etiam quatuor centurias in prima acie gubernabat.* De Aquila (& hæc Lipſij verba ſunt) benè, & ad vetuſtum morem: de quatuor centurijs, ad nouitium: æquè iſte noſter non, niſi uni præfuit, & ſuæ. Ad eundem morem [a] Valerius: *Aquilarum altera vix conuelli à Primipilo potuit*. Indicat ita præfuiſſe, vt etiam ſub iter euelleret refixam, & ſignifero ſuo in manum daret. Quinetiam in ipſa acie adſiſtebat, & tuebatur. Dionyſiana illa ſuprà hoc oſtẽdunt, tum illud [b] Taciti; *Ipſam Aquilam Atilius Verus Primipili Cẽturio multa cum clade hoſtium, & ad extremum moriens ſeruauerat*. Hîc quoq; [c] Plinij locus inſignis declarandus uenit, ita ſcribentis; *Centurionum in manu uitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit Aquilas, atq; etiam in delictis pœnam ipſam honorat*. In caſtigandis militibus Centuriones vite vſos fuiſſe, etiam Liuius tradit, & eò præſertim, ſi nimis pigrè & lentè Aquilas ſequerentur, ſed in ciuibus tantùm, nam exteri fuſte cædebantur. Hunc locum Plinij [d] Iuſtus Lipſius explicans pro lentas, *latas* legendum cenſet; tùm quia de lentis ordinibus primùm dixiſſet; tùm etiam, quia re lætæ ipſa, & lætificantes ob *præmia*, vt loquitur, opima. Non enim dignitas ſolùm, ſed opes adiunctæ, ideoq; *locupletem Aquilam* hoc ſenſu mihi quidem [e] Iuuenalis dicit:

*Vt locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus*
*Adferat.*

Primipili munus. Centurionũ munus. Vrbis flagellum in militia.

[z] *Lib.2.c.8.* [a] *Lib.1.c.7.* [b] *Lib.3. Annal.* [c] *Lib. 14. cap.1.* [d] *Lib.2. de mil.Roman. dial.8.* [e] *Sat.14.*

Hinc factum eſt, vt apud authores paſſim pro legione ipſa, ſeu exercitu ſub ea militante, & pro ipſo munere, & Primopilatu Aquilam acceptam videamus; quod fecit Nonius: huic enim bello Pharſalico dicenti, Aquilas ſeptem adhucſupereſſe, & apud Pompeianos extare, Cicero reſpondit, *Probè moneres, ſi cum Gracculis nobis pugnandum foret*. Atq; ita Hirtius. *Erat Pompei acies tredecim Aquilis conſtituta*, ſignificat, & valet totidem legionibus. Et [f] Baptiſta Mantuanus:

*Aſpice Pompeium terra, pelagoq; ferentem*
*Victrices Aquilas, & mox quaſi fulmine miſſo*
*Cælitus attonitum, magnoq; à Cæſare victum*
*Ire vagum &c.*

[f] *Lib. de Fort. Gonzagæ.*

Et [g] Claudianus:

*Stant bellatrices Aquilæ, ſauiq; Dracones.*

Item rurſus:

——*Nec vt rubris Aquilas figamus arenis.*

[g] *Lib.3.* [h] *Lib.44.*

[h] Item alibi:

*Sed quid ego Hannibalem circa, Pyrrhumq; tot annos*
*Certatum memorem? vilis cùm ſpartacus omne*
*Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni,*
*Conſulibusq; palam toties congreſſus, inertes*
*Exuerit caſtris dominos, & ſtrage pudenda*
*Fuderit imbelles Aquilas.*

Sic & Aquilas eadem ſignificatione poëtæ Hetruſci accipiunt; Arioſtus:

*E quindi ancora in ripa à la Dannvia*
*Cacciata fu da l'Aquila Romana.*

Sæpius verò pro ſignis ipſis accipitur, vt apud [i] Ouidium, vbi de antiquo illo militari ſigno Romanorum imperij in primordijs ſub Romulo, fœni nempe manipulo, eoq; haſtæ, ſeu perticæ alligato, appenſove agit, inquit enim:

*Non illi cælo labentia ſigna tenebant,*
*Sed ſua, quæ magnum perdere crimen erat.*
*Illa quidem fœno, ſed erat reuerentia fœno,*
*Quantum non Aquilas cernis habere tuas.*
*Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,*
*Vnde maniplaris nomina miles habet.*

Fœni manipulus Romanorũ ſignum militare. [i] *Lib.3. Faſt.*

Item, dum ſigna Romanorum olim erepta à Parthis, per Auguſtum recuperata ſcribit:

*Addiderat animos Craſſorum funera genti,*
*Cùm perijt miles, ſignaq; dux q; ſimul.*
*Signa decus belli Parthus, Romana tenebat,*
*Romanæq; Aquilæ ſignifer hoſtis erat.*

*Iſque*

*Isque pudor manſiſſet adhuc, niſi fortibus armis*
*Cæſaris Auſoniæ protegerentur opes.*
*Ille notas veteres, & longi dedecus æui*
*Suſtulit, agnorunt ſigna recepta ſuos.*

Ad eundem ſenſum [k] Lucanus:

*Vt notæ fulsêre Aquilæ, Romanaq; ſigna.*

[k] *Lib. 1. de bel. ciu.*

Habebant autem multa ſigna alia præter Aquilam, quæ ſola ipſis erat in ſummo honore, vt ex his[l] Appiani verbis etiam eſt colligere. *Pompeius Cæſarianos egregiè repulit, verſoſq; in fugam vſque caſtra eorum proſecutus eſt, ereptis multis ſignis, Aquila etiam penè potitus, ni Aquilifer eam, vt priam Romanis in ſumma veneratione militi habitam, intra vallum icciſſet, conixus totis viribus.*

[l] *Lib. 2. de bel. ciu.*

Neque verò ſignis, aut vexillis bellicis Aquilæ ſimulacrum tantummodò imponebatur, ſed & trophæis. Sertum enim ex Quercu vnguibus tenentes ferebantur in triumphis, ex quo corona ciuica torqueri poſſet, caputq; victoris redimiri, vittis vtrinq; pendentibus, quibus ad ſinciput alligaretur, qua ſemel accepta, perpetuò vti licebat. Quanto uerò honore Romani Aquilæ ſignum proſecuti fuerint, ex iam dictis facilè liquere arbitror, tùm ex hoc potiſſimùm, quod [m] Plinius memoriæ prodidit, de unguẽtorum decore loquens *maximè*, inquit, *mirum eſt, hanc gratiam penetraſſe & in caſtra. Aquilæ certè & ſigna puluerutenta illa, & cuſtodijs horrida inunguntur feſtis diebus, vtinamq; dicere poſſemus, quis prius inſtituiſſet. Ita eſt, nimirum hac mercede corupta terrarum orbem deuicêre Aquilæ.*

Aquilæ coronatæ in triumphis.

Corona ciuica.

[m] *Li. 13. c. 3*

Aquilarum etiam uſus erat in teſſeris. Hæ autem Romanis erant duplices, teſte Vegetio, mutę ſcilicet, ac uocales. Vocalis humana uoce pronunciabatur, ut Venus uictrix Cæſari, Hercules inuictus Pŏpeio, Lar Mario, Syllę Apollo Delphicus. Muta uerò, ut Aquilę penna: quod ſignũ neceſse erat circumgeſtari à milite. Sunt hac tempeſtate tenię uariorum colorum, quas bandas uulgus nuncupat, ut ex ea inſula militis factio cognoſcatur. Præter Romanos etiam alias gẽtes Aquilæ imaginem adhibuiſſe, ſacris literis docemur. Arrius enim Rex Lacedæmoniorum tempore Oniæ, Aquilam pro inſigni uſurpabat, quæ Draconem arreptum unguibus tenebat. Et Pierius Valerianus ad inſigne Lacedæmoniorum remp. hierogliphycè ſignificare tradit, ea ſcilicet ratione, quòd tali ſigno literas illi publicè obſignarent. Et Pauſanias refert, Liſandrum duas conſecraſſe Aquilas in templo Iouis apud Lacedæmonios, quarum vtraque victoriæ ſimulacrum ferret, eiſque bis ſe de Athenienſibus victorem fuiſſe, ſignificaſſe. Tantali præterea, Hectoris Troiani, & Clearchi inſigne fuit, Euripili telo transfixa Aquila. Heracleenſium Tyrannus, qui ſe Iouis filium iactabat, in generis argumentum auream præferri voluit ſibi Aquilam. Hunni quoque in vexillis coronatam ferebant Aquilam, quod quidem inſigne ad Geyſe ducis vſque tempora conſeruarunt Hungari, Bonfinio teſte.

Teſſera apud Romanos duplex.

Arrij Lacedęmoniorũ regis inſignia.

# VSVS AQVILARVM IN CLYPEIS, & alijs rebus.

ANTEQVAM de inſignibus, ſeu armis, vt vulgò dicunt, agamus, in quibus ſculpebantur, & pingebãtur domi Aquilæ, Leones, & alia animalia, atq; quædam alia, quæ nobilitatem denotabant, in primis de clypeis, ſeu ſcutis ſermonem habebimus, à quibus omnino crediderim domeſtica inſignia ortum duxiſſe. Nã, vt inquit [a] Goropius, vulgus Arma vocat, quia inſignia in armis, maximè verò in clypeis depingi ſculpiq; cõſueuerint. Huius rei apud [b] Virgilium inter alia hoc exemplum eſt in Auentino Herculis prole, qui inter primos Turni ſocios & auxiliares recenſetur.

Inſignia domeſtica vnde orta.

[a] *Lib. 4. Franciſ.*

[b] *Li. 7. Aen.*

*—— Clypeoq; inſigne parentum*
*Centum angues; cinctamq; gerit ſerpentibus Hydram.*

Clypei etymon.

Dicuntur Clypei ἀπὸ τῦ καλύπτειν, quòd celent totũ corpus; & poſſunt dici Gallicè targe ou eſpauoir: vel melius ἀπὸ τῦ γλύφειν, ideſt, à ſculpendo & cęlando, quaſi γλύπτος, hoc eſt ſculptus. Scutum Latini dictũ putant à Græco σκυτὸς, quo coriũ denotatur; cuius nominis rationem nullus Grammaticorum intimius perſpicit. Goropius tamen è Cimbrica lingua & σκυτὸς pro corio, & ſcutum pro clypeo manaſſe dicit, in qua Scut idem eſt, quod depello, amolior, tueor. Germani Schut vocãt aggerẽ, propugnaculũ, & Schutzen defendere, quo fit, vt & corio & clypeo id nomen attributũ ſit. Solitos autẽ eſſe veteres clypeis inſculpere imagines quaſdã bellicas, vel inſignia, etiam ipſo [c] Plinio teſte, patet. Nam ſcutis qualibus apud Troiam pu-

Scutum dictum.

Σκύτος quid.

In clypeis pingebantur imagines.

[c] *Li. 35. c. 3*

gnatum eſt, continebãtur imagines, vnde & nomen habuêre clypeorũ, &, vt ait ipſe, *non, vt perueſa Grammaticorum ſubtilitas voluit, à cluendo*. Vnde non poſſumus non ſuſpicari, vel à Thracibus, vel à Phrygibus ſuam in Achillis clypeo ſculpturam, Homerum mutuatum fuiſſe. Sunt autem clypei maiora ſcuta peditum tantùm, vt docet Seruius: ſcuta verò equitum. Vnde [d] Liuius: *Clypeis ante Romani vſi ſunt, deinde poſtquam ſtipendiarij facti, ſcuta pro clypeis fecêre*. Huius pars media eminentior Vmbo dicitur. Clypeo & ſcuto cõgeneres ſunt parma & pelta. Parma ſcutum eſt rotundum, è medio in omnes partes æqualiter extenſum, breue, quo pedites & expediti milites vtebantur. Gallis bouclier dici poteſt. Pelta ſcutum breuiſſimum eſt, in modum Lunæ mediæ. Aliàs ſcuta ſub diuerſis formis poſſunt fieri. Pœni, quod ait Plinius, ex auro factitauêre clypeos & imagines, ſecumq; in caſtris tulêre. Talem ijs captis, Haſdrubalis inuenit Q. Martius Scipionum in Hiſpania vltor. *Fecit quoque Rex* [e] *Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in lamina ſcuti vnius, & trecentas peltas ex auro probato*. Clypeos & ſcuta in memoriam benegeſtorum ſuſpendere, & publicis locis conſecrare antiqui conſueuerũt. Vnde illa ſimilitudo in ſacris [f] literis profluxit: *ſicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis mille clypei pendent, ex ea omnis armatura fortium*. Hoſce tam heroum illorum, quos peculiariter decantant ſacræ [g] literæ, quàm parẽtum fuiſſe Dauidis & amicorum, vti etiam ſubditorum; quorũ opera in bello præclara, & illuſtris fuit, nemini dubiũ eſt. Sic *Appius* [h] *Claudius, qui Cõſul cũ Seruilio fuit, ſuorum clypeos in ſacro vel publico priuatim dicare primus inſtituit. Poſuit enim in Bellonæ ædem maiores ſuos, placuitq; in excelſo ſpectari, & titulos honorum legi. Poſt eum M. Aemilius collega in Conſulatu Q. Luctatij non in Baſilica modò Aemilia, verùm & domi ſuæ poſuit*. Haſdrubalis etiã clypeus, quem, vt ſuprà ex Plinio diximus, Q. Martius Scipionum vltor cepit in Hiſpania, ſupra fores Capitolinæ ædis vſque ad incendium primum fuit. Romanorum certè, vt inquit Plinius, *tanta ſecuritas in ea re annotatur, vt L. Manilio, Q. Fuluio Coſs. anno vrbis quingenteſimo ſeptuageſimo quinto M. Auſidius tutelæ Capitolij redemptor, docuerit patres argenteos eſſe clypeos, qui pro æreis per aliquot iam luſtra aſſignabantur*.

Clypei Achillis ſculptura.
Clypei sũt ſcuta maiora.
[d] *Lib. 6.*
Vmbo qd.
Parma qd.
Pelta quid.
[e] *Reg. 3. c. 10.*
Clypeos & ſcuta ſuſpẽdebant in publicis locis.
[f] *Cant. 4.*
Ex Turri Dauid clypei ſuſpẽſi.
[g] *2. Reg. 23.*
[h] *Plin. lib. 35. cap. 3.*
Clypei i ſacris vel publicis dicati.
Clypeos argenteos q habuerint.

QVI igitur Aquila in clypeis vſi ſunt, iam ſequuntur, fama inſigniores. Ariſtomenes victis Lacedæmonijs ſcutum recepit, cui inſigne erat Aquila paſſis alis aduſq; clypei margines. Nam cùm Delphos veniſſet, id Dei monitu in Triphonij antro, quod ad Labadeam eſt, reperit, ac rurſus eodem in templo dedicauit, quod Pauſanias ibi poſitum ſe vidiſſe aſſeuerat.

Aquilam i clypeis qui habuerint.
Ariſtomenis ſcutum Aquila inſignitum.

De Hungarorum inſignibus in clypeis ita ſcribit [i] Stephanus Vinãdus Pighius: inter cętera generoſæ nobilitatis, militarisq; virtutis inſignia, præeminebant expanſæ Aquilarum alæ ingentes vaſtis clypeis inhærentes, vel auratis galeis impoſitę, vetuſtum decus nobilis apud Hungaros familiæ, & præcipua fortitudinis bellicæ apud poſteros inſignia. Maxima enim his habentur victoriæ prędia, ac veluti laureæ quædam eximiæ pro ſingulis occiſorum hoſtium capitibus ex acie relatis, ſingulas Aquilarum pennas accipere, atque eas crebris victorijs multiplicare. Glorioſum plurimas clypeis, caſſidibusq; affixas, aut è lanceis haſtilibusq; dependẽtes referre in prędium. Pulchrum eſt eaſdem per caſtra, atque vrbes in capite geſtare; imò etiam cute perforata temporibus ac fronti propriè infixas oſtendere poſſe; atque hic adhuc Imperatoris triumphalis in circum eſt ingreſſus.

Hungarorũ inſigne.
[i] *In Herculi Prodicio.*
Mirus Hungarorũ ſui neglectus.

Aquila lutei coloris trunco inſidẽs, in parma luti ſapphirei (cuius imaginem eodem colore, ſed admodum dilutiore circulus ambibat) Herculanorum iuniorum erat inſigne, qui ſub magiſtro militum prędentiali militabant, quod in antiquis quibuſdam eius militiæ commentarijs apud Maffæos Romæ inuenit Pierius. Seniores verò Herculani cæruleam Aquilam alis utrinque paſſis habuêre, in rubra parma, cuius latus ambitus in margine lutei coloris erat, quem linea nigra circũdata in partes duas ęquè diſtantes diſſecabat. Erant verò Iouiniani, ſiue, vt apud Vegetium, Iouiani, & Herculani, Illyricæ legiones duæ, quæ ſena militum millia habebant, quos Diocletianus, qui ſe Iouẽ latinè vocitabat, & Maximinianus, qui pro Hercule ſe gerebat, cùm ad Imperium peruenirent, pro merito virtutis ita nominibus à ſe inditis appellandos cenſuêre, eoſque cunctis legionibus iunctis prætulerunt.

Herculanorum inſigne.

Iouinianorũ autem, qui iuniores vocabantur, inſigne erat Aquilæ apotheoſis, redimiculo ſupra caput impoſito. Ales ipſa natiui coloris in parma lutea, quę rubro primùm circulo claudebatur, inde altera ſapphirei coloris toto margine complectebatur. Epectore autem Aquilæ aureus extabat umbilicus. Seniores verò purpuream geſtabant in parma cęrulea, duoque erant pro margine circuli, ruber interior, exterior luteus.

Iouinianorũ inſigne.

Cærulei coloris aliquantò diluti Aquilam geſtabant Quartodecimani, qui ſub magiſtro militum per Thracas militabant. Ea verò Ales in alba parma inſidebat orbi cæruleo denſioris luti, intra quem circulus ruber erat, è cuius medio aureus extabat umbilicus.

Quartodecimanorũ inſigne.

Non ab re erit hoc loci ex Ludouico Arioſto poëtarum Italicorum coriphęo, qui imitatus antiquos

antiquos in bello gerentes clypeos, multis in locis ſui poëmatis Rugerij clypeum Aquila alba & argentea inſignitum extollit, nõnulla in medium afferre. Cùm enim Bradamas mulier quidem, ſed ob virtutem, qua præſtabat in bello, vir generoſus dicenda, Rugerium ſuum, quem deperibat, pugnantem cognoſcere cuperet, eam dicentem inducit[k] poëta, ſic canens: [k] *Cant. 36 Stan. 30. & 31.*

*Di quà di là ſi volge, e ſi raggira,*
*Se Ruggier può veder, per cui ſoſpira;*
*Lo riconoſce à l'Aquila d'argento,*
*C'hà ne lo ſcudo azzurro il giouinetto.*

Dicit autem poëta illam eum cognouiſſe ex clypeo cæruleo, in quo Aquila argentea depicta erat. Et alibi eandem Aquilam appellat albam. Nec mirum, cùm color argenteus albi ſit coloris. Ait[l] autem: [l] *Cant. 30. Stan. 18.*

*L'vna li moue il giouine Ruggiero,*
*Perche l'Aquila bianca non li cede.*

Et[m] rurſus: [m] *Stan. 42. eiuſd. cant.*

*—— E per Dio*
*Non mi fate vn augurio coſi triſto,*
*E ſiate certa, che'l mio onor m'hà ſpinto,*
*Non ne lo ſcudo il bianco Auggel dipinto.*

* Idem: * *Stan. 48.*

*Quinci, e quindi venir ſi vede il bianco*
*Augel, che Gioue per l'aria ſoſtiene*
*Come nella Teſſalia ſi vide anco*
*Venir più volte, ma con altre penne.*

Per Auem enim albam intelligit Aquilam albam. Quam quidem meritò gerebat in clypeo Rugerius, ob præclaras eius dotes, & robur, vt inquit[n] poëta: [n] *Stan. 44. eiuſd. cant.*

*L'animoſo Ruggier, che moſtrar vuole,*
*Che con ragion la bella Aquila porta.*

Idem narrat Marphiſam, dum cum Rugerio pugnaret, Aquilã, id eſt clypeũ eius percuſſiſſe.

*Perche Marfiſa vna percoſſa orrenda*
*Li mena, per diuiderli la teſta.*
*Leua lo ſcudo, che'l capo diffenda,*
*Ruggiero, e'l colpo in ſu l'Aquila peſta,*
*Vieta lo'ncanto, che lo ſpezzi, ò fenda,*
*Ma di ſtordir non però il braccio reſta.*

De eodem ſcuto inquit idem poëta paulò inferius:

*Ruggier il braccio manco à pena moue,*
*A pena più ſoſtien l'Aquila bella.*

Hanc autem quandoque ex campo cæruleo mutabat in Monocerotem album in campo purpureo, vt teſtatur poëta, [o] ſic canens: [o] *Cant. 44. Stan. 77.*

*A queſt impreſa non li piacque tore*
*L'Aquila bianca nel color celeſte,*
*Ma vn candido Liocorno, come giglio,*
*Vuol nello ſcudo, e'l campo habbia vermiglio.*

Non omittã etiam vſum fuiſſe apud Chinenſis Regis Gubernatores, vt Aquilã gerant ante pectus, vel poſt humeros, mira ac egregia opera contextam: In tergore Aquilæ effigiem habuit Apis Aegyptiorum Rex, vt tradit[p] Herodotus: In calceis verò ferre ſolitos eandem Imperatores auro textam legimus. Aquilæ veſtis in veſtimẽtis apud Chinenſes. Apis Aegyptiorũ Regis inſigne. [p] *In Thalia.*

Ex Aquilarum pennis, quòd fulmine tangi nunquam ſint creditæ, veteres capiti faſciculos plumeos circumponebant. Aquilarũ pennis antiqui caput ornabant.

Pingebant quoq; veteres Aquilas in delubris, & porticibus, vt apud[q] Pauſaniam Laconem legimus. *In porticu*, inquit, *ea quæ ad meridiem excurrit delubrum eſt Iouis Coſmetæ cognomento, & ante ipſum Tyndarei monumentum. At quæ in occaſum procedit, porticus habet Aquilas duas, quibus & victoriæ ſingulæ vehuntur, deuicto ſcilicet Antiocho Alcibiadis gubernatore, & oppreſſis Athenienſium triremibus apud Epheſum.* D. Auguſtus in Curia, quam in comitio conſecrabat, duas tabulas impreſſit parieti, quarum altera, cuius admiratio eſt, puberem habet ſeni patri maximè ſimilem, ſalua ętatis differentia, quibus ſuperuolabat Aquila Draconem complexa. Aquilæ in delubris pictę, & porticibus. [q] *Lib. 3.*

Interim verò dum in inſignium mentione verſamur, antequam memoria excidat, obiter Suetonij[r] locum reſtituere libet. Vbi enim ſcriptum eſt, *vt Aquilifero moranti cuſpide ſit comminatus*, legendum ex Plutarcho, *Aquilifer*, in caſu recto: confer hiſtoriam, & probabis. [r] *In Cæſare.*

A Ferrarienſibus Ducibus monetæ genus excuſum eſt, in quo Aquila eſt alas expandens,

inſignium eorum euidens ſimulacrum; ſed & antiquiſſimos Phocenſes accepimus hac nobili Aue monetam ſuam nobilitaſſe,& ab altera parte tripodem quoque addidiſſe. Apud Epirotas quondam etiam monetam fuiſſe legimus,quę Aquilam haberet fulmine ſubter pedes deiecto, & duos quercus ramos cum inſcriptione Dorica, Α'ϖειρωτᾶν. Hāc monetā [f] Valerianus Chaonias glandes & oracula Dodonæa ſignificare ſcribit. Neapolitanorum antiquorum monetæ aureæ olim Sirenem tumulo inſidentem, & lyram manu prehendentem ab vna parte habebāt impreſsā,ab altera verò victorię alatę ſimulacrum,quę vna manu coronā, altera Aquilā ferret.

[5] *Lib. 19. Hiero. De Imp. Maie.*

# VSVS AQVILARVM IN INSIGNIB. vulgò armis dictis.

Cauſæ digreſſionis.

IAM de Aquilæ vſu diximus tempore belli in clypeis, & pace in delubris & porticibus,alijſq; rebus & locis: nunc verò dicamus,quomodo Aquilas multi ad oſtentandum nobilitatis decus,in inſignibus,quæ vulgò Arma vocāt, adhibuerint,& in primis vndenam hæc arma originem ſumpſerint, quę eorum ratio, & vtendi modus ſit, paucis & in vniuerſum aliquid dicamus. Sed forſan quis non immeritò nos arguet,quòd in his Auium hiſtorijs,& pręcipuè iam in Aquilarum tractatione tam longè digrediamur. Quid enim commune videtur Aquilis Auibus,& eorum naturę cum inſignibus mutis, eorum vſu atq; inuentione? Sed hac in parte diuinū [a] Platonem imitamur,qui & ipſe multoties aliena ſuis immiſcet, non tam utilia,& ad ſubiectæ rei cognitionem pertinentia,quàm rerum varietate voluptuoſa & ſcitu digna. Cùm enim hæc Philoſophiæ pars, non tam,vt cæteræ,locuples ſit & fœcunda,& paucis hactenus abundè pertractata,itaque,quæ huc ſpectare poſſent,& noſtræ hiſtoriæ lucem addere, ſimulq; variarū rerum cognitione lectores allicere, ea non immeritò huc inſerenda duximus. Accedit,quòd multoties tam in his Auium hiſtorijs, quàm in alijs naturalium rerum pertexendis, non tam volucrium,quàm quadrupedum,piſcium,ſerpentum,exanguium,plantarum, & rerum inanimarum ſermo occurrat,& eorum vſus in inſignibus; itaq; quæ hæc illuſtrare poſſent,& ad eorum intelligentiam conducere, atque ne ea denuò repetere liceat,in hunc locum conferre volui. Id autem in Aquilis primo loco faciendum eſſe exiſtimaui,quòd nullum animal vel in maiori vnquam exiſtimatione habitum fuerit, & Imperatoribus, Regibus, Principibus, Imperijs totis,& Regnis maius vel nobilitatis vel virtutis ſignum exiſtimatum. Debui autem & morem gerere quibuſdam viriſilluſtribus, qui, vt hanc prouinciam ſuſciperem, quique apud me multum poſſunt, vehementer me exhortati ſunt. Si qui tamen ſint,quibus hæc minimè arrideant, ij ab harum lectione abſtineant velim,cùm etiam abſque his ſibi poſſint conſulere,& nihilominus hiſtoria hæc integra permanſura ſit. Sciant tamen velim procliuius eſſe aliquid reprehendere,quàm ipſe efficere. Atque in hoc maximè,quoad potui, elaboraui, vt non vni ſolùm, ſed & multis ſatisfacerem.

[a] *In Dial.*

Aquilæ maxima dignitas.

Sępenumerò certè admiratus ſum,cur in tanta inſignium,ſiue armorum vulgò & diuerſitate & copia, hactenus vel de eorum origine,vſu & varietate tam pauca ſcripta ſint, cùm tamen hoc vnum & verum nobilitatis monumētum omnes vno ore exiſtiment, & peculiarem familiarum notam,atque nemo non ijſdem inſigniri,& ornari gaudeat.

Inſignia vnde dicātur, & cur.

Inſignium nomen ex linguæ latinę videtur fluxiſſe inopia. Et certè vix aliud vocabulum huc magis quadrat,quòd hæc præcipua virtutis,& gentilitatis ſiue nota,ſiue ſignum ſit. Inuentio eorum multò fuit poſt Romanorum tempora. Nec inconſultò tamen aut ineptè inſignia armorum nomine vocata ſunt. Siquidem & antiquis,& noſtris in armis cęlari aut depingi ſolita ſunt,vt hinc vel armis tecti,& omni ex parte incogniti facilius agnoſcerentur. Atque in hoc ſenſu accipi illud poteſt [b] Virgilij:

Inſignia cur arma dicantur.

[b] *Li. 1. Aen.*

*Aut Capin, aut celſis in puppibus arma Caici.*

[c] *Li. 3. Aen.* Idem: [c]

*——Criſtaſq; comantes*
*Arma Neoptolemi.*

[d] *Li. 6. Aen.* Tanquam ſcilicet illæ criſtæ comantes eſſent ſua inſignia. Et [d] rurſus:

*Nomen & arma locum ſeruant.*

Quo in loco vbi Seruius inquit, arma depicta,hoc rectius de inſignibus, quàm de Armis propriè intellectis, imò vix de illis intelligi poteſt. Et [e] rurſus:

[e] *Lib. 10. Aen.*

*Pacem orare manu præfigere puppibus arma.*

Nam & huiuſmodi inſignia puppibus quoque ſolebant prefigi, vt idē author oſtendit,ſcribēs:

*——Aeneia*

——*Aeneia puppis*
*Prima tenet, roſtro Phrygios ſubuecta Leones.*

Vnde Leones Phrygum inſignia fuiſſe intelliges. Et quod hanc quoq; opinionem adiuuat, Donatus * Terentij enarrans locum: *Hanccine ego contumeliam tam inſignem in me accipiam?* ſcribit inſignia armorum eſſe. Cæterum [f] Virgilium inſigne ſingulariter pro eo, quod arma vulgò dicimus, videtur poſuiſſe:

——*Clypeoq; inſigne parentum.*

At [g] idem inſignia dicit:

*Ipſe oratores ad me, regniq; coronam*
*Cum ſceptro miſit, mandata inſignia Tharcon.*

Ex quibus etiam Regum fuiſſe propria quædam inſignia videmus. Et cùm inſignia homines oſtendant nobiles, hinc inſignes propriè dicti ſunt, qui ſigno quopiam præcellenti ſunt cæteris notiores. Noti.n. & inſignes eodem ſenſu dicuntur apud [h] Ciceronem. Vnde etiam [i] Lucanus:

——*Titulis inſignis Auorum.*

Et inſigne dicitur aliquid ſubſtantiuè, quod vulgò arma vocamus, & verbum inſignire eſt nobilitare. Vnde [k] Virgilius: ——*Paſſimq; trophæis*
*Inſignis agros.*

Et malè, vt mihi videtur, faciunt, qui notas eas, vel ſigna, quibus cauponę, officinę mercatorum & ſimilia interſtinguntur, inſignia appellant. Nulla enim neque uirtutis, neque gloriæ monumenta ſunt, ſed ſaltem habitationis indices, & pro uoluntate domini immutantur, alijſque etiã à ſua familia diuerſis cõmunia eſſe poſſunt. Crediderim autem omnino à tempore Lombardorum, & adeo à Carolo Magno uni noſtratum armorum cœpiſſe uſum. Nam Romani antea non armis, ſed imaginibus uſi ſunt, in memoriam geſtorum ſuorum, quęquè non deſcendebant ad poſteros. Cùm enim Italia tot Vãdalorum, Gottorum, Hunnorum, Saracenorum, & Lombardorum exercitibus, ueluti examinibus antea oppleta eſſet; & quia in pręda illa multiplici quamplurimæ lites, & factiones ortæ erant, quæ totam Italiam in plures partes diſciderunt; itaque præfecti militiæ & Principes ob egregiam in bello nauatam operam, aliquod grati animi indicium militibus ſuis exhibere uoluerunt, quod non tam rerum præclarè geſtarum monumentum eſſet, quàm quòd hoc incẽſi denuò, Ducibus ſuis ſtrenuam bello operam elocarẽt. Acceperunt itaq;, qui Lupas, Ceruas, Canes, Lutras; qui Aues, ut Aquilas; qui Plantas, ut Lilia, & alia huiuſmodi. Hæc igitur Arma nil aliud ſunt, quàm nobilitatis & rerum ſtrenuè geſtarum teſtimonium, cùm præſertim fuerint antiqua, & maximè à Principe maximo donata. Olim nobilitas Romanorum non ab Armis, ſed à cognominibus dignoſcebatur, & inter ſe diſtinguebantur. Quæ cognomina familiarum quandoque caſu, nonnunquam naturâ, aliquando moribus, & ab alijs facta ſunt. Vtputa naturâ dicebantur Planci à latitudine pedum, Craſſi à craſſitie, Cincinnati à capillis; caſu, ut Valerius Coruinus: moribus, Metellus celer, quia expeditiones ſuas peragebat celeriter: à loco, ut Scipio Africanus; ab agricultura; ut Lactucini à lactuca, Fabij à fabis, Piſones à piſis, Melij à milio, Frondiſij à frondem in capite geſtante milite Romano, cùm per Vulturnum fluuium nataret: ab animalibus, ut Scrophæ & ſimilibus.

Græci pariter nobiles non armis diſtinguebantur, ſed cognominibus; nempe Patronimicis. Nam Agamemnon & Menelaus dicti ſunt Atrides, id eſt, filij Atrei, Pelides Achilles Pelei filius, pariter Aeneades nepotes Aeneę; Alij à patria dicti ſunt, ut Alexander Macedo, Pyrrhus Epirota, Themiſtocles Athenienſis, Epaminundas Thebanus, Leonides Spartanus, Annibal Carthaginenſis.

Apud Hebręos nobiles erant, qui ex duodecim tribubus orti erant: extra hos putabant omnes naturâ uiles & abiectos.

Apud Africanos habebantur nobiles tantùm, qui è ſanguine Regali orti fuiſſent, uel à Sacerdotibus, reliqui in nulla exiſtimatione erant.

In Aſia non reperiebatur nobilis, niſi qui uel militiæ, uel Sacerdotij officijs fuiſſet deditus, atque in ijs uerſatus.

In Europa autem conſtat à Carolo Magno primò hæc nobilitatis inſignia emanaſſe. Fuit autem is Pipini filius natione Germanus, patria Francus, armis potens, Franciæ Rex, & Imperator Germanus, & primus, qui Romano Imperio totam Germaniam ſubiecit, aut Romanum Imperium ad Germanos tranſtulit. Vera igitur Arma fuêre cõceſſa & donata ab Imperatoribus: poſt hũc & Regibus, atq; ijs ſaltem, qui in bello ſtrenuè ſeſe geſſerint. Nulli enim dabatur, niſi militia hoſce honores aſſequi. Sunt enim Arma ęternę gloriæ monumenta, quam ſolam eſſe exiſtimarunt ſemper homines, aut omnium maximam, quæ bello paratur. Et Arma

* *In Eunucho.*
[f] *Li.7. Aen.*
[g] *Li.8. Aen.*
[h] *Lib. 3. ad Heren.*
[i] *Lib.8.*
[k] *Lib. 11. Aen.*

Qui dicantur inſignes.
Signa cauponũ & ſimilia nõ dicuntur inſignia.
Origo inſignium.
Romani imaginibus vtebantur nõ inſignibus noſtratibus.
Quid ſint Arma.
Romani nobiles dignoſcebantur à cognominibus.
Græci nobiles quo dignoſcebantur.
Apud Hebræos qui fuerint nobiles.
Apud Afros qui fuerint nobiles.
Nobiles Aſiani qui.
Inſignia à Carlo Magno.
Carolus Magnus qui fuerit.
Arma dabãtur ſolis militia præclaris.

vocantur, quòd in armis parta sint. Fama est sub hoc Carolo meliores equites fuisse in militia, quàm sub alijs vnquam Principibus.

Arma cur data à Principibus.

Sed vt arma ob præclara gesta, atq; adeo in bello saltem à summis Principibus data sunt, ita non tam ijs, qui ea benemeritis suis acquisiuerunt, quàm omnibus, ad quos eorum hæreditas peruenerit, maximam impartiri atque conferre videntur nobilitatem, quemadmodum multis rationibus docet [l] Raynerius. Vnde nõ nisi nobilibus licere deferre armorum insignia videtur. Nam nulla alia ratione videri potest Princeps cõferre nobilitatem, dum insignia concedit, nisi quia insignia nobilibus tantùm dicata sunt, & propterea si quibus dantur, ijs etiam quod nobilium proprium est, nobilitatem conferunt. Quare plebeis haudquaquam conueniet, si quę alicui à Principe data sint, arma deferre. Sunt enim Principis, & Principis munere benemeritis concessa. Hoc etiam conferunt, vt per arma quæque familiæ, & agnationes cognoscantur, eorumq; veluti signa sint & notæ. Habuit & antiquitas suas notas, quibus uniuscuiusq; genus, & familia ab alijs discerneretur. Tale quid refert [m] Ouidius.

[l] *In tract. nobil. in p. q. 3. q. in prin.*

Insignia dantur nobilibus tantùm.

Antiquorũ insignia.

[m] *Metam. 7.*

*Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra,*
*Cùm pater in capulo gladij cognouit eburno*
*Signa sui generis.*

Sic [n] Suetonius inquit de Caligula: *Cætera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem.* Sed hæc eadem planè diuersa esse à nostris insignibus res ipsa loquitur, & multas ijs caruisse familias facilè mihi persuadeo.

[n] *In Caligula. c. 35.*

Armorum dignitas.

Alexander Magnus quos honorarit.

Arma nostratia maximę semper admirationi fuerũt, & peculiaribus priuilegijs donata sunt. Arma enim quauis vel depicta, uel affixa, maximè transeuntes morari solent, & cognoscendi cupidos efficere, quis eò loci degat, quisnam possideat, qui sint maiores, quid præclarè gesserint, qui adhuc uiuant ex eo genere, qua dignitate & æstimatione, & similia. Legitur de Alexandro Magno, quod summa voluptate intuebatur similia spectacula, atque si id insigne alicuius virtutis monumentum esse compererat, tum vel magno honore id afficiebat. Sic summo gaudio Achillis sepulchrum spectasse dicitur, solitusq; est, si quis strenuè sese in bello gessisset, aliquo honoris signo eum decorare, in virtutis testimonium. Illud tamen signum, vt & apud Romanos non transibat ad posteros, nec nobilitatem illorum commendabat, vt apud nos hodiè fieri solitum est. Habebant quidem Romani suorum antecessorum imagines, quorum spectata & accommodata reipub. virtus fuit, quas tam in locis publicis, quàm priuatis collocabant, vt his admoniti posteri maiorum vestigia sibi sequenda ducerent. Quapropter *Pisonem* [o] Cicero *imaginibus fumosis maiorũ suorum decepti fuisse* ait. Verùm & hæc insignium ratio, à nostris aliena est.

Imagines Romanorũ in locis publicis & priuatis positæ, & cur.

[o] *In Pisonẽ.*

Armorum priuilegia.

Tantæ dignitatis apud nos arma sunt, ut, si quà eruantur è fundamentis, uel incisa, uel sculpta, & cognita; locus is, unde eruta sint, domino armorum cedat: nec licitum est ea abradi, donec ille locus à legitimo armorum domino venditus fuerit. Si qua fortè fortuna fuerint depicta in aliquo pariete, tum parietem, cuius hęc arma sint, esse probant: aut saltem ex ea parte, vbi sunt. Nam credibile est, nullum concessurum, vt quis sua insignia alieno loco collocet. Arma etiam haudquaquam transeunt ad affines & cognatos, vt nuptis sororibus. Honor enim tantũ debet remanere apud agnatos, vt inquit [p] Bartholus; Suntq; arma honor ipsius domus, & breui fieret omnium familiarum permistio. Videmus tamen alicubi obseruari, vt & ad cognatos & affines transeant: Hoc pacto cum adiunctione in parte vna armorum alterius familiæ, ex sinistra maximè: atque ad eos, qui ab his descendunt. Nam diuisim in dextra parte arma patris pinguntur, in sinistra matris. Et quamuis in domo paterna, aut qui à patribus, id est, masculis descendunt, incorrupta serie permaneant, ab his tamen ad hæredes arma haudquaquam transeunt, qui commisêre crimen læsæ maiestatis tam diuinæ, quàm humanæ, qui fuere proditores, qui falsarij, qui parricidæ, vel aliud enorme commiserunt. Memoria enim eorum de iure deleri debet, cùm turpius eijciatur hospes, quàm non admittatur. Nec transeunt arma ad fideicommissarium, sed tantùm ad dominum directum hæredem. Sed hoc etiam arma peculiare habent, vt quamuis omnibus liberis æquè sint communia, incorrupta tamen apud eum solum remanent, penes quẽ dignitas & prærogatiua familię est, & in quo tanquã in capite stat splendor genituræ. Et hoc apud Gallos obseruari videmus, apud quos insignia auita plana, & nullatenus immutata ferunt primogeniti, cæteri aliud quidpiam illis admiscent, aut barram, quã vocant, aut teniam, aut simile quid. Ideo primogenito primus debetur honos, & is omnes anteit domi, forisq;. Nothis præterea, & illegitimã copula natis filijs maiorum suorũ insignia haudquaquam ferre licebat integra, sed quadamtenus immutata. Tanto in pretio apud maiores nostros paulò pòst Caroli illius Magni tempora fuerunt arma, secus quàm hodiè apud nos. In Gallia tamen, & Neapoli adhuc tales teniã luteam admiscent, vti & apud quasdam nationes idem vsu venit, vt aliqua ex parte insignia permutentur: Baldus tamen legitimatis, vt vocãt, integra

[p] *Tract. de armis.*

Armorum proprietas vt ad affines nõ trãseant.

Arma quõ ad affines transeant.

Armis qui priuentur.

Arma non transeũtad fideicõmissarium.

Arma ĩcorrupta qui seruent.

Galli quibus sua arma dent.

Spuriorum arma qualia.

integra ſuorum inſignia ferre poſſe etiam concedit. Sic prohibitum eſt, vt priuatis & plebeis, nobilium armis haudquaquam vti liceat. Non equidem interdictum eſt, vt armis vtantur, ſi tamen notæ potius, & ſigna, quàm arma dicenda ſunt, ſed benè quo modo iam diximus. Certè apud quaſque gentes priuati ab ingenuis, certis quibuſdam ſignis diſtincti ſunt. Sic apud Agathyrſos humiles, id eſt, ignobiles minutis, rariſque notis, id eſt, inſignibus, nobiles verò latis, tucatis, & denſioribus vtebantur, vt ſcribit Ammianus Marcellinus. Sed ratum eſt, notas, & inſignia virtutum, niſi a Principibus concedantur, ignobiles haudquaquam vſurpare poſſe, licet Panormitanus id velle videatur, vt etiam plebei arma deferant, dum dicit: *ſunt quædam inſignia nobilium, quædam popularium, ſed non poteſt ignobilis cuiuſquam nobilis inſignia aſſumere*, vt etiam Baldus docet, & nos ſuprà diximus. Quare ne quid tale vnquam vſu veniat, & præcipuè, ſi quædam familia defecerit, itaq; conſuetum eſt, vt arma vnà cũ eo condantur, & ſepeliantur, in quo ſtemma, ſeu genus auitum nullis hæredibus maſculis poſt ſe relictis euaneſcat. Quibus cæremonijs demonſtratur vnà cum nomine, & res geſtas, & rerum geſtarum notas, cui hæc ſors tulerit, interijſſe, & perpetua terræ caligine obrutas eſſe. Principem tamen ſua ipſius arma benè de ſe meritis poſſe cõcedere, quibuſdam placet. Videmus tale quid hodiè in Italia vſurpari. Iuriſperiti id ſimpliciter fieri poſſe negãt, ſed ſemper aliquid addendũ eſſe ad diſtinctionem. Atq; ex his videre licet, quo in loco, qua dignitate inſignia nobilitatis, ſeu arma, vt vocãt, vſque dum eorum vſus eſt inuentus, habita fuere. Atque ea ſaltem à ſummis Principibus, id eſt, Imperatoribus, & regibus elargiri conſuetum eſt. Quare legibus ciuilibus cautum eſt, præſetim apud Bartholum, quod magis prodeſt arma habere à Principe, quàm à ſeiipſis, niſi Princeps conceſſiſſet, alioqui arma alterius familiæ nobiliſſima. Tũc enim tale priuilegium conceſſum à Principe, intelligitur ſine præiudicio tertij. Quapropter ſi Princeps conced t arma alicui noua, quæ quis non habuit alias, prohiberi nequit: ſecus ſi quis ſolitus eſt geſtare ea, iam ab antiqua patrũ memoria, & quorũ origo non extaret. Tunc enim is conqueri poſſet hac de re, quòd Princeps non intelligatur aliquid feciſſe in præiudicium illius, niſi ipſe diceret, NON OBSTANTE &c. Sed contingit aliquando, vt duo eadem arma ſumpſerint, nec conſtet, quiſnam illorum, vel prior, vel poſteriot fuerit, tùm ille præferendus eſt, qui ea à Principe habuit. Et certè maxima eſt armorum authoritas, ſi à ſummis Principibus defluxerint, vnde Bartholus de Leone rubeo à Carolo IIII. Imp. ſibi donato ſummè gloriabatur.

Priuati nõ poſſunt geſtare inſignia nobilium.

Priuati quo cognoſcantur ab ingenuis.

Arma cum quibus ſepeliantur, & quare.

Arma quæ nobiliora.

Princeps arma nõ concedit cum præiudicio alterius.

Cæterùm ex his multę dubitationes oriuntur, & præcipuè ob authorum, quos huius rei gratia adiuimus, diſcrepantiam: res, vt eſt incerta, ita difficillima & periculoſa. Deſumuntur autem dubitationes hæ partim àb armis ipſis, partim à perſonis, quæ ea geſtant. Sed de illis primùm. Videmus paſſim arma galea inſignita eſſe (nam hîc arma vnà cum ſcuto intelligimus) videmus etiam in quibus illa deeſt: & ſi qui eam habeãt, ijs partim occluſa, partim aperta eſt. Sic dubitatur, nunquid ij præferendi ſint, qui res animatas in ſcutis geſtant, an qui inanimas? atque ex illis, ijne potiores, qui quadrupedes, an qui uolucres habeant. Qui hominis figurã geſtant, pauci ſunt, ijque haudquaquam ſummi, quod ego ſcio. Multi dicunt ex galea ſeu caſſide, quam cimiero uulgò uocant, nobilitatem deprehendi. Quorum enim arma impoſitam habent galeã, eos nobiliores affirmant, alios uerò minus. Tales enim à Principibus ſummis ob res bello præclarè geſtas, hiſce inſignibus donatos uolunt. Sic maioris nobilitatis eſſe referũt, in quibus prómuſcis, aut galeæ facies aperta eſt: minoris, in quibus occluſa. Sed neutrum perpetuum eſt, & inueniuntur præſtantiores quique qui caſſides occluſas habent, & minores, qui apertas: uti & in Italia, & Hiſpania inueniuntur, quibus nulla in inſignibus galeæ appoſita eſt, ſiue modo eam unquam habuerint, ſiue non, nos latet. Hoc equidem ſcimus, multorum clypeos haudquaquã galeatos eſſe. Eodẽ pacto inuenies, qui animata in inſignibus nobiliora dicant rebus inanimis. Nec ratio deficit. Inueniemus tamen eccellentiſſimas quaſdam familias, quinimo Principes & Reges fruges geſtare, flores, uexilla, uaſa, & alia eiuſmodi, animatis per ſe longè ignobiliora. Quadrupeda præſtantiora eſſe uolatilibus, quis credat facilè. Si tamen hac in parte noſtrum iudicium quis expectat, præcipuè cùm loquamur de ijs rebus, quæ opinione potius, quàm ratione conſtant, fortaſſis Aues nobiliores dicemus, quadrupedibus, & præcipuè Aues generoſiſſimas, quibus præ cæteris Imperatores, Reges, ſummoſq; Duces delectatos fuiſſe nouimus. Aues enim aërem magis, & ignem, quæ elemẽtorum excellentiſſima ſunt, quàm aquam & terram participant. Et certè hæ magis Magnatum inſignibus conueniunt, quum quòd in ſublimi uiuant, excellentioriſq; cuiuſdã, & diuinæ naturæ uideantur terreſtribus, & præcipuè Aquila, quàm quòd uolucrium omnium regina exiſtimetur Aquila, & in maximo ſemper honore habita fuerit, non ſolùm apud ethnicos, qui ipſam loui, utpote ſummo Deorum conſecrarunt, ſed etiam in ſacris literis, ubi D. Iohanni Euangeliſtarum maximo aſcripta eſt.

Dubitationes quædã de armorũ nobilitate.

Nunquid galeę in armis, eaque aperta maiorem nobilitatem afferat, quã ſi nulla adſit, aut occluſa.

Nunquid res animatæ in armis quam inanimæ nobiliores faciant.

Nunquid Aues ſint præſtantiores quadrupedibus in armis.

Opinio propria.

Auium nobilitas.

Aquilę maximus honor.

Sed longè difficilior iam emanat quæſtio: nunquid illi præferendi ſint, quorũ inſignibus cognomina

Arma coniũcta cum nominibus an nobiliora ijs quæ nomina ab illis diuerſa habent.

gnomina reſpondent, an quibus minus, atque ſi nomina ab armis diuerſa ſint, an qui à publicis rebus, uel ciuitatibus, uel prouincijs, uel regnis denominantur. Sunt multæ familiæ, quibus nomina cum inſignibus reſpondẽt, ut Columnæ à Columna, Caſtiliones a caſtello, Criuelli a cribro, Rouorei à robore, Moroni à moris, Gambari à Gammaro, Turriani a turre, Maleſpini à ſpina. Sunt, quibus aliud nomen eſt, aliud inſigne, ut familia Eſtenſis, Gonzaga, Farneſia, Vicecomitum, Seuerina, Sforcia, Rangoniorum, Palauicinorum, Beccariorum, Borrhomeorum, Balionum, Roſſorum, Pepulorum, Malueziorum, Boncompagnia, & multi alij. Verùntamen vt alij alijs ſint nobiliores, nulla ratio reddi poteſt, & ſunt ex his, qui & antiquiores, & nobiliores illis exiſtimantur: ſunt qui non ſint adeo celebres. Certè inter has tam inſignes & illuſtres familias iudicare de præſtantia velle, valdè odioſum eſt. Ex his & alijs, ſunt, quorum appellatio eſt à familijs vnà cum titulo ciuitatis: è contrario quidam tam arma, quàm cognomina à prouincijs habent. Exempli gratia, cum armis familiæ ſuæ appellatur dux Mediolani, ſic dux Florentię cum Mediceis, ſic Parmę & Placentiæ dux cum Farneſijs, ſic dux Ferrariæ, Vrbini, Mantuæ, Medinæ, & multi in regno Neapolitano, qui cum loci titulo parentum inſignia coniungunt. At Archidux Auſtriæ, Dux Sabaudiæ, Saxoniæ, & quamplurimi alij titulum habent & arma à ſuis prouincijs, vt Reges faciũt. Rationi quidem conſentaneum eſt, vt arma Prouinciarum maioris ſint dignitatis, & præferri debeant illis, quæ à familijs cum titulo ciuitatis profluunt. Ego tamen, ſi licet, dicerem, quod titulus antiquior, & dominium antiquius in longa ſucceſſione, & poſſeſſione procedere debeat minus antiquum, niſi tamen in eo etiam minus antiquo ſit maior virtus, & tituli plures regnorum, & prouinciarum ſimul concurrant, quæ omnia, quamuis ſint recentiora, antiquis tamen præferenda ſunt. Quidam credunt in his arma illius eſſe prouinciæ, atque tum Principem eum arma publica gerere, non priuata. Nam quamuis dux Sabaudiæ, exempli loco, gerat crucem albam, non tamen eius arma eſſe aſſerunt, ſed ſuarum prouinciarum, quas ritè poſſidet. Veriſimile tamen eſt, etiam Principes paulò inferiores regibus eundem, quem Reges, ſeruare morem, qui & ipſi ſuorum regnorum, & prouinciarum armis vtuntur. Itaque quemadmodum de his, ita de illis iudicare haud fuerit abſonum.

Nũquid arma illorum nobiliora ſint, qui à priuata familia cũ titulo Ciuitatis ſic appellantur: an qui nullo familię nomine coniũcto à prouincijs denominant.

Principes i armis regios mores obſeruant.

Quibuſmodis arma acquirant.

Veràm arma hactenus elegerunt quidam caſu, quidam dedita opera, quidam conceſſione Principum, atque hæc vel gratia, vel corruptione, vel perſuaſione, vel voluptate, vel ob honeſtam quamuis occaſionem, quarum hæc omni exceptione maiora, ac præſtantiora ſunt. Vnde fit, vt elapſo aliquo ſeculo, ſine diſcrimine eodem loco omnia hebeantur, & ſimul nobilitatem æquè atteſtẽtur: ſiue caſu, ſiue honeſtis actionibus, ſiue alia quauis occaſione, ea quis nactus fuerit. Sic omnia delet ac cõfundit antiquitas. Solent autem arma inſcribi, exſculpiue, vel in marmore, vel lapide, vel ære, vel ſimilibus. Effinguntur quandoq; forma ſcuti, nonnunquam clypei, quandoq; parmis, aliquando teſſellis, & huiuſmodi. Scuta fiunt diuerſo modo; uel enim forma trigona, uel & ut plurimùm rotunda, uel non rotunda, ſed ex utroque latere reciſa, ita ut nullos angulos habere uideantur, aut ſaltem mixtos, qualia forſan Ancylia Romanorum erant, dicta uel ab am, & cęſum, quaſi rancidum, uel ab ἄγκων, quod eſt cubitus, uel ab ἀκὸς, quòd remediũ peſtilentiæ fuerint. Fertur Ancyle Numæ tempeſtate de cælo decidiſſe, unàq; editã uocem, omnium potentiſſimam fore Vrbem, quandiu in ea Ancyle permanſiſſet. Itaque facta ſunt eiuſdem generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœleſte poſſit, de hoc [q] Ouidius.

Armorum ſculptura, & figura. Scutorũ diuerſitas. Ancylia q.

[q] *Faſtor. 3.*

*Ecce leui ſcutum verſatum leniter aura*
*Decidit:* &paulò pòſt:
*Idque Ancyle vocant, quod ab omni parte reciſum eſt,*
*Quodque notes oculis, angulus omnis abeſt.*

[r] *Lib. 1.*

[r] Liuius pariter:
*Salios item duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæ pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam pectori tegmen, cæleſtiaq; arma, quæ Ancylia appellantur, ferre, ac per Vrbem ire canentes carmina, cum tripudijs, ſolennique ſaltatu iuſſit:* Horatius hoc Ancylium declinauit, cùm ait:
*Ancyliorum nominis & togæ.*
Inuenalis adiectiuum fecit; cùm dixit:
——*Clypeis Ancylibus.*

Colores armorum. Color nobilior quis in armis.

Colores autem in inſignibus maximè aduertendi ſunt, ne, qui in areis inſignium ponuntur, imagines obſcurent, ſed clariores, atque iucundiores reddant. Tales ſunt cæruleus, luteus, albus; nunquam viridis & niger, & rarò ruber ad obſcurum tendens. Sic color cæteris nobilior, ſcilicet ſi arma ſint verſicoloria, primo loco poni debet. Primus autem eſt, qui ſuperior. Ignobiliores colores, ſecundo, tertio, &c. ſeruato tamen ordine. Porrò naturam animalium, quæ in inſignibus apponuntur, decet aduertere, utputa, ſi fuerint Aues, vt Aquila, tum ſtare debent. Alioquin mala eſſent. Quapropter ſi ponatur Aquila aurea ſeu Chryſaëtos ſupra herbulam,

Animalia quõ pingẽda i armis.

uel

uel florem, aut Narcissi, aut Hyacinthi, cùm id sua natura non postulet, itaq; eam sic collocare indecorum erit. Si quis etiam terrestrem Auem in aqua pingeret, utique & is præter regulam faceret: ut si quis piscem in arbore, uel aëre effingeret, uel supra terram, ubi nec uiuit, nec stare potest. Vel si efformaretur bos in aëre, uel aqua, uti arma antiqua Alecctsium, quæ bouẽ è nube egredientem habẽt, hoc enim naturæ bouis, ut è nube egrediatur, contrarium est. Nam bos haudquaquam uolat.

Ratio autem in eligendis armis hæc obseruanda esset, ut quisque pro sua conditione & statu ea effingat. Quod Gordium bubulcũ fecisse nouimus, qui cùm regnum Phrygię acquisiuisset, & filium nactus esset Midam, ciuitatem extruxit inter minorem Asiam & maiorem, Gordiam, neque tæduit ipsum, neque puduit conditionem suam humilem fateri, sed pro insigni familiæ suę aratrum sumpsit, atque ex funibus, quibus utebatur ad nectendos aratro boues, mirabilem illum nodum connexit, Gordium, regni sui fatum. Nec filius Midas originem suam asserere opprobrio sibi duxit, quippe qui sciebat summam esse laudem, ab angustis rebus ad eximias prouectum fuisse, & quòd non infimus honor sit, suam & suorũ sortem cõfiteri: uti patres suos, quasi superbia quadam negare, maximè illiberale est, & dedecori. Fuerunt etiam, quibus pro insignibus imagines non tam præteritæ conditionis indices, quàm symbola ad uitam utilibus præceptis instruendam accommodata, magis placuerunt. Sic Vlysses in clypeo Delphinum gestasse Lycophron obscuro illo Pleiadico lumine nobis indicauit. Significauit callidus ille, se animalis eius dotes maximè sequi uelle, quòd simul et humanitate, & musices amore & mira celeritate cæteris præstaret omnibus uel terra, uel mari uitam degentibus. Et sunt profectò id genus insignia tantò illis, quę de rebus à maiorum quopiam præclarè gestis accipiuntur, excellentiora, quantò habẽt plus cùm artis & ingenij, tùm efficaciæ ad animos monitu suo perpetuò in officio continendos. Videor mihi, dum hæc Vlyssis arma intueor, ipsum dicentem audire.

Arma qũo eligenda.

Gordij bubulci arma

Vlyssis insignia.

*Et genus & proauos, & quid non fecimus ipsi,*
*Vix ea nostra puto.*

Contrarium obseruauit [r] Virgilius in Auentino Herculis prole, qui

*Clypeo insigne parentum*
*Centum angues, cinctamq; gerit serpentibus Hydram.*

[r] *Li. 7. Aen.* Arma Auẽtini Herculis filij.

Et rectè quidem. Quum enim cuiuis alij Poëta militaria insignia à paterna virtute sumpta dare poterat, tum ei conuenientissimè applicauit, cui præter maiorum decus, nihil amplius erat adscripturus.

Homerus ille Poëtarum Apollo (atq; hæc omnium armorum regula sit & norma) animaduertens studiosè à plerisq; generis claritatem in armis prę ferri solere, illustrissimo nos exemplo docere voluit, quid nam illud esset, quod homines maximè nobilitaret, ac Dijs ipsis proximos collocaret. Hic enim Achilli suo clypei insignia non à Thetidis, non à Pelei, non à Iouis, à quibus genus ducebat, splendore petenda sibi putauit; tametsi ab hoc fulmen, quo arma terribilia redderet, potuisset mutuari: verùm altius humani supputans animi decus, rectam nobis ad veram nobilitatem viam ostendit. Ea enim clypeo insculpsit, quorum inspectu animus noster ad summi Opificis rapitur contemplationem, quæ cùm summum bonorum complectatur, summam quoque absoluit nobilitatem. Primùm enim omnium siderum varietatem in scuto Vulcanus depinxit, tum pacis & belli artes omnes, & officia addidit, nulla ferè earum rerum parte, quæ ad hominum cœtus benè gubernandos spectant, omissa. Quo quid aliud voluit indicatum, quam illud firmissimum ad omnem malorum impetum propulsandum homini scutum esse, si tota sese sapientiæ panoplia armarit, atque etiam quibusuis aduersitatibus obiecerit? Nec interim ociosam & inertem laudat Philosophiam, sed eam, quam ab ordinatis astrorum motionibus ad rempubl. gubernandam detraxit, vnà & exemplar, & finem rerum gerendarum proponens, vnà ipsius exemplaris inter homines vsum exponens. Videant modò qui totam nobilitatem cædibus & sanguine metiuntur, quàm longè ab Homerica nobilitate absint, quàmq; nihil habeant cum ea communionis Pyrgopolinicæ illi, qui sibi eo maximè nomine placent, quòd nihil vnquam didicerint humanioris disciplinæ. Conferãt hoc scutum Achillis, qui volent, cum ijs, in quibus Aquilæ, Gryphes, Leones, Pardales, & id genus carniuorę feræ cernuntur; & examinent quanto plus ad omnem vim propulsandam illud, quàm hæc habeãt firmitatis. Hoc enim in sola philosophia inuenient, quod latinum scuti nomen se perfecturum profitetur. At contrà Leonibus, beluis ad omnem ingenij cultum ineptis tantum abest, vt quicquam cernas, quod satis virium habeat ad hominem ab aduersis defendẽdum, vt ipsæ hæ feræ, ne sese quidem vel à minimorum animalculorum iniurijs, vel à viliſſimæ rei obiectu queant tueri. Notum est illud de Scarabeo & Aquila iactatum prouerbium. Iam

Homerus rectã in armis eligendis rationẽ docet.

Achillis insignia.

quid

quid Leone minus tutum,cui vel ſola pœnula iniecta omnem ad ſalutem animũ adimit? Quorſum igitur horũ imagines in ſcutis præferuntur, quaſi in ijs momentum aliquod ſit ad iniurias propulſandas, & pericula declinanda? Certè quia nihil æquè atq; philoſophia ab aduerſis omnibus tuetur, nihil eius explicatu aptius eſt ad ſcutum exornandum & honeſtius.

Hactenus igitur in vniuerſum de armorum ortu, & vſu paucula, & quantum res paſſa eſt, docuimus. Nunc qui Principes, ac illuſtriores familiæ, nec non quę Vrbes, ac integræ regiones Aquilæ nobiliſſimæ Auis iconem in inſignibus ſuis vſurparunt, iam exhibemus. Sumus autem de Aquilis dicturi ſaltem, cùm quòd hiſce hîc dicendi locus eſt, tùm quia qui alijs, uel Auibus, uel quadrupedibus, uel piſcibus, uel exanguibus, uel plantis, uel ſimilibus in inſignibus uſi ſunt, eorum ſeriem ſingulis harum rerum capitibus ſuo loco inſeremus.

Cur in hac particulari armorũ tractatione Aquilarũ ſaltẽ fiat mentio.

Quidam igitur unam habent Aquilam, quidam plures: & qui unam, uel integram, uel dimidiato corpore; rurſum qui integram, uel bicipitem, uel capite ſingulari: Et tandem aliqui, uel has totas habent, uel cum uarijs rebus admixtas.

Aquila biceps Imperatoris propria.

De bicipite, ut nobiliſſima, ſoliſq; Imperatoribus propria, primùm dicere decreui. Ea tranſlato à Romanis Cæſaribus imperio per Carolum Magnum ad Germanos, cœpta eſt uſurpari: Quamuis id VVolfgangus Lazius, ut [t] Claudius Paradinus innuit, ad Conſtantinum Magnũ referat. Inclinatis enim Romani imperij rebus Conſtantinus, & pacatis tunc utcumque bellorum tumultibus, priſtinæq; quaſi tranquillitati, & dignitati reſtituta Roma, nobiliſſimum illud Aquilæ inſigne Byzantium quidem tranſtulit, bicipitem tamen non fecit. Illud enim à Carolo Magno quadringentis poſt illum annis, anno uidelicet poſt partum ſalutiferum 576. factum eſt. Rectè itaque noſter [u] Arioſtus:

[t] *In Emblc. Præpetes pœnna.*

[u] *Cant. 46. Stan. 84.*

*Quel Conſtantin, di cui doler ſi debbe*
*La bella Italia, fin che giri il Cielo,*
*Conſtantin poi che'l Teuere gl' increbbe*
*Portò in Bizantio il pretioſo uelo.*

Et eo antiquior Dantes:

*Poſcia che Conſtantin l'Aquila uolſe*
*Contra l'ordin del ciel, che la ſeguio*
*Dietro l'antico, che Lauinia tolſe.*
*Cento, e cent'anni più l'vccel di Dio,*
*Ne l'eſtremo d'Europa ci ritiene*
*Vicina à monti, di quà prima vſcio,*
*E ſotto l'ombra delle ſacre penne*
*Gouernò il mondo lì di mano in mano,*
*E ſi cangiando in sù la via ſi tenne.*

Dicit autem Aquilam volatu cælorũ motibus aduerſo delatam non temerè Poëta. Cùm enim cælũ ab Oriente in Occidentem verſetur, tum contraria via ab Occidente in Orientem, nempe Roma in Thraciam cum dignitate Romani imperij Aquila translata fuit. Eius figuram uarij uariè explicant. Hinc enim Aquilam Imperatoriam bicipitem eſſe uolunt, quòd tam ſpiritualia, quàm temporalia, quæ gemino capite oſtenduntur, defendere, ad Imperatores ſpectet: uel quòd Imperatores utriq; tam Orienti, quàm Occidenti imperare debeant, & utrumq; cuſtodire. Verùm etſi ad alias, atq; alias gentes diuerſis ætatibus Aquila migrauerit, nunquam tamen huiuſce bellicoſæ Alitis inſigni Roma deſtituta fuit: ſed ab omnibus, qui poſt Carolum Magnum regnarunt, Cæſaribus etiam uſurpata eſt, eaq; biceps. Ad quam pulcrè admodum, ac lepidè alluſit Aloyſius Alemannus in hoc ſuo carmine Thuſco:

*——El' Aquila griffagna,*
*Che per meglio beccar due teſte porta.*

Huc pertinet feſtiuum etiam illud Andreę Pomerani, Gallorum Regis tum aulici apophthegma: qui, cùm rumor eſſet, armata manu Carolum Quintum uelle inuadere Galliam, alijq; uel hanc uel illam Galliæ partem fortiter muniendam Regi ſuaderent, per iocum Anſeri primùm ab Aquilæ impetu cauendum eſſe, ſibi uideri dixit, alludens ad commune nomẽ Narbonenſis Galliæ, quæ lingua d'Ocha, hoc eſt, lingua Anſeris appellatur. Huius Auis bicipitis effigiem etiam in pompis illis magnificentiſſimis, dum Carolus Quintus à Clemente VII. Pontifice Maximo corona Rom. Imperij aurea inſigniretur, noſtro æuo Bononiæ vidimus. Tum enim Aquila biceps inter duos Leones, quorum alter album, alter rubrum uinum ſingulari artificio effunderet, in foro erecta fuit.

Aquila biceps in coronatione Caroli V.

Aquila biceps cum alijs admixtis.

Imperatrix Maria Auſtriaca termaxima, Imperatoris coniux, mater, filia, in primis vſa eſt Aquilâ bicipiti, ſed cui intra duas ceruices corona erat, & ſupra eam crux, & in pectore ſcutulum cum Sereniſſimæ Auſtriacæ familiæ inſignibus.

Regum

Regum Longobardorũ insigne erat scutum quadripartitum,& in vna parte Aquila biceps, rubra,in aureo campo;in altera aureus Leo,in campo rubro. Non in consultò fortassis bellicosos hosce Reges rubram Aquilam sibi elegisse, quispiam autumet, propter coloris inter alios nobilitatem. Legibus olim sancitum fuisse legimus,ne qui nisi sanguine clarus eo uteretur. Talis enim color audaciam pugnantibus addit,& pyropo pretiosissimæ gemmæ comparatur. Sed præstantia eius inde potissimùm innotuit,quod vexillum illud,quod miraculosè cælitus Regibus Galliæ traditum legimus,eius coloris fuerit. Insignia Longobar. Coloris rubri præstantia.

Dicunt quidam Marchiones Austriacos Aquila bicipiti sola vsos esse. Anteà Alaudas quinque vsurpabant,quas pro insigni habuit Alauda legio militum Austriacorum sub M. Aurelio, & sub Traiano in bello Dacico. Hodie tamen aliud Austriacis insigne est,nempe fascia alba & lata transuersim ducta,in scuto sanguineo. Marchiones Austriaci. Alauda legio.

VVittẽbergensis regio scutum habet quadripartitum,in supera parte à dextris tesscllæ, à sinistris tria rastra:in inferna à dextris vexillum,in quo Aquila biceps,ab altera parte duo pisces, qui contemplantibus Lucij videntur. VVitenbergẽsis regio.

Ex familijs nobilibus, quibus Aquilę bicipitis insigne fuit, Albitij sunt, familia Veneta amplissima. Est autem Aquila coloris rubri in campo aureo. Albitij.

Cominorum etiam familia Veneta,Aquilam bicipitem auream habet, in campo cæruleo. Comini.

Cornouigiorum nobilis item eiusdem Vrbis familia, Aquila bicipiti vtitur eiusdem coloris, sed in campo rubro. Cornouigij

Aquila item bicipiti vsa est illustris Crassorum,seu de Grassis apud Bononienses familia. Est autem discolor, cuius dextrum caput corporis nigri diademate insignitum est,in campo albo: alterum corporis albi coronatum in campo nigro,& tribus lilijs suprà adornatum. Habuit hęc familia homines singulares: Cardinales, sub Eugenio tertio Hildebrandum, sub Alex. tertio Lesbium,vt[r] Carolus Sigonius quoque testatur, sub Iulio secundo Achillem Præsb. Cardinalem,& Episcopum ciuitatis Castelli,& rotæ item auditorem, demum sub Pio Quinto Carolũ. Habuit & Episcopos,è quibus instar omnium,est Hannibal Episcopus Fauentinus à Gregorio XIII. ad Regem Catholicum Legatus, vt de recens nato illi filio congratularetur,& Senatores multos,vt Achillem Equitem,Io: Antonium, Gasparum,eiusque filium Fuluium, virum amplissimum,dum hæc scriberem,iustitiæ vexilliferũ,quę dignitas in nostra repub.summa est. Crassi, seu Grassi. [r] *Lib. 3. de Episc. Bon.*

Henrico de Cardone Hispano Cardinali sub Clemente septimo, & Archiepiscopo montis Regalis insigne erat scutum bipartitum, cuius inferior pars habebat nigram Aquilam bicipitem,superior Leonem cum duobus castris. Cardinalis de Cardone.

Theodorus Panuinio,vel Christophorus Sãsuino,Paleologus Marchio Montisferrati,Protonotarius Apostolicus, Cardinalis sub Paulo secundo, Aquila bicipiti usus est, cum alijs insignibus Marchionatus Salutiorum, vt apud Illustrem D. Ioan: Galeatium Butrigarium Equitem in libro cuiusdam Saracini obseruaui. Cardinalis Paleologus

Gambarorum præclaræ familiæ Brixienses insignia sunt Aquila biceps expansis alis, diademate insignita,& sub hac Astacus, vel gammarus,quem quãdoq; sex liliorum flores,quãdoque sex pilæ, aut globuli circumambiunt, vt apparet ex diuersis huius familiæ armis. Habuit hæc familiâ aliquando inter cætera lumina Hubertum Cardinalem sub Paulo tertio, Episcopum Dertonensem,& Parmæ & Placentiæ Legatum; & Io. Franciscum Cardinalem & Episcopum Tusculanum sub Pio quarto. Gambari.

Antonius Perenottus Granuellanus Burgundus Cardinalis,Episcopus, & perpetuus administrator Archiepiscopatus Mechliniẽsis sub Pio Quarto, in inferiori scuti insignium suorum parte tres fascias albas, in campo nigro, & Aquilam bicipitem in superiori vsurpabat ex priuilegio,teste illlustri Equite D. Ioan. Antonio Petromelario. Cardinalis Granuellanus.

Petrus Bertanus Mutinensis,Ordinis Prædicatorum Theologus, Cardinalis, Episcopus Fanensis, sub Iulio Tertio, vsus est pro insignibus in scuti bipartiti suprema parte Aquila bicipiti coronata: inferna Cane in pedes erecto,cum his verbis adiectis: SPES NVTRIT. Cardinalis Bertanus.

Marchionum de Arena regni Neapolitani Aquila nigra est biceps,in cuius pectore scutum est quatuor fascijs in campo rubro adornatum. Marchiones de Arena.

Ioanna Castriotta Marchionissa ciuitatis S. Angeli ex nobilissima familia Georgij Scanderbech, vtitur Aquila bicipiti,nigra,coronata, in campo aureo, cui suprà imminet vnus angulus cæruleus,in cuius medio stella aurea est. Ioanna Castriotta.

Familia de Gattinarijs,inter quos fuit Mercurius Gattinaria comes de Castro in regno Neapolitano,pro insigni habet Aquilam Imperialem,nigram, aurea corona decoratam,in campo aureo,in infera verò scuti parte cærulei coloris duo ossa decussatim posita, quorum angulis liliorum flores aurei coloris interiecti sunt. Gattinarij.

Solenne

Ciuitates Imperiales

Solenne etiam eſt omnibus Romani Imperij ciuitatibus, cùm honoris atque ornamẽti, tùm obedientiæ teſtandæ cauſa erga Imperatorem ceu ſummum ſuum magiſtratum, auguſtiori figura Aquilam bicipitem ſuis inſignibus adiungere, vt exempli gratia Auguſtæ Vindelicorum, quæ Aquilam bicipitem habet, cuius vtrumq; caput diademate inſignitum eſt. In medio vtriuſque, paulò altius tamen, quàm caput vel hoc, vel illud contingat, corona conſpicitur. In pectore eius Aquilæ ſcutum eſt, quod ab vna parte fert animal erecta ſtatura, ab altera tranſuerſalem beſtiam.

Soranzi.

Soranzi, qui & Superanzij dicuntur, nobiles Veneti, hæc habent inſignia, duos ſcilicet campos, aureum vnum, cæruleum alterum, & in hoc ſcutum aureum Aquilam ferens bicipitem, nigram, inter cuius capita corona eſt.

Iuſtiniani.

Iuſtinianis itidem Venetis, qui originem ſuam ab Imperatoribus, quum ſedes eorum adhuc Bizãtij eſſet, traxiſſe dicuntur, Aquila biceps olim coronata erat, coloris aurei in campo rubro, quæ in pectore habet ſcutum cęruleum cum tęnia tranſuerſa lutea. Quę inſignia poſtmodum immutarunt in caſtri ſpeciem, cui Angelus albus imminet in campo aureo, quemadmodũ videre eſt in libello inſignium illuſtrium familiarum Venetarum ſuis coloribus depictorũ, quem mihi communicauit illuſtris Eques Hercules Butrigarius Bononienſis, vir ætate noſtra dignus, vt conferatur ijs, qui uel uitæ integritate, multiuga eruditione, vel animi celſitudine, atque acerrimo iudicio pollent. De cuius ingenij præſtantia locupletiſſimum, ac certum teſtimonim nos, & ſua ipſius ſcripta in lucem edita exibemus.

Aquila biceps in columna Antonini.

In columna Antonini Romæ Aquila biceps viſitur. Hæc fortè illum ſignificat, qui legioni gemellæ præerat, quoniam duæ velut Aquilæ in vnam ſic mixtæ eſſent: tum enim illa diuiſio imperij non erat. Neque hæc militi priuato congruebat, teſte * Lipſio.

* *In anal. lib. 3. dial. 1. de mil. Rom.*

AQVILAM verò vnam, vnicipitem, atque eam, vel ſolam, vel alijs rebus admixtam habuerunt ſubſequentes.

Aquila vniceps cũ alijs admixtis.

Ioannes XIIII. Pontifex Maximus ciuis & Epiſcopus antè Papienſis, Aquilam vnam pro inſignibus habuit. vixit anno 984. regnante Ottone tertio Imp.

Butillorum familia Neapolitana videtur habuiſſe pro inſignibus Aquilam vnã ſimplicẽ. Ex hac familia oriundus erat Vrbanus ſextus, qui ab Archiepiſcopatu ſtatim ad ſummũ Pontificatus apicẽ euectus fuit. Et Frãciſcus Butillus Cardin. & S. R. E. Vicecãcellarius, Vrbani nepos.

Ioannes XIIII. Põt. Butilli.

Eleazarus Epiſcopus Reatinus Cardinalis ſub eodem Pontifice vnam habebat Aquilam, vt & ſubſequentes.

Cardinalis Reatinus.

Fredericus Caſimirus Poloniæ Regis filius electus Epiſcopus Cracouienſis, Cardinalis ſub Alexandro ſexto.

Card. Cracouienſis.

Iohannes Baptiſta Ferrarius ciuis & Epiſcopus Mutinenſis Cardinalis, ſub eodẽ Pontifice.

Card. Mutinenſis.

Stephanus Gabriel Merinus Hiſpanus Cardinalis ſub Clemente ſeptimo.

Card. Merinus.

Ioan: Baptiſta de Cicadis Genuenſis Camerę Apoſtolicæ auditor, Cardinalis, Epiſcopus Albigonenſis ſub Iulio tertio.

Cardin. de Cicadis.

Gerardus de Morionibus Eugubinus Cardinalis ſub Eugenio Tertio.

Cardin. de Morionib.

Adelardus Cardinalis, ciuis, & Epiſcopus Veronenſis, ſub Lucio tertio.

Card. Veronenſis.

Vinceſlaus Germanus Epiſcopus Vratiſlauienſis, creatus quidem ab Vrbano quinto Cardinalis, verũm ne ſe imprudens gliſcenti ſchiſmati immiſceret, honorem illum vnà cum tribus eiuſdem nationis Archiepiſcopis, Moguntino ſcilicet, Colonienſi, Treuirenſi, atq; vno Epiſcopo Leodienſi recuſauit, vt author eſt [f] Panuinius, ex quo quamplurima horum decerpſimus.

Epiſc. Vratislauiẽſis.

Hieronymus de Auſtria de Corregio Cardinalis ſub Pio quarto.

Cardin. de Corregio.

Gaſparus Tunica Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſub eodem Pontifice.

Marchiones Brãdeburgenſes.

Atque hos quidem omnes vnam Aquilam vſurpaſſe obſeruauimus. Nunquid verò ſolam, vel alijs rebus intertextam, vt de re nobis hactenus non ſatis nota, nil certò affirmare audemus.

Leopolis.

Marchionibus Brandenburgenſibus Aquila item pro inſigni eſt, expanſis alis, pedibus diuaricatis.

Mechlinia.

Eiuſdem figuræ Aquila Leopolis Ruſſiæ vtitur.

Aquila teſſellata.

Dominatus Mechliniæ habet in medio ſui ſcuti aliud ſcutulum cum Aquila.

Comites Signiæ.

SED vſum vnius Aquilæ, quæ vel figura, vel colore nobis notior eſt, hîc latius ſubiũgemus.

[f] *Lib. de Pontif. & Cardin.*

Aquilam igitur albis & nigris teſſerulis diſtinctam nobiliſſima illa familia Comitum Signiæ habuit, natione Hernicorum, patria Anagninorum. Habuit hæc illuſtriſſima familia pręter Innocentium tertium, Gregorium nonum, Alexandrum quartum, ſummos Pontifices, Cardinales diſtinctis temporibus quindecim, quos, qui ſigillatim ſcire voluerit, Onophrium Panuiniũ adeat, vti & ex eo noſſe poterit quis, cuius ordinis, & dignitatis hi, quorum mentio iam facta eſt, & fiet denuò, Cardinales fuerint.

Ex ea-

Ex eadem familia fuit & Iulius, Cardinalis sub Alexandro tertio, cuius mentionem facit Scipio Mazzella. Verùm, vt obiter dicamus, non solùm nostris, sed etiam antiquis familiæ illæ, quę non tam armis, quàm pace, atq; multis continuò seculis floruerunt, illustres dictę sunt, sic [t] Cicero: *Ex familia veteri, & illustri.* Et [u] Propertius: [t] *Pro Murena.*

*Nec si qua illustres fœmina iactat auos.* [u] *Lib. II. eleg. 14.*

Et [x] Iustinus: *Lisimachus erat illustris Macedoniæ familia natus*: & *illustrem sanguinem* dixit [y] Valerius Maximus: & Seneca *genere illustris*: sic [z] Cornelius Tacitus: *Iulius Blæsus genere illustri.* [x] *Lib. 15.* [y] *Lib. 4. c. 6* [z] *Lib. 18.*

Morauiæ item regioni talis est Aquila tesserulis aureis, & argenteis distincta, in campo cæruleo, rostro & pedibus aureis.

VNIVS Aquilę coronatæ vsus, vti virtutis meritò familijs, multisq; ab Imperatoribus cōcessus est, ita biceps, quamuis ab Imperatoria semper aliqua ex parte differat, tamen non nisi maximorum meritorum causa donarium erat. Morauiæ regnum.

Coronata Aquila in primis, & alba in insignibus vtuntur Reges Poloniæ, idque factum ea, vt fertur, occasione, quòd eo loco, vbi vrbis condenda esset, Aquilæ nidus repertus esset. Vnde etiam vrbi illi nomen inditum sit Gnisdo, quæ vox eorum lingua nidum significat. Aquila coronata. Reges Poloniæ.

Brutiorum prouincia regni Neapolitani vtitur Aquila alba, coronata, tribus mōtibus aureis insistente, in campo cęruleo. Quamuis quidam, teste Scipione Mazzella, Hadriano Imper. indè oriundo, illud insigne ascribant, alij eiusdem prouinciæ vrbi primariæ, Aquilæ. Brutij.

Oppida Imperialia, vt Francofurtum ad Mœnum, nobilissimum Germanię emporium, item Selesladiū Alsatię superioris, Nordlinga Rhetiæ inferioris, Bāberga item, & VVeissenburgum Alsatię inferioris, vt fortasse & alia quędam Aquilam coronatam pro insigni suo in vsu habēt. Oppida Imperialia.

Comitatus Tirolensis vtitur quoque Aquila coronata. Comitatus Tirolensis.

Cardinales: Bendinellus Episcopus Hieracensis, & Antonius genere Sauliorum Genuensium Aquila rubra coronata vsi sunt, in campo albo. Indè fortasse toti Sauliorum familiæ communem esse existimes. Cardin. Saulij.

Odettus de Castilione Gallus electus Episcopus Beluacensis, Cardinalis, qui posteà ea dignitate priuatus fuit, vtebatur Aquila alba, coronata aurea, in campo rubro. Cardin. de Castilione.

Ptolomæus Gallus Cardinalis, sub Pio quarto vsurpat Aquilam coronatā, nigram, sex globulis circundatam, in cuius pectore scutulum bipartitum, cuius suprema pars alba Leonē complectitur rubrū, qui duas cristas gallinaceas ferebat, inferna verò quędā rubra habet repagula. Cardinalis Gallus.

Albertus Archidux Austrię, Cardinalis, Legatus Lusitaniæ, iam verò supremus Belgicarum prouinciarum pro Rege Catholico auunculo suo gubernator, Aquilam habet nigram coronatam, in cuius pectore scutum familiæ Austriacæ efformatum est. Cardinalis Austriæ.

Georgio Ragiuil Polono perpetuo administratori Episcopatus Vilnensis, Cardinalis sub Gregorio XIII. pro insigni erat Aquila coronata, expansis alis. Card. Raginil.

Hieronymus Matthæus Romanus Cardinalis sub Sixto V. pro insigni gessit supera scuti parte Aquilam nigram coronatam, infera opus tessellatum partim cœruleum, partim album cuius medium tęnia percurrit aurea. Card. Matthæus.

Io: Baptista Spinellus Princeps de Scalea, dux de Castrouillaro, Marchio de Mesuraca, Aquilam nigram coronatam habet, in cuius pectore scutulum itidem alia corona ornatū est, cum tęnia transuersa tribus stellulis insignita. Et Ferrantes Spinellus eodem insigni vtitur. Dicuntur autem isti Spinelli de Aquila ad differentiam aliorum eiusdem nominis, quibus aliud insigne est sine Aquila. Spinelli.

Auriarum, ut uocat Iouius, alij Doriarū, seu de Oria familia Aquilam quidem habet, sed variè à varijs vsurpatam. Nam Hieronymus Cardinalis sub Clemente VII. vnam habuit Aquilam coronatam, simplicem, nigram. Ioannes uerò Andreas Princeps Molfetanus regni Neapolitani vtitur pro insignibus Aquila coronata bicolore, in supera parte rubra, in cāpo aureo, infera verò nigra in campo argenteo, sub cuius vnoquoq; pede flamma est. Principis hic titulo donatus est ab Imp. Carolo V. itidem ciuitate Doria, cum alijs quibusdam ditionibus. Sic Dauid Imperialis Marchio de Oria scutum insignium suorum habet distinctum duabus lineis, parallelis nigris dependentibus, intra quas quod spacium interiectum est, aureum, continet Aquilam nigram corona decoratam, alijs duabus utrimque relictis argenteis spacijs. Cardin. de Oria.

Lottiera nobilis familia regni Neapolitani hæc habet insignia. Aquila nigra coronata sustinet scutum cæruleum, in quo tęnia transuersa aurea, tres rosæ purpureæ, duoq; Leones aurei insunt, unus supra, alter infrà. Aquilæ uerò usus hinc illi familiæ est, quòd Conradino Sueuo regnum occupante, illa cum tribus alijs nobilibus familijs in honorem & auxilium illius uexillum Aquila insignitum publicè prætulisset. Lottiera familia. Aquila alba. Imperat.

FVIT Aquila alba quorundam Imperatorum insigne.

Familia de Eſte. Familia quædam Veneta de Eſte facta à magno Concilio anno 1381, Aquilam fert albam roſtro & pedibus rubris in campo cæruleo.

Aquila nigra. PRISCIS Apuliæ regibus Aquila erat nigra, Manfredo quidem in campo aureo, at patriin argenteo.

Reges Apuliæ. Sileſia prouincia, quæ Polonis ſubiecta fuit, iam uerò Bohemis, Aquilam habet nigram, cui lingua in ore exerta eſt.

Sileſia. Iohan: Paulus de Eccleſia Cardinalis uſus eſt Aquila nigra in campo aureo.

Cardin. de Eccleſia. Aquilã nigrã Cõſtantius Conſtantini filius Manfredo Mirãdulæ Dom. pro inſigni dedit.

Mãfredus dux Mirãdulæ. Matthęus ſeu Maphęus Thebaldi filius ex Vicecomitũ genere, cui ob res benè geſtas Magni cognomẽtum attributum fuit, habuit in armis pro inſigni Aquilam nigram. Fuit heros iſte electus Vicarius generalis Mediolanẽſium, expugnauitq; Pontem Sturæ, Moncaluum, Nouaram multasq; alias urbes. Fuit item Dom. Papię, Cremonæ, Bergomi, Laudi, Placentiæ, Nouaræ, Alexandriæ, & Dertonæ, ut refert Sanſouinus.

Foroiulij duces. Vicecomites. Foroiulij ducibus Aquila aurea uolans in campo cæruleo pro inſignibus erat.

Aquila lutea. RAIMVNDA familia habet Aquilam luteam in ſuperiori parte ſcuti, quæ cærulea eſt, inferior lutea.

Raimũdi. Aquila rubra. MARTINENGAE apud Brixienſes familiæ Aquila rubra eſt in ſcuto aureo. Hãc familiã antiquiſſimã eſſe, cùm apud varios ſcriptores, tùm ex nõnullis effigiebus, quæ in Vrago caſtro ducentis, & amplius ab hinc annis elapſis adhuc videntur, patet. Inter quas vnius icon eſt, gladium dextra, ſiniſtra verò ſcutum tenentis, in quo Aquila rubra depicta eſt, hiſce verbis: *Longofredus de Euſonia ſereniſſimum Rolumphardum Poloniæ, Vngariæ & Bohemiæ regem cum immenſo exercitu in Italiam tranſeuntem ſecutus, inter tot, ac tantos Principes & Duces, ab eodem ſereniſsimo Rege totius militiæ ſuæ capitaneus deſignatus eſt.* Imò verò tãta huius familiæ antiquitas eſt, vt [a] Iacobus Maluezzus Chronologus Brixienſis teſtatur, vt tempore Imp. Adriani anno 120 Cæſarem & Celſum Martinengos Martirij palma decoratos habuerit, cuius rei eorũ ſepulcra indices ſunt certiſſimi. Oriunda fuit à Gallis, qui Brixiæ remanſerunt, & viginiti duobus caſtris, & villis, inter quæ vnũ à Leopardo ędificatũ eſt, & à cognomine Martinengũ dictũ, imperat, & pluſquam centũ millia aureorum annuũ habet redditum. Dedit eadem familia inter alios viros egregios Epiſcopum Bergomatum, & cõſiliarios Henrici quarti Imp. Othonem, Lanfrancũ, & Coizonem, multosq; diſciplinæ militaris peritiſſimos duces, vt abundè apud Sanſouinũ videre eſt.

[a] *In famil. Martinẽg.*

Aquila bicolor. Polenti. Lombardi. PRINCIPES Rauennæ ex familia Polentorum vſi ſunt Aquila bicolore, cuius dextra pars rubra in campo cæruleo, ſiniſtra alba in campo rubro.

Familiæ Lombardorum Aquila bicolor eſt cærulea in dextra parte in campo albo, ex ſiniſtra verò alba in cæruleo.

Valerij. Familiæ Valeriorum Venetæ Aquila ex ſupera parte corporis rubra eſt, in campo aureo, ex infera aurea in campo rubro.

Clementis quarti inſig. CLEMENS quartus Pontifex maximus, Gallus, pro inſigni habebat Aquilam, ad cuius roſtrum lilij flos, ſub pedibus Draco volans conſpicitur.

Aquilæ inſignia cum animalib. potiſſimũ admixtæ. Aquilam altero pede Tynno inſidẽtem, alterò uerò Auem aliam unco continentem, Meſſicani in nouis Indijs pro inſignibus habent, eò quòd illa prima, quanuis Dæmonum ſuggeſtione, & primariæ urbis, & regni condendi auſpicia dederit, teſte [b] Ioſepho ab Acoſta.

Regni Meſſicani inſig. [b] *Lib. 7. c. 7 Hiſt. Indic.* Aquilam cum Leone uſurpauit Rodulphus Pius Carpenſis Epiſcopus Agrigentinus, Cardinalis ſub Paulo tertio.

Rodulphi Pij inſign. Mareſcottorũ inſig. Raynerius Mareſcottus Cardinalis ſub Lucio ſecundo, Achilles Epiſcopus Ceruienſis, item Ioan: Aloyſius Epiſcopus Strongylenſis, Claudius Abbas Monaſterij S. Michaelis in Boſco Bononię, Io. Aloyſij ſucceſſor; inter Doctores Ioannes, & Ludouicus eques, Agamemnon Senator Romanus creatus à Sixto quarto, Hannibal Iuriſprudentiæ pub. profeſſor, Galeatius Senator, qui liberauit Ioannem Bentiuolum captum à Duce Mediolani in arce Varani: Inter rei militaris ſtrenuos Duces Aemilius, Ludouicus, Sigiſlaus, Agamemnon, Sforza Capitaneus in exercitu Caroli quinti, Pauli PP. tertij, & Ducis Venetorum, & Bartholomęus inter Senatores Hannibalis frater, inter Comites Viganelli, & Pirani Sfortius: ut & tota nobilis iſtæc familia pro inſigni habuerunt Leonem ſupra tres faſcias tranſuerſas, quarum ſupremæ inſidet Aquila expanſis alis.

Stephani Gabrielis Merini inſigne. Aquila cum duobus Leonibus, ac totidem ouibus in uſu erat Stephano Gabrieli Merino Hiſpano, Archiepiſcopo Barenſi, Cardinali ſub Clemente ſeptimo.

Matthæi Heluetij inſigne. Matthęus Heluetius Epiſcopus Sedunẽſis Card. ſub Iulio ſecundo, utebatur duobus Leonibus erectis, nigris, ac totidem floribus liliorum, & in ſuprema ſcuti parte Aquila, quam ex priuilegio geſſiſſe, ut & multos alios, qui ea eo loci geſtant, autumo.

Regi-

Reginaldus Polus Anglus Cardinalis sub Paulo tertio, utebatur sex leonibus unà cũ Aquila, & multis liliorum floribus in diuersis scuti partibus, unaq; cum quadrangulo quodam tessellato ut uidere est apud Panuinium. Reginaldi Poli insig.

Albertus Marchio Brandeburgensis, Archiepiscopus Moguntinus, sacri Romani Imperij Elector, Card. sub Leone decimo, tribus vsus est scutulis in medio insignis sui, & tessellis quatuor inferius positis albis, & nigris, item sex Leonibus, & Aquila. Alberti Brãdeburgici insign.

Ioannes Mela Hispanus Episcopus Zamotensis Card. sub Calixto tertio, in suis insignibus usurpabat octo Leones, & Aquilam. Ioãnis Melæ Hispani insigne.

Totidem etiam utebatur Adamus Anglicus Episcopus Londinensis Cardinalis sub Vrbano sexto. sunt tamen, qui unam tantummodo Aquilam illi attribuant. Adami Anglici insig.

Adolphi Archiepiscopi Colonienſis ex illustrissima familia Comitum de Scouuimberg, quę ab antiquissimis Holstainis originem ducit, Electoris sacri Romani Imperij, Domini Vuestphalię & Angrię, tale erat insigne: in scuto bipartito superius à dextris crux, à sinistris equus, in campo uerò inferiori è regione crucis Aquila pedibus, atque alis expansis; in alia uerò parte, quę equo opponitur, tres chamę striatę. In medio totius scuti, aliud scutulum est, in quo astrum uidetur tribus clauis infixum. Adolphi à Scovvenberg insig.

Franciscus Alciatus Mediolanensis Cardinalis sub Pio quarto, in insignibus suis habuit Aquilam supra Taurum seu Bouem, vnà cum turre, & quibusdam repagulis. Francisci Alciati insigne.

F. Archangelus de Blanchis Cardinalis Theani ferebat in insignibus Aquilam nigram in campo aureo cum duabus Auibus inferius, quoddam astrum referens in rostris gerentibus. Archangeli de Blanchis insig.

Camillus Burgesius Cardinalis Romanus, camerę Apostolicæ auditor, creatus nuper à Clemente octauo, insigne habet bipartitum, in cuius superiori parte lutei coloris Aquila est nigra, coronata, alis expansis; in inferiori, quæ triplo maior est, & coloris cærulei, alatus Draco viridis, cauda erecta, tortuosa, in cuius extremitate aliud caput est, quod linguã exerit coloris rubri. Camilli Burgheſij insigne.

Augustino Valerio Veneto Cardinali sub Gregorio tertiodecimo erat Aquila bicolor, in cãpo pariter bicolore, expansis alis; scutulũ pectori cũ semidracone inserto, affixũ complectens. Augustini Valerij insigne.

Familia Boschetta in plurimis Lombardiæ locis clara ac illustris diuersis temporibus diuersa item habuit insignia. Cùm enim Mutinę floreret vtebatur terebra, quam dein in fascias trãsmutauit, hoc videlicet pacto, ut supra scutum cæruleus campus sit, atque sub eo tęnię transuersæ colore alternatim rubro, & albo cum Leone coronatam cassidem ferente, cum hac inscriptione; DONAT OMNIA VIRTVS. supra verò illam inscriptionem conspicitur cuiusdam Auis ala expansa, ac annexa coronæ Leonis cum Aquila nigra, quam à Maximiliano primo Imp. qui huic familiæ Equites, & notarios creandi authoritatem concessit, viroſque suos Comites Palatinos creauit, obtinuit. Quæ sanè tum & alia eius antiqua à diuersis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Ducibus ob res gestas concessa priuilegia Maximilianus secundus comprobauit. Ex hac familia, tanquam ex equo Troiano viri multi cùm literis, tùm armis prędari eruperunt. Paulus in primis Cardinalis sub Alexandro secundo, anno 1064. Atque multo ante illum tempore, anno scilicet. 656. Sfortius Archiepiscopus Mediolanensis quartus sub Eugenio primo. Albertinus Albertus dictus, Gerardi filius anno 1234. fuit Episcopus Mutinensis, & multa prædarè gessit. Anno verò 950. floruit Albertus sub Othone Imp. prędfectus militię. Quinque item Albertini dicti, viri in bello strenui ac prędari, quemadmodum & Philippus, & Gerardus, Robertusq;, qui Othonis Imp. dapifer fuit. Nec prætereriposſum Albertum Albertini filium, quem Ioannes XXIII. Pont. max. maximo semper in honore habuit. Illum. n. in suis diplomatibus vocabat defensorem, protectorem Bononiæ, & status Ecclesiastici, & Domicellum seu Baronẽ, qui titulus nisi magni nominis, & prosapię viris à Pontificibus dari solet. Floret hęc eadem familia Bononiæ, vbi iam à Sixto V. senatoria facta est, senatoremq; habet Hieronymũ virum amplissimũ, ac doctorũ proborumq; patronũ vnicũ. Familia Boſchetta in plurimis Lombardiæ locis clara ac illustris diuersis temporibus diuersa item habuit insignia. Cùm enim Mutinę floreret vtebatur terebra, quam dein in fascias trãsmutauit, hoc videlicet pacto, ut supra scutum cæruleus campus sit, atque sub eo tęnię transuersæ colore alternatim rubro, & albo cum Leone coronatam cassidem ferente, cum hac inscriptione; DONAT OMNIA VIRTVS. supra verò illam inscriptionem conspicitur cuiusdam Auis ala expansa, ac annexa coronæ Leonis cum Aquila nigra, quam à Maximiliano primo Imp. qui huic familiæ Equites, & notarios creandi authoritatem concessit, viroſque suos Comites Palatinos creauit, obtinuit. Quæ sanè tum & alia eius antiqua à diuersis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Ducibus ob res gestas concessa priuilegia Maximilianus secundus comprobauit. Ex hac familia, tanquam ex equo Troiano viri multi cùm literis, tùm armis prędari eruperunt. Paulus in primis Cardinalis sub Alexandro secundo, anno 1064. Atque multo ante illum tempore, anno scilicet. 656. Sfortius Archiepiscopus Mediolanensis quartus sub Eugenio primo. Albertinus Albertus dictus, Gerardi filius anno 1234. fuit Episcopus Mutinensis, & multa prædarè gessit. Anno verò 950. floruit Albertus sub Othone Imp. prędfectus militię. Quinque item Albertini dicti, viri in bello strenui ac prędari, quemadmodum & Philippus, & Gerardus, Robertusq;, qui Othonis Imp. dapifer fuit. Nec prætereriposſum Albertum Albertini filium, quem Ioannes XXIII. Pont. max. maximo semper in honore habuit. Illum. n. in suis diplomatibus vocabat defensorem, protectorem Bononiæ, & status Ecclesiastici, & Domicellum seu Baronẽ, qui titulus nisi magni nominis, & prosapię viris à Pontificibus dari solet. Floret hęc eadem familia Bononiæ, vbi iam à Sixto V. senatoria facta est, senatoremq; habet Hieronymũ virum amplissimũ, ac doctorũ proborumq; patronũ vnicũ. Comitũ à Boſchettis origo, & insigne.

ATQVE his insignibus animalia præcipuè inserta sunt, hæc verò plantas continent. Aquilã cũ Plantis habentes.

Ioannes Poggius Bononiensis præter alia suis insignibus interiecta, ramo oliuæ etiam vtitur, & Aquila. Erat Episcopus Tripiensis, Legatus etiã in Hispaniã, & Cardinalis sub Iulio III Ioann. Poggij insigne.

Henricus de S. Aloysio Episcopus Dertonensis, & Papiensis, postea Archiepiscopus Mediolanensis Cardinalis sub Eugenio quarto, vsus est talibus insignibus: scutum diuisum erat in tres partes transuersas; superior Aquilam erectam alis expansis, rostro aliquantisper aperto; media duos lilij, vt & inferior, flores continebat. Henrici de S. Aloysio insigne.

Philippus Sega Bononiẽsis, Episcopus Placentinus, Legatus in Gallias, & Cardinalis sub Innocentio nono in scuto suorum insignium superius habuit Aquilã, in medio tęniam transuersam tribus liliorum floribus ornatam, inferius ferram. Philippi Segæ insigne.

Boruſſię Duces vsurpãt Aquilam corona, rostro, & pedibus colore luteo, lingua verò rubra Boruſſiæ Ducum insigne.

cùm trifolijs luteis in campo albo,& eiuſdem coloris litera S, quam fert in pectore.

Familię de Robore inſignia & origo.

Iulius de Ruuere Vrbinas Franciſci Mariæ Ducis Vrbini filius, & Guidi Baldi Ducis Soræ frater, neposq; Iulij ſecundi Pont. max. & pronepos Papę Sixti quarti: Cardinalis ſub Paulo tertio, ex cæteris varijs rebus ſuorum inſignium etiam robur eſt, & Aquila. Duces verò ex hac familia oriundi Vrbinates tempeſtate noſtra cum clauibus & haſtili umbellæ Pontificijs in medio, cum robore proprio inſigni in ſiniſtra ſcuti parte ſuprà, infrà verò cum lilijs Gallicis in lõgitudinem ſibi inuicem ſuppoſitis, & cum inſignibus regnorum Hieroſolymæ, & Aragoniæ, habẽt etiam in dextra parte ſuprà Aquilam nigram coronatam, & infrà faſcias tres in diametrum ductas luteas, quarum ſuprema aliam Aquilam, eamq; nigram continet, Feltriæ domus inſignia. Hæc autem familia antiquitate nobiliſſima eſt. Etenim vt ſcribunt authores, originem traxit Auguſtæ Taurinorum à Principibus Longobardis. Ex his dicunt anno Chriſti ſeptingenteſimo Ermundum fuiſſe, cuius ſucceſſores multarum terrarum, & oppidorum dominium habuerunt, inter alia Vicuſnoui, Cinciani, & Ripæ albæ, vulgò Riualbæ; qui celebres in militia per ditionem Genuenſium tranſeuntes, Sauona nobili ciuitate Liguriæ conſiſterunt, vbi dominij fundamenta iecêre.

Ducum Vrbinatũ inſignia.

Familiæ de Robore Venetæ inſig.

Eiuſdem nominis nobilis familia Veneta pro inſigni præter Aquilam nigram in campo aureo, & robore in cæruleo vtitur. Habet etiam duas tænias ſubcæruleas, claues Papales luteas, decuſſatas, ſub vmbella lutea, in campo rubro, & ſub robore quaſdam lineas per lõgitudinem ductas, demum ſex liliorum flores in campo luteo.

Maluetiorum inſig. Sigiſmundus.

Maluetiorum Bononiẽſium familia antiquiſſima, à vetuſtiſſimo Sigiſmundo Maluetio, qui anno à partu ſalutifero ſeptuageſimo primo ſub Veſpaſiano vnius partis exercitus dux, vnà cũ eo Hieroſolymam expugnauit, oriunda, cùm ſanguine, tùm multorum virorum fortium rebus domi, foriſque geſtis, clara, atque inter nobiliſſimas Italiæ familias meritò à ſcriptoribus recenſita eſt. Ea duces, vrbium præſides, dominos, comites, barones, commendatores Hieroſolymitanos, legatos tam ad Reges, quàm ad multas reſp. eloquentiſſimos, Senatores, Iuriſconſultos, Theologos, alioſque viros egregios habuit. Verùm vt excellentiores quoſdam enumeremus, produxit hæc illuſtris familia in primis Carolum Ioannis filium à Friderico tertio Imp. inter equites relatum in ædibus D. Petronij, vnum ex ſexdecim ſenatoribus, vti & Virgilium, qui hac dignitate potitus eſt, Carolo adhuc viuo, res inſolita certè, vt binos ex eadem familia ſimul reſp. noſtra Senatores habuerit. Hic Carolus à Calixto tertio comitatum Siluæ in dioceſi Bononienſi obtinuit, quem noſtris temporibus Camillus, & Hippolitus poſſidebant. Ex hac familia Achilles fuit Gaſparis filius Eques Rhodius, Senatus Bononienſis ad Concilium Mantuæ orator. Hic S. Petri caſtrum & Gelphi à Pio PP. ſecundo accepit. Hunc Fridericus tertius Imp. comitem Palatinum fecit, & baronem S. Romani imperij. Præclara ſemper fuit huiuſce familię hoſpitalitas. Nam ſummo cum magnificentię elogio ducem Calabriæ, & Lotharingiæ cum ingenti nobilium comitatu, à quo, vt fertur inſignia domus Lotharingicæ habuit, hoſpitio excepit, vt & ducem Mediolani, & Fridericum Aragoniũ Neapolitani Regis filium, tandem ad regnum euectum. Fuit & Aſtor Maluetius Eques Rhodius, Epiſcopus Peruſij ab Innocentio octauo factus. Ludouicus Gaſparis filius fuit, miles ſtrenuus, qui in excurſione à Venetis facta ſub Mediolanum uexillum fixit in ipſis Mediolani mœnijs. Factus ſummus dux copiarum Eccleſiaſticarum, ſtrenuè rem geſſit cum Malateſtis. Eundem Fridericus Aragonius Vicarium ſuum conſtituit, à quo terras Taranti & Quadri obtinuit ſub titulo comitatus, & baronatus, quas adhuc hæc familia hodiè poſſidet. Eundem Friderici pater Ferdinandus honeſtiſſimo ſtipendio inuitauerat, & in conſortium magni pace & bello conſilij aſciuerat. Huic ſucceſſit Hercules frater præfectus militum, primò apud Ferdinandum Regem Neapoli, mox apud Venetos contra Turcas. Habuit hæc familia Pyrrhum fratrem vltimum Gaſparis Senatorem noſtrum, & leuis armaturæ equitum præfectum, vti & Gaſparem ſecundum Capuæ, & aliarum ciuitatum rectorem. Lucius Maluetius vir fuit ſumma gloria, & ſplendore, primùm leuis & grauis armaturæ apud Venetos præfectus, mox à Ludouico Sfortia Mediolani duce in auxilium Piſanorum contra Florentinos miſſus, vbi tam præclarè rem geſſit, vt conſeruator Piſarum contra tantam Florentinorum vim duce Hercule Bentiuolio publicè dictus fuerit, & in premium rerum bene geſtarum Lauizanum à duce Sfortia retulerit. Idem anno 1510. poſtquam Sfortia Mediolano per Gallos expulſus eſſet, in locum comitis Pitiliani ſummi exercitus Venetorum ducis ſuffectus fuit, & militaria, ſummaq; dignitatis inſignia tradentibus Laurentio Orio, & Petro Moroſino in Eccleſia Cathedrali Patauij, nomine Senatus accepit, quæ domi ſuæ inter cætera familiæ ornamenta ad tantam rei memoriam domini Maluetij ſanctè cuſtodiunt. His annumero Iulium filium Virgilij primũ quadragintauirum poſt eiectos Bentiuolos, & Pyrithoum Ludouici filium Tarantæ & Quadri dominum, & Pyrrum ſecundum

Senatores duo Maluetij eodẽ tempore.

Achilles Eques Rhodius.

Aſtor eques Rhodius.

Ludouicus Gaſparis filius.

Taranti & Quadri comitatus.

Hercules præfectus militum.

Pyrrhus præfectus equitum.

Gaſpar Capuę rector.

Lucius præfectus leuis armaturæ.

Inſignia militaria ſeruata apud Maluetios.

Iulius Virgilij filius Senator primus.

Pyrri

Pyrri filium Senatorem maximum,& Alphonſum militiæ Piſanæ prefectum. Hercules ſecundus Pyrrhi ſecundi frater, bello preclarus, Parmæ à Paulo tertio Gubernator factus, primus ea dignitate ibi præfuit, poſtquã ab Eccleſia reſciſſa fuit. Dominus erat caſtri Gelphi, baro Tarantæ,& Quadri, Senator noſtræ Vrbis maximus, vir elegans,& probus. Huic ſucceſſit M. Antonius primogenitus, qui gloriæ cauſa vnà cum aliorum nobilium manu voluntaria Imp. Carolum V. ad bellum in Germaniam proprijs ſumptibus ſequutus eſt, ſed cui debita honoris premia mors immatura vigeſimoſexto ætatis anno eripuit. Eius filius eſt Pyrithous ſecundus adhuc viuens, Vir humanitate ſingulari, ſumma prudentia, multarum rerum cognitione preſtans, & in omni virtutum genere cultiſſimus, ſingulare noſtræ vrbis decus. Lucius ſecundus M. Antonij frater, præfectus peditum ad Carolum nonum Galliarum regẽ nomine Pij Quinti contra Hugonotos iuuenis adhuc profectus eſt, vbi poſtquam preclara generoſę indolis,& bellicę virtutis inditia edidiſſet,& præcipuè in conflictu apud Monconturnum, breui pòſt nõ ſine dolore omnium morbo extinctus eſt. Quid memorem Aemilium hominem magnificẽtiſſimum, quem Sigiſmundus Poloniæ Rex fama eius permotus, honorificentiſſimè in Poloniam vſque accerſiuit, ſummis muneribus affecit, annua mille aureorum penſione donauit. Qui poſtquam in Italiam reuerſus eſſet, rerum Polonicarum apud Sanctam ſedem Apoſtolicam,& per totam Italiam curator fuit,& præcipuè in ea cauſa, quæ cum Ioanne tertio Suetiæ Rege, & Catherina vxore eius,& Sigiſmũdi Polonię Regis filia, gratiâ ducatus Bari interceſſit. Produxit etiam hæc nobiliſſima familia Pyrrhum tertium Herculis ſecũdi filium Senatorem optimum, adhuc nobis ſuperſtitem, virum in primis fidei Catholicæ aduerſus hęreticos acerrimum propugnatorem, Honophrij & Frãceſini pariter Maluetiorum exemplo, qui duces Chriſtianorum anno 120. pro Chriſti nomine dimicando mori non recuſarunt. Huius opera & virtus, tum etiam illuxit, cùm in inſigni illa ad Echinadas Ionij inſulas anno 1571. nonis Octobris, Turcarum clade, Duce Ioanne Auſtriaco, quò magnam voluntariorum militum manum ſuis expenſis adduxerat, poſt ſubſidia Prætoriæ Pontificiæ conſtitutus, pro Chriſtiani nominis gloria ſtrenuè dimicauit, cuius non leuia præmia retuliſſet, ni immaturum Pontificis fatum obſtetiſſet. Hic anno ætatis ſuæ trigeſimonono cum ſuprema poteſtate, nomine Summi Pontificis Gregorij XIII. exercitum Auinionem Galliæ duxit,& ſumma cum laude præfuit. Marchio factus eſt caſtri Gelphi, & comes Sancti Pauli ſub Gregorio XIIII. Eſt idem heros a Rege Catholico ob ſummas eius virtutes, pedeſtrium aliquot copiarum ducatus Mediolani præfectus factus,& in collegium conſiliariorum adoptatus cum penſione annua. Huius pręclara in me,& familiam noſtram ſemper extiterunt officia, adeo vt ſine ingratitudinis nota tãti viri laudes,& monumenta præterire non potuerim. Habet autem hæc familia in inſignium ſuorũ ſuperna parte, quæ cærulea eſt, tres liliorum flores luteos, linea rubra diſtinctos, in inferna verò pariter cærulea faſciam luteam diametralem, in cuius medio aliud eſt inſigne paruum ſeu ſcutulum, quod Aquilam albam explicatam continet.

Pyrrhus ſecundus. Alphonſus Hercules ſecundus, caſtri Gelphi omnes, & Baro Tarantæ,& Quadri. Marc. Ant. primogen. Pyrithous ſecundus. Lucius ſecũdus præfectus peditum. Aemilius apud Poloniæ Regẽ in ſummo honore habitus. Pyrrhus tertius Marchio caſtri Gelphi,& Comes S. Pauli,& Senator noſter. Victoria Chriſtianorũ Naualis cõtra Turcas.

SED Aquilam cum inanimatis tam naturalibus, quàm artificialibus ſequentes habent.

Vrbanus ſecundus Pontifex max. antea Otho dictus, Gallus, primò Canonicus Regularis Lateranenſis, mox monachus Cluniacenſis, demum Victori tertio ſuccedens, in ſcuto ſuo bipartito ſuperius habet Aquilam nigram in campo argenteo, infrà verò diſtinctam teſſellis rubris & nigris.

Vrbani II. Pont. inſig. Vrbani tertij inſignia. Pij quarti Pont. inſig.

Vrbanus tertius Pont. max. Mediolanenſis ex familia Cribella, ante Pontificatum Archiepiſcopus Mediolanenſis, cribrum cum Aquila in inſignibus ſuis habuit, vt & Alexander Mediolanenſis ex eadem familia Cardinalis ſub Pio Quarto, vt Petromelario placet.

Alex. Coſmij inſig. Vincent.& Benedicti Iuſtinianorum inſig.

Pius Quartus Pont. Max. ſub quo finita eſt Tridentina ſynodus, antea dictus Io. Angelus de Medicis Mediolanenſis, Archiepiſcopus Raguſinus, Cardinalis ſub Paulo tertio, in ſuperiori ſcuti parte Aquilam gerit ex priuilegio, in inferiori ſex pilas.

Henrici Manriques inſignia.

Alexander Coſmius Bononienſis, Epiſcopus Biſilianus in inſigni bipartito habet Aquilã expanſis alis in parte ſuperiori, in inferiori verò faſciam diametralem, vnà cum tribus montibus.

Io: Pauli de Eccleſia inſigne.

F. Vincentius Iuſtinianus Ord. Prædicat. Cardinalis ſub Pio V. vſus eſt Aquila nigra in infera ſcuti parte, ſupera verò caſtro albo in campo rubeo. Ijſdem armis gaudet Benedictus ſub Sixto V. Cardinalis eadem proſapia genitus.

* Ego de Turri exiſtimo.

Aquilam cum caſtro,& duabus ciſtis in ſuis inſignibus, flagellis circundatam gerebat Henricus Manricus Cordubenſis Hiſpanus Cardinalis ſub Paulo tertio.

Theodori Lelij de Torni, vel de Turri inſigne.

Io. Paulus de Eccleſia Cardinalis Dertonenſis ſub Pio quinto, Aquilam fert in inſignibus ſupra templum.

Theodorus Lelius de* Torni Epiſcopus Teruiſinus, Cardinalis ſub Paulo ſecundo, vſus eſt Aquila ſupra turrim, qui ſubito poſt adeptam dignitatẽ mortuus, titulo nedũ decoratus fuit.

Aquilam cum cruce in ſuis inſignibus ferebat Io. Antonius de S. Georgio Mediolanenſis, Epiſcopus Alexandrinus, Cardinalis ſub Alexandro ſexto.

Io: Anton. de S. Georgio inſignia.

Pompeius Cardinalis Arigonius Romanus, Auditor Rotæ, iam ſub Clemente VIII. factus, ſuperius habet Aquilam nigram in campo luteo: inferius tres faſcias, rubras, diametrales, & in medio hos caracteres rubros AR. in campo albo, cum aſtro vtrinq;.

Põpeij Arigonij inſignia.

Gregorius de Matthelicis Cardinalis ſub Anacleto Antipapa, ſupra teſſellas vſus eſt Aquila, quo priuilegio familiam ſuam donauit Otho primus Imp. vnde etiam totius familiæ proſapia de Othonis appellata eſt, fuitq; domina Matthelicæ, teſte [b] Sanſouino.

Gregorij de Matthelicis inſignia.

[b] *In Othona familia.*

F. Stephanus Bonutius Aretinus Cardinalis ſub Sixto V. ſupra Oenophorum habet Aquilam nigram in campo aureo.

Stephani Bonutij inſignia.

Ioannes de Eſtunica Hiſpanus magiſter Equitum de Alcantara, Archiepiſcopus Hiſpalenſis Card. ſub Iulio ſecundo, vſurpauit Aquilam vnà cum quibuſdam alijs rebus admixtis nobis ignotis. Sunt tamen qui Aquila tantùm vſum fuiſſe dicant. Alij eam aſcribunt Gaſparo Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & Cardinali ſub Pio V.

Ioannis de Eſtunica Hiſpani inſignia.

Egra Bohemiæ oppidum Aquila primùm vſa eſt libera, poſtquam triginta quatuor annis pignori data eſt, Aquilã in inferiori parte vſurpauit incluſam, atq; extra clauſtrum ſex faſcias ſimul coniunctas. Sigillum eiuſdem vrbis incluſum habet hominis iconem vmbilico tenus, dextra enſem, ſiniſtra ſceptrum ferentem, & inferiori parte Aquilam expanſis alis.

Egræ Bohemię oppidi inſignia.

Vtrique, Italæ ſcilicet & Germanæ familiæ Beccariæ, Beccarius ex Numeriano Cari Imp. filio genitus, per binos filios, Vithemum ſcilicet, à quo Germana, & Beccarium, à quo Itala, originem dedit. Is autem ſub Conſtantino magno cùm militaret, tredecim victorijs, ijſque cruentis aduerſus hoſtes potitus, poſteris in earundem memoriam in inſignibus ſuis tredecim montes colore ſanguineo, eoſque in campo aureo, pariter in memoriam aurei ſcuti, quod Caro, & Numeriano pro more à Senatu Romano tanquam ſtrenuiſſimis Impp. in Capitolio dedicatum fuit, circumferre copiam fecit. Antiquitatem certè iam ab nongentis annis incorruptam oſtendunt res geſtæ & contractus, vnde feuda, gradus, dominia, valalagia, & omnis dignitas illorum manifeſta ſunt. Cùm verò Aquilam nigram ſupra eoſdẽ montes vſurpet iſtæc familia, ideò ab Imperatore aliquo, non quidem antiquorum, ſed poſteriorum, vt Carolo magno, ſub quo honorificentiſſimè militarunt, hiſce inſignibus donatos eſſe, veriſimile eſt. Ex hac autem illuſtriſſima familia viri cùm armis, tùm varijs ſcientijs, & ſanctitate, & miraculis præclari, orti ſunt. Lanfrancus in primis anno octingenteſimo in caſtro Crope li, cuius & multorum aliorum caſtrorum dominus erat, natus, & F. Franciſcus ordinis minorum, cuius corpus ſepultum eſt Spoleti, ambo ſancti habiti ſunt. Anno nongenteſimo tertio habuere dominium Papię, ſicuti monetę excuſſę atteſtantur, domini fuere multarum aliarum terrarum, & arcium, vt D. Alexij, Broni, Georgij, & aliorum, quæ hîc ſponte prætereo. In militia ſtrenuiſſimi fuere, primùm Beccaredus exercitus Caroli Magni Dux, qui Mauros in Sardinia ſuperauit, & Corſica eiecit: tum Alphõſus dominus, & comes, Hieronymus, & Carolus. Nobilitatem eorum cognoſcemus ex affinitate cum varijs Principibus Mãtuę, & Marchionibus Caretti, cum Scaligeris dominis Veronæ, cum Vicecomitibus, & Sfortijs Mediolani ducibus, cum Manfredis Fauentiæ dominis, cum Vrſinis, & aljs illuſtriſſimis familijs. Ex eadem familia fuit Theſorus Abbas generalis totius ordinis vallis vmbroſę, & Legatus ad Florentinos miſſus ab Alexandro quarto ad tumultus & factiones ciuiũ ſedandas, & poſtea Cardinalis deſignatus. Eſt etiam ætate noſtra rei Theologicæ conſultiſſimus, & in omni ſcientiarum genere apprimè eruditus, acerrimuſque literarum propugnator, ac morum & vitæ probitate præſtans F. Hippolituſmaria à Monte regali Pedemontanus Generalis ordinis Predicatorum ex nobiliſſima eadem familia Papienſi oriundus. Habuit præterea familia iſtæc Beccaria Epiſcopos, protonotarios Apoſtolicos, gubernatores, conſules, prætores, & Senatores Mediolanenſes, quorum nomina breuitatis cauſa taceo.

D. Lanfrancus multorũ caſtrorũ Dominus.

Theſorus Abbas Generalis totiº ordinis Vallis Vmbroſe, Cardinalis deſignatus.

F. Hippolituſmaria Generalis ordinis prędicatorum.

Familia Cornara Veneta aliquando in inſignibus ſuis per longitudinem bipartitis, dextra ſcilicet parte lutei, ſiniſtra cęrulei coloris, vſurpauit coronam, cuius loco nunc intra duos campos, vnum aurei, alterum cærulei coloris ſcutulum aureum cum nigra Aquila geſtat.

Familiæ Cornaræ inſignia.

Verardorum itidem nobili Veneta familiá in medio repagulorum aureorum & rubrorum inſertum habet ſcutum rubrum cum Aquila aurea.

Verardorũ Venetorũ inſignia.

Palauicinorum familia itidem Veneta vtitur Aquila cum teſſellis in campo aureo.

Palauicinorũ familiæ Venetæ in-

Ex Monaldeſcorum familia apud Vrbem veterem, quam vulgò Oruieto vocant, quidam Aquilam habuerunt in caſſide. Ortum habuit hæc familia iam tum à Caroli Magni temporibus, cum quo quatuor fratres nobiliſſimi in Italiam aduenerunt, quorum quartus vrbi veteri ſedem figens, originem & famam Monaldeſchis dedit. Hi ſummis muneribus & priuilegijs

à ſummis

à ſummis Pontificibus affecti fuere, cùm circa annum 1313. cùm iam quaſi domini eſſent totius patriæ, & territorij, orta inter eos diſcenſione, in quatuor partes ſciſſi ſunt, atque vt inter ſe dignoſcerentur, retentis quidem auitis in ſcuto inſignibus, unuſquiſq; eorum peculiarem galeę notam, qui Aquilam, qui viperam, qui canem, qui ceruum impoſuit. Summa animorũ contentione per trecentos quinquaginta & vltrà annos hi inter ſe dimicarũt, ſed, quod mirum eſt, & quod [c] Dantes illis minatur, poſt tot, & tam acerbas mutuò clades haudquaquam conciderunt, & nomen antiquum cum multarum terrarum poſſeſſione conſeruarunt. Ex ijs, qui Aquilam habuerunt, vti & ex cæteris, multi illuſtres toga, & armis viri profluxerunt: quos breuitatis cauſa omitto. Vnum tamẽ non tacebo Monaldum primò Soannę Epiſcopum, & mox Beneuenti Archiepiſcopum, à Bonifacio octauo creatum, hominem tam patriæ, quàm Curiæ Romanæ cariſſimum.

ſignia. Monaldeſcorum origo, & inſignia.

[c] *Cant. 6. de Purgat.*

Paulus Aemil. Gõzaga vtitur Aquila coronata in ſuperiori parte inſignis ſui, in inferiori tribus faſcijs tranſuerſis nigris.

Pauli Aemilij Gonzagæ inſignia.

HACTENVS ergò de integra Aquila: Nunc de dimidiata aliquid dicamus.

Aquilã dimidiatam habentes.

Honorius ſecundus Pontifex max. Lambertus antea vocatus, ex Fagnana, vel, vt alijs placet, Scanabecchorum familia Bononiæ oriundus, primò Canonicus Regularis Lateranenſis, mox ſuæ vrbis Archidiaconus, deinde Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis à Paſchali ſecundo creatus, & mortuo Calixto II. ſuccedens in Pontificatũ, geſſit in inſignibus ſuis inter alia ſemiaquilam.

Honorij ſecundi Pontificis inſignia.

Lothatij Imperatoris inſigne erat ſcutum bipartitum, in cuius dextra parte erat ſemiaquila nigra, corona, roſtro, & pedibus rubris: ſiniſtra verò ſcutulum cęruleum lilijs aureis reſperſum habebat.

Lotharij Imperatoris inſigne.

Hiberniæ Regum inſignia ex vna ſcuti parte aurea, erant brachium gladio armatum, ex altero in argenteo campo ſemiaquila.

Hiberniæ Regum inſignia.

Bernardus de Vbertis Florẽtinus Cardinalis Epiſcopus Parmenſis, ſub Vrbano ſecundo, gerit ſcutum per longitudinem diuiſum, in cuius parte dextra ſemiaquila eſt, à ſiniſtris teſſellę.

Bernardi de Vbertis inſignia.

Georgius Hesler Germanus Herbipolenſis Protonotarius Apoſtolicus, poſtea Cardinalis ſub Sixto quarto, prẽter ſemiaquilam, quam in ſupera ſcuti parte gerit, habet item faſciam diametralem, & vtrinque aſtrum.

Georgij Hesleri Germani inſigne.

Ex Cæſarina familia tres fuerunt Cardinales, Iulianus ſub Martino quinto: Iulianus alter, Protonotarius Apoſtolicus, electus Epiſcopus Aſculanus ſub Alexandro ſexto, & Alexander tertius pariter Protonotarius Apoſtolicus ſub Leone decimo. Horum inſigne fuit ſemiaquila ſupra columnam vnà cum vrſo figura erecta, columnæ catenâ alligato.

Cæſarinorũ inſignia.

Ex Rouerella familia antiquiſſima (quam hiſtorici anno nongenteſimo trigeſimo dimanaſſe tradunt ab Emundo ſtrenuo quodam milite, ab Henrico primo Imp. ob immenſam eius fidelitatem in Comitem creato, atque Rigenſtein metropoli diuerſarum terrarum, & caſtrorum in prouincia dicta Eichẽlaub, vel Effhai, loco quercubus, ſeu roboribus abundante, donato) Bartholomæus Eugenij quarti Pont. max. ſecretarius, & ab eodem Archiepiſcopus Rauennas; inde à Pio ſecundo Pontifice maximo Cardinalis creatus, quemadmodum conſtat ex ſepulcro, quod Romæ conſpicitur in Eccleſia Sancti Clementis, ſtatuis, & marmoribus pretioſiſſimis adornato, vſus eſt pro inſigni ſemiaquila in campo quadripartito, vnà cum robore, quam relicto vetere inſigni ſibi elegit cum Imperatoris confirmatione Emundus ſupradictus, tum ob copiam roborum, quæ in ſuo Dominatu erant, (à quibus ille non ſolùm, verùm etiam eius poſteritas Rouerettorum, & poſtea Rouerellorum cognomine inſignita eſt) tum etiam, quia eius loci incolas craſſæ Mineruæ, rudes, & duros quercuum inſtar ad vitam ciuilem perduxerit. Huius Cardinalis frater Laurẽtius fraternis inhęrens veſtigijs, Philoſophię, & Medicinæ lauream Patauij adeptus, primùm in Gymnaſio Ferrarienſi Philoſophiæ, & Medicinę profeſſor factus, mox à Nicolao quinto Pont. max. miſſus legatus ad Hungaros, tandem in Epiſcopum Ferrariæ euectus eſt anno 1462. iterum legatus in Galliam miſſus, vltimò legatus exercitus Eccleſiaſtici, cuius Napoleon Vrſinus præfectus erat, factus, cũ ſummo honore munus ſuum ubiq; obijt. Nec prætereundus uidetur Florius frater eius Eques Hieroſolymitanus, uel potius Rhodius, necnon Filaſius anno 1474. primùm Protonotarius Apoſtolicus, mox à Sixto quarto Pont. max. in locum patrui ſui Archiepiſcopus Rauennas, demum Peruſij ob inſignem cùm in humanis, tùm in diuinis legibus doctrinam, legatus creatus eſt. Philos itẽ eiuſdem familię ob ſuas illuſtres uirtutes primùm electus Epiſcopus Tolonię, deinde Aſcoli. Ex eadem familia multos omito breuitatis cauſa.

Rouerellæ familiæ origo, & inſignia.

F. Marcus Vogerius Sauonenſis ordinis minorum Epiſcopus Senogalienſis, Cardinalis ſub Iulio ſecundo, habuit ſemiaquilam ſupra duos triangulos ſubnigros, in quorũ medio eſt aliud ſpatium album ferè trigonum.

M. Vogerij inſigne.

Alphon-

Alphõſi & Raphaelis Petrutiorũ inſigne.

Alphonſus Petrutius Senenſis electus Epiſcopus Groſſetanus, Cardinalis ſub Iulio ſecundo, vſus eſt in campo quadripartito ſemiaquila in ſupera parte vnà cum vnda. Raphael ex eadem Petruciana familia, Epiſcopus quoq; Groſſetanus, Molis Hadriani præfectus, Cardinalis ſub Leone decimo, eadem inſignia habuit.

Matthæi Langij Germani inſig.

Matthęus Langius Epiſcopus Curcenſis, poſtea Coadiutor, & Archiepiſcopus Salisburgenſis, teſte Ioanne Sambuco, Cardinalis ſub Iulio ſecundo, vſurpabat ſemiaquilam, & Solem quibuſdam veluti foliolis perornatum.

Andreæ de Valle inſig.

Andreas de Valle Romanus Epiſcopus Melitenſis, Cardinalis ſub Leone decimo, prętер ſemiaquilam pariter duos leones, & quatuor ſtellas habuit.

Cãpegiorũ inſigne.

Ex Campegiorum Bononienſium nobiliſſima familia, in qua fuêre viri literis non ſolùm, ac morum integritate, verùm etiam rara prudentia, miroq; rerum vſu inſignes, duo fuêre Cardinales, Laurentius ſub Leone decimo, legatus ad Anglos miſſus, & à Clemente ſeptimo factus Comes Dozzę: & alter Alexander ſub Iulio tertio. Eiuſdem familię Epiſcopi fuerũt Thomas Epiſcopus Feltrienſis gubernator Placentiæ: Io. Baptiſta Epiſcopus Maioricenſis, cui ego multũ certè debeo, vtpote qui ad promouendos meos labores, & leuandos ſumptus, quos in meo rerum naturalium immenſo opere edendo, facio maximos, mille mihi aureos liberaliſſimè donauit. Fuit item Philippus Maria Epiſcopus Feltrienſis, ..... Epiſcopus Groſſetanus, & Laurentius ſecundus nuncius electus ad Neapolitanos, & Venetos, Epiſcopus Ceruienſis, & Collegij Philoſophorum, Medicorum, & vtriuſque Iuris Archidiaconus, & Rodulphus Reipublicæ Venetæ Dux generalis, necnon & Reipub. noſtræ Senatores Antoniuſmaria, Vincentius, atque Hannibal adhuc viuens, Senator huius vrbis ampliſſimus, & peculiare decus. Huius igitur tam illuſtris familiæ præter Canem Leporarium erectum ex vno latere eſt etiam dimidiata Aquila diademate inſignita.

Ennij Philonardi de Bauco inſigne.

Ennius Philonardus de Bauco Verulanus Cardinalis ſub Paulo tertio, vtebatur dimidiata Aquila cum duabus arboribus, & faſcijs diametralibus, & ſex floribus Liliorum, qui ſunt inſigne Pauli tertij.

Sbigneus Polonus Epiſcopus Cracouienſis, Cardinalis ſub Eugenio tertio, vſurpabat dimidiatam Aquilam coronatam in ſiniſtra bipartiti ſcuti parte, in dextra verò crucem.

Sbignei Poloni inſig.

Ant. mariæ Saluiati inſigne.

Antoniuſmaria Saluiatus Comes, Cardinalis ſub Gregorio decimotertio, etiã vtitur ſemiaquila, teſſellata, nigra & lutea, in campo rubro, ex cuius oppoſito à dextris ſunt raſtra alba pariter in rubro, in ſuperiori verò inſignis parte ſunt arma Gregorij ſupradicti, nempe ſemidraco alatus viridis.

Lucanorũ populorũ inſigne.

Lucanis populis etiam pro inſignibus ſemiaquila eſt colore fuluo, coronata, cum tribus lineis vndam præferẽtibus in campo aureo. Sunt qui inde profecta putent hæc inſigna, quòd de Græcis, qui malè eos tractauerant, aliquando triumpharint.

Imperialiũ quarũdam ciuitatũ in ſigne.

Ciuitates quædam Imperij Romani etiam ſemiaquilam vſurpant, vt Norimbergum, Egrana, Ingelhemium, & fortaſſis aliquæ alię, vt & Burggrauiatus Magdeburgenſis cum faſcijs nigris duabus à ſiniſtris per longitudinem ſcuti poſitis.

Ricciæ famil. inſig.

Familiæ Ricciæ regni Neapolitani inſignia ſunt, ſcutum in tres ęquas partes tranſuerſas diſtinctum, ſuperior habet Aquilam dimidiatam nigram in campo aureo, media pars aurei coloris Echinum terreſtrem nigrum, infima vndas cæruleas in campo itidem aureo.

Montanariorũ inſig.

Priſcum Montanariorum Veronẽſium inſigne fuit, ſcutum per longitudinem bipartitum cum ſemiaquila coronata à dextris, & vndis fortaſſis à ſiniſtris.

Aleptorum inſigne.

Inter Familias nobiles Florentinas eſt Aleptorum, quæ Aquilam gerit in dextra dimidiatam, ſiniſtra verò tres faſcias in longitudinem ſcuti ductas.

Qui Aquilis duabus vſi ſunt.

SED Aquilis duabus hi ſubſequentes vſi ſunt.

Regni Siciliæ inſigne.

Inſigne Regni Siciliæ eſt cum quibuſdam repagulis dependentibus, & duabus Aquilis coronatis.

Vienæ Auſtriæ inſig.

Aquilam bicipitem à dextris coronatam, à ſiniſtris aliam diademate ornatam vſurpat Vienna Vrbs Germaniæ nobiliſſima, & Imperatoris ſedes.

Didaci ſpinoſæ inſig.

Aquilis duabus in campo quadripartito cum capite Meduſæ, & Leone vſus eſt Cardinalis Diegus Spinoſa Hiſpanus ſub Pio quinto.

Franc. Mędozzę inſig.

Aquilas duas cum quatuor Leonibus, igneis linguis, arcibus quatuor, turriculis duabus, crucibuſq; & catenis totidem, atque tænia diametrali in ſuis inſignibus habuit Franciſcus Mendozza Hiſpanus Cardinalis, Epiſcopus Caurienſis ſub Paulo tertio.

Bernardi Cleſij inſig.

Eadem ferè inſignia erant Bernardo Cleſio Germano Epiſcopo Tridentino, Cardinali ſub Clemente ſeptimo. Vſus eſt quoque Aquilis duabus, Leonibus quatuor, ſed nullis alijs rebus adiectis.

Simeon

Simeon Taliauia de Aragona Siculus, filius Ducis Terræ nouæ, Cardinalis sub Gregorio tertiodecimo, duas Aquilas, & duos Leones in insignibus vsurpauit. Simeonis Taliauiæ insigne.

Franciscus Alidosius Foroliuiensis filius Ioannis nati ex Ludouico, Episcopus Papiensis, & Thesaurarius Iulij secundi Pontificis, & ab eodem Cardinalis creatus, in insignibus habuit Aquilas duas cum duabus quercubus. Hæc autem domus Alidosia antiquitate nobilissima multis annis Forocornelij, & Foroliuij, alijsq; Flaminiæ, seu Romandiolæ oppidis, vt Massæ, Formioni, Toffignano, Fontanæ, Gago, & Castro de Rio imperauit, habuitq; inter alios Ludouicum illum Bertrandi filium, nobilem Venetum à Duce Antonio Venerio creatum, & Comitem Nicolaum de Pitiliano Venetorum classis præfectum, eiusque eiusdem nominis filium, Dominum Gagi, & Formionis, Obici illius patrem, cuius filiam Franciscam clarissimus Senator Bononiensis Fuluius Marescalcus meus primus consobrinus maternus in vxorem duxit. Ex eadem familia est Cyrus Dominus Castri de Rio, & Massæ, merumq; & mixtum imperium obtinens, qui sæpe orator ad diuersos Principes, vt ad Maximilianum Imperatorem, ad Regem Hispaniæ, & Portugalliæ, & ad Comitia Ratisbonensia à Magno Hetruriæ Duce Francisco Mediceo missus fuit. Franciscus Alidosij insigne.

Præter alia insignium Hippoliti Atestini Ducis Ferrarien sis Alphonsi primi filij, Cardin. sub Paulo tertio, duæ, teste Sanuino, Aquilę erãt albę vnicipites cum sex lilij floribus in cãpo quadripartito. Quę insignia Marchionibus primò, & iam alijs Estensibus Ducatus honore nedum insignitis, qualis est hodie Cæsar Estensis Sereniss. Alphonsi II. ex fratre nepos, gestari solita sunt, quæ mutato rerum statu Ducibus in duas nigras, sed bicipites, & coronatas abierunt, retenta tamen vna alba vnicipite in scuti meditullio, antiquę originis monumento, quæ clauibus, & hastili vmbellæ Pontificijs ob summam præfecturam copiarum Ecclesiasticarum collatis, imponitur. Eiusdem familię Aloysius de Este primus eius nominis Cardinalis, electus Episcopus Auxitanus, Protector Galliæ, sub Pio quarto. Habuit autem Sereniss ima istæc Estensium familia strenuissimos, & laudatissimos Ferrariæ Duces, quorum primus fuit Borsus à Friderico tertio Imp. Dux creatus; inde Hercules primus, cui Alphonsus primus eques ordinis S. Michaelis, huicque Hercules secundus successit, strenuissimi, ac inuictissimi Alphonsi secundi nunc imperantis pater. Estensis verò istius præclarissimę familiæ antiquiores primùm Domini vocabantur, postea verò Marchiones, qui deinde Duces, vt diximus partim creati sunt, partim verò Marchiones, Ducibus regnantibus, remanserunt ijsdem insignibus. Verùm tam diuersa fuêre huius familiæ Estensis insignia, vt, referente Alberto Pigna, ad vigintiquinque propè accesserint. Qui igitur hæc exactius volet, eum adeat. Estensis famil. insig.

Durantes de Durantibus ciuis, & Episcopus Brixiensis Card. sub Paulo tertio, in insignibus habet Aquilas duas, cum duodecim liliorum floribus. Durãtis de Durãtibus insigne.

Familia Caietana à Bonifacio octauo originem ducẽs, multos dedit Cardinales, inter quos fuit Iacobus Franciscus, Benedictus, Antonius Patriarcha Aquilegiensis sub Bonifacio nono; Nicolaus sub Paulo tertio, & Henricus Card. legatus primùm Bononiæ, pòst ad Regem Poloniæ sub Clemente octauo nunc regnãte. vtitur autem illustrissima istæc familia binis Aquilis albis vnà cum vnda. Eisdem insignibus vtitur nobilissima & eiusdem nominis familia Neapoli oriunda, sed Aragonię familiæ insignia cum illis habet adiuncta, vt ostendant se cum nobilissimis alijs familijs matrimonia contraxisse, vt testatur Scipio Mazzella. Caietanæ familiæ insignia.

Ludouicus Madrutius Germanus Cardinalis à Pio quarto creatus in insignibus vtebatur duabus Aquilis coronatis vnà cum ponte, tribus pilis, organo, repagulis, & fascijs. Ludouici Madrucij insigne.

Familiæ clarissimæ Contarinæ Venetæ binæ item sunt Aquilæ nigræ, in campo luteo scuti quadripartiti, & fasciæ sex cæruleę, & in medio duarum duo flores liliorum lutei in scutulo cęruleo. Ex hac familia etiam aliquot Cardinales, vt Gasparus sub Paulo tertio, & Episcopi insignia suæ reip. ornamenta profluxerunt. Cõtarinorum Venetorũ insig.

Ducatus Mediolanensis præter serpentem etiam in insignibus suis duas habet Aquilas. Ducatus Mediol. insignia.

STEPHANVS Nonus dictus decimus Pont. max. antea Fridericus appellatus, dux Lothoringiæ in scuto vsurpauit tres Aquilas albas cum vna lamina diametrali. Aquilas tres habentes. Stephani noni Pont. max. insig.

Ioannes Lotharingus electus Episcopus Metensis Gallus Cardinalis sub Leone decimo, vsus est pręter tres Aquilas duob. Delphinis, multis liliorũ floribus, cruce, repagulis, & fascijs.

Carolus de Guisa Lotharingus Gallus Card. sub Paulo tertio, eodem vtitur insigni, quemadmodũ & eiusdem familiæ subsequentes: Ludouicus Card. sub Iulio tertio, Aloysius Card. sub Gregorio XIII. Carolus electus Episcopus Tullensis, Card. sub eodem, item alius Carolus sub Sixto V. qui filius fuit ducis Lotharingię, & Ferdinãdi Magni Hetruriæ ducis leuir. Lotharingiæ famil. insigne.

Christophorus Madrutius Tridentinus Cardinalis sub Paulo tertio cum tribus Aquilis ex priuilegio, inter cætera etiam vsurpat agnum. Christophori Madrutij insigne.

Gulielmus

Guliel. Enthefort, vel Hincfort inſig.

Gulielmus Enthefort Panuinio, Hincfort Iouio, Traiectenſis Brabantus, Epiſcopus Dertuſienſis Cardinalis ſub Hadriano ſexto, Aquilis tribus ſimpliciter vſus eſt.

Hannibalis Bozzuti inſig.

Hannibal Bozzutus Cardinalis ſub Pio quarto, in dextra inſignium ſuorum parte ſupra faſciam cæruleam, in campo luteo, tria cõchilia alba; & in ſiniſtra, quę cærulea eſt, habet faſciam luteam, & tres Aquilas nigras. Petromelarius vtramque faſciam tranſuerſalem eſſe teſtatur.

Indię extra Gangẽ inſigne.

India extra Gangẽ Europæ propinquior pro inſigni tribus Aquilis nigris vtitur alis expãſis.

Bentiuolorum famil. inſig.

Familiæ Bentiuolorum, quæ aliquando Vrbis noſtræ dominium tenuit, inſignia varia ſunt. Primùm duas habebat Aquilas è diametro oppoſitas, totidem ſerras in ſcuto quadripartito. Supra caſſidem alia adhuc Aquila erat eiuſdem cum cæteris coloris, cũ inſcriptione collo annexa, MAXIMIMILIANI MVNVS. Aquilis enim à Maximiliano primo Ioannes ſecundus Bentiuolus donatus fuerat. Verùm vt obiter moneam, afferunt quidam flãmam potius in antiquiſſimis Bentiuolorum armis conſpectam fuiſſe quinquilinguem in cãpo luteo, poſtea in ſerram tranſuerſam permutatam. Secunda inſignia aurea inter cætera habebant lilia Ludouici Gallorum regis donum. Hæc conſpecta fuerunt partim ſex, partim cum ſeptem lilijs, excepta Aquila ſupra galeam. Tertia, quę flammas habent cum glandibus aureis in campo cyaneo, quibus moderni Bentiuoli vtuntur, Iulius ſecundus Pontifex, cùm Bononiam Eccleſiæ ſubiecíſſet, hiſce dedicauit. Quamuis eoſdem flammas abſque glandibus, iunctis tamen lilijs gerere paſſim videamus. Sed Aquilam Bentiuolorum inſigne conſpectum fuit in celebri illo torneamento, quod anno 1489. Hannibal Ioãnis dicti filius ad æmulationem ſimilis, quod Laurentius Medices Florentiæ habuit, ſumma ſua laude, ſummiſque expenſis ſuis Bononiæ celebrauit, cuius deſcriptionem ex Sanſouino licet petere. Prętер homines ſingulares, quos hęc familia produxit, & antiquiores, noſtra ætate fuerunt de Bentiuolis Andreas, & Ludouicus Senator, pater Herculis, qui nunc decanus eſt huius ampliſſimi Senatorij ordinis, viri integerrimi, omnibus æquè cariſſimi. Ex his eſt Vlyſſes magni Hetruriæ ducis Franciſci gener. His adnumero Ludouicum Conſtantij hominis noſtra ętate rari filium, Epiſcopum Policaſtri, ſiue ciuitatis caſtri à Gregorio XIII. factum, hominem ſumma eruditione, & virtute prædituм, & comitem Baptiſtam eius fratrem, qui in vxorem duxit Hippolitam Filiam Raynerij Marchionis à Monte, & Comitis Montis Barotij, & Andream Fratrem I. V. Doctorem, magnę expectationis iuuenem, ſed cuius operam, & conſpectum dura mors nobis inuidit.

Aquilę quatuor.

Familia Guinatiorũ Neapolitana in inſignibus ſuis habuit tres Aqlas cũ lamina una argẽtea. Mormillorũ eiuſdẽ vrbis familię prętер tres Aquilas binę etiã in inſignibus ſuis laminę ſunt. Hactenus de tribus: iam de quatuor.

Philippi Hiſpaniarum Regis inſig.

INVICTISSIMI, & potẽtiſſimi Hiſpaniarũ Regis inſignia inter tot regnorũ auitorũ & nuper ſumma felicitate acquiſitorum notas, Aquilę etiã quatuor condecorant, quarum duæ vnicipites cum tænijs quibuſdam sũt regnorum Sicilię, tertia quidem, cuius regni aut prouinciæ propria ſit, quãuis anxiè perquiſiuerimus, indagari tamen non potuimus. Quarta verò vniceps alas expanſa nigra, regiâ coronâ inſignita, ſcutum totum cum tot regnorum, & prouinciarum inſignibus, velut fulcrum continet, quæ, vt ego exiſtimo, & Imperatoriam prolem, & auitam cum Imperatoribus non ſolùm iam, ſed inde à multis ſeculis, atq; adeo ab Friderici illius primi bellicoſiſſimi Imperatoris temporibus coniunctionem denotat.

Gonzagorum famil. origo, & inſignia.

Gonzagorum illuſtriſſima familia, quæ ante ſexcentos annos à Ludouico Germano Regia prole, vt nõnulli referũt, prognata eſt, in ſuis inſignibus quatuor Aquilas in quatuor ſpatijs magnæ crucis totum inſigne occupantis vſurpauit, vnà cum duobus Leonibus in ſcutulo quadripartito, & tænijs tranſuerſis. Antiquiſſima, & prima huius familię inſignia, vt refert Petrus Gritius tæniæ luteę, & nigrę fuerunt, ſed mox per Leones obſcuratę, quos identidẽ quatuor Aquilæ obſcurarunt & hoſce mox Paleologorum arma nuper inſerta. Sed quoniam hæc omnia ſimul ineſſe videmus inſignibus antè à nobis enarratis, ideo ignoro, quidnam obſcuratum eſſe author dicat. Mihi auctiora, & ampliora videntur reddita eſſe. Habuit hęc Regia familia Cardinales maximos, Franciſcum Epiſcopum Mantuanum ſub Pio ſecundo, cui inſigne donatum fuit a Sigiſmundo Imper. & Sigiſmundum earundem planè dignitatum Cardinalem & Epiſcopum ſub Iulio ſecundo, vt & Herculem ſub Clemente ſeptimo: Pyrrhum, vt Petromelario, vel Perinum, vt Panuinio placet, Epiſcopum Mutinenſem, & Cardinalem ſub eodem, F. Ioannem Vincentium ſub Gregorio decimotertio, Scipionem ſub Sixto quinto. Ex his fuit Princeps Morphetti, vulgò di Molfetta, & Dux Traiecti regni Neapolitani Ferrantes Gonzaga. Notandum verò, vt teſtatur Mazzella, Princeps in regno Neapolitano Ducibus dignitatis gradu prędferri. Duces habuit Mantuæ quatuor, quorum primi duo titulum & dominium Marchionatus Monferrati habuêre. Horum ille Fridericus à Carolo quinto Imp. creatus fuit eo tempore, quo Bononię à Clemente ſeptimo inauguraretur. Huic ſucceſſit Franciſcus, cui Gu-

lielmus

Helmus frater à Maximiliano secundo Imp. Dux Monferrati creatus eum insignium ampliatione, qui Vincentium tanti dominij, & nominis hęredem ex Sereniſſima Auſtriacorum familia genitum poſt ſe nobis reliquit. Totidem etiam Marchiones habuit hęc eadem nobiliſſima familia antequam Ducis dignitate inſigniretur, quorum primus fuit Ioannes Franciſcus ann. 1433. à Sigiſmundo Imp. creatus, in eius eximię virtutis bellicę remunerationē. In eius locum ſucceſſit Ludouicus, deinde Fridericus, qui Mediolanenſis Ducis rerum omniū pręfectus fuit: demum Frāciſcus huius nominis ſecundus. Marchio de Spechio regni Neapolitani erat Andreas Gonzaga. Comes Fundi in eodem regno erat Veſpaſianus Gonzaga. Comes de Iouenazzo eiuſdem regni erat Ferrantes Gonzaga.

Huc vſque de quatuor Aquilis egimus.

FAMILIA Monmoratiorum Gallorum in ſuis inſignibus ſedecim Aquilis cæruleis in campo aureo, teſte [d] Caſſaneo, vſa eſt. Monmorantiorum] insigne. Aquilas ſedecim habentes.

De inſignibus itaq; Aquilam ferentibus, etſi latius tractari potuiſſe ſatis ſciamus, quatenus tamen nos obſeruare licuit, iſtęc breuiter ac per tranſennam ſubducere voluimus. In qua quidem re fateor cùm additionibus factis ad Onuphrium Panuinium à Paulo III. vſque ad Clementem VIII. me adiutum eſſe, tùm etiam multa mihi communicata fuiſſe ab Illuſtri Equ. D. Io: Antonio Petromelario Bonon. viro prudentia ſingulari, ſumma integritate, & harum rerum ſtudioſiſſimo. Fateor etiam me Iulij Cupellini Bonon. ſpectatæ virtutis & doctrinæ viri, olim Iacobi Boncompagni Ducis Soræ, deinde Card. Sanctorum quattuor Coronat. nepotis Innocentij Noni, ac demum Franciſci Mariæ Ducis Vrbinatis, Secretarij opera vſum fuiſſe. Res tamen, vt ingenuè fatear, & difficilis fuit, & laborioſa, tot Vrbium, prouinciarum, regnorum, familiarum, Principum, Ducum, Imperatorum, & ſummorum Pontificum inſignia ſimul comprehendere, vbi nulla rerum inter ſe connexio eſt, vbi nihil commune inuenire nequit, à quo ſenſim per media ad extrema recto ordine procedas, vbi prout captus fuit, & affectus, ſic pro arbitrio modò hoc, modò illud nobilitatis ſignum ſibi quiſq; elegit. Hoc autem loco ſaltem de Aquilis & potiore ex parte ſermonem habuimus, de animalibus, plantis, & cæteris rebus, quæ in vſum armorum veniunt ſuo loco, quoad ſciemus, latius dicturi. Antequam tamen huic rei coronidem imponamus, epilogi loco hanc de Aquilarum depictarum in inſignibus numero quaſi legem, quam neſcio equidem, vnde deſumptam, ſancit, ac præſcribit [e] Caſſanæus, libet adijcere. *Quòd ſi*, inquit, *Aquilæ in inſigni, ſeu ſcuto collocatæ non fuerint plures, quàm decem, & ſex, omnes nominandæ, ac numero ſuo determinato exprimendæ ſunt, quo numero Monmorantia gens in clypeis geſtat: ſin verò maior eſt numerus Aquilarum, tum deſiniendi eiuſdem nulla habetur ratio, dicunturq; ſeminatæ Aquilæ; ſeu incerti ac indeterminati numeri, qua ratione expreſſas eſt videre in inſignibus dominorum de Peuſſe.*

[d] *Par. 1. Catalog. Glor. mund.*

[e] *Lib. de Catalog. Glor. mund.*

## Finis Libri Primi.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ

## Liber Secundus,

Qui est,

## DE AQVILIS IN PARTICVLARI.

## DE ORDINE CAP. PRIMVM.

ETSI nulla legis necessitate præfinitum adhuc sit, rectiùsne vniuersalia singularibus, an è conuerso singularia vniuersalibus in naturalium contemplatione præponantur, tamen quoniam vniuersalia naturâ prima sunt, & simpliciora, ideoq; à principe nostri parte verius cognoscuntur, quæq; velut causa & origo sunt cęterorum: quare & nos hunc ordinem obseruauimus, & iam explicatis, quę in genere de Aquilis tradi poterant, ad particularem earum tractationem descendemus. Accedit, quòd ipse Philosophorum culmen Aristoteles, quem imitari nunquam non fuit laudatissimum, hunc eundem ordinem semper seruauit: atque id verissimũ est, nisi vniuersalia priùs explicentur, fiet tum vt sæpius eadẽ repetamus, & vt aiunt, actum agamus. Quare illis à principio sic positis, in singularium historia ea solùm enarraturi sumus, quæ cuique peculiaria sunt, nec toti generi congruunt; rursum ea omittemus, quæ de omnibus in vniuersum alibi scripsimus: vel si quidpiam antè toti generi ab authoribus est attributum, quod de vna tantum specie dicere verum sit, id paucis in singularum historia, dũ proprias cuique dotes aduendicamus, vt decet, indicabimus. Aquila autẽ vna hoc ab altera differt, vel quòd ei peculiare quidpiam natura dedit, quod cæteris minimè commune est, aut si fortè fuerit, magis tamen in hac, quàm in illa reperiatur, vti ex partium corporis in qualitate ac quantitate differentia, vti ex ingenij & actionum discrimine procliue est colligere. Sub Aquila verò ceu genere species essentiali differentia distinctas sex solummodo veteres posuerunt, videlicet Pygargon, Morphnon, Melanæton, Perenopteron, Haliaeton & Gnesiam. Sunt qui addant septimam Ossifragam, quam rursus alij, quòd à specie diuersis promiscuo congressu ortum ducat, ab Aquilarum genere abdicant. Verùm non ex sola magnitudine nos specierum diuersitatem metimur, sed etiam ex ingenij, actionumq; discrimine, quæ à natura seu forma vniuscuiusque animantis emanant. Cæterùm non ineptè facturi videbimur, si in hac particulari historia hũc ordinem seruemus, vt ea, quæ naturæ similitudine maximè inter se conueniunt, sibi mutuò in tractationis ordine proximè succedant: quæ verò minùs, ea longè inuicem disiungamus, semper tamen habita dignitatis ac præstantię ratione. Nec animum nostrum ab hoc instituto reuocare debẽt, etsi grauissimi authores, [a] Aristot. & [b] Plinius. Hi etenim promiscuè nullo prorsus, neque dignitatis, neq; etiam naturæ ordine seruato de Aquilarum sex generibus egerunt. Nam neque ad magnitudinem respexerunt, neque actionum aut ingenij seu indolis præstantiam attenderunt. Si enim dignitatis & præstantiæ rationem eos habuisse quispiam ęstimare velit, cur non omnium primam ceu verè nobilissimam statuunt Chrysaëton? quare Clangæ ignarę postponit viribus prędstantissimam, alijsq; innumeris naturę dotibus prędità Melanaëton Aristoteles? Si verò magnitudinis ordinem seruasse dicatur, cur non eandẽ potius Chrysaëton Aquilarum omnium, ipsomet assertore maximam (etsi Plinius in hoc, vt in multis alijs ab eo discrepans, nescio quàm rectè, medię eam magnitudinis faciat) primo loco collocat? Cur proximè subiungit Pygargo Plãgam, vni ex mediocribus magnitudine, à maxima secundam?

Quomodo Aquilę differant.

Aquilarũ genera veteribus cognita.

Ossifraga cur non sit ex genere Aquilarũ.

Aquilarum differentiæ vnde parendæ.

Ordo qui seruandus.

[a] *Lib. 9. Hist. c. 32.*

[b] *Li. 10. c. 3.*

Aristotelẽ & Plinium Aquilarum genera cõfudisse.

dam? cur Melanaëton omnium minimam Haliæto & Gnœſiæ longè maioribus anteponit? Qui enim magnitudinis ordinem obſeruaturus erat, illi certa ſerie à maximis per mediocres ad minimas gradatim proficiſcendum erat. Sed neque à minimis ad maximas ordine contrario proceſſit; hac enim ratione minima omnium Melanaëtos primum locum merebatur. Plinius verò etſi diuerſa ab Ariſtotele uia inceſſerit, fortuitam tamen & ipſe hanc Aquilarum enarrationem inſtituit, prout primùm unaquæque in mentem uenit. Attamen ne hos, quibus pleraque, imò plurima debemus, ingrati filij deſeramus, nos eos extra culpam eſſe fatemur, neque reprehendi iure merito poſſe: ſpecierum enim, quę ſub eodem genere comprehenduntur, nulla alterâ prior eſt aut poſterior, & omnes æquabiliter generis naturam participant, itaq; Aquilæ omnes eodem loco habendę ſunt, neq; hæc illi, aut illa huic poſthabenda eſt. Recentiorum quidam, dum alij aliam moliuntur methodum, Aquilę genus in magnas, mediocres & paruas Aquilas ceu ſpecies dirimunt; ſed parum rectè. Magnitudo enim ex ſua ratione minimè rerum ſpecies conſtituit aut immutat; etſi uerum ſit, eam quandoq; diuerſas rerum formas proximè conſequi, ac tãquam nexu alligatam perpetuò comitari. [c] Creſcentienſis melius Aquilas omnes in nobiles ſeu generoſas, & ignobiles ſeu degeneres diuidit. Quędam enim nõ niſi animalia grandia, ipſaq; etiam ferocia, & quę eis maximum in pugna faceſſunt negotium, appetunt, obuios quoſque, & qui nullo labore parantur, cibos reſpuentes; quædam uerò contrà ignauę ac uiribus ſuis diffidentes, cadauera animantium tantùm ſectantur, atque ita ad Vulturum & Miluorum naturam proximè accedunt. Sed & ab affectu ſeu ingenio earum poſſet deſumi differentia, ut quędam pullos ſuos nutriant, quędam è nido eiectos deſerant, quędam demum non ſolùm ſuos fœtus, ſed & alienos foueant. Quo nomine Oſſifraga, etſi uix in Aquilarum numerũ, ob cauſas, quas ſuo loco recenſebimus, admiſſa eſt, primas teneret, ſecundas Melanaëtos. Legitimi uerò ac incorrupti ortus merito primum locum (quę & præſtantię nec non magnitudinis cauſa primatum ſibi uendicauit) Chryſaëtos etiam obtinebit. Actionum præterea uarietas eas à ſe mutuò ſeiungit ac diſcrepare facit; ſunt enim, exempli gratia, quędam quæ ætitem lapidem in nidum inferunt, quædam verò minimè hoc præſidij adhibent. Nos verò qui ordinẽ dignitatis ac præſtantiæ ab initio obſeruare inſtituimus; imitati Philoſophum animalium hiſtoriam ſcribentem, vti eundem item cum Theophraſto de Plantis tractantem, has nobis leges præſcribimus, vt cùm plurimum nobilitate & indole inter ſe differant, ab ea quę omnium nobiliſſima eſt, fuitq; apud omnes ſemper habita, tractationem auſpicemur. Hęc extra omnem dubitationem Chryſaëtos eſt: ſola enim genuina eſt, & legitimorum natalium, omnium maxima, fortiſſima, nec non Aquilarum pulcherrima. Secundum locum Haliæto daturi ſumus, vt qui non ſolùm nobili, præclaraq; viſus acie omnibus præpolleat, ſed & Phœbo iudice, ſui generis indubitatam fidem accipiat. Tertium locum Melanaëtos occupabit: hæc enim etſi corporis mole minima eſt, viribus tamen omnibus præſtat, vnde Valeria nuncupatur, alijsq; inſuper plurimis naturæ ſeu ingenij dotibus ab [d] Ariſtotele decãtatur. Quartã claſſem Pygargo tribuimus: nam & regia Auis aliquãdo dicta fuit, & maior ferociorq; eſt cęteris, vt quæ hinnulos capiat. Quinto loco recenſebitur Morphnos, hoc merito Pygargo cedens, quòd Philoſopho teſte, magnitudine & viribus ei ſecunda ſit: potior tamen eſt Perenoptero, quòd Anates & ſimiles aquaticas Aues etſi minutiores, viuas tñ abripit. Omniũ viliſſima ideoque infimo loco digna Perenopteros eſt. Hæc non ſolùm exanimata corpora ſectatur Vulturum more, quorum & ſpeciẽ refert, verùm & à Coruis cæterisq; id genus Auibus fugatur, verberatur, capitur. His omnibus Oſſifragam, etſi adulterini generis, nec ab Ariſtotele inter Aquilas annumeratam, ob maximam tamẽ cũ his cognationem (nam ex Haliætis naſcitur, vnde & cognatum genus [e] Plinius vocat, & Aquilis aſcribit) vti & ob ingenij præſtãtiam, qua non ſolùm Perenopteris, ſed & alijs quibuſdam Aquilis fortaſſe præcellit, tandem ſubnectemus. Etenim tanquam originis ſuę conſcia, non ſolùm ſuorum, ſed Aquilę cognatę pullorum iuxtà curam gerit, memorabili pietatis exemplo. Ad has veluti ad genera præcipua, pleraſq; quas pluſculas & frequentiores quàm hactenus quiſpiam alius, dabimus, ſuæ vnamquamque ſpeciei, ſi non indubitatâ ac irrefragabili, ſaltem probabili, quantum res patietur, ratione ducti, attribuemus.

Plinij ordo refutatus. Cõciliatio.

Recentiorũ ordo de Aquilarum generib. refutatus.

[c] *Lib. 10. capit. 15.*

Differentię penes nobilitatem.

Ab affectu ſiue ingenio.

Ab actionibus.

Ordo qui ſeruandus.

Chryſaëtos Aquila qualis, & cur ab ea inciendum.

Haliætus.

Melanætos

[d] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.*

Pygargos.

Morphnos.

Perenopteros.

Oſſifraga.

[e] *Li. 10. c. 3.*

# DE CHRYSAETO. CAPVT II.

## SYNONIMA.

Etymum.

CHRYSAETOS Græcis, quaſi auream ſeu fuluam Aquilam Latinè dicas, merito iure appellata fuit, quòd colore ſit aureo, aut ſaltē ad hunc cæteris propius accedat: Aquilæ quoq; nomen huic ſimpliciter ac ſine adiuncto, κατ' ἐξοχὴν competit, vt quæ dignitate reliquis in vniuerſum potior ſit. Sola germana ac legitima eſt, & gemini ac incorrupti ortus exiſtimatur, vnde Gneſię nomine eam Græci cohoneſtarūt. [a] Albertus Magnus, philoſophus alioquin eximius, meliora proculdubio rebus daturus nomina, ſi ſeculo paulò cultiori ipſe datus fuiſſet, at nunc in tanta ſui ęui barbarie, linguarumq; ignorantia venia dignus, hoc primum & præcipuū Aquilarum genus Herodium vocat, tanquam Auium omnium, vt ipſe ait, heroē. Quo ſenſu & Auē regalem Apuleius dixit. Quamuis id nominis alijs quoque Auibus datum eſt, nempe Accipitri ſeu Falconi ſacro, qui & Hierofalco vocatur, nec non Ardeæ. Nā Ariſtoteli Herodius Auis ea eſt, quam Ardeolam vertit Gaza, quidam Ardeam ſtellarē. Hęc ea eſt Aquila, quæ [b] Pindaro reliquisq; Iouis ales & Aquila Iouis nominatur, ſola digna habita tanti Domini miniſtra. Aquilā item à macularum notis ſtellarē vocat [c] Aelianus, Aegiopon Heſiodus, Phlegian Sophocles, & Cataractin in Lacoonte. Ab Hebræis נשר Neſer. Chaldæis נישרא Niſra. Perſis uerò אנפ׳שורג An ſi mureg. Arabibus נסר Neſer, Samech litera pro Schin poſita. Iiſdē Zummach, Alchal Gagita & Aukeb. Syris Napan. Græcis Ἀετός, quo nomine etiamnum vulgò Græcorum appellatur, vel αἰητός. Cyprijs ἀγόρ, Heſychio & Varino teſtibus. Pergeis Aibetos. Macedonibus Braos. Italis Aquila vel Aguglia. Hiſpanis Aguila. Gallis Aigle Royal. Germanis Adelar, quaſi nobilem Aquilam dicas, & Adler. Inferioribus Germanis, ut Thungris Aar, ſeu Ar, quæ vox cùm Chaldaica voce Ar, Aquilæ ſeu Accipitris genus ſignificante, prorſus conuenit. Flandris Arent, vel Arn. Anglis Eagle. Illyrijs Orel, uel Orzil. Sed nomenclaturarum harum plurimę genericæ ſunt, omnibusq; communes, ut antea monſtratum fuit.

Gneſia.

[a] *Lib. 23. de Animal.*

Gaza.

[b] *Pytheorū Ode. 4.*

[c] *Aelian. li. 2. c. 39. de animal.*

# FORMA DESCRIPTIO.

CHRYSAETI formam expoſituri, primùm qualem veteres eam depinxerint, examinabimus, qui pauca adeo ſuæ Chryſaëti nobis indicia reliquerunt, vt difficillimum ſit, ex eorum præſcripto vel de noſtris iudicare, vel certi quidpiam ſtatuere; deinde ſingulas eas; quarum icones dabimus, ordine deſcribemus. [a] Ariſtoteles germanam hanc Aquilam ruffam eſſe ſcribit. Vnde & [b] Virgilius fuluam Aquilam dicit; [c] Plinius verò ſubrutilam. Corporis mole omnium maxima eſt Ariſtoteli, maior etiam Oſſifraga: ſed cæteras etiam ſeſquialtera proportione excedit. Plinius ab Ariſtotele diſſidet: nam mediam magnitudine ſtatuit. Verùm corruptus locus videtur, emendandusq; ex Ariſtotele hoc pacto: Cæteras media magnitudine excedit. Seſquialtera enim proportio, qua Ariſtoteles eam reliquas ſuperare ſcribit, talis eſt, vt maior Aquila minorem contineat ſemel & media eius parte, vti nouenarium numerum media parte ſenario maiorem, duodenarium octonario dicimus. Charopos eſſe Aquilæ oculos, ex eo Ariſtotelis loco colligemus, vbi [d] ſcribit: *Quorum oculi non glauci, ſed charopi ſunt, animoſi habentur, per coniecturam à ſimilitudine ad Aquilam & Leonem.* Aliud quod equidem ſciam, de hac Aquila Iouis à veteribus nihil eſt proditum. Nunc eius Aquilæ, cuius iconem ceu germanæ vel ſimpliciter dictæ primam exhibuimus omnibus exactè notis expreſſam, ob oculos ponemus.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.* Color.

[b] *Lib. 11. Aencid.*

[c] *Lib. 10. cap. 3.* Magnitudo. Plin. emendatus.

[d] *In Phiſiog.*

SERENISSIMVS Princeps Ferdinandus Medices Magnus Hetruſcorum Dux, ſimul atq; meas accepiſſet literas, quibus Aquilam anatomiæ ſubijciendam, à ſua Celſitudine mihi tranſmitti, obnixè petieram, cùm Piſis id temporis ageret, extemplò imperauit, vt Aquilarum vna, quę Florentiæ Ducali magnificentia aſſeruari ſolent, ſiue viua ſiue mortua, ſuis ſumptibus (quę eius erga bonas literas, earumq; ſtudioſos, in me verò in primis perpetua ac inſignis eſt liberalitas, & tanto Principe digna munificentia) ad me deferretur, eam viuam ac incolumem ſuis mulis aduectam & caueæ ligneæ incluſam accepi. Hanc dies nouem viuam, mores ac ingenium eius obſeruaturus, non ſolùm carnibus bubulis, ſed alterius etiam Aquilæ, nempe marinæ, vel oſſifragæ fortaſſis (quam ſuo loco examinabimus, & quæ ab Excellentiſſimo viro D. Alphonſo Cataneo Sereniſſimi Ferrariæ Ducis Archiatro, & primario profeſſore publico

Aquilæ ab Aquila deuorari. Chryſaeti ferocia. Vox.

blico, dono miſſa erat) iam integrum octiduum mortuæ pulpa, quam perquàm auidiſſimè deuorabat, alui. Hoc equidem miratus ſum, quum Aquilam prophanam eſſe, ſi Aquilam voret, Aeſchylus Poeta antiquiſſimus, & Lupum lupina carne abſtinere, vulgus perhibeat. Hæc ſumma ferocia quiduis obuiũ laceſſebat, & Feles, Canes, ſi ad caueam imprudentiùs paulò acceſſiſſent, atque adeo hominem ipſum, aut vnguibus, aut roſtro impetebat. Interdum vocem quandam querulam, lamentantis in morem, & clangoſam edebat (clangere enim ſeu plangere propriè ac peculiariter Aquilarum eſt) minimè obſtreperam aut ſtridulam, ſed acutè ſonoram ac claram. Tandem hqueo ceruici iniecto ſtrangulata, adque ſtateram examinata libras duodecim pendere comperta eſt. Ab extremo roſtro ad vltimam caudam commenſurata, quinque dodrantum longitudinem explebat. Longitudo totius à roſtro ad extremos vſq; vngues, quatuor erat ſpithamorum & medij. Lata erat expanſis alis ſpithamos octo. Roſtrum palmam & pollicem vnum longum. Nam aduncitas ſola ſeu curuatura extrema vltra inferiorem mandibulam ad pollicem vnum propendebat. Latitudo roſtri, præſertim medij, pluſquam duorum erat digitorum. Acies roſtri hamata ſeu vncus nigrior, reliquo roſtro corneus color ad cæruleum diſtutum tendens, fuſco maculatus. Rictus oris, quantum nempe eius aperitur, vnius erat palmi & pollicis. Lingua humanæ ſimilis, lata, extremo teres, verſus radicem duobus vtrinque ceu hamatis appendicibus corneis armata, inferiori mandibulæ per tenuem quandam membranam media nectebatur. Palatum medio perforatum. Inferior roſtri pars canaliculata, qua vtrinque eminentioribus marginibus à ſuperiore inſerta excipitur. Membrana, quę à fronte vltra nares protenſa eſt, nec non fræni ſeu rictus initij oræ luteæ ſunt. Plumæ colli rigidę, ferrugineæ. Oculum tunica quædam craſſa ab infra ſurſum exporrecta, inter nictandum tegebat. Hanc periophthalmium vocant. Palpebræ binæ oculum integebant cùm ſupernè, tùm infernè, etiamſi inferior totum oculum ſola cooperire, ſurſum porrecta, ſufficiebat. Superciliorum regio eminẽs erat admodum, inſtar eius quod in domorum tectis prominet, dictum ſuggrundium, ſub qua in alta cauitate latebant, & quaſi immerſi erant oculi. Hi charopi, quibus in diluto virore ſplendor igneus intermicabat: pupilla ſaturi erat nigroris. Eſt autem maximoperè mirandum, quantoperè natura oculorum conſeruationi, quibus nil præſtantius eſt in hoc animali, ſedulò ſtuduerit, vt quę illi quadruplices palpebras videatur extruxiſſe, non contenta vno integumento, quod in alijs animalibus vſu venit. Quod enim in homine palpebræ ſunt, & quẽ vſum illæ habent, id eſt, præſtatq; periophthalmium illud. Huic autem & duas palpebras alias ſuperaddidit, atque inter has infimam tam amplam, vt ſola ad hoc conſeruandi oculos munus ſufficiat. Alarum & caudę color fuſcus, eoq; magis, quò pennæ maiores. Cæterarum totius corporis minutiorum plumarum ex fuſco ferrugineus ſeu caſtaneus erat, maculis ſparſim intercurrentibus albis, paucis dorſo, pluribus ventre, radicibus vbiq; albis. Rectrices alarum pennæ vtrinque ſenæ erant, dodrantes binos & palmum longæ, calamis firmiſſimis, ac duris, breuioribus tamen Anſerinis, ad ſcribendum aptiſſimæ. Crura ad pedes vſque plumoſa ferruginei coloris. Atq; hinc facilè liquere cuiuis poterit, quo in errore verſetur * Petrus Bellonius, Aquilas vno ſolo ſigno à Vulturibus dignoſci ſcribens, quòd ſcilicet crura nullo modo plumis veſtita habeant, vt in Vulturibus conſpicimus. Pedes autem ſubflaui erant. Siniſtri pedis poſticus vnguis ſeu calcar, ſex digitos in circumferentia longus: dextri verò quatuor tantum, inſigni inter vtrumque differentia, quam non naturalem, ſed vi illatam exiſtimo. Hic enim mutilus videbatur. Primus anticus ſiniſtri erat quinque digitorum longitudine, medius trium cum medio, tertius & minimus vnguis duorum digitorum. Dextri pedis ungues proportione calcaris, paulò quàm ſiniſtri minores. Singulos digitos tabellæ quaternæ ſemicirculares, extremos prope ungues integebant, excepto maximo anteriori, quem tres tantùm annuli ueſtiebant cætera ſquamulæ cooperiebant ad granorum milij, aut paulò minorem magnitudinem. Atque hanc pedum rationem tam ſceleton Aquilæ noſtræ, quàm ipſius Ornithologi Aquila rectè exprimit, ſecus atque icones aliæ. Error hinc emanauit, quòd dum uiuam pictor delinearet ob ſæuitiam eius propius accedere uerebatur, atq; ſic pedes oculatius inſpicere minimè poterat. Vngues autem unà cum digitis noſtri poëtæ artigli uocant:

Pondus. Lõgitudo. Latitudo. Roſtrum. Os. Lingua. Palatum. Colli plumæ. Oculus. Palpebræ. Supercilia. Oculi. Alæ. Caudæ. Totius color. Rectrices pennæ. Crura. Pedes. Vngues. * *Li. 2. c. 4. de Auibus.*

* *Arioſt. Cant. 34. Stan. 78.*

* *V'eran d' Aquile artigli.* Vt etiam Dantes;
*E poi diſteſi i diſpietati artigli.*

Hic igitur exterior corporis habitus fuit, & qui maximè in rei cognitionem nos deducit. Verùm antequam ulterius progrediamur, libuit hoc loco non tam pedis noſtræ Aquilæ magnitudinem ad uiuum expreſſam, quàm deſcriptionem & iconem Chryſaëti ab Ornithologo traditæ ſubnectere, ut tum deſcriptionem, quæ cum noſtra ferè eadem eſt, lector cognoſcat, & ſimul iconum diuerſitatem cum ea conferat, differentiamq;, quæ non exigua certè eſt, videat. Pes itaque noſtræ Aquilæ talis erat.

Aquilam

Aquilam ſuam Ornithologus ſic deſcribit.

AQVILAE pullum ante paucos annos in agro Tigurino, captum & in urbem allatum uidi huiuſmodi: Alarum pennæ maximæ in contrarium extenſæ interuallum relinquebant dodrantum nouem, & dimidij. Longitudo à principio roſtri ad finem caudæ, dodrantes quinque. Proceritas ſtantis pro more, non extenſo collo, dodrantes tres, palmo minus. Pedes erant crocei, & crura à pedibus ad palmi menſuram ſine plumis (ſecus tamen, quam hîc ex eo exhibemus, icon demonſtrat). Digiti pedum medij, longitudine & craſſitudine humani medij in uiro mediocri, aut paulò maiores. Pars dorſi ſuperior inter alas cucullum quodammodo ſua figura referebat, nempe triangula, mucrone deorſum uerſo. Ventris plumarum color ruffus ferè aut caſtaneæ, maculis albis aſperſus. Roſtrum poſterius ſubflauum, anterius nigricabat Indico propè colore. Longitudo roſtri ſuperioris ad tres digitos ferè, unco præterea ad digiti menſuram deſcendente. A media lingua unci duo hamorum inſtar retrorſum ſpectabant. In agro etiam Heluetiæ Solodorenſi quinto, priuſquam hæc ſcriberem, anno, iuxta pagum Hofeſtettam, Iulio menſe capti fuêre duo pulli Aquilæ, deſcriptioni

præmiſſæ conuenientes. Pennæ ceruicis rigebant & longiuſculè diſtabant. Qui Aquilam adultam uiderant, colorem cum ætate mutari aiebant, & pennas albas in capite, pectore, & alis omnes ad fuluum colorem conuerti. Hoc genus Aquilæ audio etiam circa Geneuam ſæpe capi, prægrande, ita ut cùm uolare nititur Aquila, licet nondum adulta, fune alligata ad crus hominis robuſti, ægrè ab eo retineri poſſit: Cicuratas per urbem uolare aiunt, & feles aliquando ſuper tectis arripere, & dilaniare. Hæc omnia Ornithologus.

Bellonij verò errorem de pedum Aquilarum opinione aduertimus ſuperius, nũc illius iconem hîc adijciemus (vt de eo quiſuis iudicet) cum hiſce, quibus Chryſaëton deſcribit, uerbis perquam parcis. Aquila, inquit, à Vulturibus dignoſci poterit, quòd crura nullo modo plumoſa habeat, ut in Vulturibus uidere eſt. Sunt autem breuia, & fulua anterius tabellis ornata. Vngues lati, roſtrum uerò nigrum oblongum, & in fine aduncum.

CHRY-

CHRYSAETOS BELLONII.

# DESCRIPTIO PARTIVM internarum.

ATQVI quoniam ritè philoſophantis eſt, non ſolùm rerum ſuperficiem inſpicere, ſed & penitiora rimari, in quibus forſan maior opera, & ſapientia diuini factoris eluceſcit, & in quibus non exiguus veræ ſcientiæ theſaurus reconditus eſt: itaque & nos, quæ in Aquila aduertimus, ea diſſecta, iam exponemus. Fateor quidem hanc operam, qui vnum genus ab altero velint diſcernere, non eſſe neceſſariam (id enim exterior forma docet) ſed non minor & vtilitas, & iucunditas accedit, qui hanc philoſophiæ partem tractant, & in hominibus ſedulò admirantur: à quibus quomodo cætera animalia differant, & qui vſus ſint ſingularum partium, quomodo natura ſagax ſingulis pro diuerſitate & proprietate animarum diuerſas, & proprias partes attribuerit, ſingulas eas pro modo vſus earundem emenſa, quæ, inquam, ſcire iucundiſſimum eſt, & vtiliſſimum. Veruntamen nullus hîc abſolutam à me anatomiam expectet; ſed qualis ob temporis anguſtiam eſſe potuit, & copia Aquilarum, quam vnicam tantùm habuimus, quæq; ad exiguos dies conſeruari potuit, paſſa eſt. Erunt autem hæc quaſi rudimenta quædam, quę alij exactius perpolire, erunt ſigna quædam viam præmonſtratura, qui in alijs hanc operam attentare uelint, & potuerint. Primùm itaque in Aquila ſummoperè admirati ſumus, quî fieret, vt dum nictaret membrana quadam, ab angulo maiori ad minorem obduceretur oculus. Nam animalium, vt ait Ariſtoteles, viuiparorum omnia palpebras duas habẽt infernã & ſupernam, atque his ijſdem nictant. Quæ uerò oua pariunt atque tam quadrupeda, quàm uolucres, unam tantùm palpebram habent, eamq; infernam, qua conniuent ſimul & nictant. Hoc tamen Auibus pe-

bus peculiare eſt,quòd ad palpebræ ſubſidium,quæ difficulter mouetur,ut idem ait,etiã membrana auxiliaris accedat, præterquam in Columborum genere, quibus & duę palpebræ ſunt, & membrana illa deficit. Hęc igitur in Auibus cæteris conſpicua eſt; maximè in grandioribus,vt Aquilis, quæque ab angulo interno & maiori ad externum uſque ducta, & minorem oculum totum in omnem ambitum obtegit. Cauſam uerò huius membranæ Ariſtoteles affert,ut ſit ob uelamentum maximè oculorum,quos humidiſſimos habent ob uiſus aciem. Quę quidem non uſque ſatis conſtat,& accipienda uidetur. Quid enim membranam potius,quam palpebram natura Auibus tribuit? nonne & palpebrę oculos obuelant? & hominẽ cur eadem membrana expertem eſſe voluit,& viſu acerrimo, & humidiſſimo? Ego mihi eam loco palpebræ ſuperioris naturam dediſſe perſuadeo,atque hanc eius officio fungi;ad angulum uerò collocatam eſſe,& maximè ad internum,eò quòd cutis capitis ob duritiem,ut ait ipſe Ariſtoteles, aut ut ego autumo,quia antè cohæret,nec vt nos in fonte,ita Aues eo loci mobilem habent,in palpebram abire nequit,& quòd maximè ab anteriori parte,quales nares ſunt,principium eſt. Atque ea membrana in Gallinaceo genere ſine muſculo mouetur, ſaltem apparenti, in Aquila tamen muſculus aderat,& ſanè conſpicuus;quem inuenimus rari ſpectaculi deſiderio moti, vt antea diximus. Huius muſculi initiũ erat haud procul ab eruptione nerui optici è cerebro, vnde per membranæ,quam σκληροτιδὴν Græci vocant, ſuperficiem obliquè ferebatur, & mox poſtquam ſeſe in angulum internum inſinuaſſet,in membranam illam,quam diximus,inſerebatur. Principium eius exile erat & carneum,at mox in tendinem deſinebat.

Membrana dura q.

Et quoniam oculum iam ex orbita erueramus, itaque & internas eius partes perſcrutari volumus inceſſit. Membrana igitur dura illa ſimul atque diſſecta erat,tum intuenti oculus egregiè perſpicuus eſſe cõſpiciebatur,& cornea antè inſtar cryſtalli,& limpidiſſima, & luciditſſima.

Humor aqueus.

Humor aqueus copioſus admodum anteriori oculi parte cõtinebatur, adeo vt etiam ad poſteriora eius nõnihil redundaret.

Vuea tunica.

Quo effuſo vuea tunica eoſdẽ colores foris,quos oculus integer in Alite viua,exhibebat,argumento certè nõ leui,quòd ea colorum varietas, quam in oculis conſpicimus, non tam ab humoribus & ſpiritibus diuerſimodè affectis, quàm ab ipſa vuea variè tincta proficiſcatur.

Humor cryſtallinus.

Humor cryſtallinus adamantem ſplendore referebat,ſatis magnus, utroque latere nonnihil compreſſus,ac ſeſſilis & apprimè ſolidus, è contrà quàm in Noctuis, quibus vnà cũ aqueo effuſus quaſi diffluit.

Ingluuies.

Atque hæc maximè in oculo perſpeximus. Ingluuiem etiam ſub iugulo,quæq; arterię aſperæ in longitudinẽ incumbebat circa mediam Oeſophagi regionem,cuius pars eſt,vidimus.

Gula.

Gula enim ſeu Oeſophagus, cùm ad palmi cũ dimidio ſpacium deſcenderit, in inſignem quaſi ventrem dilatatur.

Vẽtriculus qualis.

Hic integer adhuc, nec diſſectus aut extentus,palmum latus eſt. Fundum eius ab initio gulæ ſpithamum diſtat,ipſe plus minus palmum longus. Intus rugoſa eſt plicis frequentibus in longum ductis. Fundum membrana quędam alba inęqualis,calloſa,dura,qualis ferè in Gallinaceis,intima ventriculi tunica inſternit,in latum & longum ad palmum diſtenta patens. Ab huius exitu ad orificium ventriculi ad palmum & medium oeſophagi portio producitur, primò quidem anguſtior, dein paulatim dilatata,intus poroſa tota,inſtar ſubſtantiæ humanæ linguæ, poſt ultimam uerò ingluuiem membranoſior ac candidior, vt prope ventriculum carnoſa tota, ac rubicundior. Hæc itaque paucula in intimis viſceribus tum rimari nobis integrum fuit. Quoniam verò & ocium tum & maior occaſio ſuppetebat,itaq; & muſculorum ſectionem aggreſſi ſumus, & eorum figuram, ſitum,vſum,quantum licuit,obſeruauimus;quę omnia etiam paucis iam iam ad cõmunem ſtudioſorum vtilitatem ſubnectere decreuimus. Verùm,vt ingenuè fatear, ea non tã ſcita, & elaborata erunt,quàm forſitan quis deſideret. Atq; is ſciat,nullum hactenus,quod ſciam ego,hoc ſaxum voluiſſe antea, & nos materiæ ſubiectæ penuria laboraſſe, neque etiam iſs viris forſan abundaſſe, quorũ opera & ſolertia vteremur, cùm hanc diſſecandi corporum artem nunquã exercuerimus. Neque ſi quid prætermiſſum fuerit per incuriam aut per inconſiderantiã commiſſum,facilè vnuſquiſque condonabit. ſic enim exigua primùm & rudia rerum, atq; artium incrementa ſunt,mox ſedulitate,& tempore augenda & perpolienda.

# DE MVSCVLIS COLLI, Eorumque ortu, atque vsu.

MVSCVLORVM colli alij antici, alij postici, alij laterales. Postici & antici hi sunt; Primum par veluti cutaneum oritur à tota regione ceruicis, quam vnà cum toto collo amplectitur, sursumque per ceruicem delatum in secundæ & tertiæ ceruicis vertebræ processum transuersum desinit: hinc in occiput prope mammillarum processum infigitur. Huius beneficio ad latus caput ducitur. Secundũ par à primæ thoracis vertebræ spina enatũ, exile ac carnosum per collũ vniuersum, sursum, secũdum ceruicis longitudinem fertur, desinitq; tandem in occiput, & ad posteriora caput trahit. Tertium par enascitur à spina secundæ vertebræ ceruicis, sursumq; delatum at exiguũ, inseritur sub musculis iam enarratis in occiput. Quartũ perbreue est à transuersis secundæ ac tertiæ vertebræ processibus enatũ, & obliquè sursum delatũ ac expansum magis, in latera occipitis carnoso fine implantatur. Hoc deorsum caput flectit. Quintum par & ipsum breue est, sed crassius quarto, quod ab ijsdem processibus transuersis enascitur, & fine tendineo inseritur ad latera occipitis, deorsum etiam caput attrahẽs. Sextum longissimum, ceruici & capiti commune est, acuto & carnoso principio, ab internis processibus vertebrarum thoracis principium sumens, quod sursum per ceruicem delatum tendines à se emittit in omnes processus vertebrarum thoracis ac ceruicis, & tandem in capitis partem anteriorem desinit. Hoc ceruicẽ & caput ad anteriora ducit. Laterales musculi tres sunt. Horum primus à prima thoracis vertebra enascitur, sursumq; carnosus delatus, obliquè tamen & in transuersum processum primæ vertebræ inseritur. Secundus carnosus à lateralibus processibus primæ & secundæ vertebrarum thoracis enatus, & carnosus sursum in omnes processus vertebrarũ ceruicis productus, in latera ceruicis inseritur. Vltimus & tertius ab anteriori parte primarum vertebrarum thoracis carnosus explantatur, atque in omnes vertebras ceruicis desinit, ita ut tot sint musculi, quot vertebræ, distincti finibus, ac tendinibus diuersis. Huius est deorsum flectere ceruicem.

Musculi colli.

Laterales.

# DE MVSCVLIS THORACIS.

THORACIS musculi vtroque latere terni sunt. Primus carnosus, exilis, ortum ducit à postremę vertebrę colli processu transuerso, & in primam costam inseritur. Hic thoracem sursum trahit, & primo musculo thoracis in homine respondet. Secundus longus, tenuis, à tota spina, carnoso ac lato nascitur principio, perque gibbositatem thoracis repẽs, in omnes costas inseritur. Hic thoracem dilatat. Tertius musculus ortum suum ducit à superioribus partibus costarum, quà ossi sterni nectuntur, & in septem costas pectinatim inseritur. Hic musculus thoracem constringit. Præter hos intercostales musculi plurimi adsunt, minimè tendinosi, carnosi, quos enumerare superuacaneum ducimus.

Musculi Thoracis.

# MVSCVLI ABDOMINIS.

QVATVOR in vtroque abdominis latere sunt musculorum paria. Primum imitatur musculos obliquè descendentes in homine & ortum ducit à quinq; costis vltimis thoracis. Dein deorsum obliquè repens, desinit in lineam albam medio abdomine, & infernè in cartilaginem ossis pubis terminatur. Secũdum par ab extremis oris sterni vtrinq; enascitur, quod deorsum obliquè latum, in os pubis carnosum desinit. Tertium par ab vltima costa originem ducit, rectis fibris præditum, id descendens totum illud spatium replet, quod est inter vltimam costam & ossa, quæ ossibus ilei, & pubis in homine respondent. Vltimum par oritur à vertebrarum, quę in lumbis sunt, processibus transuersis, quod ipsum pariter transuersis fibris præditum est adeoq; peritonæo annexum, vt vix ab eo auelli possit. Hoc transuersalium in nobis locum obtinet.

Musculi abdominis.

# MVSCVLI ALAS Mouentes.

ALARVM motui inſeruientes muſculi decem ſunt numero. Primus omnium totius corporis muſculorum maximus eſt, & oritur à toto oſſe ſterni & iugulo, magno, amplo & carnoſo inſigniter principio, acuto, infera parte lato, quà ſterni coſtas attingit, & totam pectoris capacitatem ſua inſigni mole replet. Ad humerum verò vergens paulatim, ipſiusq; caput equitans, deſinit in aciem humeri externam, cuius beneficio ala ad pectus adducitur. Secundus huic ſubiectus eſt à ſuperiore ferè ſterno exoriens, acuto & carneo principio, eo loco, vbi cauitas quędam in ipſa oſſis iuguli diuaricatione exculpta eſt. At ſurſum tendens ingreditur cauitatem ſuperioris ſcapulæ, means ſub eo ceu pontevel fornice à proceſſu ſcapulæ ſuperiore, & iuguli poſteriore, compoſitus tandem tendineo fine deſinit in humeri ſuperiorem, & internum proceſſum, qui tamen ſcapulæ proprior eſſe videtur. Tertius his duobus enarratis muſculis exiguus & carnoſus ſubijcitur, ſuperiori parte membranoſus argenteo colore admixta purpura. Hic ortus ab externo iugulo, quà ſterno iungitur, ſurſumq; latus ad humeri caput, fine tandem tendineo, ac tereti in humeri eiuſdem partem inferam inſeritur. Quartus muſculus ſubtilis admodum, carnoſus tamen ac latus, ortum ducit à ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima vertebris, & ſurſum ad ſcapulam delatus, eamq; equitans, ipſi ſcapulæ coniungitur, deinde anguſtior factus in poſteriorem humeri partem deſinit. Hic quarto illi muſculo inſigni in homine reſpondet, ducitq; alam retrorſum ac deorſum. Quintus à ſuperiori ſcapulę parte ortur, carnoſo principio, & deorſum lapſus lato fine in aciem humeri implantatur, ad poſteriora ſurſum humerum attrahens. Sextus à tota ſcapula lata inferius carnoſus exoritur, dehinc anguſtior redditus & in teretem finem deſinens, in internum humeri proceſſum inſeritur. Hic in gyrum flectit retrorſum oppoſitus tertio. Septimus paruus ab interna ac ſuperiori ſcapulę parte enatus, carnoſus ac rotundus in humeri poſteriora carneus totus inſeritur, ſurſum ad poſteriora trahens. Octauus omnium minimus à ſuperiori ſcapulæ cauitate, carnoſus, teresq; educitur, cui tendo ſecundi muſculi ſubſternitur, cumq; ad caput humeri deuenerit, in aciem & partem eiuſdē ſuperiorem non procul à principio implātatur. Nonus & ipſe carnoſus totus ac teres, à ſuperiore ſcapulæ proceſſu enatus in humeri ceruicem ad anteriorā terminatur. Hi duo ad ſuperiora humerum mouent. Decimus ab interna & ſuperna ſcapula ortus carnoſus, deinde anguſtior redditus finitur in internum humeri proceſſum ſuperius. Hic ad poſteriora deorſum paululùm humerum deprimit.

# MVSCVLI SCAPVLAE.

PRIMVS ſcapulæ muſculorum, qui ſunt quatuor numero, initiū capit à vertebris poſtremis ceruicis, nec non ab omnibus thoracis, quę ſecundum longitudinem ſcapulæ exporriguntur. Carnoſus eſt, deſinitq; in totam longam ſcapulam, ad poſteriora eam trahens & ob diuerſitatem fibrarum nunc ſurſum, nunc deorſum ducens. Secundus paruus primo ſubiectus eſt. Ortum autem ducit à proceſſibus duarum vertebrarum thoracis, vnde delatus inſeritur obliquè in internam aciem ſcapulæ. Hic ſurſum ipſam trahit ad poſteriora. Tertius muſculus carnoſus à ſexta, & ſeptima coſta non procul ab ea parte, vbi in cartilaginem deſinunt, oritur, ſurſumq; euectus in angulum inferiorem ſcapulæ deſinit, & deorſum trahit. Quartus exiguus, teres, & carnoſus oritur à prima coſta, antequam in cartilaginem deſinat, deindę ſurſum latus tendine tenui deſinit in mediam ſcapulam, non procul à ceruice.

# MVSCVLI VLNAM, cubitumve mouentes.

QVI vlnam mouent, seni sunt. Horum primus carnosus, duplex principium habet, quemadmodum in homine biceps dictus, quorum vnus à magno humeri capite, alius verò à capitis parui cauitate oritur. Hic deorsum ad posteriora delatus, & ossi toti incumbens desinit in tendinem, & in vlnę partem superiorem implantatur. Hic dirigit vlnam, & extendit. Secundus ab interno tubere humeri enatus carnosus, obliquè descendens, ad externum caput radij inseritur, cubitumq; flectit. Tertius ab externo capite humeri carnosus enascitur, atque deorsum ita defertur, donec superauerit mediam humeri regionem, demum tendineus factus, desinit in superiorem vlnę partem, non procul ab articulo. Quartus cubitum mouentium musculus exiguus oritur ab externo, sed inferiori capite humeri, & articulo superato in aciem externam radij desinit. Quintus ab eodem capite, sed paulò inferius neruoso ortus principio, deorsum obliquè repit, primùm carnosus, mox verò tendinem longum acquirens, hoc ipso in eam partem inseritur, quæ carpi humani vicem gerit. Hi musculi radium ad humerum ducunt. Sextus sub his duobus postremis collocatur, & quasi occultatur. Is ab interna cauitate humeri erumpit carnosus & articulo insidens, deorsum latus, desinit tandem in externam ossis cubiti aciem, & oppositum suprà dictis motum efficit.

# MVSCVLI MOVENTES EAM partem, quæ Carpo in homine respondet.

PRIMVS ab externo vlnæ tubere carnosus enascitur, & deorsum per vlnę interiora delatus, tendineus simul & carnosus, in superiorem partem atq; internam eius ossis desinit, quod humano carpo respondet. Secundus huic oppositus ab interno capite humeri infrà exortus, deorsum per externam radij regionem, à cuius medio tendineus fit, defertur, & ad externum eiusdem ossis caput in carpum implantatur. Huius est dirigere partem seu extendere. Tertius carnosus exoritur ab ea, & quidem superiori radij, & vlnæ parte, vbi simul inuicem iunguntur, & teres factus, carneus simul, atq; nerueus, totam eam, quæ est inter radium, & vlnam cauitatem replet, vnde supra articulum euectus, duplici tendone, vno externo, altero interno in extremum carpi caput inseritur. Hic flexor est illius partis: Quartus ab vlna enascitur. Is non procul à principio, quod carnosum est, tendineus fit atque teres, & per internam vlnæ regionem super articulum delatus, quemadmodum & tertius ad extremam vsque alam excurrit, vti & superiores. Quintus nerueus simul est atque carneus, & ab extremo apice vlnę enatus, per eiusdem exteriora incedit, vbi tendineus factus, in reliquam alam totam inseritur. Hic reliquos alæ articulos omnes flectit. Postremus ab inferiori parte vlnæ prope articulum erumpit, ab ea regione, qua se mutuò duo ossa respiciunt, exiguus est, & teres, atque ad superiorem carpi regionem defertur.

# MVSCVLI CRVRIS AQVILINI, & primùm femoris.

QVINQVE sunt musculi, quibus femur mouetur. Primus exoritur carnosus à tota superiori cauitate ossis ilei, quā totā replet, hinc deorsum lapsus, & coarctatus, tendine lato admodum, in superiorem partem eius apophysis, quæ trochanteri maiori in homine respondet, inseritur. Secundus multò minor est primo, cui aliqua ex parte subijcitur, ab eodem loco enatus, quo ille angustior postea redditus, in ceruicem ossis femoris non procul à primo desinit. Hi duo musculi ad superiora femur attrahunt. Tertius paruus est admodū, & à superiori regione ossis ilei, qua femur illi coniungitur, atque ad extremam illius aciem enascitur. Hic paruam quandam cauitatem replere videtur, & deorsum super externam regionem trochāteris maioris quodāmodo equitans, tere e tendine in ceruicem trochanteris iam dicti inseritur. Huius musculi beneficio femur

mur rectum quodammodo,& extenſum attollitur. Quartus duobus primis opponitur tam ſitu quàm actione (nam flectendo deorſum partem impellit). Is à tota inferiore coxendicis regione enaſcitur,cauitatemq; ibidem exculptam replet ſua corpulentia,principio carneus eſt, dein anguſtior fit, & tendine argenteo inter primum atque ſecundum in trochantera iam dictum inſeritur. Quintus,& vltimus exiguus eſt, tertio oppoſitus carnoſus. Is à quodam foramine naſcitur & id totum in femoris caput finiens, replet. Hic muſculus femur deorſum reuellit. Eſt autē & ſextus muſculus,ſed hic vropigij potius eſt: quare in ſuum locum reijcietur.

# MVSCVLI TIBIAM MOVENTES.

PRIMVS muſculus,ille nempe qui ſeſe nobis primùm omnium obiecit, oritur à ſuperiore acie oſſis ilei, tegens femoris muſculos iam dictos ferè omnes. Ab hinc per femoris anteriora deſcendens in magnum ac robuſtum tendinem degenerat,qui ſimul cum ſecundo, quem mox enarrabimus, tam arctè colligatur, vt citra dilacerationem nulla ratione diuelli poſſit. Secundus huic ſubſternitur amplus,carnoſus,biceps. Horum vnum caput ab interna capitis femoris regione, alterum verò ab externa exoritur, deorſumque repens vniuerſam femoris regionem amplectitur,& in tendinem latum cum ſuperiori deſinit. Hi duo muſculi patellam cōprehēdunt, camq;in ſuo loco retinent, quam vbi ſperauerint,tandem in ſuperiorem tibiam implantantur. Tertius paruus eſt valde & teres. Is ab interno ac inferiori coxendice enatus, & carnoſa portione ſui adinſtar lūbrici exporrectus, vbi ad mediam vſq; femoris regionem pertigerit,in tendinem tenuem admodum degenerat, & mediam patellam tranſuerſim perreptat vbi per canalem quendam, quem ad ſuperiores tendines natura eò inſculpſit, delatus, in tarſi tandem ſuperiorem partem ſub muſculis reliquis quodammodo occultatus deſinit. Quartus à latere primi exoritur, id eſt, à ſuperna parte oſſis ilei, qui non procul à capite femoris productus in ſuperiorem ac internam regionem oſſis tibiæ inſeritur. Sed primus ac ſecundus muſculus,quod ad conſtructionem & vſum ſpectat,imitantur ſeptimum, octauum atque nonum in homine,eos nempe,qui tibiam extendunt. Quartus verò trahit eandem ad interiora. Quintus acutus eſt,& carneus,enaſcitur ab interna regione ceruicis femoris, per quam vbi intra delapſus,ſed oſſi tenaciter adhærens,& ſuper articulum vectus fuerit, cum quarto in eundem locum deſinit, qui ambo quoque eodem munere funguntur. Sextus ab interiori appendice coxendicis explantatur,carnoſus ac teres. Is deorſum per interiora femoris repit, & tendine terete internum tibiæ latus adit. Hic muſculus reſpondet ſecundo in homine,cuius beneficio ad internum latus tibia adducitur. Septimus latus eſt, ac carnoſus, à poſtica parte appendicis coxendicis productus,à qua deorſum per internam ac poſteriorem partem delapſus, in illam quaſi inſeritur,ita vt in vniuerſum femur deſinere videatur ſecundum longitudinem. Hic muſculus inter eos, qui femur & tibiam ſimul mouent, connumerari poteſt. Atq; hic à fine coniungitur muſculo vni ex his, qui digitos mouent. Officium huius eſt femur & tibiam intro adducere. Octauus muſculus à ſuperiore acie appendicis coxendicis enaſcitur principio carnoſo. Hic per poſteriora & exteriora incedens,vbi ad mediam regionem vſque peruenerit in tendinem,eumq; teretem degenerat. Aſt vbi ad poplitem acceſſerit, tum admirabili quodam naturæ artificio, per ligamentum, veluti per annulum ad inſtar ſtapedis tranſmiſſus ad extremum tibiæ latus fertur. Huius igitur beneficio ducitur retrorſum tibia. Ne verò in actione hac hic muſculus aut tendo excideret, igitur natura ei pro ſubſterniculo ſeu fulcro hunc annulum addidit. Sextus autem & ſeptimus flectunt tibiam.

# DE MVSCVLIS PEDEM, ET digitos mouentibus.

QVI muſculi pedem mouent, & digitos eorum, alij explantantur à tibia, alij à tarſo. Qui à tibia originem trahunt, alij ſunt anteriores, alij poſteriores. Primus poſteriorum,qui quaterni vtrimque collocantur,à ſuperiori tibia ſeu poplite enaſcitur,carnoſus ab vna parte,ab interno nempe tuberculo tibiæ, unde delatus in ualidum ac maximum tendinem deſinit, qui in caput tarſi unà cum cæteris ligamentis inſeritur. Vbi ipſe ſic ligamentum euaſerit,tum tendinem à ſe ad minimum uſque digitum emittit,& eundem flectit. Secundus huic ſubiectus eſt carnoſus,

ſus, corpulentus, & ab eodem, vti ille loco eductus. Hic deſcendens per poſteriora, prope articulum in latum ac robuſtuſſimum tẽdinem degenerat, dehinc articulo ſuperuectus in omnes digitos, vti in homine, inſeritur. Tertius ſecundo item, vt ſecundus primo ſubſternitur. Erumpit autem ab externo ſimul capite tibiæ, nec non ab interno, & totam eam regionem occupat, per quam deorſum ad articulum latus, ac ſub ligamento tranſiens, & ipſe in omnes digitos diſtribuitur. Hi duo muſculi perforantium in homine vicem gerunt. Quartus muſculus & ipſe carnoſus eſt, ſed exilis, partim ab interno tibię proceſſu enatus, partim ab acie ipſius femoris interna. Hic quaſi duplex apparet & deorſum per externam tibiam delatus in tendinem primi muſculi inſeritur. Hoc ipſo pes ad latera trahitur. Anteriores muſculi tres ſunt numero. Horum primus vnum habet principium ad ſupremam tibiam atque fibulam. Carnoſus eſt ac inſignis molis & deorſum per tibiæ anteriora deſcendit, vbi gracileſcens articulo prius, quẽ perreptat, ſuperato, duplicem tendinem effingit, quorum, alter in medium os illud, quod pedio in homine reſpondet, alter verò in partem inferiorem prope digitos implantatur. Huius munere ſurſum pes attollitur. Secundus ab interno latere capitis tibiæ exoritur, atque vbi per interiorem illam regionem carnoſus deſcẽderit, in finem tandem eiuſdem tibiæ deſinit. Tertius huic oppoſitus eſt, & ab oppoſita parte naſcitur, exiguus admodum & carnoſus. Is ad eundem, quo ſecundus, locum etiam pertingit & in vltimum os tibiæ inſeritur. Muſculi autem, qui ad tarſum ſunt, ſunt quatuor numero. Primus ab anteriore parte pedij procedit carnoſus, ſed exilis & in duos teretes fines deſinit, qui in pollicem & medium digitum inſeruntur, eoſque attollũt. Alij tres muſculi poſtici ſunt. Primus horum prodit à ſuperiori parte tarſi, & deorſum delatus carnoſus tendine finit in ſuperiorem regionem pollicis. Huius eſt primum articulum dirigere. Secundus & tertius à lateribus oriuntur exiles admodum, ſed carnoſi tamen, præſertim à principio, hinc delapſi in tendines terminantur, quorum opera abducuntur ad latera index & minimus, in quos & implantantur. Hæc igitur ſunt, quæ in hac Aquila, quantum res ipſa paſſa eſt, obſeruare potui, quæ vel alij ampliare poterunt, vel meo exemplo excíti de ſuo ſua in medium adferre, & mecum liberalia ſtudia adiuuare: præcipuè rem Anatomicam, quæ certè non parum iuuabitur ſi quæ maior diligentia in alijs cadaueribus ſecandis adhibeatur, & ad hanc quis naturæ partem transferat. Verumenimuero antequam iam ad penſum redeamus, placuit & ſceleton eiuſdem Aquilæ hîc ſubiungere, vt ſtudioſus lector non affectum tantùm noſtrum ſua ſtudia promouendi contempletur, ſed & ſceleti partes ſingulas examinet, videatq; in quibus cum alijs Auibus conueniat, & in quibus differat. Ego id ſaltem à cæteris rapacibus aut nihil, aut parum differre arbitror, ideoq; potiſſimum id hîc ob oculos ponere libuit. Eſt autem hoc.


A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
V
X
Y
Z

## AQVILINI SCELETI NOTARVM EXPLICATIO.

A. Roſtrum.
a. Mandibula inferior.
B. Vertebræ colli nouem.
C Vertebræ dorſi.
DD. Clauicularum pars ſuperior.
II. Clauicularum pars inferior, qua ſternũ humero, & ſcapulæ adnectitur.
F. Omoplatæ.
FF. Os humeri ex vno latere, in quo etiam denotantur vlna, atq; radius per L. & M. Ex oppoſito verò latere carpus, & metacarpus oſtenduntur per N. & O.
G. Sternum.
H. H. H. H. H. H. H. H. à ſiniſtro latere denotant coſtarum exortum è vertebris: eædem literæ à dextro latere demonſtrant eaſdem coſtas vbi deſinunt in cartilagines.
K. Principium oſſis ſacri, quod à vertebris dorſi exoritur, quà poſtremæ coſtę duæ ilij adnexæ ſunt, totum continuum cum oſſibus ilij, coxendicis, atque pubis. K. inferius oſtendit os pubis cum ſuo foramine.
L. Vlna.
M. Radius.
O. Carpus.
N. Metacarpium.
P. P. Coccyx. P. ſuperius vertebras eius demonſtrat, P. inferius eius finem.
Q. R. S. T. Demonſtrant crura. Ab vno latere per Q. denotatur femur: Tibia verò per R. Ab altero verò latere per S. oſtenditur fibula, quæ in huiuſmodi Aue vix conſpicitur, tibiæ quaſi conntinua. T. oſtendit eam partẽ, quę in homine proportione reſpondet tarſo, quod in manu reſpondet carpo.
V. X. Y. Z. demonſtrant digitos, nempe V. digitum poſticum, X. anticum primum, Y. ſecundum, Z. tertium.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

SED Aquilam noſtram, quam primo loco ponimus & primum Aquilarũ genus facimus, Chryſaëton ſeu Regiam illam, Iouis armigeram & ſimpliciter κατ' ἐξοχὴν Aquilam dictã eſſe, multa ſunt, quæ faciunt, vt credam. Hæc paucis in medium adferre operæpretium fore duxi, ne quiſpiam id me vel temere pronunciaſſe, vel eam non vndiquaque Chryſaëto veterum congruere exiſtimet. Rationes non prorſus erunt neceſſariæ, ſed probabiles ſaltem, & quantum in tanta ſcriptorum veterum, qui hãc Auem deſcripſerunt, verborum parſimonia aſſequi licuit, vero maximè ſimiles, eæque vel hanc eam ipſam eſſe oſtendent, vel vera & germanæ Chryſaëto maximè cõgenerem, vt ad aliud Aquilarum genus (ad ſex enim ſpecies cum [a] Ariſtotele & [b] Plinio omnes reuocamus) referri omnino nequeat. Primùm autem ſigna oſtenſuri ſumus, quæ hanc à Chryſaëto veterum, ſi vſpiam aliæ, quadrare demonſtrabunt: deinquæ ab omni alia, quæ in eadem claſſe ſunt, Aquila, hanc eandem excludunt. Notæ quibus Chryſaëton antiqui finierũt, binæ tãtùm ſunt: prior eſt, quòd ex [c] Ariſtotelis ſententia cæteras Aquilas ſeſquialtera proportione excedat: altera, eaque imbecillis, & quæ ex ſola etymologia petitur, quòd aureo ſit colore, aut ruffa, vt Ariſtoteli. Quod ad magnitudinem attinet, eam hac ipſa reliquas omnes ſuperare & quidem proportione ſeſquialtera, veriſimum eſt, vt ex deſcriptione cuiuis comparanti eam reliquis, liquidò conſtabit. Cæterarum omnium minima Ariſtoteli & Plinio Valeria eſt ſeu Melanaëtos, quam alij Buteoni ſeu Triorchi corpore parem eſſe ſcribũt. Media inter omnes eſt Percnopteros, quæ Miluum ferè æquat, vti & Haliætos. Hiſce autem maiorem eſſe noſtram Aquilam, & quidem menſura, quam Ariſtoteles præfiniit, extra controuerſiam eſt. Quin & Offifragæ, etſi non multò, maiorem tamen eſſe, vtriuſque deſcriptio, ſi conferatur, manifeſtò docet. Hęc enim Offifraga ſcilicet vndecim tãtum, at Aquila illa duodecim libras pendet, & ad minimum medio ſpithamo, ſi à roſtro ad caudam vſque menſũres, Offifragâ longior eſt. De ſecunda nota quiſpiam dubitare poſſit. Nam Chryſaëti nomen vti & fuluæ epitheton, aurei eam coloris eſſe indicat: nos verò ferrugineo colore prædità noſtram ſcripſimus, ſed hac in re Bellonio ſuffragor lubens, qui eam id nominis adeptum vult, non quòd tota aurea ſit & fulua, ſed quod magis quàm cæterę Aquilæ fuluum colorem participet. Ariſtoteles quidem ruffum ei adſcribit, verùm Plinius paulò mitiori voce vſus, ſubrutilũ. [d] Albertus Magnus Chryſaëton, quam ipſe Herodium vocat, totam nigram aſſerit, & colorem eum ingruente ſenecta mutari in cineritium. Ornithologus quoque colorem Aquilę ſuę cum

Color.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.*
[b] *Lib. 10. ca pit. 3.*
[c] *Lib. 9. c. 32*
[d] *Lib. 23. de Animal.*

ætate mutari teſtatur, & maculas albas cùm dorſi, tùm ventris omnes pòſt fulueſcere, alioqui caſtaneam eſſe totam. Quod tamen minus mirum videbitur, qui Accipitribus Aſterijs non ſolùm dorſi, ſed & oculorum nigredinem paulatim ingraueſcente æuo ruffeſcere legerit, vt alias maiores, & quæ ſingulis annis in quibuſdam auibus accidunt, colorum metamorphoſes præteream. Præterea ſi recte * Ouidio

*Metamorphoſ.8.* ——*Fuluis Haliætus in alis*

dicitur, cuius tamen dorſi & alarum color, iuuenis præſertim magis ad nigrum è ruſſo vergit, cuiuſmodi noſtrę ferè eſt Aquilę: quare hęc ipſa non ineptè ſimili planè ratione fulua dici poterit, etſi caſtanei coloris vel ferruginei ſit magis, quàm aurei, quem tamen paulò pòſt acquirit.

Oculi. Denique quos Ariſtoteles Aquilæ, vt omnium Auium generoſiſſimę, oculos charopos tribuit, qui ſcilicet dilutè virentes, igneo ſplendore micẽt, in hac noſtra Aquila ceu tertiam ex his, quas veteres reliquerunt, notam, manifeſtè reperimus. His addimus quod Stellaris nomen, quod [e] Aelianus Aquilæ Germanæ attribuit, in noſtram quadret ob eas, quibus diſtinguitur, maculas & quàm aptiſſimè. Sed illud minimè noſtram ſententiam euertit, quod eam dum deſcripſimus clangoſam vocem emittere diximus. Non enim ex eo Planga ſtatuenda eſt, quoniã nuſquam dictum eſt ab Ariſtotele eam ſtatim Aquilam Clangam eſſe, quæ plangit, verùm ſola inquit Melanaëtos non clangit, vnamque omni prorſus abſtinet murmuratione. Vnde facilè quiuis colligit, quod cæteris omnibus Aquilis excepta Melanaëto, vt clangant, competat: omnium verò maximè querulam eſſe Morphnon, quæ à perpetuo clamore & murmure Clangæ ſeu Plangæ nomẽ inuenit. Sed reſtat, vt quare ab cæteris omnibus diſſideat Aquilis, nunc tandem excutiamus. Præter id quod duabus vniuerſalibus iſque inſignibus, & quæ ſolæ ſufficere poſſent, notis à toto reliquarum genere diſcrepare hanc palam eſt, robore nempe, magnitudine neque eximia, qua omnibus anteit, & cruribus ad pedes vſque muſculoſis & plumis obueſtitis, alias quoque particulares, quibus à ſingulis earum ſpeciebus manifeſtè ſeparatur, in promptu eſt reperire. Primum igitur à Melanaëto hoc differt, quòd eam clãgere antea ſcripſimus. Nam Melanaëtum nullum planè clangorem edere Ariſtoteles & Plinius affirmãt. Præterea Melanaëtos vniuerſo corpore nigricat, hæc verò præterquam quod ferruginea eſt, maiori ex parte multis etiam maculis iſque albicantibus reſpergitur. Pygargo hoc peculiare eſt, vt albam caudam habeat, qua nota nõ ſolùm à Chryſaëto, ſed & ab alijs omnibus Aquilis diſtinguitur. Percnopteron ab hac & à cæteris Aquilis ſeiungit capitis albedo, & deformem adulterinam naturam eius atteſtatur, vt inſignem ignauiam omittam.

[e] *Lib. 2. de Anim. c. 29.*

Offifragæ color. Offifragam color cineritius inter cætera ab hac diuerſam facit. Morphnos prominentiore cauda eſt, quam ei [f] Plinius attribuit, neſcio tamen quàm verè; roſtro, cruribus & pedibus cęruleis, atque hinc ab hac noſtra differens, præter id quod omnium Aquilarum magnitudine ſecunda eſt, vt ille primus.

Morphni cauda.

[f] *Li. 10. c. 3.*

Haliæti, & Chryſaëti diſcrimina. Ab Haliæti familia multa ſunt, quæ hanc ipſam excludant. Haliætus enim littoribus gaudet, & maritimam oram paſtus gratia incolit: hanc verò in altiſſimis montium iugis degere comperimus. Illa etiam, iuxta [g] Ariſtotelem, prędita eſt ceruice magna & craſſa, alis curuãtibus, cauda lata, quibus neoterici adijciunt pedes cæruleos, quæ tamen omnia noſtræ Aquilæ minimè conueniunt. Hoc verò ei cum Haliæto commune eſt, quòd pedes habeat nõ tabellis totos, ſed ſquammis tãtum intectos, qua proprietate hæ duæ Aquilæ ab omnibus cæteris diſcernuntur. Vnde errorem in Halięti icone, quam ex Bellonio mutuati ſumus, commiſſum eſſe obiter admonemus, dũ perperam tibijs anterioribus ac pedibus continuas per totum tabellas affinxit. Quare cum illã ad nullam aliam ſpeciem, vt apparet ex his, reducere poſſimus, ergò nihil aliud reſtat, quàm vt ei Chryſaëti ius & honorem concedamus atque uel eandem ipſam eſſe, uel ab hac non abſimilem certò ſtatuamus. Plures enim quàm à Philoſopho & Plinio acceperimus Aquilarum ſpecies ponere, neque neceſſitas ulla cogit, neque ratio perſuadet. Quam noſtram ſententiã non parum confirmarunt aucupes Magni Thuſcorum Ducis quorum curę hęc Aquila inter cęteras commiſſa fuerat: illi interroganti cuiuſnam ſpecie eam eſſe exiſtimarent, & quo nomine diceretur reſponderunt: ipſam (Aquila Reale) Italico & uernaculo Idiomate, ideſt, Aquilam Regalem eſſe & nuncupari. Vnde non parum mirari ſubit, quid in mentem doctiſſimo [h] Bellonio uenerit in hęc ſcribẽti: *Inter omnes in vniuerſum rapaces, nulla nobis viſa eſt aut nota, quæ ſub alis & in tibijs plumis veſtiatur, præter hãc* (de Offifraga loquitur) *& Vultures & noctурnas omnes.* Equidem non puto hanc opinionem eſſe uero cõſonam, nec dubito ſi hanc noſtram, quã procul dubio nunquam uidit, conſpexiſſet, quin ſententiam mutaturus fuiſſet. Nõ enim ullas omnino reperiri tales, ſed quas ipſe conſpexit, negat ſolummodò. Et certè quanuis Offifragam & Vultures tibijs plumoſis eſſe dicat, nihilominus tamẽ & Offifragam & Vultures quotquot edidit, omnes nudis tibijs, in iconibus ſpectandos exhibet. Malè igitur aut icones delineatæ ſunt, aut hoc perperam ab ipſo ſcriptum eſt. Vnicum tantum, eumque Ornithologi Vulturem aureum

Aquila regalis.

[h] *Lib. 2. de Hiſt. Auiũ cap. 8.*

Petri Bellonij error.

reum, tibias habere plumis intectas obseruaui, quem quidem Ornithologus ob similitudinem tibiarum aliarum que partium, quam habet cum sua alpina seu simpliciter dicta Aquila, quã quinos Chrysaëton facimus ex Vulture & Aquila mistis progenitam arbitratur. His autem vtrisque cùm Aquilis, tùm Vulturibus aureis ea de causa naturam plumas addidisse in tibijs, idem author existimat, quòd in celsissimis niuosisque alpium iugis vitam degant, vnde aduersus niues & frigora huiusce partes munitas esse oportebat. Hoc ipsum videre est in alijs quibusdam monticolis Auibus, vt Lagopode, Gallinis mõtanis, Attagene nostro & nocturnis quibusdam. Differẽtiam autem verã, quę sit inter Vultures & Aquilas idem * Ornithologus declarat, dum scribit: *Mihi quidem Vulturum genus ab Aquilarum & Accipitrum, Falconum ue genere, quod ad rostri figuram differre videtur in hoc maximè; quòd non statim in vncum flectatur, sed rectum primò ad duos vel amplius digitos sit, deinde curuetur deorsum, vt apparet in Vulture aureo pariter & Leporario, quorum picturas exhibuimus, & in Gypaëto, quem inter Aquilas posuimus: Nam cùm Vultures ferè cadauera tantum aggrediantur, non similiter adunco, & ita valido rostro fuit opus, vt rapacibus cæteris, quæ viuas plerunque inuadunt & rapiunt animantes.* Hactenus ille. Hanc eius sententiam adstruit sanè noster Gypaëtus, cuius iconem suo loco exhibebimus, cuius rostrum cætera rectũ, extremo tantummodo aduncum est. Quin & ipsemet Bellonius aliud discrimen inter Vultures & Aquilas statuit, nempe quòd his, quæ caput integunt plumæ multo atque Aquilę breuiores, & curtę sint atque veluti attonsæ, vt quidam caluos esse existimarint, et si re vera non sint. Sed alias differentias in suum locum reijcimus. Illud interim adijciam, quòd cætera signa quæ plerumque à neotericis Aquilæ ascribuntur, in hac nostra conspicere liceat. Nam pedibus est flauis, vt Vultures fuscis seu corneo colore. Vngues ei prægrandes longi, lati, ac validi, nigri, quemadmodũ & rostrum. Breuis huic & Melanaëto cauda est, extrema parte robusta, vt Vulturi.

Vultur tibijs plumeis.

* *Cap. de Vulture.*

Vulturib. rostrũ adũcum nõ esse necessarium.

Chrysaëti pedes. Vngues. Cauda.

# GENERATIO, INCVBATVS.

HERODIVS, inquit Albertus Magnus, eo nomine Chrysaëton designans, *vnum tantum ouum ponit, & si duo fecerit, horum alterum vt plurimum putre deprehenditur.* Hoc reipsa aucupes ita sese habere compererunt in superiori Germania. Nam octo annis continuis, lustrato ac inspecto Chrysaëti, seu, vt ipsemet ait, Herodij nido nunquam plures vno pullo se reperisse confirmarunt. Sunt hæ Aues natura calidissimæ; qnare oua incubatu fota tantopere incalescunt, vt quasi ebulliant, & quodammodo excoquantur. Rursus idem subiungit: *Traditum quidam Herodium binos ternosve pullos excludere, oua tantum duo parere, ex quorum altero vnicus, ex altero vero gemini fœtus nascantur, quod equidem falsum existimo: Quin potius hæc ipsa, cum magni sit corporis, parum ad semen confert,* ideſt, vt opinor, paucum semen emittit. Hoc intelligendum existimo ad proportionem tantæ molis, ideoque non plura vno aut duobus oua parit, ad summum tria, præsertim si iuuenis ac vegeta est, ita vt ex singulis ouis singuli pulli gignantur, nisi fortè præter naturæ ordinem quidpiam innouari contingat. Aut si plures excludit, vt Aristoteli & Plinio placet, alterum expellit nutritioni tedio. Causam eiectionis, vt scribit ibidẽ Albertus, alij aliam assignant. Quidam ideo abijci volunt à parente pullum, quòd spurium fœtum, nec genuinum esse suspicetur. Affirmant enim Aquilam fœminam cum alijs genere diuersis coire aliquando. Hoc quidem nobis haud fit verisimile. Alij Aquilam diuersam genere effractis prius ouis Herodij sua aiunt supponere: vnde supposititia illa & adulterina proles ab rigido iudice & seuero generis sui vindice, regia Aquila scilicet meritò abdicatur. Veruntamen cùm Herodius seu Chrysaëtos ferocissima sit & cui præsciendi vim quandam inesse existimant, qua etiam absens si quid aduersum nido imminet, prænoscit; itaque nulla Auis est, quæ ad huius nidum etsi absentis accedere audeat vel nocendi vel oua commutandi gratia, præsertim cùm oua in nidum alienum deportare, & alijs excludenda subijcere non nisi ad vilissimas & maximè ignobiles Aues pertineat, quæq; fouendis ouis proprijs atque excludendis minimè sufficiunt: cuiusmodi Aues sunt meticulosæ & quæ ideo cæteris multò minus ad nidum Herodij accedunt. Alij demum referunt Chrysaëtum sua oua alteri Aquilæ subijcere, atque sic alienis permiscere. Exclusis omnibus naturæ instinctu reuerti & pullos suos, quos sole tanquã lydio lapide probarit, alere, notos abijcere, & eiectos colligi & ab ea cui Herodius ab initio sua supposuerat, nutriri. Quod equidem, nisi exempla desiderarentur, probabilius multò iudicarem. Nam operoso illo ouorum incubatu, mirum quantum extenuetur & elangueſcat Aquila. Solent enim ferè id temporis totum frugaliori victu aut inedia transigere volucres, quam Herodius propter naturæ suæ nobilitatem & cibi copiam, qua vti consueuit, non facilè sustinet. Dici etiam potest,

[2] *Lib. 23. de Animal.*

Ouũ vnũ parere.

Herodiũ pullum ex singulis ouis excludere.

Cur pullũ eijciat nido.

Fœminæ adulteriũ. Oua supponi.

Herodius inediæ impatiens.

Pullum cur abijciat Herodius.

quòd pullum aliquem Chryſaëtos non tanquam ſpurium & adulterinum ſimpliciter abijciat, verùm vt viliorem cæteris, minuſque generoſum. Vnde etiam in illis regionibus, vbi Aquilarum nidi nunquam inueniuntur, pullos eos aliquando capi contingit, qui aucupibus peregrini dicuntur. Sed eiectionis cauſam, vt in generali hiſtoria retulimus, nutricatus difficultatem & tædium eſſe volunt, quod vti parentes, ita & pulli copioſo alimento egeant, eoque longè & latè à parentibus conquirendo. Eadem de cauſa minimè vicinis locis nidum ſtruunt; quandoquidem magno ad prædandum tractu opus habent. Si tamen vſpiam, ſanè in Septentrionalibus regionibus plures vno tractu ſimul reperire licebit, idque iuxta ſyluas ac maria, vbi minorum quadrupedum & piſcium, prædę quod ſatis eſt, ſuppetit. Verùm hac de re pluribus in generali hiſtoria actum eſt.

## VENATVS, ET VICTVS.

ROBVR ei cum feritate par eſt. Neque enim iſtæc ſolùm Lepores, Grues, Anſeres rapit & hinnulos, ſed & Tauros aggreditur & proſternit, imminẽſo certè auſu, nec minore aſtu. Quod quidẽ quo pacto fiat, etſi in generali de Aquilis hiſtoria ex [a] Aeliano copioſè poſitum eſt, ad hanc tamẽ peculiariter pertinet. Vnde falſum eſſe conſtat, quod ibidem ſcribit, quòd ea, quæ Iouis Aquila dicitur, carnibus in totum abſtineat, ſolis herbis contenta. Quorſum enim tanto conatu ex decliui Ceruum agit præcipitem, niſi carne eius potiri aueat? Vt tamen carnibus victitat, ita nihil obſtat, quin aliquando fame aut alia ratione inducta fructibus veſcatur, aut frugibus. Quin carne alioquin abundè ſuppetente panem manu mea exhibitum voraſſe eam meis mihi oculis viſum eſt; Quæ experiẽtia mea [b] Ariſtotelem deceptum eſſe manifeſtò conuincit, dum fruges, etiamſi in os ingeras, Aquilam reſpuere aſſerit. Demùm non ſolùm omne carnis genus deuorat, ſed ne ab Aquilina quidem, atque ab ſuo genere ſibi temperat, licet id à quibuſdam negatum ſit; Aquilinam enim carnem, vt ſupra retuli, quæ tum fortè ad manus erat, auidiſſimè Chryſaëtos deglutiebat, adeò vt bubulæ etiam recenti hãc præferre videretur.

[a] *Lib. 2. capit. 39.* Æliani error de Chryſaëti cibo.

Præter carnẽ alijs rebus etiam veſcit Chryſaëtos.

[b] *Lib. 8. Hiſtor. Anim. cap. 8.* Ariſt. error.

## INGENIVM ET MORES.

Liberalitas.

HVIC autem potiſſimùm Aquilæ præ cæteris laus liberalitatis debetur. Nam prędam niſi immodica fame coacta ſola minimè abſumit, verùm Auibus quibuſdam ea ſpe ſeſe ſectantibus portionem impertit regia quadã magnificentia. Multi enim culinę ſolàm nidore allecti in aulas regum & principum ſe ingerunt, quos tamen vt viles & ad diſpergendum, non ad colligendum natos haud quaquam abigunt, ſed ſuæ munificentiæ riuulos ad eos etiam transfundunt. Atque regiam maieſtatem inter cætera frequens caterua comitum, clientum ac ſatellitum vel maximè declarat; ſed hanc Aquilæ minimè deeſſe videmus, quæ vt plurimum aſſeclis ſuæ menſæ, Auibus ſtipata fertur, idque graui quodam geſtu & maieſtate antecedentibus alijs, alijs ſubſequentibus, nonnullis latera eius cingentibus. Quare cùm de ſuo alijs ſponte elargiatur, itaque minus mirum eſt, ſi ab aliena præda, etiamſi humi ſtrata, ſeſe contineat. Ingenium ei eſt vngues fortè nimium aduncos, aut hebetes ſaxis atterere, acuere & venatu commodiores reddere: quemadmodum contrà, ne ſaxorum duritiẽs eorum aciem obtundat, hoſce minimè explicare, ſed contrahere, ſi quando diutius in cautibus perſiſtendum eſt.

Adulatores Auibus comparati.

Maieſtas Regia.

Ingenium.

## VSVS.

Vtilitas. Pellis ad quid vtilis.

QVAE ex hac Aquila accedit vtilitas, duabus potiſſimùm in rebus conſiſtit, nẽpe pelle, & venatu. Pellis enim eodem, quo Vulturina præparatur modo, quòd non minus, quam illa ob tenerrimam lanuginem ad radicem maiorum pennarum mollicula ſit, & eundem in ventriculo foouendo vſum præſtet. Quem in finẽ à venatoribus præcipuè expetitur, & magis forſan quàm ad aucupium, quòd ob nimium corporis pondus & geſtatu difficilis ſit & præ ferocia vix atque difficulter diſciplinæ capax. Quare, qui aucupij commodum ex hac volũt percipere, eam iuuenem adhuc & teneram, necdum acquiſito virium robore perfectam, & rebellem, ideoq; facilè domabilem è nido abripiunt, & hac ratione operã minimè perdunt, ſed eas potiſſimùm

Docilitas.

ſibi

sibi deligunt periti aucupes in quibus hæc præcipua bonitatis indicia conspiciunt, nempe rutilum colorem, oculos profundos, maculas in capite, dorsoq; candidas. Atque hæc quidem duo posteriora in nostra, quam Chrysaëton statuimus, minimè desiderabantur: tertium illud, nempe ruffum colorem ætatis maturitate consequuturа erat proculdubio, si longior ei vita obtigisset. Delectus Aquilæ ad venatum.

# VSVS MVLTIPLEX IN VARIIS REBVS.

MIRABITVR proculdubio quispiam, cur quæ hîc de Aquilæ vsu in insignibus Romanis, clypeis, armis, necnon & numismatibus dicturi, non potius ad generalem libri primi narrationem, quàm ad hunc locum retulerimus. Non enim tam Chrysaëto, quàm cæteris Aquilis ex æquo competunt. Nobis verò etiam hîc aptè conferri posse visa sunt, non tam leuandi tædij gratia, quòd vniformis oratio sæpe parit, quàm quòd ad hanc Aquilæ speciem omnino reducantur. Hîc enim de Aquilis legionarijs, præcipuis Romanæ maiestatis signis, & quomodo eas illi ipsi, tum alij, tam in numis, quàm in alijs rebus expressérint, dicturi sumus, quas ad imitationem huius Aquilæ aureæ effictas, & ab Ioue desumptas esse mihi facilè persuadeo. Non enim aliam Aquilam quàm hanc, & generosissimam & bellicosissimã ascisceре, è Romana dignitate, & maiestate erat, & ad æmulationem Iouis expressam, qua sibi hanc terrestrem monarchiam, vt Ioui cœlestem illam, tacito velut calculo asceriberent. Sic enim [a] ille:

*Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.*

[a] *Virgil. in polm.*

Cùm igitur aurea Aquila sine fulua, vt in historia suprà generali satis diximus, Ioui propria fuerit, itaque & hanc præ cęteris Romana potentia, & suorum factorum incitamentum, & glorię monumentum esse voluit. Quæ igitur vel signa, vel numismata ad huius imaginem expressa sunt, ad hunc locum non ineptè referentur. Itaque ne defraudare lectorem hisce rebus non iniucundis videar, ea instar appendicis cuiusdam ad superiora annectam. Volo tamen, vti quæ hîc ad Chrysaëton referimus, sic quę simili ibi cum his argumentum habẽt, vt ille nobilis apud tot Pontifices, Imperatores, Cardinales, Duces, Regna, Imperia Aquilarum vsus, nõ ad aliam, quàm ad hanc auream Aquilarum pręstantissimam spectare, & absq; dubio ascribi existimẽt. Chrysaëti vsus in numismatib.

Vt modò studiosi omnis antiquitatis vtilitatẽ aliquam ex nostris hisce naturæ historijs percipiant, suis proprijs, ac aptis locis numismatum Imperatorum, aliarumq; familiarũ antiquissimarum, & præsertim in quibus Aquilæ inserebantur vtrunque latus declarare decreui. Atque id eò libentius facio, cùm cognoscam hoc eruditissimo sęculo in maximo haberi honore illa studia, in quibus variæ traduntur historiæ, & præsertim illæ, quę ad numismatũ, marmorumq; antiquorum lectiones spectant. Multa enim sub eorum cortice latent mysteria naturæ, quæ maximè ea perscrutantium palato arrident, animumq; oblectant. Fateor equidem me ex hisce studijs maximum semper fructum percepisse, atque hîc inter alios authores Aeneę Vici, Huberti Goltzij, Gulielmi Chouli Galli, Sebastiani Eritij opera vsum fuisse. Sed studia istæc in primis promouet autopsia ipsa, ideoq; tum Romę, Florentiæ, Ferrariæ, tum item in alijs locis apud Serenissimos Principes rarissima multa vidisse mihi plurimum profuit. Verùm cùm varia sint numismata, in quibus ab vna parte Aquila est, primùm ab ijs auspicabimur, in quibus Iupiter est. Is enim vt stolidè antiquitatis summus Deus in quamplurimis conspicitur. Numisma in primis vnũ est Alexãdri Mammeæ, in cuius vna parte eius imago est laurea decorata cum hac inscriptione: ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΜΑΚΡΟΣ ΑΥΡΕΛΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, idest, Imperator Marcus Aurelius Augustus Alexander, Ab altera parte numi Iupiter in parte superiori seminudus, in inferiori vestitus in medio quatuor elementorum sedet, vna manu hastam, alia verò caput Aquilę contingens. Ab eodem latere numismatis conspiciuntur duo cęlestes currus, Solis scilicet, & Lunæ, & duo simulacra aquę, scilicet, & terrę, sub pedibus Iouis iacentia: circuncirca conspicitur Zodiacus cum signis cęlestibus duodecim. Hac Iouis in numo imagine significabat antiquitas, cęlestia, atque adeo altiora mortales debere latere, iuxta vulgatum illud, QVAE SVPRA NOS, NIHIL AD NOS. Numismata in primis ex Alexandri Mammeæ numismatum cognitio in summo honore apud nobiliores.

In numismatis Didij Iuliani Mediolanensis filij Petronij Seueri, & Clarę Aemilię, qui pecunię vi Imperator electus est, vt refert [b] Iacobus de Strada Mantuanus antiquarius, dextra parte, vbi exculpta est eius effigies laurea redimita, & in ceruice fascia quadam promissa deuincta, hęc circunscriptio legitur, nempe IMP. CAES. M. DID. SEVER. IVLIANVS AVG. In aduersa verò parte est templum Ionicis columnis extructum, quibus tympanum incumbit, in quo imago est erectę figurę, & vtrinque aliæ procumbentes. In medio templi Iupiter conspicitur

[b] *De imaginib. Imp.*

ſpicitur ſeminudus, Aquilæ inſiſtens, ſiniſtra fulmen gerens, & dextram Imperatori porrigés. In foribus templi ara eſt, in cuius baſi duo augurales pulli farinâ colliguntur, & ſuper illos imago viri cum alijs ornamentis ex frondibus confectis. Ad dextrũ aræ latus Imperator loricatus, & galeatus conſiſtit, dextra ſchedam tenens, à cuius tergo duo videntur milites galeati. A lęuo arę latere ſacerdos palliatus, ſiniſtra ſchedam tenens, dextra pateram, ante aram ſacrificaturus, aſſiſtit: à cuius tergo duo milites loricati nudo capite conſpiciuntur ſine inſcriptione.

Eiuſdem Dei caput in quibuſdam numiſmatibus Græcis reperitur in parte dextra, cum his literis Græcis: ΖΕΥΣ ΕΛΑΙΟΣ, ideſt, Iupiter Eleos. In parte verò oppoſita fulmen, & Aquila cum hac inſcriptione: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ; Quæ verba nobis oſtendunt, quo in honore Syracuſani olim habuerint Iouem Eleum, cui pulcherrimum dedicarunt templum, & in æternam eius memoriam talia numiſmata ſculpenda curarunt. Reperiuntur, & alia Syracuſarum numiſmata cum eadẽ ferè inſcriptione Græca, nempe ΔΙΟΣ ΕΛΑΕΝΙΟΥ, & ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. In parte verò oppoſita Aquila eſt cum fulmine, atq; aſtrum etiam prope alitis pedes ad latus, octo radijs micans. Licet verò hic paucis ſubdere, cur Iupiter (qui varijs apud diuerſas nationes nominibus cognominatus eſt) à Syracuſanis præſertim Eleos, & à Liuio templũ eiuſdem (alioqui appellatum Olympium) celeberrimum ob eius oracula, diceretur. Conſtat autem ita vocatum ab Elide in agro Piſano, in quo publici illi inſtituebantur ludi.

*Lib. 4. dec. 3.

L. Lentuli, & C. Marcelli Numiſmata.

Numiſmata pariter argentea fuere ſculpta in memoriã L. Lentuli, & C. Marcelli Coſſ. inter quę vnũ eſt, in quo ab vna parte Iouis imago integra erat, fulmen dextrâ, Aquilam ſiniſtrâ portans, ante verò ipſam paruũ conſpicitur altare, & prope fulmen aſtrum ſalutiferum, quod inter aſtra errantia ſecundum locum obtinet. Quæ omnia ſignificant ſacrificium factum pro dictis conſulibus ipſi Ioui ob cauſam fulminis, quod Romæ ſupra templum Capitolinum cecidit.

Carciniorum numiſmata.

In numiſmatibus Carciniorũ magnę Græciæ vnum eſt, in quo erecta Iouis figura cõſpicitur barbata, nudaq;, & fulmina dextra vibrans, ſiniſtraq; Aquilam ferens. Aſtat ei ad latus tripos Apollinis, & ſupra eum ignis accenſus: Numus habet hanc inſcriptionem ad dextrum Iouis latus: ΚΑΡΚΙΝΙ, ſub pedibus verò ΩΝ, ideſt: ΚΑΡΚΙΝΙΩΝ.

Locrenſiũ numiſm.

Apud Locrenſes etiam numiſma eſt, in quo Iupiter ſedens Aquilam dextra tenet, haſtam verò ſiniſtra. Conſpicitur ad latus cornucopia cum inſcriptione: ΛΟΚΡΩΝ. Aquilam verò hic ſculpendam curarunt, vt eam, cùm aduerſus Crotonienſes pugnaſſent, eorum aciem circunuolitaſſe, nec antè, quàm vicerant, receſſiſſe oſtenderent. Quapropter non mirum eſt, ſi ea in multis Locrenſium numiſmatibus inſculpta conſpiciatur. In alia verò parte duo videntur capita, quorum pileus eſt ſimilis ei, quem Turcę hodie vſurpant, & ſupra vtrunque eſt aſtrum. Quę nil aliud, quàm Caſtorem, & Pollucem ſignificant. Locrenſes enim quandiu contra Crotonienſes pugnauêre, binos iuuenes inſigni forma, armatos pro illis pugnantes, apparuiſſe ferunt, eodemq; fugatis hoſtibus derepentè euanuiſſe. Vnde Caſtore, & Pollucem fuiſſe creditũ. In memoriam autem tantę victorię Locrenſes huiuſmodi numiſmata efformarunt, & teſte Strabone, ad ſacrę fluminis ripam, vbi Crotoniates victi ſunt, tẽplum Caſtori, & Pollùci ſumptuoſiſſimũ ędificarũt, qđ etiamnũ eiuſdẽ Strabonis ſęculo extitiſſe refert Hubertus Goltzius.

Agrigentinorum numiſmata.

Agrigentini quoque numiſmata habebant, in quibus pariter Iupiter ſedens in manu dextra portabat Aquilam, in ſiniſtra verò haſtam, ſine inſcriptione: In altera verò numi parte caput imberbe erat cum inſcriptione: ΑΚΡ, ideſt: ΑΚΡΑΓΑΝΤΩΝ.

Pyrrhi Epirotarũ Regis numiſma.

Numiſma argenteum eſt apud antiquarios, in quo ab una parte Alexandri Regis Epirotarum, ab alia parte Iouis ſedentis, manu Aquilam gerentis imago exculpta eſt: Hanc volucrem nulla alia ratione tribuebat Ioui ſtolida antiquitas, niſi, vt quemadmodum illa Auium dicitur regina, ita illum Deorum ſummum regem demonſtraret.

Brutiorum numus.

In quodam etiam Brutiorum numo in aduerſa parte conſpicitur biga, cuius equos Iupiter, dextrâ gerens fulmina, aurigeque loco conſiſtens, impellit: ſub equis eius Aquila parua eſt cum inſcriptione: ΒΡΕΤΙΩΝ.

Antonij Pij numus.

Reperiuntur quoque aliquot numi, in quibus ſine Iouis effigie, ſola Ales iſtæc illum ſignificat, quale in primis eſt Antonini Pij ex ære, in quo ab vno latere caput Antonini cernitur cum hac inſcriptione: ANTONINVS AVG. PIVS P.P. TR. P. COS. III. ab alio verò latere tria animalia, Aquila nempe, Pauo, atque Noctua. Aquila Iouem, Pauo Iunonem, Noctua Mineruam denotans.

Octauij Auguſti numiſmata.

Romæ in quadam marmorea pila idem videre eſt. Iouem cum ſua Aquila, Iunonem cum Pauone, Neptunum cum tridente, Mercurium cum caduceo, galero, atque talaribus. Hi autem omnes Dij ita picti ſunt, ut ſacrificio cuidam præeſſe videantur.

Inter ærea Octauij Auguſti numiſmata quædam reperiuntur, in quibus regia iſtæc Auis orbi inſiſtens expreſſa eſt cum his literis S.C.

Videtur

Videtur eadem in Titi æreo quoque numo, vti item in numo ab eodem Tito reſtituto, in quo hæc uerba circuncirca expreſſa ſunt: IMP. T. CAES. AVG. RESTITVT. Titi numus

Reperitur etiam numus cum eadem Aue, atq; hac inſcriptione: IMP. T. VESPASIANVS RESTITVIT. cuius fortè erat. T. Veſpaſiani numus.

Item in numis Neruæ Imperatoris, eodē modo reperitur Aquila cum hiſce verbis: IMP. T. CAES. AVG. RESTITVIT. Neruæ numi.

Numiſma quoq; obſeruatur paruum, æreum, maximo artificio exculptum, in quo, etſi nulla ſit inſcriptio, ex effigie tamē facile eſt iudicare, eſſe Antonini Pij. In alia uerò parte pulcherrima conſpicitur Aquila alis expanſis, pedibus fulmen premens, neque item aliæ literæ, præter S.C. Numiſma hoc Romę in eiuſdem Principis honorem excuſſum fuit. Aquila enim præterquam quòd in inſignibus militaribus ea uterentur Romani, nihil quidem aliud denotat, niſi Imperatoriam maieſtatem. Vnde apud Sacerdotes Aegyptios regiæ potentiæ hierogliphicum erat. Videtur enim Iupiter Rex Deorum, ſi fabulis credimus, huic ſoli dominium inter Aues dediſſe, fortitudineque & robore omnibus præcellere voluiſſe, atque eò maximè, cum à naturâ ipſa regijs moribus donata fuiſſe videatur. Nos igitur nobiliſſimę huius volucris exemplo dicemus, non regiam tantùm maieſtatem, ſed Principem etiam pium Aquilinæ virtutis aſſiduum ſtrenuumque ęmulatorem repręſentari. Quia itaque Aquila Iouis ales dicitur, idcirco pedibus illa fulmen ferre in multis quoque numis obſeruatur. Nam ut ait ille: Aquila ąd denotat in nuſmimatibus. Aquila cur ſub pedib. habeat fulmen.

*Fulmina ſub Ioue ſunt.* a *Virgil. in poēm.*

Præter item regiam maieſtatem, quam ſignificat Aquila, gloriæ etiam multitudinem antiqui illi Sacerdotes Aegyptij eius typo denotabāt, vti & famam per totum orbis terrarum ſpacium extenſam; atque ita fulmina pedibus tenere dipingitur. Talis enim præcipua fulminis ſignificatio eſt, vt eo deſignetur ſonus, atque ex remotiori loco rumor atque ſtrepitus, id eſt clara rerum geſtarum diffuſa, & diſperſa per totum terrarum orbem fama; quoniam nulla alia res reperitur, quæ maiorem hominib. terrorem incutiat, maioremque ſonum edat, quam ipſum fulmen. Quam ob rem Apellem pictorem eximium, cùm magni illius Alexandri monarchæ effigiem pingeret, fulmen in manu eius expeſſiſſe legimus, quò nominis illius ſplendorem, rerumque præclarè geſtarum in remotiſſimis etiam regionibus acquiſitam gloriam, æternamq; memoriam oſtenderet. Fuit autem imago ea, teſte Plinio, in templo Dianæ Epheſiæ locata, atque ab illo, vt diximus, ſummo artifice talentorum Atticorum viginti (quæ aſcendunt, ſi ad monetam noſtram calculaueris, ad duodecim millium coronatorum ſummam) pretio depicta. Fulmen itaque apud antiquos nominis & celeritatem, & celebritatem denotabat, & augurium faciebat. Talis enim erat ſuperſtitioſa augurum diſciplina, ut quibus in ſomnijs fulminis imagines apparuerant, illis aliquid ex animi ſententia mox euenturum dicerent: vnde legimus Olympiæ matri Alexandri, cui tale ſomnium apparuerat, ab auguribus prædictū fuiſſe, claram aliquando futuram Alexandri filij famam; atque hinc videmus in multorum Græcorum numiſmatum tam æreorum quàm argenteorum diuerſorum Principum parte oppoſita fulmen, & circumcirca nomen eorum, qui numiſmata excudi curabant; quemadmodum in primis quilibet conſpicere poteſt in numiſmate æreo Hieronymi Tyranni Syracuſani, & in alio pariter æreo Antiochi Euergetis, ætate adhuc puerili ſculpti, cui Cupido adiūgitur, in cuius numi aduerſa parte fulmen eſt, & talis inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥΣ, id eſt, Regis Antiochi Euergetis. Fulmen ąd denotat. Olympiæ Alexandri matris ſomniū, eiuſque explicatio. Hieron. Tyranni Syracuſani numiſma, & Antiochi Euergetis.

In numiſmate pariter Pyrrhi Epirotarum regis ſub capite ipſius armato cōſpicitur fulmen. Pyrri Epirotarum regis numiſma.

Erat in Ptolomęorū Aegypti numis fulmen & Aquila, inter quos unus apud antiquarios magnus ex ære, ſculptura valde eminenti obſeruatus eſt, in quo ab una parte erat Ptolomęus capillis, & barba promiſſis, ab altera verò Aquila fulmen pedibus premens, cui ex oppoſito erat cornu copiæ ſpicis refertum, Aegypti fertilitatem denotans. Huius autem numi talis erat inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. id eſt, Regis Ptolemæi. Ptolomęor. Aegypti numiſmata.

Inter Græca quædam magna numiſmata argentea videre eſt Neronis adhuc imberbis effigiē, in cuius aduerſa parte erat Aquila alis apertis, pedibus fulmen continens, & à parte dextra lauri ramus. Sunt qui Aquilæ typo interpretentur in poteſtate Neronis fuiſſe, bellum gerere, uel prauos punire, ac mundū deſtruere, & in pacem redigere, vtpote qui in terris ſummum Iouem, qui fulmine ſuo nequam homines punit, apud credulos homines referebat. Idem quoq; emblema expreſſum fuit in numiſmatibus græcis argenteis Veſpaſiani, & Domitiani, in quibus eadem Aquila alis expanſis fulmen pedibus tenebat. Neronis numiſma. Veſpaſiani, & Domit. numiſmata.

Inter Domitiani huius antiqua numiſmata vnum eſt, idque argenteum, in quo eius nōdum adulti effigies conſpicitur, cū his literis: IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. P.M. in alia verò parte numiſmatis, cāq; aduersâ eadem Aquila pedibus triſulcum fulmen premit,

cum

cum hac circunſcriptione IVPITER CONSERVATOR. Hoc numiſma in honorem Domitiani factum eſt, qui magnum vitæ ſuæ periculum, cùm Vitelliani eum perſequerentur, ad aram Ioui Conſeruatori ſacram fugiẽs, euaſerat. Refert id Cornelius Tacitus in hęc verba: *Domitianus prima irruptione apud ædituum occultatus, ſolertiâ liberti lineo amictu turbæ ſacricolarum immiſtus, ignoratus apud Cornelium primum paternum clientem, iuxta velabrum delituit, ac potiente rerum patre, diſiecto æditui contubernio modicum ſacellum IOVI CONSERVATORI aramque poſuit, caſuſque ſuos in marmore expreſſit. Mox Imperium adeptus IOVI CVSTODI templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacrauit.*

[a] *Lib. 19.*

Petiliæ gentis numiſ.

Ex Petilia gente plebeia, cuius ſæpe fit mentio apud Liuium, Petilius Capitolinus fuit, cuius numus vnus, iſque argenteus, ex vna parte ædem Iouis Capitolini continet cum duabus hiſce ad latera literis S. F. ex altera verò Aquilam expanſis alis, & vtroq; pede fulmen triſulcũ comprehendentem. Suprà ſcriptum erat PETILLIVS, infrà CAPITOLINVS. Templum autem Iouis Capitolini in nummo ſuo exculpſiſſe credimus, & Capitolinum dictum, vel quòd ſacerdos Iouis Capitolini fuerit, vel ut Porphirioni Horatij Scholiaſti placet, quòd Capitolio præfuerit. Vnde etiam de corona ſubrepta poſtulatus, cauſam dixit, & abſolutus eſt.

M. Pletorij Ceſtiani numiſma.

M. Pletorius cognomento Ceſtianus ex Pletoria, vel Letoria gente (eſt enim eadem) oriũdus, inter cæteros vnum habet denarium argenteum, ex cuius parte vna Aquila eſt alas expanſa cum fulmine triſulco vtroque pede comprehenſo, & cũ circunſcriptione M. PLETORIVS M. F. AED. CVR. ex altera verò caput galea comante inſtratum, cum aliqua parte humerorum paludata, cui à tergo ala vna cum ſuperiore parte pharetræ adiacet, antè verò pars eſt ſceptri eminentior. Inſcribitur retrò CESTIANVS, ante uerò S.C. Hic deſignatus prætor fuit cum Cicerone anno Vrbis 686. Eius meminit Cicero.

In Orat. pro A. Cluẽtio, & M. Fonteio.

Corneliæ gentis numiſma.

Inter numiſmata Corneliæ gentis tria ſunt, eaque argentea, quorum unum pertinet ad Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, qui anno ab V.C. DCXCVII cõſul fuit cum L. Martio Philippo: quique, cùm ex Claudiæ gentis Marcellorum familia ortus eſſet, adoptatus in Corneliam, Cn. Lentulus Marcellinus dictus eſt. Huius numiſmatis pars dextra habet Iouis erecta figura effigiem, tenentis dextra fulmen triſulcum, ſiniſtra Aquilam, ſub qua eſt meſſoria falx ad indicandum Siciliæ patrocinium, quod habuerunt Marcellini orti à M. Marcello, qui Syracuſas cepit. Adeſt præterea inſcriptio, nempe ſub fulmine LENT. ſupra uerò brachium per rectam lineam MAR. & ſub Aquila prope meſſoriã falcem COS. quæ ſi cõiungas, ſic ſe habent: Lentulo Marcellino Conſule. Pars autem aduerſa habet tria crura cum femoribus ſuis & pedibus, & ſpicas tres cum capite humano in horum meditullio, Siciliæ ſymbolum. Hoc etiam reperitur ſignatum in denarijs Claudiæ gentis. Reliqua duo numiſmata ſpectant ad L. Cornelium P.F. Flaminem Martialem, qui anno libertatis Reip. & Vrbis conditæ DCCIIII. conſul fuit cum C. Marcello, ut ex ipſa denariorum inſcriptione indicatur; ad quorum ſculpturam intelligendam, quæ pertinere videbuntur, in Claudia Marcellorum familia infrà proferemus.

Gelonis Siciliæ regis numiſma.

Gelonis Siciliæ regis numiſmata extant ex ære, in quibus ab vna parte Aquila fulmen pedibus comprimit, ad latera habens literam A, & hanc circunſcriptionem ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ ΓΕΛΩΝΟΣ. Ab altera caput regis conſpicitur.

Brutiorum numiſmata

Sunt & in Magna Græcia apud Brutios numiſmata, in quibus Aquilæ varijs modis inſculptæ erant. In quibuſdam enim æreis apparet Aquila fulmina pedibus tenens, prope collum aſtrum conſpicitur, & ad latus cornucopia, cum hac inſcriptione ΒΡΕΤΙΩΝ. Erant & alia numiſmata, in quibus erat eadem Aquila cum fulmine, ſed cum cithara ab vna parte, & ab altera cum eadem inſcriptione.

Locrẽſium numiſma. Proſerpinæ effigies eſt cum teda accenſa.

Apud Locrenſes in Magna Græcia exculptum reperitur numiſma cum Aquila pedibus fulmen premente, ad latera verò lauri ramum habente, prope autem pectus literas ſimul iunctas ΑΓ, & inſcriptionem ΛΟΚΡΩΝ. in anteriori verò parte Proſerpinæ effigies eſt cum teda accenſa. Apud eoſdem in ſimili numiſmate eſt Aquila, quæ in dorſo ſuo gerit fulmen triſulcum, & Leporem pedibus tenet, illumque roſtro verberat, cum eadem inſcriptione: ΛΟΚΡΩΝ. In alio pariter numiſmate eadem habetur Aquila, ſed ſine fulmine.

Picea arbor quæ.

In numiſmate æreo Mamertinorum aduerſa pars continet caput cum inſcriptione Græca ante capitis faciem ΑΡΕΩΣ, retrò nucem piceam, quia ea regio piceis abundat. Syluam namque piciferam apud Mamertum urbem fuiſſe veteres tradiderunt, & picem Brutiam ad uaſa vinaria picanda præcipuè commendarunt. Quod uerò piceę ſit fructus, qui in hiſce numis conſpicitur, conſtat ex Plinij ſequentibus uerbis, qui piceæ eam omnino figuram, qua ab antiquarijs in numiſmatibus exprimitur, tribuit. ſunt autem hęc: *Panniculis quam abietis minoribus, gracilioribusq;, nucleos minimos eſſe, ac nigros atque propterea à Græcis phtirophoron vocari*

Naſcun-

Nascuntur etiam abundè inter abietes in alpibus sancti Peregrini in agro Regiensi. A Græcis picea pytis appellatur, quam vocem Theodorus Gaza quandoque piceam, quandoque laricem transfert, cùm tamen semper eodem accentu scribatur. Vnde hallucinatus mihi videtur, eoque maximè, cùm larix Theophrasto incognita fuerit, quemadmodum abundè disputauimus in nostra historia de larice contra Matthioli opinionem, ubi multis argumentis desumptis à veræ laricis definitione, quam [f] Vitruuius, & [g] Cæsar, & Plinius describūt, ostendimus laricem Matthioli cedri maioris speciē esse, non autē laricem antiquorū, quę sterilis est, neque crematur, secus ac larix Matthioli. Sed de hoc satis. Reuertamur, modò, unde digressi sumus. In aduersa verò parte est Aquila pedibus fulmen premens cum inscriptione MAMEPTINΩN. Piceam falsò laricem dici. Gazę error.

[f] *Lib. 2.*
[g] *In Comm.*

Massilienſium numismata quædam inuenta sunt, in quibus erat Aquila erecta cum fulmine ad latus, & inscriptione MAΣΣA, id est, MAΣΣAΛIHTΩN. In aduersa uerò parte erat caput Palladis armatæ galea, comis ex setis equinis perornata, cum litera A, quæ significat Ἀθηνᾶν, id est Mineruam. Massiliensiū numiſ.

In numismate argenteo L. Cottæ est Aquila supra fulmina, intra coronam lauream erecta cum litera R. & inscriptione L. COT. In numismate verò Augusti est Aquila cum inscriptione AVGVSTVS. L. Cottæ numisma. Augusti numisma.

Præterea multa sunt numismata Græca tam ærea, quàm argentea, quę Aquilam habent in aduersa parte cum varijs inscriptionibus. Inter hęc autem numismata Pyrrhi Epirotarum regis vnum reperitur cum Aquila in aduersa parte alis expansis, pedibusque fulmen premente. Inscriptio eius dorica est ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ, id est, Epirotarū. Ex quo manifestè ostenditur Pyrrhi illius numisma esse. Illum enim ob res preclarè domi forisque gestas Aquilæ cognomentum meruisse tradunt; quod & nos in primo libro tetigimus, licet tamen ipse apprimè modestus, gestorum suorum illustrium gloriam sæpissimè militibus suis ascriberet. Legitur nanque post adeptam victoriam domum reuersus militibus suis, qui ipsum Aquilam vocabāt, summa cum modestia respondere consueuisse: per uos verè sum Aquila, quorum armis uelut pennarum suffulcro in sublime euectus sum; Atque hinc fortassis cōtingere potuit, quòd in aduersa numismatis eius parte Aquila sculpta fuerit. Multa enim apud antiquarios reperiuntur numismata tum ex ęre, tum ex argento, in quorum parte aduersa fulmen conspicitur pedibus comprehensum Aquilinis. Quæ res regiam Principis illius, cuius est numisma, maiestatem, ut sæpe dictum est, indicat. Pyrrhi Epirotarum regis numiſ.

Victoria, mater castrorum dicta, post occisos Posthumium, Lollianum, Maurū apud Treuiros, Tetricum ad Imperium adhortata, eoque regnāte occisa, (quanuis nonnulli scribant eam fatali necessitate occubuisse) in eius memoriam numi aurei, argentei, & ęrei cusi sunt, quorum forma apud Treuiros extat: inter quos unus reperitur æreus, cuius altera pars imaginem refert Aquilæ expansis alis fulmini insidentis. Inscriptio est Græcis characteribus, quę tamen propter uetustatem cognosci non potuit. In anteriori verò parte ipsius Victorię effigies conspicitur galeata, & scutata antè & pòst, cum inscriptione latina IMP. VICTORIA AVG. Victorię numisma.

Reperiuntur inter numismata Neronis Cæsaris, & Domitiani quædam, in quibus à tergo Iupiter est effictus in solio sedens, dextra fulmen habens, læua hastam, cum hac inscriptione IVPITER CVSTOS. Domitianus, vt [h] Suetonius asserit, nouam excitauit ædem in Capitolio custodi Ioui, seque in sinu ipsius Iouis, ut inquit, Marlianus, sacrauit, quod confirmat etiam [i] Constantinus Landus. Qua de re etiā meminit [k] Cornelius Tacitus, ubi Capitolium describit à Vitellianis captum. Non ab re autem mihi videtur, (expositis hucusque quamplurimis numismatibus, in quibus fulmina Ioui attributa, sub pedibus Aquilę posita sunt,) ex Plinio rationem reddere, cur sic ea Ioui assignentur. Inquit autem Plinius: *Supernorum trium siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant. Sed maximè ex his medio loco siti: fortassis quoniam contagium nimij humoris ex superiore circulo atque ardoris ex subiecto, per hunc modum egerat: Ideoque dictum Iouem fulmina iaculari.* Quod Ioui fulmina attributa fuerint, indicat idem [l] Plinius, ubi scribit, quòd *Thuscorum literæ, nouem Deos emittere fulmina existimant, eaq. esse undecim generum: Iouem enim tria iaculari, Romani duo tantùm ex his seruauēre, diurna attribuentes Ioui, nocturna Summano, Rariora sanè eadem de causa frigidioris cæli.* Addit etiam idem [m] Plinius: *Ideo Aquilam fulmini adiungi, & associari, huiusque teli armigerum fingi, quòd Aquila è cunctis uolucribus à fulmine non tangatur.* Ideo in quibusdam numismatibus perantiquis Aquila sub pedibus fingitur habere fulgur seu fulgetram. Hinc & hodiè, hac, ut puto, de causa in numis argenteis seu dimidiatis aureis Caroli Quinti Cęsaris nostri, Aquilam cum fulmine, & mundo sub pedibus effingi videmus. *Fulmen etiam*, vt [n] idem author dicit, *fruticem lauri non icit, nec unquam altius pedibus sq. quinque descendit in terram, nec è pellibus belluarum uitulos marinos percutit.* Neronis, & Domitiani numisma.

[h] *Cap. 5.*
[i] *Lib. de numism.*
[k] *Lib. 19.* Fulmina, cur Ioui attributa.
[l] *Lib. 2. c. 52* Fulminum undecim genera.
[m] *Li. 2. c. 55* Aquila cur fulmini adiungatur. Aquila cur orbi adhęcta.
[n] *Ibidem.* Laurus, & Vitulus marinus immunes sunt à fulmine.

Quantunuis in primo libro nonnulla de apotheosi, siue consecratione dixerimus, placuit tamen Cōsecratio

tamen & hoc loco alia quędam tanquam exempla subiungere, atque id eò lubentius à me factum lector puta, quòd hæc ibi deesse visa sint.

L. Veri numisma. L. Veri numisma æreum reperitur, in quo caput eius ab una parte est cum hac inscriptione DIVVS VERVS; in parte altera Aquila orbi insidens, & hæc verba circuncirca CONSECRATIO. & S. C. Numisma id Romæ in memoriam eius postquā consecratus erat, sculptum fuit. Meminit eius Iulius Capitolinus his verbis: *Post fratrem primùm corpus eius Romam deuectum est, & illatum maiorum sepulcris, diuini honores decreti. Deinde cùm gratias ageret senatui, quòd fratrem consecrasset, occultè ostendit omnia bellica consilia sua fuisse, quibus superati sunt Parthi.* In vita Marcij fratris. Et alibi idem. *Tanta autem sanctitatis fuit Marcus, vt Veri vitia & celauerit, & defenderit, cum ei vehementissimè displicerent, mortuumque eum Diuum appellauerit.* Aquila antem antiquitus Romæ Principibus iustis post illorum mortem dedicata erat. In more enim apud Romanos positum erat, tales Principes in Deorum numerum coaptare. Quapropter in eorum consecratione accensa circuncirca pyra, solebant, ut diximus, ex tabernaculo foras emittere Aquilam, quę rectà æthera versum volans, animam Principis superstitiosæ, & nimis credulæ plebeculę in cælum acceptam esse demonstrabat. Cuius rei plurima Cæsarum numismata extant cum tali inscriptione CONSECRATIO: sicuti in hac L. Veri.

Aquila consecrata Principib. iustis.

Cadauerū cremādorū mos, atque cinerū conseruatio. Sed fortè non abs re erit hoc loci (vt studiosis omnis antiquitatis prodesse studeamus) ostendere, quomodo Principum cadauera cremarentur, eorumque cineres seruarentur. Pyra in primis instituebatur, in qua cadauer addita pice cremabatur, deinde collectum cinerem in quibusdam fictilibus uasis, vel in quibusdam phialis ex auro cōfectis, addito vino, & lacte, quæ in sacrificijs adhiberi solebant, reponebant, ac demum lucernas addebant. Hinc ætate nostra in erutis sepulcris varia vasa funeralia diuersę magnitudinis, modò ex terra, modò ex metallo, modò ex alabastro confecta inueniuntur, in quibus mirabili industria, magnoque sumptu liquorem quendam pinguem ex auro paratum, ac per multa sęcula ignem uelut perpetuū conseruantem infundunt. Res certè admiranda, quomodo sub terra sine aëris auxilio id præstare possent: sed verisimile est sub terra occultos quosdam canales cōstruxisse, aut spiracula, ex quibus intus aërem lucernæ recipere possent. De hac cineris collectione, & more ita legitur apud [o] Herodianū: *Nam corpusculo ignibus tradito cinerem ipsum cum odoribus in vasculum alabastri cōtectū Romam ferebant, vt videlicet in sacris Principum monumentis componeretur* [p]. Idem author scribens de vrna, & cineribus Septimij Seueri, ita inquit: *Igitur Principes ipsi cum purpura Imperatoria post sequebantur, Consules vrnam cum Seueri reliquijs gestantes. Qui autē nouos Imperatores consalutauerant, prægressi, deinde vrnam quoque ipsam supplices adorabant. Ita comitati magna pompa, composuerunt ipsam in templo, vbi Marci, & superiorum Principum sacra visuntur templa, monumentaque.* Et [q] Suetonius etiam mentionem faciens funeralis pompæ, ita scribit: *Nec defuit vir Prætorius, qui se effigiē cremati euntem in cælum vidisse iuraret. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti, pedibusque nudis, ac in mausoleo condiderunt.* Ex quibus verbis annotatur, in exequijs magnorum Principum in aliquo loco homines cadaueris cineres collegisse; & cùm deberent illos in mausoleum suorum maiorum efferre, humeris suis extulisse in vrna inclusos, liquoresque odoriferos addidisse, ut testatur Herodianus. Intellexi aliquando quædam sepulcra antiquissima fuisse inuenta, quæ aperta illico suauissimos odores efflabant. Vasorum istorum in sepulcro Romanorum clausorū meminit item [r] Herodianus: *Cadauer efferri* (inquit) *iussit, compluribusq; ignis rogum strui, deinde impositum in medium, mactatisque omne genus animalibus, subiecit ignem; phialā manu tenens, vinumque libans, ventos precabatur.* De hoc verò artificioso lumine, quod apud antiquos in Principum sepulcris, ut diximus, apponebatur, loquitur Plinius, confirmatq; [s] Appianus, vbi de quodam antiquissimo sepulcro Patauij inuento scribit, inquiens: *Patauij monumentum vetustissimum nuperrimè repertum, videlicet vrna fictilis cum inscriptione infrascriptorum sex versuum; intra quam reperta est lucerna adhuc ardens intra duas ampullas, altera auro, altera argento purissimo liquore quodam plena, quarum uirtute creditur per multos annos lucerna hæc arsisse. Erant autem versus primi sex tales:*

*Plutoni sacrum munus ne attingite fures,*
*Ignotum est nobis hoc, quod in urna latet.*
*Nanque elementa graui clausit digesta labore,*
*Vase sub hoc modico, Maximus Olibius.*
*Adsit fœcundo custos sibi copia cornu;*
*Ne pretium tanti depereat laticis.*

[o] *Lib. 3.*
[p] *Lib. 4.*
[q] *In Aug.*
[r] *Lib. 4.*
[s] *Lib. de antiquit.*

Ignis perpetuus in sepulchris.

Lumen perpetuum.

Lucerna perpetuò ardēs Patauij inuenta.

Huiusce modi autem lucernæ tum ex terra, tum ex varijs metallorum generibus summa cum arte elaborata, cum emblematibus varijs in magna quantitate conspiciuntur in antiquis sepulcris, in quorum ore conspicitur signum, in quo erat ignis per longa sęcula ardens; & in tot lucernarum

cernarum diuersitatibus cõspiciuntur uarię literę, & characteres, sicuti etiam in nostro Musęo plurimas videre est, atque inter reliquas unam antiquissimã, quæ sculpta est ab Iulio Iacobono, quam habuit ex meo Musęo. Habeo item vrnam antiquissimam pulcherrimam ex terra leuissima confectam, mihi communicatã, atque donatam à perillustri viro Philippo Fuggero Kirchbergæ, & VVeissenhorni Comite, olim meo discipulo. Talis, quem diximus, ignis perpetuus visus est Bononiæ in sepulcro quodam in ædibus D. Laurentij prope templum D. Iob, de quo multa in nostris [t] commẽtarijs de fossilibus disserimus. Postremò aduertendum est sepulchra Regum, Consulum, Imperatorum Romanorum fuisse reposita in campo Martio, teste Suetonio, ut & nos in historia nostra de ritu sepeliendi apud diuersas nationes ostendimus.

[t] *Cap. de amyantho.*

L. Aurelij Veri numismata duo excusa sunt an. Orb. 4131. V.C. 921. I.C. 169. quorum alteri impressa est Aquila, alteri rogus, additaq; hæc inscriptio CONSECRATIO S.C. Alia quoque duo numismata reperta sunt eodem anno sculpta cum inscriptione ab vna parte tali DIVVS VERVS PARTHICVS. ab alia verò CONSECRATIO S.C. Eorum in vno Aquila globo insistit, altero eadem sursum spectat: Is fortè est, cuius mentionem suprà fecimus sub nomine L. Veri. L. Aurelij Veri numismata.

L. Aelius Aurelius Commodus, qui anno Orbis 4142. V. C. 932. I.C. 180. Imperium cum prænomine Marci accepit, habuit numisma, in cuius priori parte talis erat inscriptio DIVO COMMODO. in posteriori verò CONSECRATIO. Ibi quoq; Aquilæ figura conspiciebatur. Is eo anno, quo excusum est numisma, nempe O. 4154. V. C. 944. I. C. 192. prænomen Lucij rursus accepit, & Hercules Rom. dictus est. L. Ael. Aurel. Commodi numisma.

Vidi etiam aliquando numisma magnum Antonini Caracallæ ex ære lutescente, in quo ille toto pectore sculptus est cum huiuscemodi literis ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΟΥΗ...ΑΝΤΩΝΙΝΟC... id est, Imperator. Cæsar. Marcus. Aurelius. Seuerus. Antoninus. Aduersa pars pulcherrimam figuram Herculis nudam habet, qui in sinistra manu clauam gerit, in dextra verò pateram, qua vti velle videtur ad sacrificandum. Adest enim altare, & supra ignem eius conspicitur Aquila volans, circum verò talis est inscriptio ΠΕΡΙΝΘΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Hoc numisma fuit sculptum in honorem huius Principis à Neocoris (id est nouis colonijs, nam χώρον significat multitudinẽ, νέος verò nouam) Perinthijs Thracię populis, de quibus meminit [u] Plinius his uerbis: *Oppida Selymbria Perinthus latitudine ducentorum pedum continenti annexa*, Figuram verò Herculis, quæ est in hoc numismate, iudico fuisse Deum populorum eorum protectorem; Aquilam verò volantem supra aram Chrysaëton esse, cuius in consecratione iustorum, & bonorũ Principum vsus, vt antè diximus, esse solet; de qua Imperatorum cõsecratione meminit [x] Herodianus in morte Seueri patris Caracallæ, cui (Seuero inquam) quatuor Aquilæ, à quibus videbatur ob nocturnas imagines raptus, & in cælum delatus, mortis signa attulerunt. Et quia post mortem filiorum consecratus fuit, fieri fortè potuit, ut Hercules huiuscemodi sacrificium ad aram illã pro anima Seueri, Caracallę patris, deificati administraret, ac pręsertim cùm in eo numismate conspiciatur Aquila volãs, quæ quasi animã Principis in cęlũ efferre videtur, sicuti in multis alijs aduersis numismatũ Principũ post mortẽ consecratorum partibus videmus, in quibus scilicet tales Aquilę sculptę sunt, cum literis circũcirca CONSECRATIO. Verisimile etiã est Perinthios illos populos summa cũ assentatione Caracallę eius filij numisma hoc excudisse. En quanta hominum superstitio, quanta Dęmonis fallacia antiquitùs etiam regnabat. Antonini Caracallæ numisma. Perinthij Thraciępopuli. [u] *Li. 4. c. 11.* [x] *Lib. 4.*

In numismate Diocletiani ex argento conspicitur Iupiter Victoriam ferens, quę sub pedibus globum habet, & Iupiter sibi Aquilam uicinam. Diocletiani numisma.

Consimile etiam Licinius numisma excudi voluit, in quo Aquila rostro gerit coronã lauream cum hac inscriptione IOVI CONSERVATORI AVGVSTORVM NOSTRORVM. Romani, vt Imperatorum suorum, quos superstitiosè in Deorum numerum relatos asserebant, Consecrationis memoriam posteris traderent, in numis altare sculpebant cum igne ardente, & cum inscriptione CONSECRATIO, ut in numismate æreo Augusti conspicitur. Licinij numisma. August. numisma.

Pariter hoc uideri potest in numismate ex ære Constantini, in quo duę habentur Aquilę ad latera altaris erectę, cum hac inscriptione in superiori numismatis semicirculo, nempe MEMORIA FELIX, & sub altare PTR. Constantini numis.

In numismate Traiani ex ære columna est erecta in eius honorem, in cuius medio scriptum est S. C. ad basim uerò duę iacent Aquilę, suprà uerò columnam insidet, ut credo, Imperator, cum inscriptione S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Traiani numisma.

Argenteum Marcianæ Traiani sororis numisma excusum est, in cuius vna parte talis conspicitur inscriptio DIVA AVGVSTA MARCIANA. in oppositа verò CONSECRATIO. hic quoq; Aquila scipioni insistit. Aliud item eiusdem ex argento quoq; numisma videtur Marcianæ numism.

detur cum eadem Aquila ſcipioni inſiſtente, & inſcriptione CONSECRATIO, cui quidem hæ literæ S.C. additæ ſunt, ſecùs ac ſuperiori.

Matidiæ numiſm. Matidia Marcianæ filia, ſoror Sabinæ Hadriani, argenteũ numiſma habuit, cuius pars prior ſic inſcribebatur DIVA AVGVSTA MATIDIA. poſterior verò CONSECRATIO. in qua etiam Aquilæ figura expreſſa erat.

Pertinacis numiſm. Aquila inſiſtens globo inſculpta eſt in P. Heluij Pertinacis numiſmate, quod cuſum eſt an. O. 4155. V.C. 945. I.C. 193. In cuius poſtrema parte circunſcriptio talis erat CONSECRATIO. & S. ad globi dextrum latus, ad ſiniſtrum verò C. id eſt, Senatus Conſulto. Prima pars ſic habet DIVVS PERT. PIVS PATER. Is vir bonus fuit, ſtatura Imperatoria, habitudine corporis pinguiori, eloquentia mediocri, magis blandus, quàm benignus, optimo ingenio, & robuſto corpore præditus, niſi quòd paulùm pedum laboribus impediretur. Imperium adipiſcente eo, Senatus vetere conſuetudine vocatus eſt, tum verò corrigere cœpit omnia, quæ fierent ſine ordine, & modo: Quocirca breui temporis ſpatio à Prætorianis, & Læto præfecto, qui eũ Imperatorẽ fecerat, eo anno Cal. Aprilis eſt confoſſus in Palatio, Didio Iuliano cõſcio.

L. Septimij Seueri numiſmata. Aquila quoq;, & inſcriptio aliàs dicta CONSECRATIO, exprimitur in numiſmate quodam L. Septimij Seueri Pertinacis, vti & rogus cum eadem inſcriptione in alio ſuo numiſmate. Et hæc quidem in auerſa parte. In vtrorunque verò dextra ſic inſcriptum erat DIVO SEVERO PIO. Erant autem ex argento, cuſaq; an. O. 4173. V.C. 963. I. C. 211. quo tempore Imp. ipſe pridie nonas Febr. Eboraci obijt.

Auguſti numiſma. In numiſmate Auguſti argẽteo eſt eius effigies ſenilis coronata, cum inſcriptione DIVVS AVG. ex aduerſa parte CONSECRATIO. Hoc numiſma Romę cuſum fuit in ipſius memoriam poſt mortem, idque à Tiberio Cæſare factum teſtantur, & illi conſecratum, ut ex aduerſæ partis inſcriptione ſuprà dicta oſtenditur. Dion huius conſecrationis mentionem faciens, qui ei honores exhibiti ſint, his verbis oſtendit: *Tum verò immortalitatẽ ei tribuerunt, Flamines q́, & Sacerdotem Liuiam (quæ tunc Iuliæ etiam, Auguſtæ cognomenta acceperat) conſtituerunt, lictoreq́, vti eam in ſacrificijs permiſerunt. Cæterùm Liuia Numerio cuidam Attico, Senatori, & Prætorio, decies ſeſtertiũm dono dedit, quòd iurauerat ſe vidiſſe Auguſtum in cælum aſcendentem, quemadmodum antiquitus Romulum Proculus vidiſſe perhibetur. Decretum quoque Romæ Auguſto ſacrarium à Senatu, à Liuia autem, & Tiberio factum. Alibi quoque de multis locis ei fana extructa ſunt à populis partim volentibus, partim inuitis; Nolǽ, domus, in qua deceſſiſſet, in templum mutata. Dum eius Romæ templum ædificabatur, auream ipſius imaginẽ in æde Martis lecto impoſitam collocauerunt, omniq́, eam cultu, qua in poſterum eſſent uſuri, uenerati ſunt*, &c. Ex quibus verbis cognoſcimus nõ ſolùm immortales honores exhibitos eſſe Auguſto, ſed etiam tunc ei dedicatos fuiſſe Flamines, & ſacerdotes, & Romæ, & multis in locis ab alijs populis dedicata templa & præter id domũ eius, in qua mortuus eſt Nolę, in templum tranſmutatam fuiſſe. Tali quoq; deceptione in numerum Deorum relatus fuit Seuerus, & multi alij Imperatores, quos breuitatis cauſa prętereo.

Antiquiſſimi illi Romani, vt conſecrationem ſuorum Auguſtorum denotarent, in nuumiſmatibus ſuis ponebant Aquilam ſupra fulmen triſulcum, vel id pedibus tenentem, ut apparet ex numiſmate ęreo Ti. Veſpaſiani, vbi eſt talis circunſcriptio IMP. T. VES. AVG. REST. additis ab lateribus Aquilæ his literis S.C. nempe S. ad dextrum latus, C. verò ad læuum.

Tit. Veſpaſiani numiſma. Domitiani numiſm. Eadem in numiſmate Domitiani Imp. ſed cum hiſce circuncirca literis Græcis, nempe: AI prope alam dextram, poſtea cum aſtro, deinde ſupra caput cum Δ, tum alio aſtro, poſtremò prope ſiniſtrã alam cũ I, quę literę ſi iungãtur, notãt ΑΙΔΙ fortaſſis ΑΙΔΙΟΣ, id eſt ſempiternus.

Neruę numiſmata. Neruę numiſma excuſum eſt anno Orb. 4060. V.C. 850. I. C. 98. idque à Gallieno in eius honorem, vt & aliorum Impp. factum eſſe creditur. In huius priori parte eſt radiatum caput, & inſcriptio DIVO NERVAE. In auerſa verò conſpicitur Aquila expanſis alis cum tali inſcriptione CONSECRATIO. Is poſt Domitiani cędem Imperator deſignatus, eos ſtatim qui rei facti erant impietatis, abſoluit, exules q́ reſtituit, prohibuit ſęuitiam, quæ in Chriſtianos exercebatur, & ſycophãtas quoſdam occidi iuſſit, inter quos & Suram Philoſophum. Vir erat nobiliſſimus, atq; humaniſſimus princeps, iuſtus, ac beneficus, vſque adeo bonus, ac honeſtus, vt aliquando dicere auſus ſit, ſe nihil feciſſe, quominus poſſit, depoſito Imperio, priuatus tutò viuere. Id quod præſtitit haud ita multò pòſt. Nam cùm propter ſenectutem minimè honoraretur, ſed contemptui eſſet, Capitolium conſcendens M. Vulpium Traianum Hiſpanum, adoptat. Ceaſebat enim virtutem cuiusq́, non patriam exiſtimari, & ponderari debere. Vnde eum poſtea in Senatu Cæſarem deſignauit, & ſucceſſorem. Quandoque eandem Aquilam

Ti. Veſpaſiani numiſma. ſupra orbem, vt ex alio numiſmate eiuſdem Neruæ conſtat, & alio Ti. Veſpaſiani ponebant abſque ulla alia inſcriptione, prętęr has literas S.C. ad orbis latera.

Nonnunquam etiam eãdem Aquilam, ad denotandam eandem Conſecrationem, collocabant ſupra

bant supra fulgur, non tamen trisulcum, vt ex numis argenteis D. Vespasiani Augusti duobus patet, in quorum altero à dextra parte erant hę literę CON, à sinistra VIN. in altero autem à dextris plantę cuiusdam, fortassis lauri ramulus supra fulminis diuersi à superiori ferè extremitatem positus, & cum hac inscriptione ETOVC in dextra parte, postea eum astro supra alitis capite, demum cum alia inscriptione in sinistra IAPOT. Vespasiani numism.

Eadem Aquila visa est in numo Claudij Neronis, sed sine ulla inscriptione, & sine astro, licet in sinistra parte essent hi characteres latini hoc modo accommodati HCP. Neronis Claudij numus.

In numismatis Marci viri grauis, & prudentis, quem Philosophum cognominat Zonaras, post Gordiani mortem in Imperatorem adoptati, aduersa parte habetur hæc inscriptio MARCVS AVG. IMP. CAES. In alia verò est templum figura quadrata, in cuius medio apparet ianua, & in superficie, & angulorum vestigio litui sunt infixi, & in medio tecti ignis emicat: inscriptio est CONSECRATIO.

Inter alia Imperatorum numismata, in quibus aliqua consecrationis nota conspicitur, silẽtio non inuoluam illud P. Aelij Hadriani, Aelij Hadriani filij cognomento Afri, in quo etiam multa eius præclara gesta expressa sunt. Sedauit in primis hic Imperator Parthorum bellum, & per Asiam in Achaiam nauigauit, Eleusinaq; sacra suscepit. Et hinc Romam, deinde in Africam transijt, multum prouincijs benefaciens, Reges omnes ad amicitiam suam inuitauit. Peragrata Arabia, Pelusium venit, ibi Pompei sepulcrum innouauit, eiq; parentauit. Arithmeticæ, Geometriæ, picturæq; peritissimus fuit. Literarum & poëmatũ studiosissimus, ita ut multa amatoria carmina scriberet, & versus componeret. Professores omniũ disciplinarum locupletauit, & ditauit, licet quæstionibus eos exagitaret. Famæ tam cupidus, vt libros à se scriptos de sua vita, libertis suis publicandos suo nomine traderet. Armorum, & rei militaris peritissimus erat, vocatosq; ad militiã, equis, mulis, vestibus, sumptibus, & omni ornatu donauit. Tantas etiam copias habuit, quãtas vnquam alius Imperator. Peditum ducenta, equitum quadraginta milia, Elephantos trecentos bellicosos. Curuum præterea ad prælium instructorũ duo milia, ac armorum in supplementum trecenta millia, & hæc quidem terrestris eius erant copiæ. Maritimæ verò; minorum nauium duo millia, triremiũ à sescuplis in quinqueremes mille quingentarum classem, Instrumentorum quoque naualium numerum duplicem. Ad hæc naues partim proris, partim puppibus auro exornatas, quas Thalomigas appellant, ad belli pompam, quibus Imperatores vehi consueuere, octoaginta. Pecuniarum præterea magnã vim in thesauris Aegyptiorum, talentorum nempe quatuor & septuaginta milia habuit. Peregrinationis ita cupidus, ut omnia, quę legerat de locis orbis, prę sens vellet addiscere. Instauratuit Romę Pãtheon, Septa, Basilicam Neptuni, Forum Augusti, Lauacrum Agrippæ. Fecit sibi sepulcrũ, & pontem sui nominis, innocentes pauperes ditauit, sacra Romana diligẽtissimè curauit, peregrina contempsit, officiũ Pontificis Maximi peregit. Dicaculus fuit, & iocosus. Vno tẽpore scripsit, dictauit, audiuit, & cũ amicis confabulatus est. Tum ludos Circenses, & donatiuum populo exhibuit, ac militibus. Anno ætatis sexagesimo secundo, cùm imperasset annis 21. mensibus 11. apud Baias vita functus est. Vir fuit statura procerus, forma comptus, flexo ad pectinẽ capillo, promissa barba, vt vulnera, quę in facie erãt naturalia, tegeret. Primus enim Cæsarum Hadrianus, Dione teste, barbam nutriuit. Memoriæ & omnis penè artificij opifex incredibilis, Ingenij liuidi, lasciui, & ad ostentationem sui, insolentis. Numismatis pars vna, eaq; dextra Hadriani caput Leonina pelle indutũ repręsentat. Ante illius effigiem, quæ in humero sinistro clypeum fert, in quo eques quoddam quadrupes (Leonem opinor) confodit, adest sagitta: Inscriptio ex oppositio circunlegitur talis IMP. CAES. HADRIANVS. FOEL. AVG. PER P. P. P. Altera numismatis pars talis est: Põs quadratis lapidibus, quatuor fornicibus in Tyberi fabrefactus apparet. Cui vtrinque quatuor columnę insistũt, in quarum summitatibus quatuor statuæ marmoreæ sunt positæ. Ponti coniunctum est sepulcrum, vel moles Hadriani, cũ inscriptione CONSECRATIO. Pons Aelius dictus est ab Aelio Hadriano Imperatore, qui eum pontem iuxta molem sepulcri excitauit iuxta Tyberim, ea de causa, vt per Tyberim transeuntes propius molem aspicerent positam è regione Mausolei, quod Augustus fecerat. Iam enim Augusti monumentum repletum erat, neque quisquã amplius in eo sepeliebatur, & ipse primus Hadrianus in ea, quam ipse extruxit, mole sepultus dicitur, vbi ipsius cineres, & omnium Antoninorum post eum conditi, vt inciſæ inscriptiones, & epitaphia illius hodie ostendunt. IMP. DIVI TRAIANI PARTHICI, FILIO DIVI NERVAE, ADNEPOS TRAIANO, AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. MP. II. COS. III. P. P. ET DIVAE SABINAE IMP. CAES. T. AELIVS ADRIANVS ANTONINVS AVG. PIVS, PONT. MAX. TRIB. POT. II. DESIGN. IIII. COS. II. P. P. PA- Aelij Hadriani numisma ac gesta. Naues Thalomigæ. Pub. Aelij Hadriani numisma.

RENTIBVS SVIS. Item, CAESARI L. AVRELIO VERO AVG. ARMENI. AC MED. PARTHIC. PONTIF. TRIBVNIT. POT. VIIII. IMP. V. C. COS. III. P.P. Erat olim tota ea moles extrinſecus marmoribus incruſtata, varijsq; columnis ex diuerſo marmore, altera ſuper alteram extructa, quarum quædam ad Sancti Petri Baſilicam ornandam tranſlatæ ſunt, interq; binas columnas ſtatua erat poſita. Ibi & ſtatuæ erant aliquæ, vtpote Antinoi, Adonidis, Perſei, pulcherrimæ recèns inuentæ. Eam molem[y] Procopius optimè deſcribit, cum inquit: *Hadriani quondam Imperatoris ſepulcrum, extrà portam Aureliam*, ſiue, vt[z] Iacobo Stradæ placet, Aeliam, *iactu lapidis poſitum*. Primus eius ambitus quadrigati figuram habet. Conſtat enim totus ex marmore Pario ſumma artificum diligentia ædificatus. In medio verò huius quadrati, rotunda moles aſſurgit, excelſa altitudine, & tanta, vt in ſuprema eius parte area ſit, cuius diameter vix iactu lapidis tranſigitur. Quam molem Beliſarius occupans pro arce, & præſidio contra Gothos vſus eſt. Erant olim in ſumma parte vndiq; ſtatuæ magnæ hominum, equorum, quadrigarum, miro artificio elaboratæ. Has partim integras milites demoliti, partim confractas in hoſtes deiecerunt. Viſuntur adhuc in hoc monumento boum capita, & quædam alia inſculpta.

[y] *Lib. de bel. Gothico.*
[z] *In Theat. antiq.*

Hadriani numiſm.

Hadriani quoque aurea numiſmata habentur, quę cuſa ſunt an. O. 4079. V. C. 869. I. C. 117. Horum autem vni in anteriori parte eſt Hadriani caput cum hac inſcriptione IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. AVG. G. D. PARTH. in poſteriori verò DIVO TRAIANO PATRI. In alijs additur AVG. Traianus conſecratus. Eiuſdem Hadriani argenteum numiſma reperitur, quod excuſum fuit an. O. 4100. V. C. 890. I. C. 138. Huius altera pars, eaq; prima ſic inſcribitur HADRIANVS AVG. poſtrema verò ita CONSECRATIO. Aquila hîc inſiſtit globo.

Marinianę numiſma.

Marinianæ numiſma inuentum eſt, idque argenteum, in quo ab vna parte talis habebatur inſcriptio DIVA MARINIANA. in auerſa verò CONSECRATIO. Aquila inſuper hîc ſculpta Marinianæ animam in cælum efferre videbatur. Numiſma hoc cuſum eſt an. O. 4222. V. C. 1012. I. C. 260.

Q. Fuluij Macriani numiſma.

Q. Fuluius Macrianus M. F. numiſma habuit ex argento cum tali ab vna parte inſcriptione DIVO MACRIANO: ab altera CONSECRATIO KAA. addita Aquilæ figura, vt videre eſt in picturis Alberti Principis Bauariæ. Is à patre Imperator Cæſar Auguſtus an. O. 4223. V. C. 1013. I. C. 261. appellatus eſt, & licet multùm armis potens eſſet, cum patre tamen à Domitiano Aureoli duce vincitur, & occiditur. Eodem anno numiſma hoc cuſum eſt.

P. Piueſij Tetrici numiſma.

Aquila item cóſpicitur in æreo numiſmate P. Piueſij Tetrici, ſed inſcriptiones diuerſæ ſunt. Prima enim ſic ſe habet IAP. C. TETRICVS P.F. AVG. Secunda CONSECRATIO. hic Piueſius Tetricus Galliæ præſes, Victoria ſuadente, Imperium ſuſcipit, & Auguſtus appellatus. Is cùm multa præclara geſſiſſet, & militum inſolẽtiam diutius ferre non poſſet, maluit ſe Aureliano committere, quàm inſidioſis imperare. Hunc pòſt Aurelianus in triumpho cum Zenobia ductum non ſolùm uiuere, ſed etiam in ſumma dignitate, commiſſa illi tota Italia, manere paſſus eſt, collegam ſæpe, nonnunquam commilitonem, Imperatorem aliquando appellans. Hoc autem numiſma cuſum eſt an. O. 4230. V. C. 1020. I. C. 268.

Claudij Gothici numiſm.

Inter numiſmata M. Aurelij Claudij Gothici, quæ ſculpta fuêre an. O. 4232. V. C. 1022. I. C. 270. tria reperta ſunt, quæ retrò inſcribũtur ita CONSECRATIO. In quorũ vno cóſpicitur ara, cui Aquila inſiſtit, altero ara tantùm, tertio nihil, cuius anterior inſcriptio talis eſt DIVVS CLAVDIVS. alterius verò DIVO CLAVDIO GOTH. primi autẽ DIVO CLAVDIO. Is digitis fuit adeo robuſtis, vt ſæpè equis, & mulis ictu pugni dentes excuſſerit.

Fl. Valer. Conſtantij numiſma.

Reperitur numiſma ex ære FL. Valer. Conſtantij, in cuius priori parte eſt Imperatoris uelatum caput, adiecta inſcriptione DIVO CONSTANTIO AVG. in poſteriori uerò CONSECRATIO P. L. C. addita Aquilæ figura. Numiſma hoc excuſum eſt an. O. 4267. V. C. 1057. I. C. 305. Hic Imperator uir pius fuit, & Chriſtianus, natura mitiſſimus, diuitiarum ſpretor, modici cultus, tantæ modeſtiæ, vt facilem ſe, & amabilem cunctis etiam præberet.

Antonini Pij, & M. Aurelij numiſmata.

Poſtremò in gratiam eorum maximè, qui in antiquitatibus cognoſcendis omnem operam collocant, duo libet ſubiungere numiſmata, eaque magna Antonini Pij, & M. Aurelij, in quibus tabernacula illa multis ſtatuis, & ornamentis perornata, ita ad viuũ exculpta ſunt, ut quem ordinem, quaſque cæremonias in eiuſmodi conſecratione obſeruarent, facilè ex eorum figura cognoſcas. Erat & in his numis aliâs dicta inſcriptio CONSECRATIO.

Qui Impp. conſecrabantur.

Conſecrabant autem Romani illos ſolùm Imperatores, qui filios Imperij hæredes relinquebant. Falsò autem ſibi perſuaſum habebant conſecratione iſtac in falſorum illorum Deorũ numerũ eos coaptari. Eo tempore ciues omnes pullis veſtibus induti, vultu mœſtitiam, doloremq; præ ſe ferente per vrbem incedebant, velut Imperatoris ſui miſerati; cuius ſimulacrum cereum palli-

dum

dum mortui per omnia simile, maxima cum solemnitate, multisq; cęremonijs eburneo lecto superbissimo pannis pretiosissimis cooperto in sublimi tabernaculi vertice in aditu Imperialis palatij collocabant. Sedebant prope sinistrum latus senatores omnes, lugubri veste induti, maiorem diei partem ibi conterentes. A dextro verò latere matronæ omnes seruato dignitatis ordine & generis sui claritate sine gemmarum, annulorum, brachialium, & torquium ornatu, sed leuissimis tantùm vestibus ijsq; albis (qualibus multæ in Italia virgines vti solent) indutæ sedebant, magnam præ se ferentes animi mœstitiam. Atque hæ cęremoniæ septem continuis diebus durabant; quo tempore etiam Medici singulis diebus ad tabernaculum accedebant, ęgri sese Imperatoris pulsum examinare fingentes, & in dies morbi vehementiam accrescere. Cùm verò expirasse ipsum dixissent, ilico senatores surgebant, & lectum in humeris efferebant in viam sacrā ad mercatum veterem, quo in loco Magistratus Romani munerum suorum dignitatibus sese exuere solent; Erant hoc in loco à duobus lateribus quædam contignationes cum quibusdam gradibus, vt in amphitheatro, & ab vno latere iuuenes nobiliores, & Patritij Romani sedebant, in alio verò illustriores matronæ canebant hymnos pios, & valdè mœstos, quales in funebribus pompis fieri solent. Quo peracto Senatores iterum humeris libitinam suscipiebant atque extra Vrbem in campum Martium perducebant. Hoc loco tabernaculum erat quadratum ex lignis siccis maximis confectum, & sarmentis, palea, fasciculis intus refertum, extrà verò magnificè cortinis acu Phrygio elaboratis, statuis eburneis, varijsq; picturis perornatum. Atque tale erat primum tabernaculum, supra quod erat aliud simile, sed minus, egregiè item exculptum, vt primum; sed portas habebat, & fenestras apertas, per quas deinceps in tertium ascendebant, quod altius erat, & vtroq; minus. Posset hæc structura quibusdam turribus assimiliari, quæ in mari, aut supra portus construuntur, quæq; à recentioribus Italis fanali, ab antiquis verò phari vocantur, quales multos vidi in Italia, Gallia, & Hispania, & in portu Laburni Magni Ducis Hetruriæ, & Rauennæ, & Puteolis, in quibus noctu faces accenduntur, ut ijs conspectis ad loca secura nauigantes sese conferant. Nō omittam Pharon insulam quondam fuisse, quæ in maris medio stetit. In ea turris est ingens in petra posita, albo lapide, octingentis talentis à Ptolomęo Philadelpho Rege, Softrati Gnidij architecti Alexandrinorum amici opera extructa, quę & ipsa Pharos dicta est, in qua noctu accensæ faces nauigantium cursum regebant, à cuius similitudine cæterę quoq; speculæ similem in vsum cōstructæ, Phari appellatæ sunt. Vnde Statius:

*Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula Lunæ.*

Scribit* Hegesippus Pharon à Grecis, Latinisq; appellari ex ipsius rei vsu, eo quòd lōgè videatur à nauigantibus tāquam ἀπὸ τῆ φανῆ, quod lucidum significat, immutata litera Pharos dicatur. Reuertamur modò ad Tabernaculum, seu structuram, vnde digressi sumus. Perducto verò iam ad secūdum tabernaculi solium Imperatoris lectulo, tum magnam aromatum, tymiamatum, fructuum, herbarum, vnguentorum odoriferorum, ac pretiosorum ex diuersis orbis terrarum partibus conductorum quantitatem aspergebant, atque inter se omnes contendebant, quisnam Principem suum maiori honore afficeret, atque melius hoc vltimum beneuolentiæ munus demonstraret. Quo peracto surgebant quidam equites, & circum tabernaculum pyricas choreas, vulgò La moresca, ducebant; Pariterq; etiam circa tabernaculum quadrigæ & bigæ ab aurigis suis oloserico purpureo indutis conductæ, magno cursu ferebantur. Induerant autem isti aurigæ personas, quæ Principes, præfectosq; mentiebantur eos, qui consecrando Imperatori, dum erat in viuis, seruiebant. Post omnes verò istas cęremonias successuri in Imperium cereum accensum in tabernaculo reponebant. Sequebantur deinde & alij idem facientes, & sic demum omnes. Vnde tam ob ligni siccitatem, quàm alia, quę aderant, pinguia, flamma statim ex tabernaculo erumpebat, & ex minori, & altiori Aquila versus cęlum euolabat. Quo viso stolida & nimis credula plebecula animam sui Principis ad cęlū efferri ab Aquila proclamabat, eumq; postea, ut Deum adorabat, altariaq; & templa erigebat, vitulos, agnos sacrificabat, Flamines, & sacerdotes assignabat, ut de Cæsare testatur Prudentius:

*Hunc morem veterum docili iam ætate secura*
*Posteritas mensa atque adytis, & flamine & aris*
*Augustum coluit: vitulo, placauit & agno.*

* *Lib. 4.*

M. Aurelij Antonini Philosophi argentea numismata quædam reperiuntur, inter quæ vnū in anteriori parte sic inscriptum legi DIVVS M. ANTONINVS PIVS. in posteriori verò CONSECRATIO. Aquila insuper inflexo capite hîc lauream rostro tenet. Tria quoq; adsunt eiusdē ex argento numismata cū simili inscriptione, his tamen additis literis S. C. In horum altero Aquila glōbo insistit, altero arę, tertio Rogus adest, qualem[a] Herodianus describit. Hæc autem numismata excusa sunt an. O. 4142. V. C. 932. I. C. 181.

M. Aurelij Antonini numism.

[a] *In Seuero.*

Aquila cū insignibus militarib. in numiſmatibus.

Habito iam ſatis ſuperq; ſermone de numiſmatibus Romanorū, Græcorum, & aliarum nationum, quæ de conſecratione Imperatorum agebant: nunc quomodo Imperatores ad milites ſuos in bello orarent, & qui intererant, & quæ ſigna militaria ferrent, quibuſdam exemplis hîc oſtendam.

Cùm multa reperiantur, vt oſtendemus, numiſmata, in quibus pulcherrima Imperatorum velut milites adloquens effigies conſpicitur cū hac inſcriptione ADLOCVTIO COH. S. C. Quia verò inter audientium militum primarios etiam adeſſet Aquilifer, non inconueniens erit, imo è re in primis legentium, ſi hoc loci adlocutionis eius originem paucis examinem, cuius veritas ex numiſmatum antiquiſſimorum quorundam, de quibus inferius mentionem faciemus, aduerſa parte quàm maximè eluceſcet. Fuit itaque eius origo antiquiſsima, vtpote vtiliſſima in re militari. Eâ enim milites à Ducibus ad bellum inflammati acrius, & alacriori animo pugnabant & magis ac magis ad obtinendā victoriam accendebantur, & Aquilifer, alijq; ſigniferi audacius contra hoſtes ibant. Bis autem adlocutiones in bello fiebant; primùm, cùm milites iuramento ſe obſtringerent; ſecūdùm, cùm cōgregatis militibus dux ipſe è ſuggeſtu eos adloqueretur, idq; eo potiſſimùm tempore fiebat, quando cum militibus, aut de modo pugnādi, aut de fuga, aut de adhortatione cōtra hoſtes, aut de ſtipēdio, aut de liberatione aliqua facienda, aut de alijs rebus neceſſarijs conſultandis agere cogeretur. Adlocutionum harum pluribus in locis apud hiſtoricos mentio fit, & in primis apud [b] Liuium, qui de Scipione Africano loquens, ita ſcribit: *Eōdem legiones ex hybernis conuenire cùm iuſſiſſet, ipſe cum quinque millibus ſociorum ab Tarracone profectus ad exercitum. Quò cùm veniſſet, adloquendos maximè veteres milites, qui tantis ſuperfuerant cladibus, ratus, cōcione aduocata ita diſſeruit.* [c] Item rurſus de eodem Scipione ſeditioſos milites adloquente: *Tum ſilentio*, inquit, *per præconem facto, ita cœpit: Nūquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum adloquerer, credidi.* & apud [d] Herodianum, qui de principio Imperij Commodi Cęſaris ſic inquit: *Paucis autem pòſt diebus celebrato iam funere, viſum amicis eſt adoleſcentem adducere ad exercitum, vt & milites adloqueretur & qui nouis Imperatoribus mos eſt, præmijs eligendis veluti auctoramento quodam illorum animos adtungeret.* De militum iuramento meminit Vegetius his verbis: *Milites iurare ſolent; & ideo militiæ ſacramenta dicuntur. Iurant autem ſe omnia ſtrenuè facturos, quæ præcepit Imperator, nunquam deſerturos militiam pro Rom. repub.* Qui itaq; iuramentum non ſeruabant, ijs pollices ilico abſcindebantur; vnde qui militiam deſerere volebant, ſibi pollices detruncabant, vt inutiles in poſterum ad militiam cenſerentur. Si verò Imperatori morem geſturos ſignificare vellent milites, habita oratione, clypeos ſuos haſta percutiebant, vt ex antiquarum hiſtoriarum lectione habemus. Iuramentum verò ſacramento confirmabant, pollice non ſolùm in ſublime erecto, ſed enſibus etiā euaginatis collo admotis. Id quàm ſanctum, quàm inuiolabile fuerit in Rom. rep. & quanta reuerentia accipiebatur, & ſeruabatur, hiſtorici optimè teſtantur. Quæ autem iurarent, his verbis indicat [e] Liuius: *Per omnes Deos paratos iurare magis quæ velint, quam quæ ſciant vera eſſe, & obſtringere periurio non ſe ſolum, ſuumq; caput, ſed ſigna militaria, & Aquilas, ſacramentiq; religionem.* Antiquitas huiuſcemodi adlocutionis in primis cognoſcitur ex numiſmate magno Seueri ex pulcherrimo metallo, & optimè ſculpto cum toto pectore cum hac inſcriptione L. SEPTIMIVS SEVERVS AVG. In huius numiſmatis aduerſa parte trium uirorum imagines in ſuggeſtu conſpiciuntur, quorum vnus haſtam ſiniſtra retinens, & dextrum brachium velut milites adloquens, qui ante ſuggeſtum armati velut orantem illum attentis auribus audiunt, exporrigit. Habent illi milites, quorū ſex icones in numo videri poſſunt, ſcuta & alia inſignia militarià, & ſub ipſis leguntur tales literæ FIDEI MILIT. id eſt, fidei militari, & in circumferentia ſunt aliæ literæ, quarum quædam ob antiquitatem contritæ legi nequeunt; aliæ verò ſunt huiuſmodi COS. II. P.P. vt videre eſt apud Sebaſtianum Eritium. Numiſma hoc in honorem Septimij Seueri factum fuit. Figuræ in aduerſa parte nil aliud indicant, quàm adloquentem Imp. ad exercitum, quod ex multis aliorum Impp. numiſmatibus, in quorum aduerſa parte ſimiles adlocutiones videntur, liquidò conſtat. Quoniam verò ex iuramento, quo aſtringebantur milites coram ducibus, fides militaris oriebatur, idcirco ſculpebatur in numiſmate FIDEI MILITARI. Nam duo eo tempore præſtabat Imperator: ſimul enim milites adloquebatur, & ab eis iuramentum capiebat.

Quoties fiebant adlocutiones.

[b] *Li. 6. dec. 3*

[c] *Li. 8. dec. 3*

[d] *Lib. 1. Hiſtor. Aug.*

Militum iuramētum.

Quibus militibus abſcindebatur pollex.

[e] *Li. 6. dec. 3*

Seueri numiſma.

Vnde fides militaris orta.

Sed de hac militum fide aliud numiſma eſt æreum, mediocre, Alexandri Seueri, in quo hæ literæ circa caput eius leguntur, IMP. SEVERVS ALEXANDER ..... In aduerſa verò parte habet tres effigies, duas nempe militum, qui dextram aræ cuidam imponunt, tertiam verò è regione, quæ uelut Imper. iuramentum à militibus accipere demonſtrat. Erat autem cum ab inſcriptione FIDES MILITVM, & Senatus Conſulto. Reperitur & aliud Alexandri Seueri numiſma magnum, optimè ſculptum, pectore armato, cum

Alex. Seueri numiſm.

to, cum huiusmodi inscriptione IMP. SEV. ALEXANDER AVG. Ab altera uerò parte tres habet figuras suggestui insistentes, quarum vna brachium exporrigens, adloquitur tres alias figuras armatas, quæ humi stare videtur, in manu militaria signa tenentes: circumcirca leguntur hæc verba ADLOCVTIO AVGVSTI. S.C. Hoc numisma in honorem Principis cusum fuit, & figuræ, quę sunt in parte aduersa repræsentant Imp. exercitum adloquentem. Nec mirum, si in hoc numismate talis adlocutio videatur, cùm illius Imp. tempore multa bella, quibus interfuit, præsertim contra Parthos & Persas gesta fuerint, & ex quibus sæpe victoriam reportarit. Vicit præterea Mauritanos & Tingitanos in Africa, & Illyrios, & Armenos. Vnde procul dubio necesse illi fuit varia obire munera, & quàm sæpe milites in diuersis stationibus adloqui, quemadmodum etiam aduersæ numismatis partis inscriptio ADLOCVTIO demonstrat.

Neronis pariter numisma iuuenili ætate depicti magnum est ex pulchro metallo, cum hac inscriptione NERO CLAVD. CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P.P. Ab alia verò parte supra suggestum (prope quem aliud etiam ædificium apparet) Imperator milites quosdam legionarios adloquitur. Suprà legitur S.C. inferius ADLOCVT. COH. id est Adlocutio cohortis vel cohorti, quæ verba propriè Neronis adlocutionem ad milites significant. Hoc numisma, quod in honorem Principis cusum est, olim in studio Herculis Bassi Bononiensis antiquarij videre mihi contigit. Neronis Claudij numisma.

Aliud eiusdem Neronis numisma est ex ære, in cuius alia parte Imperator in suggestu manu eleuata ad milites legionarios præcipuos militaria signa ferentes sermonem habet, quorum vnum, idq; anterius Aquilam habet cum inscriptione ADLOCVT. COH. Imperatori alius quispiam astat.

Vidi etiam inter alia apud antiquarios numisma M. Antonini magnum ex metallo luteo cum tali inscriptione in superiori semicirculo M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVI. In alia verò parte duæ figuræ, nempe L. Veri, & M. Antonini fratrum armatorum in loco stant eminentiori, & inferius quatuor armati milites cum militaribus insignibus, equo, & literis attritis, inter quas tamen eæ ad latera numismatis leguntur, nempe S.C. & PROVIDENT. infrà. Creditur hoc numisma eo tempore cusum esse, quo post primam expeditionem, quam solus fecit L. Verus contra Parthos Senatus consensu, nato scilicet alio bello Marcomatico, Lucius & Marcus fratres contra Parthos & Marcomanos, qui aduersus Romanos rebellârant à Senatu duces electi fuerunt. Crediderim huiusmodi duorum eorum Principum sermonem ad præcipuos legionum præfectos fuisse, de prospiciendis scilicet omnibus ad id bellum necessarijs. Nam in tali numismate duo Principes armati adinstar eorum, quibus de tali prouincia consulendum, & armati legionarij milites conspiciuntur cum insignibus suis militaribus, adloquentibus sese Principibus diligenter aures præbentes. M. Antonij numism.

Aliud M. Antonini numisma cusum est an. O. 4150. V. C. 940. I. C. 188. in quo ab vna, eaq; posteriori parte Imperator cohortes adloqui conspiciebatur, cum inscriptione P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. COS. (fortè COS.) V. P.P. FIDES EXERCITVS. Pars verò prior sic inscribebatur M. COMMODVS. ANT. P. FEL. AVG. BRIT.

M. Didij Seueri Iuliani numisma conspicitur, in cuius anteriori parte talis inscriptio legitur IMP. CAES. M. DID. SEVER. IVLIAN. AVG. In altera verò Imperator adloquitur cohortes, cum inscriptione IMP. TR. POTES. VI. COS. VII. F. EXERC. vt videre est in picturis Alberti Principis Bauariæ. Numisma hoc cusum est an. O. 4155. V. C. 945. I. C. 193. M. hic Didius vir fuit gulosus, luxuriosissimus, quamuis senex, aleator, superbus adeo, vt à militibus Imperium mercatus sit. M. Didij numisma.

Non omittam etiam inter numismata ærea illud C. Caligulæ, in quo etiam Imp. in suggestu brachio extenso sermonem habet ad quatuor scutatos Aquiliferos, cum inscriptione suprà ADLOCVT. & infrà COH. prope Imp. est cathedra. C. Caligulæ numus.

Apud [f] Aeneam Vicum numisma est ex ære, in quo Imp. in suggestu stãs prope cathedram adloquitur milites signiferos, quorum duo anteriores habent legionis Aquilã, cæteri duo manum fidei. Cùm verò sint duæ Aquilæ, necesse est, vt duas legiones etiam repræsentent.

[f] Lib. de inst. gn. Cæs. tab. Ser. Gal. nu. 8.

Meminêre etiam poëtæ eiusmodi adlocutionis ac in primis Virgilius, vbi [g] Aeneas parentis Anchisæ manibus parentans, in hunc modum Troianos adloquitur.

*Postera cùm primo stellas oriente fugarat*
*Clara dies, socios in cœtum littore ab omni*
*Aduocat Aeneas, tumuliq; ex aggere fatur:*
*Dardanidæ magni genus alto à sanguine Diuûm,*
*Annuus exactis completur mensibus orbis,*

[g] Li. 5. Aen.

Aquilę duę in numismate quodam.

*Ex quo*

*Ex quo reliquiae, diuiniq; oſſa parentis*
*Condidimus terra, mœſtaſq; ſacrauimus aras.*
*Iamq; dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum*
*Semper honoratum (ſic Dij voluiſtis) habebo.*

[h] *Lib. 12. Aeneid.* Aliud apud [h] eũdẽ exẽplũ eſt clarius & pulchrius, quo vera effigies adlocutionis exprimitur ſic.

*Continuò pugnæ accendit maioris imago:*
*Mneſthea, Sergeſtumq; vocat, fortemq; Sereſtum,*
*Ductores, tumulumq; capit, quo cætera Teucrûm*
*Concurrit legio, nec ſcuta aut ſpicula denſi*
*Deponunt, celſo medius ſtans aggere fatur:*
*Ne qua meis eſto dictis mora: Iupiter hac ſtat:*
*Neu quis ob inceptum ſubitum mihi ſegnior ito,*
*Vrbem hodie cauſſam belli, regna ipſa Latini,*
*Ni frænum accipere, & victi parere fatentur,*
*Eruam & æqua ſolo fumantia culmina ponam.*
*Scilicet expectem, libeat dum prælia Turno*
*Noſtra pati? rurſusq; velit concurrere victus?*
*Hoc caput ò ciues, hæc belli ſumma nefandi,*
*Ferte faces properè, fœduſq; repoſcite flammis.*
*Dixerat: atq; animis pariter certantibus omnes*
*Dant cuneum, denſaq; ad muros mole feruntur.*

Hiſce, quę dixit poëta, adlocutionis, de qua in illis numiſmatibus à nobis iam explicatis memoria viget, ueram imaginem depinxit. Quid enim militum illa clypeata cohors in numis, atq; in medio ſtans Imp. ſibi volunt aliud, quam quod Virgilius adloquendi ad milites moris probè gnarus, verſibus illis expreſſit? Ita mehercle iſta non mediocriter in maximo vate, quàm alia conſideratione digna ſunt. In eo tantummodo à numiſmatibus diſſidet, quòd orantes Imperatores ad milites illos excelſo aggere, aut ex tumulo profari facit: numiſmata, vt diximus, ex caſtrenſi cathedra, aut ſuggeſtu. De adlocutione autem hac meminit [i] Suetonius, qui ita ait: *Iure autem Tribunitiæ poteſtatis coacto Senatu, inchoataq; adlocutione de repub. derepentè veluti impar dolori congemuit.* [k] Idem: *Obſeruatum eſt, Cal. Ian. ſacrificanti coronam de capite excidiſſe, auſpicanti pullos euolaſſe: adoptionis die neq; milites adlocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali oblitis miniſtris, & in ſenatu curulem peruersè collocatam.* Quo loco legendum Adlocuturo. Sic apud Liuium ADLOCVTIONIS templum per D literam, non autem per L ſcribendum, ut etiam animaduertit [l] Politianus. Sic quodannis, ſic adq; ; ſic adgradior apud Virgilium ex fide veterum codicum legendum eſt. Adlocutionem pulcherrimam, ac elegantiſſimam videre eſt apud [m] Liuium, vbi Scipio ratus adloquẽdos milites veteres, qui magnis cladibus ſuperfuerant aduocata concione ita diſſeruit: *Nemo ante me Imperator militibus ſuis, priuſquam opera eorum vſus eſſet, gratias agere iure, ac meritò potuit.* Sed hic templum Adlocutionis, de quo [n] Liuius meminit, ponam: Hunc autem in modum ſcribit: *ADLOCVTIONIS templum propter cæleſtem vocem exauditam in noua uia iuſſimus fieri.* Ideoq; à Furio Camillo Adlocutionis templum cõſtructum fuit, prope viam nouam ſupra ædem Veſtę, quæ iuncta Romano foro, & Velabro fuerit. [o] Suetonius ſic de adlocutione mentionem facit: *Nam cùm in adloquendo, adhortandoq; ſæpius digitum lęuæmanus oſtendens adfirmat, ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, annulum quoque æquo animo detractum ſibi. Extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quàm audire, pro dicto accepit, quòd uiſu ſuſpicabatur, promiſſúq; ius annulorũ cũ millibus CCCC. fama deſtruit.* Sed quia ante de aggere tumuli ex Virgilio mentionem feci, hîc quædam ex [p] Plutarcho libet ſubnectere. Ille igitur eo loco, vbi narrat illi nunciatam Mithridatis mortem è Ponto, ſubiecit etiam literas illi allatas fuiſſe, cùm ipſe eſſet in bello, quæ certum illum de Mithridatis morte fecerunt; quæ cùm per exercitum diuulgata foret, illum ad Pompeium curſitare, ipſumq; præcingere cœpiſſe refert. Cùmq; deeſſet ſuggeſtus eminentior, ex quo adloqui milites Imperatoribus mos eſt, nec miles illum ſtruxiſſet, tum militem editum illi erexiſſe tumulum, & ſellam attuliſſe, quam aſcenderit Pompeius, & ex literis recitauerit Mithridatem per filij Pharnacis ſeditiones mortem ſibi conſciuiſſe, ac omnia, quæ ipſe poſſederat, Pharnacem ad ſe, Romá; ſcriptitaſſe. Quo loco explicat Plutarchus, quonam modo tumulus ille ex aggere factus, cùm Imperator legiones adloqueretur, conſtrui ſoleret, verba ſunt: *Eieri quippe is ſolet eminentior ſuggeſtus exciſum ceſpitem exciſo accumulando ceſpiti.* Ex quibus verbis pulcherrimè oſtenditur in numiſmate adlocutionis imago, & ob oculos ponitur; & proprijs verbis expreſſa à poëta Virgilio dignoſcitur. Sed hæc ſatis.

[i] *In Tiber.*
[k] *In Galba.*
[l] *Lib. 4. epiſtol. ad Philip. Poſtum.*
[m] *Lib. 6. decad. 3.*
[n] *In Orat. M. Furij Camilli in concione ad P.R. de non tranſmigr. ad Veios.*
[o] *In Cęſare.*
[p] *In vita Pompeij.*

In numiſmate

In numiſmate Gordiani Imperatoris iunioris, ſenioris nepotis, eſt eius ſtatua paludata, thorace picto induta, ocreata & redimita tempora lauro, ſtans in ſuggeſtu, ſiniſtra ſchedam tenens, dextra geſticulans, quaſi ad milites oraret, quorum alij loricati, alij haſtati, alij ſigna geſtantes militaria, quibus Aquila, imago Imperatoris, velabrum & Delphinus ſunt impoſiti, coram eo conſiſtunt. Subſcriptum EXERC. PERS. Pars autem anterior imberbem ipſius Imperatoris effigiem demonſtrat, laurea redimitam. Circunſcriptio talis eſt IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. Gordiani Iunioris numiſma.

Traiani numiſmata quinq; inuēta ſunt, quorum primum in auerſa parte Imperatorem habet in ſuggeſtu ſtantem, adlocuturum milites ad ſuſcipiendam expeditionem aduerſus Germanos, vt ex inſcriptione numiſmatis huius huic parti adiecta conſtat, quæ talis eſt PROFECTIO AVG. GERMANIAE S.C. Altera verò pars ſic inſcribitur DIVO NERVAE TRAIANO AVG.P. M. TR. P. COS. III. P. P. In alijs quoq; eiuſdem duobus numiſmatibus conſpicitur Imperator adloquens cohortes. Horum in vno anteriori parte talis inſcriptio legitur DIVO NERVAE TRAIANO AVG. in altera verò, vbi eſt adlocutio dicta, ſic inſcriptum eſt P.M.TR.P.COS.III. P.P. S.C. (Hoc autē numiſma & illud ſuperius dictum, cuſa ſunt an. O. 4062. V.C. 852. I. C. 100.) In altero verò numiſmate pars prior ſic inſcripta conſpicitur IMP. CAES. NERVAE TRAIAN. AVG. GERM. DACIC. P.M.TR.P. poſterior autem IMPERATOR VIIII. S. C. Hoc numiſma cuſum eſt an. O. 4078. V. C. 868. I. C. 116. Anno præcedenti Traiani huius numiſma ſculptum viſum eſt, in cuius poſteriori parte cernebatur cohortium Adlocutio cum inſcriptione IMPERATOR VIII. S. C. in anteriori verò IMP. CAES. NERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. Anno verò O. 4079. V.C. 869. I.C. 117. aliud eiuſdem numiſma factū eſſe obſeruaui, in cuius parte huiuſcemodi inſcriptio erat IMP. CAES. NERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTH. TR. P. COS. VI. P.P. poſterior verò ſic ſe habebat EXERCITVS PARTH. Hîc Imperator exercitum adloqui videbatur. Traiani numiſmata.

Quatuor erant ſigna in numiſmate Hadriani, quæ à militibus portabantur. Horum autem duo media in ſummitate Aquilam legionis habebāt, externorum verò dextrum, manum; ſiniſtrum, ſertum, cuius miles ſcutatus incedebat. Præterea Imperator erat ante milites, ad quos orare videbatur, atq; è militibus vni manum iunxerat in concordiæ ſignum. Inter milites & Imperatorem erat ara & ſupra eam ignis. Circunſcriptio talis SECVRITAS P.R. & ſub altarē, & militibus S.C. Aliud eiuſdem numiſma viſum eſt cum huiuſcemodi inſcriptione SPES PERPET. AVGVST. COS. III. P.P. Imperator autem adloquitur cohortes. Numiſma hoc cuſum fuit an. O. 4081. V. C. 871. I. C. 119. Aliud idem habuit cum hac inſcriptione EXERCITVS DACICVS S. C. Figura quoq; adeſt inſtar Imperatoris ſtantis in ſuggeſtu, adloquentis quatuor figuras ante eum tenentes ſigna militaria. Hoc autem contigit an. O. 4088. V.C. 878. I.C. 126. Hadriani numiſma.

In Commodi galeati & ſcutati numiſmate milites videntur, legionis Aquilam, & cohortium ſigna duo ferentes. Eos autem Imperator adloqui videtur, ſceptrum læua tenens, ſtans in ſuggeſtu. Subſcriptio eſt eiuſmodi FID. EXERCIT, circunſcriptio verò talis P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. ad numiſmatis oram prope militum pedes habetur S. ex oppoſito verò ad ſuggeſtum & oram eſt C. Aliud Commodi numiſma cuſum eſt an. O. 4142. V.C. 932. I.C. 180. cum tali ab vna parte inſcriptione IMP. CAES. L. AEL. AVREL. COMMODVS ANT. P. FEL. AVG. P. P. Altera pars ſic inſcribebatur IMP. TR. POT. V. COS. III. F. EXERC. Imperator quoq; cohortes adloqui videbatur. Commodi numiſma.

Reperitur numiſma Sergij Galbæ, qui ex patre Sergio Galba, & matre Numia Achaia ex nobiliſſima Sulpitiorum familia. IX. Cal. Feb. natus eſt, Valerio Meſſala, & Cn. Lentulo Coſſ. In huius dextrā parte Imperatoris caput abraſa barba conſpicitur, laureo ſerto perornatum, faſcia à ceruice promiſſa, ſertoq; alligata, cum huiuſcemodi circunſcriptione SER. GALBA IMP. CAES. AVG. In ſiniſtra verò parte eſt Imperator thorace varijs ornamentis expolito, & paludamento indutus: ſtat in ſuggeſtu militibus concionaturus. A tergo illius eſt Tribunus militum loricatus, & paludatus. Ante eum legio militum loricatorum, & ſcutatorum, quorum vnus Aquilam, alius Labarum, ſigna militaria, alius verò equum Imperatoris tenet cum inſcriptione FIDES MILITVM. S.C. Sergij Galbæ numiſma.

Inter Principum numiſmata, in quibus Aquila ſculpebatur, illud Zenobiæ totius orientis Reginæ commemorādum eſt; quæ ex Cleopatra, Ptolomęorumq; gente oriunda, & Odonati vxor, Gallieno adhuc iniquiſſimè agente, accepto ſago, & diademate imperiali, filiorum Nerenniani, & Timolai nomine, diutius, quàm fœmineum ſexum decuit, imperauit, mulier peregrina, moribus ac vitæ integritate inſignis, pulchritudine conſpicua, tantæ caſtitatis, vt ne virum Zenobiæ numiſma.

rum ſuum agnoſceret, niſi propter conceptionem. Vixit regali pompa, Regum Perſarum more adornata incedebat, & Imperatorum Rom. inſtar conuiuia celebrabat. Ad conciones procedebat galeata, cum purpureo limbo, gemis dependentibus per vltimam fimbriam, vt ex huius numiſmatis dextra parte conſpicere licet, vbi eſt illius effigies, & talis circunſcriptio IMPER. ZENOBIA. AVG. TOTIVS ORIENTIS R. Hiſtoriæ Alexandrinæ, atq; Orietalis ita erat edocta, vt eam in epitomen redegiſſe videretur. Ab Aureliano victa, ac in eius conſpectum perducta, ab eoq; interrogata, quare Rom. Imperatoribus reſiſtere auſa fuiſſet, fertur reſpondiſſe IMPERATOREM TE ESSE RECOGNOSCO, QVI VINCIS, GALLIENVM ET AVREOLVM, ET CAETEROS PRINCIPES NON PVTAVI, VICTORIAM MEI SIMILEM CREDENS, IN CONSORTIVM REGNI VENIRE, SI LOCORVM FACVLTAS PATERETVR, OPTAVI. Deinde ab eodem in triumpho ducta, ea ſpecie, tot gemmis, tantoq; ornamentorum genere onuſta, nihil ſplendidius, nihil magnificentius populo Rom. viſum eſt. Hæc autem, vita ab Aureliata conceſſa more matronarum Rom. cum liberis ſuis eam poſtea traduxit. Mulieri vultu ſubaquilino, fuſci coloris, nigris oculis, ſpiritus diuini, incredibilis venuſtatis, tantus erat in dentibus candor, vt margaritas eam pleriq; in ore ferre, non dentes crederent. In huius numiſmatis altera parte Zenobia galeata, loricata, & paludata, in ſuggeſtu velut orans, dextra haſtam tenet, vtrinque collocatis ſignis militaribus, ita ut à dextra labarum, à ſiniſtra Aquila appareat. Ante eam milites ſcutati, & galeati conſpiciuntur velut Imperatricem audientes orantē, quorum vnus equum ducit, adiecta inſcriptione VIRTVS AVGVST. ſubſcriptum verò FIDES EXERCIT. ſed hæc de Adlocutione; nunc de ſignis militaribus.

Ex numiſmatibus Romanis alios in ſignis militaribus imaginem Principis, alios baculū, cum manu ſuperius in ſignum concordiæ, alios Aquilam argenteam vel auream in baculi ſummitate portaſſe liquidò conſtat. Qui verò Aquilæ inſigne ferebat, Aquilifer dicebatur & hæc erat præcipuum legionis ſignum. Hic verò baculus ſimilis erat haſtæ, aut, vt vulgò dicitur, piceæ mediæ, inferius acuminatę, vt facilius terræ infigi poſſet, teſte Dione. Erat autem haſta illa quibuſdam pateris vel circulis optimè perornata, vt paſſim in numiſmatibus antiquis, & in libro, quem vocāt Eſcoto, teſte [q] Antonio Auguſtino, & in alio libro qui dicitur Notitia dignitatum, videre licet, vbi cohortium eorum temporum imagines tales conſpiciuntur. Vidi etiam, dum eſſem Romæ, ſi benè memini, apud Thomam de Cauallerijs librum antiquum, in quo antiquæ illa arma depicta erant. Aquibus colore vario arma ſua inficere, vt hodie Hiſpani, Galli, & Itali faciunt, mos fortaſſe dimanauit. Sed ad penſum redeamus. Portabāt autem argenteam illam Aquilam, vt teſtatur Plinius, quia argentum à lōgè melius conſpicitur. Draconiferi verò portabant Draconem pro inſigni, capite argēteo, reliqua verò parte ex oloſerico ſubtiliſſimo, atq; leuiſſimo perornata, vt à vento percuſſa ad inſtar viui Draconis tremeret, qui craſſis funiculis annexus è ſummitate haſtæ pendebat. Funiculi autem illi erant floccis ex oloſerico perornati; ipſum verò labarum, quod portabāt, cum Imperator intererat in campo, erat coloris purpurei, perornatum aurea tænia, vulgò frangia dicta, gemmis pretioſis referta. Scire licet, imò ad multorum ſcripta rectius intelligenda in primis neceſſarium eſt, qualis fuerit illius effigies, quod in multis numis videre eſt. Inter quos aurei quidam ſunt, ijq; ipſius Auguſti, quorū vnus in auerſa parte victoriam globo inſiſtentem alis apertis, Aui volanti ſimilē, coronam lauream in dextra ferentem continet, in alia labarum, quod Galli appellant Cornetta, quale Principi, cùm in bello eſſet, præferebatur. Inſcriptio huius numi eſt IMP. CAESAR. In aduerſa verò eſt caput Cęſaris cum inſcriptione CAESAR AVGVSTVS. Pòſt in declinatione Imperij Rom. Imperatores in tali labaro Aquilam depingere cœperunt, vt ex Maxentij cuiuſdam numi auerſa parte conſtat, in quo Imperator thoricatus, & ocreatus, necnon & veſte militari indutus, labarum manu vna, altera lauri ramum geſtat, & prouinciam, ſeu hoſtem ſub pedibus retinet cum hac inſcriptione VICTORIA AVGVSTI LIBERATORI ROMANORVM, licet poſtea à Conſtantino Magno virtute crucis, ſeu ſigilli, quod per viſionem ei apparuerat, expugnatus fuerit. Quo interempto, Conſtantinus Imperium Romanū in ſuam dignitatem reſtituit, factusq; Chriſtianus, omnes Chriſtum, cui multa templa extruxit, & nuncupauit, adorare voluit. Hinc in omnibus poſtea adminiſtrationibus ſuis labarum purpureo, & aureo colore inſignium loco cum hoc geſtabat caractere XP. quod ſignum nil aliud ſignificat, niſi nomen & virtutē Chriſti. Addebat item binas iſtas literas A & Ω, vt ſignificaret, principium, & finem omnium rerum eſſe Deū. Quia verò Græci nomen Chriſti ab X exordiuntur, itaq; eos plurimum hallucinatos eſſe conſtat, qui ſignum illud crucem auream fuiſſe dixerunt, eamq; Conſtantinum, dum ex Gallia in Italiam contra Maxentium expeditionem ſuſciperet, feciſſe. Vſi ſunt poſtea eo inſigni Conſtantini ſucceſſores, vt in monetis Conſtantis videre eſt,

Aquilifer.

[q] *De Numiſ. diał. 3. nu. 15.*

Draconifer.

Labarum.

re est, in quibus Imperator armatus & pallio militari indutus Victoriam manu vna tenet, quæ quasi illi laureã imponere videtur, & alia labarũ cum signo Constantini; pedibus verò insistit proræ triremis, cuius temonem manu vna Victoria tenet, & cum hac inscriptione FELIX TEMPORVM REPARATIO. Decẽtius, Constãtius, alijq; Imperatores ad Iuliani Apostatæ tẽpora vsq; semper tali insigni, & sigillo vsi sunt, cum huiuscemodi verbis SALVS DOMINORVM AVGVSTORVM LVCET. Quod verò tale signum, & sigillũ esset Christi, probatur [r] ex D. Ambrosio, vbi ad Theodosium Imp. scribit, necnon ex [s] Prudentio:

[r] *Lib. 5. Epistol. 2.*
[s] *In poem.*

*Christus purpureum gemmanti tectus in auro*
*Signabat labarum clypeorum insignia Christus,*
*Scripserat, ardebat, summis crux addita cristis.*

Constabat vexillum hoc ex oloserico amethistino purpureo, tænia aurea circuncirca, multisq; lapidibus preciosis perornatum, in medio verò vexilli erat crux Christi sculpta, & in huius medio acu Phrygio cõtextum insigne Constantini, & hoc modo in summitate hastæ deauratæ in bello semper Imperatoribus præferebatur. Atq; hinc fortè vsus iste dimanauit hodie, qui Bononiæ, & alijs etiam vrbibus obseruatur, ut uexilla scilicet dedicata alicui sancto, quando fiunt rogationes, societatibus præferantur. Ex his itaque, quæ diximus, manifestò constat antiquissima illa Romanorum insignia, ac in primis labari, & Aquilæ ad meliorem, & laudabiliorem usum tandem reducta. Sed unde digressa est, oratio reuertatur.

In primis conspiciuntur in Semproniæ gentis numismatibus in aduersa parte caput imberbe cum inscriptione retrò DIVI, antè IVLI.F. ex altera uerò coloniæ deducẽdæ symbola, nempe cohortis signum, Aquila legionis, stiua, & sceptrum, cum inscriptione TI. SEMPRONIVS GRACCVS. III. VIR. Q. DESIG. Alterum numisma eadem insignia habet deductionis cũ inscriptione TI. SEMPRONIVS GRACCVS Q. DESIG. idq; ex una parte; ex altera caput imberbe redimitum, retrò cũ litera S. antè uerò C. nempe Senatus consulto. Fuit hic Graccus unus è Quartumuiris, argento publicè signando à Cæsare Dictatore institutis, quo munere C. Cæsaris primo triumuiratus quinquẽnio, functus est, vt ex primo numo apparet, quem cudit, cùm Quæstor etiam esset designatus. Cæterùm symbola illa deducẽdæ coloniæ ad Casilinum coloniam spectant, quæ anno 694. ab V.C. à Cæsare, & Bibulo Coss. ex S.C. deducta est, Quæstore Ti. Sempronio Gracco, quod secundo numismate clarè patet, vt etiam è primo, quod tamen haudquaquam ob coloniam à C. Cæsare tum deductam cusum esse existimamus, sed ob paternæ magnitudinis memoriam.

Sẽproniæ gentis numisma.

Valeriæ gentis C. Valerius Flaccus tale ex argento numisma condidit. Ex una parte facies est unà cũ summis humeris, muliebribus crinibus, in multos funes circuncirca intortis, & mox simul retrò in nodum collectis. Pars tamen, & quæ à temporibus assurgit, capillitij geminatim intorta supra caput rectà adducitur, & in sincipite reuincitur. Ab humeris statim sub collo ala est. Retrò verò, atq; supra nodum capillorum litera est N. quam uictoriæ signum existimo, quod alatum pingi solet ut & litera N. exprimit, nempe *vικὴ*. Altera pars duo cohortium signa habet è latere, & in medio legionis Aquilam cum inscriptione ad primum cohortis signum C. VAL. FLAC. post alterum signum eodem ordine S.C. quæ omnia si coniungantur, sic se habent C. VAL. FLAC. IMPERAT. EX S.C. Tale numisma apud nobilem, & eruditum uirum Dom. Fuluium Capibouium Bononiensem ipsi nostris oculis uidimus. Cæterùm hũc Flaccum ex Gallica prouincia, quam Prætor obtinuit, Imperatorem appellatum fuisse ex [t] Cicerone colligere possumus, dum ait: *Expulsus atq; eiectus è prædio Quinctius accepta insigni iniuria confugit ad C. Flaccum Imperatorem, qui tum erat in prouincia.* Quare uel ad propriæ dignitatis monumentum illa in numo signa impressit: uel ut alterius C. Valerij Flacci insigne facinus notaret, cuius [u] Valerius Maximus meminit, dũ inquit: *Cùm Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Accæus Peligna cohortis præfectus, vexillum trans Pœnicum vallum proiecit: se ipsum & suos comilitones, si eo hostes positi essent, execratus: & ad id petendum subsequenti cohorte primum impetum fecit. Quod vt Valerius Flaccus Tribunus tertiæ legionis aspexit, conuersus ad suos, spectatores, inquit, vt video, alienæ virtutis huc venimus: sed absit hoc dedecus à sanguine nostro, vt Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certè aut speciosam optaui mortem, aut felicem audaciæ exitum; vel solus igitur percurrere paratus sum. His auditis Pedanius Centurio conuulsum signum dextra retinẽs: iam hoc, inquit, intra hostile vallum mecum erit: proinde sequantur, qui id capi nolunt. Et cum eo in castra Pœnorum irrupit, totamq; secum traxit legionem.* &c.

C. Valerij Flacci numisma.

[t] *Pro P. Quinctio.*
[u] *Li. 3. c. 2.*

Nerius quidam è tribu, ut opinor, Pupinia inter rusticas nuncupata, numum habuit cum capite barbato & inscriptione antè NERI. Q. VRB. ex una parte, ex altera uerò duo cohortium signa, quorum alteri in medio unius tabellę quadratę H, litera inscribitur, alteri Γ Græcum simili tabella. In medio legionis Aquila est, inter quam, & primum signum est CO, ut inter eandem,

Nerij Pupinij numus.

eandē,& alterum ſignum S. litera. Cæterùm extra primum uerſus marginem ſignum legitur L. LENT. & poſt alterū C. MARC. quæ ſi iungantur,ſic habent L. LENT. C. MARCEL. COSS. His autem COSS. Nerius hic in Quæſtorem urbanum conſcriptus eſt.

M. Antonij triumuiri numi uiginti quatuor uidentur, ſinguli ſingularum legionum nomine, continuato ordine inſigniti. Dicitur habuiſſe, ut[u] Dion uult, uigintiquinque legiones ſub Imperio ſuo,uel,ut[x] Appianus, uiginti octo,uel, ut ex epiſtola Galbæ ad Ciceronē colligitur, numero triginta quinq;. Horum impreſſiones eodem planè modo nulla excepta, ex una quidem parte nauem Prætoriam habent,ſuprà ANT. AVG, infrà uerò III. VIR. R.P.C. inſcriptam: ex altera uerò Aquilas legionis inter cohortium ſigna, ſingulas ſingulis proprias addito infrà legionis numero. Adſunt tamen & alij eiuſdem numi ab illis paulò diuerſi, nēpe legionis ſextæ,quæ ex una parte nauem habent Prætoriam cum eadem inſcriptione: ex altera uerò eadem militaria ſigna cum legionis infrà numero,ſic tamen circunſcriptam ANTONINVS ET VERVS AVG. REST. nēpe quòd ab his Imperatoribus hæc legio reſtituta ſit: & legionis duodecimæ ex illa parte,ubi legionis ſigna ſunt, ſic inſcriptæ LEG. XII. ANTIQVAE & legionis decimæ ſeptimæ cū inſcriptione è ſignorū latere LEG. XVII. CLASSICAE, uti & decimæ octauæ, hiſce uerbis ſupra legionis ſigna LEG. XVIII. LYBICAE Verùm hi M. Antonij numi præclara certè antiquitatis monumenta ſunt, quæ qui latius uelit percipere, ipſum[y] Fuluium Vrſinum, ex quo hæc breuiter deſumpſimus, adeat. Non omittam tamen argenteum eiuſdem M. Antonij numiſma, quod cuſum fuit an. O. 3921. V. C. 711. I. C. 41. Huius pars anterior Antonij galeatum caput exprimit cum inſcriptione ANTONIVS IMP. Poſterior verò tria ſigna caſtrentia, ſeu militaria, & Aquilam in medio cum inſcriptione IIIVIR R.P.C. Numiſmatis huius mentionem facit[z] Adolphus Occo. Adiungam quoque numiſma quoddam, apud multos antea non conſpectum, ex ære Corinthiaco,tam puro, ſicut aurum,vetuſtate penè conſumptū, quod Romæ ſe inueniſſe[a] Iacobus Strada teſtatur. In huius altera parte, eaq; poſteriori, Triūmuiri toti loricati, & galeati in ſuggeſtibus columnis diſtinctis ſedentes: à dextra parte Antonius, à ſiniſtra Lepidus,media Octauius: à tergo Antonij, & Lepidi ſigna militaria, à tergo Octauij Aquila poſita: à dextra parte lictores cum faſcibus,& ſecuribus aſtantes: A ſiniſtra lena ferens caput Ciceronis Antonio: à tergo lenæ ſeruus eius, dextram Ciceronis afferens: in medio capita proſcriptorum,vtrinque duo vaſa plena pecunijs,ex quibus capita proſcriptorum deferentes,perſoluebantur,cum nulla inſcriptione. Pars autem numiſmatis anterior eorūdem Triūmuirorum capita exprimit, ex hiſq; illud Antonij,& Lepidi Laurea,cui à ceruice alligata faſcia pendet,redimitum eſt; Octauio verò regia corona impoſita eſt. Huius tota cōſpicitur effigies, aliorum verò ad latera tantùm,eaq; ad Octauiū verſa. Suprà ſcriptum eſt CONCORDIA, infrà IMPERATORVM.

Argenteū Octauij Cęſaris Auguſti numiſma conſpicitur, quod ab vna parte eius caput habet cum inſcriptione CAESAR AVGVSTVS. ab altera clypeum,cum his literis in medio CL. V. circuncirca verò S. P. Q. R. & ſuprà SIGNIS, infrà RECEPTIS, & ſigno militari ab vtroque clypei latere, in quorum dextro eſt Aquila legionis. Numiſma hoc excuſum fuit an. O. 3943. V. C. 733. I. C. 19. poſt victoriam belli Parthici, quia, vt inquit Suetonius, cùm Auguſtus expugnaſſet Armeniam, Parthi ſine contentione redacti ſunt ſub iugum Cæſaris,& reſtituerunt ſigna militaria,quæ à M. C. & à M. A. abſtulerant, quemadmodū oſtendunt literæ SIGNIS RECEPTIS. Quapropter,vt huius victoriæ extaret memoria,in honorem Auguſti huiuſmodi numiſma excuſum fuit. Literę, quæ ſunt in medio clypei CL. V. ſignificant: Clypeus Victorius. Aliud eiuſdem ex argento quoque numiſma cuſum eſt an. O. 3955. V. C. 745. I. C. 7. cuius pars prima Auguſti laureatum caput continet, cum inſcriptione CAESAR AVGVSTVS. ſecunda verò Martis templum, in quo eſt figura, tenens dextra Aquilam, ſiniſtra militare ſignum.

Eadem Aquila inter cohortium ſigna cum his literis H. Γ. vt in Nerij Pupinij numo habetur, conſpicitur in eo L. Lentuli, & C. Marcelli Coſſ. an. DCCIIII. ab V. C. qui fuerunt ex Claudia plebeia gente,quorum meminit A. Hirtius, cum inquit: *Aduerſarios Cæſaris gloriari L. Lentulum, & C. Marcellum Conſules creatos, qui omnem honorem, & dignitatem Cæſaris expoliarent.* Huius autē numiſmatis totā deſcriptionē ſuprà habuimus in Nerio Pupinio, quā ſi cupias videre,ipſum adeas. Aliud inſuper inuentū eſt eorundē L. Lentuli & C. Marcelli numiſma, cuius mentionē in huius numiſmatū tractatus principio fecimus. His Conſulibus,cùm Cal. Ian. in Q. Metelli Pij Scipionis ſententiam S. C. factum eſſet, vti ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret: ſi non faceret,cum aduerſus Remp. facturum videri,eiq; S.C.M. Antonius,& Q. Caſſius interceſſiſſent, Senatus negocium dedit,ut curarent, ne quid Reſp. detrimenti caperet; quò fortaſſe ſpectat Iouis propugnatoris imago in illo, & ſigna legionum in altera denariorum

M. Anton. triumuiri numi.
[u] *Lib. 55.*
[x] *Li. 5. bell. ciuil.*
[y] *De famil. Roman. ex antiq. numiſm.*
[z] *De Impp. Rom. numiſmatibus.*
Antonij Octauij, et Lepidi numiſma.
[a] *In Epitome Theſ. antiq.*
Cæſaris Auguſti numiſmata.
L. Lentuli & C. Marcellinum[b].

nariorum parte in hoc notata; ſuſcepto ſcilicet ab optimatibus cõtra Cæſarem bello ciuili. De C. Marcello hoc ita ferè ſcribit Cicero: *Scit C. Marcellus, & Cn. Lentulus Marcellinus, quorum fide atque præſidio Siculi maximè vtuntur, quod omnino Marcellorũ nomini tota illa prouincia adiũcta ſit.* In quo loco Aſconius, Marcellos & Marcellinos gẽtiles dicit, & quare Sicilię patroni ſint, docet.

In Tiberio adeſt numiſma, quod excuſum fuit an. O. 3993. V.C.783. I.C.31. cum inſcriptione VETTIACVS. & duobus ſignis militaribus, in quorum medio Aquila eſt. In altera verò parte inſcriptio ſic habet CATO IIVIR CAA. Tiberij numiſma.

In numiſmate argenteo Traiani tria ſunt inſignia militaria, quorum medium habet Aquilam legionis, dextrum verò in ſummitate coronam, ſiniſtrum Imperatoris manum, qua vnio, & concordia, quæ in exercitu eſſe debebat, oſtendebatur, à qua victorias ferè omnes emanare credebant. Circunſcriptio eſt huiuſmodi S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Traiani numiſmata.

Aliud Traiani numiſma exculptum eſt an. O. 4065. V.C.855. I.C.103. cum hac inſcriptione IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. atq; id in aduerſa parte: in auerſa verò DACIA AVGVSTA PROVINCIA. Dacia hac in parte inſidet ſellæ rupi impoſitæ, coronam triticeam capite geſtans: aſtant ei duo pueruli, quorum vnus ſpicam porrigit; alter racemum ſeu glandem dextra, ſiniſtra Aquilam ſignum militare tenet.

In numiſmate ęreo Philippi habentur quatuor inſignia, quorum interiorum vnum in ſummo habet Aquilam, aliud verò manũ: exteriora verò nil in ſummo habent. Circunſcriptio eſt FIDES EXERCITVVM, & S.C. ſub inſignibus. Philippi numiſma.

Hadriani numiſma cõſpicitur, in quo tria militaria ſigna ſunt, nempe Aquila legionis, fidei manus, & cohortis ſignum, & galeati milites ea portantes, quos anteit imaginifer, ut credo, ſeu labarifer, cùm tale quid ferat haſtæ extremo præfixum. Sub illis inſcriptio eſt FIDES EXERC. & ſub hac S. C. Hadriani numiſma.

Alia quoque eiuſdem numiſmata viſa ſunt, in quorum vno ab vna parte habetur huiuſcemodi inſcriptio HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. ab alia verò DISCIPLINA AVG. S. C. ibiq; adeſt Imperator peregrè proficiſcens, fortè ad aliquam expeditionẽ: ſubſequuntur quinq; milites geſtantes ſigna militaria. Numiſma hoc cuſum eſt an. O. 4088. V. C. 878. I.C. 126. Eodem anno aliud Hadriani numiſma factum eſſe tradit [b] Adolphus Occo, in quo conſpiciebantur tres milites tenentes militaria ſigna, cum Imperatore equite dextram in ſublime porrigente. Inſcriptio talis erat EXERCITVS SYRIACVS S.C.

[b] *De numiſmatib. Imper. Romm.*

Numiſma ex ęre haud mediocre Claudij reperitur cum hac inſcriptione TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. GERMAN; in huius alia parte inſignia militaria ſunt, in quorum vno caput alicuius barbari conſpicitur, ſupra quod eſt bilanx eidem ſcipioni affixa, ſicuti & in dextro; in medio verò legionis Aquila triſulcum fulmen pedibus premens ſecus ac in alijs legionum ſignis, cum his literis COL. A. A. PATR. id eſt, vt opinor, Colonia Auguſta Patrenſis. Numerus XXII. denotat vigeſimam ſecundam legionem. Hoc numiſma in honorem Claudij à Colonia Auguſta Patrenſi excuſum fuit, fortè quia ibi hæc legio ſuam ſedem habuit. Hæc colonia XXII. fuit vocata primigenia, & ob fidem incorrupta, in Aegypto ab Auguſto conſtructa, quam poſtea Veſpaſianus traduxit in Iudęam. De ea Spartianus, & Tacitus hiſtorici meminerunt. Conſultò quidem factum eſt in hac victoria, vt caput barbari in ſummo militaris inſignis affixum eſſet, quia, vt inquit Cornelius [c] Tacitus, *caput Galbæ lanceis & inſigni militari affigebatur.* Claudij numiſmata.

[c] *Lib. 7.*

Claudij huius aliud numiſma cuſum eſt in quo conſpicitur eius ab anteriori parte imago imberbis, ſimili corona, & tænijs ijſdem perornata. Ante eam Aquila ſupra militare ſignum eſt. numiſmatis ora ſic inſcripta TI. CLAVDIVS CAES. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. Is. Lugduni ex Druſo Nerone fratre Tiberij Imp. & Antonia minore natus eſt, Iulio, & Fabio (alij Iulo Antonio, & Q. Fabio Max.) Africanis, Coſſ. Romm. Imperator creatus eſt anno ætatis quinquageſimo promittens ſingulis quaterna dena ſeſtertia; & ſic primus Cæſarum fidem militis præmio eſt pignoratus. Parentibus ac maioribus ſuis auiæ & fratri, cunctiſq; propinquis diuinos honores inſtituit, ſacrificiaq; in eorum memoriam, cum ludis & ſpectaculis celebrauit, honores ſibi illatos ſpreuit, ac contempſit. In cunctis tam ciuilem ſe geſſit, vt breui ſpacio omnium in ſe fauorem, & amorem traheret. Priuatis tamen inſidijs infeſtabatur, ac bellum ciuile contra eum à Furio Camillo Scriboniano Dalmatiæ Legato motum eſt, quem etiam milites in Imperatorẽ elegerunt. Verum intra quintũ diẽ oppreſſus eſt, legionibus, quæ ſacramentũ mutauerant, in pœnitentiã religione conuerſis. Cenſurã deinde Claudius intermiſſam reuocauit, eamq; geſſit, in qua populi laſciuiam ſeueris edictis increpuit. In huius numiſmatis altera parte eſt ædificium lapidibus quadratis rudibus, duos arcus ſubleuatos continens, ſuperioreparte, in templi figuram extructum: In cuius medio eſt ſtatua Imperatoris haſtile manu

tenens. Ante eum ſignum militare, cui Aquila impoſita. Ex vtraq; ſtatuæ parte columnæ tympanum ſuſtinent. Inſcriptio in medio ędificij talis eſt IMP. RECEPT. Aquæ Claudiæ introductum repręſentans. Fuit autem Aquęductus à Caligula inchoatus, ſed à Claudio magnificè ex duob. fontibus Cæruleo altero ob colorem, altero Curtio, in Vrbem inductus & perfectus. Opus omnium reliquorum aquæductuum longiſſimo interuallo ſplendidiſſimũ. Omnes enim Romanos colles altitudine excedit. Veſtigia eius in Auentino prope S. Priſcam, & prope Næuiam portam, quæ nunc MAIORIS appellatur, in muro conſpiciuntur, canales ſcilicet ſaxei tres, alter alteri impoſitus, magnæ amplitudinis. In frontiſpicio eiuſdem Portę titulus huiuſmodi legitur TIBERIVS CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR AVGVSTVS GERMANICVS PONTIF. MAXIM. TRIBVNITIA POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR XXVII. PATER PATRIAE, AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS. QVI VOCABANTVR, COERVLEVS ET CVRTIVS A MILIARIO: XXXXV. ITEM ANIENEM NOVAM A MILIARIO XII. IMPENSA SVA IN VRBEM PERDVCENDAS CVRAVIT.

Alij item tituli de huius aquæductus reſtitutione leguntur, quos ſuo loco annotabimus. Atq; in id opus Claudij erogata ſunt Talentũm ſexaginta millia, cuius rationem cùm putaret Budæus, auri, vt vulgò loquimur, millionem, ac CCCLXXXV. millia & D. coronatos efficere monuit.

Septimij Albini numiſma.

Conſpicitur in numiſmate argenteo Decimi Clodij Septimij Albini ab vna parte talis inſcriptio IMP. CAES. D. CLO. SEP. ALB. AVG. ab altero verò FIDES LEGION. COS. II. cum duabus dexteris iunctis (alij duo ſigna militaria) & Aquila in medio. Hoc numiſma cuſum eſt an. O. 4159. V. C. 949. I. C. 197. Is Imperator fuit nobilis Romanus, ſtatura procera, capillo renodi, & criſpo, fronte lata, admirabili candore, & voce muliebri ad ſonum Eunuchorum, motu facili, iracundia graui, furore triſtiſſimo, in luxuria varius, voracitatis maximæ, & ingratus: poſuit enim inſidias Seuero, qui eum Cæſarem, & Imperij conſortem fecerat. Sed cùm fuſæ eius copiæ eſſent in prælio Lugduni commiſſo, ſauciatus à militibus captus, ſemiuiuus ad Seuerum ductus eſt; cuius abſciſſum caput pilo prius circunlatum, Romam miſsũ, publico patibulo affixũ eſt eo, quo cusũ eſt hoc numiſma, anno ad xj. Cal. Martias. Corpus eius ante Prętorium ad fœtorem iactum, laceratũq; à Canibus, & in profluętem conięctũ.

Septimij Seueri numiſma.

L. Septimij Seueri Pertinacis numiſma reperitur, cuſum an. O. 4155. V. C. 945. I. C. 193. in cuius priori parte talis habetur inſcriptio IMP. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. COS. I. in poſteriori verò LEG. XIIII. GEMM. TR. P. COS. Hîc præterea ſunt duo militaria ſigna, Aquila legionaria intermedia. Aliud eiuſdem Septimij Seueri numiſma conſpicitur cum inſcriptione ab vna, eaque priori parte, nempe IMP. CAES. L. SEP. SEV. PERT. AVG. in aduerſa parte nonnullæ apparent literæ, ſed non omnes propter corroſionem: hæ autem ſunt..... LIT. AL. cum duobus ſignis militaribus, in medio Aquila, & infrà TR. P. COS. Hoc numiſma eodem anno cuſum eſt. Aliud item Septimij Seueri huius numiſma inuentum eſt cum tali inſcriptione L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PARTH. MAX. ab altera verò parte MARTI STATORI. Ibidem Mars adeſt ſtans, dextra Aquilam, ſiniſtra militare ſignum tenens. Numiſma hoc cuſum eſt an. O. 4165. V. C. 955. I. C. 203. Is rebenè geſta contra Partos, Imperator XI. ſalutatus eſt. In Aegypto Alexandri Magni ſepulcrum clauſit. Antequam moreretur, fertur hæc dixiſſe filijs: *Facite vt conueniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Regnauit annis ſeptendecim, menſibus octo, diebus tribus. Huius mentionem facit Herodianus ſic inquiens: *Seuerus genere Afer, vehemẽs homo negocijs gerendis ac ferox, vitæq; inſuetus duræ, & aſperæ, promptus excogitandis, acer exequẽdis rebus. Longè aliud in lingua promptum, quàm in animo reconditum gerebat.*

Marini Imper. numiſma.

Marini Ducis limitis ſarmatici aduerſus Scythas à fide Romanorum deficientes, numiſmatis pars anterior eius effigiem continet, barba promiſſa, & regia corona decoratam, tænijs duabus à ceruice dependentibus, & coronæ annexis. Circunſcriptio huiuſmodi MARINVS CAESAR. Is Imperator ab exercitu Illyricorum creatus, paulò pòſt in ſeditione militari interfectus eſt. In huius numiſmatis poſteriore parte ſigna militaria tria videntur, medio eſt Aquila impoſita, cum tali inſcriptione FIDES MILIT.

Gallieninu miſma.

P. Lucinij Gallieni habetur ex argento numiſma vnum, in cuius dextra, ſiue anteriori parte ſic inſcriptum eſt IMP. GALLIENVS AVG. in læua verò, ſiue poſteriori FIDES MILITVM. præterea ibi ſculpta ſunt duo ſigna militaria, & in medio Aquila. Hoc numiſma cuſum eſt an. O. 4225. V. C. 1015. I. C. 263. Hic Imperator patre capto, cum reliqui mærerent, ipſe lætatus eſt. Excuſſo ceruicibus iugo paterno, vino, mulierculis, popinis, lenonibus ſe totum dedit, ac ſtupris perdidit orbem terrarum.

Inter

Inter numiſmata antiqua eſt numiſma aureum Victorini iunioris, ſenioris filij, in cuius aduerſa parte conſpicitur eius effigies imberbis cum ſceptro ad latus ceruicem verſus. Huius circunſcriptio hoc pacto legitur IMP. CAES. VICTORINVS. IVN. P. F. AVG. In auerſa verò parte continetur ara, in qua eſt ignis iniectus. A dextra aræ parte eſt muliebris ſtatua, longiore veſte induta, dextra globum Imperatori ab altera aræ parte ſtanti offerens, ſiniſtra ſchedam tenens. A tergo eius duo ſigna militaria, Labarum, & Aquila ſunt collocata. Imperator loricatus, & paludatus, ſiniſtra ſceptrum gerit, dextra globum oblatum recipit. A tergo eius Tribunus militum apparet, cum tali inſcriptione VICTORIA MATRIS CASTRORVM. infrà ſubſcriptum F. M. P. A. Victorini iuniors numiſma.

Signa quoque militaria cum Aquila conſpiciuntur in numiſmate M. Fuluij Macriani. Inſcriptio talis LIB. MACRIANA LEG. I. Hęc autem in aduerſa parte: In altera verò ſic erat inſcriptum L. CLODI. MACRI. S. C. Hic numus penes Adolphum Occonem eſt elegans valdè. Num verò ad illum Macrianum referri debeat, incertum eſt; nam prænomen repugnat. Cuſus eſt an. O. 4223. V. C. 1013. I. C. 261. Macriani numiſma.

In numiſmate Conſtantini Copronymi, filij Leonis Imp. caput eius conſpicitur caluum, abraſa barba, præditum infula à ceruice alligata duobus funiculis pendentibus. Inſcriprio circa numiſmatis oram talis eſt D. N. CONSTANTINVS NOB. CAES. Is cognominatus eſt Copronymus, quòd infans Baptiſmi lauacro admotus, media cæremonia aquam ſacram, ventris ſolutione maculauerit, paternos mores imitatus eſt, impio patri ſceleſtiſſima ſuccedens proles, magicis vanitatibus ad inſaniam vſq; deditus, nullo ſcelere abſtinens, non Chriſtianus, non Græcus, non Hebræus, ſed omnis impietatis mancipium. Numiſmatis huius alterum latus repręſentat Imperatorem dextram eleuantem, ſiniſtraq; Aquilam ferentem, vtrinq; collocatis ſignis militaribus, cum inſcriptione PRINCEPS DES. infrà XXI. B. Conſtantini Copronymi numiſma.

Coloniæ, & Municipij Auguſti numiſma reperitur, cuius pars prior Auguſti caput exprimit cum inſcriptione PERMISSV CAESARIS AVGVSTI. poſterior verò duo ſigna militaria, & Aquilam in medio. Municipij Auguſti numiſma.

Totidem ſunt ſigna militaria in ęreo numiſmate Caligulę & Neronis & Galbę cum Aquila legionis ſigno in medio eorum, & in alio numiſmate Galbæ tria Aquilæ ſigna cum litera S. propè eorum dextrum & C. propè ſiniſtrum latus. Caligulæ Neronis & Galbæ numiſma.

Templum Martis, in quo ſignũ militare & Aquilà, cum inſcriptione S. P. Q. R. conſpicitur in auerſa parte argentei Cæſaris Auguſti numiſmatis, quod cuſum fuit an. O. 3955. V. C. 745. A. C. 7. cum huiuſmodi in aduerſa parte inſcriptione CAESARI AVGVSTO. Argentea quoque Auguſti numiſmata duo inuenta ſunt, in quibus ab auerſa parte Martis vltoris templum ſculptum eſt, quod Romæ in Capitolio ab Auguſto conſtrui curatum eſt in figura rotunda, vt etiam ex hiſce numiſmatibus patet, ob bellum quod contra Philippum iurauerat, in patris vltionem, vt ſcribit Suetonius, & [c] Ouidius ſic canens: Auguſti nu miſmata.

*Templa ferens & me victore vocaberis vltor,*
*Vouerat & fuſo lætus ab hoſte redit.*

[c] *In faſtis.*

In vtriuſq; numiſmatis templo conſpicitur ſignum militare, nempe Aquila legionis, ibidem vnà cum alijs ſignis militaribus Auguſti iuſſu teſte [f] Dione portata. Horũ autem duorum numiſmatum, vnum in templi medio Martis galeati figuram nudam ſtantem exprimit dextra militare illud Aquilę ſignum, ſiniſtra ſceptrum vt credo, tenentem, vel aliud ſignum militare: à latere dextro templi hæ literæ ſunt MAR. à ſiniſtro verò VLT. id eſt Marti vltori, in huius anteriori parte, eſt caput Auguſti laureatum cum inſcriptione CAESAR AVGVSTVS. In altero numiſmate idem ſignum militare impoſitum eſt, quadrigæ temonem erectum habẽti, quam Senatus Rom. in eo templo maioris Auguſti honoris gratia, cũ ſupra illam triumphaſſet, conducendam curauerat. Sub templo habentur hæ literæ S. P. Q. R.

[f] *Li. 54. Hiſtor. Rom.*

In argenteo quodam numiſmate, cuius iconem [g] Antonius Auguſtinus exhibet, cõſpicitur ab aduerſa parte Aquila apertis alis, ceu Auis volans, ſupra ferculum, ſignum militare ſtans. Hoc ſignum poſt dextram togæ partem ibi exiſtentis ſitum eſt, ad ſiniſtram verò laurea videtur. Supraſcriptio eſt huiuſmodi: SPQRPAREN; infraſcriptio verò: CONSAVG. apud verò [h] Adolphum Occonem habetur CONS. SVO. In altera numiſmatis parte quadriga triumphalis eſt cum alijs equis, vt credo, quatuor (quanuis tres tantùm appareant) qui ſupra currus anteriorem partem erecti, aurigarum loco poſiti videntur. Extra currus ſpondam dextram ſupraq; rotam apparent quatuor humanę figuræ ſtantes. Supra equos currum vehentes ſcriptum erat CAESAR (alibi CAESARI) infrà verò AVGVSTO: Numiſma hoc excuſum eſt, teſte [i] eodem Occone, an. O. 3945. V. C. 735. A. C. 17. quo tempore Octauium nondum Auguſtum factum aſſerit. [k] Antonius verò Auguſtinus cuſum ſub M. Aurelio putat.

[g] *Tab. 51. num. 41. in Dial. numiſ.*
[h] *In Aug. de numiſm. Impp. Rom.*
[i] *Ibidem.* Octauij. Cæſaris. M. Aurelij numiſma.
[k] *In Dial. 2 numiſ. n. 41*

Lepidi numiſma.

Lepidus Imperator triumuir argẽteum numiſma habuit, quod cuſum eſt an. O. 3921. V. C. 711. A. C. 41. in cuius anteriori parte talis inſcriptio erat LEPIDVS IMP. PONT. MAX. IIIVIR. R. P. C. in poſteriori verò EX S. C. Tria hîc erant ſigna militaria, inter quæ etiam Aquilam legionis fuiſſe crediderim.

Signorum origo, ac ratio,

Vt facilius verò Aquilarum in ſignis militaribus, de quibus ſermonem habuimus, vſum vnuſquiſq; calleat, quædam hîc addere libuit, de illorum origine. Conſtat autem omnes quidem gentes, quæ laude, & gloria belli præeminebant, certum in exercitu ordinem, quo vrgente neceſſitate, & premente hoſte milites quieſcentes, & per contubernia diſtributi conuenire facilius ad ſuos præfectos, & redigi citra iacturam temporis in aciem poſſent, inſtituiſſe. Sic apud Macedones phalanx, apud Gallos caterua, apud Romanos legio, quæ in decem cohortes tanquam partes diuiſa, à tribunis moderabatur, partes, & ſuos habebat præfectos, quò facilius ſinguli ſuos milites conuocare poſſent, quia confuſa, ac ſubitò affluens multitudo conſpici à præfectis non poterat. Itaque perticas, ſiue fercula quædam lignea portabant, quibus certa affigebãt ſigna, quibus ſuã quiſq; cohortẽ agnoſcere poſſet. Vnde rectè inquit [l] Vegetius: *Sed inter reliqua nihil magis ad victoriam proficit, quàm monitis obtemperare ſignorum.* Nam cũ voce ſola in tanto præliorum tumultu regi multitudo non poſſit, & plura pro neceſſitate rerum ex tempore iubenda atq; facienda ſint, antiquus omnium gentium vſus inuenit, quomodo, quod ſolus Dux vtile iudicaſſet, per ſigna totus agnoſceretur, & ſequeretur exercitus. Itaque prima cohors millenaria, quæ & numero militum, & honore præſtabat, Aquilam vſurpabat Romanam Auem: reliquæ verò alijs atque alijs in ferculis erectis ſignis dignoſcebantur, quæ & propriè ſigna Romanis vocabantur. Erant autem pro arbitrio Tribunorum ſculpta in illis capita animalium, hoſtium deiectorum facies, manuum effigies, ſartagines cum igne, & circuli, vt in numiſmatibus alijsq; monumentis veteribus videre eſt. Inter præcipua tamen quæ cæteris honore præſtabant cohortium ſigna erant Aquilæ; tametſi & illæ ferculis geſtarentur, vt cætera ſigna, nomenclatura tamen, & prærogatiua ſeparabantur. Hinc eſt illud [m] Cæſaris. *Pompeius in conſpectu vtrorumque oppidorum, neque ſuis auſus eſt ſubſidio venire. Aquilas habuit, & ſigna tredecim legionum: ſed ex quibus aliquid frumenti ſe exiſtimabat habere.* Sic [n] Cornelius Tacitus, cùm Varianam cladem deſcribit: *Mediò campi* (ait) *albentia oſſa vt fugerãt, vt reſtiterant, diſiecta, vel aggerata adiacebant, fragmina telorum, equorumq; artus. Simul truncis arborum infixa ora Lucis propinquis Barbarorum aræ, apud quas Tribunos ac primores ordinum Centuriones mactauerant, & cladis eius ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi referebant: Hîc cecidiſſe Legatos, illic raptas Aquilas: primum ibi vulnus Varro addactum, vbi infelici dextra, & ſuo ictu mortem inuenerit: quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captiuis, quæ ſcrobes, vtque ſignis, & Aquilis per ſuperbiã illuſerint.* & [o] rurſus: *Audita conſternatione ad Germanicum tendentes, fugerunt contumelias, eadem parant, Planco maximè, quem dignitas fugæ impediuerat. Neq; aliud periclitanti ſubſidium, quàm caſtra ponere primæ legionis. Illic ſigna & Aquilas complexus, religione ſe tuebatur:* Hęc ille. Loquitur autem primo loco de multis Aquilis, & ſignis, quia tres erant legiones cum Varro cæſe: quarum quelibet vnam Aquilam, & plura ſigna habebat. In altera verò authoritate de vna Aquila, & pluribus ſignis mentio fit: vt appareat in vna legione vnã Aquilam extitiſſe, & plura ſigna. Huc facit, quod idem [p] Corn. Tacitus ſcribit: *Vt verò deformis, & flens, & præter ſpem incolumis valens proceſſit, gaudium, miſeratio, fauor verſi in lætitiam, vt eſt vulgus vtroque immodicum, laudãtes, gratanteſq; circundatum Aquilis ſigniſq; in tribunal ferunt.* Et [q] iterum, cùm legiones Veſpaſiani auxiliares recẽſeret: *Dein Septima Claudiana agreſti foſſa* (ita locus erat) *præmunita dextro, octaua per limitem apertum, mox tertiadecima denſis arbuſtis interſepta. Hic Aquilarum ſignorumq; ordo.* Et alio loco: *Duces partium, vt curſulas venêre, paucos ad requiem dies ſumunt, donec Aquilæ ſignaq; legionum adſequerentur.* Hæc ex Tacito. Huc adludit [r] Appianus Alexandrinus: *Inſigne interea prælium ab vtraque parte editur, in quo ſuperior Pompeius, Cæſaris milites in fugam vertit, eoſque in caſtra vſque perſequitur. Signa porrò militaria pleraq; ſuſtulit, inter quæ & Aquilã præcipuũ Romanis ſignũ penè eripuit.* Huc pertinet quod [s] Lucanus ſcribit

*Barbaricas ſaui diſcurrere Cæſaris alas,*
*Ipſum omnes Aquilas, collataq; ſigna ferentem.*

Patet igitur ſigna ab Aquilis fuiſſe diuerſa. Cùm verò de ſartagine eiusq; igne obiter quid dixerimus non ab re erit teſtimonia quædam authorum de ea huc adducere. Clarum quidem eſt inter præcipua Imperij inſignia eam fuiſſe connumeratam, & præſertim inter ornamenta, quæ ſcilicet in ſummitate ferculi ſuprapoſita ignem ferret, cuius imaginem ex multis numiſmatibus & monumentis [t] Vuolphgangus Lazius Viennenſis exhibuit. Meminit huius ignis [u] Herodianus, inquiens: *Sed poſtquam L. Verus fato functus eſt, manentibus adhuc Lucillæ principibus inſignibus, Pompeiano eam pater deſpondit: nihilo tamen ſecius priſtinum illi honorem Commodus reliquit vſurpandum. nam & ſella Imperatoria ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur.*

Ignis prælati ornamentum.

[l] *Lib. 3. c. 5. de re milit.*
[m] *Li. 6. bell. ciu.*
[n] *Lib. 1. Hiſtor. Aug.*
[o] *Ibidem.*
[p] *Lib. 18.*
[q] *Lib. 19.*
[r] *Lib. 2. bel. ciu.*
[s] *Lib. 2. Pharſal.*
[t] *In principio Cõmen. de Rep. Ro.*
[u] *Lib. 1. hiſt. Aug.*

*patiebatur*. Et [x] iterum de Commodi pellice ſcribens: *Quod vbi conſilium ſuum ad Martiam retulit, unam ex ſuis concubinis, cui ſcilicet plurimum deferebat, ac propè vxoris eā loco habebat, ſic ut præter ignem omnes honores veluti Auguſtæ tribuerentur.* [y] Idem de Pertinace locutus: *Igitur poſtquam illuxit, in curiam ſe contulit, neq; ignem ſibi præferri, neq; ulla principatus inſignia paſſus attolli, donec Senatus ſententiam ſciſcitarentur.* [z] Itē rurſus de Macrino loquēs: *Talia loquentem, exercitus omnis, cæterumq; vulgus Imperatorem atque Auguſtum conſalutauit: tum amictum purpura, reliquoq; aulico ornatu atque apparatu ibidem ex tempore conquiſito, præcedente etiam igne, in Antiochiæ primum templa, mox ad ſuas ædes deduxerunt.* [a] Idem aliàs: *Nā cùm magnoperè indoluiſſent Alexādri nece, ac fortefortuna in quendā ex illius amicis, cui nomen Quartino fuit, paulo antè è caſtris à Maximino dimiſſum incidiſſent, correptū atque retractantem, neq; tale quicquam cogitantem, ducem ſibi delegerunt, purpuraq; eum, prælatoq; igne, funeſtis ſcilicet honoribus condecoratum, nihilq; minus optantem, ad Imperium protulerunt.* Idem poſtea de Gordiani inauguratione tractans: *Sequebatur autem ipſum principalis pompa omnis, militeſq; quicunq; aderant, iuuenesq; urbani procera ſtatura, ad eorum ſimilitudinem, qui Romæ Imperatorem comitantur: Virgæ item laureatæ, quo inſigni principes à priuatis dignoſcuntur: præterea ignis de more præferebatur, ut ſpeciem fortunamq; exiguum ſanè ad tempus, Romanæ ciuitatis Carthago repræſentaret.*

[x] *Lib. eod.*
[y] *Lib. 2.*
[z] *Lib. eod.*
[a] *Lib. 7.*

Ad huiuſmodi præterea inſignia alludit [b] Ammianus Marcellinus: *Tunc in memoriam Conſtantini ut nouatoris turbatoriſq; priſcarum legum, & moris antiquitus recepti, uexauit eum apertè incuſans, quòd barbaros omnium primùm aduſque faces auxerat.* De ortu iſtius ignis in triumphis legimus Iouem Agetorem apud Lacedæmonios fuiſſe cultum, & ex eius ara ignem depromptum, quem inextinctum & continuum Imperatoribus in aciem exeuntibus præferrent, vtpote ſummum inter elementa, vt author eſt [c] Nicolaus: quæ conſuetudo poſtea ad Romanos tranſiuit. Herodianus etiam ſic ſcribit: *Cùm non fuit modus ambitioni, & adulationibus, niſi Deorum inſignia, & ornamenta primum in triumphantes, inde* inquit Fabianus, *in Imperatores transferrentur.* Hipparchus ignem rerū omniū principiū opinabatur, & multi ſecuti ſunt, vt aptè Carthago Iunoni, quę mundi Genium ſignificat, ignem ſupremum elemētum dederit, etiamſi alioquin nihil foret ei cum marito commune. Amplius ſcire oportet nouem fuiſſe in perfecta legione ſigna quot cohortes videlicet, milliaria excepta, quæ Aquilam ferebat, id quod ſubinde authores legenti occurrit. Sic [e] Liuius: *Primo leuis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco ſuccedens tumulo pulſa detruſaq; terrorem in ſuccedentē intulit equitem, & ad ſigna legionum refugit.* [f] Item: *In præoccupatis anguſtijs loco iniquo eſt circunuentus, quatuor millia militum amiſſa, & legionis ſecundæ ſigna tria:* [g] Idem: *Vnus remanſit M. Licinius Strabo Tribunus militum tertiæ legionis cum tribus ſignis à legione relictis.* Vbi per ſigna cohortes intelligit ferculi ſcilicet illius voce cohorti, quam diſtinguebat, attributa.

Ignis prælati origo.

[b] *Lib. 1.*
[c] *Lib. περὶ τῶν θείων.*
[d] *In Auguſti principatū honorē.*

Signa nouem in legione perfecta excepta cohorte milliaria. Cohors milliaria Aquilā ferebat.

[e] *Li. 2. dec. 3*
[f] *Li. 9. dec. 4*
[g] *Li. 1. dec. 5*

Nunc de religione, quam Romani in euellendis ex terra ſignis obſeruabant, pauca ex hiſtorijs adferam. Equidem reperio ſignifero non licuiſſe euellere ſigna, niſi augurio capto; eratq; hæc ſuperſtitio populi eius, vt quādo ſigna faciliter euellebantur, certam de victoria ſpem cūcti conciperent, ſin difficulter, cladem imminentem ſuſpicarentur. Hinc *Craſſum Parthico bello occiſum* Appianus refert, *quòd iturus ad bellum euellere ſigna nequiuerit.* Eodem euentu Romanorum ſtragem contigiſſe ad Traſymenum lacum probati authores memorant. Et de Camillo Scriboniano, qui contra Claudium Cæſarem in Dalmatiā Imperium arripuerat [h] Oroſius nominatim ſic ſcribit: *Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ Legatus bellum ciuile molitus legiones multas fortiſſimasq; ad ſacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dicto, vt in unum undiq; ad nouum Imperatorem conueniretur, neque Aquilæ ornari, neque conuelli quoquam modo ſigna moueriq; potuerunt.* Ad hunc morem euellendi ſigna alludit Maro hoc carmine:

Religio euellēdi ſigna in locis ſuis.

[h] *In Claud. hiſtor.*

——*Vbi primùm euellere ſigna*
*Adnuerint ſuperi.*

Erat & altera Romanis in hac re conſuetudo ornandi videlicet ſigna in victoria & triſti caſu incōpta proferēdi. Vnde eſt illud Taciti, cùm parentationem Germanici Cæſaris enarrat: *Igitur Tribunorum Centurionumq; humeris cineres portabantur. præcedebant incomptè ſigna.* Quòd verò ornarentur hæc ſigna, ſic innuit [i] Claudianus:

De ornamentis inſignium militarium.

[i] *In nuptijs Honorij, & Mariæ.*

*Lætaturq; tamen, Mauortia ſigna rubeſcunt,*
*Floribus & ſubitis animantur frondibus haſtæ.*

Porrò inuenio inter ſigna portata Romanis in legionibus, fuiſſe imagines Imperatorū & Ducum: quas qui ferebant, Imaginarij vocabantur, & Imaginiferi, vt aliàs diximus; quorum inter genera militū & Vegetius meminit. [k] Suetonius quoq; *Militi poſt publicata ex Auguſti teſtamento legata, nihil unquam largitus eſt, præterquàm ſingula millia denariorum prætorianis, quòd Seiano ſe accommodaſſent, & quædam munera Syriacis legionibus, quòd ſolæ nullam, ſolæ Seiani imaginem inter ſigna coluiſſent.* Huc pertinet illud Cornelij Taciti de Vitellio loquentis: *Exercitum* (inquit) *Superioris Ger-*

Imagines Imperatorum, & Ducum inter ſigna.

[k] *In Tiber.*

*ris Germaniæ, Calendis Ianuarijs diripuiſſe imagines Galbæ, tumultuariq; cæpiſſe. Cuius turbationis ac flagitij ſpectator aderat Ordeonius Flaccus Legatus Conſularis, non auſus compeſcere mentes, non retinere dubios, non cohortari bonos. Sed ſubſiſtit ſignis pauidis, & ſecordia innocens: quatuor Centuriones cum protegerent Galbæ imagines, impetu militum abrepti, vinctiq; ſunt.* [l] Item aliàs: *Equeſter ordo, cuneum Germanici appellauit, qui iuniorum dicebatur: inſtituitq;, vt turmæ Idibus Iulijs imaginem eius ſequerentur.* Et [m] rurſus, cùm de deditione regis Parthorũ ageret: *Nec recuſaturum Tyridatem, accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotij religione attineretur: iturum ad ſigna, & effigies principis, vbi legionibus coràm regnum auſpiceretur.* Et ſubdit: *Tum placuit Tyridatem ponere apud effigiem Cæſaris, inſigne regium, nec niſi manu Neronis reſumere. Et colloquium oſculo finitum. Deinde paucis diebus interiectis, magna vtrinq; ſpecie: Inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patrijs: hinc agmina legionum ſtetêre fulgentibus Aquilis, ſigniſq; & ſimulachris Deũm in modum templi.* Atq; hactenus de imaginibus Imperatorum, Ducumq; exercitus, inter ſigna receptis. Ad quod genus militum alludit & inſcriptio vetuſtatis, quæ Lugduni viſitur:

[l] *Lib. 2. Hiſtor. Auguſtæ ſub finẽ.*
[m] *Lib. 15.*

D. M. ET MEMORIAE AETERNAE.
SOLENNIO FIDO MIL. LEG. I. MINERVAE IMAGINI
FERO MATVRINA VICTORINA CONIVGI CHARISSIMO, PONENDVM CVRAVIT, ET SVB
ASCIA DEDICAVIT.

Capita ferarum in ſignis militaribus.

Cæterùm inter ſigna capita ferarum ſculpta, atque interdum hoſtium occiſorum vera capita geſtata fuiſſe, hiſtorias legentibus paſſim occurrit. Quemadmodum [n] Tacitus ſcriptum reliquit: *Simul naues in aduerſum amnem agebantur. Hinc veteranorum cohortium ſigna, inde deprompta ſyluis, iugiſq; ferarum imagines, vt cuique genti inire prælium mos eſt, iuſta belli ciuilis externiq; facie obſtupefecerãt.* Huc quoq; facit, quod idẽ [o] Tacitus ſcribit, de Galbę cæde atq; interitu locutus: *Nullam cædem Otho maiore lætitia excepiſſe, nullum caput tam inſatiabilibus oculis perluſtraſſe dicitur, ſeu tùm primùm leuata omni ſolicitudine mens vacare gaudio cœperat, ſeu recordatio maieſtatis in Galba, amicitiæ in Tito Iunio, quanuis immitem animum, imagine triſti confuderat. Piſonis vt inimici & æmuli cæde lætari ius faſq; credebat. Præfixa contis capita geſtabantur inter ſigna cohortium, iuxta Aquilam legionis.* Sic apud ſigna tanquam Aſyla quiſq; tueri ſe poterat, & à captiuitate vindicare. Vnde ſcribit Tacitus: [p] *Planco maximè quem dignitas fuga impediuerat, neq; aliud periclitãti ſubſidium, quàm caſtra prima religionis illic ſigna & Aquilam amplexus, religione ſe tutabatur.* Eadem religionis cauſa apud ſigna captiui cuſtodiebantur, id quod ex his verbis [q] Marcellini colligitur: *finitiſq; epulis Vadomarium fortiter apprehenſum, rectori militum antè cuſtodiendum apud ſigna commiſit.* Inuenio etiam pecuniam ex præda contractam deponi ac collocari à Romanis apud ſigna ſolitã. Author eſt [r] Vegetius ab antiquo videlicet inſtitutum fuiſſe, vt dimidia pars rerũ comparatarum deponeretur apud ſigna, & ibidem militibus ſeruaretur, ne per luxũ & inanium rerum coëmptionem ſua abſumerent. Hinc enim fiebat, vt miles ſecurus, & de ferendo nihil cogitans, in acie fortius dimicaret, ad ſigna tuenda videlicet, circa quæ cuiuſq; ſubſtantiæ eſſent. Hinc mos ille de follibus, ſiue ſaccis in Romano exercitu proceſſit: quorum decem folles numarij, ſiue marſupia dicere mauis, per ſingulas cohortes ponebantur, in quibus ſumma pecuniæ, quę militibus cedebat, reponebatur. His addebatur ſaccus vndecimus, in quẽ tota legio particulatim conferebat, ſepulturæ cauſa: vt ſi quis de contubernalibus defeciſſet, de illo vndecimo ſacco ad ſepulturam illius monumentumq; erigendum expromeretur expenſa. Et ſic intelligitur illud [s] Suetonij de Domitiano, qui eã volebat conſuetudinẽ immutare: *Geminari*, ait, *legionum caſtra prohibuit, nec pluſquam mille numos à quoquam ad ſigna deponi: quod L. Antonius apud duarum legionũ hyberna, res nouas moliens, fiduciam cepiſſe ex depoſitorum ſumma videretur.* Non poſſum hîc & aliã Romani populi conſuetudinẽ ſilentio trãſire, cuius meminit [t] Herodianus, in medio caſtrorũ ædificiũ fuiſſe memorãs, in quo omnia ſigna militaria recondebantur. Verba ſic habent: *Vt autem caſtra attigit, ædiculamq; eam, intra quam ſigna ac ſimulachra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat, votis quaſi pro ſalute ſuſceptis.* Meminit & [u] Tacitus, cùm de ſeditioſis in Pannonia legionibus agit, quæ ad Nauportum contra Bleſum exurgebant: *Commotis per hæc mentibus, & inter ſe ſuſpectis, tyronem à veterano, legionem à legione diſſociant. Tum redire paulatim amor obſequij, dimittunt portas: ſigna vnum in locum principio ſeditionis congregata, ſuas in ædes referunt.* Atqui Romæ, ceſſante bello, ſigna in ærario cuſtodiebantur. Vnde eſt illud [x] Liuij: *Is impigrè exercitu ſcripto, cùm omnes extra portam Capenam, ad Martis ædem conuenire armatos minores iuſſiſſet, ſignaq; ad Quæſtorem ex ærario deferri, quatuor expletis legionibus.* Videtur denique & illud facere ad magnificentiam ſignorum Romanorum; quod hæc videlicet proconſulibus prætoribuſq; & prouinciarum præſidibus præferebantur.

[n] *Lib. 14.*
[o] *Lib. 18.*
[p] *Lib. 1. Hiſtor. Aug.*
[q] *Lib. 21.*
[r] *Lib. 2. de re mil.*
[s] *In Domitiano.*
[t] *Lib. 4. Hiſtor. Aug.*
[u] *Lib. 1. Hiſtor. Aug.*
[x] *L. 7. dec. 1*

Capita occiſorum hoſtium inter ſigna.
Quæ pecunia apud ſigna deponeretur.
Captiui apud ſigna cuſtodiebantur.
Tabernaculum in medio caſtrorũ pro ſignis.

Ambigere

Ambigere quis meritò possit, num hæc signa militaria ante incœptum Imperium fuerint, dũ adhuc Consules Romanæ potentiæ præessent. Præterea num inclinante Imperio, barbaris iam gentibus Romanos milites inuadẽtibus, quod fuit sub Valentinianis, signorũ huiusmodi fercula adhuc solita fuerint gestari. Ad quam quidem quæstionẽ ex fide historica respondemus: fuisse vtroq; tẽpore, eiusq; populi ętate. Scribit enim [y] Liuius in Histrici belli enarratione, quod plusquã seculũ ante dictaturã Cæsaris fuit: *Vnus*, inquit, *remansit M. Licinius Strabus Tribunus militum tertiæ legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus*. De inclinantis Imperij ætate dubium nullum est. Testatur enim hoc [z] Marcellinus his verbis: *Tali textu rectè factorum Cõstantius, iam metuente sublimior, militariq; consensu secundo Sarmaticus appellatus ex vocabulo subiectorum. Iamq; discessurus conuocatis cohortibus, & centurijs, & manipulis omnibus tribunal insistens, signisq; militaribus & Aquilis, & agmine multiplicium potestatum.* Et [a] iterum: *Qui ducens militem rei sufficientem, cùm venisset ad loca, discriminatis ordinibus, barbaros ante colluctationem adeo terruit, & turbauit, vt nec controuersas opponerent manus; sed signorum Aquilarumq; fulgore præstricti, venialem poscerent pacem.* Huc pertinet quod Procopius refert, *Neruios rotam, Ioutam cohortem Aquilam auream* habuisse, & *cornua cornutorum cohortem*; alludens nimirum ad signa, quę portabantur in ferculis.

Quãdo signorũ militariũ vsus cœperit.

[y] *Lib. 1. de cad. 5.*

[z] *Lib. 17.*

[a] *Lib. 28.*

Iouia cohors.

Amplius videndum est, quænam essent SIGNA FIXA, ET NON FIXA. Fixa autem in castramentatione erant terræ infixa, sicuti hodie figere solemus hastas in castris. Meminit [b] Marcellinus: *Locorum gnaritati confisi vnum spirãtibus animis montem occupauere præcelsum per confragosos colles vndiq; præruptum & inuium absq; septentrionali latere, unde facilem habet deuexitatem & mollem, signis ilico fixis ex more, cùm vndiq; ad arma conclamaretur, imperio Principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum operiens extollendum, quod erat opportunè subeundæ indicium pugnæ.*

Signa fixa, & non fixa quænã essent.

[b] *Lib. 27.*

SIGNA EVVLSA, Siue cõuulsa, contrariæ significationis erãt, cùm signa terræ fixa, dum miles per cõtubernia quiescebat, rursus ex terra ad vsum militię euellebant. Meminit [c] Liuius: *Territis omnibus, qui circà erant, veluti fædo omine incipiendæ rei, insuper nunciatur, signum omni vi moliente signifero, conuelli nequire. Conuersus ad nuncium: Num literas quoq;, inquit, à Senatu affers, quæ me rem gerere vetent? Abi, nuncia, signum effodiant, si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerint.* [d] Idem: *Qui, vbi allatum est, hostes aduẽtare, propè est factum, vt iniussu Prætoris conuulsis signis in aciem exirent.* [e] Sic alibi: *Magis inde impetu, quàm consilio ducis conuulsis signis, firmisq; infesto agmine signis.* Et [f] iterum: *Confestim signis conuulsis, citato agmine iter ingrediuntur*. Alludit ad huiusmodi morem conuellendi signa [g] Virgilius:

Signa euulsa.

[c] *Lib. 22. dec. 3.*

[d] *Li. 5. eiusdem.*

[e] *Li. 7. dec. 1*

[f] *Li. 5. dec. 3*

[g] *Lib. 11. Aen.*

*Nunc iter ad regem vobis, muroſq; Latinos,*
*Arma parata animis, & ſpe præſumite bellum.*
*Neque mora ignaros, vbi primùm euellere ſigna*
*Annuerint ſuperi, pubemq; educere caſtris.*

Vexillorũ varia genera.

Cùm verò de Romanis vexillis à signis & Aquilis, vt ex numismatibus ostendi potest, diuersis, sæpè meminimus, non erit præter nostrum institutum & de ijs aliquid hîc dicere. Quorum varia discrimina sunt, nempe si vno ea fasce comprehendas, Labarum, siue Flammeum aureũ, argenteum, cæruleum, centuriatum, equestre, prætorianorum, & auxiliariorum; quorum primum Ducis, siue Imperatoris exercitus erat, secundum Senatus Romani, quartum classis; quæ tametsi diuersa extiterint, figura tamen omnibus, & forma erat eadem, vt ex sculpturis & numismatibus deprehenditur. Penè huiusmodi sunt, vt nostra templorum vexilla, si crucem suprapositam, & sciſſuram triplicem dempseris, quam Christianos opinor ad indiuiduæ Trinitatis, CHRISTIQVE Victoriam demonstrandam gentibus adiecisse: siquidem, vt [h] Vegetius est author, vexilla à velis nauium appellationem acceperũt, quòd ceu vela in antennis nauium, ita pannus & flãmulæ in pertica gestabantur, quod vexillum Romanis tanquam minus velum nominabatur. Cæterùm in vexillis Romanis imagines passim & Deorum, & Imperatorum Ducumque militarium erant depictæ, quæ adhuc consuetudo tenet, ut insignia Principum in vexillis à pictoribus exprimantur. Meminit [i] Cornelius Tacitus: *Octaua erat ac septima Claudiana imbutæ fauore Othonis, quanuis prælio non interfuissent. Aquileiam iam progressæ, proturbatis, qui de Othone nunciabant, laceratisque vexillis, nomen Vitellij præferentibus.* Et [k] rursus: *Et quorum imagines pro vexillis secuti forent, Duces Imperatoresq; deligerent.* [l] Lampridius pariter: *His ita gestis signa in castris & vexilla fieri Antoniana iussit, fecitq; Bassiani simulachra ex auro atque argento, atque dies septem supplicatio pro Antoniani nomine celebrata.*

Vexillorũ figura qualis.

Vexilla Christianorum qualia.

[h] *Lib. 2.*

Vexilla vnde dicta.

Picta vexilla apud veteres Romanos.

[i] *Lib. 18.*

[k] *Lib. 5.*

[l] *In Diadumeno.*

Non videtur extra institutũ esse mentionem facere de vexillo caudato, de quo scribit [m] Appianus: *Horum è numero cùm vnus vexillo in cõtrarium verso, caudam ad Cæsarem extendisset, eius mandato à scutiferis occisus est.* De cæteris verò vexillis, vt pedestri, centuriato, prætoriano, veteranorum, tyronum, calonum, auxiliariorum, equestri, classico, videas abundè [n] VVolphgangum Lazium Viennensem.

Vexillum caudatũ.

[m] *Li. 2. ciu.*

[n] *Lib. 7. cõmẽt. de rep. Rom.*

Inter

Flaminũ vexillum.

Inter tot tamen vexillorum genera, non omittam Flaminum vexillum, quod erat inſigne Imperij, de quo ſcribit[o] Marcellinus: *Aduentãs itaq; rex per optimates ſuos propius admiſſos, pacatiore colloquio flectere defenſores ad ſuum non potuiſſe arbitrium, & diem integrum dedit, & matutinæ lucis exordio, ſigno per flameum erecto vexillum, circunuaditur ciuitas à quibuſdam vehentibus ſcalas.* Huc alludit & [p] Claudianus.

[o] *Lib.* 20.

[p] *In tertiũ Honorij Conſulatũ.*

*Hyrcanas populatus opes, aut cæde ſuperbus*
*Aſſyria, ſic enſe rubens, ſic flamine crebro*
*Turbidus & grato reſperſus puluere belli.*

Labar[q] vexillum.

Silentio non inuoluam nobiliſſimum illud vexillum, quod Labarus ſiue aureum vexillũ nuncupatum eſt, de quo meminit Marcellinus ſic inquiens: *Conſtantius concluſo Iani templo, ſtatiſq; hoſtibus cunctis Romam geſtiebat viſere, poſt Maxentij exitium abſq; nomine ex ſanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem ullam bella cientem per ſe ſuperauit, aut victam fortitudine ſuorum reperit ducum: vel addidit quædam imperio: aut nuſquam in neceſſitatibus ſummis primus extentam, rigentiaq; auro vexilla, & pulchritudinem ſtipatorum oſtenderet.* Hæc ille. Huc verò etiam pertinet, quod in hiſtoria[q] Tripartita ſcriptum eſt de labaro precioſis lapidibus adornato, quod à militibus adorabatur, & in quo CRVCEM CHRISTI, vt teſtatur [r] VVolphgãgus Lazius Viennenſis, Conſtantinus finxerat, eiuſq; auxilio Licinium ſuperauerat. De quo & [r] Septimius Florens: *Sypara illa*, inquit, *vexillorum, & labarorum ſtolæ crucium ſunt.* Scribit & [s] Eutropius: *Tum verò lætus reddi-tus, & de victoria iam ſecurus, ſignum crucis, quod in cælo viderat, in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, ex auro & lapidibus pretioſis in ſpeciem crucis Dominicæ. Hoc enim ſignum bellicum inter alia precioſius, eo quòd Imperatorem præcederet, & adorari id à militibus moris eſſet.* Et ſubdit: *Portabaturq; per omnes acies in prælio. Semper enim hoc ſignũ præponebatur ante ordines vniuerſos, quod maximè laborantibus aciebus in prælijs adeſſe præcipiebat. Conſtituit itaq; certos ſigniferos, qui in eo laborarent: quorum opus erat, vt vicibus humeris eum veherent, & omnes acies ita luſtrarent.* Porrò meminerunt labarorum & [u] Iureconſulti, cùm de præpoſitis ſacri palatij diſſerunt, atq; archiatris: licet falsò Laborum pro Labarorum legatur. Huc pertinere videtur, quod ſcribit [x] Procopius de Pando, & Pandofero: *Talibus*, inquit, *Beliſarius adhortatus equites omnes præter quingenarios, eo die præmiſit, ſcutigeros verò ac ſignum, quod Romæi Pandum vocant, Ioanni Armenio committens, ac ſi fuerit occaſio, iaculari mandauit.* Hæc ille. Porrò deſcribit formam huius vexilli [y] Aurelius Prudentius poëta hocce carmine:

[q] *Li.* 1. *ca.* 5

[r] *Lib.* 7. *c.* 5 *com. de rep. Rom.*

[s] *In Apologetico c.* 16.

[t] *In vita Cõſtãtini Magni.*

[u] *In duodecimo Codicis.*

[x] *Li.* 4. *Gothicæ hiſt.*

Pandũ vexillum.

[y] *Lib.* 1. *cõtra Symmachum.*

*Hoc ſigno inuictus, tranſmiſſis alpibus vltro*
*Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus,*
*Cùm te peſtifera premeret Maxentius aula.* Et Paulò pòſt:
*Teſtis Chriſticolæ ducis aduentantis ad vrbem*
*Miluius, exceptum Tyberina in ſtagna tyranum*
*Præcipitans, quànam victritia viderit arma*
*Maieſtate regi, quod ſignum dextera vindex*
*Prætulerit, quali radiarint ſtemmate pila.*
*Chriſtus purpurcum gemmanti textus in auro*
*Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus*
*Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.*
*Ipſe Senatorum meminit clariſſimus ordo,*
*Qui tunc concreto proceſſit crine, catenis*
*Squallens carcereis, aut nexus compede vaſta;*
*Complexuſq; pedes victoris, ad inclyta flendo*
*Procubuit vexilla iacens. Tunc ille Senatus*
*Militiæ vltricis titulum, Chriſtiq; verendum*
*Nomen adorauit, quod collucebat in armis.*

Cùm magna pompa ſenatus Romanus in pompis procederet, vexillumq; argenteum geſtaret, nõ inconſultò hîc aliqua tradam in gratiam eorum, qui intelligere appetunt antiquitatem Romanam, marmora ſcilicet ſculpta atque numiſmata.

Vexillum Senatus argenteum.

VEXILLVM SENATVS argenteum erat, & in comitijs paſſim, & pompis Senatui Romano præferebatur. Meminit [z] Liuius, cùm de Bacchanalium abrogatione orationem Cõſulis ad Senatum recitat: *Primùm igitur*, inquit, *mulierum magna pars eſt, & is fons mali huiuſce fuit. Deinde ſimillimi fœminis mares, ſtuprati, & cõſtupratores, fanatici vigiles, vino, ſtrepitibus, clamoribuſq; nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires coniuratio, cæterùm incrementum ingens virium habet, quòd in dies plures ſiunt. Maiores noſtri, ne vos quidem niſi cùm aut vexillo in arce poſito, comitiorum cauſa exercitus edictus eſſet, aut plebi concilium tribuni edixiſſent, aut aliquis ex magiſtratibus ad concionem vocaſſet.* Huc pertinet,

[z] *L.* 9. *dec.* 4

pertinet,quod [a] Appianus Alexandrinus ſcribit: *Hæc effatus, & uerbo & opere, muneribuſq; eos inſtruens concionem dimiſit. Ipſi perſiſtentes Caſſium & Brutum ſummis extulere laudibus, ac pro illis, quæ æqua forent, facturos ſe obtulerunt. Hi verò munera illis confeſtim perſoluerunt, & alia porrò ad occaſiones multas illuſtrioribus impenderunt, & qui ſuſcepiſſent continuò armatos per partes emittebant. Nec multò poſt ipſi inſecuti ſunt. Binas Aquilas ad eos aduolantes in argenteis vexillis conſediſſe, fama eſt, ſe inuicem roſtris vnguibuſq; lacerantes, vel vt alijs placet, ſe mutuò obſeruantes ac manentes, quæ publicis alimonijs à Prætoribus educatæ ſunt.* Et [b] rurſus loquens de Sylla: *Fuit autem ad omnia feliciſſimus vſque in finem, tantum proſperitatis, quantum concupierat, aſſecutus: corpuſq; per Italiam in vrbem, lectica aurea regio more illatum eſt. Tibicinum copia equitumq; ac cæterorum multitudo progrediebatur. Poſt hos milites omni ex parte, & ad pompam inſtructi armis accurrebant. Et vt quiſq; acceſſerat, protinus in ordinem referebatur. Verùm multitudo tam ingens, qualis nullo vnquam in opere viſa fuerat, acceſſit. Præcedebant ſigna ſecureſq;, quibus dictator cùm eſſet, vtebatur. Hunc in modum inſigni pompa, magno apparatu in vrbem defertur. Coronæ ex auro ad duûm millium numûm, plureſq; ſumma cura fabricatæ. Vrbium dona, ac legionum ſub eo militantium, ab amicis ſingulatim ferebantur, aliaq; ad ſepulchri decus addita, quorum ſplendorem eloqui nemo poſſet. Corpus denique accurrente exercitu, ſacerdotes ſacraq; Virgines per vices detulere. Senatus item reliquiq; magiſtratus cum vexillis eorum ſequebantur. Alio deinde ornatu equitum turba exercituſq; omnis per partes diuiſus, qui ſub ipſo fuerat. Magno demum ſtudio vnuſquiſq; ad ferendum accurrit vexilla aurea argenteis præferentes armis, quibus ad pompam nunc etiam vtuntur.* Hæc ille. Et de huiuſmodi vexillo intelligendum eſt hoc [c] Claudiani poëtæ carmen:

[a] *Lib. 4. de bel. ciuil.*

[b] *Lib. 1.*

[c] *In quartũ Honorij cõſulatum.*

*Patritios ſumunt habitus & more Gabino*
*Diſcolor incedit legio, poſitiſq; parumper*
*Bellorum ſignis, ſequitur vexilla Quirini.*

Poſtremò oſtendendum eſt Aquilas diuerſas cùm à ſignis, tùm à vexillis Romanis extitiſſe, quod partim etiam ſuprà nobis eſt oſtẽſum, partim etiam [d] Liuius teſtatur: *Stare hinc legionarios milites, hinc claſſicos per omnes Deos paratos magis quæ velint, quàm quæ ſciant vera eſſe, & obſtringere periurio non ſe ſolùm ſuumq; caput ad ſigna militaria, & Aquilas ſacramentiq; religionẽ.* Sic [e] Marcellinus: *Edictoq;, vt futura luce cuncti conuenirent in campo, progreſſus princeps ambitioſius ſolito tribunal aſcendit, ſignis Aquiliſq; circundatus & vexillis.* Porrò vnam modo in legione Aquilam extitiſſe, cùm plura & ſigna, & vexilla fuerint, videtur cõfirmare [f] Cornelius Tacitus: *Primani ſtra tis vnæ & viceſimanorum Principibus, Aquilam abſtulere. Quo dolore accenſa legio, & plura ſigna vexilla, ex hoſtibus rapuit.* Et iterum. *Quatuor legionum Aquilæ per frontem, totidemq; circà è legionibus alijs vexilla, mox duodecim alarum ſigna, & poſt peditum ordines.* Hæc ille. Cæterùm cuius figuræ Aquila Romano in exercitu fuerit, oſtendit Dion [g] Caſſius. Ἐ'ςὶ δὲ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ τῆς καταλόγε στρατοπέδοις. καὶ αὐτῶν εἷς ἀνὴρ ἑπὶ δόρατος μακρᾶ ἐς ὀξὺ τὸν σύρακα ἀπηγμένου, ὥςε καὶ ἐς τὸ δάπεδον καταπήγνυδαι, φέρει. Id eſt, ſi Latinè reddas: *Ferculum eſt paruum, in quo Aquila aurea collocatur: in omni iuſto exercitu ab Aquilifero haſtæ longæ præfixa defertur, quæ quò facilius humi defigi poſſit, in acutam cuſpidem deſinit.* Huc pertinet locus [h] Appiani Alexandrini: *Inſigne præterea prælium*, ait, *ab vtraq; parte editur, in qua ſuperior Pompeius Cæſaris milites in fugã vertit, eosq; in caſtra vſque perſequitur. Signa porrò militaria pleraq;, ſuſtulit, inter quæ & Aquilam præcipuum Romanis ſignum penè eripuit, niſi quòd eam anteferens miles, præoccupato eorum curſu, Aquilam intra vallum ad ſuos iecit.* Ex quibus verbis liquet, Aquilam quoq; inter ſigna fuiſſe enumeratam: ſed quia Auis Romani populi peculiaris erat, primum in legione locum meruiſſe, milliariæq; cohorti additã. Id quod ex [i] Plinio animaduertitur, vbi de Aquila animali ex profeſſo diſſerit: *Romanis cum legionibus*, inquit, *Marius in ſecundo Conſulatu ſuo propriè dicauit. Erat & antea prima cum quatuor alijs, lupis, minotauris, equis, apris, quæ ſingulos ordines anteibant. Paucis antè annis ſola in acie portari cœperat, reliquæ in caſtris relinquebantur. Marius in totum ea abdicauit. Ex eo natum non ferè apud legiones vnquam hybernatum eſſe in caſtris, vbi Aquilarum non ſit ſignum.* Hactenus Plinius. Cæterùm quanto loco hoc genus ſigni Romano in exercitu fuerit, ex eo apparet, quòd præfectus caſtrorum, tribuni, ac centurionum præcipui ante Aquilam incedebant: & apud Aquilam fontes religione ſe tutabantur, vt etiam ſupra diximus. Vnde eſt illud Cornelij Taciti: *Ante Aquilam præfecti caſtrorum tribuniq; & primi centurionum candida veſte, cæteri iuxta ſuam quiſq; centuriam armis doniſq; fulgentes, & militum phaleræ torqueſq; ſplendebant.* & [k] rurſus: *Plurimus circa Aquilas labor, quæ neq; aduerſum ferri ingruentia tela, neq; ſigi limoſa humo poterant.* Hæc ille. Quæ oſtendunt, Aquilarum fercula quemadmodum & cætera ſigna in caſtris, dum miles quieſcebat, fuiſſe fixa. Quòd verò Aquilarum ſigna declinante adhuc imperio Romanis in vſu extiterint, ex eius ætatis ſcriptoribus colligitur, quorũ [l] Marcellinus ſic ſcriptum reliquit: *Finita oratione, quam authoritas erexerat inopina, flexit Imperator in ſuam*

[d] *L. 6. dec. 3*

[e] *Lib. 20.*

Vna Aquila in vna legione.

[f] *Lib. 18.*

[g] *Lib. 40.* Aquilæ figura.

[h] *Lib. 2. ciuil. bel.*

[i] *Li. 10. c. 3.*

[k] *Lib. 1. Hiſtor. Aug.*

[l] *Lib. 27.*

ſuam ſententiam vniuerſos: conſiljq́ eius viam ſecuti, qui paulò antè fragrantiſſimis vocibus aliud poſtulabant, circũſeptum Aquilis & vexillis agminibusq́ diuerſorum ordinum. Huc pertinet & [l] Enodij Ticinenſis Sidonij Apollinaris Synchromi, quem Vuolphgangus Lazius à ſitu vindicauit, locus: *Nam Auieni mei non vnus, ſed primus eſt conſolatus, ſtirpis ſuæ: geſtitura Aquilas agmina, præuius anteceſſit, & ad principalem militiam iter virtutis oſtendit.* Meminere Aquilarum in hoc ſenſu & poëtæ illius temporis, quorum [m] Claudianus ſic canit:

*Te duce Romana tandem ſe vindicat ira,*
*Ipſa iubet ſignis, bellaturoq́ togatus*
*Imperat, & ſpectant Aquilæ decreta Senatus.*
*Quid faciat bellis, ò quas tibi ſæpe iugabit*
*Inflictis gentes Aquilis, qui maxima regni*
*Omnia priuatus fugit.*

[n] Sidonius Apollinaris:

Pertinet ad hunc locum & quod [o] Vegetius ſcribit: *In ipſa quoq; enucleati aſcribendi ſunt iuniores, quia in ſecunda acie poſt Aquilam, & imagines cohors ſexta conſiſtit.* Scitum eſt & illud, quod non ſolùm Aquilæ, ſed ſignorum etiam cæterorum dignitatem declarat: Id quod ſcribit [p] Vegetius: *Et ideo ſigniferi non ſolùm fideles, ſed etiam literati homines ẽligebantur, vt ſeruarent depoſita, & ſcirent ſingulis reddere rationem:* loquitur autem illic de pecunia legionis, ac militum apud eos depoſita, & ſeruata in vndecim ſaccis. De hac Aquila bellatrice in exercitu non omittam illud, de quo [q] Claudianus meminit:

*Pars longè ſpiculis, pars comminus horrida contis*
*Hi volucres tollunt Aquilas, hi picta Draconum*
*Colla leuant, multuſq́; tumet per nubila ſerpens.*
*Vt bellatrices Aquilæ ſæuiq́; Dracones*
*Fas ſit caſtra meis hodie ſuccumbere ſignis.*
*His primùm noſtras Aquilas prouincia vidit,*
*Deſijt hoſtiles conſeſtim horrere Dracones*
*Ilicet edomiti prælo prædaq́; carentes.*

Idem [r] poëta alibi:

[s] Item:

Aquila cũ animalib. alijs in numiſmat.

POSTQVAM egimus de Aquilæ vſu in inſignibus militaribus, vt in numiſmatib. cõſpicitur, nũc de illis agemus, in quibus Aquila vnà cũ Ioue & fulmine, animalibus ac alijs inſculpebaẽ.

Antonij Pij numiſma.

In quibuſdam numiſmatibus Antonini Pij ſculpebatur Iupiter eburneæ ſedi inſidens, magnamq́; prę ſe ferens maieſtatem, ſiniſtra regale ſceptrum vibrans, & dextra inferius fulmen in gigantes, quos ſub pedibus velut oppreſſos tenet, eiaculatur; è regione uerò ipſius conſpicitur Aquila, ad pedes eius ſubuolans, quæ Ganymedem pulcherrimum puerum raptum, cyathum vt Ioui propinaret, portat.

Iuppiter cur frater & maritus Iunonis ſit dictus.

Finxerant antiqui Iouẽ Iunonis eſſe & fratrem, & maritum, quoniam per eos intelliguntur duo elementa, ignis nempè & aër, quæ æqualia ſunt in ſubtilitate, & ideo appellauêre fratres, & Iunonem ſeu aërem Ioui ſeu igni ſubiectam dicebãt. Vnde & illum appellarunt maritum, & vtrumq; à iuuando, quia nihil eſt, quod magis nutriat, & conſeruet res huius mundi, quàm calor & aër; quia ſine illis nullum animal ſubſiſtere poteſt.

ΖΕΥΣ, q̃d ſignificat.

Atque hinc Iupiter apud Græcos dicitur ΖΕΥΣ, quæ vox nil aliud apud Latinos denotat, quàm calorem & vitam; quia nil aliud eſt hoc elementum, niſi calidum: & ideò dixit Heraclytus: *Omnia animata ſunt ab igne vitali.*

Lucetius quid.

Vnde lingua Volſcorum dicitur Lucetius, quia lucẽ præſtat hominibus, & à Latinis Dieſpiter quaſi diei Pater.

Fulmina cur aſcripta Ioui.

Finxerunt etiam Poëtæ, Iouem eiaculari fulmina, & tonare, quia ſecundum naturam hæc ortum habent à rebus ſuperioribus, & impreſſionibus aëris. Præterea Ioui Aquila aſcribitur & ſub eius tutela eſſe fingitur, miniſtraſſeq; illi cum gigantibus bellanti, fulmina. Vnde currum eius à duabus Aquilis trahi ferunt.

Aquila cur aſcripta Ioui.

Ratio, quæ naturalis redditur, eſt; quia cùm Aquila temperiem nacta ſit præ cæteris volucribus calidiſſimam, quæ ſcilicet ſuo calore quod in ouis eſt, diſſipat, & ſpem futuræ prolis fallit, niſi ætitem lapidem in nidum ſuũ inferat, Ioui ignis præſidi eam hac ratione ſacrã eſſe voluerunt.

Sceptrum cur Ioui attributum.

Vnde mirum non eſt, ſi paucæ Iouis ſtatuæ reperiantur, in quibus non addita ſit Aquila. Conſultò etiam Ioui attribuitur ſceptrum: eſt enim ſignum poteſtatis: & Aquila pariter, tanquã omnibus præſtantior.

Iouis cognomina, ſeu epithe ta quæ.

Fuit autem Iupiter varijs epithetis inſignitus. In primis enim Pater dictus eſt, ob beneuolentiã & prouidentiã, quam in omnibus ei tribuebat antiquitas. Rex ab Orpheo & Homero. Optimus ac Maximus quia vult & poteſt omnibus prodeſſe. Fulminans Fulgurator atq; tonãs ab auguribus teſte Cicerone; & Statoris nomine adoratus à Romanis ethnicis. Vindicator, & Vltor, quia ſceleratos vlciſcebatur; Milichius id eſt, iucundus, & mitis Eleus, Olympius, Aſcreus, & Stratius, ſiue militaris. Meliſſeus à nympha eius, vt creditur nutrice: Xencos, ſiue Hoſpitalis de quo Virgilius: *Iuppiter hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.* Trifonius, & Caſius à Caſio mõte & ciuitate quędã Aegypti, Ammonius ab arena, quæ grecè

ἄμμος

ἄμμος appellatur, in qua repertus est, vt quidã putant, vel à galea, qua in bello vsus est, cuius galeæ insigne fuit arietis caput, à quo Κεραταφόρος siue cornutus vocatus est. Dictus est insuper Eleutherius (unde Eleutheria festa in Græcia in honorem Iouis Eleutherij celebrata) quem σωτῆρα, id est, liberatorem vocabant. Celebrabantur hæc in Syracusęis Tarenti, apud Plateenses in Caria, in quibus nec heris in seruos, & magistratui in maleficos animaduertere licebat, vnde Eleutheria à libertate dicta. De porticu Eleutherij Iouis, qui Athenis fuit, meminit [t] Plato. Dictus est quoq; Seruator, quòd illius opera sese liberatos fuisse à Medis crederent. Item ἀγοραῖος ζεὺς, id est Iupiter Forensis: & Καταιβάτης ζεὺς, id est discensor cognominũ, testimonia habentur in numismatibus græcis. Nec non ὅριος ζεὺς. i. Iupiter terminalis, terminorum scilicet præsul, cuius imago cornuta conspicitur vetusta in terminis marmoreis plurimorum locorũ. Nominatus etiam est Νεφεληγερέτης, i. congregator nebularum, quod eas congreget. Multa insuper alia nomina ac dignitates Ioui superstitiosa antiquitas ascripsit, & quandoque etiam ipsum victorem nuncupauit, vtpote qui illis victorias donare crederetur. Quapropter etiam eum cum victoria in manu sculpserunt, nec non & cum sceptro, & nonnunquam etiam sculpebant victoriam, quę illum laurea redimeret, vt in antiquo Calcidonio Venetijs vidi apud pię mem. Patriarcham Aquileię, qui, vt erat uir singulari humanitate, multa mihi peregrina in suo Chimiliarchio ostendit, ac inter ea Iouem hunc victorẽ in Calcidonio antiquissimo, magnitudine ferè numismatis. Hic lapis antiquitus Ioui Fulguratori consecratus fuit, quòd ex eo chalybe icto ignis eliceretur; vnde hodie etiam milites nostri in catapultis bellicis optimo successu eo vtuntur. Dicebatur item Iupiter Anxurus, vt videre est in argenteo quodam numo, in quo ab vna parte est duplex titulus, nempè IOVIS AXVR. C. VIBIVS, & GN. Erat autem barbata ac intonsa eius facies; in altera verò numismatis parte erat quidem barbata, sed galeata, & vultu toruo cum hoc nomine PANSA. Imago Iouis erat strata hastam dextra, sinistra poculo quoddam simile tenens. Vidi etiam antiquissimum numisma ęreum paruum apud D. Fuluium Capibouium ciuem Bononiensem, harum rerum antiquarum summum scrutatorẽ, in cuius posteriori parte erectæ figuræ Aquila Chrysaęto Bellonij similis cõspicitur cum inscriptione ΑΠΟΛΛ. fortasse ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ (de vrbe, siue oppido Ἀπολλωνιεῶν, vide [u] Hubertũ Goltziũ). In anteriori verò caput, fortasse Iouis Anxuri, sine inscriptione. Placuit numisma hoc hîc inserere, vt humaniorũ literarũ studiosi videãt, quí sæpenumero authores in his, quæ ad antiquitatem spectant, decipiantur. Fertur igitur Iupiter cognominatus Anxurus in Italia in tractu Campaniæ, habitu puerili imberbis. Memiuit eius etiam [x] Virgilius:

*Circeumq; iugum quis Iupiter Anxurus aruis*
*Præsidet.*

Quo loco Maurus Seruius doctissimus interpres, circa tractum, ait, Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἀνξυρῷ, id est sine nouacula, quia barbam nũquam rasisset, vnde doctissimus [y] Constantius Landus ex numismate istoc apud Frãciscum Nouelium Placentinum à se viso inquit: Videant modò peritiores num id, quod dixit Seruius, verum sit, cùm in numismate Iouis Anxuris barbata facies fuerit. Nam imberbem esse magis Phœbo conuenit, & Baccho, quorum ęterna iuuenta à Poëtis celebrata est. Vnde Tibullus:

*Solis aterna est Phœbo Bacchoq; iuuenta,*
*Nam decet intonsus crinis vtrumq; Deum.*

Aut igitur dicendum est, quidem barbatum fuisse, vt & numisma ostendit, sed nunquam rasisse barbam. Ideo iuuenem Deum, aut erit intelligendum, si fuit puer, nunquam rasisse barbam, quia imberbis fuerit, quod numisma facie barbata fictum negat: quod etiam numisma diademate coronatum capitulum habuit. Fuit & Anxur vrbs Trachina, nunc Terracina dicta.

Sed antequam ad reliqua numismata, in quibus Aquila sculpebatur, sermonem cõuertam, primò cur Ioui ea magis, quàm cæteræ alites, sacra dicerẽ, dein quæ fulminis figura in numis, & quid sibi ea vellet, paucis declarabo. Quantum ad Aquilam attinet, sunt qui asserant Ioui eam ideo consecratam fuisse, quòd ipse primus in Creta Aquilę nidum inuenerit, & postmodum ea in venatu vsus fuerit, ideoq; Leoni etsi quadrupedum regi, & Regulo auiculæ prætulerit. Vnde in numo Alexandri Magni ab vno latere Iupiter sedẽs sceptrũ sinistra, dextra Aquilam tanquam auceps portat: inscriptum est ad latus ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ab alio latere conspicitur eius caput. Reperiuntur & alia eiusmodi numismata Græcorum potissimùm, in quibus Iupiter Aquilam pariter dextra portat. Alij verò ideò Ioui datam Aquilam volunt, quoniam ea Auium regina dicatur, ob victorias scilicet, quas ab alijs auibus illa reportat. Hinc cùm inter clarissima & amplissima donaria, quæ in Metaponto vrbe Ioui Olympico mittebantur, etiam simulachrum eiusdem esset insigni specie, quod altera manu fulmen, altera Auem teneret, capite vernis floribus ornato, Auem illam Aquilam peculiarem Iouis altem crediderim. Quò ad ful-

Eleuteria festa quæ.

[t] *In Theagene.*

[u] *In Thes. Reg. pop. op pid. fluuior.*

Iupiter Anxurus cur ita dictus.

[x] *Li. 7. Aen.*

[y] *De numismatibus.*

Aquila cur Ioui sacra dicatur.

ad fulmen, cuius toties etiam meminimus; ſculpitur id cum alis & tribus aculeis, quorum vnus ad inſtar ſagittæ videtur, quia fulmina non rectà procedunt, ſed tortuosè, ſecundum diuerſos aculeos: alij terebræ, alij flãmę ignis ſimiles ſunt, quos crediderim propriè fulgura dici. ex quibus multa non ſolùm vnà cum Ioue in numis, ſed in clypeis etiam militum conſpiciuntur, vt in columna Traiani & alijs numiſmatibus videre eſt. Atque hinc legio quędam temporibus Auguſti, vt Dion Caſſius ſcriptum reliquit, fulminatrix, & fulminifera dicta eſt, quãuis Xiphilinus ita vocatam velit ob miraculum illud, quod Chriſtiani ſub M. Aurelio edidêre. Qui deficiente ſitibundo exercitui eius aqua, rogati ab Imperatore ingentem imbrem, ex quo commodè bibere potuit exercitus, tempeſtiuè à Deo precibus impetrarunt ſimul cum fulminibus, à quibus hoſtium Marcomanorum exercitus ictus, Chriſtianis victoriam reliquit. Atq; hinc ab eo tempore ea legio, ſub qua milites Chriſtiani militabãt, fulminifera dicta, & fulmine pro inſigni vſa eſt. Erat autem legio duodecima cognominata, antiquiſsima ſanè, quæ nempe ſub ipſo Cæſare cùm in Gallijs, tùm etiam contra Pompeium ſtrenuè militans, ab ipſo plurimùm comẽdatur. Miraculi verò illius à Chriſtianis, vt diximus, impetrati etiam Tertullianus meminit, eademq; repetit Euſebius Pamphilus, & apud Græcos Apollinaris, qui etiam ipſam legionem, pro inſignis facti miraculo, mutato nomine, vocitatã dicit ab Imperatore fulmineam. Tertullianus verò M. Imperatoris epiſtolas etiamnunc habere dicit, quibus de hiſce apertius indicatur. Porrò hanc inclinante repub. in Aſiam tranſlatam reperio. Scotus enim illius ſub Duce Armeniæ ad Melitenam meminit, niſi alteram extitiſſe vnà cum VVolphgango Lazio Viennenſi etiã credamus. Sed vt, vnde digreſſa eſt, oratio reuertatur. Seruius alijq; veteres ſcriptores, tres fulmini proprietates aſcribunt, adurentẽ nempè primam, ſecundam frangentem, perforantem ſeu terebrantem tertiam. Addunt etiam fulguri alas ob velocitatem & radios tortuoſos & nõ rectos, quòd ſcilicet modò ædes, modo arbores, modò maria fulmẽ feriat. Quod verò de Ceraunio lapideo dicitur, qui linguę & aculei ſagittæ ſimilis eſt, aliquãdo ſub terra inueniri; id experiẽtia verum eſſe comperi & adhuc in meo Muſęo talem lapidem cæli tempeſtate deiectum prope quercũ in agro Bononienſi, ex ipſius terræ viſceribus ad tres, & amplius cubitos erutum, aſſeruo: eſt autem totus denticulatus. Sed aduertendum eſt in Melitenſi Inſula lapides Ceraunijs admodum conſimiles effodi, & multis pro ijs venales obtrudi. Hi lapides à Cardano ophiogloſſi ſeu linguæ ſerpentis, ab alijs linguæ natricis, nuncupantur. Horũ etiam multas differentias videre eſt in noſtro Muſęo. Verumenimuero nunquid & alijs Dijs, præter Iouem in numiſmatibus fulmen attributum ſit quiſpiam à me quærat, cui reſpondeo Iunoni & Mineruæ etiã aliquando dari, vt cõſtat in primis ex numiſmate Domitiani & [z] Virgilio, vbi de vindicta Iunonis, quã ab Aiace Oileo ob illatã in tẽplo ſuo Caſsãdrę vim ſumpſit, loquitur:

*Ipſa Iouis rapidum iaculata in nubibus ignem*

Quod verò hiſce Deabus fulmen tribuatur, ratio talis aſsignari poteſt: quoniam ſcilicet Iuno aër eſt, vel, vt rectius dicam ſecũdum Poëtas, aëris Dea, & in aëre intra nubes fulmina gignuntur: Palladi verò ad oſtendendum furorem & ignem; Vnde [a] Virgilius

*——duo fulmina belli*
*Scipiades*

Sed hæc obiter dicta ſint, nam & antè alias rationes aſſignauimus, cur Aquila & fulmen Ioui ſoli dicarentur: reuertamur modo ad numos, qui Aquilam cum fulmine & Iouem ferunt.

Aereũ M. Antonij triumuiri numiſma excuſum eſt an. Orbis 3931. Ab Vrbe cõdita 721. Ieſu Chriſti, 31. in quo ab vna parte Antonij caput conſpicitur cum inſcriptione IMP. ab altera verò Aquila inſiſtens fulmini cum caduceo. Hoc anno Cn. Domitius Aenobarbus & C. Soſius (Dioni Soſſius) conſules facti ſunt.

Inſiſtit quoque fulmini Aquila, quę conſpicitur in aureo Domitiani numiſmate excuſo an. O. 4039. V. C. 829. I. C. 77. inſcriptio eiuſmodi eſt IVPITER CONSERVATOR. ab alia verò, eaque anteriori parte talis IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. P. M. Aliud Domitiani numiſma idem cum ſuperiore, ſed ex argento, cuſum eſt an. O. 4045. V. C. 835. I. C. 83. Argenteum eiuſdem numiſma repertum eſt, cuius anterior pars habebatur hoc pacto IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. GERMANIC. Poſterior hoc modo P. M. TR. P. III. IMP. V. COS. X. P. P. ibidem erat Aquila cum fulmine. Hoc numiſma factum eſt an. 4046. V. C. 836. I. C. 84. Hic neminem unquam uerè & ex animo dilexit, præterquam paucas mulieres. Homo audax, & iracundus; inſidiator, & uafer, temerarius, & fraudulentus.

In numiſmate Neruæ quod an. O. 4060. V. C. 850. I. C. 98. excuſum fuit, præter Aquilam fulmini inſiſtentem, laurea circunſcripitur cum huiuſcemodi græca inſcriptione in auerſa parte: NEOY IEPOY AETOYΣ. in aduerſa uerò: ATT. NEPOTAΣ KAIΣ. ΣEB.

Viſum eſt Hadriani numiſma, in cuius prima parte radiatum caput erat, & talis inſcriptio

TAT.

Fulminatrix legio.

Aqua cælitus impetrata.

Fulminis tres proprietates.

Ceraunij lapideum.

Ophiogloſſus lapis.

Fulmen Iunoni, & Mineruæ quãdoq; attributum.

[z] *Li. 1. Aen.*

[a] *Li. 6. Aen.*

M. Antonij triũuiri numiſma.

Domitiani numiſma.

Neruæ numiſma.

Hadriani numiſma.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. in secunda uerò ΔΙΟΣ ΝΑΟΣ ΙΕΡΟΥΣΑΛΗΜ. Præterea expressum est templum sex columnarum, in cuius medio Iupiter dextra fulmẽ, sinistra sceptrum cum Aquila, ad dextram Pallas & Mercurius, ad sinistram Mars & Venus & duæ aliæ figuræ sedentes in gradibus, ut uidere est in picturis Alberti Principis Bauariæ. Hoc numisma excusum est anno O. 4100. V. C. 890. I. C. 138. eodem anno ad 6. Id. Iulij. Hadrianus Imp. moritur.

Antinoi numisma habetur, quod sic inscriptum fuisse legi ΗΠΑΥΡΙC ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ, ab alia uerò parte ΖΕΥC ΑΥΤΟΚ. ΠΑΤΗΡ. ubi etiam est Aquila fulmini insistens. Antinoi numisma.

Non omittam illud Antonini Pij, in cuius aduersa parte Iupiter stat cum Aquila ad pedes dextra fulmen, sinistra temonem habens, cum hisce literis, partim Latinis, partim Græcis nẽpe: L. T. Q. ΤΑΡCΟΥ. Anterioris uerò partis inscriptio sic habebat ΑΥ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. Numisma hoc usum est an. O. 4123. V. C. 913. I. C. 161. quo tempore nonis Martijs Imperator obijt. Antonini Pij numis.

Aliud Antonini Pij numisma reperitur, in cuius posteriori parte Iupiter insidet Aquilæ, dextra pateram, sinistra scipionem tenens, hac adiecta inscriptione, græcis characteribus expressa. Δ. cΡΑΤ. ΘΥ P. in posteriori verò ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΟΝΙΝΟc ΕΥc CΕΒ. Fuit is Imperator singularis eloquẽtiæ, nitidæ literaturæ, præcipuè sobrius, diligens agricultor, mitis, largus, ab alieno abstinens, & omnia hæc cum mediocritate, & sine iactãtia. Cùm esset longus & senex, incuruareturq; tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, vt rectiùs incederet. Antonini Pij natura qualis.

Scribit Antonius Augustinus Antonini Pij huius reperiri numisma, in quo adest fulmen, & Auis, quæ sceptrum ore tenet. Hanc Auem dicũt quidam esse Aquilam, nonnulli uerò Columbam: hanc iuxta Pij naturam: illam ad suam potentiam, cùm alius Iupiter in terris esset, Inscriptio talis erat PROVIDENTIA DEOR.

M. Aurelius Antoninus cognomento Philosophus in suo numismate quod an. O. 4116. V. C. 906. I. C. 154. excusum est, figuram stantem habuit, quæ dextram super ara extẽdebat, sinistra quasi scipionem cum Aquila gerens, atq; ex auersa parte cum tali inscriptione TR. P. VIII. C. II. in aduersa verò AVRELIVS CAESAR AVG. PII. F. Is cùm in plurimos toto fere sui principatus tẽpore morbis incidisset Galeni Pergameni medici clarissimi opera usus est. Antonini Philosophi numisma.

Iupiter nudus dextra globũ cum victoriola, sinistra hastã tenens, & ad pedes Aquila conspiciuntur in numismate argenteo M. Aurelij Cõmodi Antonini, qđ an. O. 4145. V. C. 935. I. C. 183. excusum fuit. Huius pars prior inscribebatur ita M. COMMODVS ANTON. AVG. PIVS; posterior autem TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. Aliud eiusdem numisma cusum esse obseruaui idq; an. O. 4151. V. C. 941. I. C. 189. in cuius altera parte sic inscriptum erat M. COMMODVS ANTONVS P. FELIX AVG. BRIT. in altera verò IOVI IVVENI P. M. TR. P. XIIII. COS. V. PP. S. C. Hic Iupiter stabat sinistra hastam, dextra fulmen habens cum Aquila ad pedem dextrum. Commodi numismata.

L. Septimius Seuerus Pertinax duo numismata habuit, quorum in vno eoq; argenteo prioris partis inscriptio talis erat SEVERVS PIVS AVG. posterioris autem P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. Huius lateris sculptura Iouem exprimebat tenentem dextra fulmen, sinistra hastam, ac Aquilam ad pedem dextrum. Numisma hoc an. O. 4167. V. C. 957. I. C. 205. cusum esse reperi. Post autem annis sex elapsis, aliud Septimij Seueri ex argento quoq; numisma excusum tradunt, quod ab vna parte eaque auersa Iouem sedentem exprimebat tenentem dextra victoriolam, sinistra hastam cum Aquila & inscriptione P. M. TR. P. XVIIII. COS. III. PP. Anterior verò pars sic se habebat SEVERVS PIVS AVG. BRIT. Pertinacis numisma.

M. Aurelio Antonino Caracallæ numisma excusum fuit an. O. 4176. V. C. 966. I. C. 214. in cuius priori parte sic inscriptum erat ANTONINVS PIVS AVG. GERM. in posteriori verò Iupiter stabat nudus dextra fulmen, sinistra hastam cum Aquila tenens, adiecta inscriptione P. M. TR. P. XVII. COS. IIII. P. P. In alio quoque Antonini Caracallæ numismate Iupiter sedens cum Aquila conspicitur, tenetq; dextra victoriolam, sinistra hastam: vtraque numismatis pars inscriptionem superiori similem habet, nisi quod vbi dicitur TR. P. XVII. hîc habetur XVIII. Hoc numisma excusum est an. O. 4177. V. C. 967. I. C. 215. Caracallæ numisma.

Habuit Seuerus Alexãder, Iuliæ Mamææ filius numisma, in cuius dextra parte talis erat inscriptio IMP. ALEXANDER PIVS AVG. in sinistra siue auersa P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. ibi pulcherrimũ sacrificiũ cõspiciebatur cũ Imperatore, quatuorq; militibus, duobus hinc inde, & sacerdote, in medio tẽpli Iupiter insidens, Aquilæ sinistra fulmen vibrat. Numisma hoc cusum est an. O. 4188. V. C. 978. I. C. 226. Is tantæ assiduitatis erat, vt ne vllum quidẽ diem sine exercitio aliquo transire pateretur. Eodem, quo natus erat, die, cùm imperasset annis tredecim, trucidatus est à militibus in Gallijs. Argenteum eiusdem numisma reperitur an. O. Alexandri numism.

4194. V. C. 984. I. C. 232. excuſum, in cuius priori parte aderat huiuſcemodi inſcriptio IMP. ALEXANDER PIVS AVG. poſterior verò pars hanc exprimebat IOVI PROPVGNATORI: ibi Iupiter dextra fulmen habet, ſiniſtra Aquilam.

Valeriani numiſma. Numiſma ex ære P. Licinij Valeriani excuſum eſt an. O. 4222. V.C. 1012. I. C. 260. cum hiſce in anteriori parte characteribus Græcis ΑΥΤ. Κ. ΛΙΚΙΝ. ΒΑΛΕΡΙΑΝΟΣ: in auerſa uerò ΕΥΣΕΕΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Hic exprimitur Iouis nudi figura, quæ dextra tenet fulmen, ſiniſtra Aquilam, aut aliam Auiculam.

Diocletiani numiſ. C. Valerij Diocletiani numiſmata duo ex ære inuenta ſunt cum eadem inſcriptione in anteriori parte, nempe ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟc CEB. in auerſa verò vnius eorum, Iupiter ſtabat, ſiniſtra tenens haſtam, & Aquila ad dextrum pedem: alterius autem pars eadem Iouem in ſub ſellio ſedentem continebat, habentem dextra pateram, ſiniſtra haſtam cum Aquila ad pedes. Hæc numiſmata cuſa ſunt an. O. 4246. V. C. 1036. I. C. 284. Is poſt depoſitum imperium ſenio confectus, priuatus manſit Salonis agriculturam exercens annis decem.

Aliud eiuſdem ex ere numiſma percuſſum eſt an. O. 4245. V. C. 1035. I. C. 283. cum tali inſcriptione IMP. C. VAL. DIOCLETIANVS AVG. ab alia parte IOVI CONSERVAT. vnà cum Ioue nudo ſtante, dextra fulmen ſiniſtra haſtam geſtante.

Liciniani Licinij numiſma. Aquila quoque Iouis fulmen tenens, habetur in auerſa parte numiſmatis ærei C. Valer. Liciniani Licinij. Addita eſt huiuſcemodi inſcriptio IOVI CONSERVATORI AVG. in altera verò ſic inſcriptum erat IMP. LICINIVS AVG. Numiſma hoc cuſũ eſt anno O. 4271. V. C. 1061. I. C. 309. Eodem anno alia duo numiſmata eiuſdem Liciniani Licinij excuſa ſunt, quorum vni ex ære eiq; minuto in priori parte ſic inſcribebatur IMP. LICINIVS P. F. AVG. in poſteriori verò IOVI CONSERVATORI SIS. hac in parte conſpiciebatur Iupiter, dextra uictoriolam, & Aquilam, & ſiniſtra haſtam tenens. Alterũ numiſma ex argento ab vna parte talem inſcriptionem habebat IMP. C. VAL. LICIN. LICINIVS P. F. AVG. ab altera verò IOVI CONSERVATORI AVGG. NN. TSA: vbi erat Iupiter, dextra imagunculã tenens, & Aquila. Reperitur & aliud eiuſdẽ Licinij Liciniani numiſma ex auro, in cuius altera parte continetur ſtatua Iouis nuda, pallio de collo pendente, ſiniſtra haſtam, dextra globũ tenens, in quo victoria alata impoſita erat, ſiniſtra ramum palmæ, dextra coronã lauream fert. A dextro eius ſtatuæ latere, ad pedes Aquila alis expanſis, & à ſiniſtro captiuus uinctis manibus apparet, ſupra quem characteres hi notati XIII. Inſcriptio talis eſt addita IOVI CONSERVATORI & inferius ſubſcriptũ legitur SVNG. Pars autem anterior ſic inſcribebatur IMP. LICINIVS P. F. AVG. & in hac Imperatoris laureatum caput cernebatur, effigie barbata, à cuius ceruice faſcia ſerto annexa pendebat. Is annis quindecim elapſis à militibus cum Martiano interfectus eſt. Sunt qui ſcribant, cum filiam Chriſtianæ religionis cultricem ab equis iuberet diſcerpi, (Chriſtianis infenſiſſimus) ipſum à ſuorum uno, morſu interfectum eſſe.

Aquilam apud D. Fuluium Capibouium in numiſmate æreo paruo uidi, expanſis alis & fulmen pedibus gerentem, cum aſtro ante pectus multis radijs micante: in huius parte eſt talis inſcriptio ΟΥΡΩΝ. quæ ob temporis vetuſtatem corroſa difficillimè comprehendi poteſt: ex altera parte caput galeatum imberbe: in ſuperiori numiſmatis ora hæ literæ ſunt ΕΥ fortè ΕΥΑΙΩΝ, vel fortaſsè ΕΥΛΕΩΝ, & tum Neronis fuerit; aut ΕΥΒΟΙΕΩΝ, aut ΕΥΠΑΤΡΙΔΩΝ, tum Veſpaſiani fuerit; aut ΕΥΘΗΝΙΤΩΝ.

Municipię Auguſti numiſma. Coloniæ & municipia Auguſti poſt eius obitum numiſma excuderunt, an. O. 3976. V. C. 766. I. C. 14. cum hac inſcriptione DIVVS AVGVSTVS PATER ab vna parte: ab altera verò S. C. hic adeſt figura militaris galeata ſtans, dextram eleuans inter duas alias, quarum altera (Veſtam puto) inſidet ſubſellio, ſiniſtra cornucopiam tenens; altera (Iouem arbitror) ſtans, haſtam puram dextra tenet, cum victoria alata, in medio Aquila, & monſtra.

Pŏpeij Magni numus. In argẽteo Pompeij Magni numo conſpicitur columna cũ ſuprapoſito Neptuno reduce, ſiniſtro pede nauis roſtrũ calcãte, infra quem triremis fuſcina eſt, & Aquila legionaria, cũ inſcriptione MAG. PIVS IMP. ITER. Hic numus an. A. C. 66. V. C. 686. O. 3896. excuſus eſt.

Aquila ſceptrum Romanorum, quod ita dictum credo, quoniam ſuprà Aquila inſideret, conſpicitur in numiſmate argenteo Auguſti. Tenebatur manu hoc ſceptrũ ab homine quodam galeato, nudo, erectæ ſtaturæ, obſcenas partes veſte operiente, & manu ſiniſtra aliud tenente ſignum, quod fortaſsè cohortis fuerit, cum his verbis, nempe ab vna parte SIGNIS: ab altera RECEPTIS. Idem illud etiam conſpici poteſt in alijs numiſmatibus eiuſdem Auguſti non tantùm æreis, verùm etiam aureis, nec non & in Tiberij, Claudij, Galbæ, & Vitelij numiſmatibus varijs conſpicitur.

Tiberij Claudij Galbæ Vitellij numiſmata. Traiani numiſmata.

Iupiter ſtans, dextra pateram porrigens, ſiniſtra ſceptrum tenens, cui Aquila impoſita eſt,

conſpicitur

conſpicitur in auerſa numiſmatis Traiani parte cum tali inſcriptione ΔHMAPX. EΞ. (aliud EΞOYcIAc) ΥΠΑΤoc KOINON. KYΠPIΩN. Aduerſæ verò partis inſcriptum ſic habet AYT. KAIc. NEP. TPAIANΩ APIcTΩ cEB. ΓEP. ΔAKIK. Numiſma hoc poſt Traiani mortem factum fuit.

Traiani numiſma aliud reperitur cum figura in ſuggeſtu ſtante, ad cuius pedes duę alię paruæ figuræ & quatuor Aquilæ. Figura illa dextra tenet ramum oleæ, ſiniſtra ſcipionem aut baculum, eius capiti Victoria Lauream imponit. Priori parti ſic erat inſcriptum IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. poſteriori ſic S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI S.C. Numum hunc excuſum eſſe reperio an. O. 4068. V. C. 856. I. C. 106. Traiani numiſmata.

HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. ita inſcriptum eſt argenteo cuiddam eius numiſmati, in anteriori parte; in oppoſita verò ſic legitur DACIA S.C. Hîc figura mõtibus inſidet, dextra Aquilam legionariam, ſiniſtra ramũ tenens. Hoc numiſma percuſſum eſt an. O. 4086. V.C. 876. I.C. 124. Duo capita alis expanſis Aquilæ impoſita, cum his literis L. I H. viſa ſunt in auerſa alterius numiſmatis. Hadriani, quod excuſum fuit an. O. 4100. V.C. 890. I. C. 138. Huius aduerſa pars ſic inſcripta AYT. KAIc. TPAI. AΔPIANOc CEB. Hadriani numiſmata.

M. Aurelius Antoninus Caracalla numum habuit, cum inſcriptione ab vna parte tali M. AYP. ANTO. KAI. ab alia verò ANTIOXEΩN MHTPOΠ. Δ. E. S. C. Hac in parte figura inſidebat Aquilæ, dextra ramum, ſiniſtra ſcutum habens, cum alia figura humi procumbente. Cuſum eſt an. O. 4179. V.C. 969. I.C. 217. Antonini Caracallæ numiſma.

Aries inſultans oui, cum ædificio quodam ſupernè, & aſſiſtente figura quadam, altera parte Aquila legionaria conſpicitur in numo M. Aurelij Antonini Elagabali, in cuius prioris parte talis erat inſcriptio IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS P. F. AVG. in poſteriori verò COL. NEAPOL. Is cũ matre meretricio more omnia turpia exercuit. Circũcidit ſe, poſtea ex viro mulier factus, nupſit, appellabaturq; Domina & Regina. Tandem cùm ob impudiciſſimam & crudelem vitam omnibus eſſet inuiſus, à militibus interfectus eſt, & cùm eo mater, quæ eum mordicus tenebat, an. O. 4184. V. C. 974. I.C. 122. quo tempore hoc numiſma excuſum fuit. Vtriuſq; capita abſciſſa, denudataq; cadauera primũ per circum & totam vrbem trahuntur: deinde mulieris corpus aliò, iſtius cadauer in Tiberim pondere annexo præcipitatur, ne vnquam ſepeliri poſſet. Elagabali numiſma.

Habuit Seuerus Alexander inter alia numiſmata vnum, cuius pars vna ſic inſcribebatur AΔPcETΔAEΞ AMAcIAIHTNE ΠPΠO quę quidẽ inſcriptio nõ legitima videtur. Aderat inſuper in hoc numiſmate figura inter quatuor equos cum Aquila in ſubſtructione quadam ex lapide quadrato, cum notis E T cK H. Alia verò pars eaque prior habebat hanc inſcriptionem AYT. K. M. AYP. cEB. AAEΞANΔPOc. Numiſma hoc eo, quo occiſus fuit Imperator anno cuſum eſſe tradunt, nempè O. 4197. V. C. 987. I. C. 235. Alexander numiſma.

Maximini argẽteum numiſma reperitur, quod anno ſequenti percuſſum fuit, in cuius anteriori parte eiuſmodi inſcriptio legebatur IMP. MAXIMINVS PIVS AVG. in auerſa verò P.M. TR. P. II. COS. P.P. S. C. Erat hic currus triumphalis, cui inſidebat Imperator, dextra ramum, ſiniſtra Aquilam legionariam tenens, poſt quem ſtat victoriola alata, dextra ſertum Imperatori imponens, ſiniſtra habens ramum palmæ. Is in prima pueritia paſtor fuit, & opilio in mõtibus Thraciæ, vbi & natus erat, procerus adeo, vt ad pedum octo & propè ſemis longitudinem peruenire, calciamentum eius pede maius hominis veſtigio, atq; menſura: tantæ uoracitatis, vt vno die ſexaginta carnis libras ederet, amphorã Capitolinã vini biberet. De eo hoc extat memorandum, quod Germaniam ingreſſus cum omni exercitu, hoſtes vicit, per trecẽta vel quadringẽta millia barbarici ſoli, vicos incẽdit, greges abegit, prædas ſuſtulit, plurimos Barbarorũ interemit, militem diuitẽ reduxit, innumeros hoſtes cepit; & niſi Germani per amnes & paludes in ſyluas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet. Maximini numiſma.

Conſpicitur in æreo numiſmate M. Iulij Philippi figura coronã turritam in capite geſtans, ſaxo inſidens, dextra tenens Aquilam & ad pedes animal alatum inſtar Pegaſi: Hîc quoque talis erat inſcripſio ΦAcAMOcATEΩN. MHTI-OΠKOM. in alia verò parte AYTOC. K. M. IOYAI. ΦIAIΠΠOc CEB. Hoc numiſma excuſum fuit an. O. 4211. V. C. 1001. I. C. 249. Sunt qui hunc Philippũ Chriſtianũ fuiſſe tradant, quorũ teſtimonio hominis perfidia fidẽ abrogat. Philippi numiſma.

Tradit Adolphus Occo Traiani Decij quoddã numiſma ex ære Corinthio albo pulcherrimũ ac rariſſimũ, reperiri quod belli Gothici primi tempore, quo & ipſe Imp. obijt, cuſum eſt, anno nẽpe O. 4213. V.C. 1003. I.C. 251. Huius pars aduerſa ſit inſcripta AYT. K. Γ. MEKY AEKIOG TPAIANOC CEB. Auerſa verò ita cEΠKOAPIIcA ..... ΩNLII. Figura hic ſacrificans cernebatur, ſiniſtra cornu Amaltheæ geſtans, ſupraſtante Aquila. Hic Imperator à militibus Decij numiſma.

tibus Illyricianis factus, dehinc à Senatu Augustus dictus. Vir bonitate Traiano adæquatus, ob vitæ præstantiam omnibus charus, & in omnibus laudandus, si à Christianorum supplicio abstinuisset, in quos plurimùm desæuijt, adeoq; crudelis fuit, vt publico edicto proposito omnes Christi cultores necari iusserit. Eam tyrannidem vlcisci Deus voluit. Nam cùm aduersus Gothos, Moesiam, & Thraciam infestantes audacius, quàm consultius pugnaret, à Treboniano Gallo duce limitis Moesiæ proditus (quorundam sententia) cum toto exercitu cæsus, corpusq; paludis voragine absorptum, nec vsquam repertum est. Filius primo conflictu extinctus.

Licinij Gallieni numisma.

Inter numismata P. Lucinij Gallieni vnum reperitur ex ære quod anno O. 4218. V. C. 1008. I. C. 256. percussum est: in cuius vna parte tale erat inscriptum VIRTVS AVG. Duo ibidem milites hastati, alter globum sinistra tenens, alter Aquilam dextra.

Martiniani numisma. * *In vita Constantini.*

Martiniano Imperatori, cuius meminit * Sextus Aurelius Victor, numisma fuit, cuius pars prior talem inscriptionem exprimebat, nempè DNN. MARTINIANVS P. F. AVG. posterior verò IOVI CONSERVATORI XIII. S. M. H. A. præterea ibidem figura nuda stabat, dextra globum cum victoriola, sinistra hastam, cum Aquila gestante sertum rostro ad dextram, captiuus reuinctis ad tergum manibus ad læuam.

Aqla cum Auibus. Antonini numisma.

AQVILA, Pauo, & Noctua insculptæ sunt in numismate quodam ex ære Antonini, idq; in eius auersa parte cum hac inscriptione suprà COS. III. infrà verò S.C. His tribus Auibus, figurati sunt Iupiter, Iuno, & Minerua, nempe Iupiter Aquila, Pauone Iuno, Minerua Noctua. Numismatis huius pars prior Imperatoris laureatum caput habebat effigie barbata, à ceruice fascia serto alligata pendente. Inscriptum hocce circa numismatis oram, nempe ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. III.

Syracusarũ numismata. Aquila cũ quadrupedibus.

In numismatibus Syracusarum est insculpta Aquila Ardeam, uel, vt alijs placet, Vulturem pedibus prehensum tenens, in alia verò parte est cancer: & sub eo duo delphini.

Cęsaris Augusti numisma. Iuliani Apostatæ numisma.

AVREVM Cæsaris Augusti numisma cusum est an. O. 3927. V. C. 717. I. C. 35. cuius pars prior sic inscribebatur IMP. CAESAR DIVI F. PONT. IIIV R ITER. R. P. C. in altera verò parte conspiciebatur Templum Martis, cui inest currus temone erecto; ei equus insidebat, & in curru medio sceptrum insistente Aquila alis expansis.

Iuliani gesta.

Fl. Claudius Iulianus Apostata numisma habuit, in quo ab vna, eaq; priori parte eius galeatũ caput effigie barbata insculptũ est, humeris loricatis antè, & pòst, apparet quoq; clypei pars aliqua, sicuti & sagittæ, vel hastæ superna. Circunscriptio talis FL. CL. IVLIANVS. P. F. AVG. In numismatis huius parte altera Taurus, & supra eum duæ stellæ, ad pedes verò anteriores Aquila, cum inscriptione SECVRITAS REIPVB. infra verò scriptum T. CONST.

Iuliani huius aliud ex ære numisma factum est an. O. 4322. V. C. 1112. I. C. 360. cum hac in priori parte inscriptione D. N. FL. CL. IVLIANVS P. F. AVG. posterior verò pars, vbi Taurus quoque cum Aquila erat, sic inscribebatur SECVRIT. REIP. CON. Is commissa cum Persis pugna, acceptoq; vulnere læthali, & manu cruore repleta, vt Christo impiè malediceret, in aërem sanguinem proijciens, dixit VICISTI TANDEM GALILAEE, VICISTI (sic enim Christum vocare solebat) ac vacuatus paulatim sanguine, vita solutus est. Christianos impio quodam odio infectatus, quanquam ab eorum sanguine abstineret, militiam tamen, & studia eis interdixit, ne doctores artium liberalium haberent, vnde materia deesset, & paulatim ingenium fidei defendendæ.

Papię gentis numismata.

Visuntur inter alia numismata Papiæ gentis duo ex argento, quæ L. Papius Celsus excudit, C. Papij filius, eius, qui Trib. Pleb. anno ab V. C. 688. L. Cotta & L. Torquato Coss. legem tulit, ne quis peregrinus in urbe consisteret; quæ lex mox Papia ab eo dicta fuit. Horum numismatum alterum ex parte vna caput habet Caprina pelle integris cornibus, auribus, & naribus, vice galeæ instratum: in altera uerò Lupam, quæ titionem ardentem ore prehendit, & Aquilam, quæ alis auram leniter afflat, cum inscriptione suprà, CELSVS. III. VIR, infrà PAPIVS. Alter nunus eandem Lupam, Aquilam, & inscriptionem habet ex vna parte, ex altera verò laureatum caput, cui retrò trophęum apponitur, cum subscriptione in semicirculo TRIVMPVS. Cæterùm vt Papiam gentem Lauinio, aut Laniuio oriundam indicaret Papius, Aquilæ, & Lupæ monumenta, quæ in foro Lauiniorum extabant sopitæ Iunonis, quæ Lauinij colebatur, simulachrũ in denarijs expressit. Huius originem, quia celebris est, & scitu digna, ex * Halycarnassęo subiungendã duximus:

Papię gentis origo. * *Lib.* 1. In Lauinio condendo præsagium.

*Fertur, dum Lauiniũ conditur, oblata Troianis quædã prodigia: in nemore orto sua sponte incendio, Lupũ ore aggessisse fomitem aridum, Aquilam verò alarum ventilatione flammã excitasse: Vulpem contrà cauda in flumen intincta ignẽ conatã extinguere: & nunc accendẽtibus, nunc extinguentibus prævalentibus, tandẽ vicisse duos, illam verò abijsse conatu irrito. Quo viso Aeneã dixisse, illustrẽ quidem & mirandã eam coloniam, sed suis incrementis inuidiosam & molestã cæteris, fore tamen, vt tandẽ vincat aduersarios, humanæ inuidiæ prævalẽte fauore numinũ. Tã insigne futuræ vrbis fortunæ*

*tunæ præsagium tunc accidisse dicitur: ex tantoq; rei monumento in foro Lauinienſium effigies æreæ horum animalium adſeruatæ longiſſimo tempore. &c.*

Adraniorum numiſmata duo cuſa eſſe inueni, eaq; ex argento, in quibus ab vna parte Aquila Leporem pedibus, & roſtro prehendẽs conſpiciebatur cum hac inſcriptione circùm ΑΔΡΑΝΙΩΝ; Horum alterum in auerſa parte cancrum marinum cum tribus vtrinq; ſuprà orbiculis, & ſquilla, vt credo, infrà exprimebat: Alterum verò eundem cancrum marinum cum pectine inter maiores forfices ſuprà, infrà cum angue ſiue anguilla tortuoſa, ad denotandam in eo loco anguillarum abundantiam. Adraniorũ numiſmata.

Tria Agrigentinorum argentea numiſmata reperiuntur, in quibus ſculpta eſt ab vna parte Aquila Leporem pedibus premens, ac quandoq; illum dilacerans roſtro, cum inſcriptione in eorum vno, tali ΑΚΡΑΓΑΝΤΟΣ, in altero ΑΚΡΑΝΤΟΣ, in tertio verò ΑΚΡΑΓΑΝ: Horum autem numiſmatum pars oppoſita cancrum marinum, & piſcem exprimit. Vnius inſcriptio talis ΑΚΡΑΓ, alterius ΑΚΡΑ, tertij verò ΑΚΡΑΓΑ, in quo anguis eſt piſciculum ore tenens. Agrigentinorum numiſmata.

Inter Zephyriorum numiſmata vnum idq; argenteum reperiri tradunt cum eadem Aquila leporem roſtro & pedibus tenente, ſed ſine inſcriptione: ab altera verò parte Apollinis tripos eſt in medio laureæ cum inſcriptione tali prope tripodis dextram ΖΕΦΥΡ, ad lęuam verò ΙΕΩΝ, nempe ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ. Zephyriorum numiſma.

Locrenſium duo cuſa ſunt ex argento numiſmata, quorum in vno ab vna parte humanum & laureatum caput atq; barbatum conſpiciebatur cum inſcriptione ante faciem ΛΟΚΡΩΝ, à ſiniſtris ſpectantem. In altero triſulcum fulmen erat cum caduceo à dextris, & inſcriptione ſuperiori à ſiniſtris. Amborum autem numiſmatum oppoſita pars Aquilam exprimebat Leporem pedibus premẽtem cum dicta inſcriptione ΛΟΚΡΩΝ: prioris numiſmatis Aquila anterior em leporis pedem roſtro tenebat. Locrẽſium numiſmata.

Totidem Faliſcorum argẽtea numiſmata inuenta ſunt; in quorum uno pars una Aquilam Leporem pedibus prementem, & ſiniſtrum pedem anteriorem; in altero eadem pars collum dilaniantem exhibet. Prioris numiſmatis pars altera triſulcum fulmen habet inter has literas FA, quæ vnà cum dicto fulmine laurea circundantur, ſitum. Alterius numiſmatis pars eadem exprimit, additis tamen duobus alis fortè Aquilinis. Literæ FA, φαλισων, id eſt Faliſcorum ſignificant. Faliſcorũ numiſmata.

APVD eoſdem populos eſt Aquila erecta, contractis alis, anguem erectum tortuoſum, qui ore roſtrum Aquilæ reſpicit, comprehenſum tenens cum ijſdem literis FA: ab altera parte eſt laureatum caput capillis à ceruice promiſſis, ac effigie barbata. Aquila cũ ſerpẽtibus. Faliſcorũ numiſma.

P. Licinij Valeriani numiſma magnum ex ęre cum capite laureato, ac imberbi, & hac circumſcriptione IMP.C.P.LIC.VALERIANVS AVG. habet in auerſa parte Aquilam ſtantem, quæ, roſtro anguem tenere videtur, pòſt habet inſigne aliquod militare cum ſimpulo prope alam dextram, atque circunſcriptionem talem COL. ... ROM ET.....Numiſma hoc extra Romam ab aliqua Colonia in huius Imperatoris, & Romæ honorem cuſum eſt, cùm literæ dicant ROMAE ET AVGVSTO. Licinij Valeriani numiſma.

Aquilam cum ſerpente quoque habuit in numiſmate ſuo ex auro C. Valerius Diocletianus. Huius pars vna ſic inſcripta eſt A.K.Γ. ΟΥΑΛ. ΔΙΟΚΛΙΤΙΑΝΟC CEB. altera ſic ΕΤΟΥC. Percuſſum eſt hoc numiſma an. O. 4246. V.C. 1036. I.C. 284. Is, in quibuſdam Imperij regionibus tyrannis inſurgentibus, vir prudens aduertens Imperij conſorte opus eſſe, legit Maximianum, mox Galerium; Maximianum & Conſtantium Chlorum Cæſares fecit & adoptauit. In gubernanda rep. tanta fuit inter vtrunque Imp. concordia, vt alter alteri nunquam repugnauerit, & Maximianus, vt filius patri Diocletiano obtemperabat, qui ſe Iouium, Maximianus Herculeum appellauit. Diocletiani numiſma. Aquila cũ inſectis.

EXTANT etiam Pomponiæ gentis numiſmata, inter quę vnum ex altera parte Aquilam habet alis expanſis, quæ vno pede baſi inſiſtit, altero ſertum continet, capite retroflexo ad ſcorpionem, quem paulò ſupra alam ſiniſtram eò loci habet; Subſcriptio eſt Q. POMPONI. altera numiſmatis pars caput gerit, quod Fuluius Vrſinus Iouis eſſe exiſtimat, cum inſcriptione antè RVFVS, retrò verò S.C. Huic genti aliàs plebeiæ à Pompone Numæ Pompilij regis filio, vt Plutarchus habet, origo fuit. Pomponiæ gentis numiſmata. De famil. Rom. in fa mil. Pomp. In Numa Pompil.

DELPHIN, & Aquila conſpiciũtur in argenteo Põpeij magni numiſmate, quod excuſum fuit an. O. 3892. V.C. 682. A.C. 70. cum hac ſubſcriptione MAGN. PROCOS. Vix pubeſcens, & ob ætatem nondum in Senatu admiſſus, de Hiarba Mauritaniæ Rege triũphat; anno nempe O. 3882. V.C. 672. Ante Chriſtum 80. Eodem anno Magni cognomen à Sulla adeptus eſt.* Plutarchus: *Vt ergo Sulla venientem Pompeium aſpexit militeſq; incredibili aſtare robore, & ob pugnas ſtrenuè geſtas elatos, hilareſq; eſſe. Ex quo exiliens, & Imperator de more appellatus, Pompeium* Aqla cũ aquatilibus. Põpeij Magni numiſ. * *In Pompeio.*

*peium & ipſe Imperatorem contrà ſalutauit: quod præter omnium ſpem fuit, vt viro iuueni, nec dum in Senatum admiſſo, id nomen Sulla communicaret, pro quo cum Sciptionibus Mariſſq; certauerat.* Idem: *Profectus ergo Sulla Pompeio obuiam, quàm lætiſſimò dexteram iunxit, eumq; ingenti voce Magnum ſalutauit, iuſſitq; omnibus, qui tum aderant, vt ſimiliter Magnum eum appellarent.* Altera numiſmatis pars ſic habet VARRO PROQ. cui adiectum eſt Termini barbati ſimulacrum more Africano, vt quidam volunt.

M. Terẽtij Varronis numus. Terentia familia plebeia M. Terentium Varronem habuit, Magni Pompeij in Hiſpania Legatum, & præterea ſimul Proquæſtorem. Hic numum cudit argenteum ſuperiori omnino ferè ſimilem, in quo Iouis Terminalis caput ex vna parte impreſſum eſt cum inſcriptione retrò VARRO PROQ. ex altera verò Delphin primò, mox ſceptrum, dein Aquila vtroque pede, leuiter atque vix alas diducens, torquata, cum inſcriptione MAGN. PRO-COS. quæ duo poſtrema poteſtatis illius monumenta ſunt. Nam Delphin ad maris Imperium pertinet, quod Cn. Pompeio ex S.C. bello Pyratico demandatum eſt, cui gerendo vnus ex quindecim legatis M. hic Varro præfuit, quo confecto roſtrata corona à Pompeio donatus fuit. Sed quid ſi tria illa ſymbola æquè ad maris imperium pertinere dicamus? Eſt quidem alius Varronis numus ijſdem imaginibus, ſed lõgè rudioribus, & inſcriptionibus confuſis, nec vt legi poſſint, impreſſus.

L. Caldi numiſma. In numiſmate argẽteo quodam L. Caldi Conſulis caput expreſſum eſt, iuxta quod ſcipioni inſidet Aquila, & ſquilla etiam conſpicitur, cum inſcriptione CL. CALDVS. COS.

Auguſti numus. Aureum Auguſti numum cum Aquila querceam coronam vnguibus tenente, in cuius coronæ medio S.C. & vtrinque duo rami lauri, exculptum eſſe an. O. 3936. V. C. 726. A. C. 26. tradunt cum tali inſcriptione AVGVSTVS DIVI F. COS. VII. CIVIBVS SERVATEIS. Cæſar hoc anno in VII. Conſulatu AVGVSTVS, & rebus feliciter in Mœſia, Dacia, ac vniuerſa Thracia per M. Craſſum geſtis, quod ipſius auſpicijs ea victoria parta eſſet Imp. VII. appellatus eſt.

Aquila cũ planetis. Antonini Caracallæ numiſma. Aquila expanſis alis roſtro lauream tenens conſpicitur in æreo M. Aurelij Antonini Caracallę numo mediocris magnitudinis cum huiuſcemodi ex auerſa parte inſcriptione ΔHMAPX. EΞΥΠΑΤΟC TO Β. in aduerſa verò ΑΥΤ. K. M. A. ANTΩNEINOc. Hic numus conditus eſt an. O. 4170. V. C. 960. I. C. 208. Aquila in corona laurea cum S.C. conſpicitur in auerſa Antonini Caracallæ huius, numiſmatis parte; in aduerſa verò eſt talis inſcriptio ΑΥΤ. ΚΑΙ. ANTΩNEINOc CEB.

Alexandri numiſma. Reperitur Seueri Alexandri numiſma, in quo ex aduerſa parte inſcriptio talis habetur. M. AVREL. ALEXANDER CAES. ex auerſa verò laurea eſt, in qua S. P. Q. R. Eam tenet Aquila cum inſcriptione METROPOLIS. Hoc numiſma excuſum eſt, cùm ipſe Imp. adoptatus eſſet ab Elagabalo, anno nempe O. 4183. V. C. 973. I. C. 221.

Decij numiſma. NVMISMA Græcum M. Q. Traiani Decij magnum ex metallo albeſcente, in quo is pectore toto depictus, cũ talibus literis circũcirca ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕΚΥ. ΔΕΚΙΟC TRAIANOC. CEB. id eſt Imperator. Cæſar. Cn. Meſſius. Decius. Traianus. Auguſtus. Habet in aduerſa parte Aquilã, quæ alis expãſis roſtro coronã gerit triumphalem, palmamq; ſub pedibus. Infrà legitur S.C. circumcirca hæc verba græca ΔHMAPX. ΕΞΟΥCIAC. id eſt Tribunitiæ. poteſtatis. Numiſma hoc Græciæ aliqua vrbs in gloriam huius Principis excuſſit, anno ſcilicet O. 4213. V. C. 1003. I. C. 251. quo tempore bellum Gothicum primum cœpit, obijtq; Decius. Numiſmatis huius mentionem facit Adolphus Occo, ſed Aquilam tantùm ſiniſtrorſum ſpectantem ponit. Et quanuis nomen eius in hoc numiſmate deſideretur, nihilominus opinantur quidam in Antiochia fuiſſe impreſſum. Sed hoc notatu dignum eſt, cur in hoc numiſmate S.C. quod in numiſmatibus Romanis tantùm ſcribi ſolet, apponatur. Auem tamen, quæ in ſupina parte conſpicitur, clarum eſt Aquilam eſſe, quam Romani in ſuis inſignibus vſurpare ſolebant. Quę in hoc numiſmate expreſſa cum triumphali corona in roſtro, palmaq; ſub pedibus, nihil aliud quàm Victoriæ ſignum denotat.

Decij filij numiſma. Decij filij Iuuenis numiſma ex metallo albo magnũ, in quo is ſine laurea in capite cõſpicitur cũ pectore addita inſcriptione EPENN. ETPOY. MEKY. ΔEKIOC. K. id eſt, Herennius. Etruſcus. Meſſius. Decius. Cæſar. In aduerſa eius parte Aquila eſt expanſis alis, quæ roſtro coronam triumphalem, ſubq; pedibus palmam tenet cum his literis S. C. in circunferentia verò ſunt hæc verba græca ΔHMAPX. ΕΞΟΥCIAC. ideſt: Tribunitiæ. Poteſtatis. Hoc numiſma, vt arbitror, in Decij Iuuenis honorem ab eadem ciuitate græca, quæ pariter idem numiſma Decio patri cum eadem Aquila in aduerſo latere excuſſit, factum fuit.

Domitij Aureliani numus. L. Domitij Aureliani numus habetur cũ hac inſcriptione ΑΥΤ. Κ. Λ. Δ. ΑΥΡΗΑΙΑΝΟc CEB. In alia verò parte L. Δ. & Aquila roſtro lauream tenens. Is Imperator contra Perſas pugnaturus,

rus, cùm per Illyricum iter faceret, apud Zenophorium inter Heracleam, & Bizantium malitia notarij sui, quod princeps esset seuerus, truculentus, sanguinarius, Imperator magis necessarius, quàm bonus, interemptus est, anno Imperij sexto. Eo mortuo fuit interregnum mensium septem, dierum octo & viginti. Domitij Aureliani natura, & obitus.

In æreo quodã numismate, quo Roma denotatur, inscriptũ est ROMA cũ Aue stãte cõtractis alis, Aquilę simili, in rostro habẽte euomini fructũ, ac globulos duos à dextris supra dorsũ. Romæ numisma.

Apud Faliscos argentei numi duo reperti sunt cum Aquila in medio coronę quandoq; expansis alis, quandoq; contractis, & cum humano capite in altera numismatum parte, infula, vt opinor, circundato: Horum illud alitis contractas alas exprimens, in oppositio latere habet has literas F. A, nempe F ab capitis colli dextra parte, à siniſtra verò A. Illud autem expansas alas habens, ab altera parte, vbi caput est, in infula sic inscribitur ΦΑΛΕΙΩΝ. Eorundem Faliscorum numus alius habetur cum Aquila pariter expansis alis inter has literas F. A, ac in medio laureæ: in alia verò parte cum humano capite infula perornato, à cuius ceruice pendent duæ tricæ sine aliqua inscriptione. Faliscorũ numi.

In Cosanorum numismate Aquila Iouis ales pede dextro contextam è lauro corollam, siniſtro sceptrum premit, non ambiguo symbolo Iouis numen in ea colonia in veneratione fuisse, vel potius, vt Liuius scripsit, ideo cusum fuit, quòd arma in Iouis Vicilini templo, quod in agro Cosano erat, Q. Fabio Maximi F. & Ti. Sempronio iterum Coss. prodigiosè concrepuisse testetur. Apud Cosanos etiam numus est, isque argenteus cum Aquila erecta expansis alis, quæ pede vno lauream retinet, altero sceptrum absque vlla inscriptione. In opposita verò parte tres humanæ figuræ euntes conspiciuntur, quarum dextra, & siniſtra quippiam baculo simile in humero portant. Subscriptio talis: ΚΟΣΩΝ. Cosanorũ numisma.

Non omittam numisma græcum mediocre ex ære Macrini, cum tali inscriptione: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠ. CΕ. ΜΑΚΡΙΝΟC.CΕΒ. id est, Imperator. Cæsar. Marcus. Opelius. Seuerus. Macrinus. Augustus. Habet id in parte aduersa Aquilam, rostro coronam triumphalem ferentem, & inter ipsius pedes Regis conspicitur caput, idq; etiam coronatum, circa quod apparent literę græcæ, quæ ob antiquitatem legi nequeunt. Numisma hoc ab aliqua ciuitate Græcię, cuius ibi nomen conspicere non licet, in honorem huius Principis excusum fuit. Atque credendum videtur, caput illud, quod inter pedes Aquilæ conspicitur, esse Regis illius ciuitatis, quæ numi eius author fuit. Aquila supra caput Regis insigne est Romanorum, quod in signis militaribus legionum Aquilifer ferebat. Macrini numisma.

Itidem Brutij habebant numisma cum Aquila coronæ insidente & Ioue nudo stante, brachio suo hastæ humi infixæ innitente, pedeq; alio erecto epistilium columnæ premente, his literis ab vna parte, ΒΡΕΤΤΙΩΝ. ab altera caput humanum est cum sceptro, &, ni fallor, cicada post capitis ceruicem. Cicadam autem esse iudico, quod huius animalis ibi copia sit. Brutiorũ numisma.

Maximinus Thrax ex patre Micæa, & matre Ababa barbaris natus, numũ percussit, in quo ab vna eaque priori parte barbatum ipsius laureatumq; caput est cum fascia à ceruice pendente, & laureæ annexa. Circunscriptio talis IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG. altera pars triumphi typus est. Imperator enim in curru varijs insignibus exornato, & quatuor equis conducto consistens, dextra lauri ramum, siniſtra hastam, cui Aquila suprà imposita est, gerit. A cuius tergo alia statua Imperatoris coronati conspicitur cum inscriptione P ON. MAX. TR. P. II. COS. P.P. Maximini numus.

IN magna Græcia apud Faliscos argenteus numus est cum Aquila erecta contractis alis supra columnæ epistiliũ, inter hos characteres F.A sita. In altera numismatis parte laureatum ac barbatum caput hominis est tricis tribus à ceruice promissis, absque vlla inscriptione. Aquila cũ inanimatis. Faliscorũ numus.

Brutij item argenteũ habebant numisma cum Aquila erecta, aliisq; expansis cum tuba Delphino simili erecta, cum inscriptione ΒΡΕΤΤΙΩΝ. In altera verò parte Palladis galeatum caput cum Pegaso supra galeam. Brutiorum numisma.

Aquila expansis alis insistens globo, & cælum aspiciens videtur in quodam Augusti numo cum his literis S.C. cuso post eius obitum cum tali inscriptione in priori parte DIVVS AVGVSTVS PATER. Augusti numus.

Anno Orbis. 3950. V.C. 740. I.C. 12. æreus Tiberij numus excussus fuit, in cuius priori parte talem inscriptionem legi, nempe TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. pars verò posterior tria habebat militaria signa, seu Aquilam legionariam in medio duorũ signorum militariũ, cum tali inscriptione CCA IVAIAIo LVPO P.R.C.CAESAR. C.POMPON. PARRA. Hic Imperator primus quoque triumphalibus ornamentis honoratus, & Imperium ætatis anno sexagesimo sexto senex, & cæcutiens ingressus, cum Præsides onerandas tributo prouincias suaderent, illis rescripsit: *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Idem rursus Tiberij numus. Tiberij natura & gesta.

rurſus aduerſus quorundam famoſos libellos,& conuicia,vltionem poſcentibus amicis, *In libera ciuitate liberas eſſe linguas debere*,reſpondit.Sæpe etiam illud vſurpauit: *Oderint,dum probent*. Idem precari ſolitus eſt tantum ſibi vitæ,& imperij,quantum Reipublicæ conduceret: poſtea crudelior factus,violati numinis poſtulari iuſſit,qui contra ipſum,aut matrem quicquam egiſſent,locutiuè eſſent incommodiùs. Vicies ſepties millies ſeſterti ûm coëgiſſe dicitur, id eſt, ſexaginta ſex milliones, & quinquaginta millia aureorum coronatorum, quæ omnia Caius non toto triennio abſumpſit.

Theſaurus aureorum maximus à Tiber. coactus, & à Caio abſūptus.

Othonis numus habetur, in quo hæ literæ ſunt IMP. M. OTHO CAESAR. AVG. TR.P.à lęua Dea ſtãs,quę lęua ſcipionẽ tenet,dextra Aquilã.Literę ſunt SECVRITAS P.R.

Othonis numus.

In Veſpaſiani numiſmate an.O.4034.V.C.824.I.C.72. excuſo, habetur Aquila globo inſiſtens cum his literis in poſteriori parte. S.C.in priori verò IMP. CAESAR VESPASIAN. AVG. P.M.TR. P. P.P.COS.IIII.

Veſpaſiani numiſma.

Domitiani numus an. O.4058. V. C. 848. I. C. 96. percuſus eſt cum hac in parte aduerſa inſcriptione IMP.CAES. DOMIT. AVG. GERM. P.M. TR. P. XV. in auerſa verò IMP. XXII.COS.XVII.CENS.P.P.P.Ara,vt videtur,adeſt,in cuius extremitatibus Aquila vtrinq;.

Domitiani numus.

Traiani numus.

Aquila ſtans coram Herculis claua,inſculpta eſt in Traiani numo cum hac inſcriptione ab vna parte ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙϹΑΡ. ΝΕΡΟΥΑ ΤΡΑΙΑΝΟϲ. ab alia verò ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤ. Reperitur & alius Traiani numus cum laureato eius ab vna parte capite,in quo & Aquila & claua Herculis conſpicitur,& hęc inſcriptio adiecta ΑΥΤΟΚΡ ΚΑΙϲ ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϲ ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. in alia vero ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΥΠΑΤ. Ε. Ibi quoque figura turrita ſedet, dextra palmam tenens,dextro crure calcans figuram nudam,quæ dextra apprehendit crus figuræ illius turritæ. Numus hic percuſſus eſt an. O. 4069.V.C.859. I.C. 107.

Fl. Valer. Conſtantij numus.

Duæ conſpiciuntur Aquilæ iuxta aram in æreo Fl.Valer.Conſtantij numo,qui an.O.4267. V.C. 1057. I.C. 305.percuſſus eſt cum hac inſcriptione in priori parte DIVO CONSTANTIO PIO. in poſteriori verò MEMORIA FELIX PEN.

Andaluſię. Cordubæ numiſmata.

Inter Andaluſiæ,Cordubæq; clariſſimarum Hiſpaniæ vrbium numiſmata vnum reperitur, in quo ab vna parte inſcriptio eſt CAESARIS AVGVSTI IMPERATORIS; in alia verò parte tres conſpiciuntur lanceæ, quarum media habet Aquilam cum his literis COLONIA PATRICIA. Aquilam illam legionis eius,quæ in illa vrbe Romanorum Colonia degebat, ſignũ eſſe facilè crediderim : vocabatur antea ea Colonia Patricia, quia qui Cordubam lares ſuos tranſportarunt,patricij Rom.eſſent. M.enim Marcellus,vt inquit Strabo,illam condidit,& Coloniam fecit,patriciæq; nomine,ut quidam arbitrantur,inſigniuit, licet hoc ab alijs non admittatur,quoniam cùm patricius ille non eſſet, nomen etiam illud dare non potuerit.

Patricijmaiorum gentium.

Patriciorum autem erant duæ differentiæ, maiorum gentium nempè, & minorum. Maiores illi ſolùm dicebantur, qui à ſolis illis centum Senatoribus, quos Romulus Romæ recens conditæ habitare voluit,originem ſuam producerent.Minorum verò gentium dicebãtur,qui à L.

Patricij minorũ gentium.

Bruto expulſis Tarquinijs,alijs additi ſunt. Atq; iſti Romæ nobiles habebantur, ſed nõ ſolùm ipſi,quia & omnes nobiles illi dicebantur,qui ortum duxiſſent à magnis Senatoribus,vt Dictatoribus,Cenſoribus,Conſulibus,Prætoribus &c. orti fuiſſent,quamuis etiam eſſent ex familia plebeia,quemadmodum Marcelli & Metelli,quorum nobilitas valdè antiqua fuit, nihilominus ex plebeis nati. Habebantur & equites nobiles, ſicut etiam apud nos; & propriè dicebantur,qui ad bellum equo proficiſcebantur,& quadraginta millia ſeſtertiorum, quæ ad noſtrorum Ducatonorum ferè duodecim millium ſummam aſcendunt, poſſidebant, inter quos & patricij erant & plebei : iſti omnes magiſtratus dignitates aſpernabantur, bello tantummodo & ſuo lucro intenti. COLONIA autem PATRICIA nil aliud ſignificat, quam Coloniam ſenum & honorabilium,qui omni honorum cumulo digni ſunt, vt Patres. Sic & Iuſtinianus patricios vocabat viros quoſdam, quibus patriciorum titulum illum dabat & loco patrum habebat.

Equites q̃nam propriè eſſent.

Colonia Patricia quid.

Aquila ſim pliciter.

IN numiſmate Auguſti poſt obitum eius excuſo Aquila expreſſa eſt cum tali inſcriptione ab vna parte DIVVS AVGVSTVS PATER. ab alia IMP. T. VESP. AVG. REST. S. C.

Auguſti numiſma.

Argenteum Veſpaſiani numiſma reperiri tradunt. an.O.4037. V.C. 827. I.C. 75. excuſum in cuius priori parte inſcriptio talis eſt IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. in poſteriori verò COS. VI. & Aquila. Hic Imperator gnauiter in Syria copias adminiſtrauit,& legiones auxit pręſens,& fortis in conflictu fuit,adeo vt in oppugnatione cuiuſdam caſtelli lapidis ictum genu, ſcuta, ſagittasq; aliquot exceperit. Cùm Iudęi deſciuiſſent,& ob humilitatem generis eum ſpreuiſſent, Hieroſolymam oppugnauit, in cuius excidio vndecim centena millia ferro, & fame perierunt. Centum millia capta,& venundata. Quare pater & filius eodem curru triumpharunt,Domitiano ſequente in equo cãdido. In pretio autem habuit conquiſitos

Veſpaſiani numiſma.

quisitos ex Dauidis regia stirpe. Ingenia, & artes maximè fouit. Primus enim è fisco Latinis, & Græcis Oratoribus annua salaria cõstituit, præstantes poëtas, & artifices coluit. Anno Christi 79. Octauo Cal. Iul. profluuio vẽtris extinctus est ętatis an. 69. mense ac die Imperij decimo, diebus sex minus, Consulatu suo nono.

In quodam Seueri Alexandri numismate conspicitur Aquila cum hac inscriptione CONSECRATIO. idque in siniſtra, siue posteriori parte, in dextra verò, siue priori DIVO ALEXANDRO. Numus hic an. O. 4197. V.C. 987. I.C. 235. excusus est. Alexandri numisma.

Aquila dextrorsum spectans, cum hac in auersa parte inscriptione ΔHMAPX. EΞOYCIAc. cõspicitur in æreo Traiani Decij numo belli Gothici primi tẽpore cuso, videlicet an. O. 4213. V. C. 1003. I.C. 251. quo & ipse Decius obijt, in aduersa sic inscriptum est AYT. K. Γ. MEKT. TPAIANOc ΔECIOc CEB. Decij numisma.

Aquilam quoque in suo numismate eodem anno cuso. Q. Herennius Hetruscus Mes. Decius habuit, in quo talis ab vna eaque priori parte inscriptio græca est K. EPEMN. ETPOY. MEKY. ΔEKI KAICAP: ab alia verò ΔHMAPX. EΞOYCIAc S.C. Q. Herẽnij Hetrusci Mes. Decij numisma.

Eandem pariter Aquilam in æreo M. Aurelij Valer. Marciniani numo sculptam esse legimus. Huiuscemodi inscriptio in aduersa parte, nempe DIVVS MAXIMIANVS SEN. FORT. IMP. in auersa verò, vbi ea est Aquila MEMORIAE ETERNAE. G.P. Numus hic an. O. 4248. V.C. 1038. I.C. 286. conditus est. Maximiani numisma.

Fl. Valer. Constantij numisma habetur ex ære, cuius aduersa pars sic inscribitur DIVO CONSTANTIO PIO PRINCIPI: auersa verò, in qua etiã Aquila conspicitur, hoc pacto MEMORIAE ETERNAE. R.D. Cusũ fuit numisma hoc an. O. 4267 V.C. 1257. I.C. 305. Valerij Cõstantij numisma.

Mirabitur quispiã, & fortè non immeritò, cur tam longo sermone in hoc de Chrysaëto capite nostram orationem extendimus. Id certè non præter rationem à nobis factum est, cùm in tot numismatum parte auersa, diuerso tamen respectu ea reperiatur: eam autem Chrysaëton esse, & Iouis ministram aliàs à nobis monstratum est. De numismatibus verò ideo quoq; omnia, quæ potui, in quibus saltem Aquila erat, vel esse debebat, hîc adduxi, vt aliqua ex parte vtilitatem, quæ ex eorum notitia percipitur, demonstrarem: idq; eò libentius præstiti, vt multis morem gererem, qui obnixè me rogarunt, vt quę in aduersis eorum partibus ad plantarum, animaliumq; & aliarum rerum naturam attinerent, enuclearem, & præsertim, cùm in hac re plurimos (pace eorum dixerim) halucinatos videam. Differunt ea penes vel gentium vel linguarum diuersitatem: Alia enim sunt latina, eaq; vel Romanorum vel Coloniarum & Municipiorum Italiæ, vel Gallorum, vel Hispanorum: alia Græca, eorumq; quædam Italorum, quædam Hispanorum, multa Siculorum: plurima ex Achaia, Peloponeso, Thracia, & Macedonia, & alijs insulis, quædam ex Asia, quædam ex Africa, vt Cyrenis. Inter exoticarum linguarum numismata reperiuntur Carthaginensia & Sicula cum Punicis, Iudaica & Syriaca cum Hebræis & quædam etiam Italica cum ignotis Oscorum & Hetruscorum characteribus, necnon & Hispanica demum in prima Hispanorum lingua. Apud quosdam etiam quædam obseruantur numismata Gothorum Italiæ Regum, qualia etiam ego apud Serenissimum Franciscum magnum Hetruriæ Ducem vidi, & Antonius Augustinus numismata Arabica antiqua, quæ in parte aduersa literas Arabicas, in alia verò Græcas expressas habeant, possediſe se affirmat. Reperiuntur tamen etiam, quæ literis Arabicis solummodo insignita sunt. Doctrina itaque in ijs tanta est, vt nisi sub virorum in omni linguarum genere versatissimorum intellectum cadant. In quibus præter tantam characterum diuersitatem, item in auersa eorum parte omnes ferè ditissimæ naturæ partus videas, vt vix vel animal sit, vel planta, uel quæuis res alia, quam in ijs non reperias: exempli causa, ibi conspicias Hippopotamum, Hippocampum, Crocodilum, Sphingem, Ichneumonem, Rhinocerotem, Elephantem, Chimerã, Pegasum, Syrenes, Minotaurum, aliaq; id genus animalia quadrupeda rariora. Inter pisces, Delphinum, Squillam, Cãcrum, Buccinum, Pectines, Conchas striatas vel imbricatas, Gryphũ marinum, Locustam marinam, Testudinem marinũ, Pagurum, Polypum, & Stellam marinam. Inter aues Chrysaëton Aquilam, Struthiocamelum, Pauonem. Inter serpentes, Cherſidrum, Viperam, Draconem. Inter plantas, Piceam, Laricem, Silphium seu Laserpitium Cyrenaicum, Dictamum, Populum, Selinum. Itaque videre est summam in primis ex numorũ lectione animi voluptatem à quouis etiam percipi, sed maximè ab harum rerum studiosis. Sæpè enim in difficillimos diuersorum auctorum, eorum maximè, qui harum rerum parum periti, vnam pro alia sæpè capiũt, nodos incidimus: pro exemplo nobis sit ille Terentij locus: *Tibijs paribus imparibus dextris siniſtris Sarranis.* In cuius explicatione Oedipo illo coniectatore opus videretur, nisi ex numismatum oculari inspectione id haberes: in quibus hominis cuiusdam imago tibiam vtraque manu eodem tempore inflans conspicitur. Erat autem illæ tibię Vtilitas ex cognitione numismatum qualis percipiatur. Numismata cũ diuersis characteribus.

Tibia læua ac dextra.

illæ tibiæ inæquales: vna ſcilicet exilior, breuiorq́; , alia longior, & craſſior: illam dextram, hanc ſiniſtram vocabant, quòd vel ab hac, vel ab illa manu pulſaretur. Hoc idem habeas ex Plinio de arundinibus loquente: *Et eam*, inquit, *quæ radicẽ anteceſſerat, lęuæ tibiæ conuenire, quæ acumen, dextræ; quod ex Theophraſtro* * Plinius fortè mutauerit, *radici proximam linguam lauam eſſe, dextram verò, quæ ad germina eſt*, aſſerente. Attamen Plinius perquàm aptè ad dextram læuamq́; tibiam id refert, ipſiuſq́; † Theophraſti quodammodo locum illuſtrat. Eodem modo de malis Heſperidum non minor etiam quæſtio me diu ambiguum tenuit, donec ipſa autopſia (nam in monte Capitolino in Palatio Conſeruatorum Herculis, æream ſtatuam antiquiſſimam, manu vna clauam, altera ea poma cum annexis folijs retinentem videre mihi contigit, & in quibuſdam Græcis Commodi numiſmatibus conſpiciuntur) Cydonia mala eſſe cognouerim, quæ perperam Citria alij iudicabant. Videas in plurimis etiam ſphæris, magno cum ſtudioſorum detrimento, Aſtacum ſeu Gammarum communiter obtrudi, cùm cancrum potius, qui non ſpetie tantùm ab illo, ſed genere etiam differt, depingere deberent. Qui item error ex ſtatuarum antiquiſſimarum monumentis proditur. In lapidea enim ea ſphæra, quam marmoreus ille Atlas, qui Pauli tertij Pont. Max. temporibus, quibus & ipſe Romæ degebam, effoſſus fuit, humeris portat, Cancer non Aſtacus conſpicitur. Vnde cùm fortè in Eccleſia D. Petronij Bononiæ per foramen quoddam ſupra Eccleſiæ portam ad radios ſolares recipiendos factum, Tropicum Cancri oſtendere, Cancrumq́; ipſum in medio Eccleſiæ in marmore exculpere vellet P. Egnatius Dantes Peruſinus Epiſcopus, ordinis Prædicatorum, in cõmunem illũ errorem incidiſſet, niſi à nobis rectiùs edoctus fuiſſet. Sed videamus, nunquid alia nobis pariant numi emolumenta, quæ certè maxima ſunt. Placent enim iſthæc numiſmata viris principibus, quibus vel pro ſingulari quodã dono offeruntur, vel maximo etiam precio comparãtur, quæ res in cauſa ſæpè eſt, cur arguta quorundam ingenia, à quibus exactior nobis eorũ cognitio tradi poſſet, ijs ob ſumptus maximos careant. Pictores, ſculptores, argentarij, aurifices, alijq; eius generis opifices & præcipuè monetarij plurima ex antiquis illis diuerſimodò elaboratis numiſmatibus in ſuũ vſum transferre poſſunt. Monetariã enim artem magni illius Alexandri olim tẽpore ac in Græcia præſertim, & Aſia, ad Gallienũ Imperatorẽ vſq; , ſub quo vnà cũ Imperio Rom. oĩa degenerare cœperunt, & in peius ruere, in ſumma perfectione fuiſſe, maximèq; floruiſſe conſtat; quamuis enim numiſmata etiam, eaq; omnium ferè Imperatorum Iuſtiniani tempore reperiantur, longè tamẽ deteriora ſunt, & minus, quam illa, pulchra. Quę verò poſt Iuſtinianum cauſa ſunt, vix intuitu digna. Culpam eã Hunnis, Vandalis, Alanis. Gothis, Oſtrogothis, Longobardis, qui tum toti ferè Europæ imperabant, nonnulli aſcribunt. Eo namq; tempore liberales artes omnes peſſundatæ ſunt, ac veluti profundiſſimo cęno immerſæ; & viri, ſi qui erant, docti, in nullo tamen pretio habebãtur, ac exiſtimatione. Sunt & in antiquis illis numis picturæ adeò perfectæ, & ſitum figurarum ad amuſſim, & ad viuum ita æmulantur, vt pictor quilibet & diligens ſculptor nullo pacto corrigi poſſe eas iudicet. Et ſtatuę Romę, vt in noſtra hiſtoria de ſtatuis Rom. declarauimus, multæ ſunt, tanta excellentia atq; artificio elaboratæ, vt quoſuis in ſui admirationem rapiãt; quas inſignes illic quotidiè pictores ſculptoreſq; imitãtur, adeoq; aliquãdo ad viuum exprimunt, vt veras ab imitatis admodum difficulter diſtinguas: ſed coruo illi rariores albo ſunt. Poëtæ quoq; non paruam hinc hauriunt vtilitatẽ: cùm enim in numis Deorum Dearumq́; gentilium omniũ imagines expreſſæ ſint, vt puta Famæ, Famis, Somni, Diſcordiæ, Pacis, Belli, Victoriæ, Harpocratis, Silentij, Ageronæ, Onocephali, Dianæ Epheſiæ, Veneris Paphiæ, Muſarum, hinc ſuas deſcriptiones depromẽtes, ſuo dein Marte ſcripta ſua illuſtrarunt. His adde tot inuentiones & rerum antiquarum ſubtilitates, quæ in his ob oculos ponuntur, præcipuè verò prouincię & ciuitates, flumina, ędificia, templa, theatra, amphitheatra, circi, palatia, columnæ, forũ, & via Traiani, roſtra, puteal Libonis, portus Oſtiæ, & multa alia rerum antiquarum curioſi ex numiſmatibus habere poſsũt, verbi cauſa, quid ſit ſiſtrum, quæ crotala, quæ ſacrificiorum inſtrumenta, quæ armorum differentiæ, vt parazonium, ancylia, geſa, & quę veſtimenta ſacerdotum, ac aliorum, vt toga. Neque illud quoque tacendũ videtur, multorum nominum propriorum Romanorum Græcorumq́; veram atque optimam Ortographiæ rationem ex numiſmatibus percipi. Quamuis enim ab ignaris artificibus ea efficta ſint, nihilominus à doctis dictata atque recognita ſunt; quod inde potiſſimùm quis iudicet, quia aureo illo, quo eloquentiſſimi oratores, comici tragiciq́; puriſſimi, hiſtorici, & Poëtæ ornatiſſimi, alijq; in omni ſcientiarum genere viri præſtantiſſimi floruerunt, ſeculo, paulò ante, & poſt Ciceronem, qui paſſim fons eloquentiæ habetur, plurima cuderentur. Haud enim credendum eſt, quempiam benè latinèq; loqui, qui malè, barbarèq; & nõ ſeruata Ortographię ratione ſcribat. Cùm verò manuſcripta eorum monumenta temporis iniurijs perdita ſint, nec amplius reperiantur, duriſſimorum lapidum, ac æreorum, argenteorum, aureorumq́; numiſmatum antiquiſſimis inſcriptionibus,

Aſtacus pro cancro vulgò pictus.

Monetaria ars quãdo erat in pretio.

Artes quãdo neglectæ.

Poëtæ quã vtilitatem percipiant ex numiſmatum cognitione.

* *Lib. 16. cap. 36.*

† *Lib. 4. Hiſtor. c. 12.*

Mala Heſperidũ q.

ſcriptionibus,qui nullam temporis cariem ſentiunt,ſed illæmet ſunt,quas vetuſtiſſimi illius aurei ſeculi viri,maxima cura ac ſedulitate condiderunt, fides maxima adhibenda eſt, neque ab illis ne tantillum quidem nobis recedendum,imò verò illis potius, quàm modernis ſcriptoribus credendum. Itaq; antiquiſſimorum nominum,quæ in multarum familiarum Rom. Græcorumq; notitiam,nos ducunt,vt Fuluius Vrſinus diligentiſſimus antiquitatum obſeruator, & amicus noſter (qui rariſſima mihi in Palatio Farneſiano Illuſtriſſimi Alexandri Card. Farneſij tempore,atque adeo multa Romæ oſtendit,vt ad videnda ea ſolũmodo uix una ſufficiat ætas) tradit,rectè ſcribendi ratio,haud exiguum non ſcriptoribus ſolùm,ſed amanuenſibus quoque emolumentum,ex earum cognitione percipitur. Habes enim ex his nomina,prænomina, familias,tribus,legiones,magiſtratus,ſacerdotia,eorumq; miniſtros,officia prouinciarum,gubernacula,cunctaq; ad militum munus ſpectãtia,ut ex uarijs quilibet epitaphiorum ab Onuphio Panuinio,Iuſto Lipſio,& à me adductis exemplis, in quibus plurima antiquitatum myſteria abdita ſunt,intueri poteſt:ſed ab antiquo illo ſcribendi uſu plurima mutata ſunt. Siquidem illi magnis ſcribebant literis,& characteribus lõgè à noſtris diuerſis,& quaſdam etiam literas alio, quàm nos facimus,modo pronuntiabant,præſertim uocales,quarum quãtitas ex ſola pronunciatione,nunquid ſcilicet uel longę eſſent,uel breues;nunquid cum accẽtu,eoque uel graui,uel acuto,uel circumflexo ſcriberentur,intelligebatur. Quam ſanè pronunciationem huius ſeculi nemo queat aſſequi. Quare rectè dicebat † Horatius:

*Multa renaſcentur,quæ iam cecidere,cadentq;,*
*Quæ nunc ſunt in honore vocabula,ſi uolet vſus,*
*Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.*

*Lib. de ſtatuis.

Pronũciatio veterũ à noſtra diuerſa.

† *In arte Poẽtica.*

Hæc paucis dixiſſe volui,eoq; maximè, vt illius temporis Ortographiam,quiſpiam in eam incidens,rectiùs intelligat,de qua multa Grammaticorum extant teſtimonia, quę breuitatis cauſa prætereo. Duplicabant autem uocales longas,ut Feelis,& Muutius. Ex numiſmatibus præterea diſcas,quomodo Principi tuo,tam viuo,quàm mortuo, ob rem fortiter cùm domi, tùm foris geſtam, epitaphium,perpetuum eius apud poſteritatem monumentum, condas. Hinc,ſi quid egregij in ingreſſu ſummi Pontificis, Imperatoris, Regis, Cardinalis, Ducis, aliorumq; Principum, vel in coronatione, vel in alijs pompis eorundem excogitandum inueniendumq; eſt: Si quid iucundi in haſtiludijs, torneamentis, bacchanalibus,ſimilibusq; feſtiuitatibus ludicris exhibendum eſt: id inquam,hinc, vnde emblematum ſymbolorumq; inſtructiſſimum penu habere queas, petas, quibus item potentiſſimorum cùm publica, tùm priuata palatia egregiè perornantur. Non incongruũ erit etiam cognoſcere, quomodo vtramq; numiſmatũ partem authores appellẽt, vnam eamq; præcipuam Itali rouerſo dicũt,voce ſcilicet à latina (Reuerſus) mutuata,quoniam oſtenſa vna parte,quam aduerſam vel dextram Romani,Itali Drito dicunt,in qua caput eius,cuius gratia cuſum eſt numiſma,cõſpicitur,vertatur:vtraq; dictione vſus eſt Cicero ſic: *Aduerſus & auerſus impudicus.* Sunt tamen multa,quæ parte auerſa carent, ab utraq; caput cum eadem inſcriptione habentia,qualia quædã ſunt Antonini Pij. Sunt item quædam,quæ in utraq; parte quidem caput habent,ſed cum diuerſis inſcriptionibus, quale illud M. Bruti eſt,in cuius parte vna Brutus, altera Ahala conſpicitur, vt duorum eorum cauſa cuſum fuiſſe conſtaret,qui ſimilia geſta edidiſſent. Caput unum Bruti erat,illius,qui Romam à Regum tyrannide liberauit: alterum C. Seruilij Ahalæ,qui Spurium Maelium de tyrannide Romã inuehenda cogitantem interfecit. Talia item ſunt illa, quæ ab una parte Cæſarem, ab alia Auguſtum,& quę Tiberium Claudium ab una, & ab alia Agrippam conſobrinum ſuum repręſentant. Item alia ſunt,ut Greca,aliarumq; nationum,ut Siclus,qui ab una parte calicem ab alia amygdalum florentem, & Taraconenſe, quod ab una Taurum ab alia palmam habet cum his literis C. V TTB. cuius numiſmatis interpretationem uide apud * Antonium Auguſtinum. Quę uerò utraq; parte,aduerſa ſcilicet & auerſa carent,nempè in quibus neque in hac neque in illa emblema conſpicitur, antiquarijs numiſmata ſine capite appellantur, acephala quis non ineptè dicat. Cùm verò in plurimis numiſmatibus uox hæc (Imperator) occurrat, diligenter admodum aduertendum eſt,in quo ſenſu ea accipienda ſit:nõ enim ſemper ipſiſſimum Imperatorem,hoc eſt,qui ſolus regni gubernacula haberet, ſignificat; quandoquidem ſi pro prænomine uſurpetur, ſupremam eius authoritatem in rep. denotat, cũ verò poſt nomen ponitur, rerum præclarè bello geſtarum numerum, vt in inſcriptione cuiuſdam numiſmatis Auguſti patet, quæ talis eſt IMP. CAES. AVG. IMP. VIIII. TR. POT. V. ab alia parte S. P. Q. R. SIGNIS RECEPTIS. Præterea obſeruandum eſt nomen Imperatoris non eſſe magiſtratus titulũ, vt erat nomen Dictatoris, Conſulis, Cenſoris, Tribunorum: ſed quod ob inſignem aliquam victoriam milites vel alij Ducibus ſuis attribuebant. Quoties enim Duces vel hoſtes profligaſſent, vel cædiſſent, vel ſuos liberaſſent, vel quoduis aliud egregium in bello

Vocales veterum.

Numiſmatum partes quo dictæ.

M. Bruti & Ahalæ numus.

Siclus.

Numus Taraconenſis.

* *Dial. 2. de numiſmat.*

Numiſmata ſine capite quæ.

Imperator quid.

bello facinus edidiſſent, Imperatores dicebãtur. quo ſignificatu Imperatoris voce Ciceronem alioſq; claſſicos ſcriptores vſos fuiſſe comperio. Sic ipſemet Cicero, adeptâ contra Catilinam victoriâ, & cùm Proconſul in Cilicia eſſet, Imperator dictus eſt: ſic quidam etiam eo nomine honorati ſunt, qui tamen nunquam bello interfuêre, ſed quorum vice præfecti pugnaſſent, victoriamq; abſentibus vel Cõſulibus, vel Dictatoribus aſcripſiſſent. Atq; hæc de numiſmatum cognitionis, quæ velut cæterarum ſcientiarum inſigne ornamentum eſt, vtilitate dixiſſe ſufficiant. Hoc tamen illis adde, Principibus dignam eam videri ſolam, cùm reliquæ ſcientiæ lucri tãtùm cauſa inuentæ ſint, ſi vnã excipias Philoſophiam, quod innuit noſter Hetruſcus Poëta:

*Pouera, e nuda vai Filoſofia*
*Dice la turba al vil guadagno intenta.*

Numiſmata ex qua materia fierent. Electrum quid. Aes Corinthium.

Sed rem fortè non ingratam antiquitatis ſtudioſis faciemus, ſi breuiter, ex qua materia numiſmata fierent, enucleemus. Potior equidem eorum pars ex ære conſtabat, quędam ex argento, quædã ex auro eoq; puriſſimo, quædam ex materia ex his mixta, quæ Electrum Plinio dicitur, cùm ſcilicet quinta argenti pars auro permiſceretur, quod perperam mea ſententia nonnulli æs Corinthium vocarunt. Quæ ex ære Corinthio confecta erant, in magno honore & ſumma exiſtimatione habita fuiſſe nos minimè latet, quia id vel nunquam, authore Cicerone, vel ſaltem tardiſſimè corrũpatur. Mixtum autem erat ex quatuor metallis, auro nempè argẽto, ære, & ferro, ſeruata quadam proportione. Erat & viſui gratiſſimum, præſertim ex ſolius auri vel argenti intuitu defeſſis. Numiſmata inſpicienti diuerſa, multa etiam metallorum diſcrimina ſeſe offerunt. Nam quædam aurialiquid habent admixtum, alia nihil, alia alijs plures colores recipiunt; ſed quæ ex metallo Corinthio ſunt, paſſim apud omnes pro pulchrioribus habentur, ſicut antiquarij omnes mecum teſtari poſſunt, cùm in Chimiliarchio magni Etruriæ Ducis Franciſci, atque apud Sereniſſimum Ferrarię Ducem Alphonſum ſecundum, necnõ apud Fuluium Vrſinum Romę in Palatio Farneſiano plurima ex tali ære obſeruauerim. Appellatur autem Corinthiacum, quoniam, vt teſtatur Plinius, ob deſtructam ac incenſam à L. Mummio Corinthum, metalla illa, ex quibus in ea vrbe vaſa fiebant pulcherrima, permiſcerentur, eaq; mixtio artificibus admodum placeret, adeoq; vt ex ea ſtatuas, menſas, ac diuerſa vaſorum genera poſtmodum fingerent; Itaq; cùm rerum nouarum omnes maximè cupidi eſſent, & prima illa materia deficeret, maximè illa delectari cœperunt, & ad primæ imitationem vſi ſunt.

Aąla marmorea ĩ Palatio Card. Sabellij. Sabellorũ familiæ origo.

Et hæc modò eſt, quam propriè æs Corinthium vocãr: Sed de his aliàs latius. Reperitur etiam Aquila, præterquàm in tot antiquiſſimis numiſmatibus, in marmoribus etiam, imò ex ijs efficta, qualem Romę vidi ego in Palatio Cardinalis Sabellij in Theatro Marcelli, in platea, quam vulgò Montanara vocant, quæ alis magnis, & expanſis Chryſaëton ęmulabatur. Hęc verò familia, vt obiter inſeramus, Romanorum antiquiſſima eſt, atque adeo, vt volunt, ab Auentino Albanorum rege oriunda, quæ quidem & Cõſules, & magiſtratus Romæ olim habuit, & pòſt ſex Põtifices maximos, nempe Liberum primum, Eugenium primum, Benedictum ſecundũ, Gregorium ſecundum, Honorium tertium, & Honorium quartum; Cardinales vnum & triginta, Archiepiſcopos, & Epiſcopos plurimos: inter eos verò, qui ſanctitate, & miraculis floruerunt, C. Sabellum Epiſcopum Mediolanenſem, diſcipulum S. Barnabę, martyrio coronatum, & D. Peregrinum Epiſcopum ciuitatis Antiſidori, necnon & Gabinum martyrem ſub Diocletiano. Non abſimilem aliam vnà cum Hercule Maratonium taurum interficiẽte marmore inciſam vidi in Palatio Card. Farneſij, quæ res Auis nobilitatem nõ parum indicat. Sed admirandus profectò naturę ille luſus eſt, quę non viuam tantùm procreare contenta, etiam huius imagine in alijs rebus delectata uidetur, ut in radice filicis fęminę fruticoſę apparet, quã ſi tranſuerſim incîdas, quod ueteres non uiderunt, tum Aquilæ paſſis alis non obſcura figura emicat. Cęterum, ut obiter dicamus, Aquilæ lapis apud Mexicanos fanum eſt cuiuſdam ſui Idoli, cuius mentionem facit Ioſephus Acoſta.

Aąla marmorea cũ Maratonio tauro ab Hercule occiſo. Aquila in radice filicis inciſa. Aquila lapis apud Mexicanos

# VSVS IN MONETIS,

PERDVCTO iam ad calcem capite de numiſmatibus, in quibus Aquila uel aliqua ſaltem ex parte inſculpebatur: de monetis quędam reſtant dicenda, quas hac potiſſimùm illis ratione ſubiungo, quoniam ſimul ſępè ab autoribus confunduntur, ut eleganter [a] Antonius Auguſtinus demonſtrat, & ex hoc Horatij verſu

[a] *In tractat. de numiſm.*

*Rettulit acceptos Regale numiſma Philippos,*

luce clarius euadit. Ibi enim numiſma uocat monetam, in qua Philippi effigies erat expreſſa, & non

& non loquitur de numiſmatibus antiquis, cùm Philippus Alexandri, quem Chærillo poëtæ illa donaſſe innuit, pater fuerit. Hinc multos etiam viros doctos diſputare videmus, nunquid antiqua illa numiſmata Romanorum, Græcorum, aliarumq; gentium, monetę eorum fuerint. Quod cùm plurimos, eoſq; probatiſſimos quoſq; inficiari videam, certè neq; ego etiam id facilè crediderim, eòque maximè, cùm rationi videatur repugnare, quod numiſmata tãtâ artificum induſtriâ elaborata, vulgari plebeculæ, vt magnatibus communia fuerint. Non negauerim tamen quædã pro monetis vſurpata, ſed illa duntaxat affirmauerim, *quorũ*, vt dicit [b] Pomponius, *vel aureorum, vel argenteorum vſufructus legari poteſt*. Hęc autẽ parua fuiſſe conſtat. Atque eo modo [c] Ariſtoteles numiſma à lege, quę Græcè νόμος appellatur, dictũ voluit. Ita & [d] Vlpianus: *Si quiſpiam*, inquit, *legauerit aurum & argentum ſignatum, & excuſum, vt moneta eſſe ſolet, tunc comprehendantur monetæ Philippi, & illæ pariter quæ dicuntur numiſmata*. Et alibi rurſus: *ſi autem aurum & argentum ſignatum legatum eſt, id paterfamilias videtur teſtamento legaſſe, quod eius aliqua forma eſt expreſſa, veluti quæ Philippo ſunt: item quæ numiſmata & ſimilia*. Sed fortè quiſpiam opinetur, quod nunc moneta dicitur, id olim numiſma dictum fuiſſe, atque ita numiſmatis nomen monetæ antiquius eſſe. Cui reſponſum eſto, vtramq; dictionem antiquiſſimam eſſe, vt ex varijs ſcriptorum locis liquidò conſtat, ac in primis ex hoc Martialis:

*Et centum dominos nouæ monetæ.* & alibi:
*Nos niſi de flaua loculos implere moneta*
*Non decet, argentum vilia ligna ferant.*

[b] *Cap. 28. Hi. de uſufructu.*
[c] *Lib. 5. Ethic. cap. 5.*
[d] *C. 27. Hi. de auro & argento legato.*

Cùm verò & in monetis quibuſdam tam veterum, quàm noſtri æui etiam Principum, Aquilę noſtræ effigiem expreſſam viderem: decreueram omnia, quæ paſſim apud diuerſos authores de monetis loca obſeruaui, hiſtoriæ noſtrę inſerere: ſed quoniam multa ea eſſent, & in immenſam molem aucta, ſuperſedere ijs hîc volui; ac, ne fortè incõgrua huic loco lectori viſa, tędium parerent, pro peculiari tractatu ſeorſum edendo reſeruare, atque modo de ijs agere, in quibus Aquila noſtra depicta eſt; Vt in antiquiſſimo quodam numo, qui Ptolomaicus dicebatur: in quo ab vna parte, eaque aduerſa erat Iouis imago cum Ptolomæi nomine; ab altera Aquila fulmen pedibus premens. Numũ hunc apud Rhodios primùm cuſum tradunt; quod tamen nomini eius apertè refragari uidetur: Ptolomæos enim Aegyptijs imperitaſſe cũctis ſatis innotuit: quare quis cum iudicio fortè inferat, monetas etiam olim, vt noſtro ęuo, nõ in vna tantùm regione, vbi cuderentur, ualuiſſe, ſed quoq; in alienis. In Aſſibus etiam olim Iouis atque Aquilæ imaginem cælatam fuiſſe refert Antonius Auguſtinus: De aſſe conſule Budæum: Erat autem moneta parui ualoris, & aſſaria pro obolis poſita leginus: Hinc [e] Cicero: *Aſſem*, inquit, *ſe ſe negat daturum, niſi prius de rebus, rationibuſq; omnibus ſocietatis decidiſſet.* Et Horatius:

*Quem ſi diminuas, vilem rediget ad aſſem.*

Hinc etiam illud poëtæ:

*Non aſſis faciunt, euntq; rectà.*

Cui conſimile eſt illud Catullianum:

*Non pili faciunt cohortem.*

Num^o Ptolomaicus.

[e] *Dial. 5. de numiſmat.*
[f] *Pro Quintio.*

Qui loquẽdi modus nobis item communis eſt. Nam quem cõtemnimus, dicere ſolemus, non ti ſtimo un pelo, aut non ti ſtimo un quatrino. Eleganter item Seneca: *Emas non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt: quod non opus eſt, aſſe carum eſt*. Valebat autem as (inquit Budęus) quaternos denariolos noſtros. Vincentius Burginus, qui de illuſtrium familiarum Florentię armis ſeu inſignibus, nec non & de monetis ſcripſit, author eſt inter antiquos eiuſdẽ pulcherrimę, nobiliſſimęq; urbis nummos, reperiri, in quibus quandoq; nigra Occidentalis, quãdoq; Aquila aurea biceps Orientalis imperij ſymbolum cælata ſit. Eam multis familijs Florentinis, ut pòſt etiam dicetur ſingulari beneficio Ioannes Paleologus Orientis Imperator conceſſit, quãdo ſub anno 1439. ad Conciliũ Florentinum opes Occidentis auꝯturus cõtra Turcas ipſe acceſſerat. Quo etiam factum ut denuò quę interceſſerant inter Græcam & Latinã Eccleſiã diſſidia, tum ſublata ſint. De Neapoli teſtatur Scipio Mazzalla, aureã olim habuiſſe monetã, in cuius aduerſa parte depicta erat Parthenope tumulo inſidens, ac lyram tenens: in auerſa verò victoria alata, quæ manu vna coronam, altera Aquilam ferret. Inter Lucẽſium, quibus cudendi poteſtas ab Othone primo conceſſa fuit, tradente Ioanne Villano, monetas, vna inuenitur, quæ ab vno latere ſancti cuiuſdam, ab altero Aquilæ effigiem impreſſam habet; Fuit hęc moneta omnium, quas cuderunt, prima, ac Aquila priuilegium illud ab Othone conceſſum denotat; Vnde & in quibuſdam Genuenſium numis eadem ales conſpicitur vnà cum Friderici nomine, à quo & illi poteſtatem eam obtinuerunt. Eodem modo ciuitates Imperiales dictæ, necnon & Principes Imperatori ſubditi, Aquilam aut nomen eius in monetis ſuis excudunt.

Florentina moneta qualis.

Lucentis moneta.

Aquila monetis Imperialium ciuitatum.

# DE SCVTORVM DIFFERENTIIS & vsu à quibus insignia familiarum, quæ arma vulgò dicuntur, originem duxerunt.

ET de his in superiori libro à nobis actũ; quia tamẽ & ibi hæc, quæ sequuntur dignissima scitu, omissa sint; itaq; ea hîc subijcere placuit. Sed fortè præter institutũ nostrũ quis iudicet, quod de ijs, tam longè latèq; nos extẽdimus. Quid enim de Aquilis scribenti cum scutis? illi responsum esto, id ideò à nobis factum, quia cùm arma vulgò dicta, illustrium familiarum insignia, in quibus sanè plurimus nostræ Aquilæ vsus est, vt longo satis sermone, in priori libro demonstratum est, & paulò post etiam ostendetur, hinc suam originem agnoscant, necessarium omninò mihi videbatur, de scutis etiam quædam pertractare. Aduertendum autem in primis est, scutororum nomẽ paulò latiùs extendi, nẽpè quod pro armis ab authoribus etiam accipiatur. In quanto verò vsu, scuta siue clypei fuerint, cùm apud Troianos, tùm verò præcipuè apud Romanos, classici authores docent. [a] Cicero: *Agmine*, inquit, *quadrato cum gladijs sequuntur scutati milites. sicas portare videmus*. [b] Idem: *Etsi non solùm impulsu scutorum, neq; conflictu corporum*. &c. [c] Item: *Simulatq; ipse graui vulnere exanimari videret se, vt primùm despexit, quæsiuit saluus ne esset clypeus?* sic [d] Titus Liuius, *Erant in Celtiberorum exercitu quatuor millia scutata & decem equites*. Sed Herculis insignis ille & famosus clypeus, longè antiquiorẽ usum demonstrat, cui, cùm ad bellum proficisceretur eques, inter arma sua, quæ gerebat, primùm maximè confisus erat, de quo si benè memini, mentio fit in Pandectis Florentinis, vel saltem, quod certò noui, in epigrammate Græco, quod Latinè translatum, sic habet:

*Alcidem vt magno si quis clypeo armet, & ornet,*
*Sic tuus hoc quæstor struxit opus varium.*
*Ille peruerrato tot monstra feraq; subegit*
*Orbe, tuas leges orbis vbiq; colit.*

Magni equidem, vt obiter dicam, Herculis habitum, qui ex pellibus animalium constabat, & laneis vestimentis longè antiquior est, & ephippij vice vsurpatus, antiqui æstimarũt; vt ex numismate Alexandri Magni in primis constat, in quo ipse eundem Herculis habitum in capite suo ferre conspicitur, vt scilicet ab Hercule originem suam deducere testaretur; & Commodus etiã Imperator Herculis pelle vtebatur & in suis numis & statuis, tali habitu se exculpendum curabat, vt etiam in palatio Summi Pontificis, quod Beluedere vulgò nuncupant, videre est: addebat etiam in numismatibus clauam Herculis, cum hac inscriptione HERCVLES ROMANVS. Arbitrabatur enim se Hercule ipso in transfigendis sagitta feris haud esse inferiorem, vnde illum Historici tanta eas dexteritate, tantoq; artificio interfecisse tradunt, vt singulis ictibus singulas etiam occideret, & scopum quemuis semel propositũ sagitta sua semper attingeret. Cæterùm, vt ad scuta reuertamur, erant eorum etiam discrimina quædam. (de parma ac vmbone posteriùs dicemus) Meminerunt authores classici clypeorum subinde, ardentis, micantis, & ærei: [e] Virgilius itẽ Argolici, quo Argiui vtebantur: sic æratũ clypeũ & detritũ Silius Italicus celebrat, & fulgentẽ [f] Ouidius. Ad quem alludit [g] Claudianus isto carmine:

*Quis decor, incedis quoties clypeatus, & auro*
*Squammeus, & rutilus cristis & casside maior?*

Erant inter alia scuta in primis, quę vocabant cętras vel citras, quorum pleraq; Afrorum erant: horum etenim meminit Virgilius:

*Leuas cetra tegit, falcati cominus enses,*

Appianus tradit Masanissam Regem ἐλεφαντίσην gestasse, id est scutũ è corio elephanti, quod non ita facilè penetrari potest: hodie verò Mauri isti loreis scutis vtuntur, sed maiusculis, & formatis ferè in cor humanum, ut ex icone, quam [h] Iustus Lipsius exhibet, constat. Britannis etiã Tacitus hæc scuta tribuit, & pugnare eos facit, *ingentibus gladijs, cum breuibus cetris*. Ostendit paruas fuisse, cuiusmodi vsi sunt Hispani. Strabo de Lusitanis inquit: *Clypeolum eos habere dicunt diametro cauum, antrorsus loris suspensum*: diametrum Lipsius, cui hac in re facilè assentior, intelligit lineam ambientem, alioquin non esset paruus. Quod verò parui essent, docet etiam Diodorus Siculus, inquiẽs: *Ferunt peltas in bello omnino paruas, neruis intertextas*. Hęc scuta erant leuia, vt ex Suida ostẽditur; *at scutũ Hispanorũ gestatu facilè*. Addit Lipsius, Hispanos cetris etiam vsos fuisse, ad pulsãdũ rhytmicè, & cũ cãtu saltuq; hostẽ sic inuasisse, idq; ex [i] Silio ita cõfirmat.

*Misit*

Scutum quid. Armorum honos.

[a] *Philip. 2.* [b] *Pro Cecina.* [c] *Lib. 2. de finib. bonor.* [d] *Lib. 8. bel li Punici.*

Herculis clypeus & habitus.

Differẽtiæ scutorum.

[e] *Aen. 3.* [f] *L. 8. Metamorphos.* [g] *In quartũ honori consulatum.*

Cetra.

Scuta corea. [h] *Li. 3. analectorum.*

Scuta parua esse.

[i] *Lib. 3.*

*—— Misit dines Gallecia pubem*
*Barbara non patrijs vlulantem carmina linguis,*
*Nunc pedis alterno percussa verbere terra,*
*Ad numerum resonas gaudentem plaudere cetras.* Item[k] alibi: [k] *Lib.10.*
*—— ac ritu moris Iberi*
*Carmina pulsata fundentem barbara cetra*
*Inuadit.*

Ex his plurimùm eos hallucinatos fuisse constat, qui cetram volunt latronum fuisse scutum. Cetrati enim propriè Hispani atque Afri dicebantur, qui minimas atque exactè rotundas pel- tas gestabãt. Meminit horũ sæpissimè Liuius, ex quo aliquas hîc libuit adducere authoritates: *Pro eo,* inquit[l] alibi, *supplemẽtum ipse ex Africa maximè iaculatorũ leuiũ armis petijt, ut Afri in Hispa- nia, Hispani in Africa melior procul ab domo futurus vterq; miles, velut mutuis pignoribus obligati stipen dia facerent. Tredecim millia octingentos quinquaginta pedites cetratos misit in Africam.* Et[m] iterum: *Nec Numida Hispano eques par fuit, nec iaculator Maurus cetrato.* Itẽ: *Thessalonicæ Eumenes & Atha- nagoras præerant cum paruo præsidio duorum millium cetratorum.* Item[o] rursus. *Extra hanc veluti iu- stam aciem parte dextra Consul Achæorum cetratis immistos auxiliares, Eumenes tria millia peditum æquata fronte instruxit.* Meminit etiam[p] Cæsar: *Erant, vt suprà monstratum est, legiones Afranij tres, Petræi duæ: præterea scutatæ citerioris prouinciæ, & cetratæ vlterioris Hispaniæ, cohortes circiter octuagin- tà.* Et iterum: *Hos leuis armaturæ Lusitani, peritiq; earum regionum cetrati vlterioris Hispaniæ conse- ctabantur.* Porrò Latini cetram passim pro pelta accipiunt.[q] Liuius: *Pelta cetræ haud dissimilis est:* quod de Græcorũ pelta Lipsius intelligendũ putat, quam nõ longè diuersam credit à Roma- na & velitari parma; licet fortassè haud vsquequaq; sit rotunda, cùm Suidas dicat πελτάι ἀσπίδια τετραγωνα, id est, peltæ clypei quadranguli. Sed hæret in eo Lipsius, cùm Plutarchus rotundam facere videatur, vbi de ancylibus loquitur: *Non enim,* inquit hic, *circuli forma sunt, nec reddunt, vt pelta, circumferentiam, sed incisionem habent lineæ flexuosæ.* Pelta autem parua fuisse creditur, vt ex Statio etiam quispiam colligat, ita canente:

*Sauaq; difficiles excludere vulnera peltas.*

Qui peltas humeris suis in formã lunæ suspendebant, quod item hodie ac olim in Hispanien si exercitu vsu vigitur, peltati seu peltastæ dicebantur; meminit horum[r] Liuius: *Menippum item quendam ex regijs Ducibus cum mille peltatis Chalcidem mittit.* [r] Idem: *Noctu cetratos quos peltastas uo cant, loco oportuno inter bina castra in insidijs abdiderat.* Dicebantur ijdem etiam palmularij, cùm parma tecti pedites pugnarent: [s] Quintilianus: *Percunctans Theodorium, an Apollodorus esset, ego, in- quit, palmularius sum, nec sanè potuit vrbanius ex confessione insciti æ suæ elabi.* Et[u] Suetonius: *Detra- ctum è spectaculis in arenam canibus obiecit, cum hoc titulo, Impiè locutus palmularius.* Peltarum figura fortassis non omnibus fuerit eadem: plurimi tamen ad Lunæ similitudinem factas putant. Ad hunc sensum Seneca: *Lunata,* inquit, *latus protecta pelta.* Pariter & Isidorus: *Pelta scutum breuissimum in modum lunæ mediæ.* Habemus item ex antiquis la- pidibus & numismatibus, bilunes fuisse, id est, duplici semiluna insignes: quod cùm marmor quoddam in Pontificijs hortis docet, vbi Amazonidum pugna expressa est, cum huiusmodi scutis, tùm Martianus Capella, qui partem Italiæ extremam, quæ Brutios habet, *leuorsùm inflec- tere* scribit, *& duobus promontorijs peltæ Amazonicæ formam reddere, dextro autem cornu Leucope- tram tendere, siue Lascinium.* Amazonum verò peltas eiusmodi figuræ fuisse, ex hoc Virgi- lij liquidò constat:

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.*

Neque fortè ab hac figura deflectit[x] Plinius, vbi de ficu Indica loquitur: *Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet.* Constat enim eam folia hederaceis (si modo quam Clusius depingit Plinianæ respondeat) similia habuisse, quibus etiam peltæ à Xenophonte comparãtur. Alibi tamen[y] Plinius *eas thlaspios folijs similes facit*, sed vereor ne id ad fructum potius, quam ad folia transferendum sit, vt ab alijs factum video. Adde quod crocodilij, & alysti fructus thlaspios fructui quodammodo similes sunt, quos[z] Dioscorides duplicis scuti figuram habere scriptum reliquit, & Auicenna alysson eadem de causa scutalem herbam vocat. Huius generis mili- tum armaturam Aelianus breuiter depingit; *Peltatis,* ait, *similis Macedonicæ illi armatura in vsu est, sed leuior.* Nam & pelta paruum, vt diximus, scutum, leueq; est, & conti eorum fariis sunt longiores. Deniq; genus illud armaturæ locum inter velites, & armatos tenere aper- tum est, videlicet grauius quàm velites, leuius quàm armati faciunt. Quam ob rem plures sunt, qui eos cum velitibus iungant, & vtrosque vocari velint leuem armaturam. De parma, quid sit inter species armorum[a] VVolphgangus Lazius, quam doctè & exactè declarat, quem qui plura de ea desiderat, adire poterit. Erat autem parma, vt breuiter dicamus, quadran gularis,

Cetram nõ fuisse latro- num scutũ. [l] *L.1.dec.3.*
[m] *L.3.dec.3*
[n] *L.4.dec.5*
[o] *L.7.dec.4*
[p] *Lib. 1. de bello ciuil.*
Cetra pro pelta acce- pta.
[q] *Lib.18.*
Pelta Græ- corũ quid.
Pelta an ro tunda vel quadrãgu- laris.
Peltã fuisse paruam.
Peltati & Peltastæ q dicti.
[r] *L.8. dec.3*
[s] *L.1. dec.4*
Palmularij qui.
[t] *Lib.2.*
[u] *In Domit.*
Peltarum figura.
[x] *L.12.c.5.*
[y] *L.27.c.13*
[z] *Lib.3.c.* 10. & *c.79.*
Parma de- scriptio.
[a] *Lib.8.cap.* 16. *comẽt. de rep.Ro.*

gularis,non ſolùm ſcuto,verumetiam clypeo leuior,ſic dicta,quòd in omnes partes parem haberet extenſionem: ſuſpẽdebatur enim ex humero, & alio nomine pelta vocabatur. [b] Liuius: *Quingenti fermè Numidæ præter conſueta arma telaq́, gladios occultos ſub loricis habentes,ſpecie tranſfugarum,cùm ab ſuis parmas poſt terga habentes adequitaſſent,repentè ex equis deſiliunt.* Item [c] alibi: *Dat ſignum Volſcis Imperator,vt parmatis nouæ cohorti hoſtium locus detur.* Item [d] rurſus: *Quem cuſpide parmaq́, innixum* &c. Polybius verò aliam parmæ figuram tribuit,dum inquit: *Inbentur natu minimi gladium geſtare,pila,parmamq́. Parma tum firmitatẽ habet ob ſtructuram,tùm magnitudinem, quæ tutando corpori ſit ſatis. Nam rotunda cùm ſit, tripedalem habet diametrum.* Extat hoc genus ſcuti adhuc apud Indos. Hodie Hungari tantùm, Turcæq; clypeati cernuntur, diuerſa tamen clypei figura. Meminerunt & parmæ Poëtæ: [e] Virgilius

[b] *L.2.dec.3*
[c] *Lib.4.*
[d] *Lib.8.*
[e] *L.9. Aen.*

*Enſe leuis nudo parmaq́, in glorius alba.*

[f] Horatius:

[f] *Lib.2.carminum.*

*Tecum Philippos, & celerem fugam*
*Senſi,relicta non benè parmula;*

Et [g] Martialis:

[g] *Lib. 14. epigram.*

*Parma tibi ſcutum pumilionis erat.*

Parmæ vsũ quis primò inſtituerit.

Porrò parmæ vſum primùm Iphicratem inſtituiſſe, & C. Mariũ ſuſtuliſſe, hiſtorica fides nobis tradit. Vmbonem verò alij mediam clypei partem appellant, alij extremam, alij demum vniuerſum clypeum, ſi modo minoris quantitatis foret. In primò quidem ſignificatu vſurpatur à [h] Liuio: *Aſſurgentem ibi Regem vmbone reſupinat.* In ſecundo vtitur [i] Plinius: *Arabicæ excellunt candore circuli prælucido,atq; non gracili,neque in receſſu gemmæ,aut in deiectu renitente, ſed in ipſis vmbonibus intentæ, præterea ſubſtrato nigerrimi coloris.* Poſtremò in tertio ſignificatu vmbonem accepit [k] Virgilius.

Vmbo qd.

[h] *Lib.4.*
[i] *Lib.37.*
[k] *L.9.Aen.*

*——— nec ſufficit vmbo*
*Ictibus*

Ancyliorũ figura.

in ſortem vmbonem Lucanus commemorat. Quę nam verò eſſet figura Ancyliorum in primo libro ex Feſto oſtendimus. Cuius qui veritatem exactè deſiderat,numiſmata adeat,in quibus eorum icones veræ expreſſæ ſunt: ut in numiſmatibus Antonini Pij, in quibus duodecim Salij ſacerdotes Marti ſacri, tunicas auro purpuraq; intertextas, æneum pectorale ægidi Mineruæ non abſimile induti,in brachijs ea ferre conſpiciũtur, cum his literis inſculptis ANCYLIA. Mammuſius Vetuſius illa fecit ad imitationem illius, quod in pallatio Numæ è cælo cecidit,quodq; aruſpices diligentiſſimè cuſtodiendum pronunciarunt, quoniam vbi illud ſeruaretur,ibi foret totius orbis dominium. Itaque multa ſimilia cõfecta ſunt,& qui ea facerẽt,nullum ſibi aliud poſtulabant præmium,niſi quòd cùm Salij illi ſuas choreas ducerent, hymnoſq; canerent,Mammuſium aliquãdo nominarent. Dionyſius de ancylibus plura,quàm Liuius adfert,duodecim ſcribens fuiſſe Salios patricios, Palatinos dictos, vt ab Agonalibus & Colinis à Tullio Hoſtilio inſtitutis diguoſcerentur. Erant autem omnes ſaltatores & menſe Maio per vias publicas,vt in foro & Capitolino monte ſaliebant. Tunicas ferebant pictas cinctaſq; metallo,trabeamq; purpura interſtinctam,prętexta annexã humeris fibulã,& pileolum altum ad inſtar mitræ, quem vocabant tutulum. Accingebantur item enſe, & dextra lanceam aut ſceptrum,ſiniſtra ancylia gerebant,quæ tamen defatigati cùm eſſent,ſerui aliquando ſupra baculum efferebant, vt omnibus eſſent conſpitua. Virgilius de ſcuto Aeneæ loquens,de ancylibus & Salijs ſacerdotibus etiam meminit.

Salij ſacerdotes.

Tutulus quid.

*Hinc exultantes Salios, nudoſq; Lupercos*
*Lanigeroſq; apices & lapſa ancylia cælo.*

Item [l] alibi:

[l] *L.7. Aen.*

*Ipſe Quirinali lituo paruaq; ſedebat*
*Succinctus trabea, lęuaq; ancyle gerebat*
*Picus equũm domitor.*

Scuta grãdia quorũ fuerint.

Præterea fuêre etiam ſcuta grandia,qualia erant Germanorum, Bohemorum, Gallorumq; vt refert Tacitus his verbis: *Immenſa ſcuta, enormes haſtæ*, Quod genus adhuc in portis arcuum cernitur,ſed de longitudine id maximè accipiendum eſt,vt de Gallis Diodorus; *Scutis vtuntur ad hominis longitudinem pro cuiuſq; ingenio pictis.* Virgilius de eiſdem.

[m] *L.6. Faſt.*

*——Scutis protecti corpora longis.*

Et [m] Ouidius

Scuta lõga

[n] *Lib. 38.*
[o] *Lib.3.*

*Iacta ſuper galeas ſcutaq; longa ſonant.*

Scutũ Gallicanum. Cimbrorũ & Teutonum ſcuta.

Sunt & ſcuta longa,& lãceę ad proportionẽ,authore Strabone,ſed longa tamen magis,quàm lata, ex [n] Liuio clarè patet: *Scuta longa,cæterùm ad amplitudinem corporum parum lata, & de ea ipſa plana malè tegebant Gallos,* [o] Polybius hoc ipſum affirmat *Scutum Gallicanum parum aptum hominem totum tegere.* Tacitus ſcuta etiam plana fuiſſe indicat, cùm ſcribit *Germanis fuiſſe pro ſcutis tenues & fucatas colore tabulas.* Plutarchus tamẽ Cimbris & Teutonis dat θυρέας πλάτεις hoc eſt, *ſcuta lata.* Cuius verò figura Romanorum clypeus quondam extiterit, Polybius tradit in hæc uerba:

Romanorũ clypeus.

*Romana*

*Romana armatura primum sanè clypeus, cuius latitudo curuæ superficiei pedum duorum semis, longitudo pedum quatuor: maiori additi amplius quatuor digiti, è duplici tabulato, glutino taurino linteolo infuso compactus. Eius exterior superficies vituli corio integitur, himnuliuè, aut eiusmodi animalis. Habet circumferentia varium munimen, à summis imisq; partibus, quò ensiū ictus vehementiores tutò excipit, terraq; adnitendō non corroditur. Impactus est autem huiusmodi clypeo etiā ferreus vmbo, qui ingentes sustinet ictus, ac lapidum impetum, Sariſſarumq; teliq; quantumlibet violenti.* Milites verò illi scutarij nuncupabantur, qui in postrema acie scuta ferebant: cuius generis Triarij fuêre. Quorū [p] Suetonius sic meminit: *Affuit, & clientibus scuti scutario cuidam euocato quondam.* Et [q] Marcellinus: *Inter quos Valerianus fuit, domesticorum omnium primus, & natus ex spadone quidam scutarius exectus: Ita bellator, vt Scicinio veteri compararetur.* Verumenimuerò eorum armaturam elegāter describit [r] Vegetius: *Pedites autem scutati præter cataphractas & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere: Sic erant armati illi, qui in prima acie pugnantes Principes, in secunda hastati, in tertia Triarij vocabantur*; sed obiter hic admonendus est lector, scutarios in alio significatu, dici fabros scuta facientes: Et sic de fabris scutariorum [s] Vegetius, & codex præfecturarum loquuntur. Verùm vt hic obiter etiam inseramus, scutariorum militaris societas in scholis militaribus, quæ pro tyronum exercitio erāt, primo semper loco habita fuit: quamuis & aliæ essent, vt Sagittariorum, eæq; etiam scutariorum & clibanariorum, quorum hi erant equites cataphracti, illi pedites. Erant & gentilium scholæ, qui exercebantur ad cohortes aut legiones. Habebant item & speculatores suas scholas, quæ ad speculandas res hostiū alebantur, de quibus non est, quod nunc agamus. De schola verò scutariorum meminit [t] Ammianus: *Interq; eos quidem spe vana sufflati, moderatione quæritabant diu exploratum, & grauem, & rumoretenus obscuris paucorum susurris nomen præstringebatur Equitiū, schola primæ scutariorum etiam tum Tribuni.* [u] Idem secundæ scholæ meminit: *Quibus compertis, Valentiniano, qui cum his redierat, Scutariorū secunda committitur schola, qui multò pòst auctus dignitate, malè rem apud Illyricum gessit.* Deniq; scutariorum & clibanariorum mentionem facit codex præfecti Romanorum, qui tibi, si plura petas, adeundus est. Nunc in scutis suis varia ab antiquis erant depicta (cuius rei originem ad Cares [x] Herodotus refert) vt diuersas militum factiones, & præclara eorum facta distinguerēt: quare etiam vestes habebant coloratas, vt si forte inter se miscerentur, quisq; à suo præfecto agnosceretur, quemadmodum videre fuit in Circensibus ludis, in quibus variorum equitum factiones ab eiusmodi vestibus, à quibus alia russata, alia vermilia siue coccinea, alia prassina seu viridis appellabatur, distinguebātur. Quod verò scuta cælare & depingere vetus ritus sit, & Heroicis quoq; temporibus obseruatus, varijs diuersisq; modis docet [y] Iustus Lipsius, vbi Saguntini cuiusdam insignia ex Silio Italico adducit:

*Centum angues idem cælatum insigne gerebat*
*In clypeo.*

Solebant autem Græci, Romani, Barbariq; varias, diuersisq; coloribus figuras in scutis depingere, vt aquilas, legiones, delphinos, atque id genus alia animalia; siue ad insigne, vt cognobiles essent, siue ad decorem, siue ad familiarum [z] obilitatem indicandam. Non enim omnis color idem significat: albus nempè rectè innocentiam simplicitatemq;, ruber dominium, viridis spem de re aliqua conceptam denotat; Ita pariter animalia prosapiæ nobilitatem quàm egregiè ostendunt: hinc [z] Plutarchus *Vlysem* tradit *delphina in scuto habuisse*. Idem *de eo, qui Lysandrum interfecit, insigne clypei Draconem vsurpasse, eoq; oraculo monitum, vt draconem vitaret*, scribit: Item de Spartano quodam, qui clypei insigne muscam haberet, viua nihilo maiorem: cumq; irrideretur ab alijs, quasi ab ignauia & metu ita faceret, ne hosti conspicuus esset: *imò* inquit, *vt agnoscas, vsq; cò enim accedo, vt cernere cominus possint signi mei modum*. Licurgus etiam tridentem Palamedi in clypeo assignat. Et [a] Athenæus de Alcibiade: *Scutum ex ebore & auro confectum habuisse* memorat, & *in eo Cupidinem pro insigni, qui brachijs fulmen complecteretur.* Ad hunc sensum [b] Propertius loquens de vetustis Romanis, neganſq; ita cultos fuisse:

*Picta nec inducto fulgebat parma pyropo,*
*Pendebant cæsi baltea lenta boues.*

Non vult pro temporis sui luxu pyropo scuta ornata, siue lapide ipso, siue potius colore rutilo & flammante, cùm tales in fulmine sint, quod crebrū valdè, & quasi de more in scutis Romanis erat: sed tamen antè de Tacio Sabinorum Rege idem Poëta scripserat:

*Pictaq; per flauas arma leuare iubas.*

Et scutum intelligit, in quo iam olim imagines etiam Iuuenalis agnoscit:

*Pendentesq; Deos perituro ostenderet hosti.*

Romulum & Remum de Lupa *pendentes* & *ostenderet*, nēpè admoto scuto. Phidias clarissimus per omnes gentes pictor, *in scuto Minervæ Amazonum prælia cælauit, intumescente (Vt* [c] Plinij ver-

Milites scutarij qui.
Triarij qui.
[p] *In Aug.*
[q] *Lib.* 27.
Scutariorū armatura.
[r] *Li.* 1. c. 20.
Fabri scutarij.
[s] *Lib.* 2.
Scholæ militares quæ.
[t] *Lib.* 26.
[u] *Sub finem libri ꝑdicti.*
[x] *Lib.* 1.
In clypeis varia depingebātur, & quare.
Vestes coloratæ cur in bello gerebantur.
[y] *In analectis ad militiam.*
Cur varia in clypeis depingerentur.
[z] *Lib. de solertia anim.*
Vlyssis clypeus.
Lysandri interfectoris clypeus.
[a] Spartani cuiusdā mirū insigne in clypeo.
Palamedis clypeus.
[a] *Lib.* 12.
Alcibiadis clypeus.
[b] *Lib.* 4. *elegia* 11.
Tatij Sabini clypeus.
Mineruæ clypeus.
[c] *Li.* 36. c. 5.

bis vtar) *ambitu parmæ eiuſdem concaua parte Deorum & gigantum dimicationem ; in ſolijs verò Lapitharum & Centaurorum: In baſe autem quod cælatum erat, Pandoras geneſim appellauit: vbi Dij erant triginta numero naſcentes, Victoria præcipuè mirabili: periti mirantur, & ſerpentē, & ſub ipſa cuſpide æream ſphingem*. Huc etiã illud [d] Liuij pertinere videtur, ubi de Samnitibus loquitur: *Scuta alterius auro, alterius argento cælauerunt: forma erat ſcuti, ſummum latus, qua pectus & humeri teguntur, faſtigio æquali: ad imum cùm eatur mobilitatis cauſa*. [e] Item vbi à Martio caſtra Aſdrubalis, Hannibalis in Hiſpania Ducis, deleta ſcribit, *author eſt Claudius*, inquit, *qui annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertit, raptos ad mille octingentos triginta, prædam inſignem partam: in ea fuiſſe clypeum argenteum, pondo centum triginta ſeptem cum imagine Barchini Aſdrubalis*. Et paulò pòſt de eodem: *monumentumq́; eius de Pœnis vſque ad incenſum Capitolium fuiſſe in templo clypeum, Martium appellatum, cum imagine Aſdrubalis*. Huc etiam referre potes, iſtud [f] Virgilianum:

[d] *L.9.dec.1*

[e] *Lib.25.*

Aſdrubalis clypeus.

Martius clypeus.

[f] *Li.7.Aen.*

*Poſt hos inſignem palma per gramina currum,*
*Victoresq́; oſtentat equos, ſatus Hercule pulchro*
*Pulcher Auentinus,*

Et paulò pòſt:

*Atque leuem clypeum ſublatis cornibus Iò*
*Auro inſignibat, iam ſetis obſita, iam bos:*
*Argumentum ingens, & cuſtos Virginis Argus*
*Cælataq́; amnem fundens pater Inachus vrna.*

Subintelligendum autem eſt, omnia hæc fuiſſe in clypeo cælata ac ſculpta. Extat & apud Heſiodum vetuſtiſſimum Poëtam mentio de clypeo ſculpto ac depicto, quo Hercules vſus eſt, cuius verſus Latinè redditi ſic ſonant:

*Tum capit ingentem clypeum prorſuſq́; ſtupenda*
*Arte laboratum, iactu quem nulla recepto*
*Vulnera, nec duris religarant ictibus haſtæ;*
*Vndiq́; caruleis circumcurrentibus aurum*
*Orbibus infuſum, duroq́; volumina gypſo*
*Incuruata, eboris niueo candore relucent,*
*Multaq́; permiſtis variata coloribus æra,*
*Alternant viuos clypei cæleſtis honores,*
*In medio ſpiris tortus draco, fronte reflexa*
*Atque retrouerſis oculis in terra recumbit*
*Ingens, terribilis, multoq́; rubentibus igne*
*Luminibus ſtringens adapertis faucibus ora.*

Et quę ſequuntur. Alludit & ad eandem clypeorum picturam [g] Sidonius:

[g] *In Panegyrico Andemij.*

*Inferitur clypeo victrix manus, illius orbem*
*Martigenæ Lupa, tibris amor, Mars ilia complet,*

Et [h] iterum:

[h] *In Panegyrico Maioriani.*

*Huic fulſit rutilus ſpatioſa circite læuum*
*Vmbo latus, videas hic craſſo fuſa metallo*
*Antra Rheæ, fætamq́; lupam, quam fauce retecta,*
*Blandiri quoque terror erat, quanquam illa uorare*
*Martigenas, & picta timet pars proxima Tibri*
*Exprimit.*

Cetræ depictæ.

Cetras etiam cęlare ac depingere ſolent, quod etiam [i] Silius indicat:

[i] *Lib.3.*

*Verſicolor contrà cetra, & falcatus ab arte*
*Enſis Adyrmachidæ.*

Verſicolorem enim appellat, à variante hac pictura. Eodem pariter modo noſtris etiam tẽporibus ſępè quid in ſcutis ſuis milites depingunt. Hinc Arioſtus noſter Rugerium ſuum Aquilam in clypeo vſurpaſſe ſcribit:

Rugerij clypeus.

† *Cant. 27. Stan. 99. & 100.*

*Poi che vede Rugier, che per inſegna*
*Porta l'Augel che ſopra gli altri regna.*

Id enim de Aquila intelligẽdum eſt, quæ cæteris auibus imperat, & illemet † poſtea ita ſubiungit, vbi de pugna eiuſdem cum Mandricardo ob huius Aquilæ inſignia, loquitur:

*Nel campo azuro l'Aquila bianca hauea,*
*Che de Troiani fu l'inſegna bella,*
*Perche Ruggier l'origine traea*
*Dal fortiſsimo Ettor portaua quella:*
*Ma queſto Mandricardo non ſapea,*
*Ne vuol patire, e grande ingiuria appella,*

*Che ne lo ſcudo vn'altro debba porre*
*L'Aquila bianca del famoſo Ettore*

*Portaua Mandricardo ſimilmente*
*L'augel, che rapì in Ida Ganimede* &c. Et * paulò pòſt: * *Stan.* 104 & 105.

*Vn'altra volta pur per queſto venni*
*Teco à battaglia, e non è gran tempo anco,*
*Ma d'vccciderti allora mi contenni*
*Perche tu non haueui ſpada al fianco,*
*Queſti fatti ſaran, quelli fur cenni,*
*E mal ſarà per te quel augel bianco*
*Ch'antica inſegna è ſtata di mia gente,*
*Tu te l'vſurpi, io'l porto giuſtamente.*

*Anzi t'vſurpi tu l'inſegna mia*
*Riſpoſe Mandricardo, e traſſe il brando.*
*Quello che poco inanzi per follia*
*Hauea gittato à la foreſta Orlando.*

Porrò & maiorum facta in ſcutis ſuis exprimebant, vt de Scæuola quodam tradit [k] Silius. Facta maiorũ in clypeis depicta. [k] *Lib.* 8.

*Scæuola, cui diræ cælatur laudis honora*
*Effigie clypeus; flagrant altaribus ignes,*
*Tyrrhenum valli medio ſtat Mutius, ira*
*In ſemet verſa.*

Sed & proprias fortaſsè laudes, & facta cælabant, quod liber de bello Hiſpanienſi, etſi parum integer, ſubijcit, de ſingulari congreſſu in ſignum duorum militum: *Dum ad dimicãdum in planitiem ſeſe contuliſſent, ſcutorumq; laudis inſignibus præfulgens opus cælatum.* Erat & nomẽ vniuſcuiuſq; militis in aduerſo ſcuto adſcriptum, addito ex qua eſſet cohorte, quauè centuria. Quin etiam oculis intueri eſt Romæ in columna Traiani ſcuta quædam coronis varijs ornata, quas donaticas fuiſſe Lipſius arbitratur, & de eo iudicio latas: Hinc fortè etiam [l] Silius de Chrypo quodam Gallo inquit: Scęuolæ clypeus. Laudes propriæ in ſcutis pictæ. Nomẽ militũ in ſcutis. Scuta coronis ornata. [l] *Lib.* 4.

*——in titulos Capitolia capta trahebat,*
*Tarpeioq; iugo, demens, & vertice ſacro*
*Penſantes aurum Celtas vmbone ferebat.*

De eiſdem Gallis etiam Diodorus ſcripſit, ſcuta habuiſſe variegata inſigni aliquo proprio: benè dicit proprio, nam, & communia quædam gentibus, legionibus, cohortibus erant, quod in notitia Imperij diſces: Item ex [m] Vegetio: *Ne milites tumultu prælij à ſuis contubernalibus aberrarẽt, diuerſis cohortibus diuerſa in ſcutis ſigna pingebant, vt ipſi vocant dygmata.* Sicuti etiam nunc moris eſt fieri. Atque hactenus de clypeorum pictura ſiue ſculptura Romanorum, aliorumq; veterum celebrata; Vnde nimirum & noſtras cælaturas in his clypeis, vt dictum eſt, profectas eſſe credendum eſt. Iam enim galeas illa quoq; atque coronas ſuprapoſitas cum criſtis atq; auium alis repreſentabat: & quemadmodum adhuc hodie in more poſitũ eſſe videmus, clypei in exequijs præferebantur, atque in templo ſuſpendebantur. Quod confirmans [n] Tranquillus, cùm funus & ſuprema Cęſaris recenſet: *Intrauit lectus eburneus,* inquit, *auro ac purpura ſtratus, & ad caput trophæum cum veſte, in qua fuerat occiſus, præferentibus munera (quia ſuffecturus dies non videbatur) præceptum eſt, vt omiſſo ordine, quibus quiſq; vellet itineribus vrbis, portaret in campum.* Vbi nimirum per munera, dona militaria intelliguntur, quæ tum in rogum conijciebantur. Quem adhuc benè morem apud Viennẽſes durare nobis tradit VVolphgangus Lazius, vt ſcilicet poſtremo familiæ extincto, præſertim in ordine baronum, nobilium, equitum, & hodie coronatus in exequijs & parentationibus præferatur: qui poſtea ex ſuggeſtu cum ſolenni pompa deiectus comminuitur. Ad quas cæremonias & [o] Cornel. Tacitus alludit, cùm Germanici in vrbe factam parentationem deſcribit: *Nos vulgi ſermones,* inquit, *audita mors adeò incendit, vt ante edictum magiſtratuum, ante Senatus conſultum ſumpto iuſtitio deſererentur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia gemitus, nihil cõpoſitũ in oſtentationẽ.* Huc etiã alludit [p] Virgilius, vbi Pallantis exequias deſcribit: Gallorum ſcuta. Clypei cũ proprio inſigni. [m] *Li.* 2. *c.* 8. Clypei in exequijs pferebãtur. [n] *In Cæſare.* Clypeus coronatus in exequijs pfertur & ex ſuggeſtu deijcitur. [o] *Lib.* 2. *Hiſtor. Aug.* [p] *Lib.* 11. *Acn.* Pallantis exequiæ.

*Ducunt & rutilo perfuſos ſanguine currus,*
*Poſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon*
*It lacrymans, guttiſq; humectat grandibus ora,*
*Haſtam aly galeamq; ferunt, nam cætera Turnus*
*Victor habet.*

Quorum

Clypeus loco epitaphiorum vſurpatus.

Quorum quidem ex numero & clypeum extitiſſe credendum eſt. Præterea epitaphiorum loco clypeum & quondam in templis fuiſſe ſuſpenſum, quemadmodum etiam hodie fieri videmus, facilè mihi perſuadent Trebellij Pollionis, quę in hiſtoria Claudij Cæſaris protulit, verba: *Claudium* inquit, *principem loquor, cuius vita, probitas, & omnia, quæ in rep. geſſit, tantam poſteris famam dedêre, vt Senatus Populuſq; Romanus nouis eum honoribus poſt mortem affecerit. Illi clypeus aureus, vel ut Grammatici loquuntur, clypeum aureum, Senatus totius iudicio, in Romana curia collocatum eſt, vt etiam nunc videtur, expreſſa thorace vultus eius imago.* Et iterum: *Rogo, quantũ pretium eſt, clypeus in Curia tantæ victoriæ? quantum vna aurea ſtatua?* Inter iſtæc, quæ in templis Deorum ſuorum Romani offerebant, parietibuſq; ſuſpendebant, coronas quoq; fuiſſe autor eſt Macrobius. Meminit item Virgilius hiſce verſibus:

Coronę in templis Deorũ ſuſpẽſæ.

*Multaq; præterea ſacris in poſtibus arma*
*Captiui pendent, currus, curuæq; ſecures,*
*Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra*
*Spicula, clypeiq;.* Et iterum:
*Horrendum ſonuêre, tremunt in vertice criſtæ*
*Sanguineæ, clypeoq; micantia fulmina mittit.* Et [q] rurſus:
*Fronde ſuper galeam & felici comptus oliua.*

[q] *L. 7. Aen.*

[r] *Lib. 2. de bello ciuil.* Teſtatur idem [r] Appianus; *Figuræ multiformis*, inquit, *eius ſtatuæ inſcriptæ, quarum nõnullis coronæ ex quercu additæ veluti ſeruatori patriæ, quibus olim ciuem clypeo tegentes ornabantur.* Adde & illud [s] Trebellij Pollionis, cum dona militaria à Valeriano Cæſare, Claudio conceſſa enumerat; *torquem libralem vnum*, inquit, *caſſidem inauratam vnã, ſcuta chryſographata duo, loricã vnã, quã refundat.* Videmus etiam noſtra hac tempeſtate nonnullos principes, præfectoſq; clypeos vexillaq; & id genus arma alia in templis ſuſpendere, quod vel in victoriæ memoriam, vel voti etiam cauſa faciunt: Clypei enim, caſſides, aliaq; huiuſcemodi ſupra oſtia poſita, nihil aliud ſunt, quàm trophæorum demonſtrationes, quemadmodum ex hoc [t] Virgiliano oſtenditur:

[s] *In Claud.*

[t] *Lib. 11. Aencid.*

*Clypeumq; ex ære ſiniſtræ*
*Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum:*

[u] *L. 9. Aen.* [u] Alibi quoque dum Aeneã de Danais victoribus loquentẽ introducit, ita cecinit idẽ Poëta.

*Ære cauo clypeum magni geſtamen Abantis*
*Poſtibus aduerſis figo, & rem carmine ſigno.*

Seueri, & Commodi numiſma.

Hinc in numiſmate Seueri & Commodi videas Victoriam clypeo inſidentem, aliumq; manu retinentem, qui haud dubiò Victoris fuerit: & in alio Commodi numo duos item clypeos prope pedes iacentes, Victoriamq; lauream coronam, qua victoris caput redimere videtur, una manu contingentem. De armis ſuſpenſis ſic etiam Eutropius cecinit:

*Feſtinas vrgete, manus meus exuperatur*
*Ad bellum Stilico, qui me de more trophæis*
*Ditat, & hoſtiles ſuſpendit in arbore criſtas.*

Huc pertinet Sidonij carmen à paucis hactenus rectè intellectum.

*—— nec ſolum militis artem,*
*Ferret ad Imperium, ſuſpenderet ilicet arma.*

[x] *L. 8. Aen.* Huc demum alludit [x] Virgilius:

*Tum leues ocreas electro, auroq; recocto,*
*Haſtamq;, & clypei non enarrabile textum,*
*Illic res Italas Romanorumq; triumphos,*
*Haud vatum ignarus, venturiq; inſcius æui,*
*Fecerat ignipotens. Illic genus omne futuræ*
*Stirpis ab Aſcanio, pugnataq; in ordine bella*
*Fecerat, & viridi fœtam, Mauortis in antro*
*Procubuiſſe lupam, geminoſq; hic vbera circum*
*Ludere pendentes pueros & lambere matrem.*

Quod ſcutum præferendum.

Cęterùm quale ſcutum præferendum ſit, habes ex Aeliano: *Scutum optimum* inquit, *eſt, quod Macedonicum, æneum, mediocriter cauum, ad octo dodrantum magnitudinem.* Atque hæc de clypeorum in bello uſu, & eorum differentijs dicta ſint: Iam ad familiarum inſignia, quæ ab ijs originem ducunt, accedamus.

# VSVS IN INSIGNIBVS, QVÆ vulgò arma dicuntur.

QVAMVIS etiam de vſu inſignium, quæ vulgò arma dicuntur, & præſertim de ijs, in quibus Aquila depingebatur, nec non & de ſcutis, à quibus illa ortum traxerunt, in primo libro egerimus; placuit tamen iſtæc tanquam illic derelicta hoc loco etiam ſubijcere, ne qui illa lecturi ſunt, defectum noſtrum culpent. Armorum itaq;, quæ vulgò gentilitia lingua VVapen, Cancellorũ vocabulo clenodia, nobis, vt dictum eſt, arma vocantur, vſum quondam Romana in rep. non minùs, quàm hodie extitiſſe, non ſolùm veterum monumentorum ſcripturæ, atque numiſmata, verùm etiam hiſtoricorum fide digniſſimorum ſcripta oſtendunt. [a] Liuius: *Adhæc decora quoq; belli non commemoraſſe tantùm, ſed protuliſſe etiam conſpicienda ſpolia hoſtium cæſorum ad triginta, dona Imperatorũ ad quadraginta, in quibus inſignes duas murales coronas, ciuicas octo.* Et [b] iterum: *Recitato veteri Senatu indè primùm in mortuorum locum legit, qui poſt L. Aemilium & C. Flaminium Cenſores curulem magiſtratum cepiſſent; nec non in Senatu lecti eſſent, vt quiſque eorum Senator primus creatus erat, tum legit, qui ediles, Tribuni, Prætores, Quæſtoreſue fuerant, tum ex ijs, qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi haberent, aut ciuicam coronam acciperent.* Meminit huiuſmodi armorum, & [c] Cornelius Tacitus: *Finis ſermonis in eo, vt quina millia numûm ſingulis militibus numerarentur, tum Otho ingredi caſtra auſus, atq; illum Tribuni Centurioneſq; circumſiſtunt, abiectis militiæ inſignibus.* Et rurſus: Cùm colloquij Arminij & Flauij fratris mentionem facit: *Flauius*, inquit, *acuta ſtipendia torquem & coronam aliaq; dona militaria commemorat.* Ad eundem ſenſum [d] Cæſar: *Vacua caſtra hoſtium conſpicatus, tectis inſignibus ſuorum, occultatiſq; ſignis militaribus raros milites, ne ex oppido animaduerterentur, ex maioribus caſtris in minora traducit.* Huc etiam facit illud Saluſtij vbi C. Marium gloriantem introducit, quòd licet imagines maiorum ſuorum nullas poſſet demonſtrare, tamen dona militaria multa accepiſſet, quæ virtutem ſuam teſtarentur. Item & illud [e] Suetonij huc referas: *Dona militaria aliquantò facilius, phaleras & torques & quicquid auro argentoq; conſtaret, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat, has quàm parciſſimè & ſine ambitione ac ſæpè etiam caligatis tribuit.* Quibus equidem nihil potuit manifeſtiùs dici, ad ſimilitudinem exprimendam veterum donorum militarium cum noſtris, quæ vocantur, inſignibus; Sic & Carolus in coronis tribuendis parciſſimus eſſe ſolet, & Ferdinandus infimis quibuſq; militibus, qui res egregias geſſiſſent, dona militaria largiebatur. Hodie quoque Comites Palatini ab Auguſtis creati, ius & prærogatiuam habent pingendi & concedendi inſignia, vti & antiquitùs ab omnibus triumphalibus viris cõferebantur; & ſic intelligitur illud [f] Suetonij: *Solos*, inquit, *triũphales quamquam & ſocios expeditionum & participes victoriarum ſuarum nunquam donis partiendos putauit, quod ipſi quoq; ius habuiſſent tribuendi ea quibus vellent.* De huiuſmodi inſignibus atque donis plurimi quoque alij probati hiſtorię authores meminerũt: Sic apud [g] Trebellium Pollionem legas, vbi à Valeriano Auguſto, Claudio tũ adhuc Tribuno talia dona conceſſa memorat: *Fibulas argenteas* inquit, *inauratas duas, fibulam auream cum acu Cypriã vnam, balteũ argẽteum inauratum vnum, annulum bigemmeum uncialem, brachialem vnum vnciarum ſeptem, torquem libralem vnum, caſſidem inauratam vnam, lanceas Herculeanas duas, aclydes duas.* Talis eſt & [h] Vopiſci in Probi hiſtoria locus: *Me equidem Senatus Principem fecit de prudentis exercitus voluntate, attamen ſciendum tibi eſt, tuis nunc humeris magis incubuiſſe rẽpub. qui & quantus ſis, omnes nouimus, ſcit Senatus: Adeſto igitur noſtris neceſſitatibus, tuæ familiæ aſſere, vt ſoles, remp. Nos tibi decreto totius Orientis ducatu, ſalarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminauimus, conſulatum in annum proximum nobiſcum decreuimus; te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Et [i] rurſus, ubi omnium donorum militarium catalogum recenſet, ſic infit: *Cùm bello Sarmatico iã Tribunus, tranſmiſſo Danubio multa fortiter geſſiſſet, publicè in concione donatus eſt, haſtis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera ſacrificali quinquelibri vna.* Huc referri poſſunt & hæc [k] Lãpridij uerba: *Huc acceſſit nimia & Senatus & populi inclinatio poſt illam cladem, quæ non ſolum Antoninorum nomen decolorauit, ſed etiam Romanũ dehoneſtauit Imperiũ. Certatim deniq; omnis directa ſunt*, inquit, de Alexandro loquens, *& nominum genera & poteſtatum. Primus deniq; omnium cuncta inſignia & honorificentiæ genera ſimul recepit.* Atq; illud etiam [l] Aurelij Victoris: *Poſſidio Eunucho poſt triumphũ Britannicũ inter multorũ fortiſſimos arma inſignia tanquã particip victoriæ dono dedit.* Et ſic intelligenda veniunt, hęc [m] M. Tullij verba: *Donum ne capiunto, neue petenda, neue gerenda, neue geſta poteſtate* [n] Item & hæc: *Tantum donis datis muneribuſq; profecerat:* Poſſim & infinita eiuſmodi exempla ex diuerſis hiſtoricis in medium afferre,

VVapen. Clenodia. Vsũ armorũ antiquiſſimũ eſſe.

[a] *L.6.dec.1*

[b] *L.3.dec.3*

[c] *Lib.18.*

[d] *Lib. 7. de bello Gall.*

[e] *In Aug.*

[f] *In Aug.*

[g] *In Claud.*

[h] *In epiſtol. Taciti Auguſ. ad Probum Præfectum.*

[i] *In Probo.*

[k] *In Alex.*

[l] *In Claud.*

[m] *Lib. de legibus.*

[n] *In orat. p Cluentio.*

ferre, verùm ne legẽtibus tędium pariant, ſuperſedebo, paucis tantũ ex Liuio adductis, qui nõ bis vnus fit inſtar omniũ; *Vbi*, inquit[o] alibi, *cùm Procõſul veteres milites primùm, prout cuiuſq; virtus atque opera in ea pugna fuerat, militaribus donis donaſſet.* Et rurſus: *Si Claudio Proconſuli aliter videretur, faceret quod è repub. fideq; ſua duceret, dum ne quis eorũ munere vacaret, neuè dono militari virtutis ergò donaretur*, Et iterum: *Criſpinus equum armaq; rapta & cruentum cuſpidem inſignis ſpolijs oſtentans, cum magna laude & gratulatione militum ad Conſules eſt deductus, laudatuſq; ibi magnificè, & donis donatus.* Item[p] alibi: *Deſtituti Duces, cùm ſua ipſi inſignia & profana imagine imperij, quod gererent, veram inſtamq; mox in ſe verſuram poteſtatem exhorrebant:* quanqnam forſam hoc loco alia ſignificatione inſignium vox Liuio vſurpetur. In priori ſignificatu rurſus alibi[q] idem author ita ſcribit: *Scipio præfectos equiteſq;, prout cuiuſq; opera fuerat, & ante omnes Maſaniſſam inſignibus donis donat.* Item alibi: *dum bellum in Macedonia geritur, legati tranſalpini ab Regulo Gallorum* (Balanos ipſius traditur nomen: gentis, ex qua fuerat, non traditur) *Romam venerunt ad Macedonicum bellum auxilia: gratiæ ab Senatu actæ, muneraq; miſſa, torques aureus duo pondo, & patera aurea quatuor pondo, equus phaleratus, armaq; equeſtria.* Alludunt huc quoque Poëtæ nobiliſſimi quique, atque inter eos ipſemet[r] Virgilius:

*Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum,*
*Antiqua ex cedro, Italuſq; Paterq; Sabinus*
*Vitiſator, curuam ſeruant ſub imagine falcem:*
*Saturnuſq; ſenex, Ianiq; bifrontis imago*
*Veſtibulo adſtabant: alijq; ab origine Reges,*
*Marcia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.*
*Multaq; præterea ſacris in poſtibus arma,*
*Captiui pendent currus curuæq; ſecures,*
*Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,*
*Spiculaq; clypeiq; ærectaq; roſtra carinis.*

Sic & [s] Claudianus:

*Quidquid auus ſenior Mauro vel Saxone victis,*
*Quicquid ab innumeris ſocio Stilicone tremendus*
*Quæſiuit genitor bellis, quæcunq; Gelonus*
*Armeniuſue dedit, quantum crinita ſagittis*
*Attulit extremo Meroe circumflua Nilo,*
*Miſit Achemonio quicquid de Tygide Medus,*
*Quum ſupplex emeret Romanam Parthia pacem.*
*Nobilibus gazis opibuſq; cubilia ſurgent*
*Barbaricis, omnes thalamo conferte triumphos.*

Huc ſpectat illud [t] Sidonij Appollinaris:

*Quid poſſeſſorem maneat, quos deniq; mores*
*Ius ciuile paret, ne ſolam militis artem*
*Ferret ad imperium, ſuſpenderit ilicet arma*
*Emeritus iuuenis, ſterilis ieiunia terra*
*Vomere fœcundans.*

Item & illud [u] Prudentij:

*Vis decorare tuum ditiſſima Roma Senatum?*
*Suſpende exuuias armis & ſanguine captas*
*Cingere cæſorum victrix diademata Regum:*
*Frange repulſorum fœda ornamenta Deorum,*
*Tunc tibi non terris tantum victoria parta,*
*Sed ſuper aſtra etiam media ſeruabitur æde.*

Satis ſuperq; itaque ex Hiſtoricis tàm antiquis, quàm recentioribus dona illa militaria (quæ ſi non cum armis nobis dictis eadem ſint, eorum tamen vſus initium prębuerũt) ob res cùm domi tùm foris pręclarè geſtas à Principibus donata aut conceſſa probauimus. Sic in bello Troiano victores, etiam ſpolijs hoſtium, quos in acie vicerant, tanquam trophæis ſeſe exornaſſe accepimus. Sic Heƈtorem ſcripſit Homerus, Achyllis arma, quibus Patroclum ſpoliauerat, velut egregiæ magnæq; victoriæ ſignum, geſtaſſe; ſic Romanos hoſtium ſpolijs domorũ ſuarum oſtia condecoraſſe, & tanquam res ſacras à nemine contingi voluiſſe, ſed ibi per multa ſecula tanquã propria domorũ ornamẽta affixiſſe antè diximus. Sic apud Suetoniũ legas de incendio Neroniano, quo potior Vrbis pars conflagrauit, multas nobilium memorias vnà cum ipſis ædibus deletas, quæ varijs hoſtium ſpolijs, quæ in bello olim ataui ſui acquiſiuerant, erant perornatę. Sic in templis ſuis illa, geſtorum ſuorum perpetua monumenta, conſecrabant, quę item uel incendio, vel alijs temporum iniurijs poſtmodum interierunt. Sic quoque T. Manlium Gallo illo ſuperbo, ſingulari certamine deuicto, aureum monile, quod eorum lingua torquis

Hector Achyllis arma induit.
Oſtia Roman. clypeis ornata
Clypei in Deor. templis ſuſpẽſi.
T. Mãlius cur Torquatus dictus.

[o] *L. 4. dec. 3*
[p] *L. 8. dec. 2*
[q] *L. 9. dec. 3*
[r] *L. 7. Aen.*
[s] *In Panegyrico Stiliconis.*
[t] *In Panegyrico Maioriani.*
[u] *Lib. 2. in Symachũ.*

quis dicitur, à collo eius detraxisse historica fides tradit, indeq; postmodum Torquatum appellatum, atque nomen illud posteros eius omnes sibi postmodum conseruasse. Sic Cęsar interfecto Elephãte, qui Maurorum lingua cęsar appellatur, Cæsaris nomen obtinuit, quamuis id aliis minimè placeat, qui ita dictum volunt, quod de matris ventre excisus, ita in hanc lucem prodierit. Sic Sylla, quia Iugurthã ceperat, eius caput in sigillo suo sculptũ habuit. Sic Lusitani quinq; clypeos in armis suis vsurpãt, victorię cõtra totidẽ Mauritanos Reges sempiterna testimonia. Sic & Hispanis in more positũ est, pro insignibus vsurpare vexilla, quæ Mauris aliquando vi in bello eripuerunt. Constat itaq; armorũ originem (namq; a Carolo Magno aliàs ortũ duxisse, eumq; ab antiquis illis Romanis, qui benemeritis in bello uaria dona militaria perpetua gestorum suorũ monumenta, vt ea in clypeis atq; armis dictis, domi forisq; ostenderent, conferebãt, edoctũ fuisse diximus) à præclara quadã victoria dimanasse. Profecturi enim ad bellũ Tyrones, primo anno in scuto & paludamento nullũ habebant colorem aliũ, præterquam album: si verò ab eo tempore præclaræ rei aliquod edidissent tyrocinium, vt puta, si anguem, vel aliud aliquod animal immanius occidissent, tunc eius imagine scuta sua condecorabant: quandoq; tamen si intra annum in hastiludio aliquo, uel torneamento egregiè partes suas defendissent, tum uel quęlibet pro libitu in armis suis eligere concessum erat. Præterea quot quisque stipendia fecisset, quot coronas, & quales meruisset, quot armillas, cristasq;, quot torques, quales phaleras, hastas puras, pila, balteum, hæc omnia supra clypeum galeamq; appositа, in bellisq; & expeditionibus gestari solita, cùm pacis munia iterum foueret, domumq; regressus optimus quisq; suspenderet, ea ornamentorum siue insignium loco longa successione ad posteritatem transmittebantur. Postquam verò inclinante iam imperio, Boij, Franci, Gothi, Heruli, Romanarum legionum reliquijs in limitibus Danubij & Rheni, mixti, Marcomani Seueri temporibus accesserunt, quemadmodum linguam confusam fecerunt, ita populum etiam perfecerunt quendam, qui Romanorum Teutonumq; ritus atque mores coniunxerat, tum arma suam originem habuisse Lazius opinatur. Sũt autem in duplici discrimine, priuilegiata & speciali cuiusdam Principis fauore concessa, vel donata: alia è familijs propria auctoritate sine Principis fauore electa, vt nouam aliquam dignitatem atque honores propria virtute consecutos ostendant. Priori modo, si toti alicui familiæ donentur, tunc ad omnes posteros suos descendunt; sin vni soli, tunc ad illius successores duntaxat. Constat etiam antiquos illos militaris rei peritissimos in eligendis sibi armis bellica accepisse instrumenta, vt cassides, scuta, hastas, enses, vt bello se interfuisse, ac in eo quippiam egregij præstitisse significarent: contrà verò agricolas ad bellum profecturos aratris, vomere, ligonibus & huiscemodi alijs instrumentis arma sua exornasse: pariter & nautas eandem ob causam, sibi elegisse remos, proras, puppes, antennas, anchoras, malos, nec non & integras naues: quamuis tamen & alij nauium insignibus vsi sint: imò verò & naues ipsæ sua habebant peculiaria insignia, vt Chimeras, Centauros, similiaq; alia: sic de naue, quæ D. Paulum ad Melitem Insulam olim conduxit, D.* Lucas Castorem pro insigni habuisse fidus nobis testis est. Præter id videmus multos artifices, ea in armis suis vsurpasse instrumenta, quæ artium illarum, quibus illa destinata sunt, peritissimos eos esse demonstrant. Non ab re etiam fuerit nosse, quomodo campi armorum diuidẽdi sint: diuiduntur autem per simplicem lineam rectam in duas partes, idq; trifariam: aut per diametrum, aut per transuersum, atque id vel obliquè, vel rectè: & quandoque lineę istæ acutis dentibus vel piscium spinis haud absimiles sunt. Diuiduntur pariter campi in bandas vulgò dictas & repagula, quæ sbarras vocant, inter quas vna quandoq; directa est, quæ columna quibusdam dicitur. Sunt etiam quæ rastra habent eorumq; alia per longitudinem, alia per transuersum, alia ad instar spinarum piscium. Quædam etiam crucem habent, & eandem, vel rectam, vel transuersalem; hæc vulgò vocant inquartata, hoc est, per diametrum oppositа; quędam crucem integrã. Sunt quæ vulgò scaccata dicãtur, hoc est, per quadratas figuras vel tessellas, vel rhomboides vel amygdalatas ad instar retis facta. Sunt quæ non integrum habeant campum, sed partem tantùm vnam vel duas &c. Sunt quæ simplices tænias ad amussim redactas, quas squadras vocãt. Sunt quæ vnã habent amussim, vt Aldrouanda familia, quæ à Longobardis, teste Fanesio, ortũ duxit: Itẽ quędam, quæ duas. Reperiuntur in quibus circuli sunt, ita sibi inuicem inclusi, vt veluti cæpas imitentur & hęc numero, non figura variari possunt: Sunt quæ pilas ferunt, vt Illustrissima Mediceorum familia, quæ inter se numero & coloribus variari nõ possunt: alia vndas habent, easq; vel albas vel purpureas uel alterius coloris; quædam animalia, puta aues, pisces, quadrupedes, eaq; uel integra vel dimidiata, uel quædam tantummodo eorum membra: quædam arbores, & has etiam uel integras uel earum partes; Inueniuntur præterea in quibus animalia quidem sunt, sed coloribus diuersis à naturalibus disparata, quędam sunt, quæ lupos, leones, Aquilas atq; huiuscemodi alia animalia habent cærulea, similisq; coloris; qui usus, mutare scilicet natiuos colores,

Cæsar vnde dictus.
Syllæ sigillum.
Lusitanorũ arma.
Hispanorũ arma.
Armorum honos.
Armorum origo.
Tyrones militesquõ & quando quid in armis suis depingerent.
Arma ĩ duplici discrimine.
Arma quãdo ad posteros descendũt, & quãdo nõ.
Antiquorũ militum arma.
Agricolarũ arma.
Nautarum arma.
Nauiũ insignia.
D. Paulus qua naue vectus.
* *In actibus Apost. c.* 28
Artificũ arma.
Camporũ in armis diuisio.
Bandæ in armis.
Repagula.
Sbarræ.
Armorum diuersitas.
Rastra.
Crux in armis.
Inquartata arma q̃.
Scaccata quæ.
Animalia ficta ferre in armis vn de natum.

lores,hinc uidetur dimanaſſe,quoniam nobiles,cùm equos ſuos uel ad uenatum,uel ab bellum profecturi,diuerſi coloris ueſtibus adornarent,arma etiam ſua eiuſcemodi fictis animalibus inſignire uoluerint. Haud eſt itaque, quod quiſpiam miretur, tantam armorum multitudinem ac uarietatem,qui tot familiarum miriades ſibi ob oculos ponat. Quamuis tamen in eligendis armis immenſum ſit pelagus,nihilominus uix fieri poteſt, quin eadem arma à diuerſis familijs uſurpata ueniant:quæ res ſi in eadem ciuitate contingat, lites, diſſidia, imò uerò & bella ſæpè excitat:contrà ac ſi in diuerſis urbibus habitent: Contingit tamen quandoquidem, ut à diuerſis familijs in eadem urbe uſurpentur:& ſic minus nobiles à peregrinis & ignotis,cum nobilioribus confunduntur. contrà ſi eiuſdem nominis familiæ diuerſis armis utantur, tunc quarum nobilitas præponderet,arma indicant. Porrò in armis faciendis maximè aduertendum,ut colores æqualem ſeruent proportionem, ut ſcilicet clarus cum obſcuro coniungatur : quoniam ſi clarum cum claris,& obſcurum cum obſcuris copules, arma inſpicientium oculos minimè oblectabunt;eſt autem albus clarorum præcipuum fundamentum, ut niger obſcurorum, luteus inter claros,uiridis & rubeus, maximeq; cæruleus inter obſcuros referuntur. Si itaque hi colores aptè & cum iudicio in armis exprimantur,homines in ſui admirationem rapiũt,& oculis iucunda erunt;ſcio tamen quoſdam à nigro colore abhorrere, quem tamẽ ego graue quippiam, firmum,ac ſtabile in armis denotare crediderim;pro quo à nobiliſſimis quibuſdam familijs etiam uſurpatus eſt. Illa autem laudantur,quæ ſimpliciora ſunt,& minus permiſta;nam talia maiorem antiquitatem demõſtrant. Valdè etiam magnificum eſt habere crucem, qualem legatis à latere Summus Pontifex concedit, nec non Equitibus,qui pro defenſione Chriſtianę reip.aduerſus ueræ fidei hoſtes dimicant:ſed ea crux non deſcendit ad poſteros; quales etiam ſunt Equites Hieroſolymitani, ſi modo in bello quicpiam egregiè præſtarint, ut de Sabaudiæ Duce liquidò conſtat.Pontificiæ claues non minus arma decorant,quas item Pontifex Maximus, niſi illuſtri loco natis, Equitibuſq; ac Oratoribus Chriſtianorum Principum, & qui propria uirtute talibus inſignibus digni ſunt, confert. Sunt item arma ualdè antiqua, quæ animalium iconibus inſigniuntur:ea enim niſi ab Imperatoribus,Regibus,Ducibus,Principibus, cæteriſq; potentioribus conceſſa,atque illis tãtummodo,qui uel propria nobilitate illuſtres ſunt, uel in militia ſtrenuè ſe geſſerunt:talibus enim in uirtutis ſuæ teſtimonium leones, aquilas, columbas,atq; id genus alia animalia concedebant; qui ritus quàm ſit antiquus, Hector, Achilleſq; nobis exemplo ſunt : illum duos leones aureos in campo rubro, hunc totidem ſed rubeos in campo argenteo uſurpaſſe quidam tradunt.Plantæ egregiè etiã arma nobilitant, inter quas roſa,ut uulgò florum regina,prærogatiuam quãdam,ut leo inter quadrupedes,et Aquila inter Aues habere uidetur. Verùmenimuerò mutant ſua quandoq; arma, licet eiuſdem nominis & eiſdem utentes familiæ,exempli cauſa,ſi eiuſdem familiæ roſa utentes,in campo cæruleo,inter ſe odia gerant,pugnẽtuè;tum cãpum cæruleum in nigrum uel quemuis alium una pars, ut dignoſcatur,tranſmutabit. Conceduntnr autem quandoq; à Principibus arma, cum tali conditione nè ea,uelint,nolint,mutent. Quęritur haud immeritò, cur ſit quòd quidam quandoque habeant arma cum quadam additione,qua prius carebant:id eos facere crediderim, vel ex peculiari quodam Principis priuilegio,vel ex propria etiam electione,quia præclarè ſe geſſerint; ſi ex priuilegio tunc poſteri ijs non gaudebunt,ut puta, ſi Cardinali alicui quid in armis ſuis, ab aliquo principe concedatur,id ad fratres & nepotes minimè deſcendit,niſi ille hanc clauſulam addiderit,quod toti eius familiæ permiſerit: Si verò ex propria electione;tũc ad hæredes tranſeunt : Quæritur etiam nunquid fratres Regis eiſdem armis uti poſſint ; reſpondetur, Regis debere eſſe pura;fratrum cum aliqua additione: Quæritur deinde, num arma quæ habent tęnias,raſtra,truncos,& pilas,ea habeant determinatim:reſpondetur reperiri,quæ numerum habent determinatum,ut Hetruriæ Ducum,quibus ſeptem pilę nec plures,nec pauciores,pro inſigni ſunt. Item eſſe uidemus in quibus talis numerus minimè obſeruatur.In quãta uerò apud veteres exiſtimatione arma fuerint & apud nos, cuiuis liquidò cõſtare arbitror. Nam ut apud illos,non uiuos tãtum, ſed mortuos etiam honorarẽt, quos ſcilicet vnà cum imaginibus ad ſepulchra vſque comitabantur; vt de Miſeni ſepulchro legimus, quod Aeneas tuba & remo illius inſignibus exornauit: Sic noſtris temporibus conſuetudo tenet, ut ſcelere aliquo inquinatorum arma tanquam illis indigna Heroldi deijciant pro ſumma contumelia. Atque hæc hactenus dicta nobis ſufficiant,in quibus,quę hic deſiderari poſſent,alij quibus placuerit, ſupplere poterunt & defectum noſtrum iuuare,alioſq; qui plura de his petunt,ſcriptis ſuis recreare.

Armorum varietas vnde.

Colores in armis obſeruandi.

Colores clari & obſcuri.

Arma quę laudantur.

Crux.

Pontificiæ claues.

Arma quæ antiqua faciant.

Animalia.

Hectoris et Achillis arma.

Plantæ.

Cur quidẽ arma habeant cũ aliqua additione.

An fratres regis, eius armis vti poſſint.

Armorum honos.

# VSVS AQVILAE IN INSIGNIBVS.

ITSI multa in primo libro de ijs dicta sint uiris, qui Aquilam ceu Auium Reginam in insignibus suis usurparunt: quia tamen modo adferenda, quorum causa bina præcedentia capita scripsimus, tam hîc, quàm ibi adiungi poterant, non potui nó ea, etiam huc, seruato tamen eodem, qui ibi, ordine, subiungere.

Schuuifurti oppidi arma.

Itaq; inter Aquilę bicipitis insignia, quibus pleraq; Imperialia oppida gaudere diximus, Schuuinfurtum ad Mænum non contemnenda Vrbs iu orientali Francia referri poterit.

Rogerij arma.

Huius itẽ Aquilę insigni [a] Arioſtus Rogeriũ usum fuisse memorat, ubi Leonis Imper. Constantinop. filij loco eum cum Bradamãte amica sua singulari certamine decertaturũ inducit,

[a] *Cant.* 45. *Stan.* 69. & 52.

*Et per parer Leon, la sopraueste*
*Che di anzi hebbe Leon, s'hà messo in dosso*
*E l'Aquila de l'or con le due teste,*
*Porta depinta ne lo scudo rosso.* Et rursus:
*S'appresentò Ruggier con l'Augel d'oro,*
*Che nel campo vermiglio hauea due teste.*

Marignolorum, Petrutiorum, Camborum, & Cochorum illustres Florentinæ familiæ Aquila utuntur aurea bicipiti, in campo rubro, imperij orientalis siue Constantinopolitani insigni, quod Ioannes Paleologus Imperator in quodam Concilio, in quo præsens erat, concesſit, & quasi iu suam eos cooptauit familiam.

Guil. Com. Henembergici insignia.

Gulielmus Comes Henembergicus duas Aquilas bicipites per diametrum, totidemq; Gallos habet in insignibus suis, unà cum clatris.

Cæsarum insignia.

Cæsarinis semiaquilam pro insigni esse in primo libro diximus. Verùm integram eos Aquilam vsurpare Franciscus Sansouinus tradit, eamq; Imperialem, quoniam ab antiquissima Cęsarum stirpe originem suam trahant: addit etiam sub Aquila illa conspici Vrsum columnæ alligatum, insignis eorum contra Vrsinos uictorię symbolum, quod postmodum posteri, relictis primis insignibus, usurparunt: unde nonnulli ab Vrsinis illorum originem dimanasse crediderunt, cùm tamen, ut diximus, ea antiquissima sit, ut ex multis ueterum scriptorum monumentis liquidò constat; inter quos Fanusius Campanus, ubi de Monaldesco rum familię nobilitate tractat, Cæsarinorum obiter mentionem facit, hisce uerbis: *Nobilissima progenies de Monaldis originem habuit tempore Caroli Magni anno domini 809. hoc pacto. Nam cùm Rodaricus Monaldus Dux & heros ac collega Imperij de stirpe Ducum Andegauensium, post expulsos Longobardos commorando persisteret, maxima cum amplitudine in Vrbeueteri accepit in vxorem D. Aemiliam Cæsarinam Romanam ex qua succepit tres filios &c.* Quę sanè uerba illustrissimę huius familię Cęsarinorum nobilitatem exprimunt. Haud enim uerisimile est, tantę potentię Ducem connubio sibi iunxisse, nisi matrona nobilissima illustrissimoq; loco nata fuisset. Habuit præstantissima hęc familia Cardinales tot, tantiq; ualoris, vt quæuis alia familia: habuit item uiros cùm domi, tùm foris clarissimos, de quibus, qui plura desiderat, Franciscum Sansouinum adeat, qui exactè, ut solet, eorum præclara facta prosequitur.

Pomeranię Ducum arma.

Aquilam etiam Pomeranię Duces Bugislaus & Casimirus à Friderico primo Imperatore insignium loco nacti sunt.

Agolantorum arma.

De Agolantis nobilibus olim Florentinis tradit Vincẽtius Burghinus, Aquila usos fuisse primùm alis expansis, pedibusq; diuaricatis, mox alis complicatis, ea scilicet figura, qualem Falco pugno gestatus, referre solet, quę tamen priorem colorem non immutaret.

Pallauicinorũ arma

Tres reperio familias, quæ Palauicinæ cognominantur, diuersę omnes originis, quarum tamẽ una à tertia orta fuerit. Habebant illę pro insigni tres delphinos cæruleos in campo albo. Postquam uerò in Italiam uenerũt, in superiori insignium parte Aquilam adiunxerunt. Nacti sunt forsan hos delphinos à Lothoringiæ uel Ghisę Ducibus, quibus antiquitùs illi pro insignibus erant. Fuerunt & alij Palauicini Genuæ & Venetijs. Item & alij nẽpè Marchiones Badenses, ex quibus primus in Italiam cum Othone primo Imperatore uenit, eiusq; equitatus Dux primarius fuit, Adelbertus dictus, qui dum adhuc Badæ Marchio esset, duodecim in armis suis latrunculos, quos uulgò scaccos uocant, usurpabat albos & purpureos: factus uerò vicarius & feudatarius, in superiori armorum campo Aquilam addidit Imperialem, & Marchionatus titulum deposuit, seruato tamen antiquo Palauicinorum nomine, emitq; propè Placentiam tria oppida, multosq; agros: cui item ob res præclarè gestas, tria alia Imperator donauit, & posteros eorum hæredes semper esse uoluit, quos ab eius virtute nũquam defecturos sibi persuadebat, qui, quas res gesserint, abundè apud Sansouinum videre lector poteris.

Ingelhemium non ignobile apud Germanos oppidum, pro inſigni ſemiaquilam habere in primo libro diximus, quod tamen Franciſcus Modius Brugenſis integram, eamq; Imperialem vſurpare tradit, vti etiam & Heylbrunam, nec non Eſſlingiam in ditione VVirtembergenſi.

Alberto Marchioni Brādenburgenſi pro inſigni eſt Aquila vniceps vnà cum duobus Leonibus quorum vnus à latere Aquilæ eſt, alter ſub illa: ſunt enim inſignia eius in quatuor partes diuiſa & in eorum medio aliud eſt ſcutum, in quo ſceptrum regium videtur.

In Bambergæ, Vrbis in extrema Francia orientali amæniſſimæ (vbi XXXIIII ludi equeſtres Germanici celebrati ſunt) inſignibus vir depingitur armatus, dextra uexillum ferens in quo orbis imago apparet, & in eius ſuperficie crux, altera verò ſcutum tenens, in quo Aquila eſt expanſis alis, & pedibus diuaricatis.

# EMBLEMATA.

NICOLAI Reuſneri hominis ſummè literati tale Emblema eſt ſub lemmate, RENOVATA IVVENTVS.

*Alituum regina potens, & fulminis expers,*
*Sola Aquila eſt ſummi fida miniſtra Iouis.*
*Quæ ſi longæua nimium ſit tarda ſenecta,*
*Flumine ſe liquido terq; quaterq; lauat:*
*Subuolat hinc, ſoliſq; capit de culmine lumen:*
*Et renouat pennas, membraq; feſſa ſibi.*
*Qui prius eſt ſacro luſtratus fonte ſalutis:*
*Fulmineo nunquam leditur igne Iouis.*
*Namq; fide certa numen cæleſte tuetur:*
*Solicitatq; ſuo lumine lumen heri.*
*Sol eſt iuſtitiæ Chriſtus, vitaq; perennis:*
*Quem qui corde uidet ſimplice ſaluus erit:*

Aliud eſt apud eundem de Chryſaëto emblema, cum lemmate, ΘΥΑΤΟ ΓΕΝΝΑΙΟΝ: ad Dominum Iacobum Fuggerum Com. Kirchbergæ, & Vueiſſehornæ.

*Cælum quando petit leui volatu*
*Ales regia, lucidas per auras:*
*Fixos lumine Solis haud ocellos*
*Flectit: ſed radijs ſuis penetrat*
*Phœbum cominùs intuens ſerenum:*
*Et ſic viſum acuit ſuum, iuuatq;*
*Quum viſum volucrum fatiget idem*
*Sol ſplendens, hebetetq; cæterarum.*
*Sic in te generoſa mens refulget,*
*Claris orte parentibus, Iacobe:*
*Quando ſemine languet haud paterno*
*Virtus inſita: ſed magis magiſq;*
*Inter viuida, & efficax vireſcit:*
*Dum non à nitidis hebes reclinas*
*Maiorum radijs tuos ocellos:*
*Mentis celſius explicans ſed alas,*
*Pulchro vertice tangis aſtra cæli.*
*Macte o laude, Iacobe, macte tanto:*
*Felix es ter, & amplius: beati*
*Quem tot Dy cumulant bonis: perennis*
*Laus nullo tua conticeſcet æuo.*

Aquila Cygnos ad pugnam laceſſens, & ab illis circundata, atq; uicta, cum uerbis SIC REPVGNANT: virum ſignificat, qui pacis amatorem ad bellum irritans, ipſe temeritatis ſuæ pœnas luat. De pugna harum Auium nos in primo libro egimus. Symbolum hocce fuiſſe illuſtriſſimi Herculis Cardinalis Gonzagę, tradit Ruſcellus, & multa ibi de Cygnorum encomio adducit, quæ cùm breuitatis gratia, tùm quòd huius loci non ſint, prętereo. Quod verò ex Aeliano ait Aquilam eam Chryſaëton eſſe, & ſolummodo herbis nutriri, id fabulas ſapere aliàs quoque demonſtraui. Symbolo uerò iſtoc uir ille illuſtriſſimus, animi ſui haud dubiò integritatem, atque ad colendam in patriæ ſinu pacem, promptitudinē eius demonſtrare voluit. Symbolum

Herculis Card. emblema.

bolum his Hetruſcis uerſibus expreſſum hoc pacto legitur, ſed diuerſæ omnino ſententię, quæ meo iudicio rectiùs rei ueritatem ſequitur.

*Quantunque di ſtreppar le piume e i vanni*
*S'affatichin col becco altieri Cigni*
*A l'Aquila, e con lei fieri e maligni*
*Contendano, ſi pronti a'i coſtei danni:*
*Ella: cui non ſpauentano gli affanni,*
*Non cura i colpi loro aſpri e ſanguigni,*
*M'hauendo i fati, e i ciel deſtri e benigni,*
*Forte ſgombra da ſe pene & inganni.*
*Coſi queſto corteſe alto Signore*
*Non teme aſſalto di fortuna audace,*
*Ch'offenda quel di dentro, o quel di fuore,*
*E con i virtuoſi hà rado pace,*
*Che ſeco gareggiando di valore,*
*Ciaſcuno è vinto, e à ſua virtù ſoggiace.*

Dicit autem Aquilam, quæ, ut diximus, illuſtriſſimę huic familię pro inſigni eſt, Cygnorũ atrociſſima acie ſeſe oppugnantium vim facillimè repellere: eodemq; modo clariſſimum illum virum, ſi ad bellum prouocaretur, prouocantes peſſundaturum.

Apud eundem poëtam Aquila ſtellifero cælo inſidens, cum lemmate, IN MOTV IMMOTVM, ſignificat uirum, qui continuo niſu in hoc totus incumbit, vt paternis veſtigijs inhęreat. Fuit id ſymbolũ illuſtriſſimi Cardinalis de Eſte de quo pariter ſic ſcribit Hetruſcus ille: Cardinalis de Eſte emblema.

*Con mouimento eterno il Ciel s'aggira,*
*Ma però ſi può dir ch'immobil ſia,*
*Perche ritorna, onde partì di pria*
*Ne da l'uſato corſo ei ſi ritira.*
*Coſi, mentre ſi volge e ſi raggira*
*Pel poggio del valor, douunque ſia*
*Queſto Signor, à l'alta corteſia,*
*Propria de gli auol ſuoi, mai ſempre aſpira*
*L'Aquila, antica di ſua ſtirpe inſegna,*
*Ad ogni tempo è ſeco, e lo conduce*
*Ad ogni impreſa glorioſa e degna.*
*Quanto il cielo hà di bello, in lui riluce,*
*Ma lingua humana è di parlarne indegna*
*L'occhio abbaglia al fulgor de la ſua luce.*

Egregium equidem, & à uiro acerrimi iudicij excogitatum emblema eſt, quod Ruſcellus quoque depinxit, Aquila ſcilicet in quercu nidum habens, cum uerbis REQVIES TVTISSIMA: Fuit id perilluſtris comitis Antonij Landriani, ſereniſſimi Vrbini ducis Guidibaldi generi, qui nihil, quo mentis ſuę intentionem exprimere poſſet, magis appoſitum potuit inuenire. Cùm enim ex eiuſmodi nuptijs maximam ſeſe contra quoſcunq; fortunæ impetus ſpem concepiſſe indicare vellet, pulchrè admodum Aquilam, quæ ei pro inſigni erat, in quercu ſiue robore, arbore pariter ducis illius inſigni nidulãtem depingebat. Quis enim à tantę potentiæ Duce, in quo ſimul omnes etiam virtutes elucent, non omnem ſemper ſibi operam promittat, qui arborem illam non ſine myſterio aliquo in armis ſuis vſurpat? Nam vt duas potiſſimùm ob cauſas, eam ueteres celebrarunt (quoniam ſcilicet Ioui ſacra haberetur, ipſaq; proprio robore nullis ventorum iniurijs ſuccumberet) ita vir ille Omnipotẽtis Dei, cuius prĕcepta egregiè obſeruat, auxilio, ac propria quoque virtuti confiſus, omnia fortunę ludibria contemnit. Si itaque Aquilam Auium reginam, Ioui pariter ſacram ac per ſe omnium fortiſſimã, in tanti roboris arbore nidum ponere, hoc eſt, robur robori addere quempiam videamus, nonne quid inſuperabile inde emerſurũ iudicabimus? Emblema hoc, uerſu iſto Hetruſco redditũ legitur. Antonij Landriani emblema.

*Soura vn tronco gentil l'Aquila audace*
*Fra rami, che le fan corona intorno*
*Troua queto ripoſo, e ferma pace*
*E dolce e tranquilliſſimo ſoggiorno.*
*Coſi chi ſoura à ſalda pianta giace*
*D'alma virtù, che l'huom fà chiaro e adorno*
*Sicuriſſimo ſtanza à al caldo al gelo,*
*Ne teme venti, o'l minacciar del cielo.*

Aquila reliquis auibus prædam ſuam participans, cum lẽmate HOC HABEO, QVODCVNQVE DEDI, viros doctos ſignificat, qui ſumma liberalitate ac benignitate diſcipulis ſuis doctrinam ſuam ſtudent impartiri. Symbolo hocce vſus eſt Gonzaluus Zatiuus à Molina Eques Hiſpalenſis, quem animi ſui generoſitas ac celſitudo tali ſymbolo dignum fuiſſe demonſtrat. Cælauit autem id in oſtio Muſæi ſui, in quo rariorum ac vtiliſſimorum librorum immenſum numerum, armorum omnia genera, icones virorum illuſtrium, numiſmata, lapides, animaliaq́, atque alios naturæ partus ex vtraq́ India, alijſq́ orbis partibus longinquioribus collectos reſeruat.

Gonzalui Zatiui emblema.

Aquila expanſis alis, & capite ad Vrſæ fidus elato, velut eius opem implorans, cum lemmate ET SOLE ALTRO NON HAGGIO, id eſt, SOLEM ALIVM NON HABEO, ſignificat virum, qui præter mulierem, quã ardet, nullius alterius amore tãgitur. Inuentor huius ſymboli fuit illuſtriſsimus Curtius Gonzaga, qui quantum & quàm ſyncerè Vrſam nomine matronam nobiliſsimam deperiret, eo nobis indicauit. Præter enim communem illam, quam omnes, quos vidi, authores de Aquilæ in ſolem inſpectu cauſam, nempe uiſus illius potentiam, roburq́ atque acumen ſtatuunt, propenſa etiam voluntas, nec non & occulta quædã voluptas atque deſiderium accedit, quæ illuſtriſſimi iſtius herois ſymboli fundamentum eſſe arbitror. Hinc duo potiſſimùm in fabrica eius aduertenda veniunt, primùm quàm egregiè ad amaſiæ ſuę nomen alluſerit, & quàm concinnè Solem eam uocauerit, quo nomine etiam alij amantes Glyceres ſuas appellare ſolent: ſecundum, quàm propriè Aquilam familiæ ſuæ inſigne ex ſolo Solis illius intuitu voluptatem capere demonſtrauerit. Cætera vide apud Camillum Camilli, à quo iſtæc mutuauimus, cuius verſiculos tamen præterire nolui, cùm quia pauci ſunt & docti, tùm etiam, quia velut totius hiſtoriæ compendium:

Curtij Gõzagæ emblema.

*Di bella Orſa celeſte*
*A gli amoroſi rai*
*Mi volgo, e non ſon queſte*
*Luce volgerſi altroue,*
*Che doue ella le moue*
*Ne d'altro ſol già mai*
*Fien paghe ch'ella à ben mirar l'ha deſte.*

Draconi animalium vigilantiſſimo, perſpicaciſſimoq́, aurea Heſperidum mala cuſtodienti ſuperueniens Aquila, pomaq́ furtim ſubducens cum verbis AB INSOMNI NON CVSTODITA DRACONE, ſignificat neminem adeo vigilem eſſe poſſe, quem nunqnã quicquam poſſit fugere. Emblema fuit Illuſtriſſimi Hipoliti Card. Ferrariẽſis de Eſte, (apud quem artes liberales omnes, & earum periti in ſummo honorum culmine habebantur) et perpulchrè Hetruſco hocce carmine expreſſum eſt:

Hippoliti Card. de Eſte emblema.

*Benche il vigil dragon sù'l lito Moro*
*Cuſtodiſſe ad ogni hora*
*I ricchi frutti d'oro:*
*Pur ſi trouò chi addormentollo, e colſe*
*Del bel caro theſor, quant'ei ne volſe,*
*Com' Aquila in tal guiſa animo puro*
*D'ogni vitio, e ſicuro,*
*S'adorna alteramente adhora adhora*
*De la virtù, ch'ogni gran ſtato honora.*

# AVGVRIA.

PROGENIEM Cæſarum in Nerone defeciſſe, idq́ compluribus quidem ſignis, ſed euidentiſſimis duobus apparuiſſe tradit Suetonius, de quorum vno in hæc verba ſcribit: *Liuiæ olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Veientanum ſuum reuiſenti præteruolans Aquila Gallinam albam ramulum Lauri roſtro tenentem ita vt rapuerat, demiſit in gremium, cùmq́ nutriri Alitem, pangiq́ ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles prouenit, vt hodiè quoque ea villa Ad Gallinas vocetur. Tale verò Lauretum, vt triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent: fuitq́ mos triumphantibus alias confeſtim eodem loco pangere: & obſeruatum eſt ſub cuiusq́ obitum arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Ergo nouiſſimo Neronis anno & ſylua omnis exaruit radicitùs; & quicquid ibi Gallinarum erat, interijt: ac ſubinde tacta de cælo Cæſarum ade capita omnibus ſtatuis ſimul deciderunt, Auguſtiq́ ſceptrum è manibus excuſſum eſt.* Idem augurium

rium Plinius, vbi lauri encomia abundè enumerat, his verbis prosequitur: *Sunt & circa Diuum Augustum euenta eius digna memoratu. Namq; Liuiæ Drusillæ, quæ posteà Augusta matrimonij nomen accepit, cùm pacta esset illa Cæsari, Gallinam conspicui candoris sedenti Aquila ex alto abiecit in gremium illæsam. Intrepideq; miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conseruari Alitem & sobolem iussêre aruspices, ramumq; cum seri, ac ritè custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum fluuio Tiberi imposita iuxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur Ad Gallinas: mirèq; sylua prouenit. Ex ea triumphans posteà Cæsar, laurum in manu tenuit, coronamq; capite gessit: ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusq; mos est ramos, quos tenuerunt ferendi. Et durant sylvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus. Vnius arborum latina lingua nomen imponitur viris. Vnius folia distinguuntur appellatione: Lauream enim vocamus. Durat & in vrbe impositum loco, quando Loretum in Auentino vocatur, vbi sylua lauri fuit.*

# VSVS AQVILAE IN DIEBVS FESTIS.

POST enumeratos tam varios Aquilæ vsus; illud quoque minimè silendio inuoluendum videtur, in lustralibus Romanorum ludis Marti dedicatis, quos peculiari nomine Rubigalia nuncupabant, Aquilas, tubas, similiaq; bellica arma alia ferri solita. Ludi isti 7. Calend. Aprilis celebrabantur, similesq; apparent festiuitatibus ijs, quas per diem natalis S. Georgij nos Christiani etiam colimus, in quibus pariter omnis pompa castrensis ex vrbibus defertur.

# METEORA.

ANTEQVAM verò Chrysaëti nostrę historiæ finẽ imponã, placuit istęc meteora pro calce eius apponere, ut nihil omnino ei deesse videatur, qd lecturi alioqui fortè desiderẽt.



Quam itaque prior huius tabulæ icon exhibet pugnam, bis in aëre viſam reperio noſtris temporibus: primùm in Hiſpaniæ quodam oppido, anno poſt partum ſalutiferum 1536. die Februarij menſis ſeptimo, circa horam noctis ſecundam. In eo certamine viſi ſunt cælo aquoſo ac nubilo duo adoleſcentes armati, gladijs congredientes, quorum vnus babebat in læua manu parmam Aquila inſignitam, cum inſcriptione REGNABO. Alter verò ſcutum prælongum cum inſcriptione REGNAVI. Verùm cùm monomachiam inſtituiſſent, Aquilam habens, proſtrato hoſte victor demum euaſit.

Eodem modo in Hungariæ ciuitate Babatſcha anno 1556. die Octobris ſexta ante ſolis exortum, uiſa eſt in aëre duorum puerorum nudorum quidem, ſed clypeis militaribus ac gladijs armatorum monomachia, in qua qui ſcutum duplici Aquila ornatum habebat, armatura Turcica munitum, adeò proſtrare viſus, vt corpus multis ictibus vulneratum è nubibus in terrã cadere viſum ſit. Eodem etiam tempore ac loco, viſus eſt arcus cæleſtis, naturalibus ſuis coloribus depictus, ac duo ex vtraq; eius parte Soles, ut in pictura etiam apparet. Sequenti anno Calendis Februarij in Italia uiſa eſt Aquila per aërem volans, quæ dextro pede lagænam, ſiniſtro verò ſerpentem inuolutum, ac implicatum geſtaret, quem ingens picarum copia ſecuta eſt.

Tali figura Aquila, qua depicta hîc eſt, intra Norimbergam, Fichtuuangium, & Anoltzbachium tertio idus Auguſti anno, 1550. die ſereno apparuit, videbatur item ſol uarij quidem coloris, ac ſuper eundem uaſculum ſanguine plenum, quo ſol, vt pictura quoque oſtendit, conſpergebatur, circa Aquilam, expanſis alis, varijſq; coloribus inſignitam, pedibus autem carentem. Paulò item inferiùs arcus cæleſtis conſpiciebatur, ac iuxta eundem eques, qui una manu equum, altera uerò canem uenaticum album duceret.

Viros

Viros quoſdã honeſtos Brũſch VVicenſes aiũt noſtri tẽporis hiſtorici, anno 1549. cũ noctu iter facerent, lunã uidiſſe circundatã conſpicua ſpecie, quæ nominatur halos, & iuxta eam duo παρασέληνας: ipſam uerò lunã quater circumuolui, deinde iuxta παρασέληνας igneũ cõſpexiſſe Leonem, atque Aquilam fodientem ſibi pectus, quorum icones hîc expreſſas uidere eſt.

Deniq; in Gallia monſtrũ natũ eſſe audio triceps, capite nempe Aquilæ, Rubetæ & Leonis.

## DE HALIETO CAP. III.

Nomencla tura.

ΑΛΙΑΕΤΟΣ. Grecis, AQVILA marina Latinis dicitur. Varinus tamen Haliæẽtos quatuor ſyllabis & ſpiritu tenui effert, verùm minus rectè. Hebræis verò עזניה. Hanc enim vocem, qua Auis immunda ſignificatur Septuagiuta Interpretes Haliætum vertũt. Italis Auguſta Piumbina, hiſce præſertim qui lacum Lemanũ accolunt populis, tanquam ſi latinè Auguſtã plumbinam dicas, vocatur, eo quòd è ſublimi in aquam præceps plumbi inſtar rectà feratur. Idem in mediterraneis circa ſtagna facit Aquila, quæ Percnos Homero, Anataria Latinis dicitur. Gallis Oſſraye ſeu Orfraye, fortè ab Oſſifraga detorto vocabulo, licet lõgè alia ab Haliæeto iſtæc ſit. A Gallis ſuam acceperunt vocem Angli, dum Oſprey Haliætum vocant. Burgundi verò ab actione eam Crot Peſcherot, id eſt, Coruum piſcatorem, vt Sabaudi Aigle de mer appellant. Germanis inferioribus Viſarent dicitur: ſuperioribus verò Fiſchadler, quod vtrumq; Teutonicum vocabulum piſcium Aquilam ſonat. Repertus fuit, qui Haliętum Germanicè Soker interpretaretur. Illirice Oſtrziſſ. A Naſone hæc Aquila Niſus vocatur, idq;, vt ipſe ait, eo quòd Niſi Megarenſium Regis in ipſam mutati nomen etiamnum retineat, de qua idem author:

*Et modo factus Auis fuluis Haliætus in alis.*

[a] *Leu.* 11.
[b] *Deut.* 14.
[c] *L. 8. Metamorph.*

Non eſt tñ Niſus recentiorum. Hic.n. ex Accipitrũ eſt genere, quem Sparuierũ vulgò vocãt.

Niſus recẽtiorum.

## ÆQVIVOCA.

AQVILAE marinę nomine ab Italis ẽt donatur Paſtinaca marina, piſcis pelagius, cartilagineus, planus, quẽ Genuenſes peſce ratto indigetãt. Quibuſdã ẽm genus Accipitrũ Haliętos dicit, ſed perperã. Quin & Accipitres marini ita qñq; appellati sũt.

Paſtinaca marina.

FORMA

FORMA

# FORMA. DESCRIPTIO.

QVOD ad descriptionem Haliæti attinet, pauciſſimis ſanè notis, & ex quibus eã à reliquis uix dignoſcimus, ab Ariſtotele, & ſolo quidem, delineatam videmus.[a] Hic ita ſcribit. *Aquilæ quintum genus, quod Haliætus, hoc eſt, marina, vocatur, ceruice magna & craſſa, incuruantibus alis, cauda lata, moratur hæc in littoribus.* Cùm autem nobis verum Haliætum videre hactenus datum non fuerit, itaq; aliena deſcriptione, nempe quam medicus quidã præſtantiſſimus poſuit, & cuius iconẽ[b] Bellonius exhibuit, nos contẽtos eſſe oportuit. Nã eã, quam olim ad nos miſit ad viuum coloribus expreſſam iconem, genuinum veterum Haliætum eſſe ratus, D. Iohannes Brancionus Patritius Mechlinienſis Belga, non Aquilæ marinæ, ſed Oſſifragæ genus eſſe, argumentis quæ ſuo loco recenſebimus, inducti, comperimus. Deſcriptio illius viri eſt iſta. Magnitudine Haliętos eſt Milui, capite albis & fuſcis diſtincto lineis, roſtro Aquilino, oculis in medio nigris, in ambitu aureis, lingua ferè humana, niſi quod ad eius radicem utrinque appendicem cæterarum more habet, colore per ſumma Aſturis, per ima albo, gutture maculis notato ruffis, vt & ventre, pectore purè candido. Supra magnitudinem corporis longitudo alarum eſt, quæ ad pedes Romanos duos & digitos vndecim extenditur, cru re craſſo & ſquammoſo, pede hamato & colore cæruleo, digitis quatuor per ſuperna ad dimidiam longitudinem etiam ſquammoſis, ad reliquam inciſis, per inferna aſperis & aculeatis tenacitatis cauſa, & his tam validis, vt flexos vix ulla ui diſtendas. Pedum digitos non, vt ſteganopodibus cute craſſiore nexos, ſed fiſſos, ut cæteræ Aquilæ, obtinet.

[a] *Lib. 9. Hiſt. cap. 32.*

[b] *Lib. 2. de auib. cap. 8.*

Magnitudo.
Caput.
Lingua.
Guttur.
Longitudo alarum.
Crura.
Pedes.



Secunda

Secunda quam damus icon Bellonij est, de qua ille nihil peculiare tradit, pręterquàm quòd ꝓpriũ huic esse dicat habere maculã, sed vbi, nõ addit: item quod testas habeat in cruribus, cùm cæteræ tabellas habeant: demum quòd vngues habeat omnino rotundos, qui alijs Aquilis cum quadam planitie sunt. Verùm hoc loco insignis de pedibus Haliæti controuersia excutienda est, certè in tãta authorum discrepantia compositu difficilis. Albertus enim de Aue quadam varia agit, quam piscium Aquilam Germanico idiomate vocatam ait, in pectore alba, dorso nigra, quæq; in struma (sic opinor gulam vocat) nigras habeat maculas, & piscibus super flumina ac stagna arboribus insidens insidietur. Quibus uerbis proculdubiò Haliætum, etsi à superiore diuersam depingit, quem pedẽ unum Anserinis similem habere dicit, nempe digitis, membrana coniunctis planum: alterum verò Accipitrinum, aduncis unguibus, & fissis digitis. Confirmat hanc sententiam Vincentius Bellunensis, asserens Aquilã Orfraye (ita Haliætos Gallis dicitur) altero pede aduncis vnguibus ad prædam instructam esse, altero lato ad natandum: gyro enim multiplici vsa in aëre, nunc more ludentis, nunc more insidiantis, tandem præda in aquis visa, impetu maximo descendit, altero quidem pede prædam rapiente, altero uerò natante, & prædę raptorem adiuuante. Quin & Ornithologus ipse ab his stare videtur, vbi scribit se ab Anglis accepisse, quibus, vt sæpè audiui, multò notior est, quã multi uelint, qui pisces in viuarijs alunt, quos omnes breui tempore absumit, nempe Haliætum, quem ipsi Osprey uocant, pede uno Anserino esse, altero Milui, atque huius magnitudinem referre, pectore esse albo, pisces maximos capere, adipem in cauda pretiosum continere, volare per aërem & in eo interdum ueluti pẽdere, tum adipis aliquid in aquam dimittere, unde pisces attoniti quasi & torpescentes uertantur supini, super quos mox rectà sese præcipitem deijciat instar iaculi, & unum ex illis altero pede, adunco nempe arripiat. Burgundi etiam Aui illi, quam Crotpescherot, id est, Coruum piscatorem appellant, pedes similes & eundem piscandi morem cum Haliæto esse ferunt, quę piscẽ, vbi Aquilino pede in aqua corripuit, nec propter põdus ex aqua euolare queat, mox altero pede, quo palmipes est, ad ripam usque remiget. Negat opinionem quam exhibemus, Aquila marina Bellonij: negat & constanter in literis, quas ad nos dedit doctissimus quidam medicus, & fabulosum esse affirmat, quidquid de diuersitate pedum in Haliæto ab alijs proditur, sed germanum uerumq; Haliętũ pedibus ait esse uniusmodi, & in morem reliquarum Aquilarum acutis, atque in digitos, quos nulla membrana contineat, dissectis. Nos sanè hãc litem decidere, ratione quadam certa & indubitata nõ audemus. Si quid tamen coniectura, atque ex longo rerum naturalium vsu hausta assequimur, dicamus certè autores vtrosq; qui de pedibus Aquilæ marinę diuersa in medium adferunt, non tam reipsa, quàm specie solùm tenus pugnare. Esse enim plures Aquilarum marinarum species, quæ ad Haliætum ceu genus quoddam referantur, nihil obstat, imo vero est quam simillimum. Neque Alberto Magno, Anglis, Burgundis oculatis testibus, temerè contradixerim; Optimè enim vnicuique perspecta esse solent, quæ patriæ suæ seu tellure seu æquore peculiaria sunt. Tùm vel ea maximè de causa, quòd, etsi Aquilæ huiusmodi nullæ mihi visæ sint, alias tamẽ Aues nempe Gallinulas aquaticas ijsdem, quos paulò antè exposuimus, pedibus dotatas esse certò scio, vt partim palmipedes, partim verò fissi pedes dici mereantur. Atq; sic mihi retulit studiosiss. iuuenis Leonardus Cansarts Hasselensis Tungrus P. & M. D. qui duas eiusmodi extra ciuitatem Hasseletum ditionis Leodiensis in piscina quadam captas Aues habuit. Vnde & falsum esse constat quod quidam nullas tales in rerũ natura reperiri alites, audaciùs quàm sapientiùs pronunciãt. Simile etiam in Aquilarum præsertim marinarum genere, vsu venire posse non video, quo pacto negari possit. Ex hoc etiam dissoluimus, quod ab Aristotele scriptum est, accidere Haliæto sæpius, vt cùm ferre quod ceperit, nequeat, in gurgitem demergatur. Nam de priore illo genere fissipede scilicet, quod Aristoteles solùm cognouit, atque ad natandum ineptum est, id intelligere oportet; minimè verò de altero, quod natando quoties & quandocũq; lubet, potest euadere. Hanc autem veteribus non ignoratam fuisse, vel ex Oppiano liquet, qui Haliætum inter Aues amphibias, pręstantissimam esse, nec forma à terrestribus Aquilis absimilem, atque è mari victitare, scribit. Caudam latam, quam ipsi Aristoteles tribuit, vt alijs plerisq; rapacibus ad commoditatem & volandi normam, qua cæteris magis opus habent (exactiùs enim & longè rectiùs in aliquid feruntur) narura concessit, vt hac tanquam temone & gubernaculo volatus impetum, qui quandoq; ad perpendiculũ instar saxi deorsum ruentis fit, dirigere commodiùs ac moderari possint. Carne est cinerea, ad nigrum vergente, fibrosa & dura.

Controuersia de pedibus Halięti.

Auis vno pede plano, altero fisso.

Osprey.

Crotpescherot.

Gallinulæ aquaticæ partim palmipedes, partim fissi pedes.

VISVS

# VISVS.

ETSI omnes ferè Aquilæ præ cæteris diurnis vncunguibus hoc habeant, vt acutiſſimo viſu præditę ſint, quemadmodum in generali hiſtoria palam fecimus, Haliætos tamen omnium authorum iudicio vno ore in hoc cęteris præfertur, idq; ſummo iure. Hic enim de viſus acie tam eſt certus, vt pullos ſuos adhuc implumes hac ipſa, de indole ac generoſitate exploret. Ad hanc igitur peculiari ratione ſpectat, quod Tertulianus ait, *Solem Noctuæ neſciũt oculis, Aquilæ ita ſuſtinent vt natorum ſuorum generoſitatem de pupillarum audacia iudicent; alioqui non educabunt vt degenerem, quem ſolis radius auerterit*, Vnde & Silius Italicus de Haliæto canit;

*Phœbea dubios explorat lampade fœtus.*

Videtur enim naturali quodam inſtinctu ac ſagacitate ortus ſui minimè neſcius, omni ſtudio cauere velle, ne quemadmodum ipſe diuerſi generis parentibus prognatus eſt, & labem quandam contraxit, ita proles ipſius, ſi illegitima fuerit, nouo & ſecundo errore irrecuperabile generi damnum adferat, atque omni generoſitate exuta ſobolis genuinæ honorem perdat. Illuc igitur omni induſtria procurat, vt inuſta generi nota diligenti examine eluatur, & detrimentum quod in ſua geneſi accepit, cuius ipſe non eſt inſcius, in prole poſtliminio reſarciatur. Haliætum enim intemeratis natalibus ortum negat [a] Plinius, cùm ait: *Haliæti ſuum genus non habent, ſed ex diuerſo Aquilarum coitu naſcuntur*. Hoc ipſum [c] Oppianus etiam inſinuare videtur his verbis: *Aquilam marinam aiunt ſpurium eſſe fœtum terreſtrium Aquilarum, ideoq; à paternis nidis repelli, deinde per alios quoſdam alites* (Oſſifragas nimirum intelligit) *educatã neglectã terra maritimum victum amplecti*. Præter id commodum, quod Aquila marina ex perſpicaciſſimo obtutu percipit, nempe vt genus ſuum eius beneficio incorruptum conſeruet, alterum inſuper vtilitatẽ eamq; non minoris momenti ex eodem aſſequitur, nempe vt victum huius opera facilius & commodiùs ſibi paret. *Eſt enim* (vt [b] Iſidorus teſtatur) *tãti contuitus, vt cùm ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos natare videat, ac inſtar tormenti deſcendens raptam prædam pedibus ad littus pertrahat*. Sed quoniam de viſu ſatis multa aliàs dixerimus, itaq; occaſione emolumenti, quod inde percipit, ad hoc ipſum nempe ad victum tranſiremus (quibus nimirum locis, quem & qua ratione ſibi paret, ad quod præda & venatus, nec non motus pertinent, tandem expoſituri) niſi de eius ortu nobis etiam dicendum aliquid eſſet.

[a] *Lib. 10. c. 3.*

[b] *Lib. 12. Orig. c. 7.*

# ORTVS.

DE ortu Haliæti mira nobis [a] Plinius hunc in modum tradit: *Haliæti genus ſuum non habent, ſed ex diuerſo Aquilarum coitu naſcuntur. Id quidem quod ex ijs natum eſt, in Oſſifragis genus habet, è quibus Vultures progenerantur minores: & ex ijs magni, qui omninò non generant*. Illud in primis intellectu admodum difficile eſt, quomodo Auis, quam fœtus ſuos ad radios ſolares, tanquam legitimi generis acerrimos iudices examinare ſcribit, genus ſuum neget habere. An fortè ea verba *non habere genus ſuum*, ita intelligenda ſint, vt Haliætum, quem ex diuerſo Aquilarum coitu gigni dicit, ex nobiliorum Aquilarum congreſſu naſci dicere voluerit, cui nempè clariſſimam oculorum aciem tribuit, quam ſanè niſi à nobili quadam Aquila obtinere non potuit? Secundùm non paruam etiam mihi dubitationem faciunt iſtæc verba, *naſcuntur ex diuerſo Aquilarum coitu*: ſi enim, vt dixi, ex nobiliorũ, fruſtrà addiderit Plinius, *diuerſo*, quę vox ignobiles etiam includit: ſi ergò ignobiles inter ſe miſceantur, quomodo filium generabunt, qui parentes ſuos viſus acie, quam in Haliæto prædicat, ſuperet? Tertia dubitatio eſt, cur, etſi ex diuerſo coitu gignatur, quod ex eo naſcitur in Oſſifragis potiùs, quàm in alijs Aquilis genus habeat? & cur nõ Haliætus coiens cum Haliæto, vt cæteræ Aquilæ, genus ſuum conſeruet? Quis enim ſpurios liberos ſteriles dicat? An fortè ſpurius Haliætus mas, ſpuriæ fœminæ, & è contrario ſpurio mari ſpuria fœmina amplexum neget? Ita enim tam mas, quam fœmina cum alijs Aquilis rem habere cogentur, & nunquam genus ſuum habebunt: ſi ita, cum quibus? haud dubiò cum ignobilioribus: nobiliores enim eadem animi generoſitate, tam mares, quàm fœminæ ſpurios ſpernent; ergò cum Oſſifragis, quas Plinius Aquilarum etiam genus facit. Qui igitur ex Oſſifraga & Haliæto generatur pullus, etſi Haliętus, vel potiùs Semihaliætus eſt, genus tamen ſuum non habebit, quoniam ab alijs Haliætis, qui diuerſo Aquilarum coitu nati ſunt, tanquam noua quędam ſpecies fugabitur. Quod verò Haliætus cum Oſſifraga coeat, quis forſitan inde probet,

quoniam

[a] *Li. 10. c. 3.*

quoniam Offifraga,(quod Ariſtoteles omnesq; Philoſophi etiam admittunt) pullos ab Aquila (Haliæto fortè) nido expulſos,tanquã adulterij ſui conſcia,educet pro ſuis. Quarta & maior etiam hinc ſurgit dubitatio,quomodo ex Offifragis procreentur Vultures minores, ut Plinius vult; An hoc non de veris Offifragis,ſed de ſpurijs illis, videlicet ex ſemihaliætis procreatis intelligendum eſt,ſi cum ijs Vultures(qui alioqui Aquilas ſeſquialtera portione in quantitate ſuperant)coierint? eo enim modo pulli ex ijs naſcentur, qui maioribus Vulturibus erunt minores, Aquilis verò maiores:cum quibus ſi poſtmodum maiores iterum Vultures coierint,fœtum facient,ſi non magnitudine ſibi parem,ſaltem non multò inferiorem. Neceſſariò enim iſtæc generatio,vt hæ Aues inter ſe magnitudine differũt,eodem etiam modo ſemper aliquod augmentum faciet. Quinta & poſtrema dubitatio eſt, quomodo qui matre & patre Vulturibus procreatur pullus,ſterilem gignat filium: ſic enim iam ante multa ſecula genus ſuum illi perdidiſſent. An id natura,quæ ſimile in quadrupedibus nobis mõſtrauit (ex equa & aſino ſterilem procreans mulum) in Auibus etiã fieri voluerit? Sed cùm abſtruſa iſtæc Plinij verba intimiùs examinarem,& parum veriſimilia eſſe viderem: placuit illa etiam excellentiſſimorum ac celeberrimorum horum philoſophorum, domini Frederici Pendaſij nempè,& Domini Camilli Baldi iudicio ſubijcere. Ea itaque verba *Haliæti genus non habent*, ille ita exponit. Haliętus mas non coit cum Haliæta fœmina, ſed cum aliûs ſpeciei Aquila. *Id quod ex ijs natum eſt in Offifragis genus habet*,hoc eſt educationem,ſed id quod pro legitimo approbat,ab ipſo Haliẹto educatur, è quibus coeuntibus cum Offifragis, generatur quid ſimile Vulturibus minoribus. Ex quibus magni Vultures procreantur ſteriles,vt Plinius inquit. Atque hactenus ille vir præſtantiſſimus. Clariſſimus verò Baldus nihil à noſtra interpretatione diſcedere,vt aiebat,volens,hunc in modum interpretabatur. Illud in primis mihi dubitationem facit,an ſcribat Plinius Haliętum ad ſolis radios exponere fœtus ſuos,cùm infra videatur dicere Haliętum genus ſuum non habere: & quomodo ad ſolis radios exponit fœtus ſuos,cùm in Offifragis, quod ex ipſo naſcitur genus habeat:ſanè enim Offifraga videretur Haliæto imperfectior. At ego,ni fallor,crederem,uel in textu Plinij mendum eſſe, vel ſatis offitanter hæc ſcripſiſſe. Iam enim ait: *Haliæti ſuum genus non habent ſed ex diuerſo Aquilarum coitu gignuntur*; ſuprà dixerat, *nullam Aquilam præter Melanætum pullos alere*, quare neque Haliætus alit ſuos. Hæc Ariſtoteli pia, & benigna eſt, neque ſolùm ſuos,ſed alienos etiam pullos alit. Quæ igitur apud Plinium non alit fœtus, apud Ariſtotelem maximè alit, & ſi genus ſuum non habet, quomodo ſolaribus radijs probet ſuos fœtus: habet igitur,ſi probat. Iure igitur in Plinio mendum me ſuſpicari dixi: cùm enim clariſſimè cernere dicit Plinius,eundemq; cogere pullos ſuos inſpicere ſolem, quod à marina Aquila fieri ſenſit Ariſtoteles,at ſi in Offifragam genus degenerent Haliæti pulli, quorum nebuloſus ac imbecillus eſt viſus;quomodo ab eorum parentibus cogentur ſolem aſpicere? & qui non ſuſtinẽt, eijciuntur? iam enim omnes eijcerentur. Mihi itaque videtur multa confuſio, & quæ ſequuntur, id docent,cum ait. *Nidificant in petris*: de qua enim ſpecie Aquilarum loquatur, non apparet, Sed maximam mihi dubitationem facit, quod dixit *ex diuerſo Aquilarum coitu ortas Haliætos ex his Offifragarum genus,ex quibus Vultures minores,ex minoribus maiores, qui ſunt infœcundi*. Paulò infrà in capite de Vulture,hos habere genus ſuum & pullos educare docet,hi ſanè omnes Vultures maiores eſſe deberent,& in alienum genus degenerare dicendum erat. Ego ſanè credo hæc volucrum genera proprios fœtus habere, & educare,neque adeò facilè Aues diuerſarum ſpecierum ſimul miſceri,& præcipuè maiores:iam enim cum ſuo pari à primordio naſcuntur, ſimulq; viuunt & nidificant,& oua fouẽt & excludunt. Non enim videtur hęc mixtio ſeminum facta,præterquàm in his animalibus, quæ incertum quodãmodo coniugium incertumq; marem habent,neque probabile eſt, fœminas, quæ ſui generis marem in promptu habeant, alienum velle pati,quod in aſinis & equis perſpicuum eſt:qui enim mulos ex equa aut aſina procreare volunt, mares earum ſpecierum, quàm longiſſimè abigunt, & diu hæc ſimul degere faciunt,vr tandem ex conſuetudine pati aſinum equa non renuat. Hæc dixiſſe volui,quò aliquid feciſſe videar,quæ omnia acerrimo tuo iudicio ſubijcio. Præ cæteris autem illud mihi videtur intolerabile,quòd ex Aquilis Haliẹti,ex his Offifragi gignãtur,ex quibus deinde Vultures minores & tandem ſteriles fiant:iam omne genus talium volucrium perijſſe debuiſſet. Vnde non poſſum non adduci vel ſubeſſe mendum, vel ſatis offitanter hæc à Plinio dicta fuiſſe. Hactenus itaque doctiſſimus Baldus. De quibus omnibus ego pariter aliorum aliquando iudicium expecto.

Vultures minores ex Offifragis.

Vultures maiores ex minoribus.

Vultures ſteriles vnde.

Frederici Pendaſij & Camilli Baldi opinio de Haliæti generatione.

# VICTVS. LOCVS. VENATVS.

[a] *Lib.9.Hiſtor.cap.32.*

MORATVR Haliætos, vt [a] Ariſtoteles tradit, circa mare, vnde & ei nomen, nec non in littoribus & oris. Nimirum quia è mari, & piſcibus victitat. Hos clariſſima oculorum acie in uitreis ac profundis vndis conſpectos, ex alto ſeſe librans, & in altũ mare ſe præcipitans, aquis pectore diſcuſſis rapit, referente [b] Plinio, & maximè quidẽ (ſi [c] Oppiano credimus) illos, qui ſublimiùs natãt, & in ſummo aquæ; ita vt corporis ipſorũ pars aliqua ſub conſpectum veniat. At non perpetuò res ſuccedit. Interdum enim cùm in maiores piſces vnguium mucrones infixit, nec illos in altum eleuare poteſt, quare põdere victus, vnà cum piſcibus peſſum it & perditur potius, quàm perdat alios, abreptus nimirum ad imum pelagi, quò ſeſe piſces vrgente dolore recipiunt. Quibus verbis Oppiani, Ariſtotelis locus dilucidatur, vbi ait: *Accidit hunc ſæpe, vt cùm ferre quod ceperit, nequeat, in gurgitem demergatur:* Vnde imbecillitatis ſuæ conſcius, ſuaſq; vires metitus, minoris tantùm ponderis & quibus ferendis par eſt futurus, piſces corripit, in hoc ſagax certè, ne viribus deſtitutus, vel ab incepto cogatur deſiſtere, vel oneri ſuccumbat, nõ ſine ſuo periculo. Verum rationem capiendi piſces ſingularem quandam & cum nulla vi, atq; periculo coniunctam, quęque veteres prorſus latuit, & Halięto propria eſt, hoc loco minimè prętеribo, quam vir quidam doctiſſimus ac fide digniſſimus, mihiq; amicus ad me ſcripſit. Ea inter plurima quę natura admirãda fecit, non modicam admirationem meretur. Eſt autem in hunc ferè modum: In Britãnia Auium rapacium & præſertim Aquilarum marinarum alumna, vbi frequenter iucundiſſimum ſuæ diligentis piſcationis in littore ſtãtibus hęc Auis ſpectaculum præbet, iſtæc opinio apud vulgus inoleuit, quòd vim quandam naturalem ineſſe ei credant, quæ piſces, qui ſibi in aëre libranti ſubſint, aut ab ea conſpiciantur, extemplò reſupinari cogat, ad ſummam aquam aſcendere, atq; quaſi lethargico quopiam affectu ſopiti ſint, ſeu morte extinti ventrem albicantem exhibere, vt ſic facilior præda fiat aduolanti Haliæto. Vt ut ſeſe negotium habet, reclamare in totum nolim. Si tamen naturali cuipiam eius Auis, etſi latẽti facultati huiuſmodi effectum aſcribendum putemus: equidem non tam in euidẽti piſcium ſtupore hunc virum decipi, quam in ratione eiuſdem aſſignanda hallucinari credam. Cùm enim iuxta vulgatiſſimum illud Phyſicorum axioma: omne agens naturale, non niſi per contactum conſtet agere: itaque non ideò piſces torpore corripi arbitror, quòd uel ab Haliæto conſpecti ſint, vel is ipſe ſupra eos in aëre aliquamdiu ſuſpenſus hæſerit (Neque enim hîc nugiuendę cuipiam, qui de Baſiliſco, ſolo intuitu necante; aut de oculis vetulæ cuiuſpiam faſcinatoribus fabula texit, auſcultare libet, quorum illud commentitium eſt, hoc, ſi verum eſt, naturæ limites egreditur) verùm vt paulò ſupra dictum eſſe memini, quòd Haliętus adipem quẽdam, quem in cauda reconditum habet, dum pendens in aëre piſcibus exitium machinatur, guttatim ſupra piſces in aquam demittit, cuius ui ipſi veluti attoniti & ſiderati omni prorſus motu deſtituantur & ſic abſque difficultate capiendas ſeſe prębeant. Quod nunquid narcotica quapiam vi, more torpedinis; num potiùs (nam calidum hunc adipem magis eſſe debere cõtendat quiſpiam) tenuitate partium, quę inſtar aquę uitæ inebriet & vertiginem inducat; an demùm latente nobis, & abſtruſa quapiam ratione illud efficiat, alijs iudicandum relinquo. Hoc ſcio, nos iure poſſe & ſine ullo ſuperſtitionis crimine huic rei præſtare fidem; ſi modò his, quę de torpedine ſcribuntur meritò fidem adhibemus. Quare ut eiuſdem ueritati adſtruendę, non immorer diutius, vnum ſolummodo, & pro faciliore fide impetranda, exemplum adducam non abſimilis in alia Aue uirtutis. Coloniæ Agrippinæ inferioris Germaniæ urbis celeberrimæ incolæ & accolæ ruſtici pro certo ſibi perſuadent, imo pro comperto aſſerunt, Ardeas, quę eo loci ſatis frequentes ſunt, hac ui pollere, ut ad pedem, ſi in aquam imponat, tanquam ad illicium quoddam, ſiue ad eſcam frequentes piſces adnatent, quibus ultrò accurrentibus & deuoratis famem ſolentur. Qua de cauſa eiuſdem urbis Pharmacopolæ, Ardearum adipem, uenalem ſemper aſſeruant, & piſcatoribus in piſcandi uſum uendunt, ut mihi pro certo affirmauit fide digniſſ. ac doctiſſ. Iuuenis Ioannes Bachouius Aechtius Colonienſis Medicus, Medici Aechtij filius. Simili pacto in eandem piſcium capturam, Haliæti adeps ſeruit Anglis piſcatoribus. Hi enim eſcę, quam fallendis piſcibus deſtinarunt, aut Haliæti adipem illinunt, aut immiſcẽt, eam hoc multò efficaciorem fore putantes. Ne uerò quiſpiam miretur, Aquilam uolucrem calidiſſimam, tantam adipis copiam in cauda continere, ut quotieſcunq; lubet, ex ea guttas aliquot neq; eas pauciſſimas in mare deijciat. Equidem anatomica inſpectione edoctus, in Aquilę regalis ſeu Chryſaëti uropygio tam copioſum adipem reperi, ut id non paruam admirationem mihi attulerit: uerùm copioſiorem multò in Oſſifragæ coccyge, in utriſque medij pugni craſſitudine

10 20 30 40 50

Ariſtoteles dilucidat.

Britannia auiũ rapaciũ alumna

Qũo in piſcibus torporẽ excitet Haliætus.

Adeps qualis i cauda Haliæti.

Ardearum mirabilis piſcatio.

Adipis ardearũ uſus.

Adipis Haliæti uſus ad capiendos piſces.

situdine & uertebris aliquot instratum uti suo loco latiùs exposui. Vnde ut opinor, minus mirum uidebitur, si Haliætum Auem per [c] Oppianum amphibiam atque ob uictum frigidiorem & humidiorem, adipe multo, præsertim in uropygio, instar Cygni aut Anseris, collecto abundare dicemus. At ne Ichtiophagum solummodò & parum generosè rapacem quis existimet, uiuit etiam, ut testis est [f] Aristoteles, auibus marinis. Venationem earũ admodum solertè idem his uerbis exponit: *Aggreditur singulas cum emergentem obseruarit; refugit auis, vt euolans vidit Aquilam, & metu perculsa rursus se ingurgitat, vt in diuersa prolapsa emergat: Sed hæc acie oculorum valens sedulò aduolat, donec vel strangulet in humore, uel per summa corripiat. Vniuersas nunquam inuadit, arcent enim frequenter, suisq; alis repellunt.* Hæc ipsa autem ex Aristotelis istoc loco trãslata [g] Plinius Anatariæ seu Morphno attribuit. Sed & Theocronus Oppiano Aquilæ genus spurium, piscibus insidiatur & victitat. Haliætos verò non tantummodò ex piscibus & auibus aquaticis victum quærit, verùm etiam, vt [h] Aelianus testatur, Columbæ ab Aquilis marinis sibi timent. Captus aliquando Haliætus à doctissimo quodam Medico, moribus sic satis placidus visus fuit ac tractabilis, famisq; patientissimus. Vixit dies septem absque omni cibo, & quidem in alta quiete, nisi si hoc non natura tulit, sed fames quæ domat omnia. Carnem ablatam recusauit, pisces sine dubio voraturus, si exhibiti fuissent, cùm certò constaret eum hisce viuere.

[c] *In Ixeuticis.*
[f] *Aristot.* Haliætas quo marinas Aues comprehẽdat.
[g] *Plinius.* Theocronus spuriũ genus Aquilarum quib⁹ victicet.
[h] *Lib. de Animal. 3. cap. 45.*

# ANTIPATHIA.

CVM Cirhide aue Haliætus internecinum alit odium. Hanc ipsam (quam ex puella in Auem mutatã in fabulis referemus) si forsan oberrantẽ viderit, mox per insidias captam perdit, vt author est [a] Oppianus, sed huius causã fabulosã quidẽ paulò pòst exposituri sumus. [a] *Ixeut. lib. 2*

# PRAESAGIA.

HI qui temporum mutationes ex auium aduentu & recessu obseruant, inter signa serenitatis ponunt, si quando Haliætum sublimem volitantem videãt. Quod [a] Vergilius etiam obseruauit, cum canit: [a] *Georg. li. 1.*

*Apparet liquido sublimis in aëre Nisus.*

Est præterea, vt tradit Oppianus, conspectus ipsorum exoptatus boniq; indicij (nimirum copię piscium) apud piscatores.

# VSVS IN CIBO.

IN veteri [a] testamẽto huius, ut & omnium Aquilarum vsus, mensis interdictus erat, vti in generali Aquilę historia, adiuncta etiam ratione fusiùs disseruimus. Vtrum verò aliquibus in cibum veniat, hac tempestate, certò non possum statuere. Bellonius locis quibusdam maritimis, vbi lacus sunt & æstuaria plena piscibus, si quando uideant accolæ nullum vspiam Haliæto locum relictum esse, vbi capta præda consideat (non enim longè auolare probè sciũt, nec procul prædam asportare) quoniam in amplo ac spatioso æquore neque arbor vlla nec palus extet, tum retibus in ambitum tensis eum capi quidem scribit, verùm in quem vsum, non addit. Nunquid ideò, vt piscibus ab eo captis potiãtur? an potiùs ut caro eius in escam cedat? num denique vt mansuefactus ipsis ad venationem piscium inseruiat?

[b] *Leu. 11.*

# VSVS IN MEDICINA.

IN Medicum vsum nihil præter eius fel adhiberi reperio. [a] Plinius, ita tradit: *Aquilæ quam diximus pullos ad contuendum Solem experiri* (id autem dixerat Haliætum facere) *mixto felle cum melle Attico, inunguntur nubeculæ & caligationes & suffusiones oculorum.* Alij tamen Aquilæ felli simpliciter hanc vim ascribunt.

Fellis Haliæti vsus.
[a] *Li. 29. c. 6.*

# VSVS IN SIGNIS.

Verona vrbs Friſiæ.

VISSE olim Friſiæ vrbem, Hollandis conterminam, nomine Veronam, vrbem, inquam, ſuo tempore opulentiſſimam, tradunt eius regionis hiſtoriographi, habuiſſeq; figillum, in quo Aquila cælum ſpectans explicatis alis expreſſa eſt, cum gladio poteſtatis iuſtitiæq; ſymbolo ad dextram. Eiuſmodi figillum æri Cyprio inſculptum, ita ærugine deformatũ, vt nulla forma potuerit agnoſci, in illius vrbis ruinis fortuitò inuentum eſſe memorãt, quod uaſcularij opera & arte defricatum, ac ſequaci ceræ impreſſum antedictam cum epigraphe ſpeciem mõſtrauit. Quod hoc loco dixiſſe volui, quoniam Aquila illa cælum reſpiciens, Haliætus fortaſsè fuerit, cuius præcipua laus atque encomium inter alias in viſu conſiſtit. Placuit & hîc obiter etiam inſerere, veteres Hebræos per ſingulas Tribus propria ac diſtincta vexilla habuiſſe: Tribus nempe Ruben figuram hominis, Iuda Leonis, Ephraim bouis, Dan Aquilæ vſurpauit.

# FABVLAE.

[a] *Lib. Metamorph. 8.* Niſus in Haliætum.

VIDIVS Niſi mutati in Auem ſui nominis (quem & Haliætum vocant) fabulam refert, hoc pacto: Niſus Rex erat Megarenſium aureos habens capillos,

*cui ſplendidus oſtro*
*Inter honoratos medio de vertice canos*
*Crinis inhærebat, magni fiducia regni:*

Huic oraculum conſulenti reſponſum eſt, eum tam diu regno potiturũ, quandiu capillos intonſos retineret. Cùm igitur ab Minoë, ob interfectum dolo ab Athenienſibus & Megarẽſibus Androgeũ filium Megara obſideretur, Scylla filia Niſi hoſtis amore flagrans vt illum magis deliniret, noctu dormienti patri comam totõdit, & Minoi obtulit, qui dono accepto, & victoria potitus, Niſum euerſa regia occidit. Tum Niſus Deorum commiſeratione in ſui nominis auem, quæ aliàs Haliætus dicitur, conuerſus eſt, qui perpetuum in Cirin Auem, in quam Scylla mutata dicitur, odium exercet. Cùm enim ab Minoë, qui impietatem eius ac proditionem deteſtabatur, contempta relinqueretur, illa amoris impatiens, *inſilit vndis,*

Scylla in auem.

*Conſequiturq; rates faciente Cupidine vires*
*Gnoſiacæq; hæret comes inuidioſa carinæ:*
*Quam pater vt vidit (nam iam pendebat in auras,*
*Et modo factus Auis fuluis Haliætus in alis)*
*Ibat, vt hærentem roſtro laceraret adunco:*
*Illa metu puppim dimiſit, & aura cadentem*
*Suſtinuiſſe leuis, ne tangeret æquora, viſa eſt;*
*Pluma fuit, plumis in Auem mutata vocatur*
*Ciris, & à tonſo eſt hoc nomen adepta capillo.*

[b] *Georg. 1.* Sed [b] Vergilius inter ſigna ſerenitatis Niſum in Auem mutatum agnoſcens, eum cui cum Scylla capitalis eſt inimicitia, ratione à fabula petita, exponit his verſibus:

*Apparet liquido ſublimis in aere Niſus*
*Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo:*
*Quacunq; illa leuem fugiens ſecat æthera pennis,*
*Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras*
*Inſequitur Niſus, qua ſe fert Niſus, ad auras*
*Illa leuem fugiens raptim ſecat æthera pennis.*

Sunt tamen qui Scyllam Illam in piſcem Cirim, quem vocant, mutatam tradunt, Haliætumq; ſi quando eum piſcem conſpexerit, mittere ſe in aquam, raptumq; vnguibus dilaniare.

[c] *In Metamorph.* Pandarei fabula. Aëdon Pãdarei filia.

De Pandareo in Haliætum mutato [c] Antoninus Liberalis, hanc quoque recenſet fabulam. Pandareus (vt eſt apud Bœum in Ornithogonia) in agro Epheſio habitauit, quo loco nunc iuxta vrbem eſt Prion. Huic Ceres id largita eſt benefitij, vt uenter eius cibis nunquam grauaretur, quantumcunque ingeſſiſſet. Fuit Pandareo filia Aëdon: eam duxit Polytechnus faber, Colophone Lydiæ habitans: plurimumq; temporis ſuauiter vnà vixerunt, vnico filio procreato, cui nomen Itys. Fuerũt autem felices, quàmdiu Deos debito affecêre honore. At poſtquam inani voce gloriati ſunt, magis ſe inuicem amare, quam Iupiter & Iuno ſe multùo diligant: Iuno offenſa eo dicto, Eridem ad eos miſit, quæ contentionem operum inijceret ipſis. Paululum reſtabat Polytechno ad curulem ſellam conficiendam, & Aëdoni ad pertexẽdam telam. Itaq;

hanc

hanc ſponſionem coeunt, vt vterq; ipſorum celeriùs opus ſuum abſoluiſſet, ei alter famulam daret. Citiùs telam pertexuit Aëdon, Iunone opus adiuuante. Cui inuidens victoriam Polytechnus, ad ſocerum proficiſcitur, ſimulans ſe ab vxore miſſum ad abducendam ſecum ſororem Chelidonem: & Pandareus nihil mali ſuſpicatus filiam Chelidonem ei committit. Ei Polytechnus in ſylua uirginitatem eripit, tonſoq; capite, alijs eam veſtibus induit: mortemq; minatus, ſi quid horum vnquam Aëdoni indicaſſet. Ita domum reuerſus, eam vxori loco ancillæ ex pacto tradit. Aliquandiu eam ſoror operis exigendis attriuit, donec Chelidonis cum vrna ad fontem prolixè ſuam deplorans calamitatem, à ſorore exaudita eſt. Poſtquam ſe mutuò agnouerunt, & ſalutauerunt, malum ilicò Polytechno ſunt machinatæ. Filium eius in fruſta concederunt, carnes in ollam coniectas coxerunt, cùmq; Aëdon vicino ſuo mãdaſſet, vt Polytechnum eas iuberet edere, ipſa cum ſorore ad patrem Pandareum peruenit, indicauitq; in quas deuenisſet miſerias. Polytechnus cognito, ſe de filij ſui carnibus epulatũ fuiſſe, eas ad patrem vſque inſecutus eſt. At famuli Pandarei eum, quod tantum familiæ Pandarei probrum intuliſſet, correptum inſolubili vinculo conſtrinxêre: corpusq; melle inunctum in paſcuũ proiecêre, vbi cùm muſcæ adſidentes eum diuexarent, Aëdon ob priſtinam miſerata amicitiã eas abigebat. Quod cùm deprehendiſſent parentes & frater, odio concitati eam ſtatuerunt interficere. Sed Iupiter Pandareum miſeratus, antequam in domo eius grauiora inciderent mala, eos omnes in Aues conuertit, quæ partim ad mare vſque prouolarunt, partim in aërem ſubuolarunt. Pandareus mutatus eſt in Haliætum, mater Aëdonis in Alcyonem: ſtatimq; ſe in mare voluerũt deijcere, ſed Iupiter id prohibuit, atq; hæ Aues nauigantibus ſunt ſecundæ. Polytechnus in Pelecanem tranſijt, quod ei Vulcanus fabricanti ſecurim dediſſet, atque ea Auis fabris uiſa fauſta fuit. Frater Aëdonis Vpupa extitit, quę auis terra mariq; eſt auſpicata, idq; magis ſi coniungitur Haliæto, aut Alcyoni. Aëdõ quæ eſt Luſcinia, circa fluuios, & nemora, filium Ityn deplorat. Chelidonis Hirundo facta eſt hominum contubernalis, Dianæ conſilio: quod inuita virginitatẽ amittens, plurimùm inuocaſſet Dianam. Sed hæc hactenus de fabulis dicta ſint, quibus ſi nullam adhibeas fidem, rectè ſapies.

Pandareus in Haliętũ.

Aedon in Alcyonem.

## MORALIA.

HALIAETVS etſi corpore paruus, uiribus tamen plurimùm præſtans, maiores etiam Aues inuadit, atque interemit: ita pariter aduocati, ac rabulę forenſes, etſi parum etiam iuſtam cauſam defendentes, potentioribus tamen non verentur ſeſe opponere, & ſæpe etiam æqua defendentibus.

## DE MELANAETO SEV AQVILA Valeria. Cap. IIII.

AQVILAE genus, cui dignitatis ac nobilitatis nomine tertium locum tribuimus, quod item [a] Ariſtoteli tertiũ in ordine eſt, licet nõ eadẽ ratione, cùm ordinis rationem nullam habuerit, Melanętus vocatur uel Melanaëtus. Apud Euſtathiũ etiam rectè Μελαναίητος legitur, nempe à colore nigro, qui μέλας dicitur, & totam Auem inficit. Quare Melęnaëtum ſcribi per diphtongum in ſecũda ſyllaba, vt impreſſi codices Ariſtotelis habent, non probo. Ariſtotelis interpres Gaza hanc vocem Melanætos vertit pullam & fuluam. Et primùm quidem rectè, cùm pullus color & niger idem ſint: Quid verò fuluus cum nigro, pulloue commune habeat, planè non video. Valeria Hermolao dicta eſt, quod viribus pręcipuè valeat. Λαγωφονὸς Ariſtot. etiam dici poteſt, pro quo Gaza reddit rectè Aquilam Leporariam; Heſychio & Varino eodem ſenſu Λαγοθήρας vocatur, quarũ vocum hęc (capiens) illa (occidens Lepores) ſignificat. Nam quamuis Germana Aquila Lepores rapiat aliquando, hęc tamen id potiſſimum facit. Homerus Achillem Melanæto ob fortitudinẽ & celeritatẽ comparãs his vtitur verbis.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 32.*

Nomẽclatura.

Fuluus color diuerſus à nigro.

Valeria Aquila.

Leporaria cur ſic dicta.

Πηλεΐδης δ' ἀπόρουσεν, ὅσον τ' ἐπὶ δουρὸς ἐρωὴ,
Αἰετῷ οἵματ' ἔχων μέλανος τῷ θηρητῆρος,
Ὅς θ' ἅμα καρτίστός τε καὶ ὠκίστος πετεηνῶν, id eſt
*Pelides autem auſugit quantum eſt haſtæ iactus,*
*Aquilæ impetum habens nigræ venatricis*
*Quæ ſimul fortiſſimaq; & celerrima eſt alitum.*

[b] *Iliad. Φ.*

Phaſſophonos. Euſtachius correctus. [c] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.* Phaſſophonos qualis auis. [d] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 12.* Varini error. Hypecionis auis. [e] *Lib. de Falconib.* Stokaren Germanorum. Alberti error. Erna Friſiorum.

Hunc locum exponens Euſtathius, Melanætũ Aquilam ſcribit Phaſſophonon etiam, id eſt, Palumbariam nominari; vbi Lagophonon potiùs legẽdum eſt. Sic enim ab [c] Ariſtotele nominatur. Atqui ex Ariſtotele deſcripſiſſe hunc locum Euſtathium vel inde apparet, quòd addit eſſe hanc Aquilam corpore paruo, & cęteris robuſtiorem. Hoc autem, ſi uerum eſt, nempe quod ſit fortiſſima: itaque meritò ſanè à Leporum potiùs, quàm Palumborum prędą denominabitur. Phaſſophonos verò eſt ex Accipitrum genere, teſte [d] Ariſtotele. Porrò hoc eodẽ loco quidam legũt μέλανος τὲ, id eſt, nigri alicuius venatici alitis, pro μέλανος τῦ θηρητῆρος: alij. μελανόσε, id eſt, nigros oculos habentis: alij denię μελανόσε, id eſt, nigra oſſa habentis, quod contra naturam videtur. Sed omnes videntur reprehendendi, ſcribendumq; μέλανος τῦ θηρητῆρος per articulum, non pronomen encliticum, ut rectè Euſtathius annotauit. Apud Varinum in uoce Τρίορχος, ineptè ſcribitur μελανοαίετης pro μελαναίετος. Alio nomine etiã dicitur Hyperionis auis Gallis petit Aigle noir: item ijſdem Gerfault, quamuis eorundem quibuſdam ita Hierofalco appelletur. Quin & illuſtris [e] Marchio Montherculeus Melanætum credit eſſe genus Falconis, quod venatores uocant Hierofalcum, quod & nigro colore ſit, & montes ſyluaſq; colat, ac lepores capiat. Albertus Magnus tertium Aquilæ genus (quod Melanætus eſt Ariſtoteli) interpretatur Aquilam, quæ vulgò ſuis Germanis Stockaren, id eſt, trũcalis dicitur, eò quòd arboribus, arborumvè truncis inſidere ſoleat. *Hoc*, inquit, *rapit parua, ſi quæ occurrunt, animalia, & etiam Anates & aliquando Anſeres & huiuſmodi, primo & ſecundo genere minus, cinerei coloris.* Verùm ſeſe ultima hac nota hallucinatum prodit. Eſt etenim Melanæti color niger, adeò ut nomen ab hoc adeptus ſit, non autem cinereus, qui Morphno potiùs competit. Audio uerò in Gallia & Sabaudia cinerei ferè coloris Aquilas ſæpe conſpici, quæ non ſolæ, ſed ternę aut quaternę uel etiã quinæ unà uolitẽt, indicio ſanè paucæ aut nullius rapacitatis. Apud Friſios iuxta Oceanum Germanicum, Aquilę genus nigrum cernere eſt, hyeme potiſſimum, quod ipſis Erna uoce indigete uocatur, quam prædę ſuę reliquijs inhians Cornicum quoddam genus ſequitur. Hiſpanis Aguglia nigra Melanætus eſt.

# FORMA. DESCRIPTIO.

EA, cuius iconem primo loco nos exhibemus, quamq; aliquando uiuam conſpeximus, Aquila nigra, infra reliquarum, quæ quidem mihi uiſæ ſunt, magnitudinem eſt. Roſtro uerè Aquilino, admodùm adunco, extremo nigro, nempe quãtum hami recuruum eſt. Cætera colore ſunt corneo ſubcęruleo. Supra narium foramina, roſtri initium membrana quędam trãſuerſim obueſtit. Frẽni ſeu rictus incipientis oræ utrobiq; luteæ. Oculi pupilla eſt nigra. Iris charopa, & ex luteo nonnihil ruffeſcit. Vertex ac ceruix ferrugineo obſcuro tinguntur. Reliqui uerò corporis totius color nigricat, niſi quòd ternis exiguis notulis, ijſque albicantibus dorſum aſpergitur. Alę longè ad ultimam ferè caudam exporriguntur. Cauda ſic ſatis lata. Crura propemodum tota plumis operta, ita vt vix ad digiti vnius ſpatium, quod nudatum eſt, ad pedes vſque ſuperſit. Illud tamen quantulumcunq; eſt, exquiſitè luteum eſt: quemadmodum & pedes toti: vtraque tam crura, quam pedes, horumq; digiti ad vngues vſque tabellis veſtiũtur parte antica. Vngues toti nigerrimi. Apud veteres, nempe apud Ariſtotelem & Plinium nullã deſcriptionem aliam reperio præter duas notas, nempe quòd magnitudine omnium minima ſit, & quòd tota nigricet.

Sed ſi his datis notis fidendum eſt, ea quam ſecundo loco damus, ſi non vera Melanętos fuerit, ſaltem ei ualdè reſpondet: eſt enim tota nigra, ſi vnicam quam in tergo habet, maculam albam excipias, quæ tamen defectu pictoris expreſſa non eſt. Erat hæc Auis ſuperiori per omnia ſimilis, niſi quod capillares colli, verticisq; plumulæ non ita eſſent erectæ: quare forſan quiſpiam non temere conijciat ſexu tantummodò differre. Quod alij, qui viuas aliquando nacturi ſunt, experiri poterunt inſtituta de utraque anatome.

Tertio loco poſita Bellonij eſt, quæ quantum à noſtra diuerſa ſit, ex icone licet colligere. Quid autem de Aue dicam, non habeo, cùm ille nullam eius deſcriptionem adferat.



# LOCVS.

COlit montes ac ſyluas, in quibus ſcilicet Leporum capturæ commodiùs incumbit.

# EDVCATIO.

QVEMADMODVM Haliæto laudi datum eſt, pullum, quem cæleſtis iudicis virga reprobauit, reijcere, ita huic omnes enutrire. Hæc enim, vt [a] Plinius eſt teſtis, *ſola Aquilarum fœtus ſuos alit*. In illo pulli degeneris abdicatio generoſitati tribuitur, quia natalium temeratorum, quæ ſubeſt, ſuſpicione, ſeſe liberare ſatagit; In hac uerò Aquila nigra pietati ac liberalitati aſcribitur omniũ fœtuum fotus ac educatio. Par eſt in cunctos amor ac beneuolentia: omnis inuidiæ expers. Quandoquidem cùm incorrupti ortus ſui, ac prolis certa & ſecura ſit, ideò omnes pro legitimis agnoſcit, ac complectitur.

[a] Li. 10. c. 3.

# VENATVS. PVGNA.

IN venando ſingularem induſtriam demõſtrat. Cùm enim leporem à longè conſpexit, cuius uenatu hanc potiſſimùm uiuere diximus, nõ ſeſe repentè ex alto præcipitẽ dare ſolet, ſed ſenſim in terram demittere, quò ſcilicet ab inſidijs tutior ſit, teſte [a] Philoſopho; & ne impetu illiſa offendat. Imò ne hũc quidem, q[illegible] petit, ſtatim aggreditur, donec uiderit in plana deſcẽdiſſe. [illegible] illius Numantij prudentiam imitata, cunctãdo ſibi cauet, reiq; benè gerend[illegible] Cuius exẽplũ [b] Naſo nos imitari monet, hoc uerſu:

*Differ. habent p[illegible] a moræ.*

Verùm neq[illegible] oboris à natura fruſtra tributum eſſe, ut, etſi minima ſit, robuſtiſſi[illegible] eli & [d] Plinio dicatur, quòd imbellis ac timidiſſimi animalium auriti[illegible] dò indulget, vt Philoſophus ſcribit. Inutilis enim ea eſt fortitudo, q[illegible] agit. Facile autem eſt, & nullius molis uincere nõ repugnãtem, inermem certa[illegible] ſum Lepuſculum. Sed [e] Plinium adducam, qui hãc obiectionem accuratiſſima reſpõ[illegible] uit, his verbis: *Primo* (id eſt Melanęto, quem ob pręſtãtiam primo loco dignatus fuit) *& [illegible] ado generi non minorum tantùm quadrupedũ rapina, ſed etiam cum Ceruis prælia: Multum pulu[illegible] rem v[illegible] collectum inſidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupẽ. Hic vnus [illegible] ſtis illi ſatis eſt. Acrior eſt cum Dracone pugna, multoq; magis anceps, etiamſi in aere. Oua hi[illegible] conſectatur Aquilæ auiditate malefica: at illa ob hoc rapit vbicumq; viſum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, vt ſimul decidant.*

Viden obſecro, vt verum ſit, quod ille ait:

*Maior in exiguo regnabit corpore virtus.*

Verùm etſi alioqui validiſſima ſit, nimirum pro corporis ſui proportione, viribus tamen auſus maiores eſſe, & corporis paruitatem, animi magnitudine compenſari, quis non videt? Nec ſolum excelſus animus, ſed & aſtus, ingenijq; ſolertia puſillanimitatis vitiũ reſarcit. Opinione.n. de exiguo ſuo corpore maiora ſine dubio perficit, adeò vt authoris libelli illius verſus, qui ob ſententiarum grauitatem Catonis nomine inſcriptus vulgò circumfertur, in hanc veriſſimè comperiantur quadrare:

*Corporis exigui vires contemnere noli,*
*Ingenio pollet, cui vim natura negauit.*

Cautior tamen cum Ceruo, quem dolo circumuentum præcipitat, quàm felix cum Dracone pugna eſt. Hic enim fortuna audaciam ſuperat, etſi laudando conatu. Nam etiamſi omnibus viribus in certamine exertis aliquando victoria potiri uideatur, hanc tamen nõ niſi Cadmæam obtinet, cùm ſinuoſis Draconis caudæ flexibus implexa, neque expedire ſeſe poſſit, neque alas ad volatum explicare, ſed vnà cum eo deorſum graui pondere delapſa collidatur, perinde atq; Aquilæ marinæ, quæ Polypi ab ſeſe rapti cirris implicatur, & demergitur, in hiſtoria generali ex [f] Aeliano, accidere ſcripſimus.

[a] Lib. 9. Hiſtor. c. 32. Numantij ducis prudentia.
[b] Li. 3. Faſt.
[c] 9. Hiſ. c. 32
[d] Li. 10. c. 3.
[e] Lib. 3. c. 3.
Melanæti cũ Ceruis pugna. Cum Dracone.
[f] Lib. 7. de Anim. c. 2.

MORES.

# MORES.

QVEMADMODVM ex pugna, quam cum acerrimis hostibus habet, quiuis facilè perspicit, Melanætum bellicosam certè & fortissimam Auem esse; vnde etiam Valeriam Latini vocant. Huic meritò Achillem comparauit Homerus, ob fortitudinem & celeritatem, cuiusmodi est Melanæti. Ex ijs, quæ paulò antè de fœtus educatione dicta sunt, insignis eius erga suos pietas ac clementia manifestè apparet. Hostibus itaque trux ac ferox est, vti erga suos benigna, in quo boni Principis ingenium præ se fert. Has omnes & plures insuper eius dotes complexus [a] Aristoteles, talibus eam encomijs prosequitur: *Est*, inquit, *liberalis, strenua, intrepida, pernix, concinua, polita, apta, non inuida, modesta etiam, nec petulans, pia ac omnino mitis, quippe quæ non clangat, neque lippiat, aut murmuret.* Sed hoc loco lippire, à Gaza per onomatopeiā ab ea, quam clangendo vocem edit Aquila, confictam esse oportet; alioqui apud Latinos pro ὀφθαλμιᾶν, quod est lippitudine oculorum laborare, vsurpatur. Plinius lippiendi verbo omisso ex [b] Aristotele: ita ait: *Sola sine clangore, sine murmuratione*: Hoc vno eam amplius, magisq; celebrans, quàm Aristoteles, quòd soli, non obstrepere, aut querulam esse, competere dicat, cùm cæterę omnes clangant, & obstrepent Aquilæ.

Achilles Aquilæ Valeriæ comparatus.

Principis boni typ⁹.

[a] *Lib. 9. Histor. cap. 32.*

[b] *L. 10. c. 3.*

# VSVS IN ARMIS VVLGO DICTIS.

MARIONVM Eugubinorum familiam, antiquissimam, nobilissimamq; fuisse, passim è multorum chronicis docemur, qui & vrbes, oppidaq; ædificasse eos memorant, multaq; Imperialia priuilegia virtutibus suis obtinuisse. Sunt qui à Marione illo, qui à Cassio olim Assyriæ præside, Tyri, vt Iosephus testatur, in præsidio relictus fuit, Mariones hosce originem suam deducere existimēt, atq; ad Theodosij vsque tempora vix quicquam memoria dignum gessisse, vel eorum quæ gesserint, non extare monumentum. Tunc verò, anno videlicet, post natum Christum 396 Marionum virum egregium in curia Theodosij Imp. dominium habuisse. Memi- nit eius Marioni Petrus Beccarinus ex auctoritate [a] Ioānis Selini: *Familia de Marionibus de Eugubio, antiquissima & illustris incæpit anno Domini 383. Nam quidam vir nomine Marionus heros nobilissimus Theodosij Magni Imp. Constantinopoli discedens ex Oriente, & petens oras Occidentis, post labores multos perpessos, constituit se habitare in Eugubio Vmbriæ ciuitate, in qua accipiens vxorem, prole suscepta plantauit familiam, quam de Marionibus à suo nomine nuncupauit.* In antiquissima item historia legimus Iuliam Eugubinam ciuitatem Vmbriæ, à Iulio Mariono eius ciue fuisse restauratam, ideoq; Iuliam Eugubinam, quæ antea Plinio & alijs Eugubium dicebatur, appellatam. Huius rei sempiternum monumentum nostro quoque æuo extat, sigillum nempe armis Marionum insignitū, olim ibi sub saxo quopiā in via S. Vbaldi repertum, cum literis, quæ illis similes sunt, quæ in tabulis illis æneis in eodem loco etiam inuentis, partim Hetruscis, partim Latinis, & ob attritionem, lectionem vix admittentibus leguntur, ac magna diligentia ab vrbis primoribus hodiè adhuc conseruantur. Sunt qui sigillum illud Regis fuisse arbitrentur. Erat enim Eugubium ciuitas Regia. Ex hac familia fuit Theodosius Marionus Eugubinus, uir nobilis ac potens, anno Domini 520 electus undecimus Episcopus Eugubij à Sancto Hormasalo Pontif. Opt. Max. anno pontificatus sui sexto, & sedit annis uiginti. De Oldeberto Mariono legitur in historia Ecclesię Mediolanensis hoc modo: *Oldebertus Marionus de Eugubio anno Domini 815. fuit creatus decimusoctauus Archiepiscopus Mediolani à Papa Leone tertio in vigesimo anno sui pontificatus, & sedit annis nouem.* Gerardus Marionus ex eadē familia fuit Præsbyter Cardinalis S. R. E. sub Eugenio tertio anno 1145. Varia ac maximi ponderis priuilegia istæc clarissima familia ab Imperatoribus ob res domi forisq; præclarè gestas habuit. Hinc Beccarinus, *ex hac familia*, inquit, *semper exorti sunt viri officiosi, ac strenuissimi, & fuit multum priuilegiata ab Othone primo.* Sed & Fredericus primus ei non pauca priuilegia concessit anno 1162. Iulio Mariono ob præclara eius facta Imperator Aquilam integram Imperialem in armis suis, atque etiam posterorum concessit, equitem (heroem habet priuilegium) & tribunum cohortis nobilium sacri imperij creauit, qua quoque dignitate unum semper ex posteris eius gaudere uoluit, titulumq; uiri generosi ac illustris donauit, ut ex priuilegio anno imperij sui octauo, concesso, & in castris ante Mediolanum septimo idus Aprilis dato constat, quod ego breuitatis causa sponte prætereo. Beccarinus, qui sanè in huius familię encomijs multus fuit, tradit etiam Canthium Marionum castrum

Marionum origo.

[a] *L. 1. Chronica.*

Eugubium restauratū.

Arma Marionū in sigillo inuenta.

Theodosi⁹ Marionus.

Oldobert⁹ Marionus.

Gerardus Marionus.

Canthius Marionus.

caſtrum in uia Flaminia ædificaſſe,& Canthianum à nomine ſuo appellauiſſe:ex quo item potentia eorum non parum eluceſcit. Hæc tandem clariſſima familia, cùm à partibus Gibellinæ factionis etiam ſtaret, ac Gelphorum in Vmbria potentior eſſet, unà cum alijs Eugubio fuit expulſa,multaq; caſtra & iuriſdictiones amiſit, ac tandem Veronam, ubi & nunc honorificè agit,ſedes ſuas tranſtulit.

Ioan:Roue relli arma. Iohanni eius nominis quarto Rouerello,Viro,qui ueluti Sol inter reliqua Rouerellorũ nobiliſs. familię ſidera illuxit,Fredericus tertius,ob egregias cùm animi,tũ corporis dotes,Aquilã nigram in armis conceſſit, cùm primùm Robur duntaxat uiride uſurparet. Creauit item eundem Comitem Palatinum,multaq; illi donauit priuilegia, quæ magnis tãtùm uiris dari ſolent.

Mãtuæ ducum arma. De Marchionibus ac Ducibus Mãtuę in ſuperiori libro diximus; ſed illud hîc præterire nõ potui,nigram illam Aquilã à Sigiſmũdo accepiſſe anno 1433.in campo aureo cũ cruce rubra.

Dominorũ de Correggio arma. Antiqua Dominorum Corrigij,quorũ familia Auſtriaca nuncupatur, inſignia erant faſcia alba in campo rubro:pòſt anno nempe 1452 Fredericus tertius Manfredo, Antonio, ac Nicolao eorum nepoti Aquilam conceſſit nigram, in medio ſcuti, alis expanſis in campo luteo,

Sibert⁹ Auſtriacus. & ab vtraque illius parte Leonem luteum, cauda, collo ac capite erectis, ac lilio aureo decoratum in campo cæruleo.Habuit illuſtriſsima iſtęc familia viros vbiq;, tùm maximè in militia celeberrimos, quorum opera egregiè ſæpè Imperatores vſi ſunt. Inter quos Sibertum illum præterire nequeo, qui à Carolo Magno, cuius temporibus familia hæc in Italiam venit,Vica-

Corrigium à quo conditum. rius Imperialis Parmæ ac Regij creatus eſt, Corrigiumq; primus condidit, aliudq; oppidum, Brixillum Plinio,Brixellum Tacito,Ptolomæo ac Antonino dictum,reſtaurauit. Fuit ex eadem familia Sibertus ſecundus,magnus primùm Henrici tertij Cãcellarius,dein Vicarius eius, legatusq; in Italiam miſſus, ac Archiepiſcopus Rauennas factus, demum in ſummum Pontificem euaſit,& Clemens tertius dictus eſt,quanuis Onuphrius Panuinius Antipapam fuiſſe aſſerat,viuente videlicet Gregorio ſeptimo. Taceo modò breuitatis cauſa,multa ab huius familiæ uiris varijs ſtrenuis præclarè in militia geſta,ut Guidorum ſeptem,decem Sibertorum, Robertorum vndecim, qui omnes in primis Italiæ urbibus dominati ſunt. Qui iam nunc ſuperſunt, Auſtriacę familię adhuc aſcribuntur, ut ex ſigillo eorum quoque manifeſtum eſt, in quo (Manfredi pro exemplo ſit)hæc uerba leguntur: *Sigillum Manfredi de Corrigio & Auſtria comitis Corrigij & Berſilij*. Habuit item clariſſima iſtæc familia Hieronymum Cardinalem ſub Pio

Hieronymus Card. Corrig. IIII. atq; Archiepiſcopũ Tarentinum, & ſub Pio V. Anconę gubernatorem. Non omittam etiam Fabricium,accerrimi iudicij uirum, qui in hac urbe philoſophiæ, atque iuriſprudentiæ

Fabricius Auſtriacus ſedulam nauauit operam,muſęumq; noſtrum quàmpluries uiſitauit, rerum naturalium ſcientiæ auidiſſimus:ac in perpetuum ſui erga me amoris atque beneuolentiæ teſtimonium,nomen ſuum in libro meo,in quo alij quoq; nobiles ſcribere ſolẽt,propria manu exarauit. Sunt huius familiæ omnes,comites Palatini.

Lonatorũ arma. Inter nobiliſſimas Brixiæ illuſtris Lombardiæ urbis familias, Lonatos Frederici primi tempore in ſummo honorum omnium culmine fuiſſe habitos, uaria eorum feuda ac dominia teſtantur,utpote Lona,Pozolum,Holegium,Pomblum,Luna,in agro Brixienſi; nec non mons clarus,Caſtion,ac Melzum in agro Mediolanẽſi. Cum Torrianis Vicecomitum Mediolanenſium hoſtibus ſanguinolenta acie dimicarunt,ac magnam eorum ſtragem ediderũt, egregièq; Vicecomitum partes defenderunt. Hinc atq; ob alias virtutes plurima ab Imperatoribus pri-

uilegia nacti ſunt,anno nẽpe 1161. quę pòſt anno nẽpe 1398. die Martij 20 à Duce Mediolanenſi renouata ſunt. Arma eorum,in quibus columna primùm erat erecta, atque viperâ circundata cum lunæ imagine in eius vertice, nunc Aquilam ferunt nigram in circulo aureo in campo rubro. Sunt qui familiam hanc à Luna Hetruriæ vrbe ortum duxiſſe tradunt. Ex qua

Bernardus Lonatus. tanquam ex equo Troiano viri proruperunt militaris diſciplinę peritiſſimi,inter quos Bernardus Lonatus Mediolanenſium Ducis militum præfectus,atque imperij uicarius non infimum

Paulus Lonatus. locum obtinuit. Paulo Lonato, qui venienti in Italiam Sigiſmundo Imperatori anno 1431. obuiam iuit,multa conceſſa ſunt priuilegia, quæ, quoniam magna ſunt, magnum etiam illum fuiſſe demonſtrant. Dedit eadem familia viros literatos, vt Antonium iurecõſultum præſtantiſſimum,qui pariter Cremonæ,& Peruſij prætor factus eſt. Dedit pariter, qui ſummis Eccleſiaſticis dignitatibus effulſerunt, vt Bernardus Cardinalis & Legatus ad Alexandrum ſextum

Pet. Antonius Lonatus. electus.Habet & noſtro æuo viros præclaros,quorum nomen,famamq; Petrus Antonius Duces Vrbinatis gener non parum adauxit in celeberrimo illo contra Turcas certamine, in quo cùm triremium Pontificiarum præfectus eſſet, egregiè admodum ſeſe geſſit,dein Orano, ac mox Melitenſi inſulæ cum duobus millibus peditum ſubuenit,multaq; alia,quę breuitatis cauſa taceo,præſtitit:quare eques de Alcantara,Senator Mediolanenſis, conſiliarius ſecretus Regis Catolici creatus ſummo cum honore tandem vita functus eſt.

# DE PYGARGO. Cap. V.

## AEQVIVOCA.

PYGARGVS vox est ambigua. Est quoddam Capræ feræ genus, Pygargos dictum, quod alij Pygardon rectiùs fortè vocant. Apud Iuuenalem Pygargus etiam legitur, vbi multorum animalium, quæ gulæ illecebris, ad quas Aquila illaudabilis est, apta sunt, meminit: versus eius sunt:

——*Discipulus Tripheri doctoris, apud quem*
*Sumine cum magno lepus, atque aper, & Pygargus,*
*Et Schyticæ volucres, & Phœnicopterus, ingens*
*Cæditur*: &c.

Pygardos Capra. [a] *In comm. in Iliad. κ.*

Est & Pygargos apud Eustathium (sed is authoritate Zophyri nititur) Ardearum genus, cui in coitu oculi manant sanguine. Verùm Aristoteles Pellam Ardeam difficulter coire tradit: Pygargon verò inter Aquilas tantummodò recenset, Zopyri Pygargos fortasse Ardea Stellaris Aristoteli fuerit, quæ & Ocnos, ideſt, ignaua dicitur, Argos enim & Ocnos Synomina sunt.

Pygargos Ardea. [b] *Lib. 9. Histor. c. 9.*

Ardea. Ocnos.

## SYNONIMA.

POTISSIMA ergò & principalis eius significatio Aquilæ speciem demonstrat, de qua nunc dicturi sumus. Sed antiphrasticè Pygargos dicta est, vt annotauit [a] Celius Rhodoginus, ceu minimè desès, quod ἄργος Græcis sonat, præsertim cauda siue nates πύγη ijsdem dictę, quæ huic rarò ociosæ sunt. Scribitur enim in Venerem admodum procliuis & salax esse hæc Aquila. Quin & timidum rectè Pygargum dixeris, quod albicans ei sit pyga: cui diuersum est prouerbium. *Melampygo necdum occurristi.* Hic enim, vti Hercules, robore intelligitur insignis: proinde Leucopygi imbellia infames concipi ferè valent. Ex sententia Hesichij & Varini πύγαργος dicitur παρὰ τὸ ἔχειν τὴν πύγην ἀργὴν καὶ λευκὴν, id est, quòd caudam albam habeat. Quibus Gaza astipulatur, dicens Pygargon ab albicante cauda dictum esse, quasi Albicillā quis eum nominet. Hesychio Atarama vocatur, & Νερυφόνος nonnullis, vt tradit Aristoteles. Hoc Latinis est Hinnularia, siue hinnulos occidens. Auicennæ Barbaiam dicitur.

Etymologia. [a] *L. 4. Antiq. lect. c. 8.*

Albicilla. Atarama Νερυφόνος. Hinnularia. Barbaium.

## FORMA. DESCRIPTIO.

PYGARGOS maior est iuxta Aristotelem, non solùm Melanæto Aquilarū omnium minima, sed & Morphno: minor autem Percnoptero, & Germana Aquila, quæ ipsa magnitudine excedit omnes Aquilas, etiam Ossifragam. Albicante est cauda, vndè & ei nomen. Eius verò, cuius nos iconem damus, quamq; viuam aliquando habuimus, huiusmodi est. Magnitudine est mediocri, quanta ferè est Gallus maiusculus. Rostro toto luteo, aduncо, nempe à principio ipso sensim ac leniter ad extremam vsque vnci aciem incuruato, paulò quàm cæteris Aquilis longiore, si proportionis rationem habeas. Oculi pupilla nigerrima, iris lutea. Verticis ac colli totius color est dilutè castaneus ex cinereo; apices tamen plumarū magis nigricāt. Dorsum, alarumq; pars superior ferrugineis obscurè plumulis, ac subnigris integuntur, vti ferè & venter ac femora. Cauda ab vropygio ad finem vsque tota albicat. Vnde meritò Albicillæ nomen datum ab Gaza. Duæ tamen pennæ minores, & quæ reliquis maioribus ac principalibus incumbunt, extremo nigræ sunt. Tibiæ totæ ferè nudæ sunt, eæq; cum pedibus intensè luteæ, vtraq; tabellis vbiq; superintegentibus. Vngues acerrimi. Albertus aliam Aquilam quandam describit his verbis. *Post Herodium* (sic vocat Aquilam Germanam) *nobilior reliquis Aquilis est, quæ Anseres rapit & Cycnos, & huiusmodi Aues magnas, & etiam Lepores & Cuniculos, præcipuè quando pullos habet. Hæc minor est Herodio, varia ex albis & cinereis pennis intermixtis, sed in cauda penultimæ extremæ pennæ videntur esse albæ, & alba est in pennis ani, & est breuis admodum caudæ.* Hanc Ornithologus existimat ueterū esse Pygargon. Verùm is meo iudicio deceptus est. Istæc enim extrema in cauda pennas, & quidem penultimas, tantum albicantes habet, non totam caudam vti nostra Albicilla. Anum plumis albis vestiri, pluribus Aquilis commune est. Mihi quidem signa omnia huius Aquilæ, quæ Albertus descripsit, nostræ Ossifragæ conuenire videntur, vt qui contulerit vtriusque descriptionem, videre potest.

[a] *9. Histor. cap. 32.*

Magnitudo. Rostrum. Pupilla. Collum. Venter. Femur. Cauda. Tibiæ. Vngues. [b] *Lib. 23. de Anim.*

Ornithologi error.

LOCVS

# LOCVS.

VAGATVR Pygargus in oppidis & cãpis, vt[a] Plinius ait. Gaudet etiam planis atq; lucis. At reliqua genera rarò plana & lucos adeunt, vt[b] Aristoteles testatur. Nonnunquam tamen montes cęterarum more, syluasq; petit, atque id suis viribus freta, quibus multis alijs haud inferior est. Romæ rariùs hanc volucrẽ visam fuisse ex hac[c] Q. Aurelij Symmachi epistola facilè colligo: *Ludos Prætorios*, inquit, *præparamus, quorum ornatus peregrina animalia desiderat: vt nouo cultu Romana splendescat editio. Addaces igitur & Pygargos studio mihi opto præstari, quorum copiam limes vobis finitimus subministrat. Dignare igitur amicitiam nostram votiuo pignore fœderare.* &c. Sunt tamen qui hoc loco Pygardos legant, qui Plinio authore è Caprearum syluestrium genere est, vt antè etiam diximus.

[a] *Lib.10.c.3*
[b] *Lib.9.Histor.c.32.*
[c] *Lib.9.Epistol.115.* Pygardos capra syluestri.

# EDVCATIO.

PYGARGVM asserit[a] Aristoteles *difficiliorem esse reliquis* (si Gypaëtum excipias) *in alendo fœtu, hocq; ipso ab Melanæto maximè dissidere.* Non enim omnes æquè prolem suam fastidiunt Aquilæ. Quarè verò id faciat Philosophus alibi exponit, dicens de Aquila in genere, quòd pullis suis iam maiusculis inuideat, & edaculis, verita ne vtrisque famelicis victus deficiat, ideoq; eos è nido expellit adhuc parentum ope egentes. Idem confirmat Auicenna, qui Barbarum ob alimentorum, defectum pullorum aliquos è nido tradit eijcere. Numeratur verò Pygargos[b] à Plinio inter eas Aquilas, quæ Aetitem lapidem in nidũ inferũt, de pariendo ac edenda prole quàm enutrienda magis solicitas, adeò vt[c] idem alibi asserat, *Aetitem ab Aquila, quæ condicante cauda est, nomen habere potissimum.*

[a] *Lib.9.Histor.c.32.*
[b] *L.10. c.3.*
[c] *L.37.c.11* Aetites lapis vnde dictus.

# VENATVS.

ETSI Melanæto in prole educanda paterno officio & pietate cedat Pygargus, fortitudine tamen par est, & pugnę illius magno animo inceptę in Ceruis adoriendis socius. Ita enim de vtroq; Plinius: *Pygargo & Melanæto Aquilis non minorum tantùm quadrupedum rapina, sed etiã cum Ceruis prælia; multum pulueremvolutatu primo collectum insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes.* Hinc etiam Hinnulariæ cognomen meruit, quòd Ceruorum hinnulos præ cęteris inuadat ac rapiat. Eos cùm adoritur à dextro latere insilit, in oculos inuolat, ac tandiù alis percutit, donec temerè procursantes huc illuc incertos actos, neque præ metu ac dolore, quò currant, prospicientes, in præcipitium agat, ut hinc effracto collo in prædam cedant.

[a] *Lib.10.c.3* Hinnularia Aquila.

# HIEROGLIPHYCA.

MOROSVM patrem, ac in filios durum admodum & difficilem, Aquilam, quæ pullos suos fastidit, cuiusmodi Pygargum vitio cæteris infamem magis diximus, Aegyptij sacerdotes pingebant. Quod Aquilę ingenium, etsi quidam excusant, damnat tamen[a] D. Basilius, & in educanda prole iniquissimam appellat. Haliæto volũt id minimè vitio vertendũ, qui non nisi, quem spurium & non suum agnoscit, abdicet; vt genus suum sartum ac incorruptum conseruet. Pygargo autem, quia genuinos, proprios q; agnoscit, ob solam edacitatem deserenti, & exponenti pullos, minus ignoscendum uidetur. Inuidiæ enim & impietatis notam, uti & helluonis, ac uasti ciborum gurgitis uix potest effugere. Vnde non immeritò eos, qui sine ratione & modo ciuitatibus & imperijs præsunt, & subditos non solùm ab aliorũ iniurijs non tutos reddunt, sed ipsimet etiam expilant, post obitum per παλιγγενεσίαν Plotinus Aquilas dixit fieri.

Morosi Patris hieroglyphycũ.
[a] *Orat.18. de honore quo efficiendi sunt parentes.*

# DE PYGARGI SECVNDO & tertio genere. Cap. VII.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 11.*

SED Bellonius aliam etiam Pygargi ſpeciem proponit; cuius iconē ab eo mutuati ſumus. Hanc Gallos Queue blanche, ideſt, Albicillam uocari ait. Corpore colore eſt inter albū & cinereum ambiguo, extremis alarum nigris, ſupina parte tota, id eſt, uentre, vropygio & cauda merè candicans, nullis ibi reſperſa maculis. Volatu Ardeam refert. Nam ut illa alas concutit, hiſq; motis ſubinde uolat, nec ut cæteræ pleræq; rapaces caput in altum ſurrigens, ſed potiùs uerſus humum deprimens, uolando fertur. Conſpicitur ut plurimùm oriente & occidente ſole, manè & ueſperi. Inuadit, rapitq; Gallinaceas, aliasq; minutas uolucres, prędatur Perdices, Cuniculos, & furtim iuxta ſepes & nemorum margines: unde eam non admodùm imbecillam eſſe ſatis apparet.

Queue blanche.

Color.

Volatus.

Mores.

Venatus.

Ab hac

Ab hac diuersam alteram, non tamen admodũ absimilem, sed cuius icon desideratur, Aquilam idem Bellonius subijcit: quę est huiusmodi. Eadem cum præcedente, etsi paulò dissimilis, est ea Auis, quam itidem Queue blanche, id est, Pygargon seu Albicillã Galli uocant uernaculo idiomate. Rostrum illi nigrum nonnihil, & aduncum. Crura seu tibiæ potiùs graciles sunt sed luteæ admodùm, tabellis anterius tectæ. Vngues haud crassos, sed atros, breues & in fornicem curuatos, eosq; acutos habet. Miluo Regali adeò similis est, vt vix esset, qui vnum ab altero dignosceret, nisi hic & minor esset, & ventre intentiùs albescente, pennas scilicet circa vropygium cùm superiores, tùm inferiores candidissimas obtinens, vnde & nomen habet. Cauda longa est, & varia, alarum in morem. Quæ ventrem plumulæ induunt, fuluo nitent ad calami longitudinem: candent reliqua. Huiusmodi sunt & femoris pennæ. Radices plumarum colli & ceruicis, vti occipitis, albæ sunt, apices verò fului; quemadmodum & plumulæ alarum minores in summa extremitate. Remiges plumæ magis fuscæ sunt. Hic per campos Alaudas insectatur, in quas conspectas impetuosè ruit: illę autem in altum sublatæ, eumq; volatu superantes sic ab hoste sibi cauendo illius tyrannidem euadunt. Quod si Subbuteonem huic rei interesse contigerit, amœnum certè & iucundum præbetur intuentibus spectaculum. Hic enim cùm multò agilior sit & velocior, confestim Pygargum volatu præuertit: dum verò de præda certant, Alauda fugâ sibi consulit, & vtrumq; eludit. Vbi Subbuteo seu Hypotriorchis Alaudam cepit, tum prædam extorquere Pygargos enititur. Quo certamine, etsi Subbuteo Pygargum agilitate & celeritate longè superet, viribus tamen ab hoc ipso vincitur. Aliquãdo huius conflictus spectatores Alaudam prius nactum Subbuteonem, ab Albicilla comprehensum uidimus, sed pedibus ac alis consertis ac implicatis vtrumq; delabi in terram necesse fuit. Vnde capti ab aucupibus mutuum sibi exitium attulêre. Hæc res immortale inter eos dissidium esse mihi persuasit. Licet autẽ Subbuteoni velocitate volatus hic Pygargus cedat, priorem tamen Albicillam hoc nomine longo interuallo post se relinquit. Habitat in Syluis, ac intra dumeta frequens visitur.

Rostrum. Crura. Vngues. Cauda. Venter. Femur. Colum. Alæ. Subbuteo Pygargum uolatu superat. Subbuteonis cum Pygargo pugna. Locus.

# DE MORPHNO SEV CLANGA. Cap. VIII.

QVINTVM verò propter vires & actionum præstantiam inter Aquilas locum obtinet Morphnos, qui à [a] Plinio Melaneto, ab [b] Aristotele verò proximè Pygargo, vti, & à nobis subiungitur, vtpotè magnitudine & robore ei secundus.

[a] *L. 10. c. 3.* [b] *9. Histor. cap. 32.*

# SYNONIMA.

VARIIS istæc Aquila nominibus appellatur. Græcis est Μόρφνος, Πλάγγος, & κλάγγος; Νηττοφόνος quoq; ab actione dicta est. Aristoteli præsertim. Homero verò Πέρκνος. Latini interpretes Theodorus & Plinius pro Græcis sequentes Latinas substituunt: Næuia, Clanga, Planga aut Planca, Anataria seu Auicida. Morphni nomen obtinuit à pennæ macula seu ab næuo, vnde Næuiam Latinè meritò dixeris. Sunt qui Μόρφνον exponant per syncopen tanquàm Auicidam, hoc est, cędis aliarum Auium authorem τὸν μεμορημένον περὶ φόνον, ἢ μόρον φέροντα; Alij εὔμορφον, id est, formosam appellant; Alij rapacem παρὰ τὸ μαίρτειν, unde præteritum μέμαρφα, α in o breue conuerso, & abundante litera ν, ut Eustathius & Varinus tradunt. Clanga cùm Græcis, tùm Latinis à uoce dicta fuit. Illi enim clangorem κλάγγω etiam vocant, qui de Aquilarum voce propriè dicitur, vti in vniuersali historia latiùs declaratum fuit. Plangum habet Plinius, vetusti codices Clangum, ut Hermolaus habet. Facile enim ac procliue fuit pro κλάγγος legere πλάγγος. Sunt qui apud Plinium pro Plango Planũnta legunt, quasi errauerit, sed homines hi de imperitia Hermolao reprehensi sunt, quod vt ipse ait, & authorem non habeant, & Aristoteles πλάγγον appellet. Percnon Grammatici interpretantur tum simpliciter nigrum, tum nigro colore infectum, ut idem cum Morphno significet. De hac voce, nec non de Morphno Eustathius exponens hęc uerba Homerica τελειότατον πετεηνῶν Μόρφνον θηρητῆρ' ὄν καὶ πέρκνον καλέουσι: ita tradit: πέρκνος vltimum acuit, quanquam Aristarchus hanc vocem berytonam esse voluerit: Morphnus verò scribitur cum acuto in penultima. Diuersa ab hac Aquila Percno, est Percnopterus, de qua pòst suo loco. φλεγύας Aquila eadem mihi uidetur quæ Morphnos, uel potiùs Morphni esse epithe-

Μόρφνος Πλάγγος Κλάγγος Νηττοφόνος Πέρκνος Næuia. Planga. Anataria. Auicida. Planunta. Percnos quid. Φλεγύ

[c] *In Aſpide.*

ton: nam apud [c] Heſiodum legimus, Μορφνοῖο φλεγύαο, ubi Grammatici exponunt μέλανος Ἀετοῦ, ut habet Varinus, quaſi Phlegyam ſubſtantiuum faciant, & Morphnum adiectiuum: Sed mihi contrà faciendum (inquit Ornithologus) uidetur. Idem Aquilam eam, qui Aquilaſtro Italis dicitur, Morphnum eſſe exiſtimat, hoc argumento, quòd uiuat piſcibus. Nos potius Offifragam, Italorum Aquilaſtrum pòſt proprio capite declarabimus. Turcis Morphnos uocatur Scahau. Gallis quibuſdam Huard. Bellonio uerò Gerfault. Germanis Entenſtoeſſel, quaſi Anaticida dicas. Turnerus opinatur Auem Balbuſardo Anglis ſuis dictam, eſſe Anatariam: ſed hanc ab Anataria diuerſam eſſe, atque eam potiùs Auem Ornithologus arbitratur, quæ Germanis Maſſvvy, id eſt, Miluus paluſtris dicitur, quòd circa paludes & lacus Anates Aues aliasq; paluſtres venetur. Hic ab alijs Fiſcher appellatur, id eſt, piſcator, quòd piſces etiam captet quandoq;. Anataria ab interprete Auicennę Dibachi Arabicè nominatur.

Ornithologi error.

Scahau. Huard. Gerfault. Entenſtoeſſel. Balbuſardo Anglorum. Dibachi.

# FORMA. DESCRIPTIO.

RELIQVARVM omnium maxima eſt Gnęſia, minima Melanętos: cęterę, vt Anataria, Pygargos Percnopteros, Offifraga, inter has interiacent: Anataria ergò omnium prętęr Melanętum minima fuerit. Nam teſte [a] Ariſtotele, magnitudine & uiribus Pygargum proximè ſequitur. Homerus loco paulò antè citato Percni alas tantum patere cecinit, quantum ualuę oſtij thalami cuiuſdam uiri diuitis. Color Anatariæ ueterum ex nomine ipſo colligitur. Μόρφνον enim Grammatici nigrum & obſcurum interpretantur παρὰ τὸν ὀρφνὸν, id eſt, à tenebris & caligine. Apud Homerum legitur, Νύκτα δ' ὀρφναίην pro nocte obſcura. Πορφυροῦν quoque nigrum interpretantur, & uuam nigram πορφύζουσαν dicunt; ſed ea nigredo non ſine quodam cęruleo colore eſt, qualem ferè dicunt Indicum. Hic color totius eſt Anatariæ, qui tamen maculis ſeu nęuis quibuſdam interſtinguitur, vnde & Morphno, id eſt, Nęuię nomen eſt: Sed qualeſnam ſint hæ maculæ nemo veterum exponit. Bellonius albas exiſtimat, quo authore, ignoro. Iſtæc ergò ſunt, quæ de Morphno veterum ex eiſdem authoribus, quod ad formam attinet, colligi poſſunt. Quæ omnia cùm nulli adhuc Aquilarum, quæ quidem vnquam à me viſæ ſunt, competere animaduerterem: quare certi aliquid de ea non poſſum ſtatuere, aut exactam eius delineationem lectori ab oculos ponere. Si tamen eam aliquando nanciſci dabitur, ne hîc quidē & veterū ſcripta illuſtrādo, & quæ deſunt, adijciendo, noſtro muneri deerimus: Sed nec recentiorum Morphni icones aut deſcriptiones, veterum notis vndiquaq; reſpondere video: quia tamen ad hoc Anatariæ Aquilæ genus potiùs, quàm ad aliud quodpiam referri debere videntur: itaque ſingularum ſeorſim hiſtoriam hîc ſubnectam.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.*

Magnitudo. Color.

Ornithologus ſuam, cuius iconem primo loco exhibebimus, pinxiſſe contentus, nullam adfert deſcriptionem, vnde de ea iudicium non licet facere. Bellonius diuerſarum opinionum fluctibus agitatus, nec opinionis ſuæ ipſe ſatis certus, Auem Gallis Gerfault dictam nobis pro Morphno obtrudit: quibus verò argumentis aut rationibus id faciat, ſubticet. Sanè vel ex eo, quòd Auem hanc (vt ex ſequentibus liquet) terreſtri venatui ubiq; à magnatibus adhiberi tradit, & ne verbum quidem de Anatum aut piſcium raptu facit; itaq; Morphnum veterum non eſſe, euidentiſſimum eſt. De iſtac ita uerò ſcribit.

Magnitudo.

Falconē ſeſcupla magnitudine excedit; ferox & audax. Pugno geſtatoris recta inſidet, corpore ſatis longo, roſtro, tibijs, pedibusq; eſt cęruleis, pedum digitis oblongis, unguibusq; admodum patulis. Memini me legiſſe, cum uera ac genuina Aquila pugnam inire auſam, & uictricem abijſſe. Hæ toti Italiæ & Galliæ peregrinę ſunt, neq; in his regionibus alias licet conſpicere, quàm quæ illuc ex Germania tàm ſuperiori, quàm inferiori importantur. Germaniam tamen ſolum natale non habent, ſed ut aduenæ eò confluunt, vbi ab aucupibus inſtar Falconum exoticorum capiuntur: alioquin apud Rutenos natę, ubi & nidos ſuos conſtruunt. Ad omne genus aucupij idoneę ſunt, & ad prędam emiſſę, promptiſſimę inſequi, cęteriſq; omnibus rapacibus audaciores, cicuratu tamen difficillimę. Earum alię ſunt caſtanei coloris, alię cinereo uarię. Sed nunquid iſtęc uerè Morphno conueniunt, aliorum eſto iudicium.

Balbuſardus Anglorum. Ve outæ.

Turnerus apud Ornithologum Balbuſardum Anglorum ueterum Percnum eſſe contendit, & omnia quę Ariſtoteles & Plinius huic tribuerunt, congruere aſſerit: ſolam magnitudinem ſi excipias. Eſt aut illa, inquit, quam Anatariam eſſe conijcio, Auis Buteone maior, & longior, nęuo albo in capite, colore fuſco proximo, ad ripas fluminum, ſtagnorum & paludium ſemper degens, uiuit ex uenatu Gallinarum aquaticarum nigrarum, quas Coutas nominant Angli. Venationem hanc, cuius Plinius meminit, inter Aquilam iſtam (ſi Aquila eſt dicenda) & aqua-

ANATHARIA SEV MORPHNOS ORNITHOLOGI.

& aquaticas Aues, non solùm ego sæpissimè uidi, sed infiniti apud Anglos quotidiè uident. Si qua terræ portiũcula super aquas inter arundineta emineat, in hac solet nidum facere, ut quoniam uolatu non admodum ualet, à præda non procul absit. Aues subitò adoritur, & sic capit. Cumiculos ista interdum etiam dilaniat. Nunc an ista Anataria sit, nec ne, doctis uiris iudicandum propono. Hactenus igitur Turnerus.

Eandem Ornithologus à Germanis Acronij lacus accolis Entenstoesser, id est, Anaticidam uocari scribit. Vnguibus est aduncis, Miluo colore & corpore similis, sed hoc ipso maior. Anates capit.

De Morphno ueterum [b] Plinius prodigiosa quędam affert, authorem fabulæ Phemonoẽ Apollinis filiam dictam referens, quæ Morphno dentes tribuit, mutæ aliàs, carentiq; lingua. Verùm nos in Auium genere dentatas nullas nouimus, præter Anates quasdam, aut Mergos nonnullos maiores. Cuius generis etiam Cataractæ esse uidentur, quas Aues Accipitre minores esse dicunt, aliqui Aquilæ similes, & longissimo tempore sub aqua manere. [b] L. 10. c. 3.

Aues dentatæ.

Cataractę.

# LOCVS.

SALTVS *& conualles & lacus incolere solet*, teste [a] Aristotele. [b] Plinius *circa lacus eam uiuere solummodo* scribit. Hi enim abundè uictum suppeditant. [a] 9. Histor. cap. 32. [b] L. 10. c. 3.

# VICTVS.

AVIBVS aquaticis, ut Fulicis & Anatibus potissimùm pascitur, sed & piscibus aliquando. Suidas tamen author est Morphnon Aquilæ genus, solum non venari, sed cadaueribus ali. Quod quomodo defendi queat, ipse viderit.

# GENERATIO.

ARISTOTELES tradit Percnon ex Ossifragis nasci. Quod mirum videtur. qua ratione ex eis, quæ ab Aristotele in Aquilarum catalogo non collocantur, Aquilę Percni gignatur. Verùm hac de re fusius, cùm ad Ossifragam ventum erit. Inter eas à Plinio censetur Aquilas, quæ ætitem in nidum inferunt. *In Mirabilibus.*

# VENATVS.

AQVILA *illa, quam tertiam fecimus* (inquit [a] Plinius, Morphnon denotans) *aquaticas Aues appetit, mergentes se subinde, donec sopitas lassatasq; rapiat.* [b] Aristoteles eadem ferè de Haliæto refert, *quem* dicit *eas tãtisper insequi, donec uel stranguletin humore, uel per summa corripiat.* Et sanè nil mirum est, si vtræq; circa venatum Auium aquaticarum, quibus uitam sustentant, eodem ingenio vtantur. Sed venandi modum Morphno vsitatum ex Plinio prosequamur. *Spectanda dimicatio*, inquit, *est, Aue ad perfugia littorum tendente, maximè si condensa harundo sit: Aquila inde ictu abigente ala, & cùm appetit in lacus cadente, umbramq; suã nanti sub aqua, à littore ostendente: rursus Aue in diuersa, & ubi minimè se credat expectari, emergente. Hæc causa gregatim Auibus natandi, quia plures simul non infestantur, respersu pennarũ hostẽ obcæcantes. Sæpe & Aquilæ ipsæ non tolerantes pondus appensum, unà merguntur.* Germanorum Anaticidæ seu Anatariæ quoque lacum Constantiensem seu Acronium incolunt, feruntur ad piscium capturam rectà, vnde alibi Fischers, id est, piscatores uocantur, & vno impetu in aquam se præcipitant; quod etiam de Haliæto dictum est, atque toties in Anates irruunt, donec defatigatas capiant tandem, quod ad duos aliquando & tres horæ quadrantes in Anate una capienda differunt, Sæpe verò volantes siue natantes tam diu insectantur, donec fatigatam aliquam excipiant. Solent autem fugientes sese in gregem colligere. [a] L. 10. c. 3. [b] 9. Histor. c. 32.

## VSVS IN SACRIS.

Iliad. Ω. MORPHNON matri Deorum ſacram eſſe Gyllius ſcribit.[a] Homerus augurium Priamo ab Ioue Morphno datum, hoc pacto refert. Cùm Priamus Ioui ſupplicaret, Iupiter ei Aquilam miſit, cuius alæ tantum patebant, quantum ianua thalami diuitis alicuius uiri,

τελειότατον πετεηνῶν
Μόρφνον θηρητῆρ', ὃν δὴ πέρκνον καλέουσι, id eſt,
*Perfectiſſimam alitum*
*Morphnon venatricem, quam & Percnon dicunt.*

Hac ad dextrã per urbẽ uolante lętati ſunt plurimùm Troiani. Quod augurium, ut inquit Euſtathius, ueteres ſic interpretantur, tãquam Auis nigro colore clam adeundum eſſe Achillem Priamo indicarit, & ſpem petitionis ſuæ ratam futuram, quod eſſet θηρητὴρ, id eſt, uenationis & capturæ ſtudioſa. Præterea quia prædam nullam tenebat, Achillem quoque (qui tanquam rex regius per Alitem regiam deſignetur) placidum, & mitem ipſi futurum, & quæ deſideret, conceſſurum.

Achilles cui Aquilę comparatus.

## VSVS IN PROPHANIS.

Herculis ſagittæ. SCRIBIT Heſiodus ſagittas Herculis Morphni pennis alatas fuiſſe; alioqui nullus eius vſus eſt. Imò verò in lacubus & uiuarijs voracitate ſua admodum noxia eſt hæc Auis, ita ut in quibuſdam locis homini, qui eam ceperit, aut occideret, tres dragmę donentur è publico.

## DE MORPHNO CONGENERE. Cap. IX.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 6.* SI tamen verum eſt, quod[a] Bellonius ſcripſit, nempe Morphnon, quæ à macula pennæ dicitur quaſi Nęuia, teſte Gaza, notis albis diſtinctam eſſe (alioqui nęuorum color verus à nullo veterum expreſſus eſt) ſanè quam nunc deſcripturi ſumus, ſi ipſa Morphnos non eſt, ſaltem ei congener, & maximè affinis erit. Hęc enim alas notis albis, ijsq; plurimis inſignitas habet. Hęc igitur Aquila quam illuſtris D. Hannibal Gozadinus Bononienſis compater meus biennio in ędibus ſuis enutriuit, Galli Gallinacei ſat magni altitudine eſt, & corpulentia. A roſtro extremo ad vltimam caudam trium cum dimidio ſpithamarũ. Roſtro erat oblongo ſatis, aduncо, deorſum recta propemodum tendente, membranula capiti coniuncto, eaq; lutea. Color totius propè ferrugineus eſt, niſi quod ad extremas alas uerſus uentrem attinet, maculis multis ouatibus, & hinc inde ſparſis inſigniretur; ſed & ipſę remiges extremo apice albicãt, vti & principium caudæ & extremitas ſingularum in ea pẽnarum, & inferius vropygium. Crura tota hirſuta ſunt ad principium digitorum uſque, & albis ſimiliter notis è bætico aſperſa. Pedes flaui. Digiti ſupernè ſquammis, infernè prope vngues tabellis ſeu annulis integuntur. Radices omnium plumarum albent. Macula medio pectore alba conſpiciebatur, quæ non à natura, ſed à vulnere quodã ibidem accepto, defectu caloris natiui, vti canitiet ſenibus, exorta erat. Oculi in ambitu bætici, pupilla nigra. Hæc Aquila uel ſola docet falli[b] Bellonium, qui crurum hirſutiem indubitatam Vulturum notam eſſe cupit. Mures excoriatos primùm, ut gratum cibum perauidè vorare ſolet.

Magnitudo. Roſtrum. Color. Crura. Pedes. Oculi. [b] *Lib. 2. c. 1.* Bellonij error.

DE

# DE PERCNOPTERO. Cap. X.

PERCNOPTEROS ob ignauiam & deformitatem Aquilarum omnium viliſſima,& degener maximè,in ſextũ,quas quidem Aquilę nomine [a] Ariſtoteles dignatur,eumq; ultimum locum meritò reiecta fuit, vt in qua præter nomen nihil ſit Aquilinum, alioquin Offifragæ,imo Vulturibus etiam poſtponenda.

[a] *Lib.9.Hiſtor.c.32.*

## SYNONIMA.

PERCNOPTEROS Ariſtoteli hæc Aquila vocatur ab alarum notis, vt Gaza ſentit, ac de ſuo addit. Ego malim dicere ab alarum colore. Περκνον enim tum ſimpliciter nigrum, tum nigro colore diſtinctum Grammatici interpretantur. Alia autem ab hac Aquila eſt Percnos,& de qua ſuperiori capite egimus. Percnos enim eodem per totum corpus eſt colore, quo hæc in alis tantùm. Vnde falli [a] Cælium patet, qui eandem eſſe Percnopterum exiſtimat cum ea, cuius [b] Homerus meminit, quæq; reuera Morphnos eſt, ſeu Anataria. Iſtæc verò alio nomine Gypaëtos Philoſopho nuncupatur, id eſt, Aquila Vulturina. Porrò ubi apud Ariſtotelem Γυπαιέτος legitur, uoce compoſita à Vulture & Aquila, (quòd, etſi Aquilæ genus ſit, Vulturẽ tamen & corporis ſpecie & ignobilitate præ ſe ferat, vt Ariſtoteles ipſe interpretatur) Gaza tamen ὑπαιέτος legit. Vertit enim Subaquila. Neque tamen hæc nomina huic malè conueniunt, vt & Hypaëtos & Subaquila dicatur,ſeu ſpurium Aquilæ genus, & reliquis Aquilis nobilitate inferius. Gypaëtouicina eſt vox Γρυπαιέτος apud [c] Ariſtophanẽ,quod ſcholia interpretantur inſignia ſcutorum, quia in his Aquilæ depingi ſolent. Sunt quidem Aquilæ omnes γρυπαὶ, id eſt,roſtris recuruis,vnde & Gryphes dictę videntur,& naſum Aquilinum pleriq; cognominant, quem Græci γρυπὸν. Aegypios ex ipſa nominis cõpoſitione,partim ad Vultures, partim ad Aquilas pertinere videtur, vt eadem cum Gypaëto exiſtimari poſſit. Deniq; Oripelargus Ariſtoteli & Plinio Græcè dicitur,ob pennarum colorem in alis quidem nigrum, reliquo corpore albicantem. Hæc vox Latinè Ciconiam montanam ſonat. Arabicè [d] ab Auicenna Rachame dicitur,vt Ornithologus autumat. Eius ſententiam etiam approbat Andręas Bellunenſis,cùm ait: *Alrachame eſt Auis magna ſicut Miluus, plumis corporis albis, & pennis alarum nigris, edit carnes putridas & ſimilia* quibus verbis haud dubiò non aliam,quàm Gypaëtum deſcribit. Malè igitur Syluaticus & vetus Auicennæ Gloſſographus (apud quos pro Alrachame corruptè legitur Arathamati,Aracamati,Akakamati)exponunt Auem, quæ dicitur frangens oſſa, id eſt, Offifraga. Hebraicè ſecundum quoſdam dicitur Rocham. Ἀκμὼν genus Aquilæ apud Varinum exponitur, quæ vox ab Hebraica Rachame, vel Rocham facta videri poteſt. Gallicè ex ſententiâ [e] Bellonij vocatur Buſe vel Buſard. Subaquilum pro ſubfuſco [f] Plautus dixit:

*Eia corpus huiuſmodi Subuolturium?*
*Illud quidem Subaquilum volui dicere.*

Etymologia. Celij error.

[a] *L.26.Antiq.lect.c.29*

[b] *Iliad.Ω.*

Gypaëtos.

Subaquila. Hypaëtos. Γρυπαιέτος.

[c] *In Auib.*

Oripelargus Ciconia montana.

[d] *Lib.2.cap. 589.*

Rachame. Rocham. Acmon.

[e] *Lib.2.de Auib.c.9.*

Buſe. Buſard.

[f] *In Reud.*

## FORMA. DESCRIPTIO.

DE figura Gypaëti Ariſtoteles iſta prodit. *Aquila*, inquit, *genus, quod Percnopteros appellatur, capite eſt albicante, corpore maiore, quàm cætera adhuc dictæ, ſed breuioribus alis, longiore cauda, Vulturis ſpeciem refert, ideò Subaquila, & montana Ciconia cognominata.* Eadem ferè Plinius, ſed acciſa; *Percnopteros*, ait, *in Aquilarum genere, eadem Oripelargus, Vulturina ſpecie, alis minimis, reliqua magnitudine excellens.* Vnde ex vtroque colligitur, hanc Aquilam omnium, vna Chryſaëto excepta, eſſe maximam: His profectò non malè reſpondet, quam aliquando vidimus ex Hiſpania allatam, cuius iconem primo loco collocamus, Aquilæ Vulturinę deſcriptio, quæ talis eſt. Inſignis magnitudinis eſt, imo Chryſaëto non multò minor, ſed inſolentis & ridiculę ſpeciei. Roſtrum non vt cæteris Aquilis ſenſim ab initio ad finem uſque continua decliuitate inflexum, ſed medio ferè tenùs rectum, deinde extremo in uncum inſignem curuatum, eo quo Vulturibus modo prin-

[a] *9. Hiſtor. cap.32.*

[b] *L.10.c.3.*

Magnitudo.

Roſtrum.

do prin-

do principio iuxta frontem album, nigrum cætera. Inferior mandibula tota albicat. Oris rictus coloris caſtanei. Oculi non vt quibuſdam alijs Aquilis, iride charopa, ſed ſubalbida, pupilla nigra. Caput totum ſubalbidum eſt, ad fuſcum uergens. Collum dimidia ferè parte, eaque ſuperiore caluum propemodum, & pauciſſimis, ijſque exilibus plumulis conſitum, candicans. Ad huius caluitij finem, medio propè collo inſtar pilorum quorundam hirſutorum ac criſporum, plumulæ ueluti ſetę oblongę ac tenuiſſimę ſupra cęteras plumas extabant. In pectore item & dorſi initio ſimilia plumarum capillamenta prominebant, aduerſis planè locis, nec non ad inferius vropygium. In tergo ueluti cucullus quidam, ad medium uſque protenſus, in acutum finem, velut in triangulum deſinebat. Corporis totius color ex caſtaneo obſcuro ad nigrum vergebat. Cauda longa. Pedes albi, tibiæq;. Vngues fuſci. In hac itaque & magnitudinem eximiam, & Vulturinum habitum, nævum quoque in capite album, quem Aquilę Vulturinę Ariſtoteles tribuit, obſeruare licet.

Tergus. Color. Cauda. Pedes.

Perilluſtris D. Pompeius Aldrouâdus Comes Viani, noſtrę Vrbis Senator ampliſſimus, conſanguineus meus Aquilam, quam ſecundo loco pro Gypaëto exhibeo, à ruſticis in montibus alpeſtribus oppidi Guiliæ in comitatu Herculis Aldrouandi patris ſui pariter Senatoris captã delineandam dedit, quam ſimulatq; ad me iuſſu illius perducta eſſet, ex primo ſtatim intuitu è Gypaëtorũ genere eſſe iudicaui, eiq; in multis non diſſimilem, quam ex Ornithologo haud admodũ ſcitè depictã quarto loco dabimus. Longa erat ab extremo roſtro ad vltimã uſq; caudã commenſurata ſpithamas tres. Roſtro oblongo, ſed plurima ſui parte tunica tecto, ſeu membrana, ita vt tantum pollicis menſura roſtrum extremum eadem nudum eſſet, vnco exiguo, tenui. Caput ad occiput uſque caluum, capillitio plumarum deſtitutum erat, ita ut pennæ poſt verticẽ ſurrectæ cuculli, quem monachi ac proficiſcentes cùm caput aperiunt, in ceruicem reducunt, ſpeciem exhiberet. Color pennarum ferè omnium totiu corporis fuſcus erat ad caſtaneum uergens obſcurum. Verùm hunc ferè alibi perpetuum diſtinguebat in vltimo collo albicantium nonnihil ordo continuus, angulum acutum in dorſum exeuntem conſtituens, qui veluti cuculli humeris inducti baſis erat acuminata in tergum propendens. Altera item huic non abſimilis plumarum candicantium ſeries dorſum totum inferius uerſus alarum complicationes in acumen faſtigiata medio, ex concurrentibus in apicem lineis vtrinq; obliqua com poſitum diſterminabat, quod quidem pallij quandam imaginẽ præ ſe ferebat. Cauda lata, mediocris. Pedes fuſci ſquãmis continuis per totum tecti. Vngues roſtro concolores, cornei, fuſci. Plumę femorum vltra poplites non pertingebant. Contrectari facilè ſe paſſa, vnde ignauiam conijcias. Vocem irritata edebat Milui. Quare habitus deformis & puſillanimitas Aquilam degenerem arguunt.

Magnitudo. Roſtrum. Caput. Color. Cauda. Pedes.

[a] Lib. 2. c. 9. Quam tertio loco exhibemus figuram, [a] Bellonij eſt, nempe parciſſimis ab eo alioquin deſcripta verbis, & Auis illius, quam Galli Buſe ſeu Buſard vocant. Hanc enim eſſe vult Percnopteron, quòd omnium, quas ipſe viderit, ignauiſſima ſit, Buteone multò maior, nigro colore, inſtar Aquilæ nigræ, alis breuibus, longiore cauda. Verùm cùm addat, Buſardum Gallorum, Cuniculorum viuaria depopulari, Auibus aquaticis inſidiari, in ſipibus item & dumetis propter pagos, Gallinaceos deprędari, licet id eum non aliarum Aquilarum, ſeu rapacium more dicat facere, nempe inter volandum, ſed quòd ex arbuſto ſeu dumeto quopiam humili velut ex inſidijs in illos prerumpat, itaque is Ariſtotelis Gypaëtos, qui illi ad victum uenatione comparandum iners eſt, & ſola Aquilarũ corpora fert exanima, eſſe non poteſt. Si enim piſces capere & Gallinacea ignauiæ eſt, certè Haliætus, aliæq; ſimiliter Aquilæ ab hoc vitio immunes minimè dici poterunt. Per me tamen vnicuiq; ſuum eſto iudicium.

Eius verò, quam ex Ornithologo quartam locauimus, ipſe hoc modo deſcribit: Aquila iſta, cuius figuram damus, inquit, ſi non eſt Gypaëtos uel Oripelargus, ſaltem ex altero parente, huius generis Aquilę nata uideri poteſt. Nam roſtro Vulturem, colore Ciconiam refert, ignobilis & ignaua. Noſtris aucupibus ignota eſt, nunquam ad nos, quod ſciam, capta. Sed anno ſalutis noſtrę 1551 Septemb. die 29. cùm nix inſolita caderet, huius generis Auis alis grauatis madidisq; in locum ſub dio anguſtum, ciuis cuiuſdam ædibus adiunctum, incidit. Per omnia referebat Ciconiam forma, & coloribus. Carniuora erat; piſces non attingebat: frigoris impatiens; corpore intensè calebat; ita ut tangentium manus frigidæ mox incaleſcerent. Quatuor aut quinque horis uno loco immota ſedebat, & ſolem aliquando ſplendentem intuebatur. Gallinæ & Aues innocuam oderant. Illam plus menſe domi alui, cibum manu prębui, è quibus bolos vorauit, fruſta vnguibus decerpſit, & cùm non biberet, ex roſtro ſtillas aqueas emittebat. Tandem inter Falcones ad Magiſtrum equitum Galliæ deportata eſt. Hactenus Ornithologus.

Magnitudo. Forma. Victus.

LOCVS.

## LOCVS

INCOLIT Percnopteros lucos & plana ut plurimùm: quandoq; tñ montes, vnde montana Ciconia Aristoteli cognominatur. In Syria abundat hoc Auis genus, & in Aegypto.

## GENERATIO.

FABVLOSVM quidem est, quod Aelianus, nescio quo authore, narrat. *Vultures, qui medij sunt inter Vulturum genus & Aquilarum, esse tum mares, tum nigros colore audio, & nidos extruere, in quibus non oua, sed pullos statim pariant.* Res monstrosa & inaudita mares Aues parere, & viuos statim præter morem reliquarum Auium: Cautus tamen in hoc Aelianus, quòd audisse se ab alijs dicit, non astruit.

## INGENIVM. VICTVS.

IMBELLIS ac degener, *nec vitijs cæterarum*, ut inquit [a] Aristoteles, *caret, & bonorum, quæ illæ obtinent, expers est, vt quæ à Coruo, cæterisq; id genus alitibus verberetur, fugetur, capiatur. Grauis enim est, ac ad rapinam iners, sola Aquilarum corpora fert exanima. Hæc facit*, inquit [b] Plinius, *vt quintum genus Gnesion vocetur, velut verum, solumq; incorruptæ originis.* Eadem famelica ac ieiuna semper est, auida & querula, clamat & clangit. Muribus quoque victitat, si Bellonio credimus, qui in suis singularibus circa Gazaram Aegypti vrbem tantam murium copiam esse scribit, ut nisi Percnopteri adessent, ijque permulti Gallis Boudres dicti, à quibus deuorantur, periculum foret, ne fruges omnes à muribus consumerentur.

[a] *Lib. 9. Hist. cap. 32.*

[b] *L. 10. c. 3.*

## VSVS.

[a] *Lib.2.cap. 589.*

CYLLIVS Perdicotheron Apollinis miniſtrum eſſe ſcribit, Accipitrum & Aquilarum genera enumerans, vbi fortè debet Percnopteros legi.[a] Auicenna remedia aliquot ex felle Auis Rachame, quo nomine Percnopteron Arabicè vocari in Synonimis diximus, deſcribit his verbis: *Rachame fel diſtillatur cum oleo violaceo in aurium dolorem. Fit ex eodem caputpurgium medicamẽtum pro infantibus* (pueris opinor) *aut infunditur in nares eorum, vt flatus incluſi diſſoluantur. Fit etiam ex eo Alcohol ad leucoma ſeu albuginem oculorum cum aqua frigida. Filius Alpatrich docet fel huius Auis exiccari in uaſe vitreo in umbra, fieriq; inde alcohol in latere morſus viperæ, quod non eſt veriſimile. Aliqui experimentum eius prædicarunt ad uenenum ſcorpij & viperæ maioris per illinitionem.* Fimus Rocham, *ſi ſuffiatur, fœtum expellit*, vt ex Dioſcoride Serapio teſtatur, qui *fimum Gypos*, id eſt, *Vulturis idem facere teſtatur*.

Fimus.

## DE OSSIFRAGA. Cap. XI.

[b] *In Mirabilibus.* [b] *L.10.c.3.*

ETIAMSI Ariſtoteles Oſſifragam inter Aquilas non recenſeat, ſed ſeorſim de ea tractet, tamen non potuimus adduci, quin & in hiſce ipſi locum etſi infimũ, veluti adulterinę, aſſignaremus. Nam vel ipſo [a] Ariſtotele teſte, ex Haliætis naſcitur.[b] Plinius Aquilam eam uocat, & Aquilarum catalogo etiã aſcribit, vbi ait. *Quidam adjiciunt genus Aquilæ, quam barbatam vocant, Tuſci uerò Oſſifragam.* Cognatum enim, vt idem aſſerit, Aquilis genus eſt. Demùm ob inſignem pietatem erga prolem non modo ſuam, ſed & alienam (verùntamen Aquilarum tantùm) ab ijs excludi nequit, quam eiectam excipit, & cum ſuis educat, conſcia cognationis, quę ipſi cum illis intercedit. Quo ipſo inſigni paterni affectũs officio, reliquas omnes, quotquot ſunt, Aquilas longè ſuperat. Adde quòd neque magnitudine corporis, neque robore, neque actionum præſtantia, Aquilarum cuiquam, ſi Chryſaëton & Valeriam excipias, cedere uidetur. Sanè ſi Oripelargum ſeu Percnopterum in Aquilarum gregem admittimus, quam & ignauiorem, quam Aquilam decet, & degenerem, ac tantùm non Vulturem omnes fatentur, potiori ſanè merito ab Aquilarum numero minimè eximenda Oſſifraga videtur. Non enim piſces ſolùm vt Haliætus, ſed animalia etiã & grandiuſcula capit, à quibus trucidatis & oſſibus eorum confractis nomen inuenit. Neq; huic obſtare debet, quòd ex Haliætis naſci dicatur. Eos enim etſi ex diuerſo Aquilarum coitu genitos, Aquilas tamen nemo unquam negauit. Quinetiã cùm [c] Ariſtoteles diſertè tradat, ſolam Gneſiam ſeu Chryſaëtum ueri & incorrupti ortus credi (cętera enim genera & Aquilarũ & Accipitrum & minutarum etiam auium promiſcua, adulterinaq; inuicem procreare) quę cauſa erit, vt ex Aquilarũ albo Oſſifragam potiùs, quàm aliam quamuis, etſi ſpuria ſit, extirpemus. An verò ob ſolam oculorum viſuſue imbecillitatem, qua alia, præſertim verò Haliętus, pollent, ea ſpeciem mutare & ab Aquilarum familia abdicari debeat, cùm alioquin & forma & cæteris omnibus Aquilam referat, alij viderint; præſertim verò cùm [d] Ariſtoteles minimè de hac, quòd interdiù nõ cernat, ſed noctu venetur, ut de Noctua & Cicuma capite eodem fecit, tradidiſſe legatur, licet oculis parum valere dixerit. Sed vt uerum ſit Oſſifragam non niſi ſummo mane & veſperi, vt ſuo loco dicitur, venari, non ideo inter noctурnas cenſenda erit; nam & Aquilę teſte [e] Plinio, à meridiano tantùm tempore ad uenatum prodeunt, adeo vt Bellonius non ſit veritus dicere, Chryſaëtum in obſcuro prædam quærere. Verùm hac de re, quod cuique lubet, ſentiat.

Etymologia. Ortus. [c] *Lib.9. Hiſtor.c.32.* [d] *9. Hiſtor. cap.34.* [e] *Lib.10.c.3*

AE QVI-

# AEQVIVOCA.

OSSIFRAGVS, vt Cassius Seuerus asserit apud Senecam, eum significat, qui ossium fractura quempiam debilitat. Φήνειον apud Suidam montis nomen est. Φήνεια Stephano Arcadiæ oppidum designat. Sanqualis porta appellatur proxima ædis Anci apud Festum. [a] *Lib.6.Controuers.* φήνειον mõs φήνεια oppidum.

# SYNONIMA.

AVIS hæc Græcis φήνης & Aristoteli φηνὴ dicitur, Latinis & Thuscis Ossifraga, quòd ossa ex alto in rupes demissa frangat. Diuersum ab hac Ossifragum esse genere masculino elatum [a] Hermolaus existimat, cùm inquit: *Differt Ossifragus ab Ossifraga, etiamsi confundant aliqui, quod Ossifraga est septimum Aquilæ genus, quæ Barbata dicitur, & Sanqualis: Ossifragus verò siue Phinis ea est Auis, quæ alienos fœtus cum suis alit, quos Aquilæ nutriendi tædio eiecerint.* Verùm quod pace Barbari dictum sit, huiusmodi differentiã nullam apud authores obseruare licet. [b] Plinius enim masculino genere Ossifragũ profert, at [c] Lucretius Ossifragam fęminino. Marcellus Empiricus vtroque. Gaza ex Aristotele φήνλω Ossifragam solet reddere. Ego vtro genere efferatur, nihil referre dixerim, & vtroq; genere eandem Auem significari. Φηνης (vt Hermolaus & [d] Cælius scribunt) vt χρύσης, casu recto non inueniri puto, sed φήνη tantùm, vt μύλη, benè tamen φήνις teste Dioscoride. Plinius Barbatam quoque uocari asserit: [e] Oppianus Harpen Auem solam barbatam facit, quę cum Ossifraga confunditur: ego omnino eandem esse existimo; Verba Oppiani sunt. *Harpæ conspectui sese offerunt rarò, rupium asperrimarum incolæ. Nidos enim pullis struũt in altis montium hiatibus, præcipitijs, vt reliquæ volucres truncis & ramis insident. Pullos miro amore prosequuntur, adeò vt si quis rusticus pullum Harpæ latenter suffuratus fuerit, illa nidum deinceps, cibo neglecto non relinquat, & locum omnem gemitu plorantis instar mulieris impleat, & lachrymarum defluxu genas madefaciat. Vestiuntur autem eis maxillæ & mentum tam frequentibus plumis, ut barbæ quãdam speciem ad collum demissam repræsentent, & hæc eis inter omnes Aues nota peculiaris. Lapidibus vescũtur, & pridem mortuorum animalium ossibus. Quodsi deglutire possunt, auidè, quod obtigerit, ingerũt. maiora verò vnguibus apprehensa in sublimè volantes per saxa deijciunt toties, donec frangantur, edendoq; sint.* Quę sanè omnia Ossifragæ, ut ubique hîc apparebit, competunt, & non Vulturi aureo, cũ quo Harpam Ornithologus confundit. Ossifragæ etiam nomina sunt Sanqualis, atque Immusulus, de quibus ita [f] Plinius; *Sanqualem auem & Immusulum augures Romani in magna quæstione habent, Immusulum aliqui Vulturis pullum esse arbitrantur, & Sanqualem Ossifragæ: Massurius Sanqualem Ossifragam dicit esse, Immusulum autem pullum Aquilæ, priusquam cauda albicet.* Massurij sententiam Festus astruit, cùm ait: *Sanqualis Auis est, quæ Ossifraga dicitur.* Item alibi. *Immusulus Auis genus, quam aly Regulum, aly Ossifragam dicunt.* Sed apud Festum Immusculus, alibi etiam & Immustulus scriptum reperitur, uocibus, ut apparet, corruptis, ubi ait: *Immustulus ales ex genere Aquilarum est, sed minorum virium quàm Aquila, quæ volucris rarò, & non ferè, præterquam uere apparet, quia algorem, æstumq; metuit: appellatur autem ita, quòd subitò & inexpectata se immittat.* Videtur autem secundum hanc deriuationẽ ab immittendo Immissulus debere scribi. Vnde antiqua uocabula eandem Romanis Auem, nempe Ossifragam denotasse perspicuum est. Auicennæ interpres uocem Cabarum in historia animalium uertit Ossifraga, quam lingua Arabica dicit uocari Belez & Persicè Hamoni. Syluaticus dictionem Arathamati exponit frãgens ossa. Verùm corrupta uidetur uox pro Alrachame: quam uocem pro Vulture positã inuenio apud Auicennæ interpretem libro paulò antè citato. Raham uel Racham ראם Hebræis Auis quædam sic dicta est, quòd sit benigna in pullos suos, quam Iudæi nostrates Picam interpretantur. Scio uocem Raham Hebræis significare misericordem & benignum: & cùm Ossifragę benignitas non solùm in suis, verùm etiam in Aquilæ pullis celebretur; itaque eandem Auem esse credi potest. Aut fortè latiùs patet vocabulum Racham, ita vt & Vulturem & Ossifragam & Gypaëtum simul comprehendat. Apud Albertum alia quædam barbara nomina leguntur, vbi scribit in hæc verba, *Auis quæ Græcis dicitur kym* (corrupta uox à φηνὴ) *Arabice vocatur Cekar, quam Auicenna kabin, eiectum Aquilæ pullum recipit & nutrit*; Et alibi: *Pullos ab Aquila eiectos dicunt aliam Auem colligere, quam Græci Fehit* (vox corrupta pro φηνλω) *Latini Fulicam dicunt, ut quidam interpretantur, sed falsò. Nam quæ Fehit uocatur Auis Consubæ* (sic habet) *species est, quæ Aquilam non nutrit. Fulica autem est Mergus niger vocatus, & Anate minor.* Sic D. [g] Ambrosius & alij quidam recẽtiores φνλω Fulicam,

φήνης. φήνη. Ossifraga. Ossifragus

[a] *In Coroll. in Plin.*

[b] *L.10.c.3.*

[c] *Lib. 5. de natur.rer.*

[d] *L.10.c.6. lect. Aut*

[e] *Lib.de Aucupio.* Harpe Oppiani.

Sanqualis. Immusulus.

[f] *L.10.c.7.* Regulus.

Cabarum. Belaz. Hamoni. Arathamati. Raham. Racham.

Kym. CeKar. Fehit.

[g] *Lib.5.Hexam. cap.8.*

Cuni. Cifred. Fulicam, ſed malè interpretantur. Idem Albertus alibi; *Auis* (inquit) *quam Cuni Græci vocant reuera eſt illa, quam alij Cifred vocauerunt, & Latinè dicitur Oſſifragus*. Idem [h] alibi Oſſifragam vocat Kyrij, vel vt alij legunt kynium: alibi Kym dixit, quæ vox pro Kyni fortè corrupta eſt, aut contrà: nam m litera & ni ſyllaba facilè inter ſe permutantur, in dictionibus barbaris præſertim. Ego Kyni duabus potiùs ſyllabis legerim, cùm etiam Cuni alibi ſcribatur, quæ forſitan vox à Græca κύων corrupta eſt, vt alię plerę́q; , quas Arabes ſcriptores ita à Græcis detorſerunt, vt origo earum vix agnoſci poſſit. Quas ſordes omnes Albertus doctior certè, quàm eloquentior, ex Arabum ſentinis hauſit. Hiſpanis Oſſifraga nuncupatur Quetrantabueſſos & Chebalos. Germanis Beinbrecher. Italis Aquilaſtro.

[h] *Lib. 23. de Anim.* Kyrij. Kynium. Quetrantabueſſos. Chebalos. Beinbrecher. Aquilaſtro.

# FORMA. DESCRIPTIO.

OSSIFRAGAE, inquit [a] Ariſtoteles, *magnitudo maior eſt, quàm Aquilæ, color ex cinere albicans*. Verùm ex his verbis non omnibus Aquilis ſimpliciter, & vniuerſim maior putanda eſt. Superatur enim ſola à Chryſaëto, vt [b] Ariſtoteles ipſe teſtatur, cùm de ea agens, ita ait: *Maxima Aquilarum omnium hæc eſt, maior etiam Oſſifraga*. Vnde verè dixiſſe illum conſtat, maiorem eſſe Aquila Oſſifragam etiam omni, ſi vnicam Gneſiam excipias. *Parum oculis valet. Nubecula* enim *oculos habet obleſos*, eodem [c] Ariſtotele teſte. Hęc à veteribus de Oſſifragæ ſpecie prodita ſunt. Eius verò, cuius nos iconem exhibemus, iſtæc deſcriptio eſt. Oſſifraga, quam excellentiſſimus D. Alphonſus Cataneus Sereniſſimi Ferrariæ Ducis Archiater mihi dono miſit, ab extremo roſtro ad vltimā caudā vel pedes (vtrorumq; enim, ſi extendebantur fines in idem coincidebant) longa erat quatuor dodrantes & medium: Alis verò extenſis ſpithamas nouem lata. Pendebat libras vndecim. Roſtrum ei aduncum admodum, adeo vt vncus ſolus pollicem latum adęquaret. Totum verò digitos duos latum, palmum verò longum, ſubnigrum, & ex corneo colore fuſcum, nonnihil ad ſubcæruleum obſcurum accedens. Initium membrana quędam vltra narium foramina, protenſa inueſtit, quæ finibus ſuis ſeu marginibus S literam exprimit. Rictus palmum & digitum vnum longus eſt. Lingua humanæ ſimillima, lato apice, vtrimque hamatis appendicibus, duriuſculis & corneis, & membrana quadam tenui ad inferiorem mandibulam connexa. Extremam eandem, quà mentum ſpectat, cornea mēbrana ambit. Inferior mandibula inſtar canalis excauata, oris ſublatis palatum vtrimque ſubit, eiuſque marginibus includitur, quod medio rimam quandam exhibet, per quam pituita è capite deſtillat. Caput & collum totum oblongis plumis & anguſtis riget. Quin & de mento plumulæ tenues villorum inſtar propēdent ad arūci ſeu barbæ ſpeciē. Vnde forſan à [d] Plinio, nec non [e] Bellonio Aquila barbata cognominatur, & ego ex ea potiſſimùm nota Harpen Oppiano dici autumo. Plumæ totius corporis ſingulæ triplici colore variant, ſubalbo, fuſco, ferrugineo. Remiges tamen pennæ ferè ex toto fuſcæ ſunt, nonnihil ad caſtaneum tēdentes. Sed & duodecim caudæ nihil aut perparùm ruffeſcunt, albo tantùm & nigro maculatæ. Albeſcunt ea parte, quæ introſpectat, quæ extrà, fuſcæ ſunt. Mediæ duę promiſcuè notis albis conſperſę, maiori ex parte fuſcæ ſunt. In extremo omnes nigræ: quæ his ab extremo dorſo incumbunt, ferè totæ albicant, pauco tamen nigrore reſperſæ, & niſi quòd extrema nigricent. Crura fuſcis plumulis, aliquantulùm fulueſcentibus ferè tota obteguntur, ita vt ad duos digitos tantùm, quod plumis nudum eſt, ad pedes vſque interijciatur. Totius verò corporis cutem proximè veſtiunt plumulæ molliculæ, candidiſſimę, tanquam leniſſimum ac tenerrimum quodpiam uellus, ſeu plumoſa lanugo, eo prorſus, quo Cycnus modo. Pars crurum ſeu tibiarum infima, quæque ad duos digitos plumis deſtituta eſt, vnà cum pedibus intenſo luteo tincta eſt. Expanſi digiti ſpithamam explent. Medij longitudo palmum æquat. Vngues nigerrimi, adeò vt præ atrore ſplendeant. Semicirculum adamuſſim repræſentant. Eorum ad ſe mutuò hæc eſt proportio. Poſticus maximus binos digitos longus eſt, hoc ipſo minor anticorum primus, iſte rurſum maior penultimo, minimus omnium eſt poſtremus. Vnguium ſubſtantia intus alba & oſſea, foris fuſco cortice intecta. Crus & pes ſquammulis rotundis maiori ex parte inæqualibus prædita ſunt, ſed antica cruris pars, & ſuperior digitorum tabellas ſemicirculares habent, uti & Chryſaëti. Huius mihi Auis iconem ad viuum coloribus ſuis expreſſam olim, videlicet ante triginta annos, magnus ille Botanicus Carolus Cluſius, vir doctiſſimus, mihiq; amiciſſimus tranſmiſit, ſed in hoc plurimùm hallucinatus, quòd Haliætum vocaret, qui ſanè Oſſifraga multò minor eſt: hūc verò fermè in modum ad me ſcripſit: Haliętus hic, quē maritimę noſtrę orę Zee Arent, hoc eſt, Aquilam marinam uocant, globo traiectus fuit ſuperiore hyeme, atq; poſtridie delatus ad generoſum virum

[a] *Lib. 8. Hiſtor. cap. 3.* Magnitudo. Color. [b] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.* Viſus. [c] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 34.* Lōgitudo. Pondus. Roſtrum. Rictus. Lingua. Mādibulæ. Caput. [d] *L. 10. c. 3.* [e] *Lib. 2. de Auib. c. 8.* Pennæ. Dorſum. Crura. Pedes. Vngues.

ſum virum Carolum ab Andomaro Brugas oppidum Flandriæ. Eum prius exenteratum ilicò depingi curauit, inſtitutum ſuum ſecutus, ut omnis generis, quas quidē nāciſci poteſt, Aues, quadrupedes & piſces, tum etiam ſtirpes ad uiuum exprimi curet. Hanc uerò Aquilam ſolis piſcibus ueſci, teſtis eſſe poſſum, qui præſens aderam, cùm exenteraret. Nam in eius uentriculo nihil præter piſces conſpeximus integros, etiamnum alios, ſemeſos alios. Tanto autem fœtore triclinium, in quo illam ſecuimus, implebat, ut uix ferre poſſemus. Fœtor uerò erat ueluti putridorum ſalſamentorum. Magnitudo quæ alijs Aquilis. Alæ expanſę id ſpacij comprehendebant, quod uir mediocris ſtaturę, manibus brachijsq; extenſis amplecti poteſt, hoc eſt orgyam unā. Color totius corporis qualis in icone cōſpicitur (erat autem talis, qualem diximus) Fabuloſum autem eſt, quod quidam de Aquilā marina commenti ſunt, quod alterum uidelicet pedem planum Anſeris, alteriuſue aquaticę auis modo habeat, cuius adminiculo natare poſſit: alterum uerò reliquarum rapacium modo, ut prædam captet. Hactenus Clariſſimus Cluſius: Verùm quod antea in Chryſaeto fecimus, cuius interna quantum licuit, perſcrutati ſumus non ut hæc quid ad ocularem ſpecierum cognitionem cōferre exiſtimemus, ſed ut quantum fieri potuit, honeſta ſtudia promoueamus; itaque eodem inſtituto obſeruato idem in Oſſifraga facturi ſumus, & eius anatomiam adminiſtraturi, non tamen integram, ſed eorum, quæ & uiſu digna nobis uiſa ſunt, & in penuria materię uideri potuerunt.

# PARTIVM INTERNARVM deſcriptio, ſeu anatomes ab Eccellentiſs. D. Ioh. Baptiſta Corteſio adminiſtratæ explicatio.

Sternum. STERNVM ſolidiſſimū, robuſtiſſimumq; profundius multò, quàm in reliquis alitibus, inſtar nauis excauatum eſt, æquabile, nullis tuberibus, ut in cæteris uſu uenit, in quibus uerſus iugulum interſticium quoddā oſſeum eſt, quod ſternum ſecūdum longitudinē in duas partes æquas diuidit, & cauitates duas utrimq; & angulos conſtituit. Vniformi itaque fornice exculptum eſt per totū, eaq; tereti ac alta cauitate in parte ſuprema proxima iugulo, qua cor membranis quibuſdam illi adhęreſcit. Veſica fellis exigua, cui nullum cum hepate conſortium eſt. Fel. Neque enim illius cauo, ut in alijs animantibus continetur, ſed ſub uentriculo multo adipi immergitur. Abdomen copioſiſſima pinguedine redundat. Vterus infera parte anguſtior, ſupera latior, pyri formā exhibet, craſſo ſatis corpore, cuiuſmodi quadrupedum ferè, plenus ſemine. Oculi. Oculum totum membrana quædam ab inferiori parte oriens ſurſum ducta inter nictandum tegit, ideoq; periophthalmium dicta eſt. Sed in oculo dignum obſeruatione eſt, quod Vuea. Periophtalmion. quæ homini in pupilla perforatur, tenuiſſimam quandam membranulam pupillæ prætenſam habeat. Atqui hoc eſt, quod [a] Philoſophus dicere voluit illis verbis, *Parum oculis valet: nubecula enim oculos habet oblæſos:* ſubtiliſſimam eam membranam nubeculam vocans. Iſtæc tamen ne prorſus viſionē prępediret, quod retrò & ab lateribus nigro, vt homini, colore imbuta, & ſubſtantia paulò craſſior ſit; itaq; partem, quæ iridis ambitu clauditur, ſubtiliſſimam omniſq; coloris expertem & exactè pellucidam natura fabricata eſt. Hoc ipſum viſus detrimentum nonnihil reſarcire poteſt ſuperciliorum aut ſupernę orbitæ oculorum partis prominentia, quę ceu tectum aut ſuggrunda quædam oculos ſupernè operit, non tam ad arcendas, quæ ſupernè ingruunt, iniurias, quàm quòd ſpirituum diſſipationem prohibet, & ad eorundem collectionem Vētriculus. & vnitatem plurimùm confert. Ventriculi autem hęc eſt compoſitio. Corpus eius non ut pleriſq; alitibus carnoſum, ſed membranoſum erat, totum inſtar humani, oblonga figura crumenam prę ſe ferens, fundo nempe quàm ſuperiori orificio latius. Ingluuie caret, quod Plinium non videtur latuiſſe, ex hiſce verbis, *Vnum Oſſifrago inteſtinum, mirabili natura omnia deuorata conficiendi.* Verùm qui ventriculo incumbit œſophagus, ſimulatq; iugulum tranſijt, paulatim Oeſophagus. magis ac magis, ad uentriculum vſque dilatatur, & procul dubiò ingluuiei ſeu prolebi vicem Victus. gerit. Ventriculo diſſecto Anguillæ fruſta tria reperimus, vnde etiam piſcibus ueſci manifeſtò conijcimus. Hæc in ſtomacho iam coqui cœpta, tam dirā mephitim exhalabant, atq; adeo tetro ac acuto fœtore nares offendebant, vt nos penè in animi diliquiū incidere coegerint. Sed prętерquam quod Auis iam ad duas hebdomadas mortua fuerat, vnde nil mirū, ſi putre illud alimentum, anguſtijs cadaueris incluſum, nulloq; aēre ventillatum peſſimè fœtere perceptum ſit, illud Aquilę etiam peculiare ſcribitur, vt illi halitus malè oleat (ego credo ob bilioſam Auis intemperiem)

[a] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 34.*

intemperiem)adeò vt contacta ſemel ab ea,aut ſemeſa alites cæterę,etiamſi famelicę,deguſtare abhorreãt, ob tranſlatum nimirũ in ea putridæ qualitatis contagium. Cor ipſi mediocre & pro reliqui corporis proportione paruum potiùs,quàm magnum,quale alitem magnanimam decebat. Alæ tres articulos maiores ſupernè membrana quædam robuſta continet, palmum & digitum lata,dodrantem longa cum medio. Lien rotundæ ferè figuræ non uſq; adeò magnus. Vropygium medij pugni craſſitudine adipẽ ſuprà quàm credi poteſt,copioſam cõtinet. Cor. Articuli. Alæ. Lien. Vropygiũ.

Sed rationes,quibus mihi hanc proximè à me deſcriptam Auẽ, Oſſifragam eſſe,& non aliã certò perſuadeo,huiuſmodi ſunt,& quidem euidentes. Colore in primis eſt ex cinereo albicãs, quod Ariſtoteles de Oſſifraga tradidit: ſic nubecula oculos læſos obtinet. Hoc anatomica inſpectione palam factum,eſtq; huic Aui peculiare,nec in alia Aquila obſeruatum,nempe quòd pupillam alia adhuc præter corneam membranam obtendat. Oſſifragæ *vnicum eſſe inteſtinum mirabili natura omni deuorata conficiendi*, ſcribit Plinius. Hoc ſi quis non de propriè dicto inteſtino,ſed de ventriculo intelligat,non ineptè fortaſsè faciet. Inteſtina enim in omnibus omnino ſubſtantia vnum ſunt,plura officio. Voluiſſe autem Plinium dicere Oſſifragam nulla ingluuie,ut alias Aquilas & Aues plerasq; inſtructam eſſe,ſed vnico vẽtriculo omnia aſſumpta concoquere,res ipſa ac autopſia euidẽter demõſtrauit. Quo argumento hanc Oſſifragam barbatam eſſe & cognominari tradit. Huic noſtro Aliti ſub mento villus eſt plumoſus, qui barbam exactè repręſentat. Cùm igitur omnes,quæ à veteribus Oſſifragæ attributę ſunt, proprietates huic vni accuratè congruant,non video, cur ego ab hac mea ſententia, nempe quòd hęc ipſa Oſſifraga uera ſit,poſſum diuelli. Sed Ariſtotelicis & Plinianis argumentis & meę coniecturæ non ineptæ (vt arbitror) libet addere nomen,quo apud Ferrarienſes hæc auis,vbi capta eſt, vocatur,videlicet Aquilaſtro,quod Oſſifrago potiùs conuenire uidetur, quàm Anatariæ, ut Ornithologus exiſtimauit,infirmo eoq; ſolo argumento ductus,quòd Aquilaſtrum Italorum piſcibus veſci acceperat. Hãc enim vocem ſpurium quiddam & imperfectum deſignare cõſtat, quemadmodum Philoſophaſtros & Poëtaſtros vocamus eos, qui Philoſophorũ & Poëtarũ ſcripta exprimere conantur quidem,ſed nequeunt aſſequi, & ſurdaſtrũ, non qui planè ſurdus eſt,ſed qui ęgrè audit. Aquilæ autem ſpuriæ ſeu illegitimę nomen in eam,quam omnes veram Aquilam eſſe fatentur, nec quiſquam vnquam degeneris naturæ arguit,in Anatariam nempe cadere non poteſt Oſſifragæ uerò,quæ,etſi ab altero parente Haliæto genita credatur, ob illegitimos tamen natales, & ob alia uitia, ut eſt uiſus imbecillitas,ab Aquilarũ generoſitate aliena eſt,apprimè cõuenit. Verùm ne quis, quòd hãc eãdẽ Auẽ piſcibus ẽt uictitare diximus,Haliętum eſſe opinetur; quæ res profectò Clariſſimo viro, mihiq; amiciſſimo, doctiſſimo alioquin D. Carolo Cluſio impoſuit,qui huius Auis e figiem pro vero Haliæto, vt rebatur, mihi,vt antè dixi,tranſmiſit. Imo verò etiamſi alia,eaq; manifeſtiſſima, vt paulò antè declarauimus, ſigna deeſſent, vel ex ſola magnitudine illa eximia hanc ab Aquilis reliquis ſeiungi,& Oſſifragam eſſe,probari poteſt. Hãc enim Ariſtoteles cæteris omnibus Aquilis una excepta Gneſia,maiorem ſtatuit. Cùm verò ea,quam nos damus, Oſſifraga,alis expanſis ſpithamarum nouẽ menſuram æquet,vt ſcripſimus;cùmq; illius Cluſius,cuius olim ad nos dedit, longitudinem & latitudinem,quanta hominis vndiquaq; expanſi fuiſſe teſtatus ſit, ideo vel ipſi Chriſaëto parum vel nihil cedere clarum erit. Haliętus enim vix Miluum magnitudine ſuperat: & Anataria iuxta Ariſtotelem omnium Aquilarum,excepta Melanæto,minima eſt. Aquilaſtro. Carolꝰ Cluſius decepſus.

Ea,quam ſecundam poſuimus, figurà [c] Bellonij eſt, quæq; Auem,quam ipſe pro Oſſifraga exhibet,repræſentat. Hæc talis eſt. Corpulentia,colore & ſpeciei Milui eſt,hoc excepto,quòd duabus maculis,ijſq; nigris ad alarum latera notetur. Caput ei Accipitri ſtellari ſimile. Crura & pedes Vulturina,colore luteo. Corpus totum molli & tenerrima lanugine inſtar Vulturini tectum. Tibiæ totæ plumis ueſtiuntur. Dominus Aramontius eam ſecum redux è Turcia attulit,quæ compluribus aucupibus ſpectata, à nemine agnita eſt, quòd rara admodum in haſce oras deportetur. Aiebat ipſam in Illyrio,dum Turturem depaſcebat,captam fuiſſe: poſtea tamen uenationi adhibitam,nullum unquã ferociæ uel magnanimitatis ſpecimen edidiſſe. Vngues ei ualdè patuli. Roſtrum ac pedes ſtaueſcebant. Cadaueribus ſe explere putabatur. Hanc Oſſifragam eſſe non poſſe, cùm ex eo quòd Miluo non ſit maior, tùm ex reliquis ſignis ſuprà expoſitis,quibus caret, manifeſtum eſt. Quod etiam ipſe Bellonius haud grauatim admittit, Vulturis minimi quoddam genus eam appellans:ſed quia,quã pro Oſſifraga exhiberet,Auem non haberet,itaque ad hunc locum ob quandam cum ea ſimilitudinem, hanc eandem referri poſſe putauit,atque etiam quòd ex Oſſifragis Vultures procreari minores huiuſmodi à [d] Plinio ſcriptum ſit.

[c] *Lib. 2. c. 8.*

Magnitudo. Color. Caput. Crura. Pedes. Plumæ totius. Tibiæ. Vngues.

[d] *L. 10. c. 3.*

Ossifragam etiam, si non cum nostra eandem, saltem ad huius genus reducendam, quantum ex eius habitu ac moribus assequor, non temerè autumauerim, eam Auem, quæ, vt ex nobili quodam viro Tyrolensis comitatus accepi, in summis montium ibidem iugis nidificat, & ab aucupibus ac uenatoribus indigete voce Beinbrecker, id est, verbo ad verbum reddito, Ossifraga appellatur. Rupicapras enim sublatas ex alto ad rupes & montium hiatus præcipitat, ut ita allisis, & ruina graui enecatis, ossibusq; omnibus diffractis esca sua commodiùs potiatur. Quid? quod etiam frusta ossium, eaq; maiuscula interdum deglutiat. Color in dorso, qui Accipitribus, in uentre albicans. Magnitudo, quæ maximæ Aquilæ: Distensis enim utrimq; alis, orgyæ est latitudo, quanta nempe hominis mediocris statura est, ubi brachia expanderit. Venationem exercet summo mane ac sub uesperam, cessat meridie, quo tempore quiescentem aucupes & uenatores sclopeto deijciunt, caput ac pedes amputãt, eaq; ad regionis metropolim, quam Oenipontem uocant, deferunt, præmium duorum Imperialium Thalerorum relaturi è publico à Sereniss. Arciduce omnibus propositum, qui has Aues, ut noxias, & Rupicapris, quibus eò loci non est nobilior uenatio, maximè infensas occiderit. Tardè admodum ac difficulter ob ingentem corporis molem feruntur, adeò ut dùm uolant, ab peritioribus aliquando glande missili perimãtur. [c] Albertus Magnus aliud quoddã genus parat describere, ubi ait: *Quintum Aquilarum genus apud nos est perparuum & varium, & à quibusdam vocatur frangens os, eò quòd quando carnes ossium comedit, ossa in altum subiecta super lapidem deijcit, & ex fractis ossibus medullam sugit.* Hęc ille, sed cùm paruulam admodum hanc Aquilam esse scribat, non potest esse Ossifraga aut φήνη, quam [f] Aristoteles omnibus Aquilis, præter solã Germanã, maiorẽ facit.

Venatus. Color. Magnitudo. Quo tempore venetur. Præmium propositum occidentibus Ossifragam. [c] *Lib. 23. de Anim.* [f] *Lib. 9. Hist. c. 32.*

Ornithologus ex amicorum relatu alias quasdam depingit. Audio, inquit, in mõtibus Heluetiæ nostrę Auem Aquilini generis nominari Beinbrecker, hoc est, Ossifragã; ab alijs Steinbruckel, quasi dicas, Saxifragam, quoniam ossa (ut ex Alberto relatum est) saxis iniecta confringat. De hac olim amicus quidem ex Clarona insigni Heluetiæ pago, sic ad nos scripsit. Ossifraga, quam uidi annicula erat, capite nudo, & flauo colore, rostro incuruo, plumis albis: alæ hinc inde nigram habebant pennã, ueluti Ciconia; affirmabat auceps eas crescere ferè in magnitudinem Vulturis, & omnino flauescere, & ex interioribus eius plumis, quę teneriores sunt, pelliculas pretiosas fieri, ut ex Vulturibus quoque ad fouendum debilem ac frigidum uentriculum. Rursus ab alio accepi, hanc Auem aliquanto minorem esse Vulture, eiusque genus quoddam uideri; colore fusco; cùm Vultur pectore, collo, & capite magis flauescat, rarò capi, etsi quando à montibus propiùs ad pagos, & agricolarum domos aduolet, hyemem propiùs quam & asperam expectari. Item ab alio, auem esse tantam, ut spatium ab ala extrema extensa ad alteram, orgyam siue ulnam excedat; uaria animantium genera inuadere, Mures alpinos, Rupicapras paruulas; nidulari in rupibus, solam & solitariam agere, colore ex castaneo nigricante. Sed hæc forsitan Aquilæ ueræ descriptio fuerit; ego nihil affirmo. Hactenus igitur Ornithologus.

Caput. Rostrum. Plumæ. Alæ. Magnitudo. Vsus pellis. Præsagium hyemis. Venatus. Nidus.

# GENERATIO.

[a] *L. 10. c. 3.*

QVOD *ex Haliatis* (inquit Plinius) *ex diuerso Aquilarum coitu genitis natum est, in Ossifragis genus habet, è quibus Vultures progenerantur minores, & ex ijs magni, qui omnino non generant.* Quę generatio, quàm parum videatur verisimilis, alibi diximus.

# INGENIVM.

DE indole huius Auis, quæ præclarum ac insigne liberalitatis exemplum præbet, vnius [a] Aristotelis instar omnium verba apponam. *Quæ Ossifraga*, inquit, *vocatur, probè & fœtificat & viuit,* (vnde mirari subit doctissimum Scaligerum, qui Ossifragam inter aues ad prolem multiplicandam, minus aptas refert) *canæ gerula est, nutricat benè pullos suos & Aquilæ. Cùm enim illa suos nido eiecerit, hac recipit eos & educat. Mittit namq; pullos suos Aquila antequàm tempus sit, adhuc parentis operam desiderantes, nec volandi adeptos facultatem; quod per inuidiam facere creditur. Natura enim inuida est, ac famelica, nec copiosæ venationis, magnum tamen quid nãciscitur, cùm venatur. Inuidet igitur liberis suis iam maiusculis atque edaciusculis, & ob eam rem vnguibus secat. Pulli etiam inter se pugnare incipiunt de sede ac pastu. Itaque à parente eijciuntur & pulsantur, deiecti vociferantur, periclitanturq; sed Ossifraga recipit eos benignè, ac tuetur, & alit, dum quantum satis est adolescant.* Quod ipsum [b] Plinius testatur

[a] *Lib. 9. Hist. c. 34.* [b] *L. 10. c. 3.*

teſtatur his uerbis: *Eiectos ab his* (nempe Aquilis) *cognatum genus Oſſifragæ excipiunt & educãt cum ſuis.* Hinc Bellonius factum exiſtimat, & nomen (ut conijcit) & figmentum de Phœnice (quæ vox ad Phenem non parum accedit) Aue apud recentiores, quæ ſuper nidum pingitur pectus ſuum dilanians, & cruore proprio pullos paſcens. Sed hoc alij Pelicano tribuunt. Harũ Auium amorem erga ſobolem ſuam [c] Homerus in Vlyſſe, & Telemacho ſeſe recognoſcentibus celebrat, dum ait:

[c] *Odyſſ. Π.*

Κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἢ τ' οἰωνοὶ
Φῆναι, ἢ Αργυπιοὶ γαμψώνυχες, οἵσί τε τέκνα
Ἀθρόαι ἐξέλοντο πάρος πετεηνὰ γενέσθαι, id eſt,
*Flebant autem ſtridulè abundantius, quàm aut Aues*
*Oſſifragæ, at Vultures curuæ vnguibus, quibus pullos*
*Ruſtici excipiunt, antequam volatiles ſint.*

[d] *Lib. 1. de piſcibus.*

Quem locum imitatus eſt [d] Oppianus:

Καὶ μὲν τις φήνης ἀδῖνον γόον ἔκλυεν ἀνὴρ
Ὄρθριον, ἀμφὶ γὸ τέκεσσιν, &c.

# VENATVS. VICTVS. PVGNA. Solertia. Vox.

NON minorum animalium tantùm, ſed maiorum etiam venatu viuit. Nam Rupicapras & earũ hinnulos ſublatos ex alta rupe deijcit; nec Canes venatorum aut paſtorum ab ijs, ſi ſoli conſpiciantur, tuti ſunt.

Quin & piſcibus eam victitare, Anguillæ, quas in diſſectę ventriculo reperimus, reliquiæ declarant. Neque hoc Haliæto, vt diximus, proprium exiſtimandum eſt, cùm prętер haſce & Anataria piſces capiat, quam tamen nemo ob id Haliætum dixerit. Quod ipſum minus mirum videbitur. Si quis Oſſifragam commune quippiam cum Haliæto cognationis & generis merito habere conſideraueriť, ut à quo ortum & vitam, ab eo etiam morum & ingenij partem trahat.

Solertia.

Solertiæ & naturalis cuiuſdam inſtinctus in Oſſifraga memorabile Auicenna exemplum tradente quodam uiro docto, adfert.

Viſa eſt cum Vipera pugnare Oſſifraga, & ex pugna ad herbam ſeſe recipere ſoncho ſimilem, quam cùm quidam experiundi cauſa ſubtraxiſſet, rediens Auis neque herbam inueniens, ſtatim perijt.

Vox.

Vocem eam non ſemper eandem edere [e] Lucretius innuit:

[e] *Lib. 5. de natur. rer.*

——*Accipitres, Oſſifraga, Mergi,*
*Longè alias alio iaciunt in tempore voces.*

# VSVS IN SACRIS.

[a] *Odyſſ. Γ.*

OSSIFRAGAM & Harpam (hanc ego cum Oſſifragra eandem facio) Aues Mineruæ attributas olim, Gyllius author eſt. Nam & [a] Homerus Mineruam huic Aliti comparauit, cùm ait: *Minerua è Pylo abijt* φήνη εἰδομένη, id eſt, *Oſſifragæ ſimilis*; vbi interpretes Phenen Auem Aquilę ſimilem faciũt. Honeſtior autem (inquit Euſtathius) hæc comparatio Mineruę ad Oſſifragam eſt, quam illa Ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο. Nam φήνη uidetur denominata παρὰ τὸ φάινειν.

Anopæa Auis.

Eſt autem Minerua φωσφορος, id eſt, lucifera. Cæterùm Anopæam Auem aliqui genus Aquilę ſimile Oſſifragis eſſe tradunt, vt poſtea latiùs declarabitur. Fuit autem, vt Alexander ab Alexandro [b] ex Plinio refert, diu inter Romanos augures quæſitum, nunquid Sanqualis & Immuſſulus, quas cum Oſſifraga eaſdem Aues ſuprà ſtatuimus, inter Aquilas cenſendi forent: quorum volatus licet ęuo priore incognitus, ſecundiſſimos tamen euentus habere credebatur. *Quidam* (inquit [c] Plinius) *poſt Mutium augurem viſos non eſſe Romæ confirmauêre. Ego in deſidia rerum omnium non arbitror agnitos.* Feſtus item teſtatur alites uolatu auſpicia facientes iſtas fuiſſe putatas, Buteonem, Sanqualim, Immuſſulum.

[b] *Lib. 5. c. 13. Geneal. dier.*

[c] *L. 10. c. 7.*

VSVS

# VSVS IN HIEROGLYPHICIS.

ÆGYPTII, vt ſcribit[a] Pierius, cùm pium & placidis moribus ornatum Regem, & qui victum & neceſſaria inopibus eroget, oſtẽdere volebant, Auem illam, quam à vigore, quo egregiè prædita eſt, Offifragam appellant, proferebant, quòd pullos alienos ſibi adoptet, ac unà cum ſuis foueat. [a] *Lib. 19. Hierogl.*

# VSVS IN MEDICINA.

IABET & vſum ſuum Auis hæc in medicamẽtis. *Offifragi venter* (inquit[a] Plinius) *arefactus & potus* (in codice Marcelli Empirici, *madefactus & appoſitus*, quod non placet) *ijs qui cibos non conficiunt, vtiliſſimus, vel ſi manu tantùm teneãt capientes cibum. Quidam adalligant ex hac cauſa. ſed continuare non debent: maciem enim facit.* Et alibi quoque ita ſcribit: *Vnum eſt Offifrago inteſtinum mirabili natura omnia deuorata conficienti: huius partem extremam adalligatam prodeſſe contra colũ conſtat.* Item alio loco: *Offifragi venter arefactus cõtra calculos & alias difficultates veſicæ commendatur.* [b] Dioſcorides verò de eiuſdem Auis uentriculi efficacia ſimilia prodidit, his verbis: *Offifragi Auis venter particulatim potus calculos cum lotio pellere proditur.* Marcellus quoque Empiricus ex hiſce deſumptà iſtæc tradidit: *Auis Offifragæ ventriculus ſalitus, ut ſeruari poſſit, aut exuctus, aut in puluerem redactus, cum uini potione datus, vrinam efficaciter prouocat.* Idem aliàs. *Huius inteſtini pars extrema colligitur & reponitur, & cùm opus fuerit, ventri laborantis alligatur. Remedio miro omnes inteſtinorum dolores citiſſimè ſanat.* Phenes *os ad coxam ſuſpenſum, cirſos*, id eſt, uarices ſanare ſcribit Kiranides. Eadem ferè remedia Harpæ attribuuntur. Idem Kiranides author eſt fel eius cum melle albedinem (*leucen*) & lepram curare. Item ſtercus eius aridum & tritum ſi quis biberit, uel guſtauerit, cõcoctionem promoturum, & calculoſæ affectioni & dyſuriæ opem allaturum.

[a] *L. 30. c. 7.*

Inteſtinina tura.

[b] *L. 2. c. 47.*

Inteſtini vſus.

Offis vſus

Veràm appendicis loco ad Offifragæ hiſtoriam ſubnectam, quæ de Anopæa, cuius apud Homerum mentio fit, varij ſentiunt. Huc enim potiſſimùm referri videtur, quòd interpretes Auem eſſe de genere Aquilarum, & Offifragæ ſimilem exponant. De hac [c] Homerus, vbi de Minerua agit, ita habet:

Anopæa q̃ Auis.

[c] *Odyſſ. A.*

Οὖρις δ' ὣς Ἀνόπαια δίεπτατο. Alij verò uocem Ἀνόπαια interpretãtur pro ἀφανὴς quod eſt inuiſibilis: vel pro ἀνοφερὴς, quod eſt, ſurſum euecta, ut Empedocles de igne ſcribit, Καρπαλίμως δ' ἀνόπαιον, id eſt, celeriter verò ſurſum. Et ſic Herodianus apud Homerum accipit, ἀνοπαῖα penanflexum ſcribens, neutrum plurale, loco aduerbij, vt πυκνὰ pro πυκνῶς. Alij ἀνόπαια interpretantur ἀνὰ τὸν ὄπα, id eſt, per foramen tecti, quod καπνὸν & κάπνοδόκην (infumibulum) nominant. Sunt poſtremò qui παπόπαια ſcribant, & Hirundinem intelligant; quod Panope ciuitas in Phocide ſit. Finguntur autem in Aulide Phocidis contigiſſe, quæ poetæ fabulantur de Tereo, vt Varinus ex Euſtathio teſtatur. Eſt & montis nomen Anopæa Herodoto & viæ iuxta Locridem.

παπόπαια

# DE AQVILA ALBA SEV CYCNEA. Cap. XII.

AQVILAM autem albam ſeu Cycnæam ad Offifragam potiùs, quàm ad aliud Aquilæ genus reducendam eſſe exiſtimo, & præcipuè hac ratione. Albertus enim magnitudine eam ferè Herodij, id eſt, Chryſaëto æqualem eſſe, ſed ignobiliorem ſcribit. Nulla autem alia ab Offifraga ad Chryſaëti magnitudinem propriùs accedit. Deinde quia tam piſcibus, quàm quadrupedibus victitet, quod Offifragæ conuenit. Verba Alberti huc aſſcribam, quò faciliùs vnuſquiſq; iudicet. *Album genus Aquilæ rarum, inuenitur tamen aliquãdo in alpibus & rupibus circa Rhenum, vt ſæpe experti ſumus. Eſt autem hæc Aquila tota alba niuei candoris, magnitudine fermè Herodij*, id eſt, Chriſaëti ſeu Aquilę Germanę, *ignobilior tamen, minusq; velox. Viuit venatu Leporum, Cuniculorum & huiuſmodi paruorum animalium. Nam aliquãdo Catulos, Vulpeculas & Porcellos rapit, & quando piſces in ſumma aqua natantes.* Hæc fortaſſis eadem fuerit cum ea, quàm ſuperius in alpibus Tyrolenſibus conſpici, ac Rupicaprarum hinnulos, Agnos, Canes abripere diximus, albam prono corpore, magnitudine Aquilæ Germanæ, & volatu tardam admodum: uti ſi quis Alberti verba expendat, & cum hac Offifraga conferat, facilè eluceſcit.

Color. Magnitudo. Victus.

# DE AQVILA HETEROPODE. Cap. XIII.

AQVILAE iſtius picturam Ornithologus ab Argentinenſi quodam ciue ſeſe accepiſſe memorat, homine diligentiſſimo, & auium præcipuè naturę ſtudioſo, qui tamen nihil certi ſuper hac Aquila referre potuerit. Hoc tantùm dixiſſe, ab alijs quibuſdam pictoribus hanc picturam ceu veram ſeſe accepiſſe. Nos, inquit Ornithologus, heteropodem appellare voluimus, quòd in una hac auium (ſi uera eſt pictura) crura coloribus diuerſis inſigniantur, ſiniſtrum cæruleo, ut roſtrum quoq; : dextrum fuſco albicante. Venter fuſcus eſt, & punctis nigricantibus, maculoſus, vt pectus etiam & collum. Reliquum corpus magis nigricat, oculi ſubrubent. Pars etiam alarũ fuſca eſt, & punctis notatur nigris, vt venter. Capitis & ceruicis pennę ſummę rigere videntur: & dorſi initium circa alarum ſummitates in gibbum attolli. Hæc ille: de quibus ego, cùm nunquam talem Aquilam uidere contigerit, nihil iudicare potui.

DE

# DE SCYTHICA AVE.

## Cap. XIIII

SCYTHICAM Auem cæteris Aquilis hîc etiam subiungere visum est. Nã & [a] Aristoteles capiti de Aquilis eius tractationẽ statim subnectit, eamq; multa more Aquilarum facere asseuerat; Et Albertus cũ Olao Magno oculato teste hanc ipsam Aquilam appellare non verentur. Magnitudine enim, & figura etiam quàm maximis Aquilis non est absimilis, vti icon eius ex Olai historia Septentrionali apponenda declarat. De hac ita scribit Aristoteles. [a] *9. Histor. cap. 33.*

*Scythia terræ incola est Auis magnitudine Otidis seu Tardæ Auis, quæ duos procreat pullos; & quæ peperit ouæ, non incubatu fouet, sed cõdita in Leporina aut Vulpina pelle relinquit, atque ita obuoluta in summa arbore collocat. Cùmq; à venatione vacat, custodit, & si quis scãdit, impugnat, & verberat alis, perinde vt Aquilæ faciunt.* De eadem Plinius, his verbis: *In Scythis Auis magnitudine Otidis, binos parit in Leporina pelle semper in cacuminibus ramorum suspensa.* Niphus dubitat, an Auis hæc Scythica Otidis genus sit; Sed ab Otide quidẽ, id est, à Tarda Aue, quam nos cognoscimus, diuersum, quoniam Græcè legitur ἐν δὲ Σκυθίᾳ ὀρνίθων γένος ἐστιν αἰωτίδες, sed Gaza legit ὡς ὠτίδες Plinium scilicet secutus, & rectè mea quidẽ sentẽtia. Neq; enim Otidẽ siue nostrã siue alterius generis, hanc Auem esse putarim, sed de genere Aquilarum, vt antè diximus. Albertus vtrumq; authorem scilicet Aristotelem & Plinium falsi insimulat, maiori fortassis audacia, quàm ratione nixus, etiamsi nobis oculatam suam fidem obtrudat, vbi ait: *Omne genus Aquilarum partes Vulpinæ pellis, siue à vulpe, quam raptam laniarit, siue casu inuentas colligere solet, vt ouæ in eis reponat, vel in alio quopiã loco calido & molli pilo. Quod autẽ Plinius prodit Aquilã Aquilonarẽ ouæ in pelle Vulpis inuoluta à ramis arborum suspendere, donec calore solis foueantur, perficiantur & excludantur pulli, tum ad eos redire expertus sum esse falsissimum, quoniam in Leuonia, vbi Aquilæ Aquilonares & perquam feroces, magnæq; sunt, nihil planè eiusmodi experimur; sed potiùs fouent ouæ Aquilæ, & piscibus, Auibus, quadrupedibusq;*

*nutriunt pullos ſuos.* Verùm quid reſponſurus ſit Olao Magno Vpſalēſi Epiſcopo Albertus,non video,qui eius regionis, cęterarumq; Septentrionalium hiſtoriam perſecutus eſt, hiſque natales ſuos debet,& qui ſic infit: *Circa Scricfiniam regionem Septentrionalem remotiſſimam Aquila grandis detracta Leporis pelle oua ſua inuoluit, cuius fœtifico calore pulli educuntur.* Sed nunquid hæc ratio ſit incubatus in Aquilis,quemadmodum Ariſtoteles, Plinius & Olaus Magnus volunt, & Albertus negat,mihi nondum compertum eſt. Homines literati & naturalium rerum indagatores alij hac in parte nobis ſubuenire, & defectum noſtrū ſupplere poterunt,& exactiora quandoque de his tradere.Sic nedum, quæ ſit hæc Auis Scythica, aliquid certi, præterea quæ Ariſtoteles habet atque Plinius,cognoui.

Ornithologus hanc figuram, ſiue Aquilæ ſiue maioris cuiuſdam auis, quam propter magnitudinem,non in vnius, ſed duarum aut plurium arborum vicinarum ramis nidificare tradit, ſeſe ex tabula regionum Septentrionalium Olai Magni etiam deſumpſiſſe ſcribit; nullam tamen Olaum in tabulæ, aut picturarum explicatione huius Auis mentionem facere. Nobis verò, quoniam primo libro de admiranda eius magnitudine loquuti ſimus, figuram eandem apponere placuit. Sed hæc tam in ſpecie, quàm in genere de Aquilis dicta ſufficiant. Nunc ad Vultures accedo.

## Finis Libri Secundi.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ Liber Tertius.

Qui est

## DE VVLTVRIBVS IN GENERE.

## Quæ Vulturibus in genere conueniunt. Cap. I.

PRINCIPEM certè inter volucres locum, quem citra vllam controuersiam meretur, absque vlla hæsitatione Aquilæ dedimus. Verùm animi nobis pendẽtibus, quæ potissimùm ales ei succederet, Vultur occurrit, qui multis de causis ac suo quodam iure hũc secundum locum sibi vendicat. Si enim rapacium dignitatem è corporis mole metiendam, quod quidam faciunt, putauerimus, sanè hoc nomine vel Aquilæ anteponendus erit. Nam vel sesquialtera proportione nonnunquam Aquilas excedit, ac rapaces omnes vincit corpulentia. Qua sola ratione motus doctissimus [a] Bellonius, suam, quam de rapacibus scripsit, historiã à Vulturibus exorsus est, hisque Aquilas subiunxit. At verò, si indolis rationem habemus; si natalium claritati aliquid concedamus, nõ temerè forsam, & hoc ipso profectò iure, si non priores Vultures, neque pares Aquilis, saltem his ordine proximos esse cõcedemus. Etenim si [b] Plinio credimus, Vultures Aquilarum progenies sunt, licet adulterina: *Haliæti* enim *sobolem offifragam* facit, *& ex ea Vultures minores; ex his denig, maiores qui non generent, procreari.* Sed & Gypaëtos inter Aquilas numeratus & natura & nomine ad Vulturẽ proximè accedit, quare & Subaquila & Aquila Vulturina dictus est; & multò lõgiùs à Germanæ Aquilæ natura ac indole abest, quàm is Vultur, quem aureum dicunt, vti suo loco latiùs declarabimus, & iam antè in Aquilæ historia scripsimus: Huic enim tanta similitudo ac cognatio cum vera Aquila intercedit, vt hactenus neminem legerim, qui exactam vtriusq; distinctionem stato aliquo & è rei natura petito signo adsignare potuerit, præsertim verò quod ad corporis habitum attinet. Quod non eò dicimus, vt species confundamus, sed vt non iniuria Vulturem primum ab Aquila locũ obtinere demonstremus. Et si quæ confusio subest, vti sanè esse inficias ire nequimus, ea non à nobis, sed ab Auctoribus ipsis oritur, quæ fortè etiam ipsæ ob mutuam similitudinem deceptæ, promiscuo inter se & sine differentia permiscentur. Vnde mediæ cuiusdam naturæ, ac inter vtrasque ambiguæ Aues oriri non ambigendum est. Quin etiam procul dubiò Vultures vulgò dicti habitue reperiuntur, qui propius ad Aquilæ naturam eant, quàm veri Vulturis. Si tamen reperiri veros ac genuinos Vultures, & tota specie à reliquis volucribus diuersos negauerimus, & rei veritati, & menti ac instituto nostro alienũ quippiam ac repugnans asseremus. Qua quidẽ distinctione fundamenti loco posita, quam alibi latiùs probabimus, plurimas suo loco authorum, qui contraria de hac alite tradere videntur, controuersias, tã verè, quàm appositè componemus. Aliud prętere à priuilegium est, quod non parum ad dignitatem eius ostendendam facit, & Vulturi cum Aquila commune est, diuinitatis nimirum cuiusdam credi participem. Quemadmodum enim Aquila ob altissimum volatum & visum acutissimum diuina hominibus perhibetur, vt Aristoteles testatur, ita & Vultur ob admirandas quasdam, ac particulares dotes diuini quippiam

Cur Aquilis annecta tur Vultur.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 1.*

[b] *L. 10. c. 3*

Quũ bellũ præſagiat.

piam habere exiſtimatus eſt. Trahunt futuri prælij euentus præſagam Auem exercitus ſequi, & biduo triduovè antè volare eò, vbi ſunt futura cadauera, certamq; exercitui cladem prænunciare, ad quem ſeſe conuerterit. Vnde Marti ſacros cenſuerunt Vultures ſuperſtitioſi veteres,

Curſidi et Iunoni ſacer.

vt ſcribit Phurnutus. Aegyptij verò Iunoni vel potiùs Iſidi eos conſecrabãt, atque eorum pennis Iſidis caput teſte [d] Aeliano, & veſtibulorum faſtigia ornabãt. Quinetiam Iunonem & Palladem huius auis imagine ſignificabant, nempe ob inſignem fœcunditatem. Nam fœminę ſine maris ope copulauè non ſubuentanea, ſed ad ſobolem propagandam idonea oua edunt, ipſiq; parentis vtriuſque loco ſunt, quemadmodum tellus, quam Iuno occupat, vbere prouentu ac pleno ſinu plantas & animalia ex ſe fundit. Cælum verò, quod Mineruatenet, planetas, Solem Lunam, cæterasq; ſtellas tanquam fœcunda numeroſi partus mater producit. Quam rem minimè leue virginei puerperij confirmãdi argumentum D. [c] Baſilius adfert. Illud etiam quanto in honore apud Romanos fuerint olim Vultures, vel maximè declarat, quòd, vt Plutarchus tradit, ipſis ad auguria maximè vti ſolebant veteres, atque quòd prærogatiua quadam inter cæteras præpetes excellerent. Semper enim eorũ aſpectum aliquid ſignificare pro certo habebant. Easq; Aues omnium carniuórarum iuſtiſſimas ac innocentiſſimas exiſtimabant, quippe quæ neque ſui generis, neque alia vlla animantia viua lædant, neque fruges aut quicquam eorum, quæ homini vſui ſunt, conſumãt, & cùm maximè poſſint, & vaſto corpore & robore inſigni, nemini tamen noceant. Pietatis nomine vel maximè Aegyptijs alijsq; gentibus Vultur commendatus fuit, vt qui totum fermè annum in ſobole procreanda, & educanda occupatus ſit, omnemq; curam ac ſolicitudinem alendis pullis adhibeat, toto educationis tẽpore penè nunquam auolans aut eos deſerens. Imò ſi Oro credimus, deficiente fortè pullis alimonia, femur vulnerat, & proprio ſanguine, etiam cum ſuo periculo mauult paſcere, quàm vel tãtillum, quo victum quærere poſſit, relictam prolem ſine cuſtode periclitari. Deniq; tanta in veneratione apud Italos olim habitos ſcribit [f] Artemidorus, vt veteri lege apud eos ſancitũ fuerit, ne quiſpiam eam, vt Auem innoxiam, necare auderet, quin & tales & inſidiatores & ἀσεβεῖς, id eſt, impios, eſſe, illi homines opinabantur.

[d] *Lib. 10. c. 22.*

[c] *In Hexa. diuin. offic. Homil. 8.*

Vulturem cur Romani magni fecerint.

[f] *In Onocriticis.*

# AEQVIVOCA.

Vultur aſtrum.

VLTVRIS nomine, qui Græcis γὺψ eſt, præter alia ſignificata ſidus quoddam cæleſte Aſtrologis venit, in ipſa lyræ effigie collocatum, inter ſtellas primi nominis. Ptolomæi Regis æuo in Sagittario ſedem habere, gradu decimoſeptimo, minuto vigeſimo: noſtra verò tempeſtate in Capricorno gradu ſeptimo obſeruatum eſt. Id ad Veneris & Mercurij naturam accedit. Arabibus Vuega; Latinis Vultur cadens dicitur. Cui propter corporis molem & luminis excellentiam maior debetur afflatus. Quare quæ de lyræ imagine Firmicus ſcribit, huic ſtellæ tanquam anteſignanæ attribuenda cõcludit [a] Ioannes Stoëflerus. Eſt præterea vna Beibeniarum ſtellarum, quaſi cor ipſius lyræ, dans dona grandia, (ſi credere fas eſt) quę modũ excedunt.

Vuega. Vultur cadens.

[a] *In Comm. Sphærę Procli.*

Vultur [b] Iulio Scaligero nõ illepido, ſed ad rem appoſito vocabulo nuncupatur quoddam animal è quadrupedum genere voraciſſimum, Germanis ea de cauſa Vilfras, hoc eſt, de uerbo (vt aiunt) ad verbum appellatum multiuorum: quo nomine etiam edonem quempiã, helluonem, & ciborũ voraginẽ appellare ſolent, A' Sclauis petito nomine Roſomacha vocatur. Suedi Ierff indigitãt. Hoc planè illud eſſe exiſtimo, quod [c] Olaus Magnus ob eandem cauſam Gulonẽ vocat, quę vox Germanicam exprimit. Deſcribit verò id animal alibi hiſce verſibus:

[b] *Exercit. 303. cap. 4.*

Vultur quadrupes. Vilfras. Roſomacha. Ierff.

[c] *Lib. 18. Sept. c. 5.* Gulo. Crocuta. Hyena.

*Saturum ex epulis ſurgere, belluina quàm ſit*
*Res vero homini, digna famelica triremi*
*Incredibili illuuie Roſomacha monſtrat.*
*Eſt hoc animal Sarmaticis idea gulonum:*
*Felis facie, ornatibus expetita pelle,*
*Hæc beſtia nidore procul cadauerum acri*
*(Hinc Vulturem ego quadrupedem vocare ſueui:)*
*Illecta vbi in ſaltibus eſt prandia nacta:*
*Se infarcit eis delicijs magis magisq;*
*Adeo, atque adeo, vt penè nimis viſcera tenta*
*Rumpantur. ibi captitat arbores proquinquas:*
*Turgentia queis pondera diſtringat omaſi:*
*Atque redeat ad relliquias ventre leuato.*

Crocutam

Crocutam quoque fortè, aut Hyenam non malè quis cum hoc animali eaſdem eſſe putet. Nos ioco, ait Scaliger, Vulturem quadrupedem conſueuimus appellare: cadauera namq; miro ceroq; odore ſectatur inſatiabilis.

Vultur teſte Acrone in illum locum Horatij: Vultur fluuius.

*Me fabuloſæ Vulture in Appulo,*

fluuij nomen eſt in Apulia, qui per Venafrum, mediamq; Campaniam labitur, authore [d] Strabone; Dicitur & Vulturnus. Meminit eiuſdem Lucanus his verbis: [d] *L. 9. Geog.*

*——Et arua*
*Vulturis, & calidi lucent buxeta Matini.*

Significare tamen Vulturem eius regionis montem quidam annotarunt. Vulturnus

Accipitur etiã pro certo tali latere, at iactus infelicis, vt ex [e] Plauto manifeſtum eſt, vbi ita habet: *Prouocat me in aleam, vt ego ludam: pono pallium, ille annulum oppoſuit, Inuocat Phaneſium, iacit Vulturios quatuor: Talos arripio, inuoco almam meam nutricem Heren, iacto Baſiliſcum* Talis Vulturijs nomen datũ [f] Rhodoginus inquit, quòd vt Vultures carniuori ſunt, & rapto viuunt, compari modo & talorum ludi ita ſunt, vt luſorem ex toto diſpolient, atque vt Plautino verbo vtamur, deruncinẽt. Calcagninus ait appellatos vel à rapacitate, uel à fœcunditate, quòd id animal foret naturæ ſymbolum Aegyptijs. Vultur talus. [e] *In Curcul.* [f] *L. 8. Ant. lect. c. 18.*

# SYNONIMA.

HEBRAICVM nomen איה Aiah quidam Vulturem interpretantur, vt D. Hieronymi quoq; tranſlatio habet, & Dauid Kimhi uel uulturem, uel Miluũ ſignificare ſuſpicatur, ut refert [a] Ornithologus. Itẽ דאיה & דיה, id eſt, Daah, & Daiah eiuſdem linguæ uocabula, unde Daioth Eſaiæ plurali numero; Sũt qui ſimiliter Vulturem exponant. Legitur & Raah inter Aues impuras, quæ uox ad Daah proximè accedit. Hanc ab acuto, quo prædita eſt, uiſu nomen ſortiram eſſe uolunt: nam Raah Hebræis uidere eſt. Sunt qui Vulturem reddãt, quemadmodum & Septuaginta interpretes γύπα; Alij Miluum. Communis interpretatio Ixon transfert, quam Albertus Auem ait de genere Vulturum eſſe, at Vulture maiorem. Arabibus Vultur vocatur Rachame vel Rocham, vti ex Auicennæ & Serapionis interpretibus colligitur. Apud Albertum pro Vulture Aradam legimus, niſi vitioſa, quòd ſuſpicor, lectio eſt, & mutanda in Aracham, quam ex cœnoſo Arabũ fonte, vt pleraq; alia hauſiſſe videtur. Vocabulum hoc kipoz apud Hebræos varios variè accipitur. Quibuſdam Vulturem denotat; Alijs Ericium. Pari pacto & Chaſida multa ſignificat. Nonnulli enim ita Vulturem; Alij Vpupam; Quidam Vulturem album; Alij deniq; aliud quidpiam ita dici volunt. Ita quoque Anapha alias Vulturem; ali is Miluum; aliàs Ardeam interpretantur. רשף, id eſt Reſcheph, & numero plurali Reſcaphim, Dauid Kimhi exponit carbones & horũ prolem ſcintillas. Secus [b] Abraham Eſre facit, qui idem alibi pro Aue exponit, cui adſtipulatur Moſes Rambam. Septuaginta interpretes huiũs vocis interpretationem mirè variãt. [c] Alibi enim ὀρνέων vertunt; [d] Alibi ἄνθρακες trãsferunt, id eſt, carbones; [e] Alibi γῦπα, id eſt, Vulturem; [f] Alibi πεδίον; [g] Alibi κράτη; [h] Alibi πυρί. Neque D. Hieronymus ſibi vbique conſtat; nunc Auem; nunc ignem; nunc Diabolum &c. hac voce ſignificari volens. Si tamen penes huius linguæ peritos arbitrium litis & fides eſt, uox ea propriè ac principaliter carbonem deſignat, cuius filij ſeu ſoboles ſunt ſcintillæ Analogicè verò ſeu per metaphoram iaculum ignitum ſignificat, & morbos vehementiſſimo æſtu affligentes, nec non inflammationes peſtilentes. Ita incerta & varia eſt in Hebræa lingua vocum ſignificatio. Albertus Arabicum Chym ſeu Kym ponit nonnunquam pro Vulture; alibi velut ſui oblitus ſic Oſſifragam vocat, & hoc quidem rectiùs, Auicennam nempe vt ſolet, alioſque Arabes ſecutus. Hi enim cùm Ariſtotelem, alioſq; Græcos authores in ſuam linguam malè translatos haberẽt, & ipſi Attici ſermonis rudes eſſent, & ſua ſcripta à Barbaris ac ſemilatinis hominibus multò peiùs pòſt latina facta fuiſſent, in cauſa fuêre, quod Albertus & alij qui Arabum veſtigijs inſiſterunt ſæpè alia pro alijs accipientes, in non leues errores inciderint. Talis eſt, quod Albertus exiſtimet, & ſcribat Ariſtotelem & alios quoſdam philoſophos Vulturem cum Aquila confudiſſe, & pro ijſdem habuiſſe, ſed Ariſtoteles tale quid nunquam cogitauit, tãtum abeſt, vt id ſcriptis mandauerit. Quare Albertus cùm falſa Ariſtotelis authoritate niteretur, atque ipſe expers eſſet Græcarum literarum, promiſcuè his nominibus vſus, ſæpenumerò ea Vulturi attribuit, quæ Aquilæ conueniunt, vitioſa nimirum interpretatione deceptus. Apud Pandectarium pro Vulture legitur Tagiptaram, & Tagued. Sed tantum de Hebræis ac Arabibus

Aiah. [a] *Lib. 1. de Quad. cap. de Onocentauro.* Raah. Ixon. Rachame. Rocham. Aradam. Aracham. Kipoz. Chaſida. Anapha. Reſcheph. [b] *Deut. 32. & Iob. 5.* [c] *Deut. 32.* [d] *Cant. 8.* [e] *Iob. 5.* [f] *Abac. 3.* [g] *Pſal. 76.* [h] *Pſal. 78.* Chym. Kym. Albertus cur erraverit. Tagiptarã. Tagued.

bibus nominibus Vulturis. Nunc apud reliquas gentes eius nomen inueſtigemus. Græcis veteribus Vultur uocatur Γὺψ. Neotericis γίπας. Heſichius & Varinus tradunt τόργον genus Vulturis eſſe, quod ſanguinem ſorbeat, & apud Siculos pro Vulture capi. Hoc nominis adeptum à monte Siciliæ, qui τόργον dicitur, in quo frequentes Vultures nidificent. Ita etiam apud Lycophronem τόργος pro Vulture, qui ſanguinem ſorbeat, ſeu hæmatoropho, ut ipſe ait, legitur. [i] Volateranus tamẽ huic uocem quàm ſimillimam Aſtorgios nempe Accipitrem maiorem ſignificare uult Pauſanię, ſed quo loco, equidem neſcio; mihi ſanè hactenus quæſitum inuenire non licuit. Οἰωνος omnium quidem Auium carniuorarum, vt quidam volunt, nomen eſt, propriè tamen Varino teſte, Vulturem deſignat. Dictus autem ita apud Homerum multis in locis eſt, παρὰ τὸ οἰῶ τῷ μονῷ, eò quòd ſolitaria in ſuo ſexu, & ſine coniuge, ut volunt, Auis ſit, & ex uento, calore ac ſolis radijs concipiat. Heſiodi interpretibus etiam Οἰωνος Vultur eſt. Dictus verò Οἰωνος alijs, quaſi Οἰωος, quòd Οἶος ὢν ſibi ſit, quod ab uno & ſolo gignatur, ut Phauorinus putat. Quam eandem ob cauſam Orus paulò antè poſitũ ac proprium nomen, non ut cæteri in maſculino genere γὺπος, ſed in fœminino tantùm τὴν γῦπα effert. Vultures enim fœminas omnes arbitratur. Alij pleriq; maſculino γὺψ utuntur; Varinus nominis etymon exponens, inquit Γὺψ παρὰ τὸ γυρεύειν τὰ ἐν ὕλῃ. Eius plurale γῦπες primã producere admonet Euſtathius, adducto exempli gratia illo [k] Homeri uerſu:

γὺψ
γίπας
τόργον
τόργον mons.
[i] Lib. 15. Philol.
Aſtorgios.
Οἰωνος
Etymum.
[k] Iliad. Σ.

——Πολλὰς δὲ κύνες καὶ γῦπες ἔδονται
Τρώων, id eſt
——*Multos verò Canes & Vultures comedent*
*Troianorum.*

Aegypion quid.
[l] In Ther.

Grammaticorum quidam Aegypion Vulturẽ interpretantur, ac ita dictam eſſe ἀπὸ τῆ ἀιοσω, id eſt, irruo & cum impetu incido. Mihi potiùs Gypaëto conuenire id nominis videtur, & ita compoſitum ἀπὸ τῆ ἀιετῆ καὶ γυπὸς, ab vtroq; cùm Aquilæ, tùm Vulturis nomine, quòd vtriuſq; alitis naturam participet. Vnde Aquila Vulturina dicta eſt. Quod etiam ex [l] Nicãdro probatur, qui vtrumq; diſtinguit hoc verſu:

Αἰγύπιοι, γύπες τε, κοραξ τ' ὀμβρήρεα κηώζων.

Homerus correctus.
[m] Odyſſ. Π.

Mendum eſt apud [m] Homerum in his verbis Φῆναι ἢ Αἰγυπιοὶ γαμψόνυχες, vbi textus Græcus corruptè ἀιγύπτιοι habet pro ἀιγύπιοι (vt Iohannes Spondanus rectè quoque legit & Vultures vertit, ſed genus Aquilæ facit, quo iure ipſe viderit) pro quo interpres, qui verbum verbo reddidit, Vulturem rectè vertit. Eodem errore Philo ſe inuoluit, niſi dicamus (ſed nullo authore) à loco ita dictum Aegyptium. Verùm ſi ita volumus, adiectiuo huic ſaltem aliquod ſubſtantiuum adiungere oportet, nimirum Auis aut aliud huiuſmodi, alioquin generalem nimium

Vultŭris.

ſignificationem habituro. Iam vulgo Græcorum μοσκόρνιο dicitur. Latinis dicitur Vultur genere maſculino, quemadmodum & Vulturis nominandi caſu, quo vſus eſt Ennius illo verſu:

*Vulturis in ſyluis miſerum mandebat homonem.*

Vulturius Etymum.
Volitardus

Cicero, Plautus, Lucretius, Catullus, & alij hoc nomen Vulturius uſurpant. Crinitus tamen genere fœminino protulit ex Varrone, qui Græcos imitatus uidetur. Dictus eſt Vultur à tardo uolatu, quaſi Volitardus. Nam ob corporis molem, eamq; uaſtiſſimã ægrè ab humo in altum ſeſe attollit, & per aëra graui ac tardo motu fertur, unde non immeritò Sammonicus ei tardi epitheton attribuit, amplum alibi cognominans. Per periphraſim ex genere & proprietate quadam compoſitam Vultur uocatur Auis Titij, quòd Titio iecinoris rediuiui fibras continuè depaſtum poëtę fabulentur. Item torua Auis à terro ac truculẽto aſpectu. * Lycophron Olorem rapacem uocat: ſed hoc nominis albo tantùm Vulturi, non autem reliquis, utpotè nigræ aut aureæ cõpetit. [m] Seneca per Alitem auidã Vulturem intelligit; & [n] Plautus per Aues magnas non alias, quàm Vultures innuere uoluit, cùm ait. *Nam hercle te barba continuò arripiã & in ignem conijciam, teq; ambuſtulatum obijciam magnis Auibus pabulum.* Poëtis etiam Vultures, Palatinę Aues nũcupãtur, ab augurio, quod Romulus & Remus, ut pòſt dicemus, ex ijs ceperũt, [o] Propertius:

Auis Titij.
Torua Auis
[*] In Caſſandra.
Olor rapax
[m] In Hercule.
Ales magnæ.
[n] In Rudente.
[o] Lib. 2.

——*Murorum Romulus augur*
*Ire Palatinas non bene vidit Aues.*

Dicuntur etiam eidem Poëtæ Aues Caucaſeæ:

*Caucaſeas etiam ſi pateremur Aues.*

[p] Lib. 4.
Sepulchra animata.
An Gryps ſit.

A Caucaſo nempe mõte, in quo Promethei iecur quotidiè renaſcens depaſcebatur. [p] Hermogenes Græcus Vultures ſepulchra animata uocari annotauit, πάφας ἐμψύχας: cuius appellationis rationem ſuo loco latiùs exponemus. Sunt qui Vulturẽ Gryphem eſſe uelint. Et ſanè nulla forſan alia Auis in rerum natura fuerit, cui quæ de fabuloſa Gryphe circumferuntur, quàm Vulturi quadrent aptius, Aui etiam Aquilis maximis maiori, rapaciſſimæ, crudeliſſimæ, uoracitatis inexplebilis. Alij Harpen eſſe volunt, ſed nos quid de eo ſentiamus, antè diximus. Denique

An Harpe.

niq; authori cuidam licet obscuro Kiranidi nempe Lynx auis, Vultur exponitur, nimirum ut coniecio, ab acutissimo uisu, qui utriq; cõmunis est, & Lynceis (ut dici solet) oculis. Italicũ Vulturis nomen est Auoltoio. Hispanicum Bueytre. Gallicum Vautour seu Vaultour. Sabaudi nonnihil variante dialecto Vaulteur efferunt. Polonicum Semp, vel Sep. Illyricum Sup. Anglicum à Gier. Germanicum Gyr & Geir. Belgicum Vogel Ghyer. Nomen Germanicum pro specierum diuersitate diuersimodè componitur. Albus enim Vultur VVeisgyr vocatur; is qui piscium præda viuit Fischgyr; qui Lepores capit Hasengyr; qui cadauera sectatur Osgyr, & Sgyr, nec non Keibgyr; si equorum morticinijs delectatur, Rosgyr appellatur. Saxones quoddam genus Gallinas impetens & rostri ictu feriens ab eo ingenio Stosgyr nuncupant. Qui ruffo est pectore apud Heluetios Goldgyr ijsdem dicitur. Lynx Kiranidis.

# VVLTVRIS GENERATIM considerati descriptio.

OMNIVM Auium rapacium, quotquot ad nostram hactenus ætatem vel ab authoribus proditæ, vel aliorum & nostro experimento in rerum natura existere compertæ sunt, maximus Vultur est. Nam & Aquilam sesquialtera proportione excedere ex [a] Aristotele tradit Bellonius, quod tamen apud Aristotelem nondum legi: Quamuis non vna omnium est magnitudo. Qui enim albicante est corpore, Aquila aliquantulum minor est. Quod autem in reliquis, quæ rapina viuunt, auibus solenne obseruauimus, vt mares, quod ad magnitudinem attinet, fœminæ longo post se interuallo relinquant, adeo vt dispares prorsus esse specie videantur, id in Vulturum familia minimè locum habet, vti Bellonius aduertit. Singulorum verò magnitudinẽ, cùm singulos in specie descripturi sumus, declarabimus exactiùs. Toto corpore Aquilam ferè imitãtur. Imò quidam Vulturem ita exprimunt, vt vix ab Aquila eum liceat discernere, uti de Vulture Aureo pòst dicetur. Rostro est obunco, ut [b] Virgilius etiam testatur: Magnitudo. [a] *Lib. 2. cap. 1. de Auib.* Forma. Rostrum. [b] *Æn. 6.*

——*Rostroq; immanis Vultur obunco.*

Hanc tamen Vulturini rostri aduncitatem ab alijs plerisq; rapacibus, vt Aquilis & Accipitribus in hoc discrepare Ornithologus autumat, quòd Vulturi nõ confestim atque à fronte enascitur, in hamum incuruetur, verùm post duorum digitorum seu medij palmi continuam rectitudinem. Quod in pluribus Vulturũ speciebus sese obseruasse scribit. De qua re latiùs, cùm de Aquila regia ageremus. Oculos Vulturi truculentos & fœdos esse omnes aiunt, ut ex D. Iobi loco istoc colligitur, vbi ait: *Semitam ignorauit Auis & non est intuitus eam oculus Vulturis*. Tradunt quidam, inter quos est Philes Græcus, quòd diuersas ab alijs nares habeãt Vultures. Quatuor enim illis esse narium spiracula; à qua nota πέτραπνοι vocantur. Verùm cùm nihil tale in uero Vulture conspiciamus, itaque huic commento occasionem, eximiam illam, qua cæteris omnibus antestat, odorandi sagacitatem dedisse puto: quę quingentis passuum millibus distantium cadauerum putorem præsentire possunt, insigni sanè odoratus priuilegio. Collum ferè implume habere, [c] Martialis uidetur inuere, cùm inquit: Oculi. Nares. Collum. [c] *Lib. 9. Epigramma.*

*Et Vulturino mentulam parem collo.*

Et ità Scholiastę hunc locum commentãtur, cùm mentulam eneruratam esse, & mollem breuibus pilis instar Vulturini colli plumis carentis dicant. Verùm opinionem hanc ex eo natam esse conijcere licet, quòd Vultures, præsertim albi, ut testis est doctissimus [d] Bellonius, plumas capitis breues admodum obtineãt, si cum Aquilis conferantur: adeò ut caluos quidam, cùm tamen reuera non sint, existimarint. Bellonius, qui plurimos omnis generis Vultures, Regiæ liberalitatis & longinquæ peregrinationis beneficio uidit, & curiosè admodũ obseruauit, tradit eos, sub gutture spatium habere, palmi latitudine, non tam plumis, quàm pilis, qui uitulinis quàm simillimi sunt, uestitum, ruffis, quẽadmodum etiam utrumq; colli latus: esse enim tenerimos & molliss̃imos, instar leniss̃imi cuiusdam uelleris, easq; pilos potiùs, quàm pennas dicendas, quippe quæ uel calami scapo omne destitutæ sint, uel eius uix informe aliquod rudimentum exhibeant. Guttur eos habere longitudine ac capacitate insigni docet propendens eorum ingluuies ante uentrẽ, seu pars illa gulæ sinuosa, quæ ipsis uentriũ plurimorum, quibus ruminantia instructa sunt, loco est; in qua ceu uentriculo cibos magnis ac integris fructis affatim ingestos, & nullo mansu comminutos, rudi quadam coctione præparant. Huiusmodi gula, qui huic uni dediti sũt, & à qua gulosi dici merẽtur, nihil posset obtingere optatius: quod [e] Aristoteles tetigit in hæc uerba; *Quapropter*, inquit, *gulones optant linguam longam, sed quemadmodũ Philoxenus ex Hyride, Vulturis guttur*. Vulturi præ cæteris rapacibus peculiare est, ut interiorem alæ partem, [d] *L. 2. c. 1.* Guttur. [e] *L. 3. Ethic.* Alæ.

partem, & quæ corpori incumbit leni uellere totam intectam habeat, cùm reliquæ illud alarum cauum plumulis nudum obtineant. Cutis eadem ferè eſt craſſitudine, qua in Capreolo.

Cutis.

Crura. Omnibus crura tota ad pedes uſque plumoſa ſunt. Hac nota eos ab alijs raptu uiuentibus diſtingui exiſtimat doctiſſimus Bellonius, licet & Aquilis quibuſdã id competat, quæ non minus quam Vultures in editiſſimis montium iugis degũt. Nam cùm omnia gelu ac niue ob altitudinem, & mediæ aëris regionis propinquitatem ibi rigeant, itaq natura, ut contra has iniurias, Aues eas muniret, omnibus crura plumis induxit, & hirſuta fecit.

Vngues. Vngues Vulturi, quemadmodum omnibus carniuoris adunci ſunt. Quæ uerò ſingulis ſpeciebus propria ſunt, ſingularum deſcriptionibus reſeruamus.

# SENSVS.

[a] *Lib. 1. Hierogl.* Viſus. Vultur pro aſpectu pictus. [b] *L. 12. Orig. c. 7.*

[a] RVS Vulturem animalibus cũctis videndi acumine præſtare ait, qui oriente Sole in occaſum, occidente verò in ortum proſpiciat, atque è longiſſimo interuallo de cibo futuro ſibi prouideat. Quamobrem Aegyptij, dum viſum ſignificare uolunt, Vulturem appingunt. Cauſam [b] Iſidorus in volatum potiùs ſublimem refert, cùm inquit: *Altius quippe volantes, quæ multa montium obſcuritate cælantur, ex alto illi conſpiciunt:* quàm in organi compoſitionem, quæ potior cauſa exiſtimanda eſt, licet inſignem aciem haud parum altiſſimus volatus adiuuet. Verùm de viſus prærogatiua fortaſſe Aquila cum eo neque iniuria contendet.

Odoratus. Odoratus palmam vno ore Vulturi omnes meritò tribuunt: quod Plinius cõfirmat his uerbis, tanquam iuſtus arbiter, ſuam vtriq; dotem aſſignans: *Aquilæ clariùs quàm nos cernunt. Vultures ſagacius odorantur.* Idem teſtantur vulgatiſſimi illi verſiculi incerti authoris:

*Nos Aper auditu præcellit, Aranea tactu,*
*Vultur odoratu, Lynx viſu, Simia guſtu.*

[c] *L. 12. Orig. c. 7.* [d] *Lib. 2. de Anim. Comment. 97.*

Admiranda ſanè, & miraculo proxima, authores claſſici de huius Auis odorandi vi prodiderunt. Neq; enim vltra maria tantùm, vt [c] Iſidorus ſcribit, ſed per quingenta etiã millia paſſuum & eò amplius, vt author eſt D. [d] Thomas Aquinas, cadauerum putorem percipit. Quod autem aliqui addunt, tam ſagaciter odorari Vultures, vt biduo triduoue, imò ſeptenis, vt alij, diebus antè ea loca circumuolent, in quibus cadauera futura ſunt, ineptè ſanè ad odorandi facultatem refertur, cùm eorum, quæ necdum ſunt, cadauerum nullus odor eſſe poſſit. Senſus enim præſentium eſt. Quare ad quandam augurandi vim, ſi ſic loqui poſſumus, id pertinere putandum eſt. Ridiculè igitur Georgius [e] Pictorius:

[e] *In Pantopol.*

*Hanc volucrem narrant luces tres noſſe cadauer*
*Venturum, olfactu tam viget hæc volucris.*

Melius, veriuſq; Lucretius:

*Ideoq; per auras*
*Mellis Apes quamuis longè ducuntur odore,*
*Vulturijq; cadaueribus &c.*

Vulture ſagacior prouerb. Dedit ſanè inſignis ea Vulturis odorandi facultas prouerbio locum; quo *Vulture ſagaciores* dicuntur, quidam culinarum & menſę aſſeclę, quos dapnm odor ſolicitè indagatus allicit. Quò Apuleius reſpexit, cùm impudentem quendam helluonem in Magia notat, his verbis: *Si verò naribus nidorem domeſticum præſentit, uincit idem ſagacitate odorandi & Canes & Vulturios.* Hic ſpectat illud [f] Luciani: *An nõ dixi quòd citius latuerit Vultures cadauer pridianum, ac marcidum in propatulo poſitum, quàm ſpectaculum aliquod nouum & inopinatum, Timolaum, etiamſi Corinthũ illum oporteat ſine reſpiratione curriculo abire?* Qua verò ratione ex tam longinquo nimirum ex quingentorum millium paſſuum, vt ex D. Thoma dictum eſt, interuallo cadauerum putorem olfaciat, multi diſputant. Illud enim vſque odorem vel corporalem euaporationem pertingere, prorſus abſurdum credunt, præſertim cùm ſenſibile medium immutet vndiq;, ſecundum eandem & æquabilem diſtantiam, niſi præpediatur: neque enim ſufficit, vt tantum ſpacij occupet, etiamſi in fumidam euaporationem reſoluatur integrum cadauer, quando certus ac præſcriptus eſt rarefactionis terminus, ad quem naturale corpus peruenire poteſt, atque ſi etiam raritas ignis fuerit. Sed nec huiuſmodi vapore cadauer cognoſcitur ſaltem immutatum eſſe. Proinde dicendum exiſtimat [g] Cælius Rhodiginus, ab odorabili quidem reſolui poſſe fumoſum halitum, ſed tamen non produci ad eum terminum, vbi odor percipiatur: mediũ autem ſpiritualiter immmutari, ultrà ac longiùs quàm commemorata euaporatio peruenire poſſit. Auicẽna verò pro eo, quo pollebat, ingenio, huiuſmodi eius rei conatus eſt rationem adferre,

[f] *In Nauigio.*

[g] *L. 8. lect. antiq. c. 18.*

cùm

cùm inquit: *Odores perueniunt ad multa ex animalibus, pluſquam ad homines. Similiter reddunturs eis viſibilia à longinquis ſpatijs, & vltra montes altiſſimos. Iam enim videmus Vultures circumuolitantes in aëre, & peruenit viſus eorum in longinquum vltra modum, quo vſque eleuantur multum ſupra montes altiſſimos: ergò poteſt eſſe, quod Aues illæ eleuatæ fuerint in aëre, quousq; apparuerit illis longitudo eius ſpatij, & viderint cadauera. Si autem negauerint colores cadauerum reddi eis, plus debent negare odores reddi, quorum vis eſt debilior: & ſicuti non omni animali neceſſe eſt mouere palpebram & oculum ad hoc vt videat: ſimiliter non eſt omni animali neceſſe olfacere ad hoc vt odoret; multis ex illis accidit odorare non olfaciendo.* Hæc ratio certè ingenioſa eſt, & Auicenna digna. Mihi à ratione non videtur abſonum, ſi per tanta locorum ſpacia odorari Vultures concedam. Si enim inſtrumenti exquiſitiem, & ſiccitatem, ſi copiam exhalationis ab integris quandoque exercitibus confectis ſublatam video, ſi eam non undiquaquam expanſam, ſed conglobatam, & uentis eò delatam conſidero; nihil præter rationem dixero. Nec ſpiritalia obiecta mihi quis obtrudat. Nam quod corpus afficit, corpus eſt, aut quid corporeum. Hæc tamen alij exactiùs examinent.

# LOCVS.

ETSI de loco, in quo vitam agere Vultur ſolet, multi dubitant: pleriſq; tamen in eo conuenit, ut altiſſimorum montium iugis habitare dicant. Horũ præcipuus eſt [a] Ariſtoteles; qui ſic ait. *Vultur nidificat in rupibus excelſiſſimis, vnde ſit, vt rarò nidus & pulli Vulturis cernantur: Quocirca Herodotus Rhetoris Bryſonis pater, Vultures ex diuerſo orbe nobis incognito, ac ſitu eminentiore quodam aduolare putauit, argumento quòd nemo nidum vidiſſet Vulturis, & quòd multi exercitũ ſequentes repentè appareant. Sed quanquam difficilè nidum eius altis videris, tamen viſus aliquando eſt.* Huic Ariſtotelis ſententiæ [b] Plinius aſtipulatur, dicens: *Vulturum nidos nemo attigit, ideo etiam fuêre, qui putarent illos ex aduerſo orbe aduolare, falsò. Nidificant enim in excelſiſſimis rupibus.* Eandem cauſam habet, quod Aegyptij hominem peregrinum & ignotum omnibus, per Vulturem ſignificare ſoleãt. [c] Albertus etiã in mõtibus inacceſſis & in altis rupibus nidulari Vultures memorat Ariſtotelem proculdubiò & Plinium ſecutus. Sed id [d] Homerus quoq; teſtatur hiſce uerſibus:

Οἳ δ' ὥς τ' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι,
Πέτρῃ ἐφ' ὑψηλῇ μεγάλα κλάζοντε μάχονται, id eſt,
*Hi autem ſicut Vultures vnguibus curuis & roſtris aduncis*
*Scopulo in excelſo valdè clangentes pugnant.*

[a] *6. Hiſtor. cap. 5.*

[b] *L. 10. c. 7.* Ignotus p. Vulturem deſignat.

[c] *L. 6. c. 3.*

[d] *Iliad. II.*

[c] Georgius Agricola ex his Auibus Vulturem eſſe tradit, quę cum æſtate degant in ſyluis, hyeme in finitimos locos, eoſq; apricos demigrent. Huius etiam ueritatem confirmat [f] Bellonius. Veràm hoc intelligendum eſt de regionibus, quæ in Oriente tantummodò ſitæ ſunt; in illas enim id facere Vultures uerum eſt. Rariſſimos enim in Italia, Germania, & Gallia loca plana adeuntes videre eſt, præterquam hyberno tempore, quo ferè ubiuis locorum uolitare cernuntur. Nam tum mõtes deſerũt, frigoris euitaturi iniurias, & calidas regiones, caſq; tranſmarinas petunt. Alioquin & æſtate aliquando in Gallia in monte Auerniæ, cui aureo cognomen eſt, aliquot viſi ſunt. At in Cretæ montibus frequentes admodum ſunt, ubi nidificant non in arboribus cæterarum Auium more, ſed in difficillimis rupium præcipitijs ſuper mare propendentibus, ita ut uideri uix poſſint, nec pullis eorum nidis eximi, niſi quis longo fune à rupibus demittatur. Funis autem caput, ut [g] Bellonius tradit, palo in mõtis uertice terræ infixo firmiter adalligatur: per eum ruſticus quidam ſe demittit, donec ad Vulturis nidum perueniat. deinde per eundem funem denuò in altum ſubit. Vel puerum magno corbi impoſitum ex ſummo ſepulchro demittunt: cùmq; ad nidum peruenit, pullos eximit, eoſq; corbi imponit, quem poſtea rurſus ſurſum attrahũt. Simile quid narrat [h] Georgius Braunus, cùm Edimburgium Scotiæ urbem deſcribit, in qua arcem eſſe refert inexpugnabilem, ut ad eam ne ullis quidem ſcalis, liceat aſcendere, adeò prærupta eſt ex ſolido ſaxo rupes. In hac Vultures nidos faciunt, quos animoſiores iuuenes ex arce ſportis demiſſi deprædãtur. Scribit itẽ [i] Bellonius in arenoſa Aegypti parte Vultures habitare. Montes etiam qui inter Vangionum urbem, quæ nunc VVormatia dicitur, & Treuirorum Auguſtam medij ſunt, à Vulturibus incoli [k] Albertus teſtis eſt. Et Franciſcus Patricius mihi aliquando ſcripſit in Apennino prope Auerniæ montem in Hetruria, ubi Illuſtriſſimorum Saluiatorum ſylua eſt, Vultures nidulari. Item in Zacintho inſula habitare Reu. Andreas Panicus Bononienſis, qui biennium ibi uixit, mihi retulit. Caucaſum Scythiæ montem, crebros habitaſſe Vultures fabula innuit, quæ Prometheum ſaxo alligatum, in eodem furti pœnas dediſſe Vulturibus, qui iecur ipſi exedebant, effingit. Vnde &

[f] *L. de Animal. ſubterraneis.*

[g] *Lib. 2. de Auib. c. 2.*

Vultures pulli quo eximãtur.

[g] *L. 1. Obſeruat. c. 11.*

[h] *In Theatro Vrbiũ.*

[i] *Lib. 2. Obſeruat. c. 30.*

[k] *L. 23. de Anim.*

Aues caucaſeæ quæ. [l] *In Bucolicis.*

Caucaſeæ Aues à Poëtis dictæ ſunt, vt[l] Virgilio; *Caucaſeasq; refert volucres, ſortemq; Promethei.* Et Propertio:

*Caucaſeas etiam ſi patiremur Aues.*

Quamuis quidam per haſce Aquilas intelligant, rectiùs tamẽ Vultures exponi teſtis eſt Petronius Arbiter. Sed tamen in arboribus aliquando eos nidificare[m] Iuuenalis ſentit: [m] *Satyr.14.*

*——Partemq; cadaueris adfert*
*Hic eſt ergo cibus magni quoque Vulturis, & ſe*
*Paſcentis, propria cùm fecit in arbore nidos.*

[n] *Lib. de ſub terr.*

Quod quidẽ à mẽte[n] Georgij Agricolæ, qui in ſyluis eos æſtate degere aſſerit, nõ eſt alienum. In Arabiæ verò deſertę, ac Aegypti locis planis & campeſtribus, præſertim inter vrbẽ Cayrum dictam Memphim & Erythreũ mare numeroſos ſe obſeruaſſe ſcribit Bellonius: cuius rei ratio eſt, quòd vt[o] Chriſti Seruatoris verbis vtar, *vbi cadauer, illuc quoq; cõgregentur Vultures.* Iter enim illud Aegyptijs Camelis eſt perquàm tritum, quo tam frequenti numero intereunt, vt appareat ex eorum oſſibus, quæ hinc inde diſperſa iacent, vt hoc verum eorum cæmiterium meritò dici poſſit: quibus allecti, quod nũquam paſtus ibi ipſis deficit, crebri ſeſe eò conferunt, ſuapte natura alioquin plana ac humilia euitãtes. In altiſſimis Heluetiæ mõtibus, vt in Amano propellacũ Riuariũ, Ornithologus, & in littore Peruiano numeroſos[p] Leuinus Apollonius eſſe tradit.

[o] *Matth. 24. & Luc. 17.*

[p] *Lib. 1. Peruuin.*

# MOTVS. VOLATVS.

TARDVM motu eſſe Vulturem ac pigrum omnes fatentur; cuius cauſam in corporis magnitudinem reijciũt[a] Iſidorus & [b] Albertus, unde etiam nomẽ traxiſſe volunt. Hinc eſt, quod, vt Plinius inquit, *Vultur & ferè grauiores, niſi ex procurſu aut tumulo emiſſæ non euolant.* Quæ res ipſi nonnunquam exitium adfert, vt Albertus teſtatur. Cùm enim vix tertio aut frequentiori etiam niſu ſeſe in altum attollat, fit ſæpenumerò, vt antequam in ſublime fertur, à latente in inſidijs aucupe capiatur: vnde & à ſe aliquando vnum captũ eſſe, ſed iam cadaueribus ſaturum ac grauem Albertus refert. Non temerè igitur Poëtæ ei tardi epitheton dedêre, vt[c] Ouidius:

[a] *Lib. 12. Orig. c. 7.*
[b] *Lib. 23. de Animal.*
[c] *In Ibin.*

*Vnguibus & roſtro tardus trahet ilia Vultur.*

Et Calentius:

*Aut Milui aut tardi Vulturis inſidias.*

Sunt tamen qui apud Ouidium hanc vocem (*tardus*) exponũt perſeuerans. Albertus quidem tardè eum volare concedit, at cùm à terra ſeſe eleuauerit, benè & ſatis altè: vnde etiam ab egregio, ſi Dijs placet, volatu Vulturis nomẽ deriuatum contendit, ſed quàm appoſitè, ipſe videat. Reuera difficulter admodum ſeſe humo tollit, quemadmodũ & Struthiocamelos, nimio corporis pondere prægrauatos non volare, ſed alarum beneficio curſum promouere videmus. Sic cùm in aërem ſublatus eſt, tardum etiam volatum exercet: quem ſcitiſſimè Ariſtophanes ea de cauſa natationem quandam vocare videtur, quòd lento gradu per aëra euectus, veluti natare in nubibus videatur, vnde ei γάμψοι ἀερόνηκες dicuntur Vultures. Quapropter cùm veloces Homerus eos vocaret, ita accipiendum eſſe credo, quòd cadauera, de quibus loquitur, tardiùs deuorent. Volare autem bimatim ſemper ferè conſtat, vt notat, etiam Barbarus. [d] Bellonius affirmat inter reliquas rapaces atque recuruis vnguibus præditas Aues ſolos Vultures turmatim volare; quorum magnas turmas, & in ſingilis non pauciores quàm quinquagenos obſeruauit, cùm è Cairo in montem Sinai proficiſceretur.

[d] *Lib. 2. Obſeruat. c. 70.*

# VOX.

VVLTVRES cùm vocem edũt, proprio vocabulo pulpare dicuntur, vt Ouidius ſeu quiſquis eſt Philomelæ author teſtatur illo uerſu:

Pulpare quid.

*Dum clangunt Aquilæ; Vultur pulpare probatur.*

Et Thomas Radinus in eo libello, quem Abyſſum ſtellarum inſcripſit, inquit.

*Vultur pulpans, Accipiter pipans.*

[e] *Iliad. II.*

[e] Homerus tamen eos dicit clangere.

# INGENIVM.

INTER animantia bruta, quibus natura ingenium, quàm cæteris largiore manu contulit, minimè vltimo loco Vultur constituendus est. Quinimo aliquid amplius ingenij obtinere reliquis haud grauatim admittet, qui non solùm memoriam & prudentiam, verùm & futurorũ quandam præscientiam aut præsagium ei inesse considerauerit. Prudentiæ quidem non leuia istæc argumenta sunt; primùm quòd rapacium siue vncunguium, quarum solitaria ferè natura, est, soli gregatim volant. Hoc quidem illos prudenter, & naturæ suæ conscios ideo facere verisimile est, vt ab hominum insidijs, & ab aliarum rapacium violẽtia sint tutiores. Deinde quòd frigus inimicum euitaturi, solum mutent, instanteq; hyeme in calidiores regiones commigrent (Nam & Aegypto non minus, quàm Ciconias aduenas esse idem Bellonius testatur) solerter admodum imminentia incommoda, tanquam præuisa fugientes, idq; benefactum olim sibi succeſſisse non immemores. Sed & hoc memoriæ eorum ascribendum est, quòd ad idem cadauer, à quo satiati sæpius recesserunt, identidem redeant. Illud sanè Oeconomis bonis imitandæ prudẽtię signum est, vbi cadauerum ipsis copia suppetit, quòd tum bonam eorum partem seponant, ac in futurum prouidè reseruent. Sed illud omnem admirationem superat, quod de præsagientibus illis cadauera narrat [a] Aelianus: *Expeditos*, inquit, *ad bellum exercitus præsentione quadam consequuntur, planè scientes, & quòd ad bellum proficiscuntur, & quòd omnis pugna strages edere soleat.* Testatur idem [b] Philes poëta Græcus:

Πλὴν μαντικὴν ἔχουσιν οἱ γύπες φύσιν,
Καὶ γὰρ συνεκδημοῦσι τοῖς μαχουμένοις
Τῶν σωμάτων ἐλπίδι τῶν πεσουμένων, id est,
*Cæterùm vaticinam habent Vultures naturam,*
*Etiam comitantur pugnantes*
*Corporum spe, quæ in bello ceciderunt.*

Vnde etiam facetiarum & salium plenus Plautus, lurcones quosdam famelicos taxans, ait: *Iam quasi Vulturij triduo prius prædiuinabant, quo die esituri sient.* Futurã stragem præsensione quadam mirè percipere etiam [d] D. Basilius comprobat. Quod quidem hactenus citati authores ad ingenium referunt: non desunt tamen, qui altiùs huius rei causam repetant. Nam eius rationem perserutari difficillimum censuit Albertus, & alij tanquam naturæ limites egressum ad occultã stellarum potestatẽ confugiunt. Non minori sagacitate, cuius tamen ratio magis intra septa comunis naturæ consistere videtur, in sanitate conseruanda, vti Vultures comperti teste [e] Laurentio Iuberto: *Cùm minus violenta est*, inquit, *pestis perniciesaltem quæ supremis gaudent locis inferiora quærunt; id enim obseruatione cõstat, Vultures pestilenti aëri cedere, vt certum sit indicium, quæ loca tenent Vultures infesto aëri subiecta non esse.* Ex quo colligitur non solùm ipsos suæ saluti consulere, dum noxa virulenti aëris percepta consueta domicilia deserunt, sed etiam loca ea, ad quæ sese recipiunt, tuta esse monere homines, & vt ibidem se seruent, exemplo suo inuitare. [f] Nicander hoc Vulturis in sanitate sua solicitè conseruanda callidum ingeniũ similiter ostendit, dum quæ à venenoso serpente percussa sint, cadàueribus abstinere asserit:

*Dum ferit, ardescit percussum corpus, & altis*
*Membris atra caro stillat liuore nigrescens,*
*Nulla rapax animans audet tractare cadauer,*
*Non Aquila aut Vultur, non Coruus nuncius imbris.*

Et rursus ubi de Basiliſco loquitur:

*Nullæ etiam volucres, quæ fœda cadauera pascunt,*
*Sic occisum hominem tangunt, vt Vultur & omnes*
*Huic similes aliæ.*

Nec minori solertia amissam sanitatem recuperat, quàm præsentem tuetur. Si enim Razi fidem adhibemus; cùm hepati ipsius ægrè est, tum magnarum Auium, quas in hunc vsum venatus est, iecinora vorat, quæ & alimenti & medicamenti loco esse possint. Deniq; & hoc ad ingenium & mores pertinere videtur, quòd cùm alioqui omne genus cadauerum liguriat, attamen à sui generis cadaueribus abstineat.

Vultures cur mutẽt regiones.

Memoria in repetendo cadauere.

Prudentia in reseruando cadauere.

Præsagium.

[a] *Lib. 2. de Anim. c. 46*
[b] *De proprietat. Auium cap. de Vult.*
[c] *In Trucul.*
[d] *In Hexa. Homil. 8.*

Præsagij Vulturis causa.

Pestis præsagus Vultur.

[e] *Lib. de peste. cap. 5.*

Sanitatis conseruatores esse.

[f] *In Ther.*

A suo genere se continet Vultur.

# SEXVS. COITVS. PARTVS. Incubatus. Educatio.

PORTENTOSA ſanè & valdè controuerſa multi non ſolùm poëtæ, ſed grauiſſimi etiam Philoſophi ac Theologi de Vulturina generatione memoriæ prodiderunt. In quorum tanta lite & contradictione concilianda nos extrema, quæ plerumq; in uitio ſunt, euitabimus, & media quadam via incedemus, & noſtram ſententiam, quantulacunq; ea ſit, quam longo vſu comparauimus, rerum naturalium cognitione adiuti, diſcuſſis tenebris, claram facere tentabimus: prius tamen aliorum opiniones exponemus. 1

[a] *Lib. 2. de Anim. c. 46* Nidos extruere Vultures [a] Aelianus & alij aliquot omnino negant. Prætereà in Vulturum ſpecie fæmineum ſexum tantummodò reperiri, plurimi aſſerunt: prodigioſum quendam procreandi ritum, & qui à fœminis ſolis, nulla maris opera peragatur, commenti. Hoc tamen Aelianus, velut ex aliena ſententia, adſtruit, cùm inquit: *Vulturem non naſci marem aiunt, ſed fœminas omnes generari, quam rem non ignorantes hæ beſtiæ pullorumq; ſolitudinem ac inopiam timẽtes, adgignendos pullos talia machinantur. Aduerſæ Auſtro volant, vel ſi Auſter non ſpiret, ad Eurum vẽtum oris hiatu ſe pandunt. Spiritus venti influens ipſas implet.* Idem, at paulò aliter [b] Orus: *Inter Vultures*, inquit, *mas non eſt, gignuntur autẽ hunc in modũ: Cum amore concipiendi fœmina exarſerit, vuluam ad Boream ventum aperiens, ab eo velut comprimitur per dies quinque, quibus nec cibum, nec potum omnino capit, fœtus procreationi intenta.* Hinc [c] Pictorius: 2

[b] *L. 1. Hierogl.*

[c] *In Pantopolio.*

*Vulturis & miram naturam dicere poſſum,*
*Dum genus hoc marem non peperiſſe patet.*

[d] *Chiliad. 12. c. 439.* Et [d] Tzetzes:

*Vultures quidam inconſideratè dicunt animantia parere,*
*Habereq; lac, & mammas, & cætera talia:*
*Ego autem, vt inueni mares eſſe omnes Tygrides*
*Sic & fœmineum Vulturum inueni omne genus,* 3
*Quinque autem diebus natibus volantes contra ventos*
*His concipiunt prolem ſubuentaneam.*

Tantum nonnunquam valet in animis hominum præoccupata opinio, vt etiam Magnus ille [e] Baſilius, ſiue ita ex animo ſentit, ſiue aliorum placita in vſum ſuum traducit, *ſubuentanea oua in cæteris irrita eſſe* author ſit, *nec ex illis fouendo quidquam excuti, at in Vulturibus citra coitum fœcunditate eſſe inſignia.* Paulò cautiùs D. [f] Ambroſius, non ſimpliciter aſſeuerat, ſed *Vultures dicuntur*, inquit, *ſine concubitu concipere & generare.* Verùm vt in hoc plerisq; inter ſe conuenit, quod abſq; coitu è vento concipiant fœminæ: ita quàm diù vterum gerant, ac quid tandem pariant, mirè authores variant: Sic [g] Orus; *Animal hoc trecentos illos ac ſexaginta quinque dies, quibus completur annus, ita diſtribuit, vt centum quidem & viginti diebus prægnans maneat, totidem pullos enutriat, reliquis verò centum ac viginti ſui curam gerat, neque vterum ferens, neque alendis addictum liberis, ſed ſeipſum duntaxat ad aliam parans conceptionem. Quinque autem illos, qui ſuperſunt anni dies in uenti, vt tam dictum eſt, compreſſionem, & coitum inſumit.* Quapropter Aegyptij annum, vt idem teſtatur, ſignificaturi, Vulturem depingunt. Ab hoc in temporis diſtributione, ac educationis diuturnitate nonnihil diſſentit [h] Tzetzes, ita inquiens: 4

[e] *In Hexa. Homil. 8.*

[f] *L. 1. Hexa. cap. 20.*

Quàm diù vterum gerat Vultur.

[g] *L. 1. Hierogl.*

Anni hieroglyphycũ.

[h] *Chiliad. 12. c. 439.*

*Quinque autem diebus natibus volantes contra ventos,*
*His concipiunt prolem ſubuentaneam,*
*In centum autem & viginti diebus procreant*
*Subuentanea oua, in totidem verò alijs*
*Ex ouis extrudunt, & pullos generant,*
*In centum autem & viginti diebus alijs,* 5
*Vſque ad alarum perfectionem ipſorum educant illos.*

Ita de eorum partu; alioquin Oro conformis eſt, qui ſuam ſententiam his verbis explicat: *Sunt porrò & alia Vulturum genera, quæ ex vento non concipiunt, quorum oua ad eſum duntaxat, non item ad fœtum ſuſcipiendum ac formandum ſunt accommodata. At eorum Vulturum, quorum non eſt ſubuentaneus duntaxat, & ineſficax coitus, oua ad tollendam, gignendumq; ſobolem ſunt in primis idonea.* Huic opinioni ſuffragatur non ſolùm Plinius, ſed & Ariſtoteles, veritas ipſa, quantum quidem ad ouorum procreationem attinet. [i] Plinius quidem diuerſis locis Vmbricium etiam Aruſpicem clariſſimum teſtem allegans, oua excludere Vultures aſſerit. Idem ipſemet Ariſtoteles bis diſertis verbis, quæ pòſt citabimus, teſtatur. Ab horum ſententia longè diſcedunt Simocatus, Philes,

[i] *L. 10. c. 7.* Oua parere.

Phileſ,& Ariſtoteles ipſe (ſi dijs placet) ſui ſcilicet oblitus, niſi potiùs huius ſimius quiſpiam nobis fucum facit,in Geoponicis, quæ eius nomine circumferuntur,ita ſcribens: *Vultures tertio à conceptu anno pariunt,nec nidum ſtruunt,vt fertur,neque oua pariunt,ſed ſtatim pullos, eosq; mox à natiuitate volucres.* Huic quiſquis eſt,magis quàm veritati conſentanea dicit Simocatus, vbi, *Vultures*,inquit, *trienio vterum gerunt,nullus enim eſt mas inter illos, ſed fœminæ ore aperto,extenſisq; alis Zephyrum aut eius loco Eurum hauriunt,ac inde concipiunt materiam quandam, quæ ob ſui tenuitatẽ plurimo tempore eget ad animalis perfectionem, animal enim, non ouum pariunt.* Ab horum parte ſtat Phileſ ità ſcribens:

Θῆλυς δὲ πᾶς γὺψ καὶ Φθορᾶς ἄνευ κύει,
χαίνων γὰρ ἀντίπρωρος ὑψῆ πρὸς νότον,
Συλλαμβάνει τὸ πνεῦμα, καὶ τρίτου χρόνου,
Στρουθοὺς πτερωτὰς ἀπὸ μήτρας ἐξάγει.
Οἳ ζῶσιν εὐθὺς ἐξ ὀνύχων ἁρπάγων, id eſt,
*Fœmina uerò omnis Vultur,& abſq; coitu gignit,*
*Hians enim conuerſus in ſublime ad Notum*
*Concipit ſpiritum,& tertio anno*
*Pullos volucres è matrice excludit;*
*Qui viuunt è veſtigio ope vnguium rapacium.*

Hi quidem omnes Vultures fœminas tantùm eſſe, & ſine copula, vt[k] Iſidori verbis vtar, concipere & generare vnanimiter aſſerunt. Quibus plus aliquid addit Orus, qui Vulturem non ſolùm in fœmineo ſexu principem, ac primarium conſtituit,ſed & hermaphroditum facit, cùm per Vultures ſolos ex Dijs mares ſimul ac fœminas, nempe Vulcanum, & Mineruã apud Aegyptios ideo deſignari præter cętera tradit,quòd generationis ipſe ſibi author crederetur & mater,& principium. At in reliqua procreationis fabula texẽda,mirè variant,cùm hic ouiparum, alius viuiparum facit;hic intra centum & viginti dies;ille non citius triẽnio parere affirmet. Nimirum ut ſimplex & una eſt ueritas,ita mẽdacium multiplex,& ex uno,ut inquit Philoſophus, abſurdo multa ſequuntur. Verùm de hac opinione ſatis ſuperq; dictum ſit. Nunc alterã partem audiamus,quæ cum ſuperiore planè pugnat. Primùm nidificare Vulturem, idq; in excelſiſſimis rupibus antè ex[l] Ariſtotele & [m] Plinio patuit. Sed & Niphus in Italia ſe Vulturis nidum uidiſſe ſcribit. Albertus Magnus Philoſophus haud uulgaris,& D. Thomæ præceptor,non ſolùm nidos eos extruere,ſed,& Venerem exercere apertè docet, ubi ait: *In montibus,qui ſunt inter ciuitatem Vangionum,quæ nunc Vuormatia uocatur,& Treuiros,ſingulis annis nidificant Vultures,ita vt magnus vndiquaq; fœtor ex congeſtis cadaueribus ſentiatur. Quod autem fertur quoſdam Vultures non coire,falſum eſt:nam illic quoque ſæpè permiſceri videntur.* Sed ut eo loco permiſceri uiſos eſſe tanto uiro lubens credo, tamen quàm benè ex hoc colligat nullos non coire, non uideo: Fieri enim poteſt, ut ſterile quoddã ſit Vulturũ genus,ut paulò pòſt Ariſtoteli & Plinio placere demonſtrabimus,& quod abſque Veneris illecebris uitam agat. Vt uerò quid ſentiam hac in re dicam,plerosq; coire certus ſum,& fabuloſa reputo,quæ de conceptu ex uento feruntur:non tamen omnes fœcundos neceſſariò ſtatuendos exiſtimo. Etenim & marem & fœminam in Vulturum etiã genere reperiri,& fœminam à mari iniri naturæ lex dictat. Sunt enim Vultures Aues ueræ & perfecta animalia,quæ omnia cõmuni naturæ præſcripto, utroq; ſexu gaudent. Quæ itaq; quæſo ratio eſt,cur Vultures altero ſexu mancos ſtatuamus? Verùm cùm mecũ reputo,unde hoc cõmentũ naſci potuerit;id pluribus modis fieri potuiſſe uideo. Primùm enim oua tredecim (ita quidã legunt) Vulturem parere Plinius ſcribit ex Vmbricio Aruſpice. At fortaſſe cùm ouorũ plurima pars irrita ſit (binos enim plerumq; Vulturis excludi pullos idẽ author eſt) itaq; occaſionem illi arripuêre in animũ inducendi, quaſi è vẽto hæ Aues pariant. Huiuſmodi enim tum harum,tum aliarũ Auiũ oua & ſubuentanea,& Zephiria dixêre,quæq; ad cibũ ſolummodo, non etiã ad prolem producendã eſſent vtilia. Alterãid credendi anſam Auis iſtius libido ſubminiſtrare potuit,quæ tãta eſſe dicitur,ut ea accẽſæ fœminæ,ſi mas fortaſſis abſit, inter ſeſe ſaliant,& mutua libidinis imaginatione concipiant, uel, ut nonnulli arbitrati ſunt,ipſo puluere in naturã uento aut ui pruritus attracto,ouaq; edant,ut Gallinæ, Perdices, & Anſeres ſolent,hypenemia ſeu ſubuentanea. Alterius cauſę id opinandi,quęq; ab hac utraq; diuerſa eſt,[n] Plinius author eſſe potuit,marem aſſereins,qui proli gignendę incumbat,in Vulturibus nullum reperiri,cùm inquit: *Halięti ſuum genus non habent,ſed ex diuerſo Aquilarum cottu naſcuntur:id quidem quod ex ijs natum eſt, in Oſſifragis genus habet, è quibus Vultures progenerantur minores:& ex ijs magni,qui omnino non generant.* Hæc Plinius,eaq; ex[o] Ariſtotele proculdubiò excerpta. Verùm licet ex his verbis poſtremis maſculorum in quibuſdam Vulturibus defectum,non malè aliqui fortaſſe colligant, an uerò ex eo omnes fœminas eſſe rectè inferunt? Sed vtriuſli-

[k] *Lib. 12. Orig. cap.7.*

[l] *Lib.8.Hiſtor.cap.5.*

[m] *Lib.10. cap.7.*

Oua quot pariat.

Oua ſubuẽtanea quæ.

[n] *L.10.c.3.*

[o] *In miratilibus.*

bet ſexus ſint, cùm eos omnino non generare Philoſophus aſſeueret, non eſt vt tãtam fœcunditatem, cui ad prolis conceptum ventus ſit ſatis in vterum admiſſus, hiſce affingant. Oua poſſe parere admittam (neque enim id negare animus eſt Ariſtoteli,) ſed fœtum ullum producere eos rectè ex eo elici diffiteor. Cùm enim Aquilæ, Offifragæ, & Vultures, ut partim ex Ariſtotele & Plinio palàm eſt, partim res ipſa docet, promiſcuo inter ſe coitu vtantur, nihil mirum eſt, ſi ex diuerſarum ſpecierum duabus auibus, tertia quædam alia, & ab harum ſpecie diuerſa nempe ſterilis generetur (quemadmodum ex Equa & Aſino ſterilem Mulam procreari videmus) quæ ob ſimilitudinem, quam maiorem profectò cum Vulturibus, quàm cũ Aquilis ipſis habet, illorum claſſi aſcribatur. Hunc enim Vulturem [p] Ariſtoteles vocat, ſed magni cognomento adiecto ab alijs diſtinguit, & diſertis verbis ſterilem eſſe docet, argumentum inde capiens, quòd à nemine vnquam nidus eius conſpectus fuerit. Verba eius hæc ſunt: *Ex Aquilarum paribus alternis Haliætus & Aquila naſcuntur, quoad par eiuſdem generis coniugabile naſcatur. Ex Haliætis Fulica, ex his Accipitres, Vultures q́, generantur. Verùm Vultures non diuerſum genus, ſed grandes rurſum Vultures gignunt, eos q́ ſteriles, indicio eſt, quod Vulturis magni nidus nemini mortalium uiſus ſit.* Tantum Ariſtoteles de Vulturum generatione ſcribit, quam dum exponit, à Plinio non vna in re diſſentire videtur. Quod fortaſſe quiſpiam mirabitur, cùm paulò antè dixerimus Plinium, quæ de Vulturina geneſi, quam ibidem citauimus, ſcripſit, omnia ex mirabilibus Ariſtotelis tranſtuliſſe. Sed cùm hæc loca conferrem, facilè animaduerti non ex authoribus ipſis, at ex interpretibus hanc diuerſitatem ortam eſſe. Quod enim de Fulica hîc legitur, minimè apud Ariſtotelem reperitur. Textus enim Græcus eo loco habet vocem φήνη, pro qua interpres, quiſquis ille fuit, ineptiſſimè Fulicam vertit. Quo multò oculatior, & vtinam vbiq; tã circumſpectus fuiſſet, Plinius optimè Offifragam expoſuit, Auem nempe Aquilis cognatam, vt non vno Ariſtotelis loco facilè liquere poteſt. Quid enim quæſo, Fulicæ cum Aquilis aut Vulturibus, Aui nempe aquaticæ & palmipedi cũ vncunguibus rapacibus? Quid hoc aliud eſt, quàm nomina cum rebus ipſis confundere? Simile mendum eſt in dictione *Accipitres*; huius enim loco textus Græcus habet οἱ πέρκνοι, quæ quidẽ vox non Accipitres, ſed Aquilam Anatariã ſeu Clangam, alibi etiam Morphnon appellatam [q] Ariſtoteli vbiq; denotat; vt & Gaza doctè interpretatus eſt. Eſt tamen etiam inter ipſos authores nonnulla, ſed modica diſſenſio. In hoc enim variant, quòd Ariſtoteles ex Offifragis, præter Vultures etiã Percnos ſeu Anatarias Aquilas gigni tradat, Plinius verò tãtũmodò Vultures. Atqui Percnos Accipitres interpretati ſunt, fortaſſis alio [r] Ariſtotelis loco eò deducti ſunt, vbi inquit: *Quinetiam aduncorum Accipitres ſpecie diuerſi coire putantur.* Sed hîc non πέρκνοι, ſed ἱέρακες, quæ quidem vox propriè Accipitres deſignat, legitur. Eodem hoc capite ea, quæ de promiſcuo Vulturum & Aquilarũ coitu diximus, generali quadam propoſitione confirmat, in hæc verba: *Coeunt animalia generis eiuſdem ſecundum naturam, ſed ea etiam quorum genus diuerſum eſt quidem, ſed natura non multùm differt, ſi par modò magnitudo ſit, & tẽpora æquent grauiditatis. Rarò id fit, ſed tamen fieri & in Canibus & in Vulpibus & in Lupis certum eſt; nec non in Auibus ſalacioribus idem fieri viſum eſt.* &c. Sanè Aquilas cùm magnitudine, tùm natura nimium diſcrepare, antè oſtendimus. Reperiri verò alios, qui perpetua generatione poſteritatem conſeruent, vel inde euidentiſſimum eſt, quòd alioquin iam olim à multis ſeculis perijſſe neceſſe eſſet eorum genus, nec Vulturem ampliùs vllum uerum in natura haberi. Hiuſmodi ſunt minores Vultures Ariſtotele & Plinio teſtibus, Offifragæ Aquilinæ ſobolis proles, maiorumq; Vulturum ſterilium parentes, cognatum Aquilis genus. Nam ex Haliætis Offifragas naſci ijdem authores aſſerunt. Quod quidem hi ſuboleuiſſe videntur, qui medium quoddam inter Aquilas & Vultures genus, quod Aegypion vocant generationi indulgere ſtatuunt. Inter quos eſt ille, quiſquis tandem eſt, Geoponicorum Ariſtoteli vulgò attributorum author, ita ſcribens: *Vultures tertio à conceptu anno pariunt, nec nidum ſtruunt, vt fertur, ſed Aegypÿ mediæ inter Vultures & Aquilas naturæ. Mares ſunt etiam* (id eſt, vtrumq; ſexum habent) *vt audio, eorumq́ nidi oſtenduntur.* Item Philes, qui in ſuo de Vulture carmine iſtæc tradit:

Τὸ ναντίον δὲ φασι τὸς αἰγυπτίους
Τίκτοντας ὠὰ τῇ απορᾷ τῶν ἀρρένων,
Εἰς τὰς καλιὰς τὸς νεοττὸς ἐκγλύφειν,
Ῥώμης ἀγαθῆς, καὶ πτερῶν ἀλλοτρίους. id eſt,

*E contrario autem inquiunt Aegypios*
*Parientes oua ſatu marium*
*In nidis pullos efformare*
*Roboris laudati, penniſq́ carentes.*

Idem Orus innuere velle videtur hiſce verbis:

*At eorum Vulturum, quorum non eſt ſubuentaneus duntaxat, & inefficax coitus, oua ad gignendam, tollendamq́*

[p] *In Mirabil.*

Ariſtoteles correctus.

[q] *9. Hiſtor. cap. 32.*

[r] *Lib. 2. de gen. Anim. cap. 5.*

Aegypij Aues.

Αἰγυπτίους rectiùs legendum.

*lendamq; sobolem sunt in primis idonea*. Maior profectò Vulturum pars, qui à Neotericis describuntur (qualis verbi gratia est Vultur aureus Heluetiorum apud Ornithologum, & quẽ Equinum seu etiam Leporinum cognominant Germani Alpini, de quibus sigillatim pòst agemus) tanta coniunguntur affinitate, vt difficillimum sit certò statuere, ad vtram potiùs speciem referendi sint. Quæ ambiguitas procul dubiò non aliundè quàm ex promiscuo eorum inter se congressu oritur, quibus ipsis fortasse etiam mutua similitudo ac speciei cognatio imponit; quemadmodum & diuersarum specierum quadrupedes, Lupos nimirum, Vulpes, Canes eadem ad coeundum inter se allicit & inuitat. Vnde ex Vulturibus & Aquilis diuersimodè sibi permistis varios & deformes fœtus oriri, atq; de varijs varia ẽt & diuersa scribere, ac sentire authores iam minus mirum visum iri vnicuiq; arbitror. Sed de hac controuersia satis. Antequam tamen ad reliqua, quæ ad generationem spectant pergamus; illud neutiquam præteriundum existimamus, quod ex D. Hieronymo scribit Stephanus Aquæus, *Vulturem* nempe *cùm cæperit oua edere, quippiam ex Indico tractu adferre, quod est tanquam nux, intus habens, quod moueatur, sonumq; subinde reddat; id verò sibi, vt apposuerit, multos fœtus producere, sed vnum tantùm remanere, qui Immussulus dicitur*: Verùm nux ea meo iudicio ætites lapis est, quem nunquid Vultur in nidũ inferat, nondum habeo exploratum. A' fabulis prorsus alienum est, quod [f] Aristoteles de ouis eorum tradit, inquiens. *Pariunt Vultures oua bina*: Et [t] alibi: *Edunt non plusquam ouum vnum, aut duo complurimùm*. Et quæ [u] Plinius de fœtibus. *Fœtus*, inquit, *cernuntur sæpe bini*. & rursus: *Vmbritius Haruspicum nostro ævo peritissimus, Vulturem parere tradit oua tria* (alij tredecim legunt, sed tria legendum esse Barbarus ex Aristotele contendit, &, vt ego reor, rectè) *vno ex ijs reliqua oua, nidũq; lustrare, mox abijcere*. Et hos fortè secutus [x] Albertus bina oua parere ait, quòd plures pullos nutrire non possit. Fabulam verò resipit, quæ de pullorum educatione [y] Orus prodidit in hanc ferè sententiam. Centum illis & viginti diebus, quibus in filiorum enutritione detinetur, nunquam ad prædam longiùs prouolat, vni illi curæ intentus, ne pullos deserat, deq; propinquo tantùm, quæ fuerint in promptu conuenatur. Quod nisi aliud quicquam suggeratur, occuratuè, quod filijs in alimentum paret, ipse dicitur suis fœmoribus rostro vellicatis sanguinem ciere, quem filijs exugendum præbeat, tanta curat charitate, ne illi victus egestate deficiant. Hinc ab ea symbolum miserationis ceperunt Aegyptij. Albertus, tantùm abest, ut illis hanc in liberos pietatem tribuat, quin alis illos tradit verberare, vnguibusq; vulnerare, & ex superfluo sibi cibo nutrire, donec volare possint; nec deinde ferre, vt in eadem regione secum viuant ob victus paucitatem. Attamen & cadaueribus etiam eos pascit, vsitato sibi pabulo, vt [z] Lucianus innuit, vbi Asinus sortem suam deplorans, ita secum loquitur: τί ἔτι μένω ἐνταῦθα γύπας σέ, καὶ γυπῶν τέκνα δειπνήσασιν; id est: *Quid amplius expectas, ò miser, esca Vulturibus & eorum pullis futurus?*

[f] *Lib. 8. Hist. cap. 5.*
[t] *Lib. 9. Hist. cap. 11.*
[u] *L. 10. c. 8*
[x] *L. 6. c. 6.*
[y] *L. 1. Hierogl.*

Pietas & charitas vulturis erga pullos. Miserationis hieroglyphicum.

[z] *In Asino seu Lucio.*

# VICTVS. VENATVS.

DE Vulturum victu ac præda, similis superiori, sed extricatu facilior, nodus occurrit, pugnantibus hinc indè authorum sententijs. De his enim multi multa passim fabulati sunt. Quidam enim partim ex ratione, partim ex reipsa, quòd iecore Titij vesci dicantur, visceribus eos delectari, & cadauerum escam olfactu eminùs venari, ac unicè appetere, cæterisq; quę viuunt, abstinere asserunt. Alij è contrario rapacia, ac varij generis animalia, caq; viua persequi ac deprędari. Inexplebilem verò edacitatem omnes vno ore ipsi exprobrant, vti ex hisce authorum testimonijs manifestum est. Etenim [a] Ouidius *Edacem* eum uocat:

Vulturum edacitas.

[a] *Lib. 1. de trist.*

*Aut ut edax Vultur corpus circumspicit.*

Et ex eo fortè Baptista Mantuanus.

*Vultur edax, auido Coruusue famelicus ore,*
*Vultur edax fœdum tabo stillante cadauer,*

Et Strozius:

*Hæc ne aliud quàm Vultur edax? fibræue renatæ?*

Et rursus:

Catullus *auidum*.

*Lingua exerta auido sit data Vulturio.*

Item [b] Seneca: *Vbi tondet Ales auida fœcundum iecur:*
Et [c] Sophocles: *Proijciar auido Vulturi*
[d] Silius verò *obscœnum:*
*Examina obscœnus consumit corpora Vultur.*
Pontanus *cupidum:*
*Prædaq; cum cupidis heu data Vulturijs.*

[b] *In Agamem.*
[c] *In Aiace.*
[d] *Lib. 12.*

Tantoperè

Tantoperè perfectò ob edacitatem famoſus eſt Vultur, vt voracitas eius in prouerbium abierit. *Vultur* enim *edacior* vulgari iactatur parœmia, homo ingluuiei ſupra modum deditus. Quo ſenſu Lucianus per metaphoram comedonem vocat *Vulturem omnium edaciſſimum*. Hanc verò ſuam vorandi auiditatem carnium eſu explet: *(Sunt enim,* inquit, [c] Ariſtoteles, *Vultures, vt pote quibus adunci ſint vngues, carniuori)* ac potiſſimùm cadauerum humanorũ. Vnde Heſychio appellantur Ὄρνεα σαρκοφάγα καὶ νεκροφάγα, hoc eſt, Aues, quæ carne viuunt, & cadauera ſectantur. *In hominum* enim, vt [f] Aelianus teſtatur, *cadauera Vultures infeſtiſſimi feruntur, in qua incurrentes, tanquam hoſtilia inuadunt, ac hominem vicinum ad moriendum, quando ſupremũ vitæ diem agit, diligenter obſeruant.* Verùm eius, quod poſtremo loco hîc additur, penes Aelianũ fides eſto, cui vera falſis miſcere alioquin ſolenne eſt. Morticinorum appetentem ex antiquioribus pluribus in locis [g] Homerus ſcribit, cùm inquit:

Vultur edacior. Prouerbium.

[c] *Lib. 8. Hiſtor. cap. 3.*

[f] *Lib. 2. de Anim. c. 46*

Τὰν ἤτοι αὐτῶν τέρενα χρόα γῦπες ἔδονται, id eſt,
*Horum verò ipſorum tenera corpora Vultures comedent.*

[g] *Iliad. Δ.*

Item [h] alibi, vbi Hector Patroclum alloquitur morientem:

[h] *Iliad. Π.*

——Σὲ δὲ τ' ἐνθάδε γῦπες ἔδονται, id eſt,
——*Te autem hîc Vultures comedent.*

Item [i] alibi, vbi Priamum de futura Hectoris ſtrage lamentantem inducit, ſi cum Achille manus conſereret:

[i] *Iliad. Χ.*

——Αἴθ' θεοῖσι φίλος τόσσονδε γένοιτο
Ὅσσον ἐμοί, τάχα κέν ἑ κύνες καὶ γῦπες ἔδονται, id eſt,
——*Vtinam Dijs charus tantum eſſet,*
*Quantum mihi, citò eum Canes & Vultures comederent.*

Item [k] vbi de cadaueribus quibuſdam loquitur:

[k] *Iliad. Λ.*

——Οἳ δ' ἐπὶ γαίῃ
Κέατο, γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι, ἢ ἀλόχοισιν, id eſt,
*Hi autem in terra iacebant Vulturibus meliores, quàm vxoribus.*

Item & [l] alibi, vbi Eumenius de mortuo forſan Vlyſſe, ait:

[l] *Odyſſ. Ξ.*

Τῷ δ' ἤδη μέλλουσι κύνες ταχέες τ' οἰωνοὶ
Ῥινὸν ἀπ' ὀστέφιν ἐρύσαι, id eſt,
*Illius iam debent Canes, velocesq; Vultures*
*Cutem ab oſſibus trahere.* vbi Οἰωνοὶ Vultures vertunt, vt ex paulò antè citato verſu etiã & in multis alijs locis videre eſt, quæ breuitatis cauſa prætereo, & rectè quidem (aliàs pro Aquila etiam accipitur, quæ cadauera non tangit) quamuis Aues Iohannes Spondanus traduxerit, niſi Virgilium aſſecutus ſit, qui item Vultures Alites κατ' ἐξοχὴν vocat, vt hoc loco:

*——Canibus data præda Latinis*
*Alitibuſq; iacet.* Item alibi.
*Alitibus liquêre feris.* [m] Euripides verò:
*Et tabo fluentia mortuorum corpora*
*Ante ora Palladis.*
*Vulturibus laniata iacent.* Et [n] alibi:
*Exponam volucribus eſcam Vulturibus.* Item [o] alibi:
*Perij ego ò fili, te periment*
*Gemini correptum Vultures.*

[m] *In Troad. Act. 3.*
[n] *In Rhoeſo. Act. 3.*
[o] *In Adrom. Act. 1.*

[p] *Cant. 20. Stan. 71.* Et ex hiſce authoribus etiam [p] Arioſtus noſter:

*E ch'indi à Lupi, e à gli Auoltoi del loco*
*Laſciamo i corpi, e la cittade al foco.* Et [q] rurſus:
*Poi li pare aſſai meglio s'apparecchia*
*Vn paſto à gli Auoltoi di quella carne* Item alibi:
*Paſto da Corui, e di Auoltoi laſciollo.*

[q] *Cant. 24. Stan. 37.* Idem [r] Martialis hoc ſalſo in teſtamentorum captatores dicterio innuit:

*Cuius Vulturis hoc erit cadauer?*

[r] *L. 1. Epig.* Item illud [s] Senecæ in hæredipetas eiuſmodi:

[s] *Lib. 15. Epiſt. 96.*

*Si Vultur es, cadauer expecta:*

Vultures qui dicti. Animata ſepulchra.

Hoc enim hominum genus vulgata metaphora Vulturis nomine appellatur, quod ſenibus orbis ceu cadaueribus inhient. Quoniam autem Vulturibus, vt antè dictum, cadaueribus tãtùm viuere proprium eſt: itaq; quidam eos τάφους ἐμψύχους, id eſt, animata ſepulchra dixêre, Varino teſte, quòd quem laniarint, deuorarintq; ventribus ſuis tanquam ſepulchris condant. Legimus non ſolùm Heſperios populos Barcæos dictos, ſed Indos etiam & Caſpios corpora defunctorum

rum Vulturibus lanianda obiecisse. Vnde Diogenes Cynicus ille Philosophus facetus occasionem desumpsit, dum dicere solebat; si mortui ipsius corpus à Canibus lacerari contingeret, in Hyrcana condendum iri sepultura; sin à Vulturibus, Barcęa. Hoc olim Hispanis in more fuisse etiam Silius Italicus tradit:

*Tellure vt perhibent, is mos antiquus Ibera*
*Exanima obscœnus consumit corpora Vultur.*

Hoc sensu & illi, qui nullo sepulchri honore digni habentur, vtpote quĩ ob scelus commissum, aut suspendio vitam finierunt, aut in crucem sublati, aut quauis ratione extremo supplicio affecti sunt, aut qui ab hoste cæsi in agro inhumati reliquuntur, canibus, Coruis, Vulturibus esca futuri, sepulti tamen non omnino ineptè dici possunt; quòd eorum scilicet, à quibus depasti sunt, animalium uisceribus condantur. Ita sanè Ennius loquitur, cùm ait:

*Vulturis in syluis miserum mandebat homonem,*
*Heu quàm crudeli condebat membra sepulchro.*

Pari pacto Octauianus Philippẽsi prælio cuidam suppliciter sepulturam precanti, respondit; iam istam in Volucrum potestate fore. Quemadmodum enim in hisce regionibus, siue in crucem actorum cadauera, maioris nempe ignominiæ causa, siue acie interemptorum propter hostile odium, aut aliam quamlibet causam, sine sepulturę decore à Canibus & Coruis discerpuntur, ita in Græcia, ac alijs locis Vulturibus, quorum ibi magna est copia, pro pabulo obijci solent, vti partim ex allatis authorum (potissimùm autẽ Homeri) testimonijs; partim ex subnectendis manifestum est. Disertum est hoc Sibillino carmine:

*Corpora Vulturibus linquunt laceranda, ferisq;,* Et illo [t] Euripidis: [t] *In Rhæso. Act. 3.*
*Exponam volucribus escam Vulturibus.*

Ad eundem sensum [u] Apuleius, *Patibuli cruciatũ*, inquit, *iam canes & Vultures intima protrahunt viscera.* Et Fracastorus: [u] *In Asino.*

*Vulturijq; caput, effossaq; lumina pascant*
*In cruce suspenso.*

Sed [x] Luciani lepidam de Asini nece fabulam ad hanc rem condocendum, adferre operæpretium duco, cuius hęc sunt verba, dum sub interfectoris Asini persona loquitur. *Asinum fugæ virginis ministrum & socium interficiamus primùm, tum scindamus ventrem, atque intestinis abiectis, intus virginem includamus, ita vt solum superextes caput, ne uestigio suffocetur: reliquum corpus intra uentrem lateat, quo consuto ambos Vulturibus eijciamus nouo more præparatum cibum.* Aduertite quæso ad hoc tormenti genus. Primùm uiua mortuo Asino inhærebit, deinde Sole urente in eius uẽtre decoquetur: insuper fame ad mortem torquebitur, neque poterit seipsam perimere. Cætera quibus excruciabitur, cùm ex putrefacti cadaueris fœtore, tùm ex uermibus scaturiẽtibus, prętermitto. Vultures deniq; cadauer depasti, & uiuentem quoque unà laniabunt. Ad quod Baptista Mantuanus respexit inquiens: [x] *Lib. 12. Iosepb.* Extremum torměti genus.

*O potius montane trahas mea pectora Vultur.*

Huc pertinent etiã [y] Lycophronis istęc verba à Iosepho Scaligero Iãbico carmine translata: [y] *In Cassandra.*

*Setæa misera rupium te crux manet,*
*Vbi numellis membriuincis ferreis*
*Misella passis compedita brachijs*
*Morière, heriles ausa classes vrere,*
*Ad Crathin ciulante questu Vulturum*
*Rapina pendens oscinum voracium.*

Non tamen alioquin spernit aliorum animalium cadauera, ut ex [z] Iuuenale etiam liquet: [z] *Sat. 14.*

*Vultur iumento & Canibus, crucibusq; relictis,*
*Ad fœtus properat, partemq; cadaueris adfert.*

Funesta enim Auis Vultur est, & morticinijs non minus, quàm Coruus delectatur, unde meritò *immundus* à [a] Gratio uocatus est: [a] *Lib. 43. de Venat.*

*Sunt quibus immundo decerptæ Vulture plumæ:*

[b] Valerius Flaccus uerò eum *dirum* appellare non est ueritus: [b] *Lib. 4.*

*Dixit, & è Scopulis media inter pabula diri Vulturis* &c. id est, inter cadauera.

Quinimo ueteres Vulturem ita abominati sunt, ut dæmonem mortuos rodentem ei comparauerint, teste Pausania: *Eurymus Dæmon, quem mortuorum carnes rodere fingunt, ita ut nihil præter ossa relinquat, colore pingitur inter cæruleum & nigrum, qualis est Muscarum, quæ carnibus insidet: & dentes exerit, & pellis Vulturis ei substernitur.* Etenim in Auium tetricarum ac turpium, infeliciumq; numero cum Strygibus & Harpyis cẽsetur, hisq; uelut socia à plerisq; adiũgitur, ut Quintiano:

*Vultur & infandæ Stryges omine, Taxus & ater*
*Bubo.* &c.

Et Oui-

[a] *Lib. 1. Amor.* Et [c] Ouidio, dum arborem, ex qua tabellæ triſtes factæ erant, deteſtatur:

*Illa dedit turpes raucis Bubonibus umbras,*
*Vulturis in ramis, & Strygis oua tulit.*

quia nempe haud aliter atque Stryges & Harpyiæ immundus ſit, & contactu omnia defœdet, atque inſuper inſatiabilis ſit voracitatis. Quare Harpyias Vulturum corporibus præditas fuiſſe fabulantur; & quemadmodum infauſtæ illæ, ac in maledictis habebantur, ita & qui ignominioſam alicui mortem imprecari volebant, Vulturibus ſe illum tradituros dicebant, eodē, quo Corui, nomine odioſis. Huiuſmodi eſt illa apud Fracaſtorium Ioſephi imprecatio:

*Poſt obitum tibi ſit tormentum Vulturis atri.*

Quidam cadaueribus ſolis contentos tradunt viuere, & à viuentibus omnibus ſibi temperare. Inter hos eſt Herodotus Ponticus, qui, teſte [d] Plutarcho, aſſerit Vulturem animātium nullum perſequi aut attingere, & ſui generis volucres, ne mortuas quidem deguſtare. Quinetiam his quæ ad uſum ac alimoniam hominis ſeruntur ac plantantur, omnibus abſtinere, adeoq; animal eſſe Vulturem tradunt, ſi quod aliud, innoxium. Sed cum his è diametro pugnant cùm ueterum complurium authoritates, tùm rei ipſius, quàm neoterici adferunt, experientia. Qui non ſolùm cadauera animantium aliorum, ſed & volucrū, imò verò uiuas cùm volucres, tùm quadrupedes maiores etiam, & acriter perſequi, & rapere Vultures teſtātur. Quod enim ſatis parcere dicitur, nihil mirum, cùm & cū reliquis rapacibus ei hoc cōmune eſt. Primum locum teſtimonio Homeri ob antiquitatem & authoritatem grauiſſimam meritò dabimus, qui ait:

[d] *In Quæſt. Rom.*

*Equis ruens tanquam Vultur in Anſeres.*

[e] *Odyſſ. Λ.* [e] Idem indicat, quam idē author tradidit, Titij fabula, cuius viſcera, ſeu hepar perpetuò renaſcens ac fibris ſuis repullulans corrodi & abſumi Vultures ſcribuntur. Hinc etiam viuis perenne tormentum imprecandi formula nata eſt, qualis apud Pontanum:

*In tua manſurus migret præcordia Vultur.*

Orus quoque Apollo infeſto animo cætera perſequi atque interimere Vulturem tradit animalia. [f] Bellonius crebros in Cretæ montibus Vultures eſſe, ibiq; rapere Agnos, Hædos, Lepores q;, quos præſertim ſub dio deprehenderint, affirmat. In altiſſimis etiam Heluetiorum montibus, vt in Ammano prope lacū Riuarium Agnos à Vulturibus rapi Ornithologus teſtis eſt: alibi etiam Lepores (vnde nimirum Germani Haſengyr, id eſt, Leporarium quoddam eorum genus appellarunt) nec non hinnulos Ceruorū, Caprarumq; & alia animalia infirma, vel nondum adulta. In Chyle Indiæ, quam vocant, Occidentalis, prouincia Vultures ſunt, qui Pecudes venantur, ac dilaniant, ob paſtorum, cuſtodumue incuriā, vt [g] Manardes Hiſpanus author eſt. Vnde & rapax Vultur plurimis apud authores locis dicitur, quos ſi propriè locutos putamus, ideo ita vocaſſe exiſtimare debemus, quòd viua animantia prædarentur. Rapere enim violentiam quandam includit, & rapiuntur, quæ renitūtur, ac fugiunt. Quorum nihil cadaueribus congruit, quæ quandocunq; libitum eſt, ſine vi aut moleſtia vlla aſportat, potiùs quàm rapit, nemine reluctante. Hinc [h] Baptiſta Mantuanus nunc *rapacem*:

[f] *Lib. 2. de Auib. c. 23.*

[g] *Lib. de Aromat.*

Rapere q d ſignificet.

[h] *L. 3. troph. Gonz.*

——*Vulturq; rapax & odora Canum vis:*

nunc *prædonem* eum vocat:

*Quæ comprenſa ſemel curuos ſi euaſerit vngues.*
*Vulturis, effigiem quoties prædonis & ora*
*Viderit, antiquæ redit in veſtigia curæ.*

Sanguinarij Vultures qui. Torgos. Hæmatorrhophi Vultures.

Genus etiam quoddam Vulturum ſanguinarium vocatur, quod alio nomine Torgos dicitur, haud dubiè, quòd ſanguine & cæde gaudeat, quod hęmatorrhophum, id eſt, ſanguiſorbū ideò Græci vocant. Viuas volucres inſectari, & eiſdem terrori eſſe eminùs viſos Vultures, alibi idem [i] Poēta innuit:

[i] *L. 5. Agelar.*

——*Aſt vbi mox procerę apparuit haſtę*
*In mucrone caput, monſtrig; immanis imago eſt*
*Viſa procul, tanquam volucres, cùm Vultur uiſo*
*Diffugiunt, magno Mauri dant terga tumultu.*

Sed omnes hoſce authores, qui locis à nobis adductis prima fronte ſibi mutuò contradicere videntur, certè nullius negocij erit conciliare, ſi Vultures ab inuicem diſtinguamus. Eos enim qui legitimi ſunt, & nulla cum Aquilis, Oſſifragis, Accipitribusq; cognatione coniuncti, nec ſpurij, aut qui ſaltem ad Vulturum propius, quàm ad vllius alterius Auis naturam accedunt, procul dubiò eſt ex eorundem indole maximè participare, nec non cadaueribus tantùm famem explere, atque à uiuorum raptu abſtinere. Hi verò quibus fortè præter nomen nihil reſtat Vulturinum, quibuſq; ſanguinis vinculum, ob diuerſi generis parentes, ſtrictiſſimum cum Aquilis Oſſifragis, alijſue intercedit, omnia animantia, quæ diximus, eaq; uiua adoriuntur, capiunt,

piunt, occidunt, deuorant. Sic Vultur aureus Heluetijs dictus, item Leporarius à Leporũ raptu cognominatus, qui Aquilis aliquot ab Aristotele positis & generosiores, & bellicosiores sunt, ingenio planè feroci ac Aquilino, quod ex prædominantis indolis præscripto habẽt, venatum exercent. Cæterùm [k] Albertus Vulturem scribit venari à meridie vsque ad noctem, & ab ortu solis usque ad illud tempus quiescere; moriq; inedia, rostro in vltimo senio ad nimiam aduncitatem procrescente, volandiq; viribus deficiente; quod latroni etiam tandem euenire fabulæ tradunt, qui in Vulturem mutatus dicitur. Commune item huic Aui est eodem teste, vt & omnibus ferè Aquilis, venari in locis longè à nidis suis distãtibus. Sed hæc ab Aquilis mutuata potiùs, & ad Vultures transducta esse quispiam non immeritò censeat, vt etiam alia, vt vbi de pugna animalium pro cibo & pullis scribit, Vulturem testatur peculiariter quoddã animal, quod Græcis Arodycum, Latinis Ardolatum (neutrum nomen mihi cognitum est) interimere testatur. Item & binas tradit esse Aues, quæ itidem cũ Vulture inimicitias gerant, vnam Psitaci Græcè, Latinè Camulgum dictam, hanc quòd oua eius frangat, deuorare: illam Prece Troylon Græcè, Latinè Trochilum dici, sed hanc Auiculam (modò ille hanc intelligat, ut corruptum Græcum nomen Prece, πρέσβης enim quandoq; Aristoteli dicitur, indicare uidetur) nos ex Philosopho cum Aquila pugnare anteà diximus, atq; ipsemet [m] Albertus postea affirmat, sed uelut sui oblitus Dereolirin uocari ait, uoce meo iudicio corrupta à rege, quo nomine ea Auicnla etiam uenit. Camulgum uerò ego Caprimulgum esse puto, ut ex illius uerbis colligo, nam & hunc cum Vulture pugnare tradit sequenti deinde capite. Vbi etiam nescio quem uermem serpentinum Vulturem aliquando superare memorat. Ad hæc Auem acutissimi alioqui uisus, de die tamen non apparentem dici Cokym, & cum Vulture pugnare testatur; necnon & Aristotelem ausus fuit accusare, mendacij, quòd Vulturem cum Dracone dissidere scripsisset, quod tamen apud Aristotelem neque mihi, neque alijs (ni fallor) legere contigit. Mergus autem à Vulturibus nõ aliter, quàm ab Haliæto sibi metuit, quem cùm uidet, in aquis se submergit. Pugnant item Vultures, ut & aliæ Aues propter habitationem, uictum & pullos, ut Albertus quoque alibi prodidit. Quare & Vultures sibi inuicem inimici sunt.

[k] *Lib. 8. c. 5.*

Latro in Vulturem mutatus.

[l] *Lib. 8. c. 2. tractat. 1. de Animal.* Camulgus.

[m] *Lib. 8. c. 3. tractat. 2. de Anim.* Caprimulgus.

Mergus à Vulture sibi metuit.

# ANIMI MORES.

INDOLEM Vulturis atque mores exposituri, eadem, qua paulò antè, methodo utemur, & similem superioribus nodum dilucidabimus. Quidã enim Vultures audaces faciunt, alij timidos & imbelles. Audaces esse declarat Baptista [a] Mantuanus, dum Auiculis minoribus parcentes, & magnas tantummodò inuadentes, quales sunt Olores, introducit, ubi ait:

*Flebat, ut inuadi cernens à Vulture nidos*
*Lactenteis imbellis Olor, prædator aduncis*
*Vnguibus, & duro discerpit uiscera rostro.*

Item [b] alibi:

*Si placet aut laqueo uolucrem uel fallere uisco*
*Aut alijs petere insidijs, ut ab æthere lapsus*
*Fulminis instar, auem feriat pede pectore & ore*
*Vultur*, &c.

[a] *Lib. 2. Parth.*

[b] *Lib. 2. Syluar.*

*Imbelles* uerò uocat Q. [c] Calaber, inquiẽs: *Imbellibus Vulturibus similes gradum sistere non audebunt, quos in fugam egit Aquila Auium præstantissima.* Illud quod à Bapt. Mantuano Vulturi attribuitur, illi competit, qui hybris est, altero scilicet parente nobili, nimirum Aquila, altero ignobili nato, nempe Vulture. At ignauum esse ac meticulosum, cui nihil neque in generatione, neque ingenio cum Aquila est commune, legitimo scilicet Vulturi ascribendum est. Pietatem Vulturum in parentes, quam ἀντιπελαργείαν ab insigni Ciconiarum gratitudine uocant, disertissimus nostrę ætatis uates celebrat hoc uersu:

[c] *Lib. 3. Paralip.*

Pietas Vulturis in parentes.

*Patrem senio iam gelidum, situq; fractum,*
*Nudo capitis caluitio, atque glabritate*
*Ecce reficit munere Vultur Africanus*
*Hoc idem grata Ciconia* &c.

Libidine ingenti æstuare scribitur, adeò ut uel sola nonnunquam Veneris uehementi imaginatione à quibusdam concipere putetur. Quæ res fabulæ illi originem fortasse dedit, quòd absque maris opera, solius Fauonij cura, uteris excepta oua non solùm subuentanea, sed & fœtus pariant. Sed hoc naturæ ac ueritati repugnare superiùs docuimus.

Lidido. Conceptio.

SYMPA-

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

Aeſalo Vulturi inimicus & cur.

[a] *9. Hiſt. c. 1.* Vultur pugnat cum Aquila.

[b] *Lib. 14. Hiſt. c. 14.* Columbæ Vultures & Aquilas nõ metuunt.

Vulturi peculiare delectari putridis.

[c] *In Geoponicis.*

[d] *In mirabilibus.*

[e] *Lib. 4. de cauſ. Plant.*

[f] *L. 12. c. 53* Roſę nomine quid Plinio ſignificetur.

[g] *Lib. 2. de Pedagog.* Vulturis inimicitiæ cũ malo Punico.

[h] *Lib. 6. de Anim. c. 46*

[i] *L. 20. c. 5.*

VVLTVR etſi innoxius ac innocens à quibuſdam putatus eſt, hoſte tamen non caret. Etenim cum Aeſalone in primis inimicitias habet, ut ſcriptum reliquit [a] Ariſtoteles, qui cauſam aſſignat, quia ungues utriq; aduncí ſunt. Quin etiam eodem authore Vultures & Aquilæ pugnant. Ex quo ſolo minimè timidos & imbelles eſſe facilè cognoſcere poſſumus. Verùm ad tam arduos conatus non ſolùm ſui roboris, cuius ſibi eſt conſcius, confidentia, ſed innatum quoddam odium ipſos impellit, cuius impetu incitus etiam Scarabeus Aquilam perſequi audet, & lædere. Eius uerò rei Albertus teſtem citat Ariſtotelem, in quo tamẽ nihil tale reperias; ſed benè apud Auicennam, eiuſq; interpretem, qui Vulturem cum Aquila ſæpe confundit. [b] Gyllius pro magno habet, quòd Accipitres Aues pugnaciſſimæ cum Vulture manus cõſerere audeant, dicens: *Iuſtæ magnitudinis Accipitres & integræ ætatis ſæpenumerò etiam contra Aquilas & Vultures pugnare aiunt.* In Columbas tamen mitiores non admodum ſęuire uidentur, ſi Aeliano credimus: *Clangorem*, inquit, *quidem aut Aquilarum, aut Vulturum facilè Columbæ ſpernunt, non item Circi aut Aquilæ marinæ.* Hoc in Vulture peculiare, ac mirum eſt, putidis affici ſuaueolentia auerſari. Quemadmodum enim cadauerum odore & paſtu mirum in modum capitur; ita ab unguentis tantoperè abhorret, vt tradente Oppiano, ne armenta quidem mortua, quorum carnes unguento illitæ fuerint, attingat. Rationem reddit [c] Ariſtoteles, vbi inquit: *Animal nullum ſuaui odore per ſe delectari videtur, niſi quatenus is cibo coniungitur, quædam etiam offenduntur, ſi uerum eſt, quod de Vulturibus & Scarabeis fertur.* Noxa autem, quam percipiunt, quęque eos furgat, tanta eſſe dicitur, vt idem [d] alibi ſcribat, *Vultures odore vnguentorũ perire, ſi quis cibum vel inunxerit, vel illitum obtulerit.* Idẽ aſſerit [e] Theophraſtus præceptori ſuo ſuffragatus, cùm ait: *Animalia quædam ab his, quæ nobis ſuauiſſimè olent, perimuntur, ceu Vultures ab vnguẽtis, & Canthari à roſis.* Confirmãt idem Zoroaſtres & Aelianus pluribus locis. [f] Plinius uerò, *Vultures*, inquit, *vnguento qui fugantur, alios appetunt odores, Scarabei Roſa.* Is exitium ipſis ab unguentis odoratis adferri non refert; ſed tantùm abhorrere & auerſari odorata quæuis indicat. Roſam autem hoc loco apud Plinium pro unguento roſaceo accipi exiſtimo, vti Celſo etiam alicubi. Quod etiam ex [g] Clemente licet colligere; ubi inquit: Οἱ γῦπες καὶ κάνθαροι ῥοδίνῳ χρισθέντες μύρῳ τελευτᾷν λέγονται, id eſt, *Vultures & Scarabei rhodino vtentes vnguento mori dicuntur:* quibus uerbis etiam eorum fauet opinioni, qui unguentorum odore interire Vulturem dixerunt. Neque cum myriſticis ac odoratis ſolùm maximum ipſi intercedit à natura diſſidium, ſed etiã cũ grano mali Punici, ſi uerum eſt, quod [h] Aelianus dicit, nempe *Vultures & alias quaſdam Aues mali Punici grano perire.* [i] Plinius ſemine Siſeris Cretici Vultures oblectari dixit.

# CORPORIS AFFECTVS.

Vultur obſtructione laborans qũo ſibi medeatur.

[b] *Lib. de remed. Accip.*

[c] *L. 8. Hiſt. cap. 3.* Ceruæ Seſeli Creticũ quęrunt & cur.

Pediculi Vulturũ venenoſi, & eorum forma.

Dedi pediculi nomẽ.

HABET præterea, Vultur & alia incommoda præter ea, quę ab unguentis ipſi oblatis imminẽt. Nam & morbis obnoxius eſt, quos natura duce ſibi ipſe medicus, non minùs quàm aliæ plurimæ Aues propellit. Tradũt Raſis & Albertus magnus, hepatis dolore aliquando Vulturem affici, (qui fortè propter obſtructionem uiſceris, aut inflammationem ex nimia uoracitate contractam oriri poteſt,) cùm itaq; hoc affectu laborat, tum Aues magnas uenari, & hepar earum deuorare ſolet pro medicamine. Quod quidem eius inſtitutum non admodum à Medicorum placitis alienum eſt, qui ſimilibus ſimilia conſeruari docent. In eundem fortaſſe vſum, nempe ut hepatis farctus expediat, Seſelios Cretici, ut teſtis eſt [a] Plinius, ſemen eſſe dicitur. Hoc Gyponomon [b] Demetrius Conſtantinopolitanus ideò uocat proculdubiò, quòd à Vulturibus deuoretur, non tamen, quia id in cibum quærant, (pauciſſimi enim aut nullius eſt nutrimẽti, & carnibus uiuũt rapacia, & leguminibus abhorrẽt, ut tradit [c] Ariſtoteles) ſed quòd in eo medelam ſui mali naturæ inſtinctu agnoſcant repoſitam. Cuius quoque herbę inſignem in liberandis ab obſtructione membris efficaciam Ceruæ non ignorant, ut quæ eandem à partu, quo faciliùs à lochijs expurgentur, depaſcentes, nos eius uſum docuerunt.

Sed & Pediculis infeſtatur Vultur, quantum ex Auicenna colligimus, qui eius mentionem facit multis in locis. Hoc inſectum aiunt eſſe venenoſum, ſimile pediculo paruo, vel ei qui in inguine naſcitur, cuius Perſicum nomẽ Dedi eſſe volunt. Alij alijs, ſed ab hac voce corruptis nuncupant,

cupant, vocabulis Indica nomina sunt Meluke, Tagomus, Ragarius, vt vult Matthias Syluaticus. Est quoque apud eosdem barbaros dictio Tafatis vel Tafaris pro Vulturis pediculo in vsu, de quo in historia insectorum, Deo dante, aliquando plura dicturi sumus; sed de eius curatione plura videre licet, cui lubet, apud Auicennam, eiusque commentatorem [d] Gentilem.

Meluke. Tagomus. Ragarius. Tafatis. [d] *Tract. 5. cap. 12.*

# ÆTAS.

VVLTVRES [a] D. Ambrosius existimat, quod absq; coitu nascantur, nec eo vtantur, alijs diutius viuere, & plurimùm superesse æui, adeò ut ad cẽtesimum annum vitę eorum series producatur. Idem [b] Isidorus, sed ex aliorum sententia astruit. Id annorum spatium cùm Vulturibus congruit. Itaque Aegyptij humanæ ætatis curriculum huius volucris imagine indicabant, ratione huiusce vitæ nostræ diuturnitatis non illepidam quidem, sed fabellæ simillimam commenti. Hi singulo quoq; anno ad drachmam vnam ab ipso vitæ primordio nostrum cor dixerunt accrescere, donec ad annum usque quinquagesimum peruentum fuerit, in quo apicem quodammodo constituunt ætatis ac statum, abhinc per annos totidem alios decrescere eodem modulo, quo ad illud vsque tempus adauctum fuerat, hominemq; tunc deficere, cùm ad duas drachmas cor ipsum redactum fuerit. Ita demum vitam humanam centum annis, vt plurimùm circumscribi, nisi aut negligenter aut intemperanter acta ipsa sibimet, in morẽ Turdi, incommoda compararit, seq; parte aliqua fraudauerit. Cor enim affectum iniuria, & tranquillitate sua defraudatum, pro molestiarum portione properantiùs flaccessit ac deficit. Sanè hoc elegans magis, quàm verum humani ęui & accrementi & decrementi causa cõmentũ est.

[a] *Lib. 5. Hexam. c. 20.* [b] *Lib. 12. Orig. c. 7.* Vultur ætatis humanæ Hieroglyphicũ. Fabula de accremẽto cordis Vulturini.

# COGNOMINATA.

QVONIAM hæc Auis cadauera, eaq; tabida summoperè affectat, propterea causidicos, & oratores forenses, quòd eis (ut Columella dixit grauissimè), concessum sit in medio foro latrocinium, [a] Apuleius probroso nomine Vulturios nominauit.

Quemadmodum [b] M. Tullius Vulturios paludatos appellauit Gabinium & Pisonem Imperatores, qui tam auidè lucro inhiabant, vt pretio nundinarentur omnia. Idem Cicero alibi Pisoni ab Auis rapacitate sumpta analogia, Vulturij cognomen dedit, rapacem esse indicans his verbis: *Appellatus est hic Vulturius illius prouinciæ, si Dijs placet, imperator.* Ex quibus prouinciam expilasse eum ac spoliasse innuit.

Porrò eadem ratione salibus suis [c] Plautus inseruit Vulturios pro talis. Vt enim Vultures rapto viuunt, compari modo & tali adeò voraces sunt, vt aleatorem ex toto spolient, vt non inscitè [d] Cælius Rhodoginus exponit.

Captatores quoq; testamentorum Vulturios dici non solùm [e] Seneca, sed & Catullus hoc versiculo indicauit:

*Suscitat à cano Vulturium capite.*

Causidici Vultures dicti. [a] *Lib. 10. de Asin. aureo.* Togati Vultures. [b] *Pro Sextio.* Vulturij Paludati. [c] *In Curcul.* [d] *Lib. 4. lect. Antiq. c. 18* [e] *Lib. 15. Epistol. 96.*

# DENOMINATA.

VVLTVRNVS ventus, qui ab Oriẽte spirat hyberno, vt ait [a] Plinius, dictus à Vulturis volatu, quoniam altè resonat, ut quidam volunt: Græci Euronotum vocant, quod inter Notum & Eurum sit. Authore Gellio tres sunt venti Orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus, quorum medius Euronotus est, seu Vulturnus:

Nomen quoque dedisse videtur Vultur oppido, quod Οὐολτερνον Ptolomæo, Vulturnum Plinio, Liuio, Melæ, Frõtino, & Varroni dicitur, eratq; Romana Colonia in Campania. A' Leandro Castello al mar di Botorno hodiè uocatur. Vulturnum per o scribit Varro, uti etiam Ptolomæus Blondus: Vulturariam uocat.

Vulturnus prætereà Plinio & Virgilio eiusdem Campanię fluuium significat, qui iuxta Cumas in mare labitur, vt annotat Seruius in eum locum Virgilij.

——*Amnisq; vadosi*
*Accola Vulturni* &c.

Vulturnus ventus. [a] *L. 2. c. 47.* Euronotus. [b] *L. 2. Noct. Attic. c. 22.* Vulturnũ oppidum. Castello al mar di Botorno. Volturnũ. Vulturaria [c] *Lib. 3. c. 5.* Vulturnus fluuius. [a] *Aeneid. 7*

Vulturnũ mare. Vnde Vulturnum mare habet etiam Plinius ad eiuſdem fluminis oſtium. Natarone recentiore vocabulo dici ſcribit Leander. Attamen Vulturno eum etiam hodiè vocant accolę. Huius Suetonius & [c] Strabo mentionem faciunt.

Natarone.

[c] *L. 5. Geog.*

Vulturnũ oppidum.

Vulturnum Hetruſcorum oppidum teſte [f] Liuio. Nam & Vulturna, cuius non ſemel idem meminit, celebris Hetruſcorum Dea fuit, quamuis [g] Varro hanc vocem *è Samnio ortam nihil ad latinam pertinere* dicat; *at quod proximum*, inquit, *oppidum ab eo ſecundum mare Vulturnum.* Ad nos iam vocabulum latinum venit.

[f] *Lib. 4.*

Vulturna Dea.

[g] *Lib. 4. de ling. lat.*

Eſt & Vulturnum vicus in Liguria, teſte [h] Blondo, quem Cheruſa torrens perfluit.

Vulturnũ vicus.

[h] *In Ligur.*

Feſta quoq; antiquis Romanis quædã fuerunt Vulturnalia, quę Varrone teſte celebrabantur ſexto Calendas Septembris. Et Vulturnalis Vulturni Dei flamen Varroni quoque dicitur, cuius cognominis origo latet.

Vulturnalia feſta.

Vulturnus.

Subuulturius.

[i] *In Rudẽte.*

A Vulture Vulturinus adiectiuum deriuatur, id quod eſt Vulturis, denotans. Vti etiam Subuulturius, quo [i] Plautus vtitur: *Eia corpus cuiuſmodi Subuulturium? illud quidem ſubaquilum volui dicere.* Grammatici interpretantur, rapiens ad ſe homines. Budæus ubi de *νεκροφόροις* loquitur, eos ait eſſe, cuiuſmodi ſunt apud nos hodiè Vulturij illi *κωδωνοφόροι*, id eſt, tintinabula geſtantes, quos anteambulatores atratos latinè appellare poſſumus, & ferales præcones: quorum omnium vota ſunt eadem quę Orci. Alij verò aliter accipiũt uocem *κωδωνοφόρος* pro eo nempe, qui nolam fert, vt is qui in excubijs caſtra circumiens nolam ferebat, eamq; pulſans explorabat, an ij quorum erat excubias agere, dormirent necne: ad nolæ enim pulſum reſpondere & vigilantię ſuæ teſtimonium voce edere oportebat.

Gyponomos herba.

Gyponomos herba Græcis eſt, quam quidam Seſeli Creticum, alij Maſſilienſe dicunt, à Vulturum paſtu vocata, ad quam ęgri forſan confugiunt.

[k] *Lib. 4. de Thermis.*

Citra montes, qui Italiã diuidũt a Germania inter multa ac diuerſi generis balnea, temperatæ qualitatis aliqua habẽtur. Sulphurea autẽ ſunt in Helueticis quædã, quæ à Vulturibus patrio nomine, ut refert [k] Doctiſſimus mihiq; amiciſſimus. Andreas Baccius, cognominantur.

Γυπαρία appellantur latibula ſeu ſpeluncæ, fortaſſis quòd Vultures vt ſuo loco diximus, in excelſiſſimis rupibus nidificent. Gaza alibi *γυπάνον* tigurium & ſpoluncam appellat, ſed fortè ea vox corruptè ſcripta eſt pro *γυπάριον*.

# VSVS IN SACRIS.

Iſidis ſtatua coronata pẽnis Vulturis.

[l] *Lib. 10. de Anim. c. 22*

AEGYPTII ſuperſtitioſi certè ſacrorum cultores ſtatuam Iſidis, quæ ipſis inſtar omnium, quæ apud Græcos & Romanos fuerunt, dearum erat, Vulturinis plumis coronabant. Eiuſmodi enim volucres Iunoni ſacras putabant, earumq; pennis nõ Iſidis tantùm caput, ſed & faſtigia veſtibulorum ornabãt, ut [l] Aelianus tradit. Quemadmodum nunc viris militaribus mos eſt ornatus gratia in capite aliarum Auium, vt Struthiocameli, Ardeæ, & ſimilium plumas geſtare.

Marti quoque ſacros cenſuit Vultures veterum authoritas, vt ſcribit Pharnutus, quoniam pluuimi videantur, vbi ſint *πτώματα πολλὰ ἀρτίφατα*.

# AVGVRIA.

[a] *In quæſt. Rom. & in vita Romuli.*

VLTVR Feſto inter volucres præpetes recenſetur: *Aues*, inquit, *volatu auſpicia facientes ſunt Buteo, Sanqualis, Immuſſulus, qui eſt pullus Vulturis, Aquila, & Vulturius.* Erat autem maximi in augurijs apud Romanos vſus. Cuius rei rationem inueſtigans curioſè admodum [a] Plutarchus, ita ſcribit: *Quid eſt, quòd Romani Vulturibus ad auguria maximè vtuntur? An quia etiam Romulo vrbem condenti duodecim apparuêre? Vel quoniam Auium omnium hæc minimè frequens, & conſueta homini eſt? neque enim quiſquam in Vulturis nidum facilè inciderit. Derepentè enim & inopinatò aduolant aliundè è longinquo: quò fit, vt eorum aſpectus ſemper aliud ſignificet. An vel hoc etiam ab Hercule didicerunt? ſiquidem omnium maximè ſi verè dicit Herodotus, Vulturibus gaudebat Hercules, qui circa rerum gerendarum principia comparuiſſent, vt qui Vulturem inter cũctas carniuoras Aues iuſtiſſimum exiſtimaret. Primùm enim nullum animal viuum attingit, neque animatum vllum interimit, quod Aquilæ Accipitres, atque nocturnæ Aues faciunt. Sed extinctis tantùm corporibus paſcitur: & inter ea etiã ſuo generi parcit. Nunquam enim volucrem aliquam guſtare viſus eſt Vultur, cùm Aquilæ & Accipitres cognatas maximè Aues perſequantur & feriant. Atqui iuxta Aeſchylum Auis Auem deuorãs pura eſſe non poteſt. Deinde etiam hominibus ferè non nocet, cùm neque fruges conſumat aut vaſtet, neque ſtirpes aut animantes*

*mantes mansuetas lædat. Quod si, vt Aegyptij fabulantur, omne genus eorum femineum est, & hausto Subsolani flatu concipiunt, vt arbores Fauonio, prorsus firma, certaq; ab eis signa posse colligi probabile est, cùm in cæteris Auibus ex libidinis motu, rapinis, fugis & persecutionibus magnam turbationem & inconstantiam oboriri necesse sit:* Hactenus ergò Plutarchus. Quod [b] Lucanus quoque tetigit, inquiens.

*Vulturis vt primum læuo fundata volatu.* Item & Statius:

*Non venit augurijs melior quam Vultur.*

[b] *Lib. 2. de bel. ciuil.*

Vultur inauspicati augurij.

Veruntamen inauspicatus, maliq; ominis Vulturum visus ferè habitus Romanis fuit; & Aristoteles ac Plinius eorum cõspectum semper in malum retulerũt. Vnde etiam est, quod [c] Plutarchus Vulturem Auem in augurio dicit infelicissimam. Quod adductis, quæ subsequuntur exemplis manifestum euadet, item & ex istoc [d] Senecæ:

[c] *In Symb. Pythag.*

[d] *In Hercule furente.*

*Hic Vultur, illic lucifer Bubo gemit.*

Vulturem in ędem Iouis aut Deorum inuolasse, prodigij, maliq; auspicij loco receptum est. [e] Liuius quoq; Vulturem frequenti foro in tabernaculum deuolasse tradit. Et [f] Dion testatur complures Vultures in templo Genij P. R. ac Concordiæ insedisse, eoq; tempore cædes illas, quales olim Sylla in proscriptione vsus fuerat, editas fuisse, totamq; Vrbẽ cadaueribus impletã.

[e] *Lib. 7. de bell. Punic.*

[f] *L. 47. Histor. Rom.*

P. Crassõ, & Q. Scæuola Coss: vt narrat [g] Iulius Obsequens, Vultures Canem mortuum laniantes, occisi & comesi sunt ab alijs Vulturibus. Similiter eodem teste L. Sylla & Q. Pompeio Coss: Stratopedo, vbi senatus haberi solet, Corui Vulturem tundendo rostris occiderunt.

[g] *L. de Prodig.*

Vultures ab Accipitribus occisi quid portendant.

Dario Accipitres visi, duo Vulturũ paria vellicantes, omen fuêre, quod è coniuratis sumpto supplicio haud multò post Persarũ regno potiturus esset. Et hoc quidẽ cõiurationis cõscijs infaustũ erat, etsi Regi felix fuisse videatur, ad quem Accipitrum auspicium propriè spectabat.

Tarquinij Superbi exitij portẽtũ.

Vultures præterea Aquilarum implumes fœtus occidisse, nidosq; euertisse, ipsosq; à pastu pedibus & rostro abegisse; Tarquinio Superbo exilium, & regni amissionem, quæ mox secuta sunt, portenderunt.

Tradunt insuper ingruentis mali certissimum præsagium haberi, si exercitum Vultures insequerentur; imò vbicumq; Auiũ quarumuis, quæ cadaueribus vescuntur, vt sunt Vultures, Corui, Cornices, aliæq; eiusmodi agmen apparuerit, & per aliquot dies ibi permanserint, id futuri excidij signum esse omnes consentiunt, vt [h] Augustinus Niphus testatur. Idem D. [i] Ambrosius affirmat scribens in hæc verba: *Solent Vultures mortem hominis quibusdam signis annunciare. Cùm enim lacrymabile bellum acies inter se instruunt, multo Vultures sequuntur agmine, & eò significant, quòd multa hominum multitudo bello casura sit, futura præda Vulturibus.* Iulius Obsequens pro malo augurio recensẽt, quòd Vulturum & aliarum Alitum, quibus strages cadauerum pabulo est, ingens vis ad exercitũ aduolarit. Imò Vmbritius haruspex, teste [k] Plinio, biduo triduoue antè eò volare tradit, vbi cadauera futura sunt. Hoc quidem (inquit Niphus) experientia cõstat, & in excidio Troianorũ ita accidisse [l] meminit Aristoteles. Idẽ innuit [m] Plautus, cum de helluonibus quibusdam cænipetis Dynarchi loquitur: *Iam quasi Vulturij triduo prius præduinabant, quo die esuriturij sient.* Dion vbi de prodigijs agit, quæ Philippensem pugnam præcessere, *& quod maximè*, inquit, *pernitiem eis significauit, ita vt hostes quoque id animaduerterant, multi Vultures, altiq; Aues, quæ cadaueribus pascuntur super solos ipsos* (exercitum scilicet Cassij & Bruti) *volauêre, in eos intuiti sunt, & terribilem clangorem & strepitum ediderunt.* Vnde limitem significaturi Aegyptij Vulturẽ pingunt, vt ex [n] Oro constat, quòd cùm belli conficiendi tempus instat, locum, vbi committenda sit pugna, septem antè diebus, quod maius est, ad eum accedens præfiniat & circũscribat. Præsagium quoque demonstrat, cùm eandem ob causam, tùm etiam quòd ad eam exercitus partem sese conuertere soleat, vbi maior clades futura sit, inde futurũ sibi ex cadaueribus alimentum prouidè cognoscens. Vnde & prisci reges, ut idem Orus & Aelianus tradunt, exploratores mittebant, per quos in vtram aciei partem respexissent Vultures, cognoscerent, indeq; vincendone sese, an victuros fore colligerent. Huius quidem ex Vulturum præsentione augurij rationem scrutari difficillimum censuit Albertus. Ex stellarum occultiore potestate fieri colligeat credere, inquit [o] Cælius Rhodoginus. Apud gẽtes regni Pegũ pessimum omen censetur, si Vulturem videant, & propterea custodes foribus adponunt, qui eos eijciant.

[h] *Lib. de Auguriis.*

[i] *Lib. 5. Hexam. c. 23.*

[k] *L. 10. c. 7.*

[l] *In Augur.*

[m] *In Truculento.*

Bruti, & Cassij exitium.

Vultur pro limite pictus.

[n] *L. 1. Hierogly.*

Præsagiũ cladis.

[o] *L. 8. Ant. lect. c. 8.*

Quamuis autem infelicis augurij veteribus plerumq; habitum fuisse conspectum Vulturum supra ex nonnullis diximus, & exemplis probauimus, nihilominus tamen & prospera auguria, maximi sanè momenti & summis tantùm Imperatoribus Romanis tribus, nempe Romulo Imperij conditori, Iulio Cæsari primo Imperatori, & Augusto Vrbis, imperijq; restauratori, attulisse legimus. Romulus enim & Remus Vrbem condituri, cùm de loco per eius eligendo litem inter se ab Auibus intercidi cuperent, diuersa ad augurandum loca ceperũt. Prius Remo in augurio venisse ferunt sex Vultures, cùm duplex numerus se Romulo ostendisset. Sed dicitur à quibusdam verè Remum vidisse, Romulum verò id esse mentitum; sed cùm accessisset

Romuli & Remi augurium in condenda Vrbe.

Remus, tunc Romulo duodecim apparuiſſe; indeq; manſiſſe morem Romanis ex Vulture augurandi. Quod autem duodecim Vultures auſpicij felicitatem Romulo prænotarint, cùm hiſtoriæ multorum teſtantur, tùm Q. [p] Ennius his verbis:

[p] *In Annalibus.*

*Certabant vrbem, Romam Remamne vocarent,*
*Omnibus cura viris vter eſſet Induperator,*
*Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes*
*Læua volauit Auis; ſimul aureus exoritur ſol:*
*Cedunt ter quatuor de cælo corpora ſancta*
*Auium præpetibus ſeſe pulchrisq; locis dant.*

[q] *Lib. 1. Angelarior.* Idem quoque augurium [q] Baptiſta Mantuanus hiſce verſibus expreſſit:

*Martiginæ fratres facturi nomina Romæ,*
*Conſuluiſſe Deos gentis de more feruntur,*
*Templaq; metati ter ſex vidiſſe volucres*
*Carnuoras, oculis ſolitas occurrere rarò,*
*Mole graui tardas, prolem ſine patre ferentes,*
*Longaq; tradentes in ſeram ſæcula mortem,*
*Nomen aui Vultur, nidi cui tertia ſemper*
*Pars perit, & natis fœtat contenta duobus;*
*Rupibus in ſummis parit, & præſaga futuræ*
*Cædis adit tepido ſpargendas ſanguine terras.*
*Ille ſacer numeris portendere creditur annos*
*Vrbis.*

[r] *L. Antiq.* [f] *Lib. 16. de honeſ. diſcipli. cap. 5.* Quæ omnia fortaſſe Poëta hic ex Terentio [r] Varrone tranſtulerit, qui vt refert [f] Petrus Crinitus, fuiſſe Romæ Vectium in augurandi diſciplina nobiliſſimum ſcribit, eumq; affirmaſſe futurum Romani imperij terminum poſt M. CC annos; ſi modo, inquit, verum foret, quod in annalibus hiſtorijsq; Romanis tradatur de duodecim Vulturibus, quos Poëta Ennius corpora ſancta appellat. Sic autem Varro: ſi verum eſt, quod de Romuli augurio traditū in condenda Vrbe, deq; XII. Vulturibus, ad M. CC. annos Romanus populus perueniet, cùm CXX. ann. incolumis præteriſſet. Qua in re factum eſt quidem iudicium, ex numero alitū, vt ſinguli Vultures centenos annos portenderent. Cenſorinus verò in perquirendis veterum monumentis vir diligens, & qui M. anno ab vrbe condita vixit, minimè ad ſuum iudicium pertinere aſſeruit, hoc ipſum diiudicare, ne in re parum comperta minus prudenter poſteritati faceret impoſturam, quod his ferè hominibus accidit, qui maiore ſtudio, quàm conſilio fortunæ aleam penſant, temporumq; varietatem conſiderant. Cæterùm tali ſententiæ Vectij videtur annorum numerus conuenire; Siquidem CC annis poſt Cenſorinum adiectis, imperātibus Conſtantijs, Romana illa dignitas conſumpta eſt, quæ Italiæ fines egreſſa, Byſantium ſe recepit: Nam ingruentibus in Italiam Hunnis, Vandalisq; & Gotthis maximè ſub Athalarico, qui Vrbem ante Genſericum annis XLIIII. inuaſerat Imperatore Romano incolumi, etſi nō extinctum planè, attritum tamen valdè Imperium fuit, & Stiliconis Ducis contra Athalaricum victoria vtcunque conſeruatum, cuius [t] Claudianus meminit hiſce verſibus:

[t] *Lib. 1 4.*

*Sed malus interpres rerum metus omne trahebat*
*Augurium peiore via, truncataq; membra*
*Nutricemq; Lupam Romæ, regnoq; minari*
*Tunc reputant annos, interceptosq; volatu*
*Vulturis, incidunt properatis ſæcula metis.*

Omnem verò maieſtatem ſimul cum nomine tum amiſit, & prorſus peſſum ijt Imperiū, cùm vt ſcribit [u] Paulus Diaconus in his, quæ Eutropio addidit, & vt Oroſius quoque teſtatur, Adouacer cum fortiſſima Herulorum manu Italiam irrupit, cuius nuncij terrore perculſus Auguſtulus purpuram ſponte depoſuit. Ita conditæ Vrbis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono Occidentis Imperium finitum eſt, anno ab incarnatione verbi quadringēteſimo quinto.

[u] *Lib. 16.*

[x] *In Romano.* In augurium hoc inuectus [x] Prudentius, illiusq; falſitatem arguens hunc in modum canit:

*Antiquitatem Romuli, & Mauortiam*
*Lupam renarras primùm, & omen Vulturum:*
*Si res nouellas reſpuis, ni tam recens*
*Vix mille faſtis implet hanc ætatulam*
*Curſus dierum conditore ab augure &c.*

Cur Vultur cētum annos ſignificarit.

Cæterùm quòd Vultur vnus annos centum ſignificaſſe exiſtimetur in auſpicio Romuli, inde forſitan ſumptum eſt, quòd vita ſingulorum cēteſimum ferè annum attingere putatur. Quanquam

quam Aegyptij Vulture picto annum vnum duntaxat significant, quod annum totũ hæc ales in conceptu, in partu, in incubatu ouorũ & pullorum educatione cõsumat. Fausti huius quod Romulo apparuit, auspicij [y] Aelian. meminit his verbis: *Romulus in Palatino colle ex duodecim Vulturibus optima auguria egit. Nam ex Autum numero cõmutatione in totidem homines facta, principes totidem Romanos, quot Aues perspexisset, virgis antecedere iussit.* Sunt qui Romulum in memoriã duodecim eorum Vulturum, duodecim etiam lictores constituisse scribunt, quamuis nec desint qui ex duodecim populorum Hetruriæ numero factos tradant.

Vultur animi imago, & cur.

[y] *Lib. 10. de Ani. c. 22.*

Duodecim Vultures item C. Iulio Cæsari in consulem cũ Q. Pædio inaugurato, dum Consulari pompa ad sacrificandum Vrbem ingrederetur, oblati sunt, vt [z] Appianus refert.

Vultures duodecim Cęsari qñ apparuerunt.

[z] *Lib. 3. de bel. ciuil.*

Simile demùm augurium Augusto Cæsari post illos soli datum est. Hic enim, vt tradit Iulius Obsequens, quum in campum Martium exercitum deduceret, sex Vultures apparuerunt. Conscendenti deinde rostra, creato Consuli, iterum sex Vultures conspecti, veluti Romuli auspicijs nouam vrbem condituro signum dederunt. Et [a] Suetonius: *Octauio*, inquit, *Augusto primo consulatu auguria capienti, duodecim se Vultures, vt Romulo ostenderunt.* Author item est Dion post Cæsaris cædem Octauio in campum Martium descẽdenti Vultures sex augurium fecisse, mox verò apud milites concionanti duodecim: vnde est ab eo coniectatum se in Romuli monarchico principatu constanter potiturum. Sed illud inter hæc obseruatione dignum videtur, inquit Pierius, ter hanc annorum M. CC. supputationem tribus maximis imperijs, æquo propemodum temporis sui curriculo, insignes admodum rerum mutationes adduxisse. Primam à Romulo ad Gensericum, siue quis ad Audoacrem, qui etiam de Vrbis nomine abolendo, ac Audoacria vocanda cogitauit: secundam ab Octauiano Augusto ad Fredericos, tertiam Cõstantinopolitanam à Fl. Constantino ad Constantinum eum, qui oppressus ab Othomanno Turcarum duce, vitam cum imperio finiuit.

Augusto qũo duodecim Vnltures visi.

[a] *In Aug.*

# MORALIA.

DIVVS [a] Basilius scitam admodum inuidorum cum Vulturibus comparationem instituens, à tam turpi vitio nos deterrere conatur, in hunc modum: *Sicut Vultures per multa quidẽ prata, multa etiã amœna & odorata circũuolitãtes ad tabida, & fœculenta loca feruntur; sic & inuidi ad vitæ splendorem, ac rerũ benè gestarum magnitudinem minimè quidem respiciunt, manca verò, & fragilia, & si quid erratum (vt quandoq; rebus accidit humanis) tantùm obseruant, hæc diuulgant, & per hanc tantùm homines cognosci volunt.* Et [b] S. Isidorus Pelusiota, *omnis vir iustus*, inquit, *sibi esse videtur: Etenim ad ea quidem quæ aly rectè, atque uirtute gerunt, cæcutit: eorum autem vitia perspicit non secus videlicet ac Vultures prata persæpe atque hortos prætereuntes, cadauera volatu petunt.* Hisce non absimilia [c] Plutarchus scribit in hæc verba: *Inimicus, si quid delinquas, inhæret affixus, scrutaturq; & profectò Vulturum exprimere videtur mores. Hi quippe tabida tantùm consectantur cadauera, nam pura beneq; habentia ne sentiunt quidem: Consimiliter inimicum vitæ modo labes mouet, ægra illũ excitant ac quæ computruerunt.* Vulturibus similes sunt inuidi, qui ad fœtida duntaxat cadauera descendunt, & partibus tetris, corruptisq; vescuntur, bonas integrasq; abominantes. Gaudet Vultur bellis ac cædibus ob cadauerum pastum, quem inde consequitur, adeo vt exercitus per lõgissima etiam spacia sequatur. Quos potiùs his comparare liceat, quàm eos, qui seditiones vrbium affectãt, & principum exercitus sequuntur, vt quorum prosperitati molesti esse nõ poterant, fortiorem viribus confractos expolient. Et qui veluti dicit Adamantius alienæ morti incumbunt, qui arte fraudeue testamenta subijciunt, veluti mortuorum cadaueribus inhiantes, propterea quòd his Auibus semper mortuorũ, ait, corpora cibus sunt. Ea verò de causa prophanæ sunt in [d] sacris literis, ac inter immundas Aues recẽsentur. *Non manducabis*, inquit lex, *hæc quia immunda sunt, Aquilam & Vulturem* &c. quod, vt ait Hesychius Hierosolymitanus, per eos homines intelligantur, quos oblectant rixæ stragesq;, quippe qui viscera miserorum & atrum sanguinẽ depascuntur, cùm minimè oporteat hominem contemplatione diuinæ deditum ex casibus aduersis aliorum nutriri aut lætari. Quare [e] Baptista Mantuanus, ubi in descriptione tartarorum lictores eius loci Vulturibus similes facit:

[a] *Homil. 11 de inuidia.* Inuidi Vulturibus cõparati.

[b] *L. 3. Epist. 237.*

[c] *Lib. de vtilitate.* Inimici vulturũ æmulatores.

Seditiosi Vulturibus comparati. Hæredipetæ.

[d] *Leuit. 7.*

[e] *L. 4. Alphonsi.*

——*Lector volat agmine magno*
*Vulturis ora gerens, vestigia prima leonis*
*Vltima bellatoris equi.*

Id autem quod de Vulturum spontanea & sine maris auxilio ex uento Zephyro conceptione fertur, ab Ortodoxis doctoribus aptissimè ad mirandum ac salutiferum Virginis partum ad-

[f] *In Hexa. Homil.8.* Partus ſaluti ferus Vulturibus aſſimilatus.

ſtruendum traducitur. [f] Baſilius Magnus ex hoc omnibus animaduerſum cupit, vt cùm nonnulli ſint, qui humanæ Chriſti natiuitatis arcanum irrideant, quaſi verò fines cancellosq; naturæ egrediatur, Virginem parere, integra nihilominus, & intemerata perſiſtente virginitate, ipſi Deum exempla pleraq; iam indè ab initio præmiſiſſe aſpiciant, atque in ipſa natura rerum ſemina quædam conſperſiſſe, vnde poſſet vnuſquiſque, vbi quod alta mente conceperat, effeciſſet, talibus mirabilibus fidem adhibere, atque ita ijs occurrere voluiſſe, quorum ſtuporine dicam, an peruerſitati nihil quicquam aliud perſuadere queas, quàm quòd vel manibus attingunt, vel oculis aſſequuntur. Hinc miratur D. [g] Ambroſius neminem, qui ſe ſubuentaneo Vulturis conceptu aliquid audierit, rerum naturalium ſcriptoribus refragari; cùm verò Virginē numine diuino afflatam peperiſſe ſentiāt, tum riſum inceptare. Tangit hoc idem [h] Adamantius, vbi Celſo reſpondet, qui duplex (Almæ) ſignificatum ex Hebræorum interpretatione obijcit. Sed enim de intacta Virgine, non autem de adoleſcentula (quod Theodotion Epheſius & Aquila Ponticus intelligendum fruſtra conantur perſuadere) prophetatum eſt, priuſquam in Babylona fieret populi tranſmigratio, hoc eſt, antequam Medi & Perſæ principatum inuaderent. Reddita autem ſunt hæc in ſermonem Græcum ab ipſis Iudæis, nempè ſeptuaginta interpretibus, qui Ptolomæi Lagi iuſſu (tūc enim Macedonibus parebant) libros ſacros vnanimi prorſus conſenſu, eademq; ſententia ita tranſtulerunt, atque ſi ab vno tantùm traductiones omnium emanaſſent, multò ante tempora aduentus Domini noſtri, imò antequam Romani Iudæos in poteſtatē redigiſſent, adeò vt nulla ſuſpicio relinquatur, inquit, Irinæus, ne fortè nobis morem gerentes Iudæi, hæc ita ſint interpretati. Qui quidem ſi agnouiſſent nos futuros, & his teſtimonijs vſuros, quæ eorum ſcriptis ſunt, nunquam & hæc & reliqua Prophetarum monumenta comburere dubitaſſent. Iurimùm uerò indignatur Adamātius antiquiſſimus ille Eccleſiæ Doctor, plerosq; adhibere fidem hiſtoricis philoſophisq;, qui hæc de Vulture & aliquot alijs animantibus, quod ſine maris cōiunctione cōcipiunt, indubitatò tradunt, negare tamen Deum, qui hæc in alijs animantibus facit, in hominibus idem poſſe perficere, vbi adlibuerit. Et Græcorum pleriq; tradunt homines primùm ex limo procreatos: nos non credemus ex dimidia humanæ ſubſtantiæ parte iuſſu Dei, imò eo de ſe ita ſtatuente, fieri potuiſſe, vt Ieſus ex eo filius naſceretur? Eſto igitur Vultur documēto nobis, ne myſterium illud ſacroſanctum, vnde uera ſalus, ueraq; felicitas nobis obtigit, fabuloſum fuiſſe uel minimum quidem ſuſpicari unquam in animum inducamus.

[g] *Lib.5.Hexam.c.22.* [h] *Lib.1.cōtra Celſum.*

Beatus Iob, teſte Iacobo de Vitriaco, de reproba Synagoga dixit: *Semitam ignorauit Auis, nec intuitus eſt eam oculus Vulturis.* Nam, ut ait D. Gregorius, Auis nomine ille ſignificatur, qui corpus carneum, quod accepit, aſcendendo ad æthera liberauit. Iudæa autem ſemitam ignorauit Auis, quia humilitatis Chriſti uias, quibus nos in altum ſubleuamur, conſiderare uoluit, nec eſt intuita oculos Vulturis, id eſt, Chriſti: Diuus Gregorius enim redemptorem noſtrum Vulturis appellatione ſignari dixit, qui manens in altitudine deitatis ſuæ, quaſi quodam uolatu ſublimi cadauer noſtræ mortalitatis cōſpexit in infimis, & ſe de cæleſtibus ad ima demiſit, & dum animal mortuum petijt, mortem apud nos inuenit. Huius Vulturis oculus fuit intentio noſtræ reparationis. Populus ergò Iudaicus Vulturem quidem conſpexit, ſed oculos Vulturis nō aſpexit, unde & prædicatores repulit. Ad eundem locum ſic ſcribit D. [i] Hieronymus: *Poſſunt hīc duo populi intelligi non abſurde, id eſt, Iudæorum & gentium. Carnalis ergò Iudæa fidem in Chriſto nō habens: ſed potiùs legis operibus viuens, eundem Chriſtum pro nobis factum ſemitam ſiue viam, qua reditur ad patriam, vt incredulus ignorauit, propter elationem ſuam, qua ſe putabat legis operibus poſſe iuſtificari. Auis dicta eſt, leuis vtiq; & vaga, atque in ipſis operibus legis inſtabilis. Vulturi verò gentium populus ideò aſſimilari uidetur, quoniam per errores mortuorum hominum diſcurrebat, & rebus mortuis paſcebatur. Hi ergò Chriſtum legis litera obtectum & terram repromiſſionis per Chriſtū futuram, opacitatis ſignificationum vmbraculis non poterunt omnino perſpicere.* In illa verò D. [k] Matthæi verba: *Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ: De exemplo,* inquit, *naturali, quòd quotidiè cernimus. Chriſti inſtruimur ſacramento. Aquilæ & Vultures etiam trans maria dicuntur ſentire cadauera, & ad eſcam huiuſmodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali ſenſu tantis terrarum ſpatijs, & maris fluctibus ſeparatæ paruum cadauer ſentiunt, vbi iaceat: quanto magis nos & omnis multitudo credentium debet feſtinare ad eum, cuius fulgur exit ab Oriente, & patet uſque ad Occidentem? Poſſumus autem corpus, id eſt, πῶμα, quòd ſignificantius latinè ſignificat cadauer, ab eo quòd per mortem cadat, paſſionem Chriſti intelligere, ad quam prouocamur, vt vbicunq; in ſcripturis legitur, congregemur, & per illam venire poſſimus ad verbum Dei &c.*

[i] *Comm. in Iob.c.28.*

[k] *Cap.24.*

# VSVS IN MEDICINA.

QVANTVS verò in medicina vſus ſit Vulturis inſignis ille D.[a] Hieronymi locus vel ſolus manifeſtiſſimè docet, vbi in hũc modum ſcribit. *Nõ omnes animantes à Deo nobis datæ ſunt ad comedendum, ſed ad reliquos varios vſus. Nõ enim Vipera, non Ceti, non Hyena, non Vrſus, non Vulpes, non Noctua ad veſcendum data ſunt, ſed eorum caro, ſperma, fel, partes ſimilares, hepar, pulmo, ſanguis in medicina parata ſunt. At quid dicam de Vulture? Volucris eſt minimè ſapida, minimè eſcatilis, at ſi medicorum volumina legeris, videbis tot curationes eſſe in Vulture, quot ſunt membra.* Quòd quidẽ tanti viri encomium Vulturi veriſſimè conuenire liquidò cõſtabit, ſi plurimis, ijſq; grauiſſimorum virorum authoritatibus id comprobauerimus, è quibus tam à toto Vulture, quàm ab omnibus ferè eius partibus, quas ſingulas percurremus, præclara ſumi medicamẽta clarũ euadet. Operoſum in primis eſt, ac longum, quòd ex integro Vulture paratur, ab[b] Aëtio præſcriptum. Curat elephantiaſim, abſceſſus, condylomata, ſtrumas, corporis eminentias, ſteatomata, paronychias, bronchocelas, & omnes malignas eminentias quacunque corporis parte, atque multo, vt ipſe ait, experimento cognitum eſt. Huius talis eſt apparatus. *Vulturem viuum accipito, eumq; in vini dulcis aut ſapæ ſextarijs nouem, aut ſex ſuffocato; aut Vulturinum Gallum* (ita latina tranſlatio habet, ſed pullum non gallum fortè legendum exiſtimem) *eodem modo tractato, & à veſpere vſque ad matutinum tempus ad vitis ligna coquito. Cæterùm ægrum tenui victu connutrito, ſæpe etiam inediam perferre iubeto, & per ſubſcriptum medicamentum purgato, perq; dies ſeptem ex marina aqua lauato. Poſtquam verò Vultur coctus fuerit & excolatus, oſſa ipſius contrita cum ægri ſudore, præſertim qui à ſole prolectus eſt, Cani edenda proijcito, maſſas verò ſeptem inde formatas Cani dato: Vulturem autem ipſum per triduum à veſpere vſque ad matutinum tempus, ne ab aurora conſpiciatur, coquito, atque id ſimiliter tertia die facito, probeq; conctectum omni die manè in domo tenebricoſa reponito. Atque vbi tandem ita percoctum ac excolatum habueris, ad iuſculum in nocte, minimè verò in die ſequentia addito, ſalis foſſilis marini in petris condẽſati trientem* (alij vnciam vnam habent) *atramẽti ſutorij ſeu chalcanthi* (galbani habet alia lectio) *opoponacis, vtriuſque ſextantem, colophoniæ picis vtriuſque quadrantem, euphorbij, caſtorij, ſanguinis capræ, ammoniaci, thymiamatis, cuiuſque trientem, foliorum ſemperuiui numero ſeptem, catananchæ herbæ ſcrupulos tres, amianti ſcrupulum vnum, polypodij herbæ, quæ per contrariam affectionem lunæ definẽte auxiliatur, lapidis gagatæ, cedriæ, ſingulorum quadrantem, bituminis Iudaici ſextarium vnum, artemiſiæ herbæ, camemeli herbæ, cuiuſque ſextantem. Hæc omnia cum iuſculo, vt dictum eſt apparato, probè trita & comminuta vnito. Cæterùm Vulturem primum unà cum pennis vſque ad pedes excoriato, atque ita in ſapam coniectum ſuffocato. Pellem autem ipſam cum myrrha conditam, & in fumum ſuſpenſam exiccari ſinito, pedes verò in oleo coquito, & cum oleo podagricos per Vulturis etiam pennam illinito. Neruos verò ad pedes podagrici pro amuleto appendito, & ab affectione eum liberabis. Porrò purgantium, cuius mentionem feci, hoc eſto: Aloës vnciæ dimidium gari, aceti, parem mẽſuram vnito, & octauam ſextarij partem bibendam præbeto.* Aliud eodem loco idem author ex Vulturino capite integro, alijſque quamplurimis ſimplicibus admixtis componit ad elephantiaſim, ad carcinomata, ad podagram, ad articulorum morbum, ad ſtrumas, ad condylomata, & ad conuulſiones, quod tale eſt. *Vulturis*, inquit, *cerebrum vnà cum capitis oſſiculis & plumis ac carnibus capitis accipito, & in vino dulci coquito, atque excolata quidem illa proijcito, cum iuſculo verò ipſo euphorbij, croci, atramenti Indici, piperis albi, caſtorij, Zinziberis cuiuſque ſextantem coquito, & foliorum rubi, ſeminis Satyrij, picis cuiuſque dodrantem. Succi mandragoræ, cedriæ cuiuſque vnciam vnam, fel tauri aut capræ integrum, vermes ex lignis putreſcentibus & marcidis numero tres addito. Hæc omnia in vini dulcis ſextarijs nouem ſimul coquito. Hic*, inquit, *iuramento adſtrictus accepi, ne cuiquam reuelarem. Hic apparatus ad illinitionem in nouem dies ſufficit, & eminentias ipſas exterit. Cæterùm cum penna Vulturis etiam illinatur.*

Crebri vſus.

Nunc ad reliquarum partium facultates examinandas pergamus, & primùm quidem interiorum, à cerebro incipientes. De hoc[c] Galenus: *Ad dolorem capitis ſedandum, cerebrum Vulturis terens vnge caput & tempora.* Item Plinius: *cerebrum Vulturis ſi commiſceas cum oleo cedrino, & inde nares frequẽter tangas, capitis dolorem aufert.* Quod ipſum ferè alijs verbis,[d] Marcellus refert, dum inquit: *Vulturis cerebro paululum cedriæ ſi immiſceueris, & nares inde intrinſecus, caputq; perfricueris, omnes capitis dolores ſtatim minues.*[e] Aretæus id ad morbum Herculeum commendat, dicens; *Fama eſt Vulturis cerebrum in cibo ſumptum, morbum comitialem diſcutere, cuius ego periculum non feci.* Kiranides verò: *Si Vulturis cerebro*, inquit, *mulieris venter & viri liniantur, ſterilitas inducitur.*[f] Albertus tradit in cerebro Vulturis quandoq; reperiri lapidem, qui Quãdros dicatur, valere contra omnem noxam, ac producere lac in mammillis.

Pulmonis vſus.

Pulmoni etiam ſuæ tribuuntur dotes, quas nonnullas Plinius recenſet: *Pulmonis*, inquit, *Vulturini*

[a] *Lib. 2. aduerſus Iouinianum.*
[b] *Lib. 13. c. 124.*
[c] *Lib. 9. Eupor. cap. 91.*
[d] *Lib. 1.*
[e] *L. 7. c. 4.*
[f] *Lib. 2. de lap. precioſ. cap. 15.* Quandros lapis.

*turini partes dextræ Venerem concitant viris alligatæ Gruis pelle*. Item alibi: *Sanguinem reiȝcientibus pulmo Vulturinus vitigineis lignis combuſtus, adiecto flore mali Punici ex parte dimidia medetur*. Obſcurus quidam recentior aduerſus epilepſiam commendat pulmonẽ & cor Vulturis arida trita & potata. Sunt enim & cordi ſuæ vires ſalutares, de quo item Plinius. *Cor pulli Vulturini adalligatum aduerſus comitialem morbum prædicatur: quidam pectus eius bibendum cenſent, & in cerrino calice:* Alexãder Benedictus. Ex poſterioribus nonnulli de Vulturino corde ſcribunt, ſi in corio lupi adalligetur, tœdium Veneris afferre.

Cor.
Pectus.

Iecur. Iecur quoq; ad medicamenta aptum eſſe Plinius his verbis teſtatur: *Iecur Vulturis tritum cum ſuo ſanguine ter ſeptenis diebus potum, aduerſus comitialem morbum prædicatur.* Variant nonnihil à Plinio Sextus & Aeſculapius, qui pro ter ſeptenis diebus ſolummodo *ſeptem* ponunt; Et Galenus luſcioſum veſci beta iubet, Vulturis iecore aſſato, eiuſq; felle illiniri. Serenus ad iecoris dolorem, Vulturis iecur commendat. Sed & ex iecoris magnitudine id agnoſci nobis tradit[g] Io: Baptiſta Porta, vbi alia etiam animantium iecinora magna ad illius viſceris dolores valere tradit, nec non ad oculorum vitia, quoniã Vultur acutiſſimè, vt diximus, videat. Idem Serenus iecur (pro quo Plinius habet cor) exectum de Vulture geſtari iubet ceu prophylacticum aduerſus ſerpentium morſus.

[g] *L.3. Phytogn.c.38.*

Vẽtriculus. Ventriculus Plinio teſte, neruis utilis.

Fel. Fel quoque oculis præcipuè prodeſſe tradunt plurimi authores. Ex hoc Q. Serenus medicamentum parare docet ad ſuffuſos oculos:

*Si tenebras oculis obducit pigra ſenectus,*
*Expreſſæ marathro guttæ cum melle liquenti*
*Detergere malum poterit, vel Vulturis atri*
*Fella, chelidoniæ fuerint queis gramina miſta,*
*Hæc etiam annoſis poterunt ſuccurrere morbis.*

Idem ad morbum caducum commendat alibi: cùm ait:

*——Comitiali*
*Prodeſt cum veteri Baccho fel Vulturis ampli:*
*Sed cochlear plenum guſtu tibi ſufficit vno.*

Similiter Marcellus: *Fellis Gallinacei vel Vulturini, quod longè magis prodeſt, ſcrupulũ, & mellis optimi vnciam, benè trita coniunges, atque in pyxide cupreæ habebis, & opportunè ad inungendum veteris. Hoc nihil potentiùs caliginem releuat.* Et[h] Plinius: *Nubeculæ & ſuffuſiones caligationesq; oculorum inunguntur Aquila felle, quam diximus pullos ad contuendum ſolem experiri, cum melle Attico. Eadem vis & in Vulturino felle eſt cũ porri ſucco & melle exiguo.* Sed meliùs hîc habẽt aliqui authores marubij porri, & facilè Plinius praſon, id eſt, porrum, pro praſio, id eſt, marrubio, Græcarum uocum ſimilitudine deceptus, accipere potuit. Hoc ex[i] Galeno intelligere licet, qui hoc medicamentum etiam approbat: *Omnem*, inquiens, *oculorum obſcuritatem, incipiẽtemq; ſuffuſionem curat fel Vulturis cum marrubij ſucco & melle Attico: cuius ſi nulla ſit copia, tenero ac molli vtere: eſto autem ſucci marrubij, tum mellis dupla ad ipſum fel portio.*

[h] *L.19.c.6.*
Plinius cor rectus.
[i] *Lib. Eupor iſt.1.c.44.*

Renes. Renes verò Vulturini, authore Marcello, aridi in melle triti, uel decocti, tonſillis mirum remediũ præſtant, ſi pro emplaſtro apponantur. Ego tamẽ nunquã renes in Auibus obſeruaui.

Excrementa. Excrementa etiam huius Auis in uſum medicum ueniunt, adeo ut nihil in ea tam abiectum ſit, quòd non aliquam utilitatem adferat. Etenim ut author eſt grauiſſimus Dioſcorides, Vulturini fimi nidore partus excuti produntur. Quintus quoq; Sammonicus Serenus ait:

*Vt pariat ſtercus ſupponunt Vulturis atri.*

Pennæ. Illam enim, quam ei natura dedit, pariendi facilitatem in mulieres etiam deriuat, fimi ſui ope nec non pennarum, quæ item ipſi excrementa ſunt, ut homini pili, de quibus ita Plinius: *Penna Vulturina ſubiecta pedibus, adiuuat parturientes*, uel, ut alijs uerbis Sextus Platonicus: *efficit vt ſine labore partum edant*. Ornithologus narrat quendam ſibi notum in ſua Heluetia (nimium fortaſſe credulum) tantum Vulturinæ pennæ ad partum educendum tribuiſſe, ut niſi tempeſtiuè auferatur, uteri etiam detrahendi periculum ſit, ſeſe tamen nimium huiuſmodi remedijs tribuere ſubiungit. Præclarum uerò in primis illud eſt elogium, quo ut Aeſculapium, Sextum Philoſophum, & Serenum prætereamus, tùm tota Auis, tùm in primis pennæ eius à[k] Plinio decorantur. *Ex volucribus*, inquiens, *in auxilio contrà ſerpentes primum Vultur eſt. Annotandum quoque minus virium eſſe nigris. Pennarum ex his, nidore ſi vrantur, fugari eas dicunt.* Et Aelianus ſuffitis Vulturum pennis ex cauis ſuis elici tradit. Kiranides ſuffitu lethargum & ſuffocationem uteri & phrenitidem ſanari affirmat.

[k] *L.28.c.4.*

Adeps. Adeps quoque Vulturinus inſignes dotes habere legitur. Rhaſis diſſoluendi uim, cum Aſini ſylueſtris adipe parem ei tribuit. Et Plinius: *Adeps*, inquit, *Vulturinus cum ventre arefactus, contritusq;*

*tritus q. cum adipe Suillo inueterato neruorum dolores tollit, & nodis medetur.* Eiusdem facultatem, vtendiq; modum Serenus docet:

*Si verò occultus neruos dolor vrget inertes*
*Vulturis excisos adipes, rutamq; remitte,*
*Aut ceram, & tali recreabis languida fotu.*

Et Marcellus Empiricus tradit neruis & arthritidi adipem Vulturinum cum felle eiusdem, & axungia vetere ac melle malagmatis more appositum mederi.

Nec minori facultate reliquæ huius volucris partes, eæq; similares præditæ traduntur, videlicet ossa, nerui, pellis &c. In primis ossa combusta, trita, inspersa sanare omne vlcus, & contra dolorem prodesse cum vino Kiranides asserit. Plinius verò & Marcellus ossa capitis pulli Vulturis filo purpureo ad cubitum suspensa cephalgiam sanare & veterem scotomiam, vt & idem Kiranides repetit, scriptum reliquerunt. His consentit [l] Galenus, vbi ait: *Aquilæ capitis os simile simili, vt dextrum latus dextro appende, perinde & Vulturis*: quod ad hemicraniam curandam summè facere tradit. Ossa. [l] 3. *Eup.* 34.

Vulturis crus, inquit Rasis, si ablata carne suspendatur supra crus excoriatum, auferetur dolor, & sanabitur. Crus.

Pellis Vulturina, ac præsertim quæ pectus tegit, tenerrimo molliculârum plumularum vellere obsita, his qui ægrè coquunt, vt Alexander Benedictus, alijq; complures testantur, plurimùm conducit. Huic rei cùm inter cæteros non solùm locupletissimũ præbeat testimonium, sed pulchram admodum suam de hac pelle obseruationem addat medicus doctissimus [m] Leuinus Lemnius, non pigebit cùm ob sermonis tersi elegantiam, tùm ob rei alijs intactæ cognitionem eius verba huc ascribere. *Quum multa sint, quæ foris admota ventriculo robur adferant, ac concoctioni adminiculentur, tum nihil magis præsentaneum, aut efficacius, quàm Vulturis tegmen, vel detracta pellis, cæterarum pellium modo subacta ac concussione complanata. Quum autem eius sit conditionis ac naturæ hæc Auis, vt omnia auidè appetat, & inoffensè consumat, tegmini eius ea vis infusa est, vt ventriculum humanum fulciat, ac fastidioso, nauseantiq; stomacho vires appetendi & concoquendi cibi conferat, quin & alui profluuium cohibet, & vomitum compescit, sed diuerso modo ventriculo applicatum. Hoc enim experimento comprobatum habeo, vt si quis tegmẽ è corpore alitis exemptum, arteq; pellicea concinnè elaboratum, subactumq; flaccido ac languenti ventriculo admoueat, fluxum sistere, ac leuitati intestinorum auxiliari, præsertim si eo situ applicetur, vt plumosa pilorum congeries deorsum spectet: quemadmodum in suffultis vestibus, secundo, vt ita dicam, flumine, pelles palma demulceri solent. Confortat enim, foueteq; calorifica vi, & astringendi ratione facultates seu potentias naturales, quibus alimenta attrahi contingit, retineri, concoqui, & expelli: tres quoque ventriculi neruosas tunicas & totidem fibras corroborat, vtq; suo officio fungantur, efficit. Cæterorum tegmen id contrario aduersoq; situ collocatum piloso acumine sursum exporrecto, atque in sublime nitente, vomitum compescit, deorsum detractis stomachi musculis, quibus cibum amplectitur ac retinet.* Quæ res cùm ita se habeat, itaq; mirari subit, quod à [n] Plinio scriptum est; *pennam Vulturis, si dentes cum ea scalpantur, acidum anhelitum facere*: quod ei facultati quam paulò antè pelli attribuimus, maximè videtur repugnare. Corroborari enim stomachum in caloris natiui augmento consistit, vt acidus anhelitus non nisi à vẽtriculo debili proficiscitur, qui cibum coquere quidem aggrediatur, at cœptũ opus perficere exactè nequeat. Aut dicẽdum est, aliam pennis, aliam pelli inesse vim, quod tamen præter rationem videtur, cùm pelles Vulturinæ stomacho, non nisi tenellis illis plumulis fultæ admoueri soleant, si vtilitas ab illis expectanda est. Vt vt sit, res tanti non est, cui diutius inhærendum putem. Alijs, quibus lubebit, eam discussuris, liberum iudicium relinquo. Pellis. [m] *Lib. 4. de Occult. nat. mirac. c. 26.* [n] *L. 30. c. 4.*

Ex neruis [o] Alexander Trallianus medicamentum podagricũ præscribit huiusmodi: *neruos Vulturis ex cruribus ac summis pedibus collectos ad talos ægri alligato, curãs, vt neruos dextri pedis Vulturis dextro ægri pedi alliges, & sinistros sinistro. Similiter etiã cubitorũ, manuũ, & humerorũ neruos, alasq;.* Neruus. [o] *Lib. 11.*

De sanguine demum Vulturino vnicũ vnicus Plinius tradit (adeò omnia huius Auis vtilia sunt ad medicinam) & leprosis prodesse: Vulturinus sanguis cum Chamæleonis albi, quem herbam esse diximus, radice, & cedria tritus, contectusq; brassica lepras sanat. Rem admirandam de Vulturis sanguine tradunt quidam penes quos fides esto, Anguillas videlicet defectu aquæ mortuas, si corpore integro existente ponantur sub fimo in aceto, & addatur de eo sanguine, post paucos dies, omnes recuperare vitam. Sanguis.

# VSVS IN EXTERNIS.

DE vſu, quem Vultur in bello & pace præbet, nunc dicendum. Ad prælia cum tympanis tibias ferunt Scythæ Anthropophagi, Malenchleni, atque Arimaſpi ex Aquilarum & Vulturum oſſibus, vt author eſt Pollux.

Tibię ex oſſibus Vulturum & Aquilarũ. Pennarum vſus.

Paſtores in montanis Cretæ Vulturibus inſidiãtur, cùm quia Agnos ſuos, & Hædos rapiunt, (ſunt enim illic frequentiſſimi) tùm vt pennas eorum, quas incolæ ſagittis inſerunt pro alis, diuendant.

Pellis.

Pelles quoque pellionibus tradunt, & non modicum ex hiſce quæſtum faciunt. Præcipuus earum vſus eſt apud Turcas, præſertim apud magnates, vti & apud Gallos, qui eis tunicis talaribus, & pallijs, rhenonibusq; ſubdere, totamq; anteriorem ventris regionem armare ſolent, ſi eo modo, quo pelles ſubigi & elaborari arte pellicea ſolent, parentur. Quare ſat magno venire author eſt [a] Petrus Bellonius.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 2.*

Pennæ. Rete pinnatum.

Gratius in eo, quod de venatione fecit, carmine, deſcribens retis genus, quod pinnatum vocant, eò quòd pennæ ei ad terrendas feras attexantur, ſic inquit:

*Sunt quibus immundo decerptæ Vulture plumæ,*
*Inſtrumentum operis fuit, & non parua facultas*
*Tantum inter niuei iungantur vellera Cycni.* Et mox:
*—— Ab Vulture dirus auaro*
*Turbat odor ſyluas, meliusq; alterna valet res.*

Vulturis etiam pennæ literis exarandis idoneæ ſunt.

Oſſiũ vſus ad candelabra.

Ex oſſibus Vulturis, ſeu ex cruribus apud quoſdam vſus eſt conficiendi candelabra, cùm credant hæc ipſa innata quadam ui uenenum, quod in menſam adfertur, explorare, imò id ſibi tanquam magnes ferrum, attrahere.

Vultures ꝓ ſepulchro. Canes ſepulchrales dicti.

Barcæis, Indis, Caſpijsq; Vultures ſepulchrorum loco erant, & quidem ſepeliendi modus apud Barcæos præſertim honoratiſſimus erat, Vulturibus cadauera, qui bello fortiter cecidiſſent, lanianda proponere. Quemadmodum apud Hyrcanos defunctorum corpora Canibus, quos in eum uſum alebãt, obiecta legimus, quos inde ſepulchrales dicebant, quòd eorum uenter illis pro ſepulchro eſſet. Et apud Perſas mortuus non prius humabatur, quàm ab Alite, aut à Cane traheretur, vt ſcribit [b] Herodotus, & D. [c] Hieronymus; Idem quoque Bactrianos factaſſe memorat Plutarchus. Huic rei etſi inſolenti facilè fidem adhibebit, qui legerit Maſſagetas Eſſedonioſq;, atque ipſos Scythiæ populos, iam ſenio grauatos parentes iugulaſſe, eoſq; in fruſta conciſos, & Ouium ac Pecudum carni permixtos, nõ minore quàm qua nos in nuptijs ſolemus, hilaritate appoſuiſſe & abſumpſiſſe. Atque hac ratione hi mortuos ſuos in uentribus ſuis tumulabant. Quanto iuſtior hîc eius Poetæ eſſet querela?

[b] *Lib. 1.*
[c] *Lib. 11.*

Parẽtes ſenes à filijs occiſi, & comeſi.

*Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi?*

Vulturis vſus in picturis.

In picturis quoque ac ſimulachris ſui vſum præbuit Vultur. Legimus in numiſmate Titi Imperatoris, qui orbis amor dici meruit, Vulturis effigiẽ impreſſam fuiſſe, fortaſſe ob felicia Romuli Vrbis conditoris auſpicia. In antiquiſſimo quodam numiſmate in vertice galeæ conſpiciuntur alæ geminæ, quod ex captatis à Remo & Romulo augurijs (prior enim Remus ſex Vultures, duodecim mox Romulus, vt dictum fuit, vidit) proceſſiſſe [d] Cõſtantius Landus opinatur. Verùm & apud Aegyptios in veſtibulis domorũ, alas Vulturis proponere, indiciũ nobilitatis, & vetuſtatis familiæ cenſebatur, quod animaduertit [e] Alexander ab Alexãdro. Hũcq; numum Landus credit Iulij Cæſaris, aut Auguſti, aut cuiuſuis alterius ex Cæſaribus eſſe, atque ideo cuſum, vt vetuſtatem ſanguinis oſtentarent. Addit item ſe vidiſſe Romuli numum cum Vulturibus, eumq; ſibi poſtea dono datum fuiſſe à Bernardo Lochetta impreſſore Papienſi, in quo Romuli imago iuuenilis fuit, cum hac inſcriptione DIVO ROMVLO NVDIS CONS. in auerſa parte erat quoddam veluti templum, ſeu idea vrbis facta in modum caueę ſeu turris, in cuius faſtigio erat Auis, quam putat ex figura fuiſſe Vulturem. Circum orbem numi hic legebatur titulus AETERNAE MEMORIAE. In imo erant notæ hæ, RE-ST. Reperiuntur & alia Romanorum numiſmata, in quibus ab vna parte Romæ caput conſpicitur, ab altera verò Romæ duobus ſcutis inſedentis integra effigies haſtata, vnà cum Lupa Romulum & Remum lactante ad pedes, & Vulturibus duobus ab vtroque eius latere. Olim quoque, qua Græcæ virgines per pompam ad Helenæ templum uehi ſolebant, vt author eſt Varinus, canathra, id eſt, vehiculũ plegmata habebat, Ceruis ornata & Vulturibus. [f] Pauſanias refert Eurynomum Dæmonem, qui ad oſſa vſque mortuorum carnes arrodere fingitur, colore pingi ſolere inter cæruleum & nigrum medio, qualis eſt muſcarum, quæ carnibus inſident, & pellem Vulturinam ei ſubſtratam eſſe. Porrò quamuis Vultur ſit immenſæ molis,

[d] *In numiſ. Caſtor. & Pollucis.*
[e] *Lib. 5. Genial.*
[f] *In Phocicis.*

ſæ molis, Turcæ tamen, vt obſeruauit[5] Bellonius, aucupandi artem cum eo tenent; quem cùm renocant, houb houb duntaxat acclamant: dextra ferunt, & interdum oua Gallinarum dura veſcenda præbent, in recentis carnis penuria.

[5] *Lib. 3. obſ. cap. 40.*

# HIEROGLYPHICA.

PLVRIMA per Vultures in myſticis ſuis notis denotabant Aegyptij ſapientes, eaq; non abiecta, ſed ſumma quæq; & diuina: cuiuſmodi fuerunt annus, mater, ſiue naturæ vocabulum, mundus, intuitus ſeu ſpeculatio, terminus, iuſtitia, liuor, Pallas, Iuno, & alia quamplura.

Quoniam verò ex ea præcipuum erat anni ſignificatum, vt inquit[a] Pierius Valerianus in hieroglyphico ſuo Vulture, qua ratione id ſit receptũ, etſi antè, vbi de generatione ſermo erat, tetigimus, hîc tamen obiter explicare operæpretium eſſe puto.

[a] *Lib. 18.*

Annus Aegyptiorũ.

Vultur, vt apud Aegyptios habetur, trecentos eos & ſaxaginta quinq; dies, quibùs annuum conficitur ſpatium, ordine mirifico partitur. Nam cùm annum illi tribus tantùm ſpatijs metirentur, uere quippe, æſtate & hyeme, ipſi ſingula tempora centum viginti diebus conſtare voluerunt, ac quinque inſuper dies addiderunt, quos interea lares uocabant. Vultur verò ad eiuſmodi partitionem anni aptè accomodatur. Nam cùm primùm excitatus fuerit ad cõceptum, quem à uento fieri uolunt, tum quinq; continuos dies pertinaciſſimo ieiunio maceratus perdurat ſine cibo & potu: mox centum & uiginti dies prægnans manet, totidem diebus pullos educat; per reliquos centum uiginti dies, ut quibuſdam placet, immunis eſt, ſuarumq; tantùm rerum ſatagit, neque prægnationi operam dat, neque educationi. Quamuis ut ſuo loco monuimus, quidam eum totum anni curriculum generationis ac educationis officio tradant impendere: quibus ſubſcribit Tzetzes. Illud etiam ad anni rationem pertinet, quod ex Vmbritij Aruſpicis ſententia[b] Plinius ſcribit, Vulturem tredecim oua parere, quę quidem adinſtar totidem Lunæ coitionum accipi poſſunt, quę per vniuerſum annum potiſſimùm obſeruantur.

[b] *L. 10. c. 7.*

Aliud ſequitur hieroglyphicum, vt per eandem Auem vel ſenio cõfectam; vel demortuam centum annos intelligamus. Eam enim augures magna cum religione obſeruare ſoliti ſunt, ac per ſingulos Vultures ſingula annorum centena portendi tradiderunt, duodecimq; illas, quas Romulus obſeruauit, imperium Romanum ad annos M C C duraturum oſtendiſſe, quod obſeruatum à Vectio tradit Varro; exceptum mox à Cenſorino qui circiter mileſimo ab Vrbe condita claruit, quod ita poſtmodum ſub Gẽſerico Athalarico, & Odoacre barbaris regibus euenìſſe fæda ac miſerabili totius Italię clade, quodq; acerbius eſt, totius literaturę interitu ſatis conſtat, & nos ſuprà in capite de augurio Vulturum luculenter enarrauimus. Cur verò annorum centena per ſingulos Vultures ſignificarentur, inde ſumptum eſt, quod eos ad centum vſq; annos viuere compertum ſit apud antiquiores, quibus aſtipulatur D.[c] Ambroſius. Nunc ad reliqua huius Auis hieroglyphica pergamus.

Cur anni Vulturibus aſſimilati.

[c] *Lib. 5. Hexam. c. 20.*

Cùm in genere Vulturũ marem nuſquam inueniri arbitrati ſint, ſed omnes fæminas, quod priori opinioni congruit, quæ ex vento eas concipere exiſtimat, itaque manifeſtum eſt, cur Aegyptij ſacerdotes per eam Alitem, uropygio ſurrecto atque ad Aquilonem uerſo, matrem aut naturam intelligant: Mater ſiquidem fæmineum eſt animal. Vultur enim, ut ex antiquorum Aegyptiorum ſententia dictum eſt, appetente conceptus tempore, quod per quinq; dies illos, quos ſupra memorauimus, producitur, ſine mare, eo, quo dictum fuit, modo, impletur.

Matris hieroglyphicũ Vultur, & cur.

A ſimili cauſa profectum eſt, quòd cælo in ſuperius & inferius hæmiſphærium diuiſo Aegyptij, quod ſupra finitorem eſt, Palladi; quod uerò infra eſt & ab oculis ſemper noſtris ſummotum, Iunoni dicauerint. Quoniam uerò cælum ipſum muliebri genere Vraniam, non οὐρανὸν, quod præcipuè etiam apud Arabes erat, uocitabant, utpote quæ ſolis, Lunæ, ſtellarumq; omnium mater haberetur, & Vulturem, ut ſæpè dictum eſt, omnino fæminam intelligerent, utrumq; itidem hęmiſphęrium, quo cælum conſtat, per Vulturem exprimebant, atque ita tam Pallada quàm Iunonem hoc ſimulachro ſignificabant. Quinetiam unicuiq; muliebri ſigno alitem hanc tanquam in eo ſexu principem pro geſtamine addidêre, atque ita demum unamquamq; Deam unius Vulturis figuratione intelligebant.

Cur Palladi & Iunoni ſacer ſit.

Cœlũ Vrania dictum Aegyptijs & cur.

Mũdi imago.

Cùm uerò mundũ uniuerſum ex mare atq; fœmina conſtare profiterẽtur, ſolos uerò Deorum Vulcanum & Pallada maſculoſęminas ſeu utriusq; ſexus participes eſſe crederent, itaq; eos icone Vulturis denotare ſunt ſoliti. Quamuis paulò ſecùs habeãt emendatiores Hori codices, nempe ſupra Vulcani caput Scarabeum, ſupra uerò Mineruæ Vulturem. Atqui mundum ex Scarabeo, qui tãtùm mas eſt, ab ijſdem intelligi, docẽt Aegyptiorum ſacra, & ex Vultu-

Vulcanus & Pallas cur per Vulturem ſignentur.

re

ture Pallada, quæ ſupremum eſt hęmiſphærium ac muliebri ſexu perhibetur, atque ita fieri, ut Palladis & Vulcani opera, quidquid in rerum natura cernere eſt, formam conſequatur, & ad abſolutam ſpeciem perueniat. Nam Pallas ſuo ingenio freta nihil non concipit, nihil non parturit: Vulcanus verò ea, qua pollet, peritia ignis ſui beneficio omnia, quæ fuerint diſſoluenda, liquat: contrà verò alia cogit in duritiem, firmoq; concretu peruincit. Eam verò ob rationem commenti ſunt Aegyptij Vulturem adiungere Scarabeo, qua itidem fabulæ Pallada Vulcano matrimonio collocatam fingũt. Vſurpatum eſt autem à veteribus maximè, quod in Orphicis etiam hymnis obſeruatur, vt duas has cæleſtium animorum vires in eadem ſubſtantia meditarentur, quarum altera concipit per contemplationem, quæ à ſuperiori poteſtate intelligentiæ infunditur, quod quidem munus eſt Palladis: altera verò in hæc inferiora agit, & eorum quæ ſibi credita ſunt, curam gerit, regit, inſtruit, quod ad Vulcanum ſpectat. Atque ita hoſce ætereos ſpiritus maris & fœminæ cognominibus nuncupauêre. Vnde etiam Empedocles, cùm ſe Deum iam effectum aſſeueraret, puerum & puellam eſſe ſe dictitabat, cuius hæc circunferuntur carmina, quæ rem atteſtantur:

*Immortalis ego, haudquaquam mortalis habendus,*
*Sumq́, valete omnes, puer ecce, puellaq́ factus.*

Vultur cũ Scarabeo adiunctus.

Empedocles puer & puella.

Sed hominem, de quo apud Philoſophos conſideratio eſt, vtriuſq; ſexus eſſe reuera comperimus. Vnde quantum pertinet ad intellectum, nullum diſcrimẽ ponebat Socrates inter marem & fœminam, eandemq; virtutem ac docilitatem in vtroque deprehendebat. Nam minimum commentitium eſt vtriuſq; naturæ homines reperiri, qui partem inter ſe vtramque peragant, cuiuſmodi pręter Naſamonis populis vicinam, at ſuperiorem gentem, Calliphanis teſtimonio notam, & non ſolùm apud Lunenſes, vt exiſtimauit annalium commentator Feneſtella, ſed in reliqua etiam Europa plurimos reperiri experientia teſtatur: in quos reuera admodum lege cautum eſt, ut quem mauelint ſexum eligant, altero ſi abutantur, capitali ſupplicio puniendi. 2

Perfectionis typus.

Eadem ratione nec diſſimili myſterio, cùm perfectum quid, ac conſummatum in rerum natura ſignificare vellent Aegyptij, Vulturem & Scarabeum iuxta ſe mutuò ponere conſueuerunt, vtpote qui ex duobus his ſimulachris Palladem & Vulcanum, vti dictum eſt, intelligerẽt. Cõprehendebant autem picturam hanc uno tantùm argumento, ex quo maſculofœmineum, ut ita dicam, ſexũ ſignificari profitebantur. Ita tamen imagines diſponebant, vt ſi Vulcanum ſignificare uellent, Scarabeum priori loco ponerent, Vulturem uerò ſecundo: Sin Mineruam à Vulture incipientes in Scarabeum deſinebant. 3

Miſeratio.

Ad hæc ijdem miſerationem per Vulturem, qui femora ſua roſtro proſcindebat, exprimebant. Ille enim, vt quidam volunt, centum & viginti diebus, quibus in filiorum educatione detinetur, nunquam ad prædam longiùs prouolat, vni illi curæ intentus, ne pullos deſerat, & de propinquo tãtùm, quæ fuerint in promptu, venatur. Quod niſi aliud quicquid occurrat, quod pullis paret in alimentum, ipſe ſuis femoribus roſtro cõciſis ſanguinem elicit, quem filijs exugendum præbet; tanta curat charitate, ne illi victus egeſtate deficiant. Sanè verò hinc factum crediderim, vt maiores noſtri, cùm incõparabilem prorſus Saluatoris noſtri miſerationem indicare vellent, hanc alitem, non autem Pelicanum, in ſacroſanctæ crucis apice, ea femorum vellicatione ſpectandam erexerint. Nam quamuis omnino per Pelecanum incredibilis erga filios amor hieroglyphico longè alio ſignificetur, nuſquam tamen legimus apud antiquos, qui hoc ſcriptionis ſaxum voluerunt, Auem aliam, quàm Vulturem femorum ſuorum lãcinatu, effuſo ſanguine pullos ſuos paſcere, conſueuiſſe. Phœnix tamen & ipſa femora vellicare & cõſcindere dicitur, nõ vt ſanguine ſuo filios alat, quos nullos habet, ſed vt ex eo effuſo vermiculus ille oriatur, quem mox in Phœnicem exire fabulantur. Non minor quoque miſeratio ac pietas eſt in liberis Vulturum, qui parentes extremo ſenio alũt. Huc ſpectat, quod [d] Iulius Scaliger de Africano Vulture narrat, quem tam diù in Libya & Atlante monte, vbi Sner vocant, aiunt viuere, quoad nudus pennis à ſuis alatur pullis, vt iam aliud verbum ab hoc officio Græcis fingendum ſit, quàm ἀντιπελαργῆν, nempe ἀντοιωνῆν. 4

Solus Vultur Auium pullos ſuo ſanguine nutrit.

[d] *Exec.* 231 Sner.

Scopi typ⁹.

Præter hæc & alia quædam ex Vulture hieroglyphica commenti ſunt Aegyptij ſapientes ex ijs, quæ ab eo plurimùm fieri obſeruarunt. Nam ſcopum ſiue locum, quo quis tendere deſignarit per eum, ſed altè volantem expreſsêre, propterea quòd hunc ſupra reliqua animantia acutiſſimo viſu præditum aſſerebant, adeò vt oriente ſole Occaſum verſus, decedente verò ad Orientem ſpatioſiſſimis quantumlibet interuallis diſſitum eſculeutum proſpiciat, atque quòd vno ad id volatu, quaſi ſagitta ad ſcopum feratur. Quinetiam vt D. Hieronymus atteſtatur, *tranſmarina cadauera Vultures ſentiunt.* Sunt autem qui viſui, ſunt qui odoratui, quo ſagaciſſimo pollent, rẽ aſcribant. Sed vtcunq; ſit, hoc ingenia aliorũ diſputẽt. Illud ſatis cõſtat, Aegyptios intuitum ea loci deſignatione in remotiſſimas quantumlibet partes per Vulturem indicaſſe. 5

Inſuper

Insuper & circũscriptum terminum per eandem Alitem intelligebant, propterea quòd si conflictus uspiam futurus est, locum ipse præscribat, quo acies concursuræ sunt & pugnam inituræ, atque septem antè diebus, vt Aegyptij tradunt, vt alij, tantùm triduo antè volant. Termini hieroglyphicum.

Ab hac præsagrẽdi vi, qua ante tot dies cadauera, & ubi strages futura sit, præsentiũt, ijdem Aegyptij præsagituram ex Vulturis simulachro significabant, asserebãtq; consuesse priscos reges belli tempore exploratores dimittere, qui obseruarẽt, in quamnam exercitus partem Vultures imminerent, inde stragem futuram commonefacti, vbi earum Auium grex frequentior incubuisset. A qua quidem huius alitis præscientia Astronomi, vt Hermes & alij fabulandi ceperunt occasionem, vt eum, qui Vulturis cælestem afflatum ab horoscopo sortitus fuerit, sapientem & prouidum in negotijs obeundis fore, imò & regnum ei portendi crederent. Præsagituręhieroglyphicum.

His igitur notis Aegyptij tam in mysterijs suis edocendis, quàm in naturæ secretis, & ciuilium morum præceptis aperiendis vtebantur. Sed & in reliquis disciplinis ab eodem scriptionis genere non recedebant. Vt si de mathematicis rebus locuturi, in numeris drachmas duas dicere voluissent, Vulturem, ait Horus, ponebant. Causam quidam existimant, quia apud Aegyptios duæ lineæ vnitas est, Horo eodẽ teste. Vnitas verò cuiuslibet numeri ortus est ac principium vnà cum binario. *Optima itaque ratione* inquit, *duas dragmas indicare volentes, Vulturem pingunt, quod generationis ipse sibi author, materq; ac principiũ, quemadmodũ & vnitas esse videatur, quæ dragmarũ duarũ instar existimatur.* Hic igitur Vulturis vsus erat apud antiquos in hieroglyphicis. Dragmæ duæ p Vulturẽ significatæ. [c] *L.1. Hierogl.*

# PROVERBIA.

SI *Vultur es, cadauer expecta*, prouerbium est à [a] Seneca vsurpatum in testamentorum captatores, cænipetas, ac hæredipetas, qui mirum in modum, vt Iuuenalis verbis vtar, oblectantur *aliena viuere quadra*, non cessant blanditijs & obsequijs alienos delinire, vt vel bolum ex aliena cæna aut hæreditate capiant, non secus ac Vultures cadaueribus inhiantes, quos *Diabolus*, vt Tertulliani verbis utar, *docuit patientiam, eam dico, quæ maritos dote venales, aut lenocinijs negociantes vxorum potestatibus subijcit, quæ aucupandis orbitatibus omnẽ coacti obsequij laborem mentitis adfectionibus tolerat.* Sunt autem isti hæredipetæ, ut de his aliquid dicamus, Vulturibus nocentiores, & crudeliores. Hi enim & viuis omnibus, & ab Auiũ cadaueribus generis sui abstinent: illi viuis etiamnum inhiant & mille modos mente sua concipiunt, quibus mortem eis accelerent, ut eò citius concupito bono potiantur. Hoc [b] Martialis eoq; perlepido monstrat adagio, vbi ad Oppianum hæredipetam scribit in hunc modum: [a] *15.Ep.96* [b] *L.6. Epigram.*

*Amisit pater vnicum Silanus,*
*Cessas munera mittere Oppiane?*
*Heu crudele nefas, malæq; Parcæ,*
*Cuius Vulturis hoc erit cadauer?*

Huiusmodi hæredipetas venustè admodum quoque depingit poëta quidam doctissimus:

*Pollinctor, Ambubaia, cerdo, Vespillo,*
*Qui Vultures cadaueri imminent fœdo,*
*Hi sacra rapiunt, nulla dant, sibi viuunt;*
*At non sibi moriuntur; at sibi regnant,*
*Sibi propinant, sibi viuunt, sibi tertunt.*

Et noster [c] Ariostus inquiens: [c] *Cant. 35. Stan.10.*

*Longo, e d'intorno quel fiume volando*
*Giuano Corui & auidi Auoltori,*
*Mulacchie & varij Augelli; che gridando*
*Facean discordi strepiti, e rumori;*
*E à la preda correuan tutti, quando*
*Sparger vedean gli amplissimi tesori,*
*E chi nel becco, e chi nell'vgna torta*
*Ne prende, ma lontan poco li porta.*

Similis paræmia est apud Suidam Α'πειροι γῦπες, id est, infiniti egentes Vultures. Proinde sicuti qui diuites audent aut accusare aut veneno tollere, Milui vocantur; pari pacto, qui obsequijs tantùm & adulationibus aucupantur, vt misceantur testamento, Vultures dicuntur. Ad eum ferè sensum etiam [d] Ariostus: Mihi qui', & cur dicti. [d] *Cant. 35. Stan.20.*

*E come qua sù i Corui, e gli Auoltori,*

*E le Mulacchie, e gli altri varij Augelli*
*S'affaticano tutti per trar fuori*
*De l'acqua i nomi, che veggion più belli,*
*Così là giù ruffiani, adulatori,*
*Buffon, cinedi, accuſatori, e quelli,*
*Che viuono à le corti, e che vi ſono,*
*Più grati aſſai, che'l virtuoſo, e'l buono.*

[e] *Lib. 4. de nat. rer.* In eos etiam, qui humilibus ſordidisq; rebus delectantur, illud è [e] Lucretio vſurpari poteſt:

*Ducuntur cadaueribus Vulturij.*

*Vulturis vmbra,* Γυπὸς σκιὰ, de homine nihili dicebatur. Refertur à Diogeniano. *Mihi magis quadrare videtur*, inquit Adagiorum author, *in hæredipetas, aut alioquin rapaces, inhiantesq; prædæ.* Huic reſpondet illud antè relatum, *Si Vultur es, cadauer expecta.* Cuius quidem Diogenianus etiam in Collectaneis meminit, ſed alia figura, Ἄπες γύπευ, id eſt, Vulturum ritu. Admonet autem dictum de ijs, qui vel ob hæreditatis, vel alterius emolumenti ſpem cuipiam inſidiantur.

In hæredipetas prouerbium.

[f] *Lib. 1. in Eutrop.* [f] Claudianus de re minimè veriſimili huiuſmodi adagium uſurpauit:

*Profert iam cornua Vultur.*

* *Lib. 10. cap. 49.* Sola quidem Auiũ Tragopanas veteribus cornuta putata eſt, Plinio * teſte, ſed qui fabuloſam eſſe arbitretur. Scio tamen noſtra tempeſtate Auem Aquilina ferè magnitudine in aëre viſam, quæ cornu in naſo gerat, quam Rhinocerotem Auem quorundam ſuſpicor. Verùm de hac ſuo loco copioſiùs. Reliquarum Volucrum cornibus præditam eſſe quampiam, nemo ne quidem ſomniauit, quantò minus Vulturem. Eſt & illa vſitata paræmia *Vulture edacior* ab animatis ſumma voracitate deſumpta. Quadrat in helluones, qui tantùm, vt edant, ſibi nati videntur, quales ſunt paraſiti, & alienarum menſarum aſſeclæ, quos ventris operarios rectè vocat [g] Tertulianus, & [h] Niger ἀλλοτριοιφαγους, [i] Plutarch. verò τῇ γαστρὶ, ἢ τῇ ψυχῇ συνδειπνους, D. Hieronymus uentris animalia, gulæ mancipia, liguritores, quaſi mures & ſemper alienum cibum edentes. Hi meritò Vultures appellantur. Nam Vultur, perinde ac captator cœnas, cadauera ſectatur præter cæteras Aues.

[g] *Lib. de Patientia.*
[h] *In Epſophagia.*
[i] *In ſympoſiacis.*

# EMBLEMATA.

EMBLEMATVM, quæ uaria Vulturis ingenium ingenioſis ſuppeditare poteſt, omnium inſtar nobis erit vnum atq; alterum ex Alciato deſumptum, ut gratia exempli, quod inſcribitur OPVLENTI HAEREDITAS. Eſt hoc eiuſdem cum ſuprà memorato in hæredipetas ſententiæ.

*Patroclum falſis rapiuut hinc Troes in armis,*
*Hinc ſocij atque omnis turba Pelaſga vetat,*
*Obtinet exuuias Hector, Græciq; cadauer.*
*Hæc fabella agitur, dum vir opimus obit.*
*Maxima rixa oritur, tandem ſed tranſigit hæres,*
*Et Coruis aliquid Vulturijsq; ſinit.*

Alterum eſt alterius argumenti, in eos confictũ, qui malis ſeu rebus macris alienis pingueſcunt, cuius hic eſt titulus EX DAMNO ALTERIVS VTILITAS.

*Dum ſæuis merent in mutua vulnera telis*
*Vngue Leæna ferox, dente timendus Aper.*
*Accurrit Vultur ſpectatum, & prandia captat,*
*Gloria victoris præda futura ſua eſt.*

# APOLOGI.

[a] *Lib. 8. c. 18. Antiq. lect.* DE Vulturijs ſcitus admodum narratur apologus, inquit [a] Cælius, aduerſus fœneratores. Vulturius quidam vehementer agitatus vomere ampliùs cœpit, ſimulq; etiam queri, ac ſeſe afflictare, quòd inteſtina eiectare videretur. Pax ſit rebus, inquit alter, non eſt, quòd ægro ſis animo, neque enim tui euomis quidpiam, ſed cadaueris portiones, quod nuper conſcidimus. Ita fœneratores ſi quando his, quæ iniuſtè acquiſiuerunt, bonis exuuntur, aut fiſco addictis aut alia ratione perditis, uti ſolent iuſto Dei iudicio malè parta malè dilabi, non ſua amittunt, ſed

quæ

quæ nefarijs usuris eripuerunt debitoribus. Cælius Rhodiginus alio sensu apologum exponit, inquiens: *Eadem ratione fœnore adobruti non agros euomunt distrahuntq; proprios, sed fœneratoris, quem ijs dominum præfecerunt.* Creditores uerò [b] Plutarchus etiam Vulturibus comparat, cum ait: *Creditores in foro debitores tanquam loco miseris assignato Vulturum instar exedunt & arrodunt, rostro in eorum corpus inserto & alijs tanquam Tantalis astant, vetantq; eorum quicquam gustare, quæ colligunt.*

[b] *Lib. de nõ accip. mutuo pro fœnore.*

# FABVLÆ.

APVD poëtarum plerosq; passim celebratissima extat fabula de Tityo, cuius iecur apud inferos à Vulturibus perpetua arrosione exedi comminiscuntur, tantumq; nocturna accretione reparari, quãtũ diurna auis uoracitate absumitur. Huius fabulæ præcipuus ac primus author [a] Homerus fuisse uidetur, qui lucu- lenter eam describit, his uerbis: Tityj fabula. [a] *Odyss. λ. in fine*.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν,
Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἦπαρ ἔκειρον
Δερτρον ἔσω δυσόντε. ὁ δ' οὐκ ἀπαμυνετο χερσι.
Λητὼ γὰρ ἤλκησε Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν
Πυθὼ δ' ἐρχομένην διὰ καλλιχόρε πανοπῆος. ideſt,

*Et Tityon vidi terræ glorioſiſſimæ filium*
*Humi iacentem per nouem iugera,*
*Vultures autem duo vtrinq; aſſidentes iecur tondebant,*
*Viſcera dolore afficientes, hic autem non tuebatur manibus.*
*Latonam enim læſit Iouis venerandam concubinam*
*A Pytho venientem per amœnum Panopæa.*

Quæ quidem maiori ex parte [b] Vergilius ſic reddidit: [b] *L. 6. Æn.*

*Necnon & Tityon terræ omniparentis alumnum*
*Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus*
*Porrigitur, roſtroq; immanis Vultur obunco*
*Immortale iecur tondens, fœcundaq; pœnis*
*Viſcera, rimaturq; epulis, habitatq; ſub alto*
*Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.*

Reliqua Simon Lemnius Rhetus expreſſit hoc carmine:

*Nec ſe defendit manibus, nec corda tuetur:*
*Dicitur ille Iouis quondam rapuiſſe tonantis*
*Pellicis eximiæ magno deceptus amore,*
*Latonæ amplexus olim Pythona petentis,*
*Dum per amœna Iouis Panopæaq; rura mearet.*

Tangit eandem hanc fabulam varijs locis * Ouidius, vt [*] *Metam.*

*Viſcera præbebat Tityo lanianda, nouemq;*
*Iugeribus diſtractus erat.* Et alibi:
*Iugeribusq; nouem, qui ſummus diſtat ab imo*
*Viſceraq; aſſiduæ debita præbet Aui.*

[c] Idem alibi pœnæ eius æternitatem apud inferos oſtendere volens, ait: [c] *Lib. 1. de Ponto.*

*Sic inconſumptum Tityi ſemperq; renaſcens*
*Non perit, ut poſſit ſæpe perire, iecur.*

De eodem Tytyo ita quoque [d] loquitur. [d] *In Ibide.*

*Hic inconſumpto viſcere paſcit Aues.*

Et Tibullus Homerum ſequutus:

*Porrectuſq; nouem Tityus per iugera terræ,*
*Aſſiduas atro viſcere paſcit Aues.*

Eadem [e] Seneca recolit. [e] *In Thieſt.*

*Aut pœna Tityi ſemper accreſcens iecur.*
*Viſceribus atras paſcit effoſſis Aues:*
*Et nocte reparans quicquid amiſit die:*

Et alibi per imprecationem [f] idem innuit: [f] *In Hippol.*

*Vultur relicto tranſiuolet Tityo ferus,*
*Meumq; pœnæ ſemper accreſcat iecur.*

Lib. 2. Pari ratione[g] Propertius.

*Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur.*

Neque Claudianus intactam hanc fabulam reliquit:

*Quid dicam Tityon, cuius ſub Vulture ſæuo*
*Viſcera naſcuntur grauibus certantia pœnis.* Et[h] alibi.
*Inuitus trahitur laſſo de pectore Vultur.* Tityi ſcilicet.

[h] Lib. 2. de rapt. Proſer.

Et inſignis noſtri æui Poëta:

*Minus tremendi Tartari periculum,*
*Saxum, Rotasq;, Vulturis dapes iecur.*

Illud enim de Tityo etiam intelligendum venit, vti hoc quoque eiuſdem:

*——Lubricum tibi ſaxum*
*Et Vultur, & fugacibus latex pomis*
*Parens iubenſq; deſtinatur, atque id quod*
*Rotæ volumen incitatur æternum.*

Vt verò ſub hoc fabularum cortice aliquid veritatis, moraliſq; Philoſophiæ latere, quod vſui ac utilitati noſtræ accommodatum eſſe poſſit, percipiamus: itaque grauiſſimorum aliquot authorum, qui hanc allegoriam commentati ſunt, expoſitionem afferamus. [i] Fulgentius, ubi Promethei iecur non ab Aquila, ſed à Vulture corrodi tradit, perbellè id interpretatur, cui & Petronius Arbiter his hendecaſyllabis congruit:

[i] In Mitho logico.

*Cui Vultur tecur vltimum pererrat,*
*Et pectus trahit intimaſq; fibras,*
*Non eſt, quem tepidi vocant poëtæ,*
*Sed cordis mala, liuor atque luxus.*

Similiter & Seruius in ſuprà citatum Vergilij locum, cùm prius monuiſſet, hac in re Vergilium ab Homero uariare, quod ille dicat duos Vultures uiciſſim in Titij pœnã ſuccedere ſibi mutuò, hic vnius tantùm meminerit, ſubdit per hoc, quod Tityum ad nouem iugera exporrigi poëta canit. Quantum ad primam faciem, magnitudinem oſtendit corporis, ſed aliud ſignificat, quia de amatore loquitur, nempe quod libido latè pateat. Tityus enim Latonam adamauit, ob eam rem ab Appolline telis confixus, hac inſuper pœna apud inferos damnatus, ut eius iecur Vultur exedat. Sanè de his omnibus mirè rationem reddit Lucretius, & confirmat in noſtra uita eſſe omnia, quæ finguntur de inferis. Dicit enim Tityon amorẽ eſſe, hoc eſt libidinem, quæ ſecundum Phyſicos & Medicos in iecore eſt. Vnde etiã exeſum à Vulture dicitur in pœnã renaſci. Etenim libidini non ſatis fit re ſemel peracta, ſed recrudeſcit ſemper. Vnde ait Horatius:

Libidinis ſedes.

*Incontinentis aut Tityi iecur.* Hæc Seruius.

Locus uerò [k] Lucretij à Seruio citati teſtis, quo probat ea, quæ poëtæ de Tantalo, Siſypho, Tityoq; fabulati ſunt, aniles nugas eſſe ac friuolas, nec credendum apud inferos à morte animas haſce pœnas perpeti, ſed omnia in hac uita accidere, his uerſibus continetur:

[k] Lib. 6. rer. nat.

*Nec Tityon Volucres ineunt Acheronte iacentem:*
*Nec quod ſub magno ſcrutentur pectore, quicquam*
*Perpetuam ætatem poterunt reperire profectò:*
*Quamlibet immani proiectu corporis extet:*
*Qui non ſola nouem diſperſis iugera membris*
*Obtineat, ſed qui terrai totius orbem:*
*Non tamen æternum poterit perferre dolorem,*
*Nec præbere cibum proprio de corpore ſemper,*
*Sed Tityus nobis hic eſt: in amore iacentem*
*Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor:*
*Aut alia quauis ſcindunt torpedine curæ.*

Lucretio aſſentitur [l] Macrobius, qui fabulæ iſtius ſenſum ad hanc vitam transfert. *Commenti ſunt poëtæ*, ait, *Vulturem immortale iecur tondentem, nihil aliud intelligi volentes, quàm tormenta conſcientiæ obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa ſceleris admonitione laniantis, ſemper curas ſi requieſcere fortè tentarint, excitantis, fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miſeratione parcentis lege hac, qua ſe iudice nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuã poteſt vitare ſententiam.* Sed hactenus Macrobius. Ex his igitur videre eſt, neque prorſus vanam eſſe hanc fabulã, neq; omni omnino vtilitate carere, ſed antiquã illam Orphei theologiam ſapere, quę ſub tali hiſtoriarum commenticiarũ cortice arcanæ aliquid philoſophiæ, ac ſecretiora quædam morũ præcepta ceu myſteria occulebat. Puræ verò neque quidem aliud, quàm meræ fabulæ ſunt, quæ

[l] Lib. 1. de Somn. Scip.

[m] Bæus antiquus author [n] Antonio Liberali citante scripta reliquit, dum Aegypij Bulidisq; genesim indagans, homo sacræ ac veræ rerum omnium per Deum omnipotentem creatarum historiæ ignarus, vt omnino aliquid dicat, ea comminiscitur, quæ ne per somnium quidem homini sano in mentem veniant. Is altissimis paganismi tenebris immersus, sic infit: *Aegypius Anthei filius, Nomionis nepos, in extremis Thessaliæ habitauit finibus, charusq; fuit & Dijs ob pietatem, & hominibus magnanimitatis iusticiæq; causa. Is cùm vidisset Tymandram, amore eius captus est; & cùm viduam esse intellexisset, pecunia data impetrauit, vt ipsi ad se domum ventitanti corporis sui potestatem faceret. Aegrè id ferens Neophron Tymandræ filius, Aegypij æqualis, insidiasq; ei struens, multis donis Bulidem Aegypij matrem eò pellexit, vt cum ea domum suam deducta rem haberet. Horam deinde maturè cognoscēs, qua ad Tymandram erat venturus Aegypius, suam matrem quacunque occasione domo emisit, inq; eius locum matrem Aegypij introduxit, se ad eam rediturum simulans, itaque ambobus imposuit. Aegypius nihil eorum, quæ Neophron machinatus fuerat, supputans, suspicansue, cum matre corpus miscuit, quam esse Tymandram putabat. Eum somno iam captum Bulis agnouit, acreptoq; gladio oculos filio eruere & seipsam interficere statuit; Apollinis interim voluntate somno Aegypius soluitur, intellectisq; Neophronis insidijs, in cælum sublatis oculis, optauit omnia secum aboleri. Iupiter porrò eos in volucres mutauit, factiq; sunt Aegypius & Nephron, Aegypij, id est, Vultures cognomines, minor tamen corpore Nephron. Eulis in Mergum abijt, eiq; Iupiter alimentum tale destinauit, vt nihil terra editum edat, sed tantùm oculis piscium, Auium, aut serpentum vescatur, quia filio Aegypio oculos erat ademptura.* Idem paulò post de Phylio non minus nugatus, inquit: *Erant in Aetoliæ regione Vultures monstrosæ magnitudinis, qui multos homines interficiebant. Hos Cygnus Apollinis filius è Tyria Amphinomi filia viuos capere & ad se perducere quauis ratione iussit. Dubitante Phylio quomodo hoc mandatum conficeret, diuinitùs euenit, vt Aquila raptum Leporem semianimemq; eòdem deijceret, non perlatum ad nidum. Phylius direpto Lepore, sanguine eius se impleuit & humi procubuit. Itaque Vultures ad eum vt mortuum deuolarunt, quorum ille duos pedibus arreptos tenuit, atque ad Cygnum pertulit.* Refert præterea ex Bœi Ornithogonia Agrium in Vulturem mutatum fuisse, à Mercurio ab Ioue missō, quòd Deorum hominumq; contemptor esset, peregrinosq; deuoraret, vnà cũ fratre Oreco. Hactenus Antonius Liberalis. Fabulosum quoque & illud est, quod Eustathius refert de Iphiclo Deionei nepote (fuit enim Deioneo filius nomine Phylacus Iphicli pater) qui etiam Iphicles nominatur, Hic bona quædam ipsius Tyrus occupauit; quod vt intelligatur, sciendum est Tyro fuisse filiam Salmonei, cuius frater fuit Cretheus: huic autem desponsata fuit illa: Iam verò ex Cretheo & Tyrone natus est Neleus: qui ex Chloride vxore, inter alios liberos Peronem etiam filiam habuit præstantissimam. Mortuo itaque Salmoneo patre Tyro ex Phylace (quod est oppidum Pthioticæ regionis Thessaliæ) ad Deioneum patris fratrem: vel, vt alij dicunt, ex Ioleo (quod est oppidum Magnesiæ regiunculę Thessaliæ ab ortu annexæ) Phylacam ad auunculum venit. Mortuo autem Deioneo, Iphiclus quædam Tyrus bona (inquam) occupat, inter quæ erant etiam boues quædam præstantissimæ, quas diligenter asseruari curabat. Eas cùm repeteret Neleus, negauit Iphyclus se redditurum. Itaque Neleus filiam suam Pero ei pollicitus est, qui boues illas Iphiclo abstulisset. Hoc omnes facere recusabant, quod fieri nō posse videbatur, propter accuratam earum custodiam. Vnus Bias Melampodem fratrem suum rogauit, vt hoc sui causa tentaret. Ille verò licet ex diuinandi scientia, qua maximè pollebat, intelligeret se captum iri, si hoc aggrediretur, tamen fratris gratiâ atusus est facinus aggredi. Ad boues ergo capiendas cùm accessisset, captus est, traditusq; Iphiclo, & carcere incluſus custodiebatur. Dati autem ei sunt custodes duo, qui ministrarent, vir & mulier: & vir quidem humaniter eum tractabat, mulier verò contrà. Procedente tempore audijt vermium strepitum & stridorem quendam in superiore parte cænaculi. Ille verò, vt talium vocum erat inteligentissimus, cognouit eos dicere, se trabem integram iam consumpsisse, & corrosisse. (Fuit autem Melampus ita diuinandi peritissimus, vt animalia ratione carentia intelligeret: repurgatas enim illi aures à Draconibus crediderunt.) Hoc igitur cùm ille percepisset, dicitur morbum simulasse, & quasi ex imbecillitate concidens, aduocat suos ministros, petitq; vt foras educatur: sic aperto cubili à parte pedum mulier, à parte capitis vir eum extrahūt. Interea cùm vir iam esset extra fores, restaret autem mulier intus, trabes illa fracta mulieri in caput concidit & eā interfecit. Vir qui supra fuerat, factū Phylacus, Phylacus, Iphiclo exponunt. Hic verò à Melampede quærit quisnam esset, & cur huc aduenisset. Ille vatē se dicere, & boū Iphicli causa venisse. Ei igitur boues illas Iphiclus pollicetur, si rationē indicet, qua prolem ex vxore posset suscipere. Melampus immolato boue, partes Auibus distribuit. Eò cùm omnes præter Vulturem accessissent, rogat an possit fieri, vt Iphiclus liberos suscipiat. Illæ cùm hoc exponere non possent, post eas aduenit Vultur, & causas Iphicli ἀπαιδίας docet, quæ erāt huiusmodi. Quòd Phylacus aliquando prę ira Iphiclum persequens stricto gladio, eumq; nō valens assequi, gladium ἀχέρδῳ (quod spinæ genus est) vel ut alij volunt,

[m] *Lib. 1. de Auiū ortu.*
[n] *In Metamorph.*

Aegypius & Nephrō i Vultures.

Phylij fabula.

Agrius in Vulturem.

Iphicli & Melampodis fabula.

Melampodis sciētia.

ſyluestri pyro affixisset, ita gladio circumnatum esse corticem & in hoc eum occultari: hinćq; præ timore Iphiclum in posterum gignendo aptum non extitisse. Arborem illam indicauit Vultur, & vbi gladius lateret reconditus, cui demi corticem iussit, eiusque rubiginem Iphiclo in decem dies propinari. Quo facto Iphiclus prolem suscepit, Melampoq; boues Tyrûs restituit, quibus acceptis Melampus Pylum reuersus, eas Neleo in dotem Biantis fratris pro eius filia Pero tradidit: quam Neleus cùm recusaret, pugna tamen victus eam dare coactus est. Vnde Melampus effugisse Nelei auunculi sui & regis iram dicitur. Quæ dixisse volui, cùm quòd ad historiam nostram pertinerēt, tùm etiam quòd perquàm obscurè ab Vlysse apud [a] Homerum ea fabula narraretur, cuius hæc ibi verba:

[a] *Odyss. Λ.*

Τοῖσι δ' ἔπ' ἰφθίμῳ Πηρὼ τέκε, θαῦμα βροτοῖσι,
Τῷ πάντες μνάοντο περικτίται, ἔδδέ τι Νηλεὺς
Τῷ ἐδίδα ὅς μὴ ἕλικας βόας εὐρυμετώπας
Ἐκ φυλάκης ἐλάσειε βίης Ἰφικληείης
Ἀργαλέας· τὰς δ' οἷος ὑπέρχετο μάντις ἀμύμων.
Ἐξελάαν. χαλεπὴ δὲ θεῶ κατὰ μοῖρα πέδησε,
Δεσμοί τ' ἀργαλέοι, καὶ βουκόλοι ἀγροιῶται
Ἀλλ' ὅτε δὴ μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο
Ἀψ περιτελλομένου ἔτεος, καὶ ἐπήλυθον ὧραι
Καὶ τότε δὴ μιν ἔλυσε βίη Ἰφικληείη,
Θέσφατα πάντ' ἐἰπόντα. Διὸς δὲ ἐτελείετο βουλή.

*Post hos eximium Pero peperit miraculum hominibus*
*Quam omnes precabantur accolæ, neque Neleus*
*Huic dabat, qui non boues latis frontibus*
*Ex Phylace abegerit vis Iphiclea*
*Indomitas, has solus promisit vates inculpatus*
*Abacturum, sæuum autem Dei fatum impediuit*
*Vinculaq; sæua, & pastores agrestes.*
*Sed quando certò menses q; & dies perficiebantur,*
*Rursus circunuoliti anni, & aduenerunt horæ,*
*Tum certè ipsum soluit vis Iphiclea,*
*Vaticiniaq; omnia locutum. Iouis autem perficiebatur consilium.*

# HISTORICA.

[a] *In libello de fluuijs.*

AVTHOR est Ctesippus in Scythicis,[a] Plutarcho referente, accolas Phasidis fluminis homines quosdam facinorosos in voraginem impiorum dictam, inijcere. Ea ferè rotunda est, & puteo consimilis, & quod iniectum fuerit, post trigesimum diem in Mæotidem paludem vermibus iam refertum eructat, quos Vultures subitò & ex improuiso inuolantes dilaniant. Aliam historiam [b] Aelianus refert de Barcæę gẽtis consuetudine rituq; sepeliendi sic scribens:

[b] *L. 10. c. 22*

*Barcæi gens Hesperiæ ex aliquo morbo mortuos, vt muliebriter & ignauiter defunctos, ad notandam mortis ignominiam igni cremant. Eos verò qui in bello morte occubuerunt, vt summa virtute ornatos, Vulturibus deuorandos obijciunt, quòd eas Aues sacras existiment.* Verùm de his etiam suprà meminimus. Hæc igitur sunt quæ in genere de Vulturibus dici poterant.

# DE VVLTVRVM DIFFERENTIIS AC SPECIEBVS diuersis. Cap. II.

NVNC vniuersam Vulturum familiam, variasq; eorum, quotquot hactenus in cognitionem nostram venerunt, species hoc capite ex professo examinandas & disquirendas proponimus.

[a] *Lib. 8. Hist. c. 3.*

[a] Aristoteles duo tantummodò Vulturũ genera agnoscit, vnum paruum & albicãtius; alterum maius & multiformius. At hoc loco, vt hoc obiter notem, vbi Gaza parum rectè multiformius vertit, textus Aristotelicus Græcus σποδοειδέστερον habet, quæ vox non multiformis, quod ad omne genus colorũ pertinere ac referri

potest,

poteſt, ſed comparatiuo gradu magis cinerei ſignificat. Recẽtiores verò plures Vulturum ſpecies obſeruaſſe agnoſcuntur, quarum tamen plerasq; ad hæc duo ceu ſumma genera reducere conantur. Quod quidem eò facilius eſt, quòd Philoſophus bina hæc genera nullis peculiaribus notis diſtinxerit, ſed tantummodò velut per trãſennam nominetenus attigerit. Prioris generis eſt, quod [b] Albertus Magnus ſæpè apparere ſcribit in rupibus Rheni, & Danubij, & Germanis accolis VVeiſgier, id eſt, Vulturem album vocari. Vultures etiam vndiquaque albos in nonnullis Heluetiorum montibus, vt circa Claronam, interdũ reperiri Ornithologus ſcribit. Cinereum verò illud genus & maius griſeum, id eſt, canum ſuis Germanis nominari tradit. Apud quendam authorem recentiorẽ me legiſſe recordor Vultures albos ut & Aquilas, aliaq; animalia, imò & Coruos albos non in Noruegia ſolùm, ſed etiam in Iuthra & Scythia reperiri in niuoſis locis, quod ex niuium aſpectu euenire ſcribit Andreas Baccius. Petrus [c] Bellonius Gallus tria Vulturum genera ponit, nempe albidorum, cinereorum & nigrorum, & Bæticos Vultures cum albicantibus eoſdem facit. At ſi teſte Alberto & Ornithologo prorſus albi nonnulli reperiantur, quales Bætici eſſe dici non poſſunt, ſine dubio alborum quoddam genus à Bæticis diuerſum ſtatuendum erit. Bæticum quomodo albicantem vocet, mirum videri poteſt. Nam cùm & Ariſtoteles cinereorum ab albis diuerſum genus faciat; Bæticum colorem ab albo longiùs abeſſe, quàm cinereum nemo non videt. Sed & hocipſum Bæticorum genus minimè ſimplex eſſe videtur. Nam etſi Bæticus, quem Bellonius ponit ab aureo Ornithologi, quantũ ad colorem, vix differre cuipiam putari poſſet, deſcriptio tamen vtriuſque, & icon diſcrepare deprehenduntur. Quem verò Germani Haſengier, id eſt, Vulturem Leporarium vocant, ad cinereum commodè reduci non poteſt. Eſt enim Ornithologo teſte, cinereo minor & in rutilo nigricans, ideoq;, vt apparet, ad nigrum magis ſpectat. Ex hiſce manifeſtum eſt præter binas ab Ariſtotele enumeratas ſpecies, alias ad minimum duas ſtatuendas eſſe: vnam quidem aureorum Vulturum, alteram nigrorum. Nam & [d] Plinius nigros ab Ariſtotele omiſſos nominatim memorat. Et [e] Albertus Vultures reperiri ſcribit nigri coloris, & cęteris corpore quidem minores, ſed viribus præſtantiores, & habitare in montibus deſertis. Hos ego cum Leporario Germanorum vel eoſdẽ uel ſimillimos facio. Idem Vulturis genus eſſe refert, quod Hargum antiqui, nonnulli Abachionem uocent, cuius pleruną; habitatio ſit in locis nemoroſis, ſed ad ciuitates etiam aliquando accedere, altè uolare, reſidere in montibus ſyluoſis, ut ſyluęſtribus animalibus inſidietur uiribus ſuis confiſus. Hæc autem Alberti uerba, quòd nullam corporis notulam demonſtrẽt, ambiguum me reddidêre, ad quod genus is Vultur ſit reducendus. Niſi enim idem cum Leporario ſit, Aquilinam tamen naturam ſapit, quòd animalia uenetur. Item & aliud Vulturum genus eidem ab antiquis Abbatos uocatur, cui etiam nullam aliam deſcriptionem addit. Aliud quoque eſt collo craſſo, aliſque ad dorſum ualdè retortis & magno pectore. Id frequenter degit in ripis maris, & quæ uenatur, defert eò, quòd cæteras Aues pertimeſcat; ne prædam abripiant.

[b] *Lib. 7. c. 4. de Anim.*

[c] *Lib. 2. de Auib. c. 23.* Vultures Bætici.

Vultur Leporarius.

[d] *L. 10. c. 7.*

[e] *Lib. 8. Hiſtor. cap. 5.*

# DE VVLTVRE CINEREO Cap. III.

SED de hoc cinereo Vulture, proprio capite Bellonius, quem è Gallico in Latinum tranſtulimus ita ſcribit: Hunc Vulturem [a] Ariſtoteles σποδοειδέστερον nominat, id eſt, magis cinereum ad differẽtiam nigrorum. Albi pilos ſeu plumulas capillaceas & capillamentorum inſtar ſubtiles adeò candidos obtinent, ut pellem ſubdititiam & arte pellicea elaboratam muſtelę alpinę albę, ſeu etiam Vulpis albæ eſſe, quiſpiam ſpecie deceptus, exiſtimare poſſet. Huius etiam pellis multò, quàm nigri aſpectui eſt gratior, ac iucũdior. Deſcripturi uerò Vultures nigros, hoſq; ab albicantibus ſeu Bæticis diſcreturi, monẽdum primùm ducimus, minimè eſſe unum genus altero frequentius aut rarius, & parum abeſſe, ut pari inter ſe ſint corporis magnitudine. Fallitur quiſquis nigros ab albis ſexu tantummodò differre opinatur. Nigrorum enim uterq; nempe tam mas, quàm fœmina nigreſcit, & magnitudine albos excedit. Cuius etiam ſententiæ Ariſtoteles fuit. Et ne quis raritate maiorem his animantibus admirationem conciliare conetur, certior mihi reddendus es, frequentes hoſce Vultures conſpiciendos dari in magnorum Principum aulis, qua de cauſa etiam haud difficulter eius iconem nacti ſumus. Neque operoſum nobis fuit omnes inter ſe diſtinguere, qui uarijs locis ijſq; deſertis, Vulturibus capiẽdis inſidiantibus retiaq; tendentibus interfuimus, eisq; operam noſtram accomodauimus. Vnde cuiuis facilè

[a] *Lib. 8. Hiſtor. cap. 1.*

Nigri Vultures ab albis ſexu nõ differunt.

cilè erit colligere nõ magni negotij, imò commodum nobis ac integrum fuiſſe eorum mores 30
obſeruare, figuram, colores, deſcriptionem. Nec ignorare præter hæc te uolumus, etiamſi eos
locis deſertis uidere nobis nõ obtigiſſet, à mercatoribus tamen peregrinis diuerſorum anima-
lium pelles ueſtibus ſubdendas diſtrahentibus, huc eas importari ita integras, ut caput, pedes,
aleq; totę etiamnum cuti reliquę, vt ex ijs Vultures cùm à ſe mutuò, tum ab Aquilis dignoſcere
liceat. Hæc igitur habet Bellonius. Veruntamen miror ego, & quiſpiam mecum meritò ad-
miretur, cur cùm tantam facilitatem, oportunitatemq; diuerſos videndi & habendi ſibi obla-
tam iactet Bellonius, ipſe tamen nullam neque cinerei neque nigri integram deſcriptionem
nobis exhibeat, nihilq; præter nudam iconem ponat, quæ nec ipſa his, quæ de Vulturibus in
vniuerſum dicit, nempe quòd omnes cruribus totis hirſuti ſint ad pedes vſque, & hac nota ab
Aquilis differant, reſpondeat, ipſa nudis planè tibijs depicta. Eò referendum eſt, quòd nigro- 40
rum Vulturum & marem & fæminam Bæticis maiores eſſe Ariſtotelem etiam ſentire ſcribit.
Equidem nihil tale in Ariſtotele inuenio, & hoc potiùs cinereis ab eodem aſcribi ſcio; Atta-
men cinereos à nigris diuerſos facere diſertis verbis Bellonium, antè monui.

## AVGVRIA.

QVAMVIS augurium hocce ad generalem Vulturis hiſtoriam referendum
fuerat, quia tamen icones in particulari hiſtoria potiùs ponendę uidentur, ita-
que huic loco etiam id inſerere placuit. Eſt autem tale: Vitellius Romano- 5
rum Imperator antequam contra Veſpaſiani milites pugnaret, dum ſacrifi-
caret, atque ad milites ſuos concionaretur, magnus numerus Vulturum tam
impetuoſo uolatu, ut icon ſubſequens oſtendit, irruit, extaq; ſacrificij diſcer-
pſit, ac ipſum ferè Imperatorem de tribunali deturbauit.

METEORA

# METEORA.

PROPE Claurum montem, & Compenium anno 1194. Corui vel potiùs Vultures immenſæ multitudinis in aëre de loco ad locum uolitantes cum roſtris uiuos atque ardentes carbones portare uiſi ſunt, quibus domos incendebant: eo ipſo etiam die in Epiſcopatu Laudunenſi caſtrum quoddam circa Clauimontem fulminibus de cælo penitus deſtructum eſt, & eodem anno Henricus Imp. totam Apuliam, Calabriam atque Siciliam (quæ iure hæreditario ex parte ſuæ uxoris eum contingebant) Imperio ſuo ſubiugauit.

## DE VVLTVRE BÆTICO. Cap. IIII.

VVLTVR autem Bæticus Aquila paulò minor eſt, atque pennas colli, dorſi, uentris, totiuſq; adeò corporis bætico colore, ſeu caſtaneo tinctas habet, atque hinc à nigro differt. Alarum verò maiores & caudæ pennæ, eiuſdem cuius nigri, ſunt coloris. Vtriq; caudâ ſunt breui, alarum longiſſimarum reſpectu. Hæc quidem vt cæteris rapacibus in alis, naturam ac conſtitutionem minimè ſequuntur, ſed potiùs vt Picis viridibus Gallis dictis, id eſt, Martijs. Reperiuntur vt plurimùm extremis cuſpidibus mutilæ ac diffractæ, quod indicio eſt has eos atterere

Vulturis Bætici & nigri differentia.

rere rupium ſaxis, quibus degunt ac nidum conſtruunt. Vultures Bætici ſeu albi conſpectu rariores ſunt, quàm nigri, & hoc peculiare habent, quòd plumæ verticis ipſis breuiculæ ſint ac curtę admodum, ſi Aquilis comparẽtur; quæ cauſa eſt, cur caluos eſſe eos quidam ſint opinati. Crura obtinent breuia, plumis vndiquaq; contecta ad ſuperiorem vſq; digitorum partẽ. Quę nota quidem peculiaris eſt, nec cuipiam cæterarum rapacium aduncarum competens, præterquàm nocturnis. Bæticis his plumæ colli admodum anguſtæ ac longiuſculæ ſunt, quales Gallis Gallinaceis & Sturnis è collo propendent, ſi reliquis, quæ dorſum, latera, necnõ alarum ſinus operiunt, comparentur, quę exiguæ ſunt & latiuſculæ inſtar ſquammarum. Eæ verò, quæ dorſum, ventriculum, ventrem, & vropigij radicem veſtiunt, ruffæ apparent in Bætico Vulture, in nigro verò nigræ, ſed in vtroq; latæ ſatis. Huius autem Bætici ſui Vulturis hanc, quam poſuimus, Bellonius iconem exhibet.

## DE VVLTVRE LEPORARIO Germanorum. Cap. V.

Vulturis Leporarij Sinonyma Aſſgyr. Keybgyr. Roſſgyr. Hotzgyr. Steingyr. Haſengyr.

ORNITHOLOGVS de eo Vulture, quem Germani à Leporum raptu Leporarium vocãt, in hunc modum ſcribit: Ego hoc genus Germanicè Aſſgyr, id eſt, cadauerum Vulturem rectè nominari puto, unde & keybgyr dicitur, ab alijs Roſſgyr, ab equis nimirum, quòd eorum cadauera appetat, ab alijs (vt circa Claronã Heluetiorum) Hotzgyr, neſcio qua ratione, alibi Steingyr, à rupibus, in quibus nidificat. Lepores rapit, unde illi nomen factum Haſengyr, id eſt, Leporum Vultur. Pectore non ita fuluo eſt, ut aureus noſter, magnitudine inferior. Iconem eius Germaniæ noſtræ ornamentum Georgius Fabritius ad me miſit, hac etiam adiecta deſcriptione: Vultur quẽ Germani Ein Haſengyr appellãt, roſtro eſt obunco, nigro, fœdis oculis, corpore firmo & magno, alis latis, cauda longa & directa, colore in rutilo nigricante, pe-

FORMA DESCRIPTIO.



te, pedibus flauis. Stans aut ſedens criſtam quaſi cornuta in capite erigit, quæ in uolante non apparet. Alę extenſæ menſuram orgyę excedunt. Inceſſu, duorum palmorum ſpatio gradum facit. Ex Auibus perſequitur omne genus. Ex feris uenatur Lepores, Cuniculos, Vulpes, hinulos, necnon piſcibus inſidiatur. Non manſueſcit feritate. Nec ſolùm uolatu ex præcipiti, verùm etiam curſu prędam inſequitur. Volat magno & ſonoro impetu. Nidificat in dẽſis & deſertis ſyluis, & in altiſſimis arboribus. Paſcitur carnibus & extis animalium, ne à cadaueribus quidem abſtinens: famem quatuordecim diebus integris tolerat, quamuis voraciſſimus. Eiuſmodi Vultures duo capti in Alſatia anno M.D.XIII. mẽſe Ianuario, in ditione Gerolſeckenſi; ſuperioribus annis vnus Rotachi in Francis mõtanis: proximo & hoc ipſo anno, plures ex nido, in

Venatus.
Natura.
Volatus.
Nidus.
Victus.

do,in altiſſima quercu cõſtructo,inter arcem nouam Mauricij Principis,& Miſenã oppidum. Vulgus opinatur eſſe Aquilas,neq; aliter de Alfaticis in Cronicorum libris ſuſpicatur Hedio, cuius deſcriptio cum ijs Vulturibus,quorum tres hic uidimus,maxima ex parte conuenit. Pedibus nonnulli utuntur,ut ijs imponãt candelabra. Adijcit Ornithologus Agnos,Hędos & in rupibus hinnullos Rupicaprarum roſtro impetentem ferire,& ſi collabantur, iacentium corpora depaſci. De hoc ſimpliciterne Vultur ſit, an ex Vultur & Aquila compoſitum genus, alij iudicent. Sed quid ego ſentiam,iam dixi anteà. An hoc ſit genus illud,quod Albertus Homero Melanokon uocari ſcribit? Huic enim ſoli peculiare eſt Leporibus inſidiari,eosq; necare,prętерea niger eſt,& pullos incorrupto alimento enutrit,docetq; venari, ſolus inter cæteras uelox,& ad docendum aptus.

# DE VVLTVRE AVREO ORNITHOLOGI. Cap. VI.

VVLTVRIS aurei pellem ad nos, inquit Ornithologus, aliquando miſſam ex Rhætis Alpinis,roſtro adhuc & cruribus hęrentibus, dum contemplarer, hoc modo deſcripſi: Multa hic Vultur communia habet cum genere Aquilę alpinę(cuius figuram & deſcriptionem in Aquilę hiſtoria primam dedimus) ſed per omnia maior eſt. Longus eſt à roſtro ad extremam caudam ſex dodrantes & paulò amplius:ad extremos ungues quinque dodrantes, aut paulò minùs. Longitudo ſuperioris roſtri,quantum eius aperitur,ſeptem ferè digiti tranſuerſi. Caudę longitudo circiter tres dodrantes. Tota pars ſupina,id eſt,collum inferius,pectus & uenter, & pedes quoque ruffo ſunt colore,dilutiore quidem caudam uerſus,rubentiore autem uerſus caput. Digiti pedum fuſco vel corneo colore ſunt. Alarum pẽna longiſſima quatuor ferè dodrantes ęquat. Subnigricant ſeu fuſcę ſunt omnes alarum pennæ vno ferè colore;paruulæ tamen ſupremæ in alis nigriores ſunt,& per medium aliæ ſubruffis maculis,aliæ ſubalbidæ,circa imum diſtinguntur. eò nigriores autem ſunt,quò propiores dorſo,ubi ſplendent præ nigredine. Pennæ per medium dorſum nigræ ſunt,ſplẽdentq;: in earum medio cauliculi albi, præſertim: quę circa medium dorſum ſunt, & dimidia colli parte: reliqua enim colli pars pennas ex albido ruffas habet. Caudæ pennis idem color eſt,qui alarum,nempe fuſcus. Huic omnino mihi reſpondere videtur, ſi tamen Vultures verè cognouit, genus illud, quod Albertus vocat Vulturem verum,Gręcis,ut ille ſomniat, Greſſion dictum:maius cæteris ſeſquialtera proportione,uocem edens fortem,colore citrino, aliquantum rubeſcente, rariùs apparet. Veruntamen ſi falſus uoluit Albertus γυπαετον dicere, quod Aquilę aureæ competit: atque is uel Aquilas cum Vulturibus confudit,uel non benè diſtinxit. Aurei uerò Vulturis icon,quam Ornithologus exhibet,ea eſt,quæ capite de Leporario Vulture ſecundo loco typographi incuriâ poſita eſt.

Finis Libri Tertij.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ Liber Quartus.

Qui est

## DE ACCIPITRIBVS IN GENERE.

### Et primò de eorum dignitate.

NVLLA equidem re Accipitri nostro maiorem nobilitatis dignitatisq; opinionem posse conciliari reor, quàm si diuinitatis ei aliquid inesse à superstitiosa antiquitate putatũ, diuinosq; ei exhibitos honores, præter alias, quibus excellit dotes, ostenderim. Quemadmodum enim pessimis erroribus irretitæ, ac Dæmonis astu illusæ nationes pleræq;, quędam fabulosum Iouem, Apollinem & Mineruam, aliæ Iunonem, Venerem aliæ, aliæ alium suum Deum aut Deam, imò etiam febrim ac famem adorabant: ita Aegyptij cæteris superstitiosiores præter Crocodilum & Ibim, maximo in primis Accipitrem in honore habebant: dum non solummodò per hunc, Deum suum Osirim designabant, sed eum ipsum etiam diuino cultu honorabant. Illud [a] Plutarchus pluribus locis testatum reliquit; vno, vbi ait: *Accipitre picto Osirim sæpe proponunt, Deum illum suum & sacrosanctum regem omni laudis & honoris genere decoratum.* Sai quoque oppido Arabiæ, in Aethiopia sub Aegypto, [b] Plinio teste, sito; quod hodie Sibuit vocari scribit doctiss. Guilandinus, vestibulo templi Mineruæ, infans & senex insculpti erãt, nec non Accipiter. Quorum illi, nempe infans & senex, ortum atque interitum notabant: hic verò Deum, nempe Osirim, cuius figura Accipitris designati nomine, Aegyptij Solem, Apollinem & Phæbum alijs vocatum intelligebant: eiusque symbolum plures ob causas Accipitrem gerere sibi persuadebant: Primùm, quòd instar Solis, qui viuifico calore cuncta fouet ac generat, insigni fœcunditate inter volucres polleat. Dein, quòd longæua viuacitate sua Solis quodammodo perpetuitatem æmuletur. Tertiò, quia, uti Sol lumine suo mundum hunc inferiorẽ vniuersum illustrat, orbis videlicet oculus: ita ipse Accipiter visus acie clarissima, splendoreq; oculorum eximio præditus est, vnde etiam Παντόφθαλμος Aristophani, quasi omni oculus dictus meritò fuit. Deniq; quòd Solis, qui singula quaque die, immensa primi mobilis cæli spatia conficit, & quotanis Zodiaci circulum integrum peragrat, velocitatem pernicitate sui volatus (à qua dote ὠκυπέτης ab Hesiodo, & ὠκύπτερος ab Homero, id est, præpes ac citissimi volatus ales uocatur) imitetur. [c] Porphyrius aliã præter prędictas rationem huius auis cum Sole analogicè insinuat: *Accipitrem*, inquit, *Aegyptij Soli acceptum putant; cuius totam substantiam aiunt ex sanguine ac spiritu constare; & hominis misericordia affici; ac mortuum lugere; ac in oculos eius terram aggerere, in quibus scilicet Solis lumen habitasse existimet: nempe cognatum veneratus Solem.* Quare non omnino temerè Deus hic aurea coma pulcher lyricen, præter varias formas, quas diuersarum amore impulsus olim induisse dicitur, utpote Leonis, Cerui; Accipitris etiam speciem sæpius assumpsisse fingitur. Vnde etiam est, quòd, ut Euarthes in fabulosis memorię prodidit, Accipitrem Apollini consecratum, eiusq; numini dicatum omnis antiquitas existimauit, ut ex illo Homeri uersu constat:

Κίρκος Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος.
*Circus Apollinis celer nuncius.*

Accipiter ab Aegyptijs diuinus habitus & pro Osyri cultus.

[a] *Lib. de Isid. & Osir. vide.*

Sai oppidũ

[b] *L. 2. c. 30.* Osiris Aegyptijs Sol cuius symbolum Accipiter.

Accipiter cur Soli dicatus.

[c] *Lib. 4. de abstinen. ab animatis.*

Quòd

Quòd uerò Ioui sacrum Accipitrem [d] Pontanus canit, ut ait:

*Namque Ioui sacer Accipiter sua tela ministrat:*

[d] *Lib. 3. de Stellis.*

Hoc alitum affinitate quadam ac similitudine deceptus fuisse uideri potest; cùm hoc Aquilæ competat. At Marti dicatum Seruius autumat, & sacrũ dici simpliciter per antiphrasin, quasi omnibus auibus execrabilẽ, uti auri sacra fames dicitur; sed perperã, ut mihi quidem uidetur. Etenim scriptorum maxima & optima pars, quòd pro specierum uarietate uarijs Dijs consecratus fuerit, ita dictum affirmat. Cuius rei [e] Aeliani hæc uerba sint testimonium: *Distributi autem sunt Accipitres, & consecrati varijs Dijs: Perdicarius & Ocypteros Apollinis minister est, vt ferunt: Palumbario Mercurium delectari aiunt: Iunoni dicatur Tanysipteros: Dianæ Buteo: Matri Deûm Mermæus: alij denig, alijs Dijs.* Imò uerò quod maius est, diuina hanc uolucrem Aegyptios ueneratione prosequutos esse complurimis authorum locis probare placet, quò euidentiùs eius dignitas liqueat. [f] Aelianus Accipitres à Tentyritis sanctissimè cultos & adoratos, scriptum reliquit. [g] Cicero Accipitres etiam inter Barbarorũ Deos enumerat. Legimus & in Philis insulis nominis instar fuisse cultum Accipitrem. [h] Diodorus Siculus & [i] Eusebius referũt, Accipitres magno apud Aegyptios in honore fuisse, plurimùmq; cultos eam ob causam, quòd utilitatem ex his non minimam caperent, cùm regionem suam à uenenatis animalibus, qualia sunt Scorpiones, Cerastę, aliaq; morsu nocentia, illorum ope liberari ac repurgari cernerent. Sunt enim serpentibus inimicissimi, & ubicunq; uisos, nec in latebris quidem oculorum eorũ aciem subterfugientes, cõfestim necant. Huius rei argumentum esto, quòd, uti [k] Plutarchus tradit, apud Hermopolim simulacrum ostenditur Typhonis, equus fluuialis, cui Accipiter insistit in Serpentem pugnans. Diodorus dictæ rationi alteram adijcit, ueteribus Ethnicis creditam; quòd uidelicet Accipiter *priscis temporibus librum puniceis scriptũ literis, in quo cõtinebatur, qui cultus Dijs deberetur: Thebas ad Sacerdotes detulisset; quapropter literarum sacrarum scriptores & puniceum filum gestabant, & Accipitris alam in capite.* [l] Strabo quoque author est, Philarum incolas (quę habitatio communis erat Aegyptiorum & Aethiopum) Aegyptia templa habuisse, ubi ales colebatur, quem Accipitrem uocabant. Quinetiam diuinum quidpiam huic aui inesse credebat antiquitas. Etenim, ut è [m] Porphyrio patet, Accipitrem annis cõpluribus uiuere, & pòst exactam hãc uitam, quadã uaticinãdi seu potiùs præsagiẽdi ui pollere, arbitrabatur. Adde quod tanta, ut [n] Gyllius annotat, erga homines ducatur reuerentia, ut si cadauer humanum attigerit, ueluti pollutionis pœnam ieiunio emendare cupiens, ea die nihil cibi assumat; tanquam religio ipsi sit cadauer humanum attigisse: qua re uel maximè se à funestarum obscęnarumq; auium natura longissimè differre declarat. Tanto denique ueteribus in honore fuisse Accipitrem legimus; ut legem tulerint, quo capitis eos, qui Accipitrem etiam imprudentes occidissent, condemnaret. Aegyptij insuper interfectum sepulchri honore afficiebant, ac in urbem Butim, ut [o] Herodotus testatur, asportabãt. Has omnes ob causas non immeritò à [p] Vergilio sacri alitis cognomento honoratus fuit hoc carmine:

*Quàm facilè Accipiter saxo sacer ales aperto*
*Consequitur pennis sublimem in nube Columbam.*

[e] *L. 12. c. 4.* Accipitres varijs Dijs consecrati.

[f] *L. 10. c. 24*

[g] *Lib. 3. de nat. Deor.*

[h] *Lib. 2. c. 4*

[i] *Lib. 2. de præp. Euãg.* Cur ab Aegypt. culti.

[k] *Lib. de Iside, & Osiride.*

[l] *Lib. 17. Geog.*

[m] *Lib. 4. de Abstin. ab animatis.*

[n] *Lib. 14. cap. 14.* Accipitrũ reuerentia erga homines.

[o] *In Euterpe.*

[p] *Aen. 11.*

Sed hactenus de diuinis ei exhibitis honoribus satis dictum esto; Nunc, ne ex opinione tantummodò eius dignitas pendere uideatur, uirtutes eius proprias, actionesq; naturales, quę reuera in eo conspicuæ sunt, demonstremus. Atqui quid ad animi pariter & corporis fortitudinem eius ostendendam hoc adferri potest maius, quàm quòd etiam cum Aquila Auium sine controuersia regina, bellum gerere nõ ueretur? Vnde iure merito D. [q] Isidorus hoc eum celebrat præconio: *Accipiter auis regia, quæ plus animo, quàm vngulis est armata, & quod si in quantitate corporis natura denegat, hoc ei in virtute & audacia animi rependit.* Neque verò in tanta ferocitate, generosaq; audacia benignã etiam clemẽtiam desideres; testãte [r] Plinio *Noctuæ à cæteris auibus infestatæ, auxiliatur Accipiter collegio*, vt ille opinatur, *quodam naturæ, bellum q; partitur.* Quare ego crediderim Accipitres ob singulares istas cùm ab antiquis, tùm à recentioribus ascriptas dotes, & non ob uenationis solummodò oblectamenta Principibus nostri æui in maximo haberi pretio, ac Serenissimo Ferrariensium Duci in primis, qui non paruum ei honorem exhibere inde uideri debet, quòd ab Illustrissimo ac Excellentissimo D. Iacobo Boncompagno Duce Sorę, singulis annis, in festiuitate sanctissimę Natiuitatis, bina sibi Accipitris retinacula seu uincula, quæ Getti uocant Itali, pro feudo soluenda uoluerit. Multæ prętereà sunt dotes Accipitrũ, eęq; insigniores & quàm in alijs Auibus excellentioribus, quę tamen diffusiùs pertractanda, ut quam primùm rem ipsam aggrediamur, in suum locum reijcimus.

Accipitris uirtutes & actiones. Accipiter cum Aquila audet congredi.

[q] *Lib. 12. Orig. c. 7.*

[r] *L. 10. c. 17* Noctuam infestatam Accipiter adiuuat.

D. Iacobus Boncompagnus Ferrariensiũ Duci Accipitrũ retinacula ꝓ feudo soluit.

# AEQVIVOCA.

Accipiter piſcis.

AMPHIBOLOGIAE non eſt expars hæc vox Accipiter: quæ dilucidioris doctrinæ gratia, ante omnia è medio tollenda eſt.

Primùm enim Accipiter piſcis eſt apud [a] Athenæum, duobus ab eo locis memoratus; priore, vbi ex Epicharmo hæc adducit:

*Chalcides, ſues, Accipitres, pinguiſq; canis,*

Græcus textus habet ἱέρακες, quod alij uertunt Miluij: alij Accipitres piſces: quamuis Miluij piſces aliàs etiam ἰκτῖνοι appellentur: quos Romæ Rondine vocari autumat Saluianus: ut alij, Capone. Altero, vbi de piſciũ alimonia loquitur: *Porcus*, inquit, *anguillæ eſt ſimilis, at ori eſt aſper. Accipiter verò carnem habet duriorem quàm Cuculus; etſi ſimilis eſt alijs in rebus. Coruus Accipitre eſt aſperior.* Hîc Græcis ſimiliter ἱέραξ dicitur; eſtq; idem cum eo, quem Latini alio nomine Miluum & Lucernam vocant, & Lupum maiorem. Hic cùm ſibi à maiore piſce metuit, volitat; ſed ſumma tantùm maria attingens, vt neſcias, volitetne, an ſuper aquam natet. 1

Miluus piſcis. Lucerna piſcis. Lupus maior piſcis. Accipiter vir.

*Fuit & apud Mariandinos Hierax ſeu Accipiter nominatus vir*, vt [b] Antonius Liberalis ſcribit, *iuſtus ac illuſtris; qui templa primus Cereri poſuiſſe dicitur.* Cuius metamorphoſim inter fabulas ſuo loco referemus.

[b] *In Metamorph.*

Apud [c] Vidum Vidium faſciæ chirurgicæ cuiuſdam mentio eſt duobus in locis, quam Accipitrem vocat. De qua qui plura videre uolet, authorem ipſum adeat.

[c] *Lib. de Faſcijs Gal.*

Accipitris quoque nomine veniunt quædam tormenta bellica, quæ parum pyrij pulueris recipiunt. Hæc Itali Smerigli & Moſchetti (quod nomen enim Germanorum Musket; qui eorum portatores, Muskettiers vocant, commune eſt) appellant. 2

Accipiter tormẽtum bellicum.

# SINONYMA.

Netz. Sparuerius

ACCIPITER Hebræis נץ Netz vocatur. Quam vocem Rabbi Kimhi interpretatur Auem, quæ venetur; & poſtquam auolarit, reuocata ad dominum redeat, vulgoq; Sparuerium dictũ addit: quẽ ſimiliter Rabbi Salomon ſequitur. [a] Author Chaldaici Dictionarij Aſturẽ exponit. Pro Nez Chaldaica interpretatio iam citato loco habet נבא, Naba; vnde forſan Italorũ Nibio. Arabica verò verſio באז. Baſi, vel adiecto articulo Albaſi fit dictio, quam Andreas Bellunenſis interpretatur auem, quę, Falco peregrinus vulgò dicitur. Perſicum vocabulum, מר אן בז, quod ſonat Mar an bas: Septuaginta interpretes ἱέραξ exponunt: Hieronymus Accipiter. Iidem Septuaginta in Deuteronomio perperã pro voce Hebraica antè poſita Netz, verterunt Κόραξ, id eſt, Coruus. Hæc enim vox omnino Accipitrem ſignificat; à qua forſitan etiam Niſus Latina deſcenderit. Videtur autem facta à uerbo נצה, Nazah, quod volare ſignificat; quoniam hæc auis volatu plurimum valeat; ut uel primum inter volucres locum obtineat. Recentiores nonnulli dictionem ניצה Nozah [b] Iobo plumam ſignificare volunt; non autem Accipitrem, ut alij vertunt. Septuaginta relicta voce Hebraica, νέσσα reddiderunt. פרס Peres, etiam Accipiter exponitur, vel Haliętos, à Iudęis uulgò בלאבוז, quod Cyanopem ſignat, Germanis Blafuſſ dictũ. Alioquin φερνὸς, vel potiùs φερκνὸς Aquila eſt venationi dedita: itẽ φαραὸς Aquila ſimpliciter eſt Macedonibus, Varino teſte. Sarſir [d] Hebraicam uocem alij aliter exponunt. quidam auem אשטורגל Aſturgal, Sturnũ aliqui conijciunt intelligendũ: Ornithologus mauult Aſturem. Pro [e] Scachaph dictione Hebraica, Septuaginta Hierax, id eſt, Accipiter vertũt: Alijs Bubo potiùs ea deſignari creditur. Aegyptijs Accipiter Baijth dicitur, quaſi anima, nomine opinioni ſuæ, qua Accipitrẽ Deum eſſe, totũq; ſpiritu conſtare ſentiũt, congruo. Qua de uoce ac re in Hieroglyphicis pluribus agemus. Iidem ſimilẽ ob cauſam eũdem Thauſton, id eſt, admirabilem nũcupãt, teſte * Aeliano. Græcis ἱέραξ ἀπὸ τὲ ἵεσθαι ῥᾷον, nẽpe à celeritate uolatus; uel παρὰ τὲ ἵεσθαι ἠγὲν φέρεσθαι ἐν τῷ ἀέρι ῥᾳδίως, & per craſim dicitur ἵραξ. Ego potiùs ἱέρακα dictũ exiſti marẽ, quaſi ſacrũ ac uenerandũ, ob eas quas in eius dignitate explicãda antè oſtẽdimus, rationes. Dicitur quoque ἶρηξ Homero * & Heſiodo: * item D. Greg. Nazianzeno, Ionico more α in η uerſo: & prima ſyllaba per craſim cõtracta. Non rectè etiam Scholiaſtes quidam apud Homerum Aquilæ genus interpretatur. Hodie Græcorum vulgo γεράκι Accipiter uocatur, quod nomen etiam Falconi tribuunt. Eſt tamen ubi nomen hoc ἱέραξ generatim pro omni ferè rapaci aue uſurpatur à Græcis, ut & Accipiter apud Latinos. Quinetiam & Falco nomen eſt Gręcę, ut quidam exiſtimant, originis: & ipſum uniuerſo Accipitrum generi ſępe attributum. Verùm huius nominis diſquiſitionem ſuo loco reſeruamus. Apud Libyas, ut author eſt Heſychius, Accipiter βάρβας uocatur. Apud eundem authorem nõnunquam κερκνὸν, & quandoq;

Sarſir. Aſturgal. Scachaph. Bubo. Baijth. Thauſton.

[a] *Lib. 9. cap. 14.* [b] *Cap. 39.* [c] *Leuit. 11. & Deuter. cap. 14.* [d] *Prou. 30.* [e] *Leuit. 11.* * *Lib. 10. cap. 14.* ἱέραξ & ei⁹ etymõ. ἶρηξ. * *Iliad. N.* * *L. 1. dier. & oper.* γεράκι. βάρβας.

doq; Electrion ſcriptum reperias. Sed rectiùs fortè Circos legès: licet hoc tantùm uni Accipitris ſpeciei Ariſtoteles nomẽ addiderit, quod ille generale eſſe uoluit. Simile huic Κέρκας etiã alicubi inuenitur. Tyrrhenorum lingua ac dialecto ἄρακος dictus fuit Accipiter: quod pro legumine apud [f] Galenum uſurpatum ſcio. Alijs μέρμης etiam Græcè dicitur. Κέρκας. Ἄρακος. [f] *Lib. de ſimp. med. facult.*

Auis hæc Latinis appellatur Accipiter; cuius originem pleriq; ab accipiendo deducunt, eius rapacitatem notãtes. [g] Iſidorus, vt probet accipere nonunquam idem ſignificare, quod rapere, adfert hunc locum D. Pauli: *Suſtinetis enim ſi quis vos accipit. Vt enim diceret*, inquiens, *ſi quis rapit; dixit: Si quis accipit.* Et [h] Beda ex nominis etymo aues omnes, quæcunq; aucupio aptæ ſunt, Accipitres vocari aſſerit. Etenim, vt inquit D. [i] Gregorius hanc ſentẽtiam confirmãs, *Accipere, aliquando auferre dicimus, vnde aues, quæ alias rapiunt, Accipitres vocamus.* Alij Accipitrem, inuerſo vocabulo, tanquam ter acceptum, dictum fuiſſe volunt, quòd Romanis optimum augurium volatu adferre rebus gerendis crederetur: ideoq; ſacrum alitem illis etiam nominatum. Italicè Sparauiero & Sparuier profertur, à Græco verbo fortè, vt [k] Scaliger annotauit, σπαράσσω, quod eſt lacero & vellico: ait enim, nomẽ Sparauerij Italis deductum παρὰτὸ σπαράττειν aues, eamq; vocem in Italiam Exarchatum ſimul cum Græcula ſuperbia importaſſe videri poſſe; niſi Germanicè ſic appellaretur. Hi enim Accipitrem, Sparuer vocant; quæ dictio eorum idiomate idem ſonat, quod expandens alas. Ver enim per craſim à veder, ſeu per F feder, Germanis præſertim inferioribus, alam ſeu potiùs plumam denotat. Sparren verò infinitiuus; quod Germani ſuperiores, Sperren dicunt, expandere ſeu diſtendere ſignificat, quemadmodum & Italis idem ferè uocabulum ſparare. Huius etymi ratio ab auis ipſius natura petita uideri meritò poteſt: eiq; optimè quadrat. Sæpenumerò enim, ut obſeruaui, cùm in Buteone, quæ prima apud [l] Ariſtotelẽ eſt Accipitrum ſpecies, tùm in alijs Accipitribus, quòd cælo ſereno, cùm in Sole apricãtur, aut ſeſe aquis immerſitando proluunt, alas expandunt inſtar conopęi (quod eam ob cauſam Itali forſan Sparauiero uocant) quò uidelicet calorem Solaris luminis in uniuerſum corpus undiquaque meliùs recipiant: aut etiam cùm prædam ſuam dilaniant, alis item diſtentis eam cooperiunt, eiq; ueluti tentorium quoddam obtendunt: fortaſſe ut eam cęteras rapaces, celent, easq; arceãt. Deniq; cùm ueterum plumarum ſenectam annuam deponendi tempus inſtat, expaſis alis Auſtro obuerſi, uenti teporem captant, quo relaxatis udo moderatoq; calore poris faciliùs excidant, quibus ſuccedant poſtea nouę, ut qui de Accipitribus ſcripſêre, frequentes authores teſtantur. Sparauiero interim Italorum; & Sparuer Germanorum, nec non Eſpreuier Gallorum, paſſim hac tempeſtate eorum linguis propriè ei Accipitris ſpeciei tribuitur, qui Niſus uocatur; eſtq; Accipiter minor fæmina: cuius mas Muſchettus vulgi eſt hodie, ſeu Accipiter Fringillarius, Accipitris alioquin ſimpliciter dicti naturę ac habitui coloriq; proximus. Vnde non mirum, ſi id nominis utriq; nonnunquam tribuatur. Itali enim communi ſeu generali nomine, quod omnes ſpecies complectatur, carent: & Aſtor eis dictus, æquè anguſtæ, atque Sparauiero, ſignificationis eſt; & Accipitrem præcipuè maiorem ſeu Palumbarium iſta voce ſibi ſignificari exiſtimant. Ita etiam apud ueteres & recentiores authores, cùm generali voce careant, Accipitris vel Palumbarij, uel Fringilarij nomine ſpeciali vteq; ſexus denotatur. Ita neque Galli, vel Bellonio [m] teſte, uocem generalem omnibus in vniuerſum ſpeciebus propriè competentem habent: quod ipſemet, Gallus alioquin, ſuorum, nec non peregrinorum vocabulorum curioſus indagator, & ea de re cæteris fide dignior, ingenuè fatetur. Quòd enim quidam in Accipitris locũ ſubſtituunt, Oyſeau de Proye, nimis latè patet, omnes in vniuerſum rapaces ſuo ſignificatu includens; neque noſtro congruum eſt argumento. Hîc enim nomen peculiare, quod Accipitrem Latinum ſignificanter exprimat, eiq; reſpondeat, quærimus: quale in ſua lingua Bellonius reperiri negat. Etenim hanc vocem, Sacre, etſi ipſis idem, quod Græcis Hierax ſonet: uni tamen tantummodò ſpeciei aptatam, eamq; Buteonem eſſe, ipſemet teſtatur. Dictionem verò Gallicam, Vautour, quam Ornithologus Accipitris nomẽ commune exprimere exiſtimat, ſequutus fortaſſe Tardiuum Gallum, qui de re Accipitraria Gallicè ſcripſit quidem, ſed linguæ Latinę, cæterarumq;, præterquam vernaculæ ignarus, de nominibus alienis rectè ſentire aut iudicare non potuit. Bellonius Aſteriam Accipitrem ſeu ſtellarem ex nominis argumento & Gallorum conſuetudine, ſpeciatim nominat. Qua in re Auguſtinus Niphus etiam cum eo ſentit. Nullum verò nomen inter ea, quæ Accipitribus ſignificandis, Gallis inſtituta ſunt, latioris eſſe ſignificatus, idem Bellonius aſſerit hoc nomine, Faucon, vtpote quod ceu generale ferè pleriſq; Accipitrũ ſpeciebus attribuunt, eorũq; particularibus uocabulis ceu commune pręponunt; vt cùm exempli cauſa Aeſalonẽ, le Faucon Lanier: Buteonem, le Faucon Sacre: Aſteriam, le Faucon Vautour indigetant. Attamen ſi [n] Bellonio credimus, qui auem eidem genti Gerfault dictam, hoc etiam prænomine, Faucon, donat; quam tamen alibi inter Aquilas repoſuit; ſanè alijs etiam

[g] *Lib. 12. Orig. c. 7.*
[h] *In quæſt. ſup. ſentent. cap. 10.*
[i] *Lib. 33. Moral. capit. 11.*
[k] *Exer. 233*
[l] *Hiſt. lib. 9. cap. 36.*
[m] *Lib. 2. de Auib. c. 13.*
[n] *Lib. 2. de Auib. c. 6.*

Accipitris etymum.
Sparuier & eius origo.
Sparauiero, & eius origo.
Sparauiero pro conopæo vnde dictum.
Accipitres cur alas expandant.
Eſpreuier.
Niſus.
Muſchettꝰ
Fringillarius.
Aſtor.
Oyſeau de Proye.
Sacre.
Aſterias Accipiter.
Gallos nullam vocem habere, q̃ Accipitrire ſpondeat.

quàm Accipitribus id nominis conuenire fateatur, neceſſe erit; niſi Accipitris nomen adeo generale facit, vt omnes omnino rapaces ſub ſe complectatur. Quod quidem etſi quibuſdam forte viſum eſt, Ariſtotelis tamen repugnat menti, qui Accipitres ab Aquilis & Vulturibus, nec non rapacibus nocturnis, de ſingulis ſeorſim tractans, manifeſtè ſeparat; & noſtro præterea minimè conuenit inſtituto. Sed eſto, uocem hãc, Faucon, Gallis latè adeo patere, ut omnem rapina victitantem uolucrem comprehendat: quemadmodem etiam Feſtus hanc uocem, Falco, ad cunctas, ungues falcatos habentes, ſeu uncungues aues extendere uidetur: nihilominus præter uniuerſalem hanc ſignificationem, aliam inſuper particularẽ obtinere ipſam, quæ cùm ſimpliciter ſine ulla alia adiunctione pronuntiatur, Accipitrẽ Palumbarium ijſdem Gallis denotat, omnibus Gallicæ linguæ gnaris cõſtat, neque ipſe inficias it Bellonius. Nullam itaque apud ipſos uocem conſtat eſſe, quæ latinam, Accipiter, ad unguem ita reddat, ut neq; plus neq; minus ſignificet. Si tamen quæpiam eſſe exiſtimanda eſt; eam hanc, Faucon, dici poſſe, non admodum repugnabimus. Ex quibus facilè uidere eſt, quanta ſit uocum cuiq; idiomati propriarum, etiamſi prima fronte idem notare videantur, in ſignificando diuerſitas, in explicando & conciliando difficultas: quàm operoſum præterea ad priſca vocabula nouas voces velle reducere. Aliud enim Hierax Græcis, aliud Sacre Gallis, & Sacker Germanis, aliud ſimiliter Aſterias Ariſtoteli, aliud Aſtor Italis, aliud Vautour Gallis. Pari modo & Falconis nomen ſignificatum ſuo varijs gentibus variat, vt de ſingulis ſuo loco docebimus. Sed ſi quæ ſint, quæ idem propemodum ſignificare videantur, nunquam tamen ita reſpondent, ut vbiuis gentium planè prorſus communi ſignificatione conueniant. Vnde minimè mirum videri debet; ſi in tanta nominum varietate & incertitudine ſæpemerò ab authoribus, quæ multis in genere cõmunia ſunt, vni ſpeciei tanquam peculiaria attribuantur, & è cõtra: præſertim cùm præter nomina, etiã maxima, quæ inter ipſas Accipitrum ſpecies eſt, ſimilitudo, frequenter incautis imponat. Quare candidum Lectorem nobis, qui venatum volaticum, ſeu aëreum hunc, ſeu per Accipitres inſtitui ſolitum aucupium, nunquam exercuimus, ſi alieno aliquando nos errore inuolui contingat, veniam daturum ſpero, præſertim cùm Authores ipſos, qui de hac arte ex profeſſo ſcripſerunt, mirum in modum à ſe mutuò diſſentiãt. Nunc eò, vnde digreſſa eſt reuertatur oratio. Etſi, vt antè monuimus, nullam neque Itali, neque Galli vocem habeant propriã, quæ Accipitri reſpondeat ad amuſſim, ſed diuerſis diuerſas ſpecies nominibus appellent, & fœminas præſertim, quę in vſum uenationis potiſſimùm cedũt: Accipitres tamen mares omnes uno ac cõmuni nomine utriſq; vernacula lingua ueniũt: illis enim Terzuolo; his Turcelet numero ſingulari dicuntur. Has uoces recentiores Latinas facere conati, Tertiolum vel Tercellinum reddunt, quas abſolutè poſitas pro mare Accipitre accipiunt. Alioquin pro aliarum etiam rapacium mare uſurpari cõtingit: earum nempe quę ternos pariunt. Tertiolo enim, quod eſt diminutiuum à tertio, nominis origo ex eo data eſt, quòd pulli tantùm tres, ut plurimùm, in Accipitris nido naſcantur, quorum duæ fœminæ maiores, tertius mas omnium minimus ſemper inueniatur. Ita vt alij hac ipſa de cauſa Tercellinum, quaſi Tertiarium dictum uelint; quòd fœminis tertia magnitudinis parte ſit inferior. Hiſpani Gallos ſequuti videntur, cùm uniuerſum Accipitrum genus Halcon ò Acor vocant, quaſi Falconem dicant, f literam ſuo more in aſpirationem commutantes. Quod minus mirabitur, qui etiam quoſdam, nempe Aquilam, Theodotionem & Symmachum voce, Falco, adeo latè vſos fuiſſe conſideraverit, ac impropriè; ut præcipuas & maximè propriæ dictas Accipitris ſpecies, Aſturem nempe & Niſum, Falcones vocent, Falconemq; in hos ceu ſpecies ſubdiuidant: vulgi fortaſſe conſuetudinem ſequuti Germanorum lingua locupletiſſima ac proprijs omnium rerum vocabulis, ſi quę alia, ditiſſima, quam nulla hactenus alieni idiomatis ſeu peregrini confuſio corrupit, adeoq; ſyncera, hanc vocẽ, Hapich vel Habich, pro Accipitre in genere vſurpat: quam ſi examini ſubijcere, etymumq; eius curioſè indagare libet, multò exactiùs rei ſignificatæ, vt pleraq; huius linguæ vocabula alia, naturam exprimere comperiemus, quàm vel Accipiter Latinus, aut aliarũ gentium huius auis quæuis vernacula nomina. Cùm enim Hap ipſis idem, quod arripio, ſignificet vel ipſo [n] Goropio Becano vnico ſuæ linguæ excultore ac lãpade, teſte: quid hoc verbo, quęſo ad auis huius ingenium tribus literis declarandum, excogitari poſſit ſignificantius, cùm proprium huic aui ſit rapere ac rapto viuere: adeo vt & homines libido inceſſerit, eis ad raptum animalium abutendi? Quidam aliam nominis rationem adferũt, vt, Habich, mitiori litera proferentes, ita dictum volunt à verbo Haben, ab habendis & retinendis auibus, neſcio quàm rectè. Germani inferiores, quos Flandros vocamus, vulgò Hauick pronuntiant. Hau verò ipſis teneo deſignat: vnde dictus Accipiter videri poteſt, uel quòd animantes captas unguibus firmiſſimè teneat: vel quòd ipſe ab accipitrarijs ſeu venatoribus manu teneatur, geſteturq;: ad quod ſignificandum etiam eadem ſeſe dictio extendit. Alij Hafkin diminutiua voce dicunt.

Accipitris nomen nõ omnib⁹ rapacibus cõuenire.

Falcones quæ Aues dicantur.

Authores cur ſæpius vni potiùs quàm alteri ſpeciei quędam aſcribant.

Terzuolo. Tercelet. Tertiolus. Tercellin⁹

Tercellin⁹ Tertiarius.

Halcon ò Acor.

Falconis lata ſignificatio.

Germanicæ linguæ cõmendatio.

Hapich. Habich. Hap.

[n] *Lib. 12. Hierogl.*

Haben. HauicK.

Anglis

Anglis Accipiter vocatur Hauuke, quæ vox, cùm à Germanis Saxonibus sine dubio profecta sit, etymi vocis Hauick Belgarum rationem suprà adductam confirmat: quòd Hauu per duplex uu Germanis vsitatissimum, non aliò detorqueri possit, quàm ad significandum, quod diximus, nempe, retinere. Alioquin, v, simplex Belgis literæ, F, æquiualet; in consonante abiens. Dicitur tamen ijsdem Anglis altero nomine Accipiter, nimirum Hobie. Illyrijs Gestrzab. Polonis Zastrzamp. HauuKe. Hobie. Gestrzab. Zastrzãp.

# ACCIPITRVM GENERA ET Differentiæ.

ACCIPITRVM differentiæ à neotericis multò plures enumerantur, quàm à ueteribus, quibus non omnes fuisse cognitas uerisimile est, quòd naturã singularum, ut & aliarum auium omnium potiùs, quàm oblectamenta & utilitates considerarent. Cùm uerò hac tempestate maximum ex hoc auium genere capiatur emolumentum, non mirum est, si diligentiùs & accuratiùs omnes diuersitates inquirẽdi ac discutiendi occasionem prębuerint. [a] Aristoteles decem ad summum genera ponit; & huiusmodi ordine enumerat. *Accipitrum*, inquit, *præcipuum genus est Buteo, Triorchis à numero testium nuncupatur: Secundum Aesalo: Tertium Circus. Stellaris autem seu Asterias, Palumbarius & Pernix differunt. Latiores verò Accipitres Hypotriorchæ, id est, Subbuteones appellantur: Alij Percæ & Fringilarij vocantur: Alij leues & Rubetarij, qui abundè viuunt.* [b] Plinius uerò genera Accipitrum sedecim inuenisse se dicit, nec tamẽ persequitur, ne nominatim quidem: cùm Aristoteles decem tantùm genera huc recensere conspiciatur, ut fortasse erratum esse in notis numeri apud Pliniũ suspicari cum doctissimo [c] Budæo possimus, imò debeamus. Quæcunq; enim de Aquila & Accipitre dicit, ex Aristotele ad uerbum vertisse uidetur. Hodie sanè ueterum istæc nomina seruari uix possunt, uti rectè etiam Budæus sentit, cùm quòd nomine tenus tãtummodò ab Aristotele & Plinio recensita, & nullis, quibus dignosci possint, notis distincta sint, tùm quia in tanta Accipitrum uarietate apud diuersas nationes nomina, quæ tamen nullam antiquitatem sapiunt, confundantur. Huius rei difficultatem auget, quòd maxima inter authores de uocabulis est dissensio, quæ fortè inde nata est, quod quisq; ueterem nomenclaturam ei conetur assignare speciei, cuius nomen uernaculum antiquo nonnihil respõdere uiderit. [d] Bellonius Aristotelica nomina, coniecturis quibusdam ductus, singula Gallicis accõmodat: quàm uerò rectè id faciat, hîc recẽsere nobis longum esset, qui suo loco illa examinaturi, non solùm Gallicas, sed & aliarum gentium indigetes uoces ad ueterum relatas species, earumq; uocabula, quàm aptissimè fieri poterit, reducemus. Præter eam Accipitris in decem species distributionem Aristoteles eodem loco alteram diuisionem subiungit, eamq; non ab auium, ut illa, natura seu forma specifica petitam, sed, ut ipse inquit, à uenandi, quo inter se dissentiũt, modo: *Alij enim*, inquit, *Columbam humi consistentem rapiunt, volantem non appetunt: alij supra arborem, aut tale quid conscendentem venantur: sin humi est, aut volat, non inuadunt. Alij neque humi, neque in sublimi manentem aggrediuntur; sed volantem capere conantur.* Quæ quidem distinctio à Philosopho assignata à uenatus quidem modo petita est: sed quem sponte sua ac naturæ instinctu, suopteq; ingenio obseruant: non autem ab eo, quem à mansuefactarijs seu magistris edocti sunt. Eas enim, quæ ab institutione pendent, ac disciplina comparantur, differẽtias, suo loco reseruamus, cùm de arte uenatoria seu Accipitraria nobis sermo erit: uti etiã omnes, quotquot quouis modo ad eam spectant, illiusq; gratia ab accipitrarijs fuerunt excogitatæ ac obseruatæ. Videntur autem istæ differentiæ non unius, sed diuersi generis Accipitribus ab Aristotele ascriptæ, quandoquidem post decem enumeratas eorum specificas diuersitates, easdem & alia ratione, nempe uenandi modo inter se dissidere scribit. Recentiores uerò, qui de Accipitraria uenatione scripsere, ut Albertus Magnus, Augustinus Niphus, alijque, accipitrariorum magistrorum sui temporis, & huius etiam nostrę tempestatis, ut uidetur, morem sequuti ac nomina; vniuersam Accipitrum familiam, communiori quadam ratione, primùm in tria quædam vniuersalia genera diuidũt; nempe Asturem; quo maiores Accipitres designare videntur: Falcones, quorum nomine gentrosiores quosque ac nobiliores comprehendunt: demum Accipitres simpliciter vulgari nomine dictos, per quos reliquas minorum Accipitrum species intelligunt. Hæc singula genera denuò in plures species partiuntur, & sub Asture Palumbarium Accipitrem, Asteriam, aliasq; plures ponunt. Sub Falconis genere, Falconem sacrum, Girofalcum, Falconem gibbosum, Falconem peregrinum, & aliquot alias species colloCant.

Accipitrũ differentiæ cur ueteribus incognitæ.
[a] *9. Hist. 36.*
Accipitrũ genera apud Arist.
[b] *L. 10. c. 8.*
Accipitrũ genera apud Plin.
[c] *In Pand.*
[d] *Lib. 2. de Auib. c. 13.*
Differẽtiæ à uenatione.
Recentiorũ diuisio.
Accipitrũ genera tria
Asture qui designent.
Falcones q
Accipitres.
Generum subdiuisio.

cant. Sub Accipitribus verò communi nomine dictis Niſum, Muſchettum & Aeſalonem, vulgò Smerillum, ac Tinnunculum ſtatuunt. Hoſce præterea alijs differentijs, partim à loco natali, partim colore ac robore petitis, variè inter ſe diſtinguunt; quas ſuis locis latiùs proſequemur. Poſſit & alia, tamen huc pertinens Accipitrum diuiſio inſtitui, & ex natura ipſorũ elui; qua Accipitrum alij diurni dicuntur, alij verò nocturni à recentioribus vocati, quales ſunt ab Ariſtotele (licet ille Accipitres non vocet) enumerati, Cymindis & Hybris. Hic enim, etſi in codicibus Latinis omiſſus eſt, nec à Gaza, hac forſan ratione, quòd Plinius eius nuſquã meminerit, expreſſus, in exemplaribus tamen Græcis pleriſque legitur, ſtatim à verſu Homerico ab [c] Ariſtotele citato ſubiunctus. Et hunc quidẽ à Cyminde alium ac diuerſum, ſeorſimq; ab Ariſtotele de eo tractatum peculiari capite, rationibus minimè vanis quiſpiã oſtendat. Non ſum tamen neſcius, à quibuſdam in dubiũ reuocari, num Accipitrum generi, an potiùs nocturnis rapacibus, ut Vlulis, Aſionibus, Bubonibusq;, & cæteris id genus auibus ſit annumerandus. [f] Plinius, ſi corruptis fortè codicibus fides habeatur, Cymindim nocturnum Accipitrem facit. Vt autem dicam liberè quid ſentiam, non video, cur Chalcis ſiue Cymindis Accipitribus ſit aſcribendus. Scio quidem magnitudine Palumbario Accipitri ſimilem à Philoſopho dici. An ideo Accipiter vocandus? Præterea colore eſt nigro, eodem teſte. Quis vnquam Accipitrem nigrum vidit? Quare in Plinio ego pro Cymindis, Hybris legendum cenſeo: vt ex Chiffletio Medico etiam legit Dalechampius ex libro manuſcripto. *Hybris* enim (Philoſophi verba ſunt) *quam alij Ptyngem eſſe volunt, interdiu minus apparet, quia non clarè videt: ſed noctu venatur more Aquilæ; & pugnat cum Aquila adeo acriter, vt ſæpius implexæ ambæ deferantur in terrã, & viuæ à paſtoribus capiantur. Parit hæc oua duo; & ſaxis ſpelunciſq; nidulatur.* Præterea venantur Accipitrum quidam natura, quidam arte docti: Sed hodierna hæc eſt ex venatus more accepta differentia, quæ arte potiùs, quàm natura conſtat.

Accipitres diurni, & nocturni. Cymindis. Hybris.

[c] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 12*

[f] *L. 10. c. 8.*

Plinij locus emẽdatus.

Hybris hiſtoria.

# FORMA. DESCRIPTIO.

DIFFICILE quidem eſt, in tanta ſpecierum varietate, Accipitris in genere formam deſcribere: eſt tamen aliquid, in quo omnes conueniunt; ut roſtro & vnguibus, ac quadam formæ cùm interne, tùm externe cõtinuitate. Natura enim diſſimiles non ſolùm inter ſe eiuſdem generis aues fabricata eſt: verùm etiam animalia alia, quæ ſub diuerſis generibus poſita, corpore ſimillima, ſpecie tñ admodum diſſimilia ſunt. Hoc in piſcibus videmus. Nihil. n. ſimilius Capitoni quàm Mugil, ſi faciem ſpectes: nihil diſſimilius, ſi cætera. Cuculus & Accipiter una modò uidetur auis eſſe: eorum naturæ ità cohærẽt, ut Gallica & Hiſpanica. Quod diſertè [a] Ariſtoteles monet omnem ambiguitatis erroriſq; occaſionem ſubmouens his uerbis: *Accipitrum minimo ſimilis eſt Cuculus magnitudine ac volatu, qui magna ex parte per id temporis non cernitur, quo Cuculus apparet. Illud putauerunt alioquin Cuculum ex Accipitre fieri, mutata figura. Sed ita ferè euenit, vt ne cæteri quidem Accipitres item cernantur, cùm primùm vocem emiſit Cuculus, niſi perquã paucis diebus. Aliquando tamen vnà viſi ſunt & Cuculus & ſimilis ei Accipiter. Quinetiam ab Accipitre interimi viſus eſt Cuculus, quod nulla auis ſuo in genere facere ſolet.* Imitatur autem Accipitrem nulla alia re quàm colore, niſi quòd hic maculis diſtinguitur ceu lineis: Cuculus velut punctis. Pari pacto [b] Plinius: *Coccyx*, inquit, *ex Accipitre videtur fieri, tempore anni figuram mutans, quoniam tunc non apparent reliqui, niſi perquam paucis diebus: ipſeq; modico æſtatis tempore viſus non cernitur poſtea. Eſt autem neque aduncis vnguibus ſolus Accipitrum, nec capite ſimilis illis, neque alio, quàm colore, ac victu Columbi potiùs. Enim & abſumitur ab Accipitre, ſi quando vnà apparuere, ſola omnium auis à ſuo genere interempta.* Quibus verbis manifeſtè ab Accipitre differre Cuculum, cùm vnguibus, tùm roſtro declarat Plinius: nihilominus tamen eundem ſub Accipitrum genere ac nomine comprehendere videtur. Quod mirum videri poſſit, cùm ipſe eas partes, quibus potiſſimùm rapacium genus indicatur, nempe roſtrum, vnguesq; aduncæ, ipſi detrahat. Quare nõ niſi larga admodum ſignificatione, ac impropriè admodum, nimirũ ob cæteri corporis quandã ſimilitudinẽ, Accipiter vocãdus videtur. Similis locus eſt apud D. [c] Iobum, qui lectori negotium forſan faceſſere poſſit, vbi ait: *Penna Struthionis ſimilis eſt pennæ Herodij & Accipitris.* Abſurdum certè cuipiam videatur, harum auium pennas ad inuicem comparari; cùm non vno nomine diſcrepent. Struthio enim pilis ſimiles & lanuginoſas quodammodo plumas habet, præter nõ ſolùm Accipitrum, ſed & cæterarum auium morem. Verùm eo loco aduertendum eſt, hoc tantũ agere illis verbis Prophetam, vt ex hac qualicunq; harum auium ſimilitudine maximã ingenij actionumq; earum diuerſitatem innuat ac declaret, quaſi ita diceret: Pennæ Struthionis cum pennis Ac-

Corporis ſimilitudo non arguit ſpecierum identitatẽ.

[a] *Lib. 6. Hiſtor. c. 7.*

Cuculi cũ Accipitre minimo ſimilitudo.

[b] *L. 10. c. 9.*

Cuculus quatenus dici poſſit Accipiter.

[c] *Cap. 39.*

Iobi locus explicatus.

nis Accipitris in eo conueniunt, quod vtræq; æquè pennæ ſunt, nec hæ magis pẽnæ, quàm illę cenſendæ ſunt: adeo vt plumarum ratione, quæ utrique ex æquo datæ ſunt; pari etiam uolandi pernicitate prediti eſſe debere uideantur: Vel ut Gloſſa interlinearis exponit, & res ipſa etiam teſtatur: Penna Struthionis ſimilis eſt pennæ Herodij & Accipitris, nimirum colore caſtaneo & nigro: uſu tamen & uiribus toto hæ diſtant cælo. Accipiter enim plumis denſiſſimis, quæ exiguæ molis corpus obueſtiunt, celerrimo per aëra fertur uolatu: Struthio uerò, etſi penas habeat, quę reliquis auibus ad uolandi uſum conceſſę ſunt, uix tamen hiſce ſuis ab humo ſeſe potis eſt attollere ob ingens corporis pondus, ideoq; ad curſus tantummodò uelocitatem promouendam ei ſeruiunt. Verùm hac de re ſatis: nunc ad reliquas partes deſcribendas pergamus. Accipitrum in uniuerſum generi natura roſtrum,

*Oraq; adunca dedit, curuos dedit vnguibus hamos,*

Vti Aquilino & Vulturino, atque ut æquè rapinæ aptũ eſſet, idoneis ad eam inſtrumentis armauit. Oculi Accipitri ſunt, teſte Ariſtotele, mobiles ac celeres, id eſt, continuo motu huc illuc diuagãtes, nec unquam ſtabili intuitu in eandem rem, aut unum locum defixi, præcipitem ac rapacẽ auis naturam declarantes. Vnde, qui huiuſmodi oculos habẽt homines, Accipitrum argumento, rapaces ſimiliter ac impetuoſos eſſe tradit idem author. Pulcherrimos verò etiam Accipitres oculos habẽt, ac ſplẽdidiſſimos clariſſimoſq;, quæ ei præ alijs auibus egregia ac peculiaris dos eſt, ob eamq; cauſsã Soli præcipuè antiquitùs ſacri habiti. Color uerò oculorũ non omnibus idem eſt, nec ijſdem quidem auibus perpetuus aut conſtans, ſed cum ætate mutari dicitur. Quemadmodum etiam roſtri, quod tamen pleriſq; extremo corneum eſt. Corporis magnitudine nonnunquam uix Aquilis cedit, quæ tamen pro ſpecierum diuerſitate uariat. Quinimò uni & eidem ſpeciei, pro regionum, in quibus naſcuntur, natura, diuerſa eſt. Accipitres enim, Ariſtotele [d] teſte, *in Aegypto minores, quàm in Græcia fiunt.* Et, ut inquit Albert. Magnus, *Accipitres maiores fortioresq;, in regionibus Aquilonem verſus naſcuntur.* quia cùm hæ frigidę ſint; & in regionibus frigidis naſcantur corpora magna, quæ copioſo ſanguine & ſpiritu abundant, ideo etiam aues rapaces ibi magnæ ſunt. Tappius etiam in rupibus grandiores gigni ſcribit, quàm alibi. Sed & ſexus maximum quantitatis ſeu molis corporeæ diſcrimen inter has aues conſtituit. Etenim non in hoc tantùm, ſed omni rapacium genere mas minor eſt: fæmina maior, & rapacior: Huius rei cauſam adferre conatus [e] Calentius ita ſcribit: *Ferocia Accipitribus non niſi ex diuino ineſt calore, qui quantò eſt in maſculo vehementior, tantò minus virium ſufficit ad incrementum: fœminis autem, quia remiſſior eſt, maius creſcendi adiumentum præſtat. Impedit enim munus id naturæ calor intemperatus.* Hęc ille; quibus docere vult in mare ab immodico calore humidũ omne, quod incremento materiam ſuppeditare debebat, abſumi. Contrà in fœmina ſe rem habere, in qua cùm moderatior calor, & ſanguis copioſior eſt, augmento quantum ſatis eſt, materiæ ſuppetit. Simili ratione etiam color ipſis pro ætate variat, vt plurimùm tamen ex albido, fuluo, & nigro diuerſus, maculisq; diſtinctus eſt. Albi enim toti, qualem Auguſtinus Niphus Sueſſanus in ſuę regionis montibus captum ſibi donatum ſcribit, rariſſimi ſunt. Alioquin & leucophæi reperiuntur, qui peregrini ſunt. Quinetiam pro ratione loci, imò arborũ, in quibus agunt, colorem diuerſum obtinent. Nam ſi Tappio credimus, qui in frutice ſpinoſo, aut acere habitant, ad ruſſum aut nigrum colorem magis inclinant: qui in fago, ad giluum ſeu pallidum. Pectore, vti omnes ferè rapaces, ſunt acutiſſimo, modica munito carne: quod non parum ad expeditiorem volatum eis confert; vtpote cuius oſſea acie nullo negotio aëra ſecent, & cui ad aues inuadendas vnguibus & roſtris etiam neglectis, vni confidant. Alas acutiores plerumq;, quàm reliquæ rapaces, habent. Omnibuſq; ferè hoc etiam commune eſt, paucis exceptis, vt cauda linearum macularumuè ductu tranſuerſo varia prædita ſint. Pleriſq; etiã crura, pedesq; colore luteo, ac magis minuſue ſaturo tinguntur. Sunt autem Accipitres, vti vncunges omnes, authore [f] Ariſtotele, *pede firmiore, & crure craſſiore, cauſa victus.*

Quod ſpectat ad partes internas, earum hęc ferè eſt conſtitutio. Carnem habent aſperiorem quàm Cuculus, teſte [g] Athenæo. Cerebrũ eis copioſum ſatis natura largita eſt, vti nobis in multis obſeruatum eſt. Lingua eſt ſatis lata, principio obtuſa, non acuta, nec biſida. Roſtrum enim acutum ſat illis fuerat. Cor magnum, cuſpide obtuſa, non aliorſum, atq; ad pectus tendente. Lien, *adeò exiguus eſt*, Ariſtotele [h] teſte, *vt ſenſum propemodum effugiat.* Præterea *Iecori eius ſimul & inteſtino adiungitur fel*, vt [i] Athenæus: uel vt [k] Plinius ait: *Fel ipſi toto inteſtino eſt.* Eſt autem, vt tradit Galenus, *colore nonnunquam ærugineo.* Apud Demetrium Conſtantinopolitanum, qui Græcè de Accipitraria uenatione ſcripſit, rariora quædam partium, ſeu excrementorum Accipitris nomina leguntur; qualia ſunt: Ὀβελαὶ ὀνύχων, id eſt, mucrones vnguium. Ἔλατα verò, vel ἐλατῆρες τῶν πτερῶν, ἢ τῆς οὐρᾶς, maiores pennas intelligo, quæ in alis & cauda ſunt. Hinc & πρωτέλλατα, vel potiùs πρωτέλατα, vox videtur compoſita, & ex maioribus alarum pennis

Accipitris pennæ.
Struthionis pennæ quẽ vſum habeant.
Accipitris roſtrum.
Vngues.
Oculi.
Mobilitas oculorũ in homine quid indicet.
Magnitudo.
[d] *Lib. 9. Hiſtor. c. 28.*
Fœmina in rapacium genere maior & ferocior mare.
[e] *In Epiſt.*
Albi Accipitres.
Pectus.
Alæ.
Crura.
Pedes.
[f] *Lib. 3. de gen. An. c. 1*
Partes internæ.
[g] *L. 8. c. 9.*
Cerebrum.
Lingua.
Cor.
[h] *De partibus. c. 38.*
[i] *Lib. 8. c. 8.*
[k] *2. c. 15.*
Fel.
Mucrones vnguium.
Pennæ maiores.

pennis primas ac longiſſimas ſignificare, quas & ὠκύπτερα nominari cenſeo. Nam ut Scholiaſtes Ariſtophanis ſcribit, pennarum aliæ πτίλα uocantur, molliores ſcilicet minoresq; plumæ potiùs dicendæ: aliæ πτερὰ, id eſt, pennæ ſimpliciter: aliæ ὠκύπτερα, maximæ ſcilicet, in quibus ad pernicitatem uolandi præcipua uis eſt. Porrò ἀλιπταρέαν partem in uropygio puſtulæ inſtar eminentem interpretor, ſic dictam fortaſſis, quòd humorem album & pinguem cõtineat. Ita enim Demetrius inquit: *Aliptarea pars eſt ſupra crura, quæ eminet, hordeum nonnullis dicta*, qua parte inflammata, uel intumeſcente aues quædam morbo acuto, quem auium morbum Germani uocant, pereunt. Cùm ex excremento gignantur pennæ, & totum ferè id aduncis auibus in alas & pẽnas uertatur, quod alijs auibus non uolacibus in ſemen prolificum tranſit, ut [1] Philoſophus aſſerit: nõ mirum, ſi copioſioribus, quàm grauiores aues, plumis Accipiter integatur. Nam uel hac de cauſa, quòd ſuperfluam omnem materiam ad pennas amandari contingat, earumq; generationi deſtinari, ideo æquiſſimum erat, ut in ætatis primordio ante bimatum quater reiectis ueteribus, & deinceps per totam ætatem ſingulis annis eas renouent. Alui excrementa alba eos excernere, Manardus ſcribit; quod licet plerumq; uerum ſit, ego tamen nigra etiam aliquando deiecciſſe obſeruaui. Temperies totius alitis calida eſt & ſicca, quæ quidem ipſi cum rapacibus uncũguibus communis eſt. His enim corpus Ariſtoteles teſtatur calidum ſiccumq; haberi: quod etiam ſumma auis audacia cum iracundia coniũcta, uiresq; longè ſuperans, tum anhelitus, odorq; grauis, qualem Aquilis eſſe diximus, indicant. Anhelitus enim uirulento adeo fœtore nares offendit, ut Albertus uenenoſum dicere non dubitarit, ubi inquit: *Accipitres aliæq; rapaces aues habent pennas & pedes & anhelitum venenoſum*. Ventriculus ei feruentior, quàm his, quibus uita in terra aut aquis agitur. Caro etiam modica & fibroſa, calidæ ſiccæq; conſtitutionis eſſe teſtes ſunt.

Pennarum diuiſio.

Αλιπταρέα.

Auiũ morbus.

Pennarum ortus.

[1] *Lib. 3. de gener. c. 1.*

Accipiter cur copioſas pennas obtineat.

Alui excrementa.

Temperies

Anhelitus.

Vẽtriculus.

# VISVS.

[a] *Lib. 10. de Anim. c. 14*

Cur Apollini ſacri.

[b] *Lib. 8. Epiſt. 31.*

AVIVM *ſoli Accipitres*, inquit [a] Aelianus, *ſemper nullo negotio aduerſos Solis radios intuentur, neque intentis oculis ſurſum verſus iter ſuſcipere grauantur; nec diuina flamma offenduntur. Idcirco illis cum Apolline, qui eſt Sol, magnam conuenientiam eſſe aiunt*. Similiter [b] Caſſiodorus ſupra omnes alites acutiùs intueri teſtatur. Verùm cùm Aelianus, tùm Caſſiodorus hanc clariſſimæ viſus aciei laudem, quam ſoli Accipitri tribuunt, Aquilæ detrahunt: niſi Accipitris nomine generatim ita utantur, vt rapacium genus omne ſub ſe contineat. [c] Plutarchus etiam *Accipitris imagine Solem denotari Aegyptijs ſolitum, ob eximiam eius videndi facultatem aſſerit*. Et Homerus eo referente *celeritatem viſus & actiones Accipitri* confert, *qui*

*Cæde Palumbibus infenſus, volucrumq; ſupremus,*
*Impete pennarum celeri.*

[c] *Lib. de Oſiride.*

Solis Hieroglyph.

Cur multioculus dictus.

[d] *Lib. 1. de præp. Euangel. c. 7.*

Eandem etiã ob dotem Ariſtophani ἱέραξ παντόφθαλμος, id eſt, omnioculus dictus fuit. Eodem pertinet, quod inquit Epies maximus apud Aegyptios Deorum interpres, citante [d] Pamphilo Euſebio: *Diuiniſſimum animal Serpens, & Accipitris habẽs caput, valde iucundum eſt id, ſi palpebras erigebat, luce primogenitam omnem ſuam regionem replebat, cùm verò clauſos retinebat oculos, tenebræ fundebantur*. Vt non dubium ſit, naturam eius maximè igneam exiſtimaſſe, ac Solis effectus illis Accipitris geſtibus demonſtrare voluiſſe. Præter acrem videndi ſenſum, quo viget Accipiter, hoc ei etiam peculiare eſt, vt docet Ariſtoteles, oculos celeriter mobiles habere.

# LOCVS.

[e] *3. de gen. cap. 1.*

[a] ARISTOTELES author eſt, Accipitres locis ſaxoſis & arduis, petriſq; præruptis nidum facere aſſolere. Quod Germani quoque in ſua regione obſeruarunt, nẽpe nidulari eos in aſperis & altis rupibus, ſed inter vepreta, quandoq; ſuper arboribus, acere preſertim, aut quercu fagoue, & ſuper abiete aliquando vel pinu: quod vel [b] Homeri teſtimonio comprobatur in Calypsûs inſulæ deſcriptione. Verba eius ſunt:

[b] *Odyſſ. E.*

Υ῎λη δὲ σπέος ἀμφιπεφύκει τηλεθόωσα,
Κλήθρη τ' αἴγειρός τε, καὶ εὐώδης κυπάρισσος,
Ε῎νθαδέ τ' ὄρνιθες τανυσίπτεροι ἐυνάζοντο,
Σκῶπές τ' ἴρηκές τε &c. id eſt,

*Sylua autem ſpecum circumcreuerat vireſcens,*
*Alnus populuſq; & bene odorata cypreſſus,*
*Ibi quoq; aues extenſas alas habentes nidulabantur,*
*Bubones, Accipitresq;* &c.

Vbi pro σκῶπες Bubones verterunt, cùm tamen Scopes longè minores ſint, ut poſtea docebimus. Idem Oppianus quoque atteſtari videtur hoc verſu:

*At ſequitur volitans arbuſta virentia præpes*
*Accipiter.*

*Humi etiam fortificant*, inquit Plinius, *qui Maſſiliæ agros incolunt, nec alibi naſcuntur, illis aſſueti gentibus.* Alibi plerunq; in nemoribus naſcuntur aut montibus; atque adeo in alpibus diuerſis: cuiuſmodi ſunt alpes Pruſſiæ in Illyrico, vulgò Sclauonia, alpes Tridẽtinę, Veronenſes, Helueticæ, cùm aliæ pleræq;, tùm maximè Galanda in Rhetia. Id autem cunctis ferè animantibus peculiari naturæ inſtinctu tributum ab authoribus aſſeritur, ut ubi maiori copia eſca ijs ſuppetit, ibi libentiùs degant. Hinc in locis verſus Aquilonem, vt in Anglia, Suecia, Liuonia, Pruſſia, Illyrico, Ruſſia Accipitrũ maximus numerus eſt, quòd eas regiones mare alluat, & auibus multa carne grauibus, ideoq; tardioris volatus, ob ſitus humiditatem aquarumq; copiam, abundent, è quibus tanquam præſenti & copioſo cibo viuunt. Alioquin, ſed non tam frequentes, in plurimis alijs regionibus Oriẽtis naſcuntur, vt in Syria, Armenia, Perſia, Africa, Aegypto, Græcia, Creta. In noſtra etiam Italia, circa Neapolim præſertim, præter alpium loca dicta: & in Germaniæ ea regione, quæ Marchia VVeſtphalica vocatur, Sereniſſimisq; Principibus VVilhelmo & Iohãni Cliuiæ, Iulię ac Borgarũ Ducibus &c. ſubiecta paret, laudatiſſimi proueniũt.

Accipitres cur in locis Septentrionalibus frequentes.

# VOLATVS.

RATIO Græci nominis ἵεραξ, aptè ſatis, imò manifeſtè motus actioni ſeu volatui congruere videtur: ideoq; non temerè eam Græcorum quidem παρὰ τὸ ῥᾷον ἵεσθαι, id eſt, à facili motu, petunt. Etenim rapacia quidem omnia citiſſimi perniciſſimiq; eſſe volatus, probant multi: ſed Accipiter tantum in eo præſtat alijs, vt prouerbio locũ fecerit: Θάσσονες ἱρήκων, ab [a] Homero ſumptum: Ocyores Accipitribus, vbi Achillis equos illis comparat, verba illius ſunt:

Θάσσονας ἱρήκων ἕμεναι καλλίτριχας ἵππους.
*Velociores Accipitribus eſſe pulchrorum crinium equos.*

ἵεραξ vnde dictus.

[a] *Iliad. N.*

Quam quidem admirandam celeritatem non ſolùm dicta prouerbiali hyperbole, ſed & ſymbolis & parabolis multifariam veteres indicarunt. Aethiopes enim, vt [b] Iohannes Bohemus memorat, in Accipitre celeritatem deſignabant, Aegyptij pari pacto pro celeritate Accipitris iconem pingebant: quaſi pro confeſſo haberent, Accipitre volãte, nihil eſſe velocius. [c] Diodorus tradit *Accipitrem rem denotare citò factam, quoniam hæc aliarum ferè omnium auis ſit velociſſima.* Et Oro Hieroglyphicorum interpreti, Accipiter pictus eadem ratione ventos denotat. *Ob hãc*, inquit Varinus, *motus velocitatem Apollini ſeu Soli Accipitrem antiquitus dedicarunt. Nam vt Sol velociſſimus eſt, ita volatu ſuo perniciſſimus Accipiter.* Vnde *Tentyritæ*, teſte [d] Aeliano, *Accipitres ſanctiſſimè colunt & adorãt, propter comparationem, quam cùm igne ijs eſſe affirmant: atq; huius teſtimonium rei adferunt, quòd ſimiliter, atq; ignis hi veloces & violenti ſint.* [e] Ariſtophanes Accipitres ἱπποτοξότας cognominat, nomine compoſito ab equo, propter pernicem volatum, & telo, ob eandem fortitan cauſam, quòd teli inſtar rapidiſſimo per aëra ferantur impetu; licet ſecus Scholiaſtes ſentiat, qui ab arcus ſimilitudine, quam in vnguibus aduncis gerit, nomen ei adaptat. Pari ſenſu apud [f] Plutarchum legere eſt hanc vocem πτεροφόρος, qua tabelarij intelligendi veniunt, quorum inſignia ſurrectæ pennæ, ſunt ad celeritatem indicandam. Inde Iuuenalis:

Accipitris celeritas.

[b] *Lib. de morib. Gẽt.*
[c] *Biblioth. 4*

Accipiter cur Soli cõſecratus.

[d] *L. 10. c. 24*
[e] *In Auib.*

*Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna.*

[f] *In vita Othon.*

Meritò verò natura in Accipitre rapacitati velocitatem addidit, propter victus neceſſitatem. Neque enim ipſe, niſi auibus, quas inſequitur, uelocior eſſet, aſſequi, nec earum venatu victum ſuſtentare poſſet. Vnde ſagax natura modica carne ei pectus circumuallauit, ne huius pondere præpeditus minus expeditè in prædam rueret. Alto adeo volatu nonnunquam ſe eleuat, vt viſum omnino humanum effugiat. Attamen è tanta altitudine, præda in vno viſa, inſtar ſagittæ velociſſimè deorſum ruit, eamq; rapit. Quare quam de reliquis auibus plerunq; reportat victoriam, alis, earumq; pernicitati uel potiſſimùm debet. Hac itidem dote, volatu ſcilicet, reliquas omnino volucres antecellit, adeo vt in Hieroglyphicis victoriam præcipuè ſignificaret & gloriam, quia victoriæ partæ fama ſeſe ſtatim humo tollit, amplexaq; gloriã per ſumum æthera latè

Victoriæ hieroglyphicum.

ra latè volans, perq; immenſos terrarum tractus expatiata, offenſiones & impedimenta omnia agilitate ſua declinat. Huius Accipitrinę velocitatis teſtificandæ, ſi ea quæ allata ſunt, non ſufficiunt, teſtes plurimos adhibere licet. In primis [g] Homerum, qui ita canit:

[g] *Iliad.* N.

Αὐτος δ' ὥς' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι,
Ὃς ῥα τ' απ' αἰγίλιπος πέτρης περιμήκεος ἀρθείς
Ὁρμήσει πεδίοιο διάκειν ὄρνεον ἄλλο.

*Ipſe autem vt Accipiter pernix concitatur ad volandum*
*Qui à prærupta petra prælonga leuatus,*
*Properat per campum inſequi auem aliûs generis.*

[h] *Iliad.* O.

Item [h] alibi, vbi Apollinem ei comparat: quid enim Sole velocius? verba eius ſunt:

——Ἀπόλλων
Βῆ δέ κατ' Ἰδαίων ὀέων, ἴρηκι ἐοικώς
Ὠκέϊ, φασσοφόνῳ, ὅς' ὄκιστος πετεηνῶν. id eſt.

——*Apollo*
*Deſcendit verò ab Idæis montibus, Acipitri ſimilis*
*Celeri, Columbarum occiſori, quiq; celerrimus volucrum.*

[i] *Lib.* 4.
[k] *Lib.* 1. *de Venat.*

Quintus etiam Calaber Teucri Telamonij & Aiacis, curſu certantium celeritatem indicare volens, è carceribus rapido curſu, inſtar Accipitrum effuſos, affirmat. Sic [k] Oppianus de velocitate equi Iberi:

*Hunc Aquila æthereas pennis pernicibus auras*
*Sulcans æquarit ſola, aut velocibus alis*
*Accipiter, delphinq; per æquora ſpumea currens.*

Accipiter quõ in aëre ſe reſupinet.

Præter ſummam, qua reliquas aues ſuperat, pernicitatem, alteram inſuper peculiarem, & quæ cum ſola ei Noctua communis eſt, dotem habet, qua, ut teſtis eſt Aelianus, *ſeſe in aëre reſupinat: alas verò, caudamq; inferius ſeu deorſum expandit, quibus vice ſoli vtitur, ſeq; ſuſtinet.* Quæ dos quidem eximiam alitis viuacitatem ac agilitatem manifeſtè demõſtrat, ipſiq; admodum vtilis eſt; tum præſertim, quando cum fortiore ei dimicandum eſt, vti in cap. de pugna latiùs explicabimus. Quòd verò his, quæ ſuprà diximus, quiſpiam opponere queat, quoſdam Accipitres humipetas [l] Ariſtoteli dictos, quòd prope terram volitent, non ita intelligendum eſt, quòd hi in altiſſimum æthera ſubuehi, cùm libuerit, nequeant, ſed quòd tum ſolummodò prope terram volitant, cùm prædæ inhiant, eo fine, ne ab auibus, quibus inſidiantur, uideri poſint. Quinetiam uolandi morem nonnunquam mutant, nec ſemper pari utuntur uelocitate. Etenim cùm rapere quid appetunt, velociſſimè uolãt, ac maximo ferũtur motus impetu, pòſt uerò tardiùs paulò.

[l] *9. Hiſtor. cap.* 36.

Accipitres quõ dicant humipetæ.

# VOX.

Pipare.

ACCIPITRVM vox acuta, ut plurimùm & clamoſa eſt: Quam quidem Græci, vt apud Pollucem legere eſt, verbo Ῥύζειν per Onomatopæiam, vt volunt, conficto, exprimunt. Latini verò pipare Accipitres dicunt. Quod authoris Philomelæ verſu patet:

*Accipiter pipat, Miluus hiansq; lipat.*

Nequeta men eandem omnino ſemper vocem edere eos exiſtimandum eſt. Nam ut & alia animantia, pro affectuum ac perturbationum ratione, uocem uariant: & aliam, cùm eſuriunt: aliam, cùm pugnant aut iraſcuntur, aliam, cùm Venerem appetunt, edunt. Vnde rectè Lucretius, huius rei probè gnarus, ita canit:

*Accipitres atque Oſſifragæ Mergiq; marinis*
*Fluctibus in ſalſis victum vitamq; petentes*
*Longè alias alio iaciunt in tempore voces.*

Quin etiam pro ſpecierum deſcrimine uox diuerſa nonnihil eſt, ut de ſingulis ſuo loco docebitur.

MORES

# MORES. INGENIVM.

ACCIPITER auis est animosa, & pariter iracunda, eiusdem ferè consuetudinis & rapacitatis cum Aquila: ingenij præcipitis ac indignabundi, consortis impatiens. Vnde, vt inquit Albertus, *solitaria semper volat, præterquam tẽpore coitus.* [a] Isidorus ex professo laudes eius & ingeniũ pulchrè declarat, auemq; esse animo planè regio præditam his verbis asserit: *Accipiter animo plus armata, quàm vultus, virtutem maiorem in minore corpore gestans*: ita vt animi fortitudine in eo compensetur, quod corporis magnitudini deest. Hoc ferè etiã paruis hominibus contingit. Etenim, ut inquit ille,

*Maior in exiguo regnabit corpore virtus.*

[a] *L. 12. Orig. cap. 7.*

Quamuis enim pectus ei angustum & modicæ carnis sit, in illo uno tamen neglectis rostro & unguibus confidit. Cunctas profectò aues fortitudine & audacia uincit. Omnes impugnat, etsi corpore maiores. Quinetiam *iustæ magnitudinis Accipiter & integræ ætatis, cum Vulpibus*, inquit Aelianus, *pugnaciter certat, & sæpenumerò contra Aquilas & Vultures.* Est & hoc fortitudinis signũ, quòd in sublimi & aperto aëre prædam inuadere non uereatur. Adeò uerò generosa auis est, ut qui sunt in hoc genere nobiliores, prædam non tam propter escam, quàm auiditate gloriæ aggrediantur, & ipsa quodammodo crudelitate, tanquam bellicosi & pugnæ appetentes delectari uideantur. Ad fortiter uerò agendum non parum naturali eo, quo plurimum ualent, impetu, incitantur, insitoq; iracundiæ ardore stimulantur. Etenim, ut [b] Seneca inquit: *Animalia generosissima habentur, quibus multum ineſt iræ. Verùm errat, qui ea in exemplum hominis adducit, quibus pro ratione inest impetus: homini pro impetu ratio est. Sed nec illis quidem omnibus prodest. Iracundia Leones adiuuat, pauor Ceruos, Accipitrem impetus, Columbam fuga, &c.* Cùm uerò feroces adeo sint Accipitres, mirum profectò est, quòd non solùm in rapacium, sed in toto quidem auium genere cicuratu faciliores ac dociliores sint, hominumq; nutui promptiùs obtemperent, atque ad uenationis obsequium paratiores sese præbeant. Cuius rei hac nostra tempestate quotidiana experientia ac frequens eorum usus admirationem omnem sustulit. Neq; nunc solùm, sed olim etiam, antequam hic mos per Accipitrum operam inualuisset, naturæ quodam instinctu hominum gausos esse consortio, eorumq; quodammodo affectasse consuetudinem legimus. Ex [c] Aristotele enim & Plinio satis constat, *in Thraciæ parte supra Amphipolim homines atque Accipitres societate quadam aucupatos fuisse.* Et Aelianus Accipitrum genus agnoscit, quod *escæ illecebris*, utipse ait, *capitur, ijsdemq; manſuefactum post ea nunquam abscedit ab eo, quem experitur in se benignum.* Idem alibi testatur, *ex auibus rapacibus longè hominũ studiosissimos mansuetissimosq; Accipitres haberi.* Quare id quidem non tam in escæ illecebram, quàm in socialem alitis cũ hominibus naturam ingeniumq; tractabile mihi referendum uidetur. Multas enim alias etiam rapaces aues, nulla cura aut disciplina, nullo deniq; escæ lenocinio ad eam, ad quam hi perueniunt, mansuetudinem, perducere unquam licet. De mansuetudine Accipitris hæc [d] Plinius: *In Insula Africæ Cerne in Oceano Accipitres totius Massyliæ humi fœtificant: nec alibi nascuntur, illis assueti gentibus.* [e] Strabo Accipitrem Aegyptium mitem esse, præter alios, qui alibi sunt, tradit. Hoc etiam clementis mitisq; ingenij in tam feroce aut non exiguum argumentum est; quod quidam de ea scribunt nempe, quòd auem, quam ei fors sub noctem affert, tota nocte sub pedibus teneat, & tandem exoriente sole, licet famelica, manumittat, eandemq;, & si aliàs obuiam factam, nunquam postea persequatur, ueluti commodi ab ea accepti memor. Sunt qui Accipitrem captam auem pectori admotam ideo tenere putant, ut incalescat. Verùm cùm calidissimi temperamenti sit Accipiter, & uentriculi feruentis uis quiduis absque negotio coquat, externo calore aliarum minus fortasse calidarum egere non uidetur. Ego hoc potiùs eum facere putarim animi quadam magnitudine planè regia, utpote cui nocere potuisse satis sit, nonnunquam subiectis parcendum putanti. Victoriam tanta contentione affectat, tantaq; fiducia sibi quodammodo pollicetur: vt, nisi primo impetu præda potiatur, ab omni deinceps eiusdem persequutione cesset, tantaq; nonnunquam indignatione rapitur, vt ad dominum reuerti nolit. Voces quoque magistrorum varias edoctus intelligit, eorum alioquin imperio nutuiq; non ita citò, alacriter atq; promptè obedituris. Solertiores verò ad prædam veterani pleruncq; tyronibus. Terram enim volatu stringentes, deuolantem auem excipere nouerunt, & angustissimis finibus latebrã eius circumscribere, ne uenatores aberrent. Astutè etiam quàm possunt, proximè terram volant, ne se prædæ quam captant, prodant. In hoc quoq; callidi sunt, quod Lepori capto oculos statim iniectis unguibus eruãt, tanquam non ignari, dempto illis lumine, spem omnẽ fugę ademptam, uelocitatemq; unicum antè asylum iam ampliùs nulli usui esse. Illud admirabile in primis, & planè diuinæ prudentiæ opus est, oculorũ acie caligine hebetata, instar botanici cuiuspiam,

Fortitudo.

Generositas.

[b] *Lib. 2. de litera. c. 16.*

[c] *9. Hist. 36. lib. 10. c. 8.*

[d] *L. 10. c. 8.*

[e] *Lib. 17.*

Cur auem pectori admoueat.

Victorię cupidus.

Accipitres qui venandi peritiores.

Accipitrũ astutia.

piam, nulla tamen Anazarbæi lectione inſtructos herbam è tot millibus vnam quærere, agnoſcere, inuenire: quam propterea Hieracium vocaſſe creduntur. Huius confricati ſucco oculos ringunt, priſtinam eorum claritatem ſe recuperaturos eſſe non ignari. Hoc demum quod [f] Aelianus narrat, neſcio vtrum ipſius ſolertiæ, an potiùs miraculo aſcribere debeã: *Sacrilegum*, inquit, *olim Delphis, cùm in eum incurriſſet Accipiter, eius caput conuellens, indicauit.*

Hieracium cur quærãt Accipitres.

[f] *Lib. 2. Animal. c. 43.*

# CIBVS. POTVS.

FAMELICA eſt Accipitris natura & ſemper cibi, quem raptim admodum vorat, auida: adeo ut præ fame ſtercora nonnunquam deglutiat: cui rei tanquam à nobis uiſæ fidem ac teſtimonium præbere poſſumus. Alioquin naturæ ductu, more omnium rapacium, ne fruges quidem vllas edit, easq; etiam in os inditas reſpuit, ut Ariſtoteli placet. Hinc eſt fortaſſe, quod D. [a] Auguſtinus panem Accipitri lethalem faciat, ubi ait: *Panis hominem alit, Accipitrem necat.* Prædæ verò carnium illum potiùs inhiare, indeq; uiuere indicio eſt, quòd natura eum roſtro, vnguibusq; aduncis, inſtrumentis ad prædam aptiſſimis, inſtruxerit. Quanquam experti ſcimus, captos & cauea incluſos, aut quouis modo mancipes Accipitres, aliasq; rapaces, imò & Aquilam ipſam fruges & panem auidè deglutiſſe, tantum abeſt, ut auerſarentur, idq; etiã tum, cùm non admodum fame premerentur, & ſuppetente etiamnum carnis pabulo. Quem itaq; ſponte ſua nunquam eſuræ erant panem frugeſue, manu noſtra exhibitum, deuorarunt: neq; tamen vllam inde noxam percepiſſe deprehenſæ ſunt, quantò minus interiſſe. Naturaliter autem carniuoræ ſunt rapaces omnes, & non tantùm Accipitres. Eſu delectantur auium plerarumq;, præcipuè tamẽ Gallinacei & Columbacei generis, nec non aquaticarum, in quibus carnis plurimum eſt: tum minutiorum auicularum, vt Turdorum, Fringillarum. Coturnicum in primis auidi ſunt, vt [b] Cicero etiã teſtatur. Coruini ẽt generis aues, Coruos, Picas & Cornices deuorare lubenter ſolent. Qui viliores in hoc genere ſunt, muribus etiam ranisq; & talpis aliiſque id genus animalculis victitant: Generoſioribus verò leporina caro magis placet. Neq; piſces ſpernunt. Nam quibuſdam circa maria degentibus, & his ferè ſolis, uictus eſt; de quibus [c] Lucretius cecinit:

*Accipitres, atque Oſſifragæ, Mergiq; marini*
*Fluctibus in ſalſis victum vitamq; petentes.*

Sunt ex nobilioribus quidam, qui Cancrorum eſca mirum in modum capiantur, quos tamen alioquin non venari ſolent. Vnde fit, ut hi cicures arte redditi, multò maiorem magnarum auium capturam faciant, & dominis ſuis magis quęſtuoſam, pro qua præmij loco Cancrorum cibum ab ijs accipiunt: ideoque auidè volatilia venantur, ut gratam hero pro tam exquiſita ac ipſorum palato blandiente alimento reſtituant prædam. Magna inter ſcriptores controuerſia eſt, utrum Accipiter cor animalium & præſertim auium edat. Id enim in primis negat [d] Ariſtoteles: *Auium*, inquit, *quas ceperit, cor nunquam edit: idq; nonnulli in Coturnice & Turdo, aly in alijs obſeruauerunt.* Huic ſubſcribit [e] Plinius: Aelianus item; Accipitres *à cordibus tanquam ſacro quodam intactis ſe contineri, & veluti religione quadam ab illorum eſu prohiberi, acceptum à maioribus* tradit. Contrarium planè [f] Albertus ſentit, ſcribens in hæc uerba: *Si quid de præda appetunt, cor eruunt ac deuorant, quare auem captam ad latus perforant.* Idem alicubi *Coredulam* quandam auem nominat, *quæ venatione viuat, & corda eorum, quæ venatur, edat: de reliquo verò corpore parum accipiat* quaſi eadem prorſus Coredula, qui Accipiter, ſit. Hunc rurſus reprehendit Niphus, & ne cor quidem auium, quas rapuerit, deguſtare aſſerit. Me ſanè oculata fides in Alberti ſententiam ire compellit: Exhibui enim corda auium, & ab ea depaſta conſpexi. Verũ eſt, quod Niphus fortè obiecturus eſſet, ea non fuiſſe auium ab ſe captarum. Sed dicat mihi quiſpiam, quæſo, quid religionis inuenerit Accipiter magis in rapina propria, quàm in oblata eſca? Cerebrum etiam è cranio diuulſum, vt Albertus loco citato quoque obſeruauit, deuorare vidimus, ſed quod ille addit, *reliquum corpus reijcere*, minimè. Quinimo cerebri medulla abſumpta, reliquum deinceps corpus lacerabat atque abſumebat. Nullum, ſi Alberto credimus, genus Accipitris, *ad reliquias prædæ ſuæ reuertitur, dum ſyluestre eſt*, id eſt, ferum adhuc, nec manſuefactum: *nec vllum ex eis inſidere unquam cadaueri viſum fuit*, in eo Vulturibus & Miluis diſſimillimum. Accipitres ſine vllo potu, ut aduncas omnes, ſolo Tinnunculo excepto, vitam tranſigere ſcribit [g] Ariſtoteles. Et Suidas in voce Ἐπιῤῥογγὸς Accipitrem inter aues vncungues nõ bibẽtes numerat. * Gylius tamen in ſuo authore Aeliano bibere eos innuẽs, hunc in modum de ijs ſcribit: *Accipiter ſi corpus hominis defuncti tetigerit, ieiunus manet, neque ſi vnus tantùm aquam in ſulcum deriuet, aquam guſtat,*

Accipiter famelicus.

[a] *Lib. 2. Cõtra Manichæos.*

Panis necat Accipitrem.

Accipiter quando fruges reſpuat & quando non.

Quo cibo delectẽtur Accipitres.

[b] *Lib. de natur. Deor.*

[c] *Lib. 5. de nat. rer.*

An auium cor edat.

[d] *9. Hiſtor. cap. 11.*

[e] *L. 10. c. 8.*

[f] *Lib. 23. de Anim.*

Coredula auis.

Cerebrum edere.

Cadauera fugere.

Potus.

[g] *Lib. 8. Hiſtor. c. 38.*

[h] *L. 14. Hiſtor. anim.*

*guſtat, quod ſanè exiſtimet, illi vnico homini incommodare, ſua nimirum potione aquam ex illius vſu auferens: Sin plures homines irrigant, videns affluentis aquæ copiã, velut ab eis inuitatus libenter bibit.* Quinimo huic etiam ſententiæ [h] Plutarchus aſtipulari videtur: *Cùm bibendi gratia ad fluuium*, inquit, *appulerit Accipiter, alas erigit, quas, cùm biberit, rurſum demittit, vnde ſaluum eum eſſe, & à Crocodilo illæſum apparet. Nã ſi ab illo rapiatur, alæ, vt erant, erectæ rigidæq; manent.* Quamuis horum poſteriorem partem [i] Cælius Calcagninus ita tranſtulit: *Deſcendentem ad flumen rectis pennis deferri traduut, quas rurſus declinat ad latus, metu Crocodili, ad fugam paratus; quod non quando improuiſus opprimatur, aſſiduè meditari ſolet.* Sic ille. Nos ut in Græcis publicatis legimus, ad verbum tranſtulimus. Quod autem ad hanc litem de Accipitrum potu attinet, credimus certè, quamdiu viuentium animalium rapina ſuppetit, è quibus ſanguinis tantum exugere poſſint, quantum ſedandæ ſiti ſufficiat, aliũ potum eos minimè deſiderare. Vnde & in Hieroglyphicis legimus, eos aquam non bibere, ſed ſanguinem. Sin cibis ſiccis & exanguibus veſci cogãtur, ſitire etiam & bibere. Nam & nos Buteonem, qui Ariſtoteli vel inter primos Accipitres eſt, non ſemel bibere vidimus, ſed qui manſuefactus animantium mactatarum carnibus exuccis alijſuè quibuſuis cibarijs obiectis veſceretur.

[h] *L. de Iſid. & Oſir.*

[i] *Lib. de rcb. Aegypt.*

Quando bibant.

# RAPACITAS. VENATVS. PVGNA.

APRAPIENDO ſeu capiendo Accipitrem dictum non temere multi volunt & Itali grifagno nuncupant, hoc eſt, auidum, cupidum ac rapacem, à verbo grifare, hoc eſt, vnguibus eripere. Dantes: *Ma l'altro fu ben Sparauier grifagno.* Sunt tamen qui apud Petrarcham, vbi de Cæſaris oculis loquitur pro grifagni, lucidi & micantes exponant, cùm auidos potiùs, atque imperio potiundo inhiantes uocare debuiſſent: quo ſenſu Arioſtus etiam Aquilam grifagnam alibi nominauit. Rapacitatem autem, quam Accipitri natura à principio ſui ortus latenter inſeuit, omni loco ac tempore exercet. Nam vt Ouidius canit:

*——Accipiter nulli ſatis æquus in omnes*
*Sæuit aues, alijsq; dolens ſit cauſa dolendi.*

Et non ſolùm volucres, ſed & propriam ſpeciem infeſtat. Inſuper alias animantes rapit, lacerat, occidit & vorat: adeo ut non illepidè quidam *mortibus eum paſci alienis* dicat; ut *rapto qui viuit, & omnes Terret aues* vt Ouid. *& ad perdendum*, vt inquit Plutarchus *comparatus eſt.* Vnde non immeritò prędo vocatur [a] Martiali:

*Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis, idem*
*Decipit, & captas non ſibi mæret aues.*

[a] *Lib. 14. Epig. 1.*

Et [b] Pictorio Martialem imitanti:

*Eſt auis Accipiter prædo, quæ viuit in omnes*
*Crudelis volucres, vnguibus iſta valet.*

[b] *In Pãtop.*

Ferus quoq; Claudiano dicitur inſolens quidpiam innuenti:

*Non ferus Accipiter, non armiger ipſe Tonantis*
*Bella mouent &c.*

Quare *Aegyptij per Accipitrem notabunt vim & principatum, quo ille violenter ſibi quæſito ſæpe per improbitatem, tum ipſe turbãri, tum alios perturbare ſua ſponte voluerit*; vt [c] Plutarchus docet. Iure ergo etiam, ut [d] Ouid. inquit:

[c] *L. de Oſid.*

[d] *Lib. 2. de art. amandi.*

*Odimus Accipitrem, quia viuit ſemper in armis.*

Exoſi enim plerunque, qui metum per vim adferunt, quod tyrannicum eſt. Hunc ſanè, ceu tyrannum ac latronem, nullæ non aues uehementer metuunt; Et ut [e] Lucretius ait:

[e] *Lib. 4. de nat. rer.*

*Hinc variæ fugiunt volucres, penniſq; repentè*
*Solicitant Diuũm nocturno tempore lucos*
*Accipitres ſomno in leni, ſi prælia, pugnaſq;*
*Edere ſunt perfectantes viſæq; volantes.*

Aduerſus inſolentem huius rabiem immanemq; tyrannidem, cùm aliud deſit præſidium, unicum in planctu & lamentis repoſitum eſt ſolatium, vti ſcitè [f] Pindarus Thebanus innuit:

[f] *In Epitom. Iliad.*

*Vt volucris decerpta ſui cùm corpora nati*
*Accipitrem laniare videt, nec tendere contra*
*Auxilium nec ferre ſuo valet anxia nato,*
*Quodq; poteſt leuibus plangit ſua pectora pennis.*

Ita ſanè etiam in humanis, ut nunc ſunt mores, agi uidemus: ut quamuis natura omnes ſint pares, potentiores tamen libidini omnia ſubijciant, ut M. Varro rectè dixerit:

*Qui te plus vrget, piſces ut ſæpe minutos*
*Magnus comeſt, vt aues enecat Accipiter.*

Accipiter Colũbas i primis inſectatur.

Inter aues uerò imbelles Colũbas in primis inſequitur uel ex inſidijs, uel aperto Marte. Qua ratione incogitantes opprimat, [g] Plinius his uerbis exponit: *Columbis ineſt quidam & gloriæ intellectus. Noſſe credas ſuos colores, varietatemq; diſpoſitam. Quin etiam ex volatu creduntur plaudere in cælo, varieq; ſultare. Qua in oſtentatione vt victæ præbentur Accipitri, implicatis ſtrepitu pennis, quæ non niſi ipſis alarum humeris eliditur: alioqui ſoluto volatu in multum velociores. Speculatur occultus frondelatro, & gaudentem in ipſa gloria rapit.* Quàm facili etiam negotio in aperto ætheris campo eas inuadat atque capiat, eleganter [h] Poëta his uerſibus expreſſit:

[g] *L. 10. c. 36*

[h] *Aeneid. 11*

*Quàm facilè Accipiter ſaxo ſacer ales ab alto*
*Conſequitur pennis ſublimem in nube Columbam*
*Comprenſamq; tenet, pedibuſq; euiſcerat uncis:*
*Terretur minimo pennæ ſtridore Columba,*
*Vnguibus Accipiter ſaucia facta tuis.*

Item [i] Ouidius:

[i] *Lib. 3. de arte amãdi.*

Alibi tamen ſibi contrarius uideri poſſit, ubi dixit:

*—— Et Accipitri iuncta Columba fuit.*

Sed ea uerba non de amicitia eorum ſunt accipienda, ſed ut Arionem ſumma dulciſſimi cantus ſui harmonia adeo animalium animos demulſiſſe oſtenderet, vt inimiciſſima etiam inter ſe amica redderet. Nam & multis alijs locis de eorum odio locutus eſt, nempe:

*Vt ſolet Accipiter trepidas vrgere Columbas.*
*Vt fugere Accipitrem penna trepidante Columbæ.*

[k] *Iliad. O.*

Qua de cauſa [k] Homerus Accipitrem φασσοφόνον uocabat, id eſt, Columbarum occiſorem. Item Pontanus:

*—— Acer per inane Columbam*
*Delapſus cælo Accipiter ſequiturq; feritq;.*

[l] *L. 6. Chriſt.*

Idem pulchrè deſcribit [l] Vida, ubi Diſcipulorum capto Saluatore noſtro in diuerſa dilabentium fugam appoſita à Columbis, quas Accipiter diſturbauit, deſumpta comparatione, hunc in modum enarrat:

*Sicut vbi Accipiter celſa de ſede Columbam*
*Suſtulit, apprenſam quam roſtro euiſceret unco,*
*Diffugiunt aliæ huc illuc, mox turribus imis*
*Condunt ſe celeres, & inania murmura miſcent.*

[m] *9. Hiſt. cap. 36.* Differẽtiæ à venandi ratione.

Differunt autem, teſte [m] Ariſtotele, inter ſe venandi modo Accipitres: *quidam* enim *conſidentem Columbam rapiunt, volantem non appetunt: alij ſuper arborem, aut tale quid conſcendentem venantur: Sin humi eſt, aut volat, non inuadunt: alij neque humi, neque in ſublimi manentem aggrediuntur; ſed volantem capere conantur: proinde fertur à Columbis etiam vnumquodq; Accipitris genus agnoſci. Itaque cùm Accipiter prouolat, ſi ſublimipeta eſt, manent quo conſtiterint loco: ſed ſi humipeta, continuò auolant.*

Columbæ Accipitres agnoſcunt.

Q. * Calaber Homeri paraphraſtes, aſtu nonnũquam plus, quàm vi effici oſtẽdẽtem Calchantem, parabolam ab Accipitre Columbam non vno modo perſequẽte petitam, recitantem inducit: cuius pulcherrima hæc eſt hiſtoria. *Heri ſignum quoddam,* inquit Calchas, *oculis notaui. Accipiter Columbam perſequebatur, illa autem præcipiti volatu acta, antri receſſum ſubiyt: tum Accipiter ira inflammatus diu obſedit antrum: hæc autem fuga ſibi conſuluit: ille iram diſſimulãs, ramo ſe occultabat: hæc autem inſipientiæ impulſu exilijt, illum abijſſe ſperans, tum ille ſublatus miſeræ Columbæ exitium attulit.*

* *Lib. 12. Paralip. in princ.*

Troiæ excidium Accipitris, & Columbæ parabola monſtratũ.

Ita quod virtute non potuit Accipiter, dolo Columbam capiens, Græcos monuit, ne vi tentarent Troianam vrbem inuadere, ſed periculum facerent, dolone & conſilio id poſſent conficere. Contingit uerò etiam Accipitrem, præſertim ſi moræ impatiens eſt, à Columba, quam turris aut petræ latibulum ingreſſam fruſtra foris expectat, deludi, ut [n] Homerus innuit, accepta hinc ſimilitudine.

[n] *Iliad. φ.*

Δακρυόεσσα δ' ἔπειτα θεὰ φύγεν, ὥς τε πέλεια,
Ἣ ῥά θ' ὑπ' ἰρηκος κοίλῃ ἐισέπτατο πέτρῃ,
χηραμόν, ἀδ' ἄρα τῆγε ἁλώμεναι αἴσιμον ἦεν, id eſt,
*Lacrymabunda autem deinde Dea fugit velut Columba*
*Quæ quidem ab Accipitre in cauam volauit petram*
*In latebram: neque enim illi capi fatale erat.*

Si verò Columbam quauis ratione nactus fuerit, miſeris eam modis tractat, Cuius non ignara Caſſandra apud Lycophronem, vim, quę ſibi inferri poſſet, metuens, præſagiensq;, Columbæ, quæ in Accipitris poteſtatem venit, ſe comparat:

Τῆμος βιαίως φάσα πρὸς τόρχα λέχος
Γαμφαῖσιν ἅρπης οἰνὰς ἑλκυσθήσομαι.

*Tunc*

*Tunc violenter Palumba ad Accipitris lectum*
*Faucibus Harpes Columba raptabor.*

Prædatur etiã aues domesticas, vt Gallinas, maximè verò [n] Columella teste, albas, propter insigne candoris. Quare [o] Varro supra ornithoboscion intendi rete iubet, quod prohibeat Gallinas extra septa volare, & in eas inuolare extrinsecus Accipitrem. Anates etiam iuxta stagna uenatur, unde [p] Ouidius:

*Visa fugit Nymphe, veluti perterrita fuluum*
*Cerua Lupum: longeq; lacu deprensa relicto*
*Accipitrem fluuialis Anas.*

Quare, vt docet [q] Columella, Nessotrophium, id est locus, vbi Anates aluntur, contegendus est clathris superpositis, vel grandi macula retibus, ne Accipitribus inuolandi potestas fiat. Nec Leporem uel perniciissima leuiũ pedum celeritas Accipitri raptori eripere potest. Quem cùm capit, vt author est Albertus, sinistrum pedem terræ infigit, & dextro pede prædam retinet, tum quàm primùm potest oculos eius eruit & interficit. Cornicum, Picarum, Sturnorum, Turdorum, aliarumq; huiusmodi minutiorum auicularum stragem edere ei pro ludo est: ut [r] Homerus varijs locis innuit. Primùm, vbi Aeneam & Hectorem, qui Græcos in fugã agunt, Accipitribus comparat, ita ait:

——δύω δ' ἐν πῶσι μάλιστα
Αἰνείας τ' Ἀγχισιάδης καὶ φαίδιμος Ἕκτωρ.
Τὼ δ' ὥστε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν
Οὖλον κεκληγοντες, ὅτε προϊδωσιν ἰόντα
Κίρκον, ὅ, τε σμικρῆσι φόνον φέρει ὀρνίθεσσιν.
Ὣς ἄρ ὑπ' Αἰνείᾳ τε καὶ Ἕκτορι κῦδος Ἀχαιῶν
Οὖλον κεκληγοντες ἵσαν, λήθοντο δὲ χάρμης. id est,

——*duo autem inter hos maximè*
*Aeneasq; Anchisiades & Illustris Hector:*
*Horum autem sicut Sturnorum agmen venit vel Gracculorum*
*Acutè vociferantes, quando vident accedentem*
*Accipitrem, qui paruis cædem affert auibus:*
*Sic ab Aeneaq; & Hectore iuuenes Achiuorum*
*Acutè clamantes ibant, obliuiscebanturq; dimicationis.*

Et [s] alibi, ubi Patroclũ ob virtutem, ac fortia bello facta extollit, Accipitri comparat his verbis:

Γῦσεν δὲ διὰ πρωμάχων, ἴρηκι ἐοικὼς
Ὠκέϊ, ὅς τ' ἐφόβησε κολοιά τε ψῆράς τε.
*Iuit autem rectà per propugnatores, Accipitri similis*
*Veloci, qui terruit Gracculosq; Sturnosq;.*

Rursus de Neptuno, postquam Aiacem adhortatus, veloci se cursu recepit, Accipitri assimilato ita loquitur:

Ἦ, καὶ σκηπανίῳ γαιήοχος ἐννοσίγαιος
Ἀμφοτέρω κεκοπὼς πλῆσεν μένεος κρατεροῖο,
Γῦια δ' ἔθηκεν ἐλαφρὰ, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν.
Αὐτὸς δ' ὥς τ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὄρτο πέτεσθαι,
Ὅς ῥα τ' ἀπ' αἰγίλιπος πέτρης περιμήκεος ἀρθεὶς
Ὄρμησεν πεδίοιο διώκειν ὄρνεον ἄλλο, id est,

*Dixit, & sceptro, terram continens, terræ quassator*
*Ambos feriens impleuit robore forti*
*Membra autem fecit leuia, pedes & manus supernè.*
*Ipse autem, vt Accipiter pernix concitatur ad volandum,*
*Qui à prærupta petra prælonga leuatus,*
*Properat per campum insequi auem alius generis.*

Item Q. [t] Calaber de Aiace Achillis cadauer defendẽte: *Bello se turmatim subduxerunt Turdis non absimiles, in quos Accipiter irruit, vt deuastet. Hi tum turmatim, alij alio pernici fuga fernntur, magnam perniciem propulsantes.* Certissimum enim illis & vnicum est in fuga præsidium. Temerè namq; pugnaturos cum Accipitre, & tãquam Culices cum Elephãto congressuros se non ignorant. Raptis tamen etsi non eluctari, saltem reluctari aliquo modo, etsi frustra, concessum est; & vt inquit Strozza pater:

*Molle pecus quacunque potest defendere sese*
*Certat, & Accipitri parua repugnat auis.*

Accipiter Gallinas p̃ datur.

[n] *Lib. de re Rust. 9. c. 1.*
[o] *Lib. 3. de re Rust. c. 9.*
[p] *Metamorphos. 12.*
[q] *Lib. 8. de re Rus. c. 15*
Nessotrophiũ quid.
Anates.
Leporem.
Aues minutiores.
[r] *Iliad. 17.*
[s] *Iliad. 16.*
Neptunus.
Accipitri assimilatus.
[t] *Lib. 3. Paralip.*
Aiax.
Accipitri similis.
Strozza.

Coturnices

Coturnicum præda in primis etiam delectatur, adeo vt ceu expectatam diu, referẽte [u] Plinio, *primam earum, quum vere ad nos redeunt, terræ appropinquantem* rapiat. Perdici etiam, vbicunque poteſt, inſidias ponit: quod Arioſtus etiam ita attigit:

*Che fuggian, come il ceruo innanzi à cani,*
*O la Pernice à li Sparuieri ſciolti.*

[u] *L. 10. c. 23*

Accipiter Accipitrẽ capit.

Vſq; adeo verò nimia rapiendi libidine flagrat, vt ne proprio quidem generi, Accipitrino ſcilicet, parcat, quod præterquam Aquilæ, vt teſtatur Plutarchus, & Olori, vt volunt aliqui; nulli aliarum auium cum eo commune eſt. Arioſtus Accipitrem Accipitri pugnare etiam facit, vbi Orlandũ introducit, cum ſummo iræ impetu in Agramantem regem irruentem, eumq; occidentem, ſic canens:

*Come di piè à l'Aſtor Sparuier mal viuo,*
*A cui laſciò à la coda inuido, ò ſtolto:*
*Orlando giunſe, e miſe il colpo, giuſto,*
*Oue il capo ſi termina col buſto.*

Quare ex Aeſchyli Poëtæ decreto, merito prophanus cenſendus eſt. Atqui huc fortaſſe reſpexit [x] Tiraquellus, cùm dixit: *Accipiter Accipitri placet.* Nã *Cuculus* teſte [y] Ariſtotele, & [z] Plinio *abſumitur ab Accipitre, ſi quando vnà apparuere, ſola omnium auis à ſuo genere interempta.* Quod ſi verum eſt, ſoli hoc infandæ rapacitatis vitium Accipitri competet: quod tamen alijs quibuſdam etiam attribui paulò antè diximus. Hæc ferè ſunt auium genera, quæ pleruṇq; perſequi ſolet Accipiter, quæ omnia pulchro hoc carmine complexus eſt Titus Veſpaſianus Strozza, quo Bagarini, ſic dicti Accipitris, laudes eleganer expreſſit:

[x] *Lib. 6. de legib.*
[y] *Lib. 6. Hiſtor. c. 7.*
[z] *L. 10. c. 9.*

*Illo non alius pernicibus ocyor alis*
*In miſeras tanta ſtrage ruebat aues.*
*Non fuga Perdici, non magni corporis ingens*
*Phaſiacis robur profuit alitibus.*
*Non illum vano Cuculus deceperat aſtu,*
*Dum vagus incertas itq; reditq; vias.*
*Non tibi ſe eripuit Turtur, Bagarine, ſequenti,*
*Non velox pennis & pede ſegnis Anas.*
*Congreſſusq; tuos Corui tremuere feroces,*
*Et Picas letho tradere luſus erat.*
*Haud facilè euaſit, quem tu ſemel vnguibus hoſtis*
*Attigeras, quamuis ſtrennuus ille foret.*
*Quin etiam paruas volucres placidiſſime rerum*
*Ad domini aſſuêras ipſe referre manus.*

Venationis modus.

Quod verò ad venandi rationem attinet, huius, vt docet [a] Ariſtoteles, differentia in Accipitre notatur. Neque enim ſimili modo æſtate, vt hyeme, rapit. Venaturus ſolus ſemper volat, ne ſi venatus ſocium admiſerit, prædæ etiam participem habere cogatur. Quum prædam quampiam conſpexit, humili volatu prope terram fertur, ne auibus, quibus inſidiatur, viſus, fugiendi anſam præbeat. Deſtinatam iam prædam inuaſurus, velociſſimo volatu, pernicíq; alarum remigio à principio vtitur, impetuq; quodam atque omni virium conamine ad eam rapiendam inſtat, vt primo illo motu ardoreq; pleruṇq; præda potiatur. Quòd ſi primo eo niſu vehementiq; fruſtrari eum contigerit, auem poſtea perſequi deſinit, non quòd viribus diffidat, aut deſperet obtineri poſſe, ſed veluti ſibi ipſi, indignabundus ob rem minus proſperè geſtam, ſuccenſeat, adeo vt ſæpenumerò ad Dominum ſuum etiam vocatus redire nolit, & in arborem vicinam ſecedat, tam diu in ea moraturus, donec ira illa deferbuerit. Si verò auẽ ceperit, quopiam ſeſe abdit, & magna cura plumis eam expoliat, mundatam totam, ne corde quidem relicto, magna cum auiditate ac raptim admodum roſtro lancinat, ac pedibus vnguibusq; tenens deuorat. Quòd ſi ipſi cum hoſte minimè imbelli, ſed forti dimicandum eſt, pugnam eo artificio inſtituit, eoq; aſtu parat, vt neceſſe ſit hoſtem, qui cum congreſſus fuerit, omnino vinci. Nam ſi cum fortiori res agitur, tum ſeſe in aëre reſupinat, vngues ſurſum verſus intendens, alas contrà caudamq; inferius expandens, quibus tanquam ſolo in pugna nitatur fulciaturq;. Vnde fit, vt cùm aduerſarius voti compos fieri minimè poſſit, uel re infecta abire cogatur, vel omnino ſuperetur. Ad hæc, vtcunque etiam res cadit, aut qualiſcunq; hoſtis obtigerit, victor pleruṇq; Accipiter recedit. Ideoq; Aegyptijs victoriæ Symbolum erat, vt & Noctua, ipſi amica, conſimili ſtratagemate utens, Athenienſibus.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 11.*

Cur prædã nõ inſequi pergat.

Aſtus in pugna cũ fortiori.

Victoriæ ſymbolum Accipiter, & Noctua amici.

SYMPA-

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

ACCIPITER, etsi passim in omnes, quibus prævalet, aues rapinam exercet, atque ideo omnibus hoc nomine vel plerisq; saltem meritò inuisus est, & esse debet, cum quibusdam tamen peculiare ac innatum quoddm odiū plusquam Vatinianum sibi intercedit, quod Antipathiam Græci dicunt: adeo vt etiam non visum, sed auditum tantùm naturali quodam sensu mirum in modum perhorrescant. Omnes enim, quibus præ cæteris insidiatur, naturæ instinctu eum facilè percipiunt, auditoq; & viso statim garriunt, quasi timorem & indignationem suam prodant, fugiuntq; & quàm ocyssimè possunt, sese occultant. Gallinæ, *si vocem Accipitris audierint, interim dum incubant, ova vtiari*, Plinius author est. *Anseres & canes & magnas Struthiones nihili faciunt, contrà Accipitrem, vel multò minimum reformidant*, inquit Aelianus. Lepus vocem Accipitris exhorret latitans. Serpentibus alijsque venenatis bestijs quoque inimicissimi sunt Accipitres, vt ne vel Scorpiones eos lateant ob exquisitissimā visus aciē. Sed ita à natura cōparatum est, vt quemadmodum ipse multis animantibus terribilis est, ita suis etiam hostibus capitalibus non careat, quos vice versa meritò metuat, ne impunè odisse putetur. In rapacibus Aquila est, quæ bellum cum eo acre gerit. Præterea Tinnunculus ei inimicissimus est, auiculas ab Accipitre insidiante defendere solitus, maximè verò Columbas, vti [a] Plinius testatur: quas dum aëre sulcantes occultus fronde apprehendere cupit, Tinnunculus latrone conspecto ac re animaduersa illi sese opponit, easq; propugnat. *Terret enim Accipitres naturali potentia in tantum, vt visum vocemq; eius fugiant.* Qua de causa. *habendam semper esse cum Columbis Tinnunculum auem* Plinius monet. Verùm hoc loco Accipitris nomine speciatim præter morem suum vsus videtur, cùm etiam ipse Tinnūculus alioquin Accipitrum genere comprehēdatur. [b] Matthias à Michou auem ex Septētrionalibus partibus adferri tradit rapina viuentem, quātitatis Aquilæ, sed alis & cauda prolixioribus, in similitudinem Accipitris, uocariq; à Moscouitis Kiczoth, suis Byalozor, quasi albicantem splendorem, quòd subalbida sit secundum ventrem. Hanc omnes rapaces aues, Accipitres, Falcones in tantū metuere, ut inspecta ea tremant, cadant, & extinguantur. Crocodilum quoque hostem maximum habet, quem tantoperè pertimescit, ut eius metu uix ad flumen Nilum in Aegypto bibiturus ausit accedere. Si uerò accedit, summa cautela ac prudentia utitur, alas sæpè inclinat in latus, ad fugam semper paratus, ne improuisus à Crocodilo rapiatur, opprimaturq;, uti [c] Plutarchus testatur. Chamæleonti quoque *vis*, teste [d] Plinio, *maxima contra Accipitrum genus; detrahere enim suprà volātem ad se traditur, & voluntarium præbere lacerandum cæteris animalibus.* Quod indignissimè Plinium in Democritum Philosophum contulisse tradit [e] Gellius. Talem attractionem (si modò uerum est, quod Plinius tradit, negat id enim Gellius) medicamentis purgantibus inesse ex similitudine inter ea & humores nostros, egregiè, ut solet, demōstrat celeberrimus [f] Ioan: Costeus. Pari ratione plātæ etiam nonnullæ antipatheia quadam Accipitri aduersantur. Fruges & ex his cōfectum panem quidam, inter quos [g] D. Aurelius Augustinus, existimarūt Accipitrem necare. Verùm hac de re & ueritatem & mētem nostram capite de Victu aperuimus. [h] Plinius tradit: *Si quis vite nigra uillam tinxerit, fugari Accipitres, tutasq; fieri villaticas alites.* Quidam etiam referunt, odisse eum radicē sylvestris asparagi, id est, corrudæ. Habet hoc Textor Rauisius, quo authore, nescio. Contrà, naturali eum quodam amicitiæ uinculo cum multis animantibus coniunctum uidemus, ut nō tam affectus crudelitate, quàm naturæ quodā occulto instinctu cum ijs, quas paulò antè recensuimus, dissidere uideatur, par alioquin omnium ex æquo hostis futurus. Ante omnia ipsius erga homines amor ex eo manifestus est, quòd eius societate mirè gaudere conspicitur, non tantùm arte cicur factus, sed dum etiam libertate sua adhuc fruitur, adeo ut Aristotele [i] teste, in Thracia hominibus sponte sua uenationis socium ac comitem, imò uerò capturæ totiusq; ex uenatu utilitatis reportatæ authorē præbere sese soleat. Quamobrem [k] Aelianus *eum ex auibus longè hominum studiosissimum haberi* scribit. Hoc etiam ipsius erga homines sympatheiam demonstrat, quod idem author recitat, si modò uerum est, *hominis eum miseri cordia affici, & mortuum lugere, & in oculos eius terram ingerere, in quibus scilicet Solis lumen ipsi* gratissimum atq; amicum habitasse existimet: imò si forte inhumatum uiderit, iniecta gleba humare dicitur, etsi illi hoc ut faceret, non quemadmodum Athenienſibus, præcepit Solon. In tantum deniq; religiosè hominem obseruat, ut si corpus defuncti, non dico degustarit, sed attigerit, Aeliano teste, ieiunij pœnam sibi infligat. Mirum autem hoc in Accipitre, quòd ipse omnibus ferè inimicus, quia raptor scilicet, aui item cæteris auibus exosæ, solus ferè amicus & patronus comperiatur. Noctuę enim, ut inquit Plinius, *à reliquis alitibus infestatæ auxiliatur*

Gallinæ fuga & terror audito Accipitre.
Leporis.
Serpentum & Scorpionum.
Accipiter non impunè odit.
Antipathia cū Aquila, & Tinnunculo.
Cum Chamæleonte.
Cum Crocodilo.
Cum plantis.
Cum vite nigra.
Cum Aspa rago syluestri.
Sympathia Cum homine.
Admiranda Accipitre.
Cum Noctua.

[a] *L. 10. c. 37*
[b] *Lib. 4. de Sarm. Asia. cap. 14.* Kiczoth Aluis quæ. Byalozor.
[c] *Lib. de Osyride.*
[d] *L. 28. c. 8.*
[e] *Lib. 10. Noct. Att. cap. 12.*
[f] *Lib. 2. de Stirp. nat. cap. 22.*
[g] *L. 2. Contra Manichæos.*
[h] *L. 2. c. 1.* Cum vite nigra.
[i] *Lib. 2. de Anim. c. 42.*
[k] *L. 10. c. 17*

*Accipiter collegio quodam naturæ, bellumq; partitur.* In Turturem quoq; benignus eſſe, à [1]Porphyrio ſcribitur, eò quòd hanc deprenſam dimittere ſoleat. Quare Aegyptij, ne quando imprudentes auem ab Accipitre dimiſſam guſtent, toto eorum genere in cibo abſtinent.

Cum Turture.

[1] *Lib. 4. de abſt. ab animal.*

Ex plantis ei amicæ traduntur Saluia & Mentha inter herbas: Abies uerò & Salix inter arbores. Sed omnium gratiſſima ipſi herba, cui ipſe nomen dedit Hieracium, Lactuca ſyluestris [m] Aeliano; *vtpote cuius ſucci affricti illitu oculorum caliginem diſcutiat.*

Cum Plantis Mentha & Saluia.

Cum arboribꝰ Abiete & Salice.

E metallis auro cum Accipitre maxima ſympatheia intercedere ab [n] Aeliano narratur, qui ita inquit: *Os tibiæ Accipitrum, ſi ad aurum admoueatur, ſic ipſum illecebra quadam mirabili ad ſe allicit, quemadmodũ Heracleotẽ lapidem ſua vi prædicant, quaſi præſtigijs & captionibus ferrum ad ſe attrahere.*

Cum Hieracio.

[m] *Lib. 2. de Anim. c. 43.*

Cum auro.

[n] *L. 10. c. 14*

# GENERATIO. EDVCATIO.

ACCIPITER ob feruidum temperamentum minimè fœcundus eſt; etſi, vt calida animantia pleraq;, admodum libidinoſus. Non enim quilibet calor fœcunditatis cauſa eſt, ſed qui probè temperatus, & cum humore ſufficienti coniungitur. Nam ut exiguus non ſatis mouet materiam, ita è contra nimius agitat quidem, atque ad Venerem ſtimulat, ſed ſemen exiccat, & nimis condenſat. Adde & alteram rationem ex [a] Ariſtotele, quòd *natura*, ut ille docet, *humorem & ad crura vngues q, & ad pennas, ac etiam ad genitalia loca ſimul nequeat tranſmittere. Cùm autem vncis in alas & pennas ſeminale excrementum vertatur, corpusq; exiguum, ſiccum & calidum habeatur, fit vt multiparæ non ſint. Contrà verò grauibus & non volacibus, vt Gallinis & Perdicibus, & reliquis id genus, multum eius excrementi ſit, quo & ſeminis & pennarum natura gignitur, quapropter mares eorum ſalaces ſunt, & fœminæ multum materiæ ſuggerunt. Quin & tenuitas ac imbecillitas crurum facit, vt eorum natura ſalacior ſit & fœcundior, quomodo & hominibus euenit. Alimentum enim, quod crura ſubiret, in ſeminale excrementum transfertur. Quicquid enim inde Natura adimit, hîc adijcit. Nam vncungues aues pede ſunt firmiore & crure craſſiore: vti & copioſiore pluma veſtiuntur, cauſa victus. Itaque his omnibus de cauſis præfœcundæ non ſunt.* Nihilominus tamen ad libidinem propenſiſſimos eſſe Accipitres, veteres ſenſiſſe videntur: licet ſecus hîc doceat Ariſtoteles. Aegyptiorum enim ſacerdotes memorabilis illius commenti, quo Martem & Venerem per duos vtriusq; ſexus Accipitres intelligebant, cauſam eam reddunt, quòd cùm reliqua fœminei ſexus animalia, maribus ſuis, qui aſſiduum concubitum depoſcunt, minimè morigera ſint, vna id præſtet Accipiter. Trigeſies enim vna die requiſita, quantumlibet ſeceſſerit, vocata à mare, iterum atque iterum obſequitur. Vnde fœminas maribus morigeras, ſiue in Venerem procliuiter pronas, elogio Accipitris honeſtabant; difficiles autem & moroſas ab huiuſmodi cognomẽto repellebant. [b] Aelianus etiam refert, *aliquod eſſe Accipitrum genus, montanum nominatum, quod ardenti in fœminas amore inflammetur, moreq; hominum amatoria leuitate flagrantium, ſemper ſectando eas in oculis ferat: Si quò clam fœmina abceſſerit, ex eo maximum capiat dolorem & clangorem fundat, vtq; homines vehementer amantes ex amore vexantur, perinde amatorijs moleſtijs affligatur.* Imò verò quoddam genus in libidinem adeo profuſum legimus, vt verno tempore: quo pleraq; in Venerem ruunt animalia, omni robore amiſſo, minimarum etiam auium morſibus obnoxium ſit. Sed & illud eorum in Venere intemperantiam arguit, quòd etiam cum ſpecie diuerſis, coitu ſæpenumerò miſceantur, vt [c] Ariſtoteles teſtatur. Coeunt enim cum Aquilis, & ſpurias Aquilas gignunt. Præterea cùm aues libidine accenduntur, quicquid eſt rapacium, cum Accipitre Aſteria congreditur, ut ſcribit [d] Tardiuus. Hinc eſt quòd pro diuerſitate parentum, audacia & fortitudine multum differant. Cuculum etiam ex Accipitre fieri quidam exiſtimarunt. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi ille ex Accipitre tanquam parente gignatur (eſt enim toto genere diſſimilis, ut neq; roſtro, neque pedibus aduncis) ſed tanquam immutata figura in Accipitrẽ tranſeat. Quamuis & hoc falſum eſſe, alibi oſtẽdimus.

Accipitres eſſe ſalaces

Mars & Venus per Accipitres denotati.

Mulieres morigeræ elogio decoratæ.

[b] *Lib. 2. de Anim. c. 43.*

[c] *De Gener. anim. l. 2. c. 5.*

[d] *Lib. 9. Hiſtor. c. 32.*

[e] *Lib. de Aucupio.*

Differentię ab Ortu.

Accipitres locis ſaxoſis & arduis petriſq; excelſis ac præruptis nidum facere ſolent. Quandoque tamen non inter ſaxorum rimas, ſed inter arborum altiſſimarum ramos, ſummis cacuminibus nidulantur, è quibus, tanquam è ſpecula quadam ſeu arce eminentiſſima, iam ab incunabulis ſpeculari prædam, alijs præeſſe ac dominari aſſueſcant. *In inſula Africæ Cerne in Oceano totius Maſſiliæ, præter cæterorum morem, humi,* vt [e] Plinius teſtatur, *nidificant.* Tria aut ut plurimùm quatuor oua, & quinque quandoque, ſi [f] Alberto credimus, pariunt. Vicenis verò diebus incubant, ex Ariſtotelis & Plinij ſententia. [g] Aelianus autem: *Accipiter*, inquit, *cùm ex ſe tria oua pepererit, vnum ſolum ſelectum alit, alia duo frangit, quod ipſum eo tempore facit, cùm vngues amiſit, quòd tres pullos tum alere nequeat, vnguibus ſcilicet ad victum parandum neceſſarijs deſtitutus.*

Cuculũ ex Accipitre gigni quo intelligẽdũ

Nidulatio.

[f] *L. 10. c. 8.*

[g] *Lib. 23. de Anim.*

De om-

De omnibus sanè in genere adūcis [h] Aristoteles hoc scribit, quòd pullos, cùm primùm prouolandi facultas illis fuerit, nido expellat, perculsosq; cogat discedere. Similiter Albertus, quæ circa hanc rem cùm aucupum relatu, tùm propria experientia obseruauit, his verbis tradit: *Accipitres pullos suos volantes cibant ferè mensis spatio, & postea recedunt ab eis. Et docent eas capere aues, quas vivas adferunt, & coram eis dimittunt, incitantq; pullos ad capiendum. Vbi autem perfectè iam volaces & ad capiendū idonei fuerint, eijciunt aut relinquunt eos atque deserunt.* Itaque Aegyptij sacerdotes, si quem filios domo exactos ablegantem exprimere volebant, Accipitrem fœtam vel incubantem pingere soliti erant. Ita tamen rem accipiebant, vt qui abdicaret, vel à se reijceret, propter egestatē & inopiam id facere cogeretur. Nam eadē in Accipitre causa fertur, cùm Aquilæ non indigentia, sed fastidium in causa sit, vt vnum tātùm alat. Ex his patet [i] Aelianum cum Aegyptijs hanc prolis eiectionem soli victus penuriæ attribuere. Honorificientius tamen alij quidam non infimæ classis scriptores, & fortasse etiam verius sentiunt, dum hanc seueritatem non in pauperiem, quæ Accipitris principatu indigna est, sed in generosam eius indolem reijciūt. Quod quidem D. [k] Basilius facit, vbi in hæc verba scribit. *Accipitres circa pullos suos sunt crudeles, quia cùm sint habiles ad volandum, cibos eis subtrahunt, & rostro vnguibusq; percutiētes, more Aquilarum, de nidis exire compellunt & cogunt; quia eos audere docent, & ad prædam excitant, ne adulti effecti, torpescant otio, & magis cibum quærere, quàm vigori animi consuescant.* Huius sententiæ astipulatur [l] Cassiodorus cùm ait: *Accipitres, quorum victus semper ex præda est, fœtus suos nouitate marcentes, nidis perturbant, ne in molle otium consuescant, alis verberant immorantes, & ad volatum cogunt: vt tales debeant existere, de quibus possit pietas materna præsumere.* Huc colophonis vice adnectenda commodum venit ea, quam [m] Aelianus refert, Accipitrū fœminas amantium historia, quæ talis est: *Accipitres ineunte vere deligunt ex omnibus duos, & in Aegyptum ablegant, ad speculandas insulas quasdam desertas, quæ Libyæ adiacent. Ii autem vbi reuerterint, præeuntes eò alios deducunt: Interea Libyes pro peregrinatione illorum festum agunt. Cùm ad eas insulas peruenerunt, quas illi duo speculati commodiores sibi iudicarunt, hic in multa quiete & tranquillitate pariunt, & excludunt, Passeresq; & Columbas venantur, pullos cum magna redundantia alunt, deindeq; firmos ad volandum in Aegyptum abducunt, tanquam paternas sedes.* Alunt autem suos pullos, eodem teste, *ijsdem quibus ipsi vescuntur cibis*, nempe carnibus, & sanguine.

[h] *L. 6. Hist. cap. 6.* Accipitres pullos ad ad prædam cupiēdam instruunt.

Filiorum à parentibus relictorum hieroglyphicum.

[i] *Lib. 7. c. 9.*

[k] *In Hexā.*

[l] *Lib. 1. Epist. 31.*

[m] *Lib. 2. de Anim. c. 43*

Quo cibo filios nutriant.

# MORBI.

PRAECIPVVS & maximè Theologorum, Aegyptiorum mystarum, Philosophorum aliorumq; scriptis decantatus Accipitris affectus est pennarum casus & renouatio. Quem effectum [a] Aelianus quādo fieri soleat, ita indicat: *De Accipitribus*, inquit, *audire memini, solere eos antequam Nilus inundet, & agros operiat, ex pennis illas quæ iam consenuerint, dimittere (vt rami fruticum iam arida folia) & alias nouellas, & elegantes producere, similiter vt arbores comam.* Tempus verò inundationis Nili ex Claudiani hisce versibus discere licet, vbi ait:

Pennarum casus.

[a] *Lib. 12. de Animal c. 4*

*Cumq; die Titana canis flagrantior armat,*
*Et rapit humores madidos, venasq; calore*
*Compescit, radijsq; potentibus æstuat axis.*

Quibus verbis dies caniculares describit. Verùm scire licet hoc ferè tempore, nempe sub initium Augusti mensis Accipitribus pleriſq;, quibusdam sub medium, nōnullis etiam sub finem pennas nouas perfici, & multò antè veteres decidere, nēpe primo vere mēse Martio & Aprili, Tunc enim primùm mutare plumas incipiunt, & veluti senectam deponere, vestemq; obsoletam pennarum priorum eijcere, in quarum locum paulatim succrescunt nouæ, sub finem tandem æstatis perfectionem adepturæ: ita vt in toto habitu nulla plumarum diuersitas, aut dissimilitudo conspiciatur. Qua verò ratione istæc renouatio peragatur, primus omnium patientissimus ille [b] Iob nobis declarauit; illis, quibus diuinā admiratus prudentiam, uerbis ita creatorem suum affatur: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit Accipiter expandens alas suas ad Austrum?* Quem locum enarrans D. [c] Gregorius: *Quia*, inquit, *per annos singulos pennam veterem Accipiter noua nascente proijcit, ac sine intermissione plumescat, penè nullus ignorat. Non autem hic illud plumescendi tempus dicitur, quo in nido vestitur, quia tunc nimirum adhuc pullus ad Austrum alas expādere non valet, sed illa annua pluma describitur, quæ laxata veteri penna renouatur. Et quidem domesticis Accipitribus quò melius plumescere debeant, humida ac tepentia loca requiruntur. Agrestibus verò moris est, vt flante Austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concalescant. Cùm verò ventus deest, alis contra Solis radios expansis atque percussis, tepentem sibi auram faciunt,*

Quomodo pennas mutent.

[b] *Cap. 39.*

[c] *Lib. 31. Expos. moral. cap. 18*

*ciunt, ſicq; capto tepore laxatis poris vel veteres exiliunt, vel nouæ creſcunt.* Hactenus illæ. Teporẽ huiuſmodi renouationis iſtius effectricem eſſe cauſam vel ex eo liquere poteſt, quòd quotidiano experimento venatores comprobarunt, manſuefactos Accipitres ægrè admodum pennas veteres cum nouis commutare, niſi loco vndiquaque obturato, ac tepente recludantur. Quibuſdam verò pluma omnino non mutatur, præſertim cùm prauis carnibus veſci coguntur. Cuius & aliorum omnium, quibus corripitur Accipiter, morbõrũ remedia, eorumq; explicationem in tractatum de arte Accipitraria conſultò reiecimus, illic latiùs de ijs pertractaturi. Hoc tantùm pluribus repetitum authoribus addam, uiſus, quem alioqui acutiſſimum obtinet, nõnunquam pati hebetudinem. Ipſe verò conſeruandæ, ſeu recipiendæ potiùs natiuæ illius oculorum clariſſimæ aciei ſtudioſiſſimus, ſibiipſi eſt medicus; & vt [d] Plinius vult: Lactucam, quã Hieracium vocant, ſcalpendo, ſuccoq; oculos tingẽdo, obſcuritatem cùm ſentit, diſcutit. Ita ſimul & ſe ipſum iuuat, & hominem, quid in ſimili euentu ipſi agendum ſit, monet. Id ipſum etiam teſtatur [e] Aelianus, vbi hũc in modum ſcribit: *Cum ex oculis laborat Accipiter, circa ſepes ſyluaticam lactucam euellit; eiusq, acerrimum ſuccum expreſſum ſuis oculis inſtillans, ad ſanitatem reſtituitur. Hoc vti medicamento ad ſanandos oculorum dolores medici dicuntur, vnde & collyria Hieracia, ideſt, Accipitraria nominantur. Vnde videre licet homines ſe auium diſcipulos profiteri, atque etiam præ ſe ferre non vereri.* Plinius *Coturnices ſolas animalium, præter hominem, comitialem morbum ſentire* aſſerit. Sed quàm rectè, ipſe viderit, cùm Paſſeres in primis eodem corripi ex nimio coitu conſtet, & Accipitres & Gracculos Brod. ita quoque vexari tradit. Sed & de quadrupedibus id teſtantur veteres. Nam Hippocr. & Plutarch. Capris & Ouibus familiarem eum morbum ſcribunt. [f] Rhodiginus id in Canibus, Felibus & Arietibus quoquè obſeruauit.

Domeſticis vix renouatii pennas.

Viſus hebetudo.

[d] *L. 20. c. 7.*

[e] *Lib. 2. de Anim. c. 43.*

Collyria Hieracia.

Accipitres hominum magiſtri in ſanandis oculis.

[f] *Lib. 9. c. 6.*

# ÆTAS.

[a] *Lib. 10. de Anim. c. 14.*

*HVIVS alitis vitam,* inquit [a] Aelianus, *aiunt Aegyptij ad annos vſq; ſeptingentos pertingere, quibus ego non facilè crediderim.* Certè nec vllum animal, vllamue plantam (neq; Platanum neque Quercum excipio) ad hanc ætatem viuendo peruenire credibile eſt. Viuacem verò in primis Accipitrem eſſe non negauerim.

# VENATVS. CAPIENDI MODVS.

[a] *Lib. 11.* Aucupium Accipitrum priſcis fuiſſe incognitum.

AVCVPII genus omne Pãthera [a] Vlpiano dicitur. Quod verò per Accipitres hodie vbiq; gentium notum & frequentatum eſt, priſcis inauditum fuit. Nullum enim apud eos exemplum reperiri eſt edomitarum in hunc vſum rapacium auium. Antiqui ſcriptores, cuiuſmodi ſunt Ariſtoteles & Plinius, rerum omnium naturæ obſeruatores diligentiſſimi (etſi aliquo pacto venationis ipſius videntur meminiſſe, ut poſtea dicemus, nihilominus noſtræ omnino diſſimilis fuiſſe videtur, vt oſtendit etiã celeberrimus [b] Mercurialis) tam inſignem in domandis atque inſtituendis auibus ad rapinam hominibus vtilem, induſtriam, ſi ſuo æuo in uſu fuiſſet, nequaquam filentio obuoluiſſent. Ariſtoteles innuere videtur eo tempore Accipitrem potiùs illicis auis locum tenuiſſe, quàm prædatricis. Illex verò auis eſt, quæ Ariſtoteli παλεύτρια dicitur. Plautus: *Eſca eſt meretrix, lectus illex, aſt amatores aues.* In Accipitribus igitur uidemus quaſi incunabula eius aucupij. Nam ætate [c] Sidonij Apollinaris videtur maiore in cultu ac cura fuiſſe: vt omnia ſolẽt ex paruis & minimis augeri. Ita enim ſcribit ille:

[b] *Lib. 3. art. Gymnaſt. c. vlt.*

[c] *In Paneg. ad Auguſt. auit.*

*Quid volucrum ſtudium, dat quos natura rapaces*
*In vulgus prope cognatum? quis doctior iſto*
*Inſtituit uarias per nubila tungere lites?*
*Alite uincit aues: celeriq; per auia plauſu*
*Hoc nulli melius pugnator militat unguis.*

Venãdi ars in quãtum creuerit.

Quæ omnia induſtriam noſtram repræſentant, qua hodie vtimur in venandis auibus. Mirandum autem quippiam videtur, auem quæ perpetuò ſylueſtris fuerit, domeſticam hominiq; familiarem reddi, magno impetu æthere proruentem, in pugnum heri redire, alias aues vſq; ad nubes perſequi, aſſequutam interimere, bellumq; potiſſimùm aquatilibus & terreſtribus inferre, & quandoque etiam quadrupeda, ut ſunt lepores & cuniculi, rapere. In tantum enim creuit hodie id aucupandi artificium, vt nec Ardeæ, nec Milui intra nubes conditi, humanas manus poſſint euadere. Imò verò huiuſmodi alites ſublimipetæ cum hoc prædonum genere in nubibus

in nubibus, tanquam in theatro congressi, spectaculum necis suæ aucupibus vociferantibus, dimicantesq; suos ad certamen fortiter gerendum, quasi lanistis, adhortantibus, præbere coguntur: usque adeo pollet hominum artificium in auctorandis Accipitribus, & ad venatum sublimem instituendis, & mansuefaciendis ad obsequium. Quod quidem ob incredibilem quam exercenti adfert cùm oblectationem, tùm utilitatem, ad id gloriæ atque dignitatis fastigium euectum est, ut magnates hanc sibi tãquam propriam fecerint, suisq; delicijs reseruarint. Est in tanto apud multas nationes, & Gallicã præsertim pretio, ut si quis huius artis inter nobiles & claro loco natos, ignarus fuerit, in exiguo admodum apud eos honore sit, & tanquam præclarissimæ artis imperitus, quæ vna post rei militaris disciplinam, omnium nobilissima censetur. Qui verò de Accipitraria doctrina libros conscriptos Principibus & præsertim Gallofrancis dedicarunt, nil magnificentius præstare illis potuerunt, quàm eorum & in venatu & & Accipitraria scientia præstantiam, pleno, quod aiunt, ore prædicare. Veterum autem Principum laudes ab hoc argumento desumpta, taliq; honore nixas esse, nequaquam quis reperiat. Rationem verò, cur aucupij vsus apud antiquos infrequens, atque parui habitus sit, quidam reijciunt in exercitij, quod in eo obitur, lenitatem. Nullum enim exercitij genus approbabant, nisi in quo corpus multùm exerceretur, quo & fortiores & agiliores ad alia maiora obeunda redderentur. Verùm volatile hoc aucupium, cuius hodie studio nobiliores, quòd omni organo oblectandi animi instructissimum sit, plurimùm flagrant, antiquitas non solùm non coluit, sed ne suspicata quidẽ est. Nota verò & exercita priscis Græcis, & Romanis venatoria fuit, quæ simul & animum recreabat, & corpori robur addebat, simulq; militiæ quandam imaginem gerebat. Quanquam auium istæc per Accipitres instructos capiendi ratio, non tam aucupium, quàm venatus quidam sublimis aut volaticus dicenda videtur. Propriè autem aucupium est illud studium tenuioris fortunæ hominum, quod nec ipsum temerè affirmem olim in usu non fuisse, nempe Noctua, Asione, Vlula, alijsq; quibusdã volucribus captare alias. Illud enim uiolentum magis est, hoc insidiosum: hoc ex occulto, illud ex aperto: hoc blanda specie decipit, illud etiam antequam noceat, minatur. In utroque tamen ludicro, non tam capturæ & prædæ studere instituimus, quàm uoluptati aucupandæ aurium, & oculorum, & uel maximè animi. Nam, ut in sylueſtri uenatione, omnes aditus Ceruis pro libera fuga pãdimus: sic in illa sublimi & aërea, Miluos & Ardeas non humi captare, non in uolatu depressore opprimere, aut incautis anteuertere solemus, sed alite prius emissario, generoso more utimur, imbelli quidem illo, sed tamen eas aues anfractu inaniter infesto consectante, & territante, quoad sublimes euaserint, quum interim prædones illos alites sinistro brachio gestemus, obnuptis capitulis, nec antè manu mittimus, quò sublimius sit aucupium & cælestius. Licet autem priscis paulò antè ignoratam dixerimus artem istanc Accipitrariam, uidentur nihilominus nonnihil eiusdem suboluisse, speciemq; quandam habuisse, aut saltem huius, de qua nunc scribimus, aliquod rudimẽtum, quod [d] Aristoteles recitat in hæc uerba. *Circa Thraciam, quæ supra Amphipolim est, rem prorsus admirandam, & ab ijs, qui non viderint, incredibilem fieri aiunt. Pueri enim è vicis & agris vicinis ad aucupium auicularum egressi, Accipitres sibi socios assumunt. Nempe cùm ad locum capturæ aptum peruenerint, Accipitres clamando nominatim vocant, qui audita puerorum voce aduolant, & auiculas deturbant in fruteta. Hoc quidem maximè aliquis miretur, quòd Accipitres, quascunq; ipsi aues ceperint, pueris aucupibus deijciant, cũ pueri ex omnibus captis parte tantum aliqua Accipitribus reddita discedant.* Variat nõnihil eiusdem aucupij narratio, quam [e] idem author (si modò utriusque libri idem author est) loco citato priore ita instituit, Gaza interprete. *Thraciæ parte, quæ olim Cedropolis vocabatur, homines societate Accipitrum per paludes aucupantur. Cùm enim ipsi lignis, quæ tenent, arundines, & fruteta mouerunt, quò aues euolarent, Accipitres desuper insectantur: quorum metu aues perculsæ terram repetunt, mox homines percutiunt baculis, itaque capiunt, tum partem, quas ceperint, auium, Accipitribus impartiuntur.* Quod ad locum istum attinet, prior lectio uerior uidetur, ubi dicit Thraciam super Amphipolim positã, non autẽ olim Cedropolim uocatã, ut hîc scribit. Thracia enim regionis nomen est, & Amphipolim Thracię seu Macedoniæ ciuitatem esse, uel inter utramque sitam, Cedropolim uerò in Caria ponunt authores. Neq; [f] Plinius, ubi hanc historiam tradit, eadem per omnia cum Aristotele dicit. Hæc eius sunt uerba: *In Thraciæ parte super Amphipolim homines atque Accipitres societate quadam aucupantur. Hi ex syluis & harundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt. Rursus aucupes captas diuidunt cum eis. Traditum est, missas in sublime sibi excipere eos, & cùm tempus sit capturæ, clangore ac volatus genere inuitare ad occasionem.* Hîc Plinius in loco describendo, quem Thraciæ eam partẽ, quæ supra Amphipolim est, facit, cum ea lectione quæ nobis probatur, conuenit. Quare & alteri præferendum esse, dicere liceat. Cæterùm postrema illa Plinij uerba (*& cùm tempus sit capturæ*, &c.) mihi nõ suo loco posita uidentur. [g] Aristoteles enim pueros in Thracia scribit cùm auiculas aucupantur, Accipitres asciscere socios, & cùm

Accipitrinę venationis nobilitas.

Galli venationis huiꝰ studiosi, & quo in pretio eius periti apud illos.

Cur veteres Accipitrariam artem non celebrarint.

Quę venatio Græcis & Romanis nota.

Milui & ardeæ quo ca piantur.

[d] *Lib. 9. Hist. c. 36. & in Mirab.*

Thraces cũ Accipitrib. prædã partiti.

[e] *Lib. 9. Hist. 36.*

Amphipolis.

Cedropolis.

[f] *L. 10. c. 8.*

[g] *In Mirabilibus.*

& cùm in locum capturæ commodum peruenerint, Accipitres nominatim clamando aduocare. Plinius uerò ab ipſis Accipitribus clangore ſuo ac uolatus genere (uolant enim deorſum perſequentes) homines ad occaſionem inuitari ſentit. Quod etſi uerum eſſe uideatur, non ſuo tamen ordine & loco à Plinio ſcribitur. Primùm enim Accipitres uocantur: deinde auiculæ frutetis exturbantur: uel contrà. Tertiò auiculæ ab Accipitribus homines clangore & uolatus genere inuitantibus deorſum impelluntur. Quartò ab hominibus capiuntur. Poſtremò pars earum præmij loco in ſublime Accipitribus ibi excepturis reijcitur, quod [h] Ariſtoteles dixit: Πίπτουσι γὰρ τῶν ὀρνίθων οἱ δ' ὑπολαμβάνουσι, quæ uerba Gaza prætерijt. [i] Aelianus rurſus omnino aliter aucupij hanc apud Thraces rationem deſcribit, hoc uidelicet pacto: Accipitres *in Thracia accepi ad hanc rationem cum hominibus per paludes ſocietatem aucupandi coire: homines explicatis retibus quieſcere, Accipitres autem ſuperuolantes exterrere aues & intra retia compellere. Thraces ſi quas ceperint, aues cum Accipitribus partiri, eosq; tum ad aucupij ſocietatem fidos habere: ſin cum his earum partem, quas ceperint, auium, non communicauerint, diſſociari atque diſtrahi.* Hac ſanè actione Accipitres ipſi commodum ſui uſum monſtraſſe uidentur, ipſaq; utilitate ad tentandam eorum manſuefactionem allicuiſſe, & uelut inuitaſſe. Quamuis longo admodum pòſt tempore in uenationis uſum domatos Accipitres, ut dictum eſt, legimus. Antiquiſſimi enim omnium eorum, qui Accipitrarię huius artis mentionem faciunt, ſunt Aelianus & Iulius Firmicus, quorum ille, qui paulò poſt Adriani tempora uixit, Accipitrariam hanc uenationem ſe minimè ignoraſſe, ſatis prodit his uerbis: *Accipitrum genus eſt, quod eſcæ illecebris capitur, idemq; manſuefactum, nunquam poſtea recedit ab eo, quem experitur in ſe benignum.* Idem [k] alibi Indos tradit Coruorum ac Miluorum pullos manſuetos reddere inſtituereq; ad venatum Leporum Vulpiumq;, adeo vt Canibus ad venationem non indigeant, hoc nimirum pacto: *Leporem & Vulpem cicures carne appenſa ad curſum dimittunt, & mox immittunt aues, carnem eis, quam appetūt, adempturas. Illæ igitur quanta poſſunt celeritate & impetu uel hanc uel illum conſequutæ carnem laboris ſui præmium & eſcam deſideratam ſibi auferunt. Sic inſtitutas ad prædam aues, deinceps in mōtanos Lepores & Vulpes feras emittunt: quos illæ itidem ſpe ſolitæ eſcæ proſequuntur, & mox captos dominis, vt prodit Cteſias, adferunt: loco autem carnis appenſæ, viſcera captorum, eis in cibum permittuntur.* Ex his tamen Aeliani verbis colligere licet (ſi modò Cteſiæ alioquin fabuloſo, fides adhibenda eſt) non vſque adeo recens omnino hoc fuiſſe inuentum, ſed etiam ætate Cteſiæ multò ante Aeliani tempora, in vſu veniſſe, ſed Indis tantùm, non autem Græcis aut Romanis. Quare Cteſia authore ab Aeliano adducto, Indis & non alteri vlli genti aëriæ huius venationis per Accipitres inuentio accepta erit ferenda. Nam poſt Aelianum, Romanorum, qui eius meminerūt, vetuſtiſſimus eſt [l] Iulius Firmicus, qui fuit Conſtantini temporibus, Magni Conſtantini, filij. [m] Petrus verò de Creſcentijs Bononienſis Senator, huius artis originem neſcio ad quem Daucum Regem refert: *Prudentes antiqui* (ait) *videntes quaſdam aues per aëra volitantes, illas cautè capere laborauerunt, auiumq; rapacium genera domeſticare, ut quas per ſe capere non poterant, earum auxilio acquirerent. Et horum primus inuentor dicitur fuiſſe Rex Daucus, qui diuino intellectu nouit naturam Accipitrum & Falconum, & eos domeſticare, ad prædam inſtruere, & ab ægritudinibus liberare: poſt quem alij multi fuerunt, qui plures ipſarum auium rapacium addiderunt.* Hęc ille. Quis ſit iſte Daucus, aut quis rex eo nomine vnquam dictus fuerit, equidem neſcio, nec me legiſſe memini: niſi, quod credo, Dacum pro Dauco, facili lapſu dicere voluerit. Author enim eſt [n] Polydor. Verg. Lothericum Dacum Regem aucupio mirè delectatū, cuius ſtudium & ipſi mortem, & Angliæ bellum attulit, vti latiùs apud eundem uidere licet. Leander in ſua Italia putat Fredericum Oenobarbum morem cum Accipitribus aucupādi, qua arte ipſe plurimùm capiebatur, primùm in Italiā inuexiſſe. Quod tamen [o] Collenutius Henrico VI. Imperatori aſcribit, qui Falconiam eam artem appellabat. Vt vt ſit, aut quicunque tandem hanc artem primùm exercuerit, hoc enim dubium eſt, illud certò conſtat, ſerò admodum Romanis ac Græcis eius uſum innotuiſſe, ac receptum fuiſſe. Quod tamen mirum meritò videatur. Nam leuis profectò [p] Caroli Stephani ratio eſt, neglectam ab antiquis hanc artem aſſerentis, quòd in ea corpora ignauiùs, quàm pro robore corporis pareret, exercerētur. Eſt etenim hac noſtra tempeſtate, ſtudium hoc inter alia principum atque heroum exercitia longè commendatiſſimum, & omnibus oblectandi numeris inſtructiſſimum, ſiue ingenuitatem exercitij ſpectes, ſiue uoluptatis honeſtatem expādas. Siquidem hoc ſtudio corpus moderatè longeq; expeditiùs, labore ac periculo minore, quàm altera illa quadrupedum venatione exercetur, ut pulchrè & doctè Conradus Heresbachius Sereniſſ. Principis VVihhelmi, Cliuiæ, Iuliæ &c. Ducis quondam primùm præceptor, deinde à conſilijs teſtatur. In quadrupedum namque perſecutione immodico labore laſſitudineq; per inuia dumeta, ſyluasq; impeditas venatos ſæpe fractus fatiſcit, aut in furibundum Aprum aut Ceruum efferarum impulſus in vitæ diſcrimen adducitur. Adde quòd hoc exercitium minore

ſumptu

[h] *Lib. 9. Hiſtor. cap. 36.*
[i] *Lib. 2. de Anim. c. 42.*
Qui primò de Accipitraria ſcripſerint.
[k] *L. 4. c. 26.* Indi aues ad venatū inſtituunt.
[l] *Lib. 5. c. 8.*
[m] *L. 10. c. 1.*
Daucus rex Accipitrariæ artis primus autor ſtatuitur.
[n] *Lib. 4.*
Fredericus Oenobarbus.
Henricus VI. Imper.
[o] *Lib. 4. Hiſtor. Neap.*
[p] *Lib. 6. de Agric. c. 44.*
Aucupij & venationis cōparatio.

sumptu atque apparatu perficitur. Nam ferarum venatio & canum omnis generis gregem requirit,& retia sumptuosa,vt interim taceam venatorum turbam, qui Canes ducant, vel insectentur feram, vel qui ad retia desideant. Accipittarius verò ὀρνιθοθήρας vnus solo Accipitre instructus suam artem exercet. Quo fit,vt hodie in maximo vsu sit & generosa exercitatio existimetur,Principibus & Monarchis vsitata,vt quæ voluptatis plurimum habeat. Inter Europæos Gallofranci sibi tanquam primis authoribus huius studij originem vendicant, quòd, vt inquit Bellonius Gallus, *omnium retrò hominum memoria illud in primis coluisse, eoq; præ cæteris nationibus maximè delectati fuisse reperiantur*. Vnde etiam qui de Accipitraria re apud eos scripserũt, suosq; libros Principibus nuncuparunt,à nulla re magis,quàm ab illius artis peritia eorundem comendationem, atque encomia sibi petenda existimarunt. Sed vt olim in hoc studium ardẽtiùs cæteris incubuerint Galli,hoc sanè nostro quo,nullius nõ nationis, potissimùm heroës ac diuites,ex æquo eximio huic oblectamento passim operã dare videmus adeo gnauiter,vt qui alijs hoc nomine antecellant,difficillimum sit iudicare. Venatio verò aucupiumq; quantum laudi vel vituperio danda sint, præclarè [r] Plato disserit. Exercetur autem hoc aucupium volatile, siue venatus æthereus (quocunq; tandem nomine appellare libeat) rapacibus auibus, & præcipuè Accipitribus inedia vigilijsq; domatis. Quãuis in hunc vsum non solùm Accipitrum omnia genera domãtur,verùm etiam Aquilæ,Vultures,Milui,Corui,quibus non aues solùm,seu Lepores etiam & Cuniculos venentur. Quod etiam olim Indos factitasse antè ex [r] Aeliano retulimus. Videmus enim natura sua Accipitres, Miluos,Coruos innoxijs auibus insidiari. Quare hoc agimus eo studio, vt quæ antè suapte natura sibi venabantur, nunc tanquam mercenariæ magisterio ac disciplina assuefactæ nobis prædam capiãt. Quod quidem diuersis peragitur modis,pro vario auinm ingenio,vel etiam institutione. Aliàs enim Accipitrarius auem gestat pugno insidentem, comitatusq; Cane vestigatore, qui vel Perdices, Coturnicesue, aliasque aues minore Accipitrum genere persequatur & è latebris excitet, vt auolare tentantes à prædatrice intercipiantur. Pleruncq; Perdices,Coturnices similesue aues, vbi hostem adesse senserint, in sublime sese attollere non audent, sed in fruteta sese abdunt, maluntq; canibus, hominibusq;,quàm iurato hosti Accipitri in prædã venire. Quod Oppianum etiam minimè latuit authorem alioqui antiquum,vt apud eum est videre,ita scribentem: *Quiescente etiam Accipitre aues capiuntur, res mira, iucundaq; visu. Auceps Accipitrem circa aliquem arboris truncum deponit,vel potiùs alligat. Huius conspecti metu auiculæ sub frondibus sese occultant, & timore adstricti tanquam homines in itinere, cùm subitò apparuit latro, nullam in partem prouolare audent. Tum auceps sic perturbatas & attonitas paulatim ab arbore detrahit*. Maioribus verò Accipitribus Lepores minores etiam atque Cuniculos hoc pacto capiunt. Verùm magnos Lepores sine Canum ope ægrè,etsi eos adoriantur ac feriant, retinere queũt. Etenim, vt testatur Stumpfius, Accipiter mas rapere tantummodo potest eum Leporem, qui ad mediam corporis sui magnitudinem excreuit: fœmina verò etiam adulto Lepore potitur. Idem etiam Felem satis robustam ab Accipitre capi,se vidisse scriptum reliquit. [t] Crescẽtiensis verò non hos tantùm, sed etiam Capreolos necdum adultos ferire atque impedire, ita vt nullo negotio à Canibus capi possint. Oppositã primo generi iam dicto venandi rationem tenent alij,qui emissam prædam diu circumuolitant,donec à Canibus atque uenatoribus excitetur, quam pernicitate instructi diripiunt,atque humi depressam conficiunt. Alij non nisi volantem prædam impetũt, quam si impediti assequi non queant, circumuolitando in propinquo latitantem commonstrant, ut à venatoribus comprehendatur. Sunt & sublimipetæ, qui Ardeas, atque id genus aues in nubibus persequuntur eò usque, ut hominum conspectũ euadant. Hi maximè sunt Principibus in delicijs,vtpote qui Anates, Ardeas, Grues spectandæ virtute è sublimi deturbent. Ardea enim quoties imminere hostem cernit,sublimis fertur in auram,hac eam insequitur Accipiter, sicq; certatim nubes petunt,vt hominis sæpe prospectũ effugiant,tantisper dum venatrix sublimior facta, prædam inuolutam vnguibus suis, in terram mutuo rotatu deturbet,atque à leporarijs aut Venatoribus excipiatur. Industrias aliquando huiusmodi aues Principes magno mercantur: siquidem constat quingentis aureis,atque amplius Regibus & Principibus uenditas esse. Cæterùm Accipitrum in vniuersum plures statuuntur differentiæ, iuxta quas magis aut minus idoneæ ad venaticam hanc disciplinam censentur. Quædam eæq; non minimi momenti, sumũtur à loco natali,quæ maximam profectò in ingenio roboreq; discrimen constituunt. In primis enim Accipitres maiores fortioresq; nascuntur in regionibus Arctoo sideri subiectis ac propinquis. Videmus enim fieri, ut Anglia,Suecia, Dania,Russia,Borussia,aliæq; his finitimæ regiones, quòd auibus aquaticis alijsq; animantibus victum Accipitribus largum suppeditent, sanguinolentiores & copiosiori spiritu præditos, ideoq; maiores, audaciores,rapaciores,ferocioresq; quàm vllibi esse solẽt, producant. In alijs verò locis,ut in-

[r] *In fine Septimi de legibus*.

Quæ aues ad venandum instituti possint.

[s] *Lib. 4. de Ani. c. 36.*

Perdicum & Coturnicum venatio.

Leporum minorũ & maiorũ venatus.

Accipiter mas quem Leporem capiat.

Accipiter fœmina.

Felis ab Accipitre captus.

[t] *L. 10. c. 7.*

Ardearũ, Gruum, Anatũ similiumq; venatio.

Accipitres magno vẽditos.

Accipitrũ differentiæ ab aptitudine ad venandum.

Vbi pstantiores nascantur.

quit Albertus Magnus, *ſecundum proportionem uigor, audacia, & ferocia in eis ſpectantur*. [u] Creſcentienſis eos cæteris præfert, qui *in alpibus Illyrici de Braſia dictis naſcuntur. Bonos* item reperiri tradit *in alpibus Veronenſibus ac Tridentinis*. Helueticarum etiam alpium iuga laudabiles gignunt, cùm alij plerique, tùm Galãda mons Rheticus, vnde Mediolanum & in reliquam Italiam delati magno venduntur. Tappius præ cæteris laudat Germanicos, præſertim in Marca VVeſtphaliæ, quæ Sereniſs. Cliuiæ Ducibus paret, captos. Vnde in Belgiam, Galliam, Hiſpaniam & Angliam deferuntur, ac maioris inter cæteros veneunt. Aliam inſignem diuerſitatem inter ipſos ætas ponit. Namq; ex omni Accipitrũ genere alij ſunt Nidularij, ita eos [x] Budęus uocat: *qui* ut idem ait, *ex nidulo rapti ſunt, & domi adoleuerunt*. Nidarios hos uocat [y] Creſcentienſis & præ cæteris laudari aſſerit, quòd *Dominum rarò deſerant*. Budæus tamen hos *ut obſequioſiſſimos, ita deterrimos* cenſet. Si tamen his utendum eſt, quòd alij deſint, aut ita lubeat, non prius eos *nido eximendos* monet [z] Carolus Stephanus Gallus, *quàm perfectum robur habeant, quo ſaltem cùm alibi tùm in pertica erecto queant corpore ac cruribus conſiſtere*. In nido captos Galli ſua lingua Oyſeaux nieds uel prins au nids: Germani alij Neſtling, alijs Neſtuogel uocant. Ramales ſeu ramarij dicuntur, qui iam fermè adulti, & nido egreſſi, nido tamen etiamnum oberrant, ac ramulatim hoc eſt, de ramo in ramum uolitant, ac dum matrem ſequuntur, capiuntur. Hos præferunt, quòd celeritate Nidularijs præualeant. Hos Galli Branchiers & Ramagè dicunt: Germani Eſtling ſeu Aſtuogel. Peregrini, ut in primis uolucres, ſic contumaces, & maiore negotio curabiles, ut qui ab infantia non obduruerint. Hi tamen duorum generum Hornitini, id eſt, qui primo anno capti, aliquandiu liberi uolârunt ac diutulè nidum reliquerunt, præſtantiſſimi habentur, quòd antequam deplumeſcunt, manſueſcant. Hos Galli Soros uocant, à colore Soret dicto eorum idiomate, quem latinè fuligineum dicimus. Germani VVildfang nũcupant. Anniculi uerò, id eſt, deplumes, qui iam pennas in feritate mutârunt, bimi, trimi, & deinceps, ad obſequium redigi non poſſunt, fugitiui pleruńq; ſunt. Quodſi tamen probè domari, & apud dominum manere eos contingat, optimi euadunt, quandoquidem interim dum adhuc feri eſſent uenationi aſſueuerunt. Empturus igitur aut capturus Accipitres ætatem diligenter obſerua, ut quæ non parum ad præſtantiam, aut prauitatem faciat. Verùm an integra ſint ſanitate, ante omnia aduerte. Deniq; ſanos certis indicijs bonitatis ac præſtantiæ à prauis diſcerne. Quorum utrumq; præſtare hîc te docebimus. Primùm ſanum ab ægro multis notis diſtinguere licet. Accipiter enim *ægrotus* inquit Albertus, *pennis & alis quodammodo inhorreſcit, alæ dependent, clamoſus eſt propter ſenſum doloris, cibum ſæpius reijcit incoctum*. Demetrius Conſtantinopolitanus, qui de Accipitrum educatione ac cura ad Imperatorem Conſtantinopolit. librum Græcè conſcripſit, hoc pacto cauere docet: Columbæ bibendum dato uinum uetus odoratum admixto aſaro, deinde Columbam Accipitri obijcito, qui ſi ęger fuerit, non attinget eam. Vel Accipitrem pone humi iuxta pedes tuos, & manum qua carnem teneas, quantum potes eleuato uocatoq; Accipitrem, qui ſi continuò ad manum aduolarit, ſanum eſſe iudicabis: ſecus ægrotum & non emendum. Vel ſcobem ferri benè tritam Accipitri obijce cum carne, qua ſolitus eſt paſci, hanc ſi deuorârit, partes eius interiores infirmas eſſe conijcies. Quòdſi aliquando à deglutita ſcobe ferri, oſſa eius uel articuli crepitum ediderint, interiora eius infirma fuiſſe conijcies, auxilium uerò ex hoc ipſo remedio maximum ei futurum expectabis. Vel pulmone ouillo calente adhuc ciba Accipitrem, & ſi nihil incommodi inde ſenſeris, interiora eius ſana eſſe conijcito. Si verò deteriùs habuerit, & ęgrè cõcoxerit, ſignum eſt eum ęgrotare, & poſtridie inuenies eum triſtiorem. Hunc ne emito: ſi verò tuus ſit, idoneam curam ei impendito. Sanum uerò eſſe, his ſignis, à Tardiuo Gallo, qui uernacula lingua ad Carolum Octauum Gallię Regem librum de Accipitraria ſcriptum condidit, enumeratis cognoſces. Si alui excrementum continuum fuerit, non interruptum nec denſum: Si turundos ingeſtos nõ humidos, ſed ſiccos aluo reiecerit: Si ſuper pertica tranquillè ſe geſſerit: Si roſtro alas ſuas repurget ab inferiore parte uſque ad ſummam: Si pennæ eius veluti vnctæ ſplendeant: Si coxas æqualiter teneat: Si venæ duæ, quæ in radicibus alarum ſunt, motu moderato pulſauerint. Contrà verò, calore externo ac præter naturam affici Accipiter intelligitur, ſi eos aperiat; lingua tremat & anhelus ſit. Frigoris ſigna ſunt, ſi oculos claudat, pedẽ alterum eleuet, plumis inhorreſcat. Defatigatus aut ęger notatur, ſi os clauſum fuerit, alæ dependeant, & crebrò reſpiret per nares. Denique morti vicinus, ſi alui excrementum viride redditur, & quum in perticam ipſe volatu eleuare ſe non poteſt. Cæterùm vt prima cura ſanitatis meritò tibi eſſe debet, ita etiam videndum, ne dum illi ſoli intentus es, cætera negligas. & in ignauum, degenerem, aut inutilem incidas. Quare ſignorum bonitatis in Accipitre peritus eſſe debes. Tappius Lunenſis, qui Germanicè de Accipitraria librum compoſuit, ait, requiri in probo Accipitre collum paruum & longum, nares amplas, linguam, & oris interiora nigra, alas paruas & breues, modicè inflexas, ferè

vt Gallinæ

[u] *Lib. 10. cap. 2.*

Differentię ab ætate.

[x] *In Pandect.* Nidarij.

[y] *Lib. 10. cap. 3.*

[z] *Lib. 6. c. 11.*

Oyſeaux nieds. Prins au nids. Neſtling. Neſtuogel. Ramales. Ramarij. Brãchiers. Romagè. Eſtling, ſeu Aſtuogel. Peregrini. Hornitini. Sori. VVildfang Anniculi.

Accipitrem empturo, quid obſeruandũ.

Sani ab ægro diſtinctio.

Sanitatis indicia.

Morboſi ſigna.

Mortis ſigna.

Accipitris boni ſigna.

vt Gallinæ, earumq; pennas latas & validas, crura magna, lata seu plana & alta, quæ versus coxas angusto interuallo distent, magno uersus pedes, modicè inflexa, caudam oblongam, ruffam aut nigram, maculas in pectore fuscas, pennas dorsi puniceas, quarum extremæ albicent: plumas femorum giluas seu subrũffas, absque maculis: caudam etiam maculis, quæ fulmina picta referant, insignem cum alijs diuersæ figuræ. [a] Crescentiensis Accipitrum bonitatem ac pulchritudinem hinc cognosci tradit: Si sint magni, breues, paruo & oblongiusculo capite, pectore & spatulis crassis, tibijs amplis, pedibus magnis & expansis, pennarum colore nigro. Demetrius Constantinopolitanus in Accipitrum delectu Ophiocephalis secundas partes tribuit, ita dictis, quòd caput Serpentum instar, paruum & planum habeant. Rotundos & quadratos oblongis præponit: Nares, inquit, sunto amplæ, citrinus color in naso admodum splendeat. Talis enim Accipitrem breuis uitæ futurum significat. Lingua optima, quæ nigra fuerit, deinde quæ dimidiam partem, alteram nigram, alteram albam habuerit: pessima ex toto alba. Est etiam is breuis vitæ, qui uulgò ἐλαιοφόρος dicitur, nẽpe quòd maculas in naso habeat, quas Græci elæas uocant, nigras. Omnem laudatum Accipitrem pennas tredecim in cauda gerere asserit, & in digitis pedum ueluti squãmas instar Cyprini piscis. Vel circa unguis radicem scissuram ceu lineam obtinere, uel infra alam pennam acutam uersus latus aut humeros. Rostra Accipitrum nimis magna non probantur. Eos enim parum leues arguũt, ut docet Bellisarius. His itaque notis emendum Accipitrem, num probus sit, an secus, dignosces. Quando uerò capiendi sint, & qua arte, nũc declarandum. Tempus [b] Demetrius indicat his uerbis: Accipitres capiendi tempus ante octauum diem Calendarum Iunij incipit, & usque ad finem Iulij perdurat: de paruis loquor, quiq; è nido eximuntur. Illorum enim, qui iam à parentibus ad uenationem instituti sunt, capiendi tempus usque ad ultimum Augustum extenditur. Rationes uerò capiendi eos multæ sunt & uariæ. Accipitrum pullos, ut inquit Demetrius, aliqui è nidis, scalis oblongis ad arborem appositis: quidam, ut docet Albertus, fune lõgissimo è rupe demissi, at non sine periculo eximunt. Verùm, ut antè monuimus, sic captorum enutritio periculosa simul & molesta est. Nam & tenera pullorum corpora facilè ægrescunt, & si præter spem conseruentur, tota die miserabiles voces edunt. Est, quando ne noctu quidem intermittãt, & istam consuetudinem improbã perpetuò clamosæ retineant. Accipitres verò nondum adulti (nam annosi haud facilè laqueo, retiue decipiuntur) non difficulter capiuntur, irretiti hoc pacto: Rete sublime tenditur, & post id alligato Gracculo, auceps iuxta latens in tugurio sono fistulæ Accipitrem vocat, donec is propior factus Gracculum conspiciat, in quem conspectum mox inuolans intricatur & capitur. Quamuis Terentianus Phormio neget, *vel Accipitri, vel Miluo rete tendi*. Cæteri, aut viſco, aut fistula falluntur. [c] Varro à *Columbarijs* Accipitres solere *interfici* tradit: *duabus virgis inuiscatis, dissixis in terram inter se curuatis, cùm inter eas posuerint obliquum animal, quod intercipere solent Accipitres, qui ita decipiuntur, cùm se obleuerint visco.* Similem ferè modum [d] Crescentiensis exponit ita inquiens: *Visco capiuntur Accipitres cæteræq; aues rapaces. Nam in terram duæ vel tres infiguntur virgulæ viscatæ, parum distantes & ad se inuicem inflexæ, in medio quarum ligatur aliqua auis, vt Columbus, vel pullus Gallinaceus, vel caro, aut Mus pro Miluis, Buteonibus, & huiusmodi alijs auibus rapacibus, quæ talia appetant, ad quæ cùm aues venerint, capiuntur cordulis.* Apud Demetrium alios quoq; modos diuersos Accipitres capiendi reperire est, nempe reti, fistula, viſco. Ex quibus ille in primis est admirabilis, quo capitur Accipiter ab homine supino iacente, ita vt totus paleis aut herbis integatur, ne conspici possit. Is manu sinistra auem, nimirum Gallinam, aut Columbam teneat, & fistula vocet Accipitrem, qui cùm aduolarit, dextra apprehendat, & fascijs ritè obligatum in tugurio condat. Sed antequam huic capiti finem imponam, doctissimum hoc recentioris cuiusdam Poétę carmen de venatione colophonis vice addere lubet:

*Venatio quanta afferat incommoda sulcis:*
*Haud difficile est dicere. Sed tamen videtur*
*Natura parens hunc homini dedisse ludum:*
*Sua obire manu retia: defigere varos*
*Nos cùm docuit: cùm Accipitrem redire iussum:*
*Iucunda canes cùm leporarios creabat:*
*Nunquam faciens frustra aliquid carensq; fine.*
*Damnosa tamen tum loca, tum tempora vites.*

[a] *L. 10. c. 30*

Ophiocephalos Accipiter.

ἐλαιοφορος Accipiter.

Quãdo & qua arte capiendi.

[b] *Lib. 1. c. 7.*

[c] *Lib. 3. de Rust. c. 7.*

[d] *L. 10. c. 27*

# INSTITVTIO AD VENATVM.

Locus aptꝰ ad inſtituẽ dum Accipitrem.

CAPTO iam Accipitre locus eligendus eſt obſcurus, & domicilium aliquod opacum, cui includatur cicurãdus. Domandi verò ratio præcipua eſt, ut oculorum palpebris commiſſis, uel occluſis faſcia oculis, circuloq́; cui inſident, agitato, inedia longisq́; vigilijs fatigetur. Quòd ſi tenellę adhuc ętatis eſt, locus temperatus eſto. Frigido enim loco repoſitus, ex renibus ſeu lumbis laborabit, & in vitę periculum incidet. Hinc fortaſſe[a] Albertus ex Aquila, Symmacho & Theodotione ad ſanitatem auis conferre plurimum ſcribit, *ſi propter eam ſemper Mentha & Saluia colocetur aut ſpargatur.* Tardiuus *ſubijci ei* vult *herbam Ebulum*, cui ſimiliter vis inſit calefaciendi, & reſiſtendi vitijs renum & articulorum. Accipiter autem nuper captus, ſi tam validus eſt, vt in pedes rectus conſiſtere poſſit, hisq́; ſe ſuſtinere, omnino collocandus eſt ſuper trunco ligneo, aut potiùs ſuper pertica, quo commodiùs moueat & extendat alas, nec in terram impingat, aut offendat, aut ſordes vllas contrahat. Pertica verò ſeu contum, cui inſiſtere debet, nec admodum craſſa nec tenuiſſima ſit, nec inæqualis; ſed commoderata, ita vt ungues aperti, dum perticam complectuntur, interiorem pedis partem impleant, & nihil cauum ſeu vacuum relinquant; & vt vnguis poſterior cum anterioribus coire poſſit & concludi. Adhæc lineo aut laneo panno obducatur, ne vngues lædat. Sit ex Philyra (inquit Demetrius) id eſt, ex Tilia: quidam tamen perticam ex Acere ſeu Opulo laudant. Albertus ex antè citatis authoribus Accipitrem ſuper ligno Salicis aut Abietis ſemper ſedere uult. Alligandus eſt pedibus perticæ, ſed uinculo paulò laxiore, ut dum uolat reuolatq́; facilè in ipſam redeat. Nam breuiore vinculo interdum fit, vt ad volãdum impeditus, ad perticam ſe allidens lædatur. Porrò cùm plures Accipitres in vna pertica ponantur, interuallum inter vincula ſingulorum, circiter digitos vigintiquinque eſto, ne, ſi inuicem ſe contingere poſſint, ex mutua unguium pugna noxam percipiãt. Semel enim aſſueti uenationi, ſi inedia compellantur, ne ſuo quidẽ generi parcunt. Deinde pedibus eorum lorum alligabis, quindecim digitos longum, colore nigro, non rubeo, propter Aquilas, quæ rubro colore eminus conſpecto, carnem recentem ab eis ferri ſuſpicatæ, inuolant, & eos abripiunt. Modica diei parte manu moderatè geſtentur, diluculo ſcilicet, & ueſperi; dum aër ſcilicet frigidiuſculus eſt. Nam qui ſubinde & multùm in aëre calido geſtantur, dũ continuo uolitatu à manu aucupis propendent, calorem ſupra naturam augent, pulmonesq́; accendunt, ita ut breui omnino moriantur, exiguoq́; ad uenatum tempore utiles ſint, etſi nullum eis adfuturæ mortis indicium appareat. Cicurantur optimè Accipitres, inquit[b] Creſcentienſis, *ſi plurimùm teneantur in manu, & maximè tẽpeſtiuè in aurora, idq́; in hominum turba, inter molarum ac gurgitum fragorem, fabrorum ſtrepitum, vt hiſce aſſueſcens omnem paulatim metum deponat.* Porrò geſtari debent in ſummo carpo brachiali manus, digitis introrſum ſpectantibus. In ſumma uerò manus parte aut in pollice inſiſtere nõ permittendi ſunt: quòd inde ad venationem non ſatis impelli, & proijci poſſint, vnde fit, vt minus ſtrenuè in prædam ferantur. Geſtantur autem dextra meliùs, quàm ſiniſtra, quandoquidem non ſolùm, ut diximus, faciliùs & expeditiùs proijciuntur, atque inde ad volatum leuiores & perniciores ferũtur, verùm etiam equitationi id accommodatius eſt. Inter aſcendendum enim in equum & ab eo deſcendendum, auis tutior in dextra, quàm in ſiniſtra eſt. Quòdſi ſuper manu irrequieti fuerint, & volitarint, repone eos leniter & placidè, vt recognoſcere te familiariter & amare diſcant. Facilè autẽ & probè cicurantur, poppiſmis ſiue ſonis per labia ad fiſtularum imitationem effictis, item palpis, & blãdis verbis. Sunt enim hæc animalia exquiſito ingenij ſenſu prædita, nec rationis memoriæq́; pro ſua natura expertia. Quicquid enim poſt exutam priorem feramq́; naturam aſſumit, facilè per totam vitam conſeruat. Caueat itaque qui Accipitrem geſtat, ne quo modo eum lædat, ſed paratum ac promptum ad inſiſtẽdum manui, uel perticæ, ſuauiter manu demulceat, & propendentem fortè blandè eleuet reponatq́;, & quoad fieri poteſt, geſtus eius omnes, affectusq́;, atque ut dici ſolet, nutus diligenter obſeruet, quibus per omnia morem gerat, neque vnquam ullã in re ei aduerſetur aut repugnet. Eſt enim indignabunda auis & in iram prona. Inter equitandum eam geſtans, caueto diligenter, ne alicubi, præſertim in pratis, & ad parietes eã offendas, quod fieret, ſi ullis in locis inquieta foret aut volitaret. Cibum aucupes ſeu manſuefactarij potiùs quotidiè dabunt diluculo, circiter nonam horam, eumq́; laudabilem ac recentem, nec ſemper eũdem, ne faſtidium pariat: Sed alium atq; alium quotidiè, ſi fieri poteſt. Sic enim appetitus conſeruatur, & ipſa ſuauiùs ueſcitur, & cibum faciliùs concoquit. Interdum Accipiter alas ſuas non benè ſuſtinet, quando ſcilicet nuper ſuper manu geſtari, aut in pertica ſtare cœpit, & tunc ex nimio ac irrequieto motu calefactus,

[a] *Lib. 23. de Anim. c. 23*

Mentha & Saluia Accipitri ſalubris.

Ebulus.

Vbi collocandus.

Pertica qualis eſſe debeat.

Lorũ quo ligantur, quale eſſe debeat.

Quo tẽpore debeant manu ferri.

Cicuratio optima.

[b] *L. 10. c. 4.*

Quo modo portandi.

Accipitres ingenioſi.

Iracundi.

Quando cibandi Accipitres, & quomodo.

Quãdo alę propẽdet, quid agendum.

pòſt

pòst frigescens, pejus habet. Vt itaque hoc malum euites, ligabis eum super aqua, ea ratione, vt aquam ingredi cogatur, & mouendo concutiendoq; se in aqua alas dirigat & emendet. Deinde expones eũ aprico Soli, aut ad focum, quò calidus maneat. Aut per triduum vrinam semper in alas eius emitte, & probè eas sustinebit. Cęterùm horæ spatio plus minus sese lauet (Lauacra esse oportet ex aquis dulcibus purisq;, vt fontibus & fluuijs perennibus) tertio plerunq; aut quarto die, vt sordibus alarum absterſis liberiùs & velociùs volet. Quin & animosior, mansuetior, alacrior celeriorq; redditur, quo sæpius lauerit. Loto dabis carnem viuam, non madefactam. Si vis vt statim à balneo volet, aſperge cum aqua pura. Tum paucis diebus elapſis ab eo, quo instituere cœpisti, tempore, parum de cibo consueto subtrahes, & vocanti adesse assuefacies. Et primùm quidem de manu alicuius propè astantis, in manum uocantis ipsum & carnem tenentis accipitrarij transilire discat. Hoc vbi iam satis didicerit, funiculum tenuissimum viginti quinque cubitos longum extende, & per catenulam ferream annulum, cuius tenuissima sit circumferentia, ad pedem auis alligato. Funiculi extremitatem vnam Accipitri liberam dimittes, vt volet: alteram manu sinistra retinebis vnà cum carnis frusto. Debet autem manus pellibus validis muniri propter mucrones vnguium Accipitris. Et cùm iam volat, eleuabis manum sinistram paulatim, & carnem ei ostendes, magnoq; cum clamore, sibilo & adhortationibus ad te vocabis & inuitabis, ut mox aduolet. Quodsi omnino auolare voluerit, per funiculum retrahetur. Sic diligenter institutus, deinceps etiam reuocatus rectà ad te redibit. Cùm in manu iam fuerit, permitte ei bis terue degustare carnem, & tum, ut rursus recordetur cibi, cautè eam subtrahito ex vnguibus, ne pedes eius aut ungues lædas, aut tuam ipsius manum. Vulnerat enim vnguibus suis tanquam gladio. Obteges igitur carnem veste circa pedes Accipitris, & paulatim digitis dextræ manus carnem extrahes, polliceq; sinistræ elides. Subtractum manu dextra in humerum tuum læuum impones. Sunt qui eminus stantes Accipitrem itidem alicubi stantem funeq; alligatum ad se uocent, quod aui periculosum & noxiũ est. Nam dum celeri volatu ad accipitrarium magistrum contendit, lapide aliquo, vel arbore, fruticeue supra terram eminente intercepta & offensa, in solum quandoque se allidit & perit. Aut si fortè seruetur, propter malam tamen hanc consuetudinem, semper sibi tutum huiusmodi volatum fore credens, in posterum tandem læditur. Porrò cùm iam assueta satis fuerit ad vocem magistri Accipitrarij promptè aduolare feritatisq; suæ nempe prioris libertatis omnino oblita, cibum super manu eius capere, tunc demum, & non prius eam funiculo solues, & vt protinus voce audita aduolet, assuefacies. Quod quidem optimè fiet opera eius instrumenti, quod ab effectu Reuocatorium Albertus uocauit, [c] Budęo doctiss. latiniùs Scapus dicitur. Scapus alatus aptè dici posse videtur: Itali il Lodro, Germani Luder, Galli simili voce Loirre, & rappel, à reappellando vocant. A Luder, Germani Luderen verbum, Galli Loirrer deriuãt. Conijcio autem vocem Germanicam factam à verbo Laden, quod est inuitare. Inuitatur enim Accipiter cicur cibo porrecto, & alta uoce, ut ad manum tenentis hoc instrumẽtum venatoris redeat, reuocatur. Scapum hunc accipitrarij magistri oblongo loro iactant rotantq; ac protendunt pugno, simulq; receptui canunt ſtentorea uoce, id est, alta ac prolixiori, vt ab acuta in grauiorem procedat, cui in primis assuefaciendi sunt Accipitres. Scapo aliquando etiam alę adduntur, vt Accipiter eminus uidens auem esse putet. Agitatur verò rotaturq; ab Accipitrario, ut Accipiter ex motu uiuere Auem credat, promptiusq; ad eam descendat. Quòd si redire detrectet, aut obliuiscatur, obijciẽda ei auis aliqua. Amat autem præ cęteris expetitq; Columbum albũ. Ideoq; aut hunc aut aliam eiusdem coloris auem semper secum, cùm ad venatum prodit, gestet auceps; qua Accipitri sua sponte non reuertenti obiecta, ad redeundum eum inuitet. Recusat autem auis rapax reuerti diuersas ob causas; vel quia non satis assueta est portari, & manu gestari: vel quia odit dominum suum, quòd durius ab eo tractetur; vel ob dolorem aliquẽ, qui recens eum afflixit. Nidarius quidem non tam facilè fugit, quàm qui plumas mutauit. Quo vero pacto fugitiuæ auis vitium corrigendum sit, pòst inter remedia enumerabimus.

Funiculo qũo ligandus Accipiter.

Reuocatorium. Scapus.

[c] *In Pãdec.*

Columbus albus grata esca Accipitris.

Cùm autem Accipitres sublimiuagi potissimùm, sæpenumerò longissimè auolent in alias regiones etiam remotissimas, adnectuntur eorum pedibus tintinnabula cum orbiculis argenteis, quibus veluti indicibus insignia domini inscribuntur. Vnde sæpe in locis valdè remotis capti, agnitis insignibus, ad dominos remittuntur. Huic rei fidem faciet exemplum à Conrado Heresbachio allatum, quod ita habet: *Accepimus*, inquit, *à quodam Sereniss. Principis VVilhelmi, Iuliæ, Cluiæ, &c. Ducis accipitrario, qui affirmauit, cùm fortè circa matutinum tempus in Menapijs aucupio vacaret, Accipitrem vento abreptum, eodemq; circa quartam pomeridianam in Prussia venatioui volatili interuenisse, atq; in præda captum, agnitoq; Principis signo remissum, cumq; rogaretur, quo tempore captus, cognitum eodem, quo auolârat die interceptum fuisse.* Aliquãdo non quidem ita longè euagãtur, sed aberrant in vicina loca, tam procul, vt tintinnabula exaudiri nequeant. Hoc accidit, quan-

Quibus & cur tintinnabula pedibus appẽduntur.

doquidem ſæpe prædam ſuam ad cauernas deferunt iuxta aquas (quò fit, vt ſonus eorum non percipiatur. Circumſpicies igitur, vbinam cæteræ aues volitent, & vociferentur. Illic enim Accipitrem tuum eſſe putabis. Cauſa eſt, quòd aliæ territæ fugiant clamoſæ ac garrulę. At ſi neq; videris, neque audieris quicquam, aſcende in locum eminentem, auremq; alteram ad terram ſubmitte, occluſa ſuperiore, & audies aues vociferantes. Quòd ſi locus planus & apertus ſit, frõtem in terram inclinato, & aure altera obturata audies, qua in parte auis tua rapax tibi quærenda ſit. Ita exercita atque inſtituta interdiu aue, noctu cùm cubitum, ſomnum capturus te recipis, collocabis eam denuò prope te in pertica aut aliter, modò commodè candelã ardentem iuxta ponens. Solet enim lucerna in tenebris ſplendens liberam ac refractariã ferocemq; Accipitrum ingenij vim emollire ac mitigare. Fumo verò lædũtur, quapropter & ignis & lucernæ fumus ab eis arcendus eſt. Diluculo antequam dies illuceſcit, ante omnia capitio obnubantur, & manui chiroteca valida numitæ imponatur. Sic eos tractabis, donec ſcapus reuocatorius eis familiaris ſit, & ab hominibus non ampliùs ſibi metuant. Curabis autem ne inuitati ſcapo & ad manum aduolaturi, in humum cadere conſueſcant, ſed ſuper manum ipſam redire, ſeſeq; collocare: quam vbi conſcenderint, proijcito ſcapum in mediam hominum turbam, vt dum eum proſequuntur, hominum conſortio conſueſcere, minimeq; illud abhorrere diſcant. Deniq; cùm manu deſerta auolarunt, omnem in eis reuocandis induſtriam pone, hocq; in primis cura, vt ſcapi illecebris afficiantur, & ad protẽſum lubẽtes aduolent. Niſi enim reuocantem ſcapum eminus proſpiciant agnoſcantq;, & illicij eius, quaſi quodam amore capti, facilè ſequantur, etſi probi aliàs, non laudantur. Ideoq; cùm reuertũtur, manumq; conſcendunt, ſuper ipſo ſcapo ſemper paſcantur, adeo vt viſo eo eſcæ memoria ipſis refricetur. Poſtremò cùm hæc omnia probè didicêre, ad venationem deducendi ſunt, cui non quoduis anni tempus æque idoneum eſt. Hyeme enim maior cibi ineſt auibus appetentia, vt & reliquis animantibus, & à coeundi ardore magis ſunt alieni. Vnde hæc venatui ſat commoda æſtimatur, æſtatiq; & ueri etiam vltimo præfertur. Fieri enim ſolet, vt ſi Maio menſe Miluos aut alios Accipitres ſylueſtres perſequantur, horum amore capti ad dominum non redeant. Nam per aëra deperdi ſæpius conſpecti ſunt. Veris etiam principium ſatis commodum venationi huic iudicatur. Tunc enim toto diei ſpatio venari licet propter aëris temperiem. Vbi primùm ad venatum produxeris ramales præſertim atque nidarios, non ſunt ſubitò emittendi in Perdices aut Columbas. Quia ſi robuſtior præda ſeſe eis eripiat, uicti fiunt nimis timidi. Quin potiùs tyrocinium exerceãt in Coturnices & minores huiuſmodi aues, vt Merulas, Sturnos, Turdos. Aut ſi uelis maiuſculas aues capere, acciſis alis auem grandiorem eis præbeas diripiendam. Eo exercitio fiunt audentiores, ut ualentiores etiam capiant. Hoc exempli gratia in Columba facere docet Albertus: *Cùm volueris*, inquit, *vt aucupentur, prima die accipe Columbam, cuius alis detractæ ſint pennæ: hanc ſæpius fac volare, & ſub pedibus eorum effugere, & vt iterum atque iterum capiãt eam. Deinde muta eam ſubinde in melius volantem, & pro paruis infirmisq; auibus fortiores, & maiores ſubſtitue.* Quod ſi Gracculos capere placet, ſimili ferè arte uteris, captum unum penes te habeto, cui multas ex alis pennas euulſeris, ut ad auolandũ ſit impotẽs. Dehinc in foueam quampiam te abdes, Gracculumq; Accipitri inſpicienti proijcito, & protinus Accipitrem manumit tito. In Gracculis itaque & minoribus capiendis hac ratione exercitatus ac inſtitutus à manſuefactario, audaciam ſibi comparabit, maioreq; deinceps animo, in magnas etiã aues inuolabit. Mærentem ad aucupium non emittas, niſi uideris prædæ auidum, tum maximè ad Gracculos, Garrulos atque Picas. Sed hoc quoque obſeruandum eſt, ne emiſſus, nimis longè à capienda aue abſit, niſi. n. aſſequi ſe eam poſſe uideat, iraſcitur, ac ſæpenumerò in arborem aliquã propinquam aufugit, & ad dominũ reuerti renuit. Quare tam diu retinendus eſt, ſi fieri poteſt, donec propè adeò ad auem acceſſeris, ut Accipiter è regione poſitus eam uidere poſſit. Cauendum etiam eſt generatim domino Accipitris, ne plus quàm par eſt, illum defatiget: neue auidus nimis Coturnicum aliarumue auium, multitudine eum lædat, aut ad iracundiã prouocet: uerùm his, quas Accipitrem ſponte ſua appetere uidet, contentus eſto. Si prædam ceperit, ex illa eum paſcito, ut ſcilicet uenationem laboremq; ſuum ſibi profuiſſe non ignoret, atque ad uenandi deſiderium poſtea magis inflammetur. Si magna fuerit præda, parte eius tantùm aliqua cibandus eſt. Alioquin ſanguinis aliquid ei ſorbendum concedes, & cum prouocatione, ſibilis ac blanditijs adhibitis reliquam prædæ partem unguibus placidè extricabis, atque ita aſſuefacies, ne lacerari aut rumpi ungues contingat. Inter paſcendum, canes ſemper ei adſint, ut eorum conſuetudini aſſueſcat, eosq; ſequi ac comitari diſcat. Sic enim ipſorum familiaritate fiet audacior. Modum, quo deinceps Accipitres ad uenationem ferarum ſeu ſylueſtrium auium ſint inſtituendi, primùm generatim, deinde ſpeciatim hîc è [d] Demetrio Conſtantinopolitano ſubnectemus; qui diffusè ac dilucidè utrunq; proſequutus, in hæc uerba ſcribit: Tertia an-

Accipiter perdit° quo reperiatur.

Quo noctu ſeruandus Accipiter.

Mærente non aucupandũ eſſe. Quid obſeruandum, & quid fugiẽdum in capiẽda p̃da.

Quid dandum capta præda.

Venatio ſylueſtrium Auium.

[d] *Lib. 1. c. 8*

tia antequam venatum exeas,die,parum alimenti præbebis Accipitri, & per totum diem manu geſtabis,etiam altera die propter collectam in eo pituitam, cibiq; parum omnino dabis; nempe ad nucis auellanæ quantitatem, ac ſimiliter manu geſtabis tranquillè per totum ferè diem. Nocte ſequenti ſomno fruatur quieto. Poſtridie ante Solis ortum,Deo inuocato,vt venationi faueat, cum Accipitre ad pugnam aduerſus aues alacriter te pares. Vbi iam parum à porta progreſſus,Accipitrem vinculo liberâris, & loris ſimul collectis ſiniſtrâ manũ chirotheca obuelâris, vndique circumſpicies,ſicubi volantes aues appareant. Atque ubi locum inſidijs aptum deprehenderis,manum dextram Accipitri obtẽdes,& aliorſum oculos inflectere ſimulabis,celatoq; ita aſtutè proſpectu tuo, cautè ad locum uenationis procedes. Ad quem cùm iam propè acceſſeris,cum impetu accurre, & auium gregem excita, ſimulq; magna vi & contentione Accipitrem de manu emitte,& vt in aues tanquam hoſtes audacter impetũ faciat, alta voce adhortare, & magna celeritate Accipitrem ſequere, vt priuſquam aduerſi aliquid patiatur,præſentia tua eum iuues. Solum enim & auxilio domini deſtitutum aues congeneres,vt Grues Grui, Anſeres Anſeri (hæc enim duo genera præcipuè gregatim degunt) opem aui captæ laturæ adſunt magna cum promptitudine, Accipitremq; vndique cinctum vulnerant, pennas euellunt, & auem captam roſtris ſuis apprehenſam trahunt: donec uel relinquat eam Accipiter,vel ſimul cum ea peſſundetur. Tu igitur placidè propiùs ad Accipitrem accedes,& ferarum auium genus diſſipabis. Quo facto,auem captam accipies,& humi ſedẽs pede altero pennas caudæ Accipitris ſubleuabis,ne quid de eis frangatur. Has enim natura ei cõtulit,vt hiſce ceu gubernaculis aërẽ in quãcunq; liberet partem,remigio alarũ ſulcaret. Dein euaginato cultro,qui ad latus ſiniſtrũ geſtandus eſt, fauces primùm captæ auis incides, & ſanguinem ſcaturientem calidũ Accipitri bibendũ permittes: & de carnibus circa collum, deinde etiã de cerebro, corde, iecinore, & ventre eum paſces. Poſtea pedibus apprehendes auem captã,ac latenter & aſtutè carnem Accipitri ſubtrahes, ita ut dolũ omnino non percipiat. Et ſic ad nouã uenationem te parabis,quam alioquin Accipiter ſatur detrectaret, aut negligeret. Quare etiã pedes eius,ſanguine captæ auis illines, ut de alia etiã capienda promptiùs cogitet. Eſt.n. Accipiter memoria promptè valens, & præſentibus rebus ſcitè ſe accommodat, & contumeliam ab adulatione pulchrè diſcernit. Porrò vbi tertiò,aut ad ſummum quartò, ad venationẽ auolarit Accipiter, non ampliùs eum emitte, etſi auidus & promptus ad eam uideatur, & è manu ſubinde prouolet,ne uno die nimis defatigatus,inutilis deinceps reddatur. Quiete enim recreatur,& continui laboris moleſtia, graui plerunque morbo afficitur. Cæterùm multæ ſunt cauſæ,quòd aliquando præda fruſtretur & aberret Accipiter. Vt enim in celeri volatu repentè Aquilam viderit, tunc ſanè metu fortioris auis ſe ipſum potiùs ſeruare,quàm aliam capien di gratia perſequi cupit. Sæpe etiam de manu incautiùs emiſſus,lumbos ſubitò lædit,capturaq; fruſtratur. Interdum & loris intricatur, & alias multas ob cauſas impeditur & aberrat, quas paulatim ſtudioſus uenator experientia propria cognoſcet. Refocillatum itaque Accipitrem per diem vnum,aut alterum ad ſummum,ad pectus tuum admouebis, uerbiſq; blandis ueluti ſtrenuam auem alloqueris,cui per malum aliquem genium uictoria impedita ſit. Nam & laudes & contumelias hoc animal agnoſcit,& hominis voluntatem è geſtibus conijcit. Quòdſi poſt dictam quietem uenari non recuſet, nihiloq; propter fruſtratam prędam triſtior euaſerit,bene habet: ſin ad uolandum ſegnior neceſſariò magis,quàm uoluntate fuerit,propter laſſitudinem,quę præceſſit,mox eum cibabis,& ſolum aliquandiu quieſcere permittes,atque ubi domum reuerſus es,ita tractabis, ut ſuo loco inter remedia Accipitris explicabimus. Si uerò ſtatim à præda fruſtrata in arbore aliqua inſideat,tanquam dolore affectus, arte ea qua dixi, reuocatur. Quòdſi uocantem tardiùs exaudiat, ſiue quòd natura durus & difficilis ſit ad parendum,ſiue propter fruſtrationem, ſiue propter contumeliam aliquam à te illatam (per hæc enim ad odium mouetur) Si ſic,inquam, afficiatur, & arbori inſidens magna diei parte, inſpiciat quidem te, dum geſtas carnem,non tamen deſcendat,tum carne in funiculum tenuem (in laqueum ſcilicet funiculi) innexa ab vna parte,ab altera lapide vel ligno, quod eleuare ſecum non poſſit,alligato, è conſpectu eius abſcedes. Sic enim te nuſquam viſo, paulatim ad carnes aduolabit & retinebitur. Sed quoniam conſuetudo ceu altera natura inhærere ſolet, abdicabis venatione Accipitrem iſtum,& ad ſobolem tantùm procreandam ſeruabis, quam expectare ex eo præſtat,quùm tam incommoda aue,tanta moleſtia ad venandum vti. Si aduerſus prædam Accipitrem placet animare,vt nonnunquam neceſſe eſt, eſcam, qua tempore venationis vtitur,vino madefacito,aut ſi Aſtur eſt,aceti parum dato. Quãdo uis ut uolet, da tres offas carnis uino madefactas, aut pullo Columbæ vinum ex roſtro infunde: deinde uolare facias,& animoſiorem uidebis.

Accipitrẽ à domino nõ deſerendũ.

Accipitris ſenſus.

Cauſæ, cur præda fruſtretur Accipiter.

De tractando deinceps & paſcẽdo Accipitre, deq; peculiariũ auiũ, nempe Perdicum, cum

eo ca-

Quo nutriendus quãdo inſtructus eſt.

eo capiendi ratione, idem * Demetrius hunc in modum è Græco ab Ornithologo tranſlatus ſcribit: Cùm Accipiter iam ſatis inſtitutus exercitatusq́; & nutritoris ſui uocem ac ſibilum agnoſcere aſſuetus fuerit, ita ut cùm ſemel eum alloquitur, mox uel euolet, uel ad manum redeat, & inde emiſſus demõſtratam ſibi eſcam, uel ſcapum petat: denique cùm ad uenationem idoneus fuerit, paſces eum die ante uenationẽ proxima carne caprina, uel ouilla uel de † gryllo puro, non neruoſa, nec pingui, eaq́; recenti, nec ad ſatietatem, ſed dimidium duntaxat illius qua ſaturari poſſet. Quòdſi recens & calida à mactatione caro fuerit, frigida utatur, ſed eiuſdem diei: at ſi pridie mactatum ſit animal, caro ne præbeatur frigida, ſed recalfacta, præſertim ſi tempus frigidum fuerit. Hyeme igitur cibum Accipitris in aquam tepidam injice & expurga, ſi quod foris inſederit ſordium, tum extractam Accipitri edendam dato. Quòdſi tepida aqua deſit, igne calfactam carne digitis contracta & celeriter circumage, ut calefiat quidem, non tamen exiccetur. At ſi aqua tepida ſimul & agno diſtituâris, ſanguine puro madefactam eſcam ſub axilla repones, ita ne carnẽ nudam attingat linteum, quo eſca inuoluitur, ſed ſupra induſium ſit, ne odore corporis humani infecta, & ſuam, qua pollet roborandi uim amittat, & inſuper Accipitri noceat. Sic calefacta carne Accipitrem paſces. Iam nutritum loco conſueto collocabis, ſolitoq́; more tractandum ad octauam uſque aut nonam horam ibi manere ſinas. Tum manu ſiniſtra exceptum ſurſum atq; deorſum ages placidè, cum poppyſmo ſiue ſibilo oris, manu dextera interim anteriores & poſteriores partes demulcens, & ita geſtabis uſq; ad ueſperam. Prodeſt hoc, & excitat auem ad uenationem, & aluum promouet, & cibi appetitum conciliat. Veſperi rurſus loco ſolito eum ſtatues ad diluculum vſque illic moraturum, & rurſus cùm cubitu ſurrexeris, manu geſtabis, idq́; prope lumen ſiue ex cera, ſiue lychnum, ſed fumum, ut antè monitum eſt, cauebis. Sibilo ſeu poppyſmo etiam uteris, atq; demulcebis, ut familiaris tibi & cicur reddatur, & ab eo amẽris. Nam geſtatio in manu, aſſe tatio & poppyſmi mitem efficiunt. Debet autem canicula quoque uenatoria, ut antè dictum fuit, ei ſemper adeſſe, cùm veſcitur, & cùm ſurſum deorſumq́; agitur, ut mutua familiaritate inter ſe aſſueſcant: & cùm opus fuerit, Accipiter canem ceu ſocium, reſpiciat, nec tanquam ab hoſte refugiat. Tum in aurora uenatum exibis, & circumſpicies locum, qui non omnino planus & ſupinus ſit (Textus Græcus habet ὕπτιος) ſed & riuo aliquo irrigetur, & fruteta habeat, non illa quidem continua, ſed longiuſculis interuallis diſſita, & qui non inæqualiter partim accliuis, partim decliuis ſit. Hæc enim auibus, quas Accipiter inſectatur, conducunt, & refugia eis ſuppeditant: ipſi uerò Accipitri, continuò nunc ſurſum, nunc deorſum volatũ & laborem augent, & audaciam imminuunt, & aduerſus aues ignauiorem efficiunt, ipſius præterea aucupis gloriæ officiunt. Porrò locum nactus idoneum antequam Perdices te conſpiciant, in ſolum ſubſideto, & Perdicum cantus auſcultato. Solent enim diluculo uocem quandam placidam & claram edere. Hanc tu ſecutus, locum, quã fieri poteſt, proximè occupa, leniter interim enuncians ἴα, ἴα, ἴα. Hæc enim uox Perdicibus perſuadere ſolet, ut capita inclinent deorſum, & nõ turbentur prius, quàm illo, qui ita placidè uocet, conſpecto. Cùm uerò iam propius acceſeris, cõtinuò vocem ἴα, ἴα, ἴα blandè repetito, & ſimul obſeruato, ne paulatim dilapſæ è cubilibus Perdices tibi & venatoribus negotium inquirendi parent. His ritè peractis, ab eo, qui Perdices tranquillat & cohibet, tu qui venaris unà cum ſocio, canes uenaticos uinctos tenebis: cumq́; intellexeris Perdices loco quieſcere, locum fruticoſum & denſum circumſpiciens diſquires, qui ad refugium quoque latendi gratia aptus ſit. Illic venationis ſocios ſtatues, & ritè diligenterq́; cum attentione progredi eos iubebis, & uoces edere cõſuetas, & ſibilis uti, & uirgis, quas pro more uenatores ferunt, ramos obuios quoſque ferire, item terram & herbas, & ſi quid aliud obuium fuerit. Virgis confractis lapides proijciant aut glebas terræ, ut continuo ſonitu Perdices exturbentur. Tu verò, qui Accipitrem manu læua geſtas, Perdices euolaturas è longinquo expecta, & cùm vocem exturbantium audiẽris, uide num Accipiter quoq́; ut primùm volantes conſpexit Perdices, inuolare in eas cupiat: non ſolues tamen ipſum, ſed auertes parumper, ne uideat, donec tranſuolarint: tum demum emittes eum demonſtratis Perdicibus, vt rectà à tergo eas perſequatur. Emittes autem ſolerter manu porrecta cum blanditijs & exhortatione, ut animoſum reddas, & vocem eò magis intendes, quò longiùs aues ille inſequendo diſtabit. Similiter deinceps etiam ſingulis vicibus Accipitrem ſolues: nam voce familiari & conſueta auribus hauſta, audacior fit, & promptior ad perſequendum, ita ut inter volandum vocem domini audiens, ne Aquilæ quidem aduẽtum, à qua conficitur, extimeſcat. Cæterùm ſi nondum uiſis Perdicibus, cum prima exturbatorũ voce ac clamore dimittatur, aberrabit, & fortè alicubi offendet, ac ſegnior ad venationem & inutilis erit. Hæc de emiſſione dixerim. Porrò ubi iam comprehẽderit auem Accipiter, feſtinabis ad eum, propè ac placidè accedens, & blanda voce conſueta uteris, nempe ᾠΐ, ᾠΐ, ᾠΐ: & ore ſibilans aſſidebis, manu altera contos,

altera

* *Lib. 1. cap. 194.*

† De gryllo aue credo, quę Serinus eſt.

Perdices capiendi modus.

altera caudam apprehendes demulcebisq́, & prædam pro arbitrio guſtare, eaq́; ſatiari eum permittes. Deinde in ſedem ſolitam ſeu contum leniter & ſine moleſtia eum collocabis: nec illic ſedẽtem negliges, ſed per diem ac noctem ſemper quinquies manu palpabis, & loco etiam mouebis. Hoc enim modo & cibum gula contentum concoquet, & ſanus deget. Si verò neglexeris, cibum minimè conficiet, & is, qui in gula relictus eſt, aceſcet. Vnde Accipiter non parum lædetur partim cruditate, partim odore prauo cibi corrupti. Hoc igitur ſi acciderit, diluculo eum manu geſtabis, & ad ſecundam uſque horam circumferens obſerua, num aluus ſoluatur, deinde ad cibum inuitatus, modicè tãtùm de eo guſtet. Poſtridie uenatum exibis ſecundum modum præſcriptum. Et cùm ab exturbatoribus Perdices inquiſitæ euolarint, eminus Accipitrem ſolues, ut à tergo perſequatur. Sic enim ſolutus non diſſipat Perdices, ſed uno loco collectas, vt in fruteto, aſſequitur. Tum tu clamore urgebis, ſibilabis, & lapides (ſi opus ſit) in Perdices emittes. Sic enim cogente neceſſitate una ſaltem è fruteto euolabit: & ab Accipitre capietur, qua capta noli Accipitrem ampliùs vrgere. Interea verò dum Perdicem à ſe captum retinet, cultro Perdicis guttur aperies, & caput cum cerebri medulla in duas partes ſecabis, & Accipitri permittes, vt vnguibus & roſtro Perdicem fortiter apprehendat, & edat, te interim dextra manu eam ad os Accipitris admouente. Dum autem Perdix ſic ab Accipitre tenetur, noli Perdicem, quam manu tenes, ad te retrahere, ſed molliter remitte. Retinet etenim Accipiter Perdicem unguibus tam validè, vt nullo modo dimiſſurus eſſet, ſed quo tu magis traxeris, eò fortiùs apprehenſurus. Te uerò manum dextram, ut dixi, laxiùs ac molliùs remittente, non poterit de capite Perdicis epulari, niſi unguibus etiam reliquo corpore omiſſo, ipſam apprehendat. Illo igitur circa caput occupato, tu reliquum ſuffuratus in peram conde. Feſtinabis autem, ut cures carnoſas duntaxat corporis partes, & medulla refertas ab Accipitre deuorari: oſſeas uerò ſolerter vnguibus eius exemptas cani obijcies, ut is quoque edat & alacris fiat. Ergo ſi prima uenatio benè ſucceſſit, aggredieris alteram. Quòdſi inter volandum Accipiter Perdices ceperit, maior is labor eſt. At ſi in frutetum aliquod ſe obdiderint Perdices, Accipiter verò ſurſum euolet, aut prope eas cõſiſtat, canem venaticum vocabis, & ſolito more alloquendo adhortabere. Quòdſi feſtinare ipſum, & ſubinde olfacere, & caudam frequenter mouere videris, illic latere ſcias Perdices, & quãdo vna ex eis eluolatura ſit, obſerua, ut ſimul voces, & horteris Accipitrem clamando, ἴλ, ἴλ, λάλε, λᾳ. Hæ namq; uoces animant Accipitrem & fortem reddunt. Si verò locus humilior, aut alioquin incommodus fuerit, vbi Accipiter deſedit, reuocatum ad te ſiniſtra excipe, & cum cane ſequente Perdices inquire. Et cùm ex ſignis prædictis Perdicum motum obſeruaueris, clama τὸ πρόχε. Cæterùm Accipiter ſubinde audiẽs illud ἴλε, ὦἰ, volatum Perdicis obſeruat, & ad capturam ſe parat. Quòdſi Accipiter, prædam conſpexerit, & inuolare in eam geſtiuerit, ab aucupe uerò parum vigili & negligente ſemel aut iterum impeditus, nec uolare permiſſus fuerit, ignauior fit in poſterum & prædæ negligentior. Sin uerò cum attentione emiſſus, vnam aut alteram Perdicem, aut plures facilè nec multo negotio comprehenderit, ſexies aut octies emiſſio eius repeti poterit. At ſi propter impedimentum aliquod, duas aut tres tãtùm in diuerſis emiſſionibus aſſequutus fuerit, idq́; labore multo: fac ne ampliùs eum ſoluas, ne nimiùm fatigetur, & fame laboret. Eſt quando promptè de manu auolat, ſed poſtea inſtar timidi militis, in arbore aliqua ſe occultat, & ad eſcam quoque vocatus redire detrectat, tui prædæq́; pariter oblitus. Hoc ſi acciderit, ſiue propter loci difficultatem, ſiue propter ſtationem incommodam, ſiue quòd nihil adiuuetur à cane, ſiuè quòd cibum non appetat, oportebit te ſubire latibulum, aut frutetum, & cani pro more blandiri: & ſi quam habes abſcõditam Perdicem, ſiue viuam, ſiue mortuam, in Accipitrem latenter injicere, aut ſi Perdix non ſit, pullum Gallinaceum vel Columbam, & ſimul conſueta voce uti, ἴλε, λάλᾳ, λᾶ. Quodſi ad te redierit Accipiter, nutries eum placidè, & non vrgebis, ne deinceps etiam in venatu fruſtrêris. Nam Accipiter, præſertim ſi nimiùm vrgeatur, venationem prorſus obliuiſcitur & omnino inutilis fit, niſi arte aliqua emendetur. Dicunt autẽ imperiti quidam emendari eum, & ad venandi alacritatem reuocari, ſi cibus ei negatur: quòd fortè aliquid rationis habet, ſed ita macreſcet & extenuabitur. Quamobrem non iſtum, ſed qui ſubijcitur emendandi modum probarim. Sint ergò duo Accipitres, alter ſcilicet ad venatum promptior; alter inertior, qui ſi uenari non pergat, & in frutetum ſubire metuat, ut extrahat inde, quam ſequebatur, Perdicem, tu alteram Perdicem promptiori Accipitri obijces, ita ut uideatur illa eſſe, quam ignauior Accipiter perſequebatur: & promptiorem ceu prædam nactum ad te recipies: alterum longiùs abeſſe iubebis, & canem odore ſagacem curabis iuxta frutetum collocari, vt prædam in eo latentem prodat, & Perdicem exturbet. Sic quidem Accipitres ignaui alacriores ac diligentiores fiunt, & ad gnauiorem deinceps inquiſitionem præparantur, ceu qui fruſtra confertas frutetorum frondes extimuerint, agnoſcentes.

Accipitre ignauiori facto quid faciendũ.

Idem

[f] *L.1.c.196* Phaſianos capiẽdi ratio.

Idem [f] Demetrius modum capiendi Phaſianos docet his uerbis: Aduerſus Phaſianos etiam exercendi ſunt Accipitres, non tamen circa finem venationis. Poſtremæ enim Perdices capiendæ ſunt, vt poſtquam de ijs deguſtauerint Accipitres, venandi labor deſinat, non autem ex remiſſa, & leuiore perſecutione, impetus vehementia hebetetur & infirmetur. Ex his tamen verbis contrarium inferri videtur, nempe Perdices prius capiendas eſſe.) Cæterùm ad inuentionem Phaſianorum vocibus & clamoribus nihil opus eſt. Strepitus tantùm in frondibus, & ijs, quæ obuia fuerint, & ſibili ſubtiles edantur. Nam ſi clamorem audierit Phaſianus, pedibus paulatim fugiens dilabitur, ita ut niſi à cane comprehẽdatur, aliter capi nequeat. At ſi ſtrepitus inframis & ſibili edantur, metu affectus euolat è fruteto, ubi latet, & ſi auceps in propinquo fuerit, ſtatim illo uolante Accipitrem ſoluet, qui uel ilicò Phaſianum capiet, aut ſaltem non procul elapſum, ut non multo labore opus ſit. Plurimùm autem iuuatur Accipiter, ſi è loco ſublimi in prædam emittatur. Sic enim etiam ſolertes Accipitres minus fruſtrantur, & ineptiores maiorem ſibi ſolertiam acquirunt.

Anates qũo capiantur.

[g] *Cap. 197.*

Anatum capiendarum rationem idem [g] Demetrius docet: Cùm Accipitrem animaduerteris, inquit, iam inutilem factum ætate nimirum, nec amplius perſecutioni Perdicum ſufficere, exercebis eum poſtremò aduerſus Anates. Aſſuefacias autem hunc in modum. Geſtato eum manu ſiniſtra, ut moris eſt, & à dextro femore tuo cymbalum æreum ſuſpendes, quòd cùm opus erit, pulſabis. Tum Anatem admodum cicurem (hæc enim ſylueſtribus ſimilis eſt) alteri cuipiam committe in loco decliui ſeu humili tenendam. Deinde cum Accipitre accede propiùs, & cymbalo pulſato, ex compoſito, emittatur Anas ab eo, qui retinet, in ſublime. Tu verò Accipitrem ſolues, qui facilè capta Anate ſatiabitur, & ſimiliter in reliquas quoque Anates deinceps ſeſe geret. Eadem enim ratio in ſylueſtribus ſeruanda eſt. Nam cùm illæ in humilibus & nemoroſis locis conſidunt, Accipiter, ne ab ijs videatur, ad terram uſque demitti debet, & paulatim ex improuiſo accedendum, tum ſubito cymbali ſono & clamore excitata aliqua Anas in altum ſubuolabit: de qua capta Accipiter guſtet, vt ad reliquas etiam capiendas paratior ſit. Capiũtur & alio modo, quãdo ſcilicet non in ſtagnis degũt, ſed eminus in aquoſo aliquo loco confidentes Accipiter viderit. Mox enim vt uidit, perſequi geſtit, & auceps vlterius progreditur, ne ante tempus Accipitre conſpecto diffugiant Anates. Cùm igitur quàm fieri poterit, acceſſerit proximè, Accipitrem eis oſtendet, & cymbalum pulſabit. Poſtremò in euolantes immittet Accipitrem. Debet autem Anatarius Accipiter ſine tintinnabulo eſſe.

[h] *L.1.c.15.*

Quum iam tempus fuerit venationis auium, inquit [h] Demetrius, quando ſcilicet peregrinationem ſuam perficiunt Anſeres, Anates, Grues & aliæ aues, auceps quotidiè exeat ad aucupium Coruorum, & Cornicum, earumq; auium, quæ regionem non mutant, nec peregrinantur. Hoc autem faciat circa calendas Maias, obiter & tanquam per ludum hoc aucupio ſe exercens, vſque ad tempus includendi Accipitris.

# CIBATIO AD VENATIONEM.

Cibationis tempus.

[a] *L. 11.c.4.*

VANDO, quomodo, & quo cibi genere Accipitres ante & poſt venationem paſcendi ſint; nunc exponere videtur oportunum. Horam nutriẽdi Accipitris Demetrius quartam facit, poſtquam geſtatus fuerit. Accipitres nidarij & ramarij, inquit [a] Creſcentienſis, nutriuntur bonis auibus & carnibus ſæpiùs in die exhibitis, quò magis dominũ diligere cõſueſcat. Poſſunt eis etiam dari oua in paropſidibus fracta & agitata, & in aquam proiecta feruentem, & poſtea digitis conſtricta. Idem fit in mutatis penna à principio, ſed cùm iam cicures omnino facti ſunt, ſemel tantùm quotidiè paſcendi ſunt poſt horam tertiam, abſoluta iam prioris cibi concoctione ſcilicet, non antè. Hæc per prolobi vacuitatem perfecta ab expertis cognoſcitur. Quòd ſi cibus ex ingluuie delapſus non fuerit, ſed in ſequentem vſque diem in ea hæſerit; tamdiu etiam ſine cibo relinqu endi ſunt. Si verò ſubſederit, bis ea die cibum offerre poteris tutò: niſi eadem aut poſtera die, ad venationem prodire lubet. Tũc enim Accipitrem famelicũ eſſe oportet, ut auidiùs in prædam ruat, & faciliùs ad dominum reuocatus redeat.

Quales carnes conueniant.

Carnes edat recentes, & ſi neceſſe fuerit, intra biduum ſaltem mactatas. Hactenus ille. Sint autem carnes Agnorũ, Ouium, Hircorum, Boum & Porcorum, cum pilis, ſi animalia adhuc tenera fuerint: ſin adultiora, abſque pilis. Quod ſi Accipitres labore attenuati fuerint, per vnum aut alterum diem tantùm præbeantur. Nam ſi pluribus diebus eis veſcantur, efferantur animis, & calculi in eis generantur. Dandæ igitur prędictæ carnes alternis diebus. Bubula rarò conuenit. Pluribus enim diebus continuis ſumpta cruditatem parit. Eſt tamen apta ad purgationem,

Bubula caro.

nem, non quidem qualitate quapiam, sed pondere suo aluum deprimendo laxans. Datur autem hoc fine bis aut ter mense. Quod si verò melioris penuria, hac aut alia auem pascere cogaris, lauetur primùm aqua tepida, & paulisper eadem maceretur: deinde exprimatur, si hyems fuerit: sin æstas, refrigeretur aqua, neque tamen nimium exprimatur. Aqua enim pondus addit carni, & in causa est, ut citius per gulam descendat, intestina dilatat, & crassos humores, si qui insunt, expurgat. Non omnis autem caro, sed ea tantùm, quæ crassioris succi est, abluenda est & præbenda illo tempore tantùm, ut antè monuimus, quo auem purgare & attenuare visum fuerit. Caprilla & Ouilla *quouis quidem tempore conueniunt*, Demetrio teste: dandæ tamen per interualla tantummodo. Ouilla subinde data, calculos gignit. Quare sanguinem hircinum recentem, vt primùm à mactatione coierit, dare oportet; ut qui calculos maximè dissoluat; ita vt ab hoc uno lapidem Adamantem vinci asserãt. Caprilla calculos quidem in stomacho concretos probè dissoluit, sed stomachum aquosum reddit, & appetentiam deijcit. Leporina cum sanguine data sine ossibus & medullis, prodest. Nam si ossa & medullas simul deuorat, vermes in ventre eius generari aiunt. Vnde aucupe causam ignorante Accipiter interit. Ceruina ad satietatẽ cõcedi non debet. Est enim difficilis cõcoctu. Potest etiam Vrsina, si contingat, pauca & calida præberi. Copiosius sumpta etiã hæc plurimùm grauat. Miratur Tappius Accipitrarios magistros quosdam præ aliarum carnium inopia Catulos Accipitribus in cibum mactasse. Verùm hoc rarum non est. Quinimo Demetrius præcipit, ut catulorum seu caniclarum sanguinem totum calidum vnà cum carnibus edant. Calculos qui in vẽtre concreti sunt, dissoluit more hircini. Murina sola etiam quotidiè data aut saltem alternis diebus iuuat, vnà cum pilis, omnibusq; interaneis vtilis. Phlegma & bilem purgat, fluxiones pituitosas reprimit, calculos soluit, coryzam seu grauedinem instantem pellit, stomachum dissolutum corroborat: in summa omnino salubris est. Suillam inter insalubres carnes ponit Tardiuus Gallus. Demetrius hanc commẽdat, Accipitriq; exhibet, & tum præsertim, cùm macilentus fuerit. Obesa enim eorum corpora reddit & impinguat, hyeme verò præsertim datur, cùm frigore læsa & consumpta fuerint.

Caprilla & Ouilla.
Sanguinis hircini vsus in atterẽdo calculo.
Leporina caro.
Ceruina.
Vrsina.
Canina.
Murina.
Suilla.

Ex auium genere Gallinas laudabile Accipitri præbere alimentum accipitrariæ rei authores testantur. Vnde, inquit Tappius Lunensis, *ipsis præter cibum consuetum, nonnunquam modicum quid de coxa aut collo Gallinæ* esse dandum, quòd hic cibus eum corpulentum reddat. Cæterùm à cæde adhuc recente caleant, quæ offerendæ sunt Gallinaceæ carnes. Eæ enim nõ parum eis sapiunt. Alæ coxis præferuntur. Et coxæ si refrixerint, non dantur vtiliter, sed in aqua calida rursus calefaciendæ sunt, & similiter venter & lumbi, quæ partes si absque aqua calefiãt, insalubre præbebunt alimentum. Frigida uerò Gallinæ caro data, ventrem auis turbat. Hoc tantùm nomine quidam Gallinaceam damnant, quòd si frequenter exhibeatur, quoniam dulcis ac lauta est, & cum Gallinæ vbique ferè reperiantur, auis harum deliciarum desiderio, si inter volandum Gallinam conspexerit, præda relicta ad illam se conuertet. Verùm huic malo ita obuiam eundum tradit Demetrius, vt caput, pedes & alæ Gallinę aui offerendæ prius detruncentur, quò scilicet domesticam auem se edere non intelligat, neque neglectis deinceps feris auibus circa casas obuolitet. Insuper si hoc vitio laborauerit, pasci eam iubet Tardiuus *auiculis minutis, præsertim Hirundinibus aut Columbis*, quæ iam primùm volare incipiunt. *Adultarum enim carnem* idem author reprobat. Demetrius interim simpliciter inter aues *Columbam* Accipitris esui *vtilissimam* tradit: *alis & pedibus minutatim concisis*. *Sitim tamen ad breue tempus mouere* fatetur. *Corui cor, cerebrum, iecur & perparum de pulpa pectoris* concedit idem Demetrius: *sanguinem omnino vitandum* scribit, vtpote *salsum & pernitiosum Accipitri, sicuti omnia salsa*. Idem *de Cornice* dicit. *Ossa* etiam, idem inquit, *& interiora relinquenda*. Vrunt ac noxiam sitim excitant. Cæterùm Anatis caro omnis & sanguis conducit maximè: item Gruis. Anserina quoque perutilis est, sed absque multo sanguine. Nam si copiosum Anseris sanguinem sumpserit, corde grauatur, & sicut homines ebrij uim rationis obtusam habent, & temerè sese gerunt: Sic Accipiter antequam concoxerit, ad uenatum ineptus est. Ardeolæ cerebrum cũ corde & iecinore edat, si opus sit, ne scilicet tristetur Accipiter, si nihil de suo labore præmij acceperit, & alacrior ad prædam fiat. Carnes cæteras tanquam noxias linquat. Lari etiam, si fortè capiatur, cor cum sanguine, & paucis de pectore carnibus edat: Reliquæ eius partes uirosæ & graues sunt. De Mergo ad satietatem edere potest. Est auis hæc dulcissima & facilis cõcoctu. *Otidis etiam caro, nec non & Picæ vtilissima est*, authore Demetrio. Tardiuus uerò *Picæ carnem amaram, & noxiam* esse asserit. Sed ea diuersitas ex ætate nasci potest, ut suauior & salubrior sit pullorum, deterior annosarum. Præterea *Palumbi & Merulæ* carnes tempestiuè datæ, non minus quàm Gallinæ, iuuant. In uniuersum autem *Cerebrum auium* commendatur Tappio, utpote *laxum & facile concoctu*. *Medulla ex cruribus* eidem præfertur. *Pinguedo etiam* si huic credendum, *ex calidis auibus* sumpta

Gallinacea.
Colũbina.
Coruina.
Anatis caro.
Gruis.
Anserina.
Ardeolæ partes Accipitri salubres.
Larus.
Otis.
Pica.
Palumbi.
Merulæ.
Cerebrũ.
Medulla.
Pinguedo.

Lingua. ſumpta conducit,& uenas,& oſſa purgat,pennasq; ualdè confirmat. Lingua optimè quidem ſapit Accipitri,ſed cæteris alimentis poſtponi debet. Cor omnibus partibus præfertur, & nihil eo ſuauius guſtant Accipitres, quod Ariſtotelem, Plinium aliosq; ignoraſſe miramur, qui Accipitrem *corde abſtinere* falsò ſcribunt. Pulmo, etſi non admodum lautus ſit, facilè tamen concoquitur: iecur difficulter. Abſtinere uerò debet Accipiter carnibus cuiuſcunq; animalis triduum maceratis,& multò magis à carne olida. Parit enim luem poſtilentem,& calculos,& interanea putredine afficit, unde ſubitò perire contingit, ut ex animalium etiam quæ libidine agitantur carne ſumpta, aucupe cauſam ignorante. Caro etiam cum ſale minimè danda. *Sal* enim *in corpore Accipitris diſſolutus*, iuxta Demetriũ, *vitalem eius ſpiritum extinguit: & ſine carne per ſe datus, viſcera Accipitris perdit.* Inteſtina pro alimẽto dari non debent, niſi cùm vẽtrem ſoluere corpuſue purgare libuerit. Renes & Lien improbantur. Pinguedo etiam cuiuſcunque animalis, inquit Demetrius (hac in re à Tappio diſcors, qui in ſuperioribus ei ſuas dotes attribuit, cõmendatq;) in cibo Accipitris non conuenit, quòd facultatem concoctricem impediat,& ſtomachum laxet. Deniq; oleum cum ſale Accipitri inimicum aſſerit: quanquam id de inueterato oleo æquè intelligi poſſit.

Pulmo.

Quib⁹ carnibus abſtinere debet Accipiter.

Sal.

Inteſtina.

Renes.

Lien.

Pinguedo.

Oleum.

Cibi quantitas. Quantitas alimentorum hæc eſto, ex Demetrio: Edat Accipiter lance appenſam carnem, ſcilicet Ouillę vncias nouem, Caprinæ uncias decem, Hircinę nouẽ, Ceruinæ octo, Leporinæ quinque, Suis magnæ ſex, Porcelli ſeptem, Catuli octo, Vrſinæ ſex. Ex auibus verò vt Grue, Anſere, Perdice, Palumbo, Turture, Merula, Sturno ſatiari eum licet. Diligenter autem & ſubinde caueat ab oſſibus, pilis & pennis. Alibi tamen idem author *hæc unà cum carne deuorari perutile eſſe* ſcribit, hac ſcilicet ratione, *quòd cùm aſperæ & ſiccæ ha partes ſint, pituitam ſtomacho inhærentem abradunt, & ſecum educunt*. Vnde Accipitrem à diuerſis morbis liberari contingit. Cùm autem paſces eum, non dandum quantum petit, ſed eſcam nonnunquam ſubtrahes, ut à paſtu per interualla quieſcat. Sic.n. ſuauiùs edet. Sed cura ne videat carnem, quã ſubtraxiſti, & auido ad eam motu incitatus fatigetur. Deniq; fac, ut paruulas aues deplumet, vt ruri ſolet facere.

Cibi quantitas.

Quõ cibus offerẽdus.

# MORBOSORVM ACCIPITRVM DIÆTA.

Mutationis ſeu defluuij pennarũ tempus. [a] *L.10.c.4.*

AVANDOQVIDEM Accipitres ſingulis annis ſemel plumas in auiarijs amittunt, quæ res cùm non minimam Accipitrarię artis partem in ſe complectatur, magnæq; admodum diligentiæ ſit obſeruare, quando, quaue ratione id fiat, de eo pertractare iam aggrediamur. Tempus mutationis Albertus, ſi Accipiter anniculus fuerit, Calendas Iulias, ſi verò ſenior, ac aliquoties iam plumas depoſuerit, Calendas Ianuarias ſtatuit.[a] Creſcentienſis verò menſe Martio, vel Aprili caueæ includi eam ob cauſam præcipit. Verùm hoc tibi certum inſtantis innouandarum plumarum temporis indicium Tardiuus aſſignat, ſi manui impoſitus, vt ſolebat aliàs eſſe tranquillus, minimè ſe ſiſtat, ſed irrequieto aſſiduè motu oberret. Certiſſimum autem in auiarium recipiendi Accipitris tempus habebis, cùm iam ſponte ſua pennas quaſdam abijcere incipientem videris. Diebus verò viginti antequam caueæ includas, alternis diebus hoc medicamentum ei dare iubet Demetrius: Oui vitellum cum pauco melle,& æquali roſaceo oleo miſce,& intinctas in eo carnis recẽtis tres buccellas edẽdas Accipitri præbe. Deinde cùm iam propè fuerit tempus, vt includatur, tribus aut quatuor diebus antè, ouillum cerebrum adhuc calens quotidiè ei in cibo dabis. Ex communi autem omnium præcepto auiarium parandum eſt pulchrum & peramplum, aut ſaltem mediocre, vtpote quod includendæ auis capax ſit optime, vel loco eius cauea magna. Oſtium Solem orientem ſpectet, aut alioquin loco calido, & Soli expoſito, vt iuxta muros plagæ meridionali oppoſitos, collocetur. Tempore verò calido in domicilio frigido. Quidam caueam ab omnibus plagis feneſtras habere volunt, idq; in primis curare, ut quouis tempore calida aëris conſtitutione auis fruatur. Hinc quidam ſi unicum tantùm oſtium, aut feneſtra panditur, eam verſus meridiem patere uetant, ventos ac pluuiam vitandi cauſa. Aeſtus verò nimius etiam inutilis eſt. Debet autem auiarium virgis ſeptum eſſe, non vitro clauſum, ita ut & ſatis ſit luminis, neque aui exitus pateat. Vitrum enim ſtatim frangit, ſi uel ludendo, vel allidendo in id inuolet: fracto vel auolat, uel fragmentis eius læſus perit. Sit autem in medio auiarij pertica tranſuerſim extenſa. Alij tam amplum eſſe volunt, vt duas aut tres perticas capiat, per quas Accipiter tranſiliat, & vbi libuerit, inſideat. Plurimùm enim hoc exercitio proficit. Locus auiarij ſit ſolitarius, à puluere & fumo immunis, & quò nullus ſit Gallinis acceſſus, ne pediculis earum Accipiter infeſtetur. Impones autem, ut iubet Tardiuus, ſabulum, & tertio quoque die herbas recentes, ſalicum frondes, ac ceſpitem herbarum viridium.

Auiarij deſcriptio.

ridium. Sed antequam in caueam immittas, à pediculis prius diligenter eum mũdato. Demetrius *aqua seu decocto Lupinorum ablui* iubet. Arcet vtrumq; pediculos. Idem cum arena pumicem in caueam injci vult, fortasse vt rostrum affricando acuat. Perticæ vas rotundum subijcitor, cuius latitudo sit trium pedum, profunditas dodrantalis. Aquam autem paucam contineat ab initio, cùm auis primùm includitur, nempe ad duorum, aut trium digitorum altitudinem, ut bibere tantùm possit, non lauare. Vbi verò pennas iam pulchrè subnasci videris, tum vas implebis aqua, vt etiam lauet. Debet autem quotidie mutari, & vas diligenter lauari. Nam si fortè excrementum in vas inciderit, & auis ex illa aqua vel biberit vel lauerit, statim corijza corripitur, ac interit. Vas autem latum amplumq;, & moderatè cauum esto, ne dum lauat, pedus offendat, aut pennas recens pullulantes peruertat. Tales enim illæ manent in posterum, quales ab initio formantur.

Quis debeat cibare.

Ales è manu magistri seu manuefactarij cibandus est, quò faciliùs cicuretur, nec metuat sibi ab hominibus. Quòd si non ex aucupis manu nutritus fuerit, sed (vt quidam faciunt) ex perticæ alligata carne, breui efferatur, hominisq; accedentis conspectu, in cauea perturbatur, se ipsum offendit, & planè ferus redditur: denique si iam pinguis euaserit, facilè in morbum incidit. Nutriendus toto defluuij tempore carnibus puris ac calidis, id est, auium, aut aliorum animantium viuentium, vel saltem ante vnum diem mactatorum, nunc huius, nunc illius, subinde mutando, frequentiùs tamen eorum, quibus ipsum maximè capi nosti. Si carnem sordidam ingesserit, calculos in ventre generat, ac perit. Septem aut decem dies continuas pullis Columbarum vnà cum sanguine cibetur, deinde tres alios, carne non nihil macerata in vrina. Quod si vis auem sine carnium esu pennis ueteribus exui, vitellum oui duriusculum coques, coctum in aqua refrigerabis, ac deinde absterges. Et quando eam primùm eo pascere volueris, quo faciliùs assuescat, miscebis vitellum cum sanguine Gallinæ, aut alterius auis. Verùm cùm sic inclusæ exercitium desit, ne in otio cibis nimium saturata de valetudine periclitetur, alternis diebus modo solidiores cibos, modo liquidiores, leuioresq; offeres. Quum verò alarum pennas præcipuas mutauerit, solidiores cibi dãdi sunt, offaq; vesperi, dummodo deinde guttur discerptis auiũ collis impleatur. Si auis inclusa auiario tardius ueteribus pennis se exuat, hanc victus rationem adhibebis. Primùm cibos præbebis, ut prædictum est, nẽpe carnem nitidam ac pinguem, porcellinam præcipuè & catulinam murinamq; & Columbinam alternis diebus dato. Iuuant enim. Deinde, vt scribit author quidam Græcus anonymus, aquam bibendam nullam dato. Post septem verò dies lixiuium ex cineribus sarmentorum solius vitis, aqua dilutum appones. Sunt qui marinam approbant, aut eius loco salsam. Lixiuium autẽ quod diximus, siue inde bibat Accipiter, siue lauetur, defluuium pennarũ celerius procurabit. Illud pręterea commodi hinc erit, vt bibito tali lixiuio, aut salsa aqua, nunquam calculo sit laboraturus. Sal alioquin, vt suprà ex Demetrio monuimus, etiam sano, cùm in cibo, tùm potu inutilis est. Quare non ab re Tardiuus Gallus præcipit: Si quid incommodi vel morbi ingruerit Accipitri, cùm mutat pennas, satius esse medicamenta omnia, quæ accelerandi pennarum defluuij gratia instituta sunt, differri, donec conualescat, quod ea, quæ pennarum mutationem promouent, naturæ eius pleraq; cõtraria sint. Multa alia sunt, quæ ad veterum plumarum casum, nouarumq; ortum celeriorem faciunt; vt Lacerta, Testudo, Serpens, &c. quæ hoc modo in eum vsum singula præparantur. Lacertam viridem in olla noua cum aqua probè decoquito, deinde in mortario contere, & in vase aliquo cum decocto suo permisce, dein aquam aliam tepidam affunde. In hanc aquam Accipitrem immersum laua, & citò abijciet pennas. Hunc eundem effectum non lotu tantùm, sed esu etiam præstabis hoc modo: Lacertam minutatim discinde, ita vt non possit carnem apprehẽdere vnguibus; sed ore tantùm. Nam si vnguibus comprehenderit eam, emanans inde lacteus liquor, unguibus nocet, quod nimis eos constringat. Demetrius cum suilla mixtos Lacertos uirides in sole siccatos Accipitri exhibet. Item anguis senecta minutatim dissecta, aut etiam caro eiusdem è corpore medio exempta, & trium pilularum magnitudine data, aut carnibus alijs familiaris eius escæ permista iuuat, ac optimè pennarum mutationem promouet. Item Testudinem in locis siccis captam, adempto cortice supinam Accipitri edendam præbe. Qualitas enim carnis & succus eius conducunt, & mutationem totius corporis plumarũ accelerant: Vt tutò, citò, iucundè pẽnas abijciat, Tardiuus pascit Accipitrẽ carne Erinacei siue pingui, aut glãdulas, quæ in collo Ouiũ sub auriculis sunt, minutim cõcisas, cibo eius immiscet, vt quoquo modo deglutiat, siue sponte, siue aliqua arte tua. Et cùm iã pennas abijcere cœperit, non amplius pbet, ne fortè nouas cũ veteribus simul excutiat. Aut pro glandulis iam dictis uel murium maiorum (rattos uocant) uel talparum carnem butyro unctam, triduo ei offert. Vel pascit eum Catulina, lardo perfusa, & in frusta seu bolos exiguos dissecta. Hic etenim cibus ei maximè secundum naturam est. Aliud ad eandem rem re-

Quæ ad plumarum casum faciant.

Lacerta.

Anguis senecta, seu caro eiusdem.

Testudo.

Caro Erinacea.

Murina caro.

Catulina.

medium. Semen Agnicaſti,ſeu uiticis contuſum,macera in aqua dulci, colatam in potu dato Columbæ,& adhuc pernoctare eam dimitte,& poſtridie Accipitri laniandam obijce. In eundem etiam uſum mures,uel Ciconiam,uel Turturem ei in cibum dabis tertio quoque die; aut lac ſorbendum à potu quotidiè. *Tritos* etiam *piſciculos minutos fluuiatiles* commendat Albertus Magnus: qui carnibus Accipitri in paſtum deſtinatis commiſcendi ſunt. Citò etiam pennas idem amiſſurum affirmat,ſi *lumbis ſuillis inciſis & agnino ſanguine tinctis veſcatur*. Item *grana ſambuci* conferre ait *menſe Septembri terra obruta*, ſi in eorum ſucco hordeum, aliaue alimenta Gallinis idonea macerentur,ijſq; enutritę poſtea Accipitri exhibeantur. Eadem ratione idem author efficaciſſimo illo,quod antè à Serpentibus peti diximus,medicamento omnium prętantiſſimo utitur. Sed cùm ob ueneni uim nimis uehemens ſit, tutoq; uti non liceat, certa temperatione eius uirus obtundit hoc pacto: Serpentem uarium, qui inter alios minus pernitioſus ſit, & uirulentus cum tritico coquit. Hoc Gallinam paſcit, & aquam decoctionis potandam prębet. Huius poſtea Gallinę carnibus depaſtum Accipitrem,pennas amiſſurum,& à morbo, ſi quo implicatus fuerit,liberatum iri,& nouas quoque pennas eaſque ſolidas ſuborituras, deniq; & longum tempus ſanum ac alacrem deinceps ſuperuicturum affirmat. Prętęr hæc ut monet Demetrius, nihil aliud tentabis in Accipitre incluſo. Nam imperiti quidam, cùm pennas non ſine illorum dolore euellerent, plurimos hoc modo non læſerunt ſolùm, ſed & perdiderunt. Quare longè ſatius eſt, ac naturæ conuenientius, per victus rationem, ac ſine dolore id moliri,ut pennæ paulatim defluant. In cauda tantùm ſi quæ fractæ fuerint,leniter & paulatim ſine vlla violentia extrahes,& ne ſanguis effluat,cauebis. Hoc enim ſi contingat pennæ diſtortæ ſubnaſcuntur. Cùm autem pennæ defluere iam incœperint,omni moleſtia, ac labore liberum eum reddes:& affatim cibabis,neque eſurire ſines. Tot enim fractūris pennæ renatæ ſunt futuræ mutilæ,quot vicibus ipſe famem perpeſſus fuerit. Quòd ſi pennę ſubnaſcuntur macrę, ſiccæ,& breues,& Auis non abundarit ſanguine,qui eis alēdis ſufficiat,nutries eum Pipionum, alijſq; calidis carnibus,easq; oleo ſeſamino inunges. Sic enim pennæ craſſiores mollioresq; naſcentur. Nam ſicciores facilè rumpuntur. Si quæ pennæ non exciderint,aut malè natę fuerint, vngantur oleo laurino,quod & veteres excidere facit, & nouas ſuboriri. Non prius eximendus è domicilio mutationis Accipiter,quàm pēnas omnes probè mutarit. Solet autem ea plumarum renouatio perfici, vt plurimùm Auguſti initio, alijs medio Auguſto, quibuſdam uerò vltimo,teſte[b] Creſcentienſe. Nouarum incremento abſoluto,aqua marina calida pennas eius fouere Demetrius præcipit per triduum,vel aceto acerrimo calefacto. Cæterùm antequam è cauea ſeu Auiario eximas,denis continuis diebus quotidiè ingreditor ad eum, ac conſpectum tuum illi reddito denuò familiarem,ne ſi ſubitò,& ex improuiſo ad eum auferendum acceſſeris,territus auolet. Eadem de cauſa ante lucem cum ipſo obambula, & antequam Sol oriatur, in perticam eum repone. Veſperi verò lucernam huc illuc ante illum mouebis,eumq; aliquandiu geſtabis. Quanuis quidam vt antè retulimus, toto innouationis plumarum tempore in Auiario Accipitrem ex manu cibandum arbitrentur. Demetrius tamen *ſatis eſſe* ait *diem vnum aut alterum antequam eximatur,de manu paſci,ſicq; nutritum,manſuetum, ac cicurem,cùm tempus poſtulauerit,atque ad venationem prodeundum erit,promptum ad obſequium,nec multo labore ad correctionem opus fore* pollicetur. *Debet* autem inquit, *cùm ab Auiario eximitur eodem modo inſtitui ac cicurari, quo nouelli,ac qui primùm venari inſtituunt*. Mutatis iam pennis,& nouis in locum veterum ſuffectis, Accipiter ſpecioſior multò euadet,quàm antè fuerat. Cęterùm caudam primo anno magnam habent Accipitres,ſecundo minorem,reliquis deinde ſemper ęqualem, ita vt neq; creſcat, neq; decreſcat. Abſoluta iam plenè nouarum pennarum generatione corpulentior redditus Accipiter,ſi aērem frigidum fortè ſenſerit, irrequieto corporis motu ſe calfacit. Eſt autem periculum,ne ab aſcititio iſto calore refrigeretur, & fortè moriatur. Geſtabis igitur eum placidè & extra ęſtum,capitio intectum. Et quoniam obeſus,& ferocior factus eſt, ne fugiat, purgabis eum globulo è pinguedine lardi,qui quidem ſic paratur. Pinguedinem lardi ſuilli per diem vnum in aqua recenti aliquoties mutata maceratam, ſaccharum, piper tritum, aloēn & medullam,pari ſingulorum quantitate accipe, ex quibus tres quatuoruè aut plures pilulas effinge,& pro tuo iudicio permiſce,& earum vnam Aui dato manè. Paſces autem pulmonis ouilli ſegmentis,tandiu lotis,donec ſanguinem & ſuccum omnem depoſuerint: ſic enim maciem Aui conciliant. Perticam eius ſimo pingui,aut quouis pinguedine munges, vt lubrica fiat. Sic ſuper eam alligata noctu,cum firmo gradu inſiſtere nequeat, & ſubinde labatur, non poterit ſomno frui,unde macreſcet & mitior fiet. Sed fac ut diligēter alligetur nexu firmo, ne auolet. Nam ſi nimis obeſus ſit,nec ſatis inanitus,& reuocanti inobediens,periculū eſt,ne fugā capiat.

[b] *L.10.c.4.*

Caudę mutatio.

CON-

# CONSERVATIO. CVRATIO.

HACTENVS rationem, qua Accipiter, dum integra fruitur ualetudine, curari, inſtitui, nutriri debeat: denique quomodo in domicilio, ſeu Auiario pennas ueteres deponere, & nouas induere, vt nō modo oblectamentum aliquod, ſed etiam emolumentum ab eo expectemus, explicuimus. Reliquum eſt, vt quo pacto ſanitatem eius præſentem conſeruare, & amiſſam recuperare poſſimus, exponamus. Ad priorem partem, nēpe morbos arcendos maximè ſpectat, ac facit ea purgatio; quę per turundos (factilia Plinius, Offas Columella: ψωμίσματα Plutarchus: bucceas Suetonius; buccellas Martialis appellat.) inſtitui ſolet. Præcipuè autem, ut inquit Budæus: *Ineunte Autumno Accipitrarij ſaginam Auiarij medicamentis exinaniunt quò ſalubriùs degant: rurſuſq; ad prædam inſtituunt, inedia perdomitant, inditis in os ſtuppeis turundis auiditatem eorum ludificantes, ſimul ſic euocatis excrementis velociores reddi affirmantes, ſimul famem irritari, atque ita ad obſequium redigi.* A deuoratis enim Auibus & alijs animalibus humores prauos, cùm in ingluuie, tùm in inteſtinis colligi cōtingit, qui expurgandi veniūt, in fauces immiſſis ſeu ingeſtis, qui dicti ſunt, turundis, quod ſub noctem vt plurimùm fieri ſolet. Concinnātur hi è pluma, quæ reperitur ſuper articulo alarum Gallinæ veteris, aut ex paruis Auiculis contuſis, aut pedibus Cuniculorum Leporumue fractis, ita ut vngues & oſſa demantur. E lana xylina, ſeu goſſypina turundus improbatur. Lędit enim & vrit pulmonem, vnde Aui interitus, & maximè cùm ea lana non fuerit probè elota. Nam ſi alia, cuiuſmodi diximus, non ſint ad manum, ea vti licebit, ſi modo prius per diem integrum aqua maceretur. Formantur inſtar pilulæ, vel oliuæ. Hos Galli Curce vocant, quaſi curam dicas, ab effectu. Germani Geuuel, à rotunditate, vt conijcio. Turundos ex aliqua prædictarum materierum conflatos quotidiè ſingulos dato, in aqua prius maceratos, qui inteſtina eorum egregiè dilatant: reſiccantq; excrementorum in Aue redundātiam. Si poſtridie mane puros reiecerint, non ſiccos tamē, nec malè olentes ſanitatis ſunt indices: Sin humidos & viſcoſos, morbi. Deglutitos autem turundos, niſi prius reiecerit, cibus nullus exhiberi debet. Retineri adhuc turundos, ex eo cognoſces, ſi ſuper manu tua Auis tremat. Quod ſi exigua nimis quantitate oblatos non reijciat, non deſinas alios dare, ſed iterum, aut tertiò exhibebis. Futurum enim eſt, vt tandem plumas in offa oblatas ſimul omnes reddat. Solet alias etiam ob cauſas eos retinere, nempe, vel ob puſtulas, ſeu ulcuſcula in corpore genita, aut carnoſas quaſpiam excreſcentias, uel denique ob magnam excrementorum ſentinam. Si quæ hodie non potuit, cras vel ſaltem poſtridie vt fiat reiectio, id hoc modo procura. Pingue lardum aqua, bis teruè recenti ſemper affuſa oblatum, cum pauco ſale, & pipere trito, effinges in catapotium, atque aui diglutiendum propinabis. Tum obſerua quidnam reijciat, & ſi ne tunc quidem turundos illos reddat, cape quicquid ab eo reiectum eſt, id contunde, panno inuolue, & Accipitri olfaciendum præbe. Hac enim arte turūdos euocabis. Aut fibras radicum Chelidoniæ maioris in turūdos fabæ magnitudine redactas, bonaq; carne inuolutas, ad celandam earum amaritudinem, ipſi dato. Deinde ipſum ſoli, aut igni expone, & niſi turundos reijciat, paſcito eum veſperi coxa Gallinæ calida & ſaccharo condita. Hoc genus purgationis ſæpius in ijs repetitur, niſi nimium macri fuerint. Præter hanc peculiarem per turundos exinaniendi rationem ad incolumitatem tuendam quatuor alia neceſſaria eſſe Tardiuus, alijq; ſcribunt: nempe vniuerſali quadam vacuatione per medicamentum, cùm opus videbitur, purgare, in eſca trahēda exercere; lauare & humidam reſiccare. Cùm Accipitrem, quocunque tempore purgare erit animus, & bonam laxamq; aluum ei reddere atq; appetitum excitare, hoc pacto id efficies: Octauo, aut quintodecimo quoque die, da ei pilulam vnam ex ijs, quas communes vocant, aut Aloēn citrinam, magnitudine fabæ, bona carne inuolutam, ne amarorem percipiat. Tum induto capitio eum repones in loco calido, aut ad ſolem aut ad focum, vbi per duarum horarum ſpatium relinquendus, vt aluum interim deijciat. Et cùm Aloēn, ſeu catapocium reiecerit (neque enim tam citò liqueſcit) acceptam ſerua in aliud tempus. Auem deinde manu exceptā bono & viuo cibo nutries, vt ab infirmitate, quam ex purgatione acquirit, reficiatur. In cibum conuenient Gallinæ, Auiculæ & Mures maiores minoreſue in paruos bolos diſſecti. Aloë quidem hoc pacto exibita veſperi, vermes etiam è corpore efficaciter educit. Et pilulæ iam dictę, communes nempe, ab Accipitre deglutitæ, initio Septembris, ſimiliter cōtra vermes proſunt, & contra alios Auium rapacium morbos. Sed debet hoc remediū pro Auium diuerſitate augeri, minuiuè. Accipitri enim cùm Fringillario, tùm Columbario minus eius pondus conuenit, quàm cæteris rapacibus. Si poſt duas horas paſto veſperi alimentū ex ingluuie delapſum ſubſederit, dabis ei quatuor aut quinque ſemina

Qūo cōſeruandus in ſanitate.

Purgatio p turundos.

Turūdi qui fiant.

Curce, Geuuel.

Purgatio.

Caryophillorum trita & carne laudabili modica inuoluta. Cùm verò ab uſu prædictarum pilularum humores commoti fuerint, palatum ac nares eius acri aceto, cum pipere trito ſemel aſperges, & poſtea, ſi opus erit, aqua in nares inſpirata illum refrigerabis, ſoli inde igniue expones. Sic enim humores capitis, & omnem aliam ægritudinem expellet. Si poſt mutationem pennarum, vel à tempore hyberno, aut intermiſſo diu exercitio, aut abundãtiori alimento nutrito, plumæ uiſcoſæ & ſordidæ reddantur, hoc modo eum purgabis. Lardi quanta eſt tertia digiti pars, in quatuor fruſtula diſsecabis, & piperi in puluerem redacto, ſali uſto, & modicæ portioni lateris vſti miſcebis, ac diu ſimul omnia ſubiges: deinde Accipitrem placida manu apprehenſum tenebis, donec hoc ei remedium in gulam inſeratur. Dehinc ingluuiem, ac guttur eius frigida conſperge, ne ſtatim reijciat. Tum loco quopiam puro pone, & uidebis multa ab eo excrementa reddi. Sic uacuatus per horas ſex ieiunet, quibus exactis modicum carnis recentis dabis, aut oua butyro mixta.

Eſcę extractio. Quod ad exercitium uellendæ ſeu trahendę eſcæ attinet, curandum, ut tempore matutino in pabulo carnis cuiuſpiam neruoſæ, roſtro uiolenter diuellendo, laboret: item ueſpertino ante cænam, & antequam ad prædam euolet inter expectandum. Si plumæ carni inhærent, uide ne illas deglutiat interdiu: ueſperi uerò deglutitæ nihil faciunt periculi. Et quanquam aliqui trahendo eſcam lumbos eius lædi exiſtiment, ipſum tamen exercitium ei non parum prodeſt.

Balneum. Conuenit aliquando etiam balneo uti Accipitrem, cùm ſanitatis gratia, tũ ut melior promptiorq; ad uolatum fiat. Interdum enim aquæ potum, uſumq; deſiderat, ut cũ iecur, reliquumue corpus eius incaluit. Nam refrigeratur aquâ. Quin & animoſior manſuetiorq; balneo redditur. Sæpe igitur id ei adhibebis, uel quarto quoque die. Nam ſi frequentiùs balneetur, ſuperbus euadit, ac dominum fugit. Quum balneo eum adhibes, ligno ſicco impone. Aqua uerò ſit pura, & omnis ueneni expers. A balneo paſces eum alimento uiuo, ut Pipione, & Auiculis, quibus parum ſacchari aut theriacæ addes ob ueneni metum, & ſimiliter in nares eius theriacam indes. Quòd ſi à balneo Accipiter ſeipſum fricet, & vngat, roſtroq; plumas componat, non ſine noxa nec impunè tangitur (halitus enim tunc ei venenoſus eſt) & pedes quoque. Quamobrem geſtaturus eum, valida chiroteca manum, ne offendaris, munies. Loto non dabis carnem madefactam. Si vis ut ſtatim à balneo volet, aſperges eum aqua pura. Quòd ſi infectus fuerit ex balneo, aquæ veneno per ſerpentem aliudue animal, aut quauis ratione contaminatus, theriacam admixtis tribus Iuniperi granis tritis, deglutiendam dabis, & octiduum totum balneo abſtinebis, paſturus eum carne felina, cui aloën tritam inſperſeris. Porrò humectum reſiccabis ad ſolem vel ignẽ. Secus periculum erit morbi alicuius, ut rheumatis, aſthmatis, aut alterius.

Siccatio. Exiccatum loco calido & ſicco collocabis. Denique ut *Accipiter integra ſemper ſanitate fruatur,* (inquit Albertus) *nec viſcera eius exiccata nimium conſtringantur, caulem, radicem, foliaq; maluæ decoquito in aqua, donec tota abſumatur. Deinde exiccata omnia contere diligenter, & in vaſe quopiam butyro pleno aliquandiu coque: Deinde cola inſtar ceræ & de pinguedine illo paſce Accipitrem per interualla, quem ſi accipere renuerit, admiſcebis carni felinæ.* Idem aliud eiuſdem vſus remedium præſcribit, hoc nempe; *Rutam, ebulum, maluam, ſerpillum, roremarinum, & hunc quidem, quàm cætera, copioſiorem, aut eius loco ſabinam, adipem præterea ſuillum: (ſuis nimirum quæ nunquam deguſtarit glandes) ſimul trito vino incoques, & expreſſa tanquam ceram, Accipitri in cibum dabis veſperi aut per noctem.*

Sani indicia. Accipiter ſecunda valetudine frui cognoſcitur, ſi fimus ſeu excrementum ſit purum, album & clarum, cui medio nonnihil atrum permiſtum ſit. Idem ſi glutinoſum ſit, & digito tactum adhæreat, bonam concoctionem, & ſanitatem Auis integram pollicetur.

Hactenus de ſanitatis conſeruandæ ratione: nunc de remedijs Accipitri adhibendis acturi, primùm nonnulla ponemus, quæ ad certa quędam vitia corrigenda, licet manſuefactarijs negocium in venatu faceſſant, vſui tamen futura ſunt; Quibus dein corporis affectuum medicamina ſubiungemus.

Si nolit obedire, qd agendum. Si Accipiter venari detrectet, include loco obſcuro per dies quindecim, ita vt lucẽ nõ queat aſpicere, niſi quantum ad cibum capiendum opus ſit, cuius etiam tertiam partem detrahes.

A viro quodam aucupij peritiſſimo Ornithologus audiſſe ſe refert, Accipitrem, ſi duo, aut ad ſummum tria grana cocci gnidij integra acceperit, omnino cogi ad inquirendam prædam, aut alioquin de morte periclitari propter gulam nimirum, nimis tam acri pharmaco inflammatam, ideoque cibum, quo eius acrimoniam temperet atq; mitiget, requirere. Si ad prędam inſequendam tardus ſit, aquam appone, ut lauet, & cibum eius aqua tepida diligenter ablue. Aut dato ei catapotium ex lardo, de quo nos tractatu de purgatione. Demetrius Accipitrem prædæ hoc modo auidum reddi docet: Gallinæ, inquit, mactatę ſanguinem folio aliquo excipe, & coagulari ſine. Huius, venatum proditurus, Accipitri tantillum in cibo dato. Sic

eſcæ

eſcę appetentior,& ad prędam perſequẽdam alacrior fiet,ſanguinis ſcilicet dulcedine illectus.

Si Accipiter in arbores impingere ſolet, ſine, vt ter quaterue tempore nubilo pluuioſouè, aut cùm ros copioſus cecidit,ſe offendat. Sic enim percepta moleſtia in poſterum ſibi cauebit. Si aliam,quam debet prędam,ſectetur,odiũ eius ſic illi excitabis. Fel Gallinę penes te in promptu habeto,eoq; Auis,ab eo captę,pectus inungito,atque ut modicum eius guſtet,facito. Nam amaritudo ea in cauſa futura eſt, vt deinceps ab eo genere Auium abhorreat. Accipitrem meticuloſum aduerſus quamuis prędam animabis,& vt Aues grandes aggredi audeat,efficies hoc pacto: Eſcam,quam ſub tempus venationis ſumpturus eſt, vino intingito: aut ſi ex maiorum Accipitrum genere eſt,aceto,& ad amygdali magnitudinem ipſi exhibeto. Iam iam venaturo tres offulas carnis uino madentes dato: Aut pullo Columbę vinum in roſtrum affundes: deinde hanc tam diu volare coges,donec vinum illud cõcoctum,& in carnes eius diſtributum fuerit. Hac ſi Accipitrem paſcas, animoſiorem reddes. Albertus in eundem finem vrina carnem macerat,quam mane & veſperi ei edendam prębet modica quantitate. Poſtridie verò tempore matutino portiunculam linguę porcelli offert. Accipiter quibus cibis reddatur animoſior ad prædam.

Nunc ad morborum remedia acceſſuri, primùm quę generalium, dein quę particularium, qui ſingulis corporis partibus accidũt,affectuum ſunt,explicabimus,& quæ ſit inſtituenda curatio ſubnectemus.

Ante omnia, ſi quo malo laboret, incertus ſis,ægrotare tamẽ videas ex eo,quòd in venatione nihil deguſtare velit,(hoc enim interno aliquo affectu correptum eſſe indicat) illi medeberis (inquit Demetrius) exhibito melle ac butyro cum carne calida. Sed optimè ei Pipionem adhuc calentem dabis. Nam calidus cibus Accipitri ferè omnium inſtar antidotum eſt. Alijs quoque notis internum Accipitris morbum deprehendere idem docet Demetrius his verbis: Si Accipiter manui inſiſtens,aut perticæ, crebriùs reſpiret,& cùm eam deſerit, tardiùs euolet, parum edat,& videatur ſubtriſtis & fimũ nigrum craſſumq; excernat, præſertim poſtquam carnem recentem & puram ſumpſit, ſciendum eſt hæc ſigna atq; ſymptomata morbi alicuius eſſe nuntia,fieriq; à craſſis humoribus in ventre nondum exactè colliquatis, ſeu coctis & à carnibus putidis, vel herbis nonnunquam,quas Accipiter roſtro euulſas deuorauit. Itaq; curabitur in hunc modum: Dabis ei portulacam parum contritam,& butyro permixtam cum carne Ouilla calida. Aut ruæ contritæ cum vino vetere cochlearia tria quotidiè, & liberabitur morbo. Ad morbũ ignotum.

Ad morbos item latentes, & ictus interiores, alia præſcribuntur remedia varia: quale eſt hoc: Styracis optimi ſcrupulus dimidius,butyri recentis,medullæ Ceruinæ,vtriuſque vncia, mellis & olei Hiſpanici boni quantum ſatis eſt: Hæc ſimul ad ignem leniter calefiant, permiſceanturq;,tum refrigerata in cibo dentur cum carne,aut in pellem muris inſerta, & ſanabitur Accipiter. Aliud: Ouillum cerebrum cum Rheopontico trito, cribratoq; ei dabis. Aliud: Columbam defruto potatam, per diem ſerua,dein Accipitri viuam dilaniandã obijce. Aliud: Mellis & olei Hiſpanici ana cochlearium, & album oui liquorem in vaſe aliquo permiſcebis,atq; puluerisſalis Cappadocici, nitri,ana ſcrupulos duos inſperges. His carnem fruſtulatim cõciſam addito,& Accipitri exhibeto. Si ignauus ſedet & ſubtriſtis,prædamq; negligit,butyrum recens,& arſenicum coccinum ſiue ſandaracham ea quantitate,quæ ſubtripla ad butyrũ ſit commiſce,& cum carne recente Accipitri dato. Accipitrem macilentũ, triſtem ac plumis horrentẽ curabis, ſi Columbã,quæ pridie aquã mulſam potauerit, ei in cibũ obtuleris, Demetrio authore. Ad morbos latentes.

Si cauteria Accipitri adhibẽda videãtur,monet Albertus,vt prima inuſtio fiat ſub interiore oculorum angulo,quem lacrymalem vocãt. hæc enim uiſus aciei plurimùm confert. Secunda, in ſummitate oculi, capitis utilis eſt. Tertia ſupra articulum alæ, aduerſus arthriticos dolores. Quarta in planta pedis, aduerſus podagram crurium. Vtiliora autem futura monet,ſi Martio menſe admoueantur. Si uulneratus ſit Accipiter, albumen oui oleumq; uulneri impone, & caue ne locus læſus aqua madeſcat. Cùm uerò hoc epithema auferre ſeu mutare uoles,locum uino ablues calido, & ſic in hac curandi ratione perſiſtito, donec uulnus cruſta obductum fuerit. Si autem Accipiter roſtro ulcus contingendo coalitui uulneris impedimentum adferat,aloës tantillum loco impone. Quod ſi fortè uulneratus fuerit ſub ala,aut in pectore,aut coſtis, aut coxis, immittatur in uulnus ſtuppa craſſa accuratè trita cultello, donec caro putris abradatur. Pòſt thuris, ceræ, ſeui, & reſinæ ſingulorum ad ignem liquatorum partes æquales miſceto. Hoc unguentum in uſum ſerua,& cùm opus erit,liquefactũ ad ignem penna illinito, donec uulnus cruſta claudatur. Quòd ſi caro ſuperflua excreuerit, indatur in uulnus urtica Græca,uel ærugo,donec corroſa abſumatur. Dehinc ceruſſa cum oleo roſaceo, & exiguo camphoræ uulnus inunge. Si Accipiter pruritu infeſtatur, quod ex eo colligitur, ſi pedibus ſe atque unguibus uelut pectendo ſcalpit, pennasq; è cauda euellit, hunc in modum curandus erit: Fimum Anſerinum,& Ouillum cum aloë miſceto, in uaſe æreo in acre acetum Cauteria quõ adhibenda. Ad vulnera. Ad Pruritum.

infundito, per triduum inſolato, uel ſi calor Solis exiguus eſt, ad lentum ignem coquito. Hac miſcella totus lauetur, & carne paſcatur Columbina cum melle & pipere, & collocetur loco obſcuro nouem diebus continuis. Cumq; apparuerint pennæ nouæ loco euulſarum è cauda enaſcentes lauetur aqua roſacea. Hocq; modo ſanitatem recuperabit. Si ſcabioſus eſt Accipiter: Axũgiam veterem, ſulphur, & argentum uiuum miſta terito cum aliquot gariophyllis & cinamomo. Hoc perunge ſcabiem ad ignem uel in balneo. Hæc Albertus. Idem ad Tineas Accipitris hoc medicamen præſcribit. Milleſoliũ tritũ, & ſimum Anſerinũ ſubige cum aceto, & poſt tres dies ſucco per linteũ expreſſo & colato, loca tineis infeſta illine: præcipuè in alis & cauda. Demũ ferruginem in tenuiſſimũ pollinem redactã, ter alis & caudæ, altero quoq; die ſemel, aſperge. Beliſarius Neritinorũ Dux, qui de Accipitraria inſtitutione ſcripſit, aduerſus tineas, quæ Accipitrũ pennas corrodendo abſumũt (quod plerumq; accidere ſolet, cùm macie conficiuntur) hoc remedio utitur. Ceræ rubeæ muſcatæ, myrabolanorũ, ſalis gemmei, gũmi, & granorũ tritici, ſingulorũ partes æquales, cerę verò quantum ſufficit: in vaſe quopiã per dies nouem macerentur acri aceto: Deinde reponatur acetũ in ampullã, quo ſingulis diebus Accipiter lauetur, donec ſanus factus fuerit. Poſt hæc aqua roſacea abluatur, Soliq; exponatur. Sũt qui iubeant tineas acu configi atque ita è cute eximi, dehinc locum affectum aloë aſpergi, demum aqua roſacea ablui. Cauendum verò diligenter, ne roſtro vlcus cõtingat, quandiu ei aloë inhæret. Solet enim ea res Accipitri noxia eſſe. Aliud: Pauonum pennas fumo expandito, adhærẽtem eis fuliginem in puluerem reducito, æqua portione miſceto cum ſanguiſugarum ſuper tegula lateritia vſtarum puluere. Hunc acri aceto ſubigito, cauens ne liquidum nimis medicamentum fiat. Deinde locum, quo pennæ exciderũt, acri aceto laua: poſt hæc lardi ſegmenta intinge in medicamentum præſcriptum, quouſque adhæreſcat, & loca affecta bis ſingulis ſeptimanis inunge, donec pennæ recreuerint. Item equi pilos longos tenuiſſimè contritos, carni, qua Accipitrem alturus es, inſpergito. Item pyrethrum tritum cum raphani ſucco, & aceto acri miſce, & loca morbida illine. Item vſtum bufonem Aui edendum prębe, uel ferri ſcobem carni, qua veſcitur, inſperge. Accipiter aliquando pediculis ab humorum corruptione genitis infeſtatur. Aduerſus hoc [a] Creſcentienſis iubet eum *muclui panno madente ſucco parthenij, vel abſinthij: & ita inuolutum relinqui in Sole ab hora prima matutina ad tertiam vſque.* Contra eoſdẽ mentham Romanam contuſam vino acri miſce, cui adde ſaxifragiam, quorum liquore Accipitrem Soli aprico, ſeu aëri calido expoſitum balnea. Pediculos etiam abigunt argentum viuum, ſaliua humana extinctum, & axungiæ veteri permiſtum: vel decoctum piperis, cum granis ſeſami triti. Accipiter ſaxifragiæ decocto probè lotus in linteum eo fine ſubſtratum omnes pediculos excuſſurus eſt. Si nimia corporis mole grauem ac pigrum extenuare nonnihil volueris, allium ipſi cum pulegio tritum dato, aut carnis macrę ſalſamentum noctem integram in aqua maceratũ; dehinc quaternis vicibus aquam bibat, caue interim, ne nimiam maciem ei inducas, atq; ita ſanguine ſpirituq; exhauſtum inutilem reddas. Patitur etiam nonnunquam nimiam maciem, humido radicali deſtitutus, cuius ſignum tibi dabunt maculę, quas pennæ eius contraxerunt, ab Accipitrarijs famis indicia appellatæ. Sic affectus, puſillanimis, ac degener fit, & ad uolatum piger & ineptus venari detrectat; aut minutiora animantia tantùm perſequitur, frequenti vociferatione queritatur, ac ad dominum redire ſemper cupit, ſimum excernit nec album nec nigrum, ſed medij coloris, fuſcum, ut author eſt Tardiuus, qui etiam ad reſtaurandas uires eius docet, vt veruecũ, muriũ minorũ & maiorũ in bucellas ſectorũ carnibus eũ paſcamus: vel ut in fictili nouo duas plus minus aquæ libras iniecto mellis cochleari, & tribus aut quaternis butyri recentis decoquamus, & in hoc decocto carnẽ ſuillã in minuta fruſtula conciſam lauemus, intingamus, & bis quotidiè præbeamus. Aut quinque ſexue limaces inuentos in uineis aut herbis, præſertim fæniculo, noctem totam in lacte maceremus, vaſe, ne euadant, cooperto, & poſtridie mane perfractis limacum teſtis exemptos lacte alio recenti proluamus, abſterſoſq; Aui in cibum offeramus. Tum verò igni, ſoliuè exponendus eſt, donec aluum quinquies aut ſexties exonerárit. Calor, modo hunc ferat, utilis ei futurus eſt. Ad eandem rem Albertus ocium per aliquot dies, & crebriorem è cerebro ueruecino aut arietino cibum ei cõmẽdat. Si ueneno eſt infectus, theriaca data liberabis. Si animal quodpiam uenenatum ipſum commorderit, à plumis locus erit denudãdus, & ſi uulnus nimis exiguum eſt, nouacula dilatandum, moxq; calente butyro, dein unguẽto ex thure, reſina, ſeuo & cera, ęqualibus commixtis portionibus illinendum. Si ab inſolatu diuturniori lãgueat, aquam roſaceam in nares immittes, ac mel cum carne Caprilla in cibum dabis, uel *vinum ore retentum in faciem eius efflando expues*, ex Alberti præcepto.

Si febriat, tactu calor percipitur, & in pedibus præſertim, triſtis eſt, horret nonnunquam, alæ dependent, caput demiſſum eſt, cibum faſtidit, plumæ, quæ mentum tegunt, in formam barbæ

Ad Scabiem.

Ad Tineas.

Ad Pediculos.

[a] *Lib. 10. cap. 6.*

Ad nimiã corpulentiam.

Macilenti ſigna.

Febrientis ſigna, & cura.

barbæ contorquentur. Morbum hunc etsi periculosum, non semper tamen lethalem, in primis refrigerando, obstructionesq; tollendo curabis. Carnem Gallinaceam succo artemisię imbutam ternis aut quaternis vicibus offeres, aut venam in crure dextro secabis, quę vinculo quopiam fortiter constricto cõspicua redditur. Quatuor etenim venæ in Accipitrum crure apparent præcipuę, vna in antico, secunda in infero, tertia in externo, quarta in postico supra digitum maximum. Alij eam quæ sub ala dextra est, utiliùs secari credunt. Hoc enim modo hepar è vestigio refrigerari, ideoq; totum corpus. Exhibeantur ei carnes pulli Gallinacei, & Auicularum minutarum. Ab Passerum tamen, caliditate nimia noxium esu abstineat. Laudantur medicamenta refrigerantia, ut semina cucurbitarum, aut cucumerum contusa, aut lẽtus psyllij, similiumuè succus, aut syrupus uiolatus, aliaq; huiusmodi. Accipitrem ipsum *loco frigido & obscuro collocari* iubet [b] Crescentiensis, *super pertica panno lineo* refrigerantibus, ut lactucæ, portulacæ & similium succis madente obuoluta. Contrà nonnunquam refrigerari contingit Accipitrem; Tunc contraria omnino præcedenti ratione curandus erit: videlicet pro cibo, dandæ carnes Auicularum calidiorum, ut Passerculorum, Gallorum iuuenum, Pipionum, decoctæ in vino, aut aqua, cui saliua, mentha, sampsuchus, pulegium, & eiusmodi herbæ calidæ vnà incoctæ sint. Possunt in eundem vsum carnes offerendæ melli inuolutari, aut puluere fæniculi, anisi, vel cymini aspergi. At cauendum in primis, ne nouus cibus offeratur, priore nõdum exactè concocto, & ex ingluuie dilapso. Degat loco calido, aëre fruatur, aut à sole, aut arte calefacto, manu gestetur leniter, exerciteturq; nonnunquam modico volatu. Hoc affectu laborare cognoscęs, si cibum non concoquit, si mæstus est, & ad tactum frigidus, oculis minimè viuidis, sed pallentibus, ac squallidis. Corripitur quoque Arthritide Accipiter, cuius signum est, Arthritis. cùm prosilire aut expansis alis à manu heri longiùs iactari, uel ad eam promptè ac expeditè redire nequit. Aduersus hanc docente Alberto, accipe *baccas oxyacanthæ, seu spinæ albæ, rubentes, easq; contusas, & cum pilo Leporino subactas carni coctæ admisceto, & sic per nouem dierum spatium eum cibato; Quem si retinuerit, spes est sanatum iri.* Auicenna vnguentum sequens omnibus in uniuersum animalibus arthritide affectis utile esse scribit. Accipe *adipes Anserinum, vrsinum, vulpinum, felisq; exenteratæ, atque ossibus omnibus spoliatæ, carnes minutim conscinde: His commixtis adde parum cerę, ladani, & xyloaloës: item succum pulicariæ maioris & minoris cæpam quoque albam dissectam, quæ omnia permista in ventrem Anseris inde, & foramine diligenter consuto, eo pacto diem integrum relinque. Dein cura, vt Anser probè assetur; atque pinguedinem ab eo defluentem fictili quopiam vase excipe.* Hoc unguento locus *affectus inungendus est*. Crescentiensis sanguinis modicum detrahi ex uena, quæ sub laborante, aut ala, aut coxa reperitur, præcipit. Quod si *articulares dolores ab acri fluxione orti* Accipitrem affligunt, *exeremenia Gallinacea, aut Columbacea*, iubet Albertus, *cum cortice vlmi decoqui in aqua; donec rubidum colorem contraxerit. Deinde aquam, fimumq; forti agitatione probè permisceri, & hac Accipitrem per triduum ablui.* Afficitur alio etiam arthritidis genere, in quo summum rostrum, vnguiumq; mucrones albescunt, malum quod in corporis articulos grassatur, ac maligna quadam veneni vi coniunctum est. Sic affecto eam pinguedinem, quæ à vipera frixa, aut assa colligitur, vnà cum Pauonis carnibus octiduum pro esca exhibebis.

Sed vniuersalibus cùm affectibus, tùm remedijs iam expositis, reliquum est, ut ad singularum partium Accipitrini corporis morbos declarandos nos accingamus, & quibus remedijs, quæ D. Alberto & Tardiuo potissimùm accepta referimus, nonnullis tantũ exceptis, curentur, demonstremus. Primùm igitur si capiti Accipitris ægrè est, raphanũ, sabinam, libanotidem co- Ad morbos ronariũ, roremarinũ uulgò, sambucum, satureiam, menthã, rutã, saluiam, betonicã, trita, ęquis capitis. omnia portionibus melle excipito & auellanæ magnitudine Accipitri exhibeto. Quod si Accipitrem crebrò oscitare, ac pandiculari, id est, alas extendere, palpebris conniuere, lachrymari, sternutare, pituitam naribus effundere, denique caput huc, illuc motitare, aut minus claram ac sonoram quàm antè solebat, vocem edere, ac pedem rostro percutere videris, caput eius pituitoso humore, onustum est, & distillatione seu catarrho laborat. Huic ita medeberis. ℞. agarici ʒ. ij cinamomi optimi, succi liquiritiæ ana ʒ i. ex his in puluerem redactis cum melle rosaceo fiat pillula, quam in aceto acerrimo macerabis, huius guttas aliquot expressas Aui exhibe, quo remedio humores superfluos expurgabis. Si ita non proficis ad ignem deueniendum erit. E capite igitur, candenti stilo argenteo in nares indito, pituitæ fluorem promouebis. Cùm effluxit, cicatricem butyro, aut oleo inunges, si sequi placet Albertum. Belisarius diuersæ est sententiæ. Nam etsi perutilem sæpenumerò eam narium, quæ stilo argenteo perficitur, dilatationem esse fateatur, experimento tamen crebrò comperit Accipitres, quorum nares ea ratione dilatatæ fuerint, altiores Auium uolatus egrè persequi. Vento enim auraue frigidiore, per ampliora narium foramina, in caput copiosiùs subeunte, altiorem volatum prohiberi putat. Eidem verò vitio alia ratione Albertus occurrit, nempe apophlegmatismo, & errhino.

[b] *Lib. 10. cap. 6.*

Accipit

Accipit id picem mundiſſimam, magnitudine fabæ vnius, quam ad ignem calefactam tamdiu palato Accipitris vult affricari, donec adhæreat, polline quatuor ſeminum, ſtaphiſagriæ, & totidem piperis applicato: ſi quid reliqui in nares inditur. Dein Soli benè calido, eum tandiu expones, donec humor omnis pituitoſus è capite deſtillauerit. Biduo proximè ſequenti carne laudabili ac ſuaui eam nutries. Aut eundem puluerem cum acri aceto ſubiges, & lana xylina, ſeu goſſypina excipies, naribuſq; inſeres, & in palatum immittes. Simili modo Ruta, Allio, atq; Aqua ardente, vulgò uitæ dicta, uti poteris, & in Rutæ ſuccum carnes, quibus paſcitur, intingere, ac butyrum etiam dare, demum linguam eius apprehenſam puluere ſaxifragiæ cum melle mixto fricare. Cùm capitis dolore laborat, oculos claudit, & caput concutit. Tunc lardi portiunculam cum pipere trito, & altero quoq; die parum aloës cũ carne Gallinacea ei exhibebis. Hac etenim ratione ſtomachum morbi ipſius fontem, è quo, cùm parua humorum illuuie imbutus eſt, noxij & acres vapores ad caput efferuntur, doloremq; inducunt, euacuans, capiti etiam ſuccurres. Quod ad oculorum vitia attinet, eorum caliginem Accipitres ipſi natura duce inſtructi diſcutiunt, ut ex Plinio alijſq; ſuo loco à nobis declaratum fuit. Quibus, ſi cui non ſint ſatis, Oppiani hîc adiungam authoritatem id ipſum atteſtãtis his uerbis: *Accipitres oculorum hebetudini, præ cæteris ſuibus, ita obnoxij ſunt; vt etiam curationem huius ægritudinis in promptu habeant, lactucæ nempe agreſtis, quam medicinæ gratia reſcindunt, liquorem lacteum.* Sed hoc de Accipitre libero verum eſt. At cicur & domi tuæ retentus alijs medicamentis curandus. Albertus oleo oliuaceo oculos inungi frequẽter iubet, pſertim ſi dolor exteriores partes obſedit: Aut glicyrhizam, aloën & ceruſſam, æquali ſingula pondere contundi, teriq; atque ita oleo, & liquata axũngia excipi, probèq; commiſceri, donec unguenti adipiſcantur conſiſtẽtiam, hocq; vnguẽto oculos mane & veſperi illiniri. Si oculi dolent, eodem authore, zinziber, thus & aloë pari ſingula pondere trita, in peluim imponentur, & in vino albo ſuperinfuſo totam noctem macerentur. Id vinum in oculos Accipitri inſtillabis. Item aloën & ceruſſam æquali portione miſcebis, addito pauco lardo ueteri, at minimè rancido, & veſperi in oculos Accipitris immittes. Si albugo interiore oculi parte naſcitur, puluerem ſeminis fæniculi, lactis mulieris, maſculum enixæ, permiſtum, in oculos injicies. Aut piper & aloën æquis portionibus in puluerem redacta. Et ſi ea ſit anni tẽpeſtas, ut pruna ſylueſtria è ſpino, qui vulgò prugnuolo dicitur, nanciſci poſſis, ternas ex his expreſſi ſucci guttas in argemonas inſtillabis: & videbis magnum iuuamentum ex hoc remedio Aui accidere. Si quãdo ſanies fætida è naribus Accipitris fluit, atque ipſe cibos auerſetur, ac faſtidiat, fiſtulam in capite genitam coniectabis, atq; ita curabis. Venam, quæ à naribus ad oculos tendit, incides, inciſam acu candente ex aduerſa fiſtulæ parte inures, locum quotidiè butyro inunges, ipſum verò Accipitrem nouenos dies loco quopiam calido collocabis. Humorem è capite in palatum ſtillantem reſtringes, & exiccabis, ſi butyrũ vetus, & chelidonium tritum æquis partibus carni, qua paſcitur, commixta clam in cibum dederis. Horum autem omnium medicaminum hactenus author eſt Albertus. Quo verò pacto roſtrum diffractum reparandum ſit, Tardiuus Gallus docet: Roſtrũ eius fractum quacunque ex cauſa repurgato: & ſi quid computruit reſeccato: tum inungito coronã roſtri, primum ſerpentis pinguedine, deinde Gallinæ, & denuò creſcet. Deinde quintodecimo, aut vigeſimo poſtquam creſcere cœperit die, frãge ei roſtrum ſuperius, vt quod inferius eſt, melius creſcere poſſit ad modum debitum. Interea buccellis minutatim cõciſis Auem paſces. Aliter enim paſci non poſſet. Porrò diſiunctum roſtrum recludetur, ſi farinam ſubactam & fermento mixtam & reſinam impoſueris. Tumore in collo aliquando ex defluxu humoris calidi affici Accipitrem vult Albertus, & hoc modo curari. Partem eam colli, quæ intumuit, plumis nudari, ſanguinem è vena auriculari detrahi iubet, & Ranam in cibum offerri, quam ſi concoxerit, benè ſperandum, & iam in tuto eſſe Auem ait. Quandoque guttur ſeu œſophagus vel aſpera arteria intumeſcit, ita vt ægrè admodum & non niſi erecta ceruice & tanquam ſuffocandus reſpiret Accipiter. Tunc illum eo mali genere teneri Albertus ait, quod Rheuma vocatur, & eſt catarrhi ſpecies, cùm humor è capite defluens in partes ſpiritales decumbit. Malum ſic curatur. Ex ſanguine, inquit, Pauonis, nuce moſchata, myrobalanis chebulis, caryophillis, cinamomo ſeu caſſia lignea, zinzibere, ſingulis pari pondere pilulas nouem formabis, & ſingulo quoq; die vnã Accipitri dabis hora tertia, & nona, deinde carne murina cibabis. Si præ nimia edendi feſtinatione aliquid in arteriam Auis delapſum fuerit, Tardiuus docet, quomodo tubum oblongum è penna aut metallo factum in arteriam inſeras, exugasq;; donec id quod incidit, ſputo & ſpiritu attractum educatur. Alioquin in periculum maximum caſura Aue. Quòd verò Accipiter ægrè aliquando cibum deglutiat, aut quòd deglutitis rebus, ex ingluuie non ſubſidat, inde accidere exiſtimat, quòd aut iuſto maioribus bolis nutritus fuerit: aut nimium ſe præda ingurgitarit; aut quòd fortè refrixerit. Dandus, ſi huic malo mederi volumus, in ſingulas vices, cibus modicus,

Capitis doloris indiciũ et cura.

Oculorum ſymptomata, eorũ ſigna et cura

Plin. l. 29. c. 7.

Ad ſaniem è naribus.

Ad deſtillationem.

Ad roſtrũ fractum.

Ad Tumorẽ in collo.

Ad Tumorem œſophagi, & aſperæ arteriæ.

modicus, digestu facilis, & qui vino albo tepente prius maceratur. Vesperi trium aut quatuor caryophillorum puluerem lanæ xylinæ vino irrigatæ insperſum exhibebis, vt hoc pacto stomacho calor concilietur. Quod si bucceam, quam deglutire nequit, vomitu vis reijci, hoc pacto præstabis: Piperis triti parum in acri aceto macerabis aliquandiu, hoc palatum collues, tres aut quatuor guttas in nares immittes, & soli aut igni expones. Reiecto eo, quod gulæ inhærebat, pauco vino dictas partes, aut si fortè iaflammatæ fuerint, aceto irrorabis. Cauendum ab vsu aceti, in aue nimium macra, aut extenuata. Auget enim malum. Contingit etiam, vt Auis probè quidem alimentũ deglutiat, sed paulò post idem reijciat, atq; sex potissimùm ob causas; præter turũdos, qui salubriter reddũtur, id fieri docet Tappius: Primùm, cùm ingluuies eius offensa, vel allisa fuerit. Secundùm, cùm neruus aliquis aut vena deuorati cuiuspiam animalis linguæ eius implicatur. Tertiùm, cùm cibus maturò nimiùm exhibetur. Quartò, cùm nimio cibo repletur, adeò, vt vincere illum, ac concoquere nequeat. Quintò, cùm alimentum prauum, aut semiputre assumpsit. Sextò, cùm ventriculus imbecillus & ineptus concoctioni est. Si itaque id, quod reiecerit, non puteat, inquit Tardiuus, dabis ei parum aloës hepaticę, atque inter medicamentum, & cibum offerendũ, sex horas ad minus interpones. Cibus esto paucus & bonus. At si quod redditur, fœtet, quod fieri solet, cùm Accipiter carne crassa, aut minus munda, aut parum recente, vel semiputri nutritus fuerit, in primis curabis, vt caro quæ ei exhibenda est, tersa, munda ac pura sit, & cultro nitido in portiunculas resecetur. Auem soli expones, aquam iuxtà collocabis ad bibendum. Non pasces eum ante vesperam. Quo quidẽ tempore buccellas exiguas ei offerendas vino consperges, aut scobe stomomatis, aut eboris. Hæc enim ventriculo adstrictoria sua vi retinendi cibum facultatem impertiuntur. Quod si ne sic quidem ingestum alimentum retinet, toto morbi tempore auiculis aut muribus cùm minoribus, tùm maioribus eum cibabis; aut aqua tepida macerabis coriandrum contusum, qua colata cibum eius per quatuor aut quinq; dies ablues, antequam exhibeas. Aut folia lauri in vino ad dimidium decoques, eoq; refrigerato Columbam tãdiu ingurgitabis, donec suffocetur: aut si spontè potauerit, occides. Eius coxa aut alia quapiam parte, quæ tantundem carnis habeat, Accipitrem pasces. Albertus ad idem vitium cinamomum, caryophyllos, cyminum, & folia lauri pari singula portione cõterit, & in olla noua vino albo decoquit, donec parum vini remaneat. Quod reliquum est, exprimit, colat per linteum, & quod satis est, in Accipitris guttur infundit. Nec tamen ea propter cibum ei denegat, aut substrahendum putat. Prostridie verò succo è fæniculo expresso carnem intingi iubet: Aut scammonij quartam oboli partem, & tantundem cymini, aut oua cruda in lac Caprinum proiecta, simulq; decocta, ter ei in cibum dari: aut lixiuium è sarmentis, cui sal gemmæ commistum fuerit, cochlearij mensura aut si inde offendatur, syrupum violatum frigida dilutum, tribus cochlearibus in fauces immitti, præcipit. Nonnunquam ægrè coquit Accipiter, quod his signis cognosces. Si subinde os hiat & respiret, si escam suam rostro deplumat, nec tamen edit, sed aut relinquit, aut comesam reuomit, si simum crasso ac atro, & pallido humore infectum egerit, si turundos, valetudinis gratia ingestos, tempestiuè non reddit, si tetrum odorem è gutture eius manare perceperis. Solet autem ventriculus imbecillitatem contrahere, & ęgrè concoquere, ac iusto diutius cibum, antequam conficere possit, retinere, aliquando quidem ad tertium usque diem (quod vitium Medici βραδυπεψίαν, aut ἀπεψίαν, id est, tardam, aut nullam coctionem vocant) cùm intempestiuè, nempe diluculo, ante pridianam cænam concoctam, aut vesperi maturiùs, aut tardiùs, quàm oportet, aut maioribus iusto bolis pascitur. Remedio erit cibus tempore exhibitus, nempe non prius, quàm concoctio antè sumpti, ritè peracta sit, & ipse probè appetat. Huic malo mederi docet Tardiuus hoc modo: Accipe, inquit, fuliginem, quæ sartaginis fundo adhęret, & horam integram in aqua macerato: aquam deinde colatam tepefacito, & in ea carnem, qua Accipitrem pasturus es, in minutas buccellas cõcisam proluito, nec aliũ cibum ante uesperam dato. Tum carnis sacchari polline inuolutæ, bolos tres præbeto: aut semen illud, quod inter aromaticos caryophyllos reperitur, conterito, ac cibo admisceto. Albertus lixiuiũ sarmentorum vitis probè colatum, cum carne adhuc calente per biduum, & caprillam per totũ triduum sequens cum butyro, & masticis puluere ad eiusdem mali ablationem exhibet. Quod si fortè cibum, quem ingesserit, noxium, & qui stomacho negocium facessit, euomi placet, grana aliquot seminis staphisagriæ sub lingua ponenda suadet, futurum inde promittens, vt cibum reuomat. Anorexia, aut cibi fastidio laboranti appetitum restitues, si soricum, muriumue, vel catellorum tenellorum carnes, quæ suæ naturæ admodum congruunt, concesseris. Oua quoque in lacte caprino cocta cibus est ipsi admodum amicus. Si Columbam præterea ipsi pro suo arbitrio laniandam obieceris, & ex hac, quantum libet, sanguinis lambere, carnisq; quantum est in coxa deuorare permiseris, haud parum ita recreari, & ad cibi auiditatem resuscitari videbis. Si verò

Quãdo alimentũ probè deglutiri retinere non potest.

Ad difficilem coctionem.

Ad Anorexiam.

Columbam

Columbam diſcerpere detrectet, carnem eius minutim cõciſam ſaccharo aſperges, oleoq; oliuo maturo, dulci ac recenti, aut amygdalino irrigabis, & cibum offeres: aut ſub diluculo pilulam vnam ex his, quas communes vulgò vocant, deglutiendam dabis. Accipitri ex pulmonibus ægro ſemen raphani, rutam ſylueſtrem, & piper æquali pondere trita, & in pilulas ad granorum piperis magnitudinem cum melle efformata, per triduum ſalubriter exhibebis, ex Alberti cõſilio: præſertim cùm frigoris iniuriam paſſus fuerit, aut ab eodem diarrhœam contraxerit. Item ſuccus marrubij, & ſemen apij, aut menta trita, cribrataq;, aut naſturtium, omnia ſeorſim cum melle ſubacta, atque mixta, ita ut ſucci, aut herbarum duæ partes ſint, mellis vna, ipſi cõueniunt. Quod quidẽ medicamentum faciliùs aſſumet, ſi eſurienti, & cibum feruentiùs appetenti præbeatur. Vel dato radicem ſinapis, & trifolium æquali pondere, trita cum lacte & oleo hyſſopino in cibo, cui potiſſimùm ſi pauculam carnem porcinam addideris, procul dubio profuturum videbis. Ad Aſthma Accipitris idem Albertus (penes quem horum fides eſto,) præſcribit puluerem lateris contuſi, ac contriti cum carne à cæde recenti adhuc calẽte, ac ſanguine hircino per tres dies ipſi exhibendum. Aut ſuccum abſinthij, lacte Aſinino permiſtum, in ſpatium illud, quod eſt inter cutem & carnem coxæ Gallinaceę effundi, atque coxam Accipitri edendam dari iubet. Et alibi: Accipitrem aſthmaticum, ſic curabimus. Caryophylli, cinamomum, zinziber, cuminum, piper, aloẽ, ſal, gummi tragacanthę, thus, equali ſingula pondere miſceantur, & impoſita tegulæ caleſcant ad ignem. Huius pulueris nonnullam portionem, per tubum in nares ipſi inſufflabis. Reliquum lardo minimè rancido, auellanæ nucis magnitudine, probèq; contuſo admiſcebis: & vbi in fauces Accipitris ingeſſeris, illam tandiu Soli exponeş, donec medicamentum reuomat. Poſtridie item lardum, vnciæ vnius pondere in cibum dabis. Tum die tertio pullum Columbinum rubeum. Quarto denique ad balneum deduces. Ad ſitim. Accipitre ſiti laborãte, glycirrhyzam, rhabarbarum, betonicam, in ſyrupo violato, multa aqua diluto noctem totã infundes, aquam illã Accipitri mane quãtum voluerit, bibere ſines per totum octiduum, & ranas edendas dabis. Aliud remedium. Si vehementer ſitit, puluerem caulis, libyſtici, anethi, & fæniculi cum vino decoque, & mellis cochlear admiſce. Liquorem hunc ſciẽ decoctum, ritè colatum, ut bibat, Accipitri permitte, aut in fauces infunde. Si id detrectat, carnem melle oblitam primùm, & poſtridie oleo roſaceo frigido imbutam offer. Quod ſi ob alteratum corpus ab extremo calore ſiticuloſus euaſerit, aquam exhibe, in qua ſaccharum cum croco & ſpodio maduerit, ſed exigua portione, quanta nempe refrigerandis duntaxat faucibus ſufficit. Aut ſi ob nimiam obeſitatem, aut calorem internum quauis ratione præter modum auctum ſitiat, adde prædictis terram ſigillatam. Si à cruditate ſitis orta eſt, cuminum in aqua decoquito, in roſtrum infundito: aut pulegium ex vino veteri, uel caryophyllos ex aqua coquito, eaq; cibum, quo Accipitrem paſcere animus eſt, irrigato ac madefacito. Quod ſi ſubinde ſitire pergat, inquit Tardiuus Gallus, aquam ei bibendam appone, in quam ieceris drachmam boli Armenæ, & dena caphuræ grana. Eandem bolum Albertus aduerſus omnia iecoris in Accipitre vitia commendat. Contra Lũbricos[d] Creſcentienſis ſuccum foliorũ perſicæ, aut ſantonici abſynthij puluerem ſemenuè ualere ſcribit, vt ſcilicet quod in hominibus, id etiam præſtent in Accipitre. Beliſarius & Albertus, ſcobem vel etiam ſquammas chalybis depurati carni ſuillæ inſpergunt, eaq; triduuum pro cibo exhibita ſanari aſſerunt. Vel, inquit Beliſarius, ſume ſtercus Paſſerum & pellis illius piſcis, cui Tincæ nomen eſt, crudi, crematę puluerem, eboris ſcobem, & ſtomoma pari pondere ſingula. Hæc omnia trita cordi ſuillo, quo Accipitrem paſcere voles, inſpergito. Albertus omnem huius mali curam in eo poſitam eſſe non malè arbitratur, vt ſcilicet cibi concoctio ritè procuretur, omniq; ratione caueatur, ne cruditatem, quæ lumbricos, aliosq; id genus vermes in ventre gignit, patiatur Accipiter. Quod ut fiat, leuibus cibis, ut Gallinacea aut Columbina carne, eum paſci vult, nõ Bubula, aut alia quauis dura craſſaq; ſubſtantiæ. Si aluus nimium adſtringatur, (cuius indicium habebis, ſi caudam fricet, & aquam bibat) dabis carnem ſuillam cum pauca aloẽ: aut inteſtina terræ ſuper latere calido ſiccata & trita, carni, quæ à cæde caleat, & ſit concoctu facilis, inſperges, inquit Tardiuus Gallus. Albertus felle Galli, aut teſtudine alba decocta Accipitris aluum laxare docet. E contrà immodicè ſolutam caro ſucco hyoſcyami macerata, & exhibita adſtringit. Quod ſi crus fregerit Accipiter, thus, bolum Armenam, ſerpentinam, conſolidam maiorem, & maſtichen ſimul tere, oui albumine excepta miſce, in linteum extende, eoq; crus effractum obuolue. Pennam deinde ex ala Vulturina euulſam reſeca, in eam ex altero latere in longitudinẽ fiſſam crus Accipitris include; neq; ante diem quintum ſolue; Ita Albertus docet. Si pedẽ Accipitris citra vllam violentiam tumere videris, podagricum eſſe conijcies, humore in pedum, & digitorum articulos delapſo, quem hac ratione curabis. Pedes eius lacteo titymali ſucco inunges: ipſum verò in pertica pãno linteo, qui eodem ſucco imbuatur, obductum collocabis, donec tumoris

Si pulmonibus laboret.

Contra Lũbricos. [d] Lib. 10. c. 6.

Ad aſtrictã aluum.

Ad cruris fracturam.

Ad tumorẽ pedis, ſiue podagrã.

moris locus acrimonia erosus aperiatur. Dein sublato linteo partem affectam seuo inunge, donec curetur. Hæc curandi ratio Petri Crescentiensis est. Albertus vnguento ex butyro, oleo, & aloë, æquali portione permixtis, per tres dies tumorem inungi iubet. Vel, inquit, *ellycnium factũ ex lana xylina incendes, eoq; ceu cauterio plantam pedis tumentis inures.* Deinde locum, siue petra est, siue lignum, in quem Auem repositurus es, axungia veteri inunges. Interea verò carne felium, ac murium eum pasces. Sed & hircinæ carnes aceto maceratæ, ad medelam podagræ, in cibo conferunt. Earundem vsus erit, si tineæ pennas Accipitris erodant, contra quas item prodest alas aceto calido & oleo laurino subinde illinire, ac perfricare. Quod si alioquin vulnus acceperint crura, pedesue, millefolium, saxifragiam, verbenacam, & plãtaginem æquis portionibus conteri, & carni, quam esurus est, permisceri vult Albertus. Si Accipitrum pennæ inter volandum frangantur, vt aliquando contingit; sagaciſſimi aucupes sale & allio eas reficere solent; ea videlicet soliditate, quæ, vt dicunt, fit per acum, in hunc modum: vtpote secta, qua rupta fuit, penna, eaq; abiecta, simili, quam aucupes ad id præsto habent, affixa detruncatæ, inclusa tamen inter vtranque acu triseca (trigona scilicet) quam cum sale, & allio affatim illiniant, sic vtraq; conectitur, adeoq; solidè agglutinatur, vt integris ac continuatis minimè cedat, donec excrescente trunco natiua penna renascatur. Si Accipitri vnguis auulsus est à digito quopiam, non expectandum, vt renascatur, sed vulnus curandum est in hunc modum. Muris viui ventrem medium aperies, in quem etiamnum calentem pedem Accipitris inseres, ac fasciola aptè vincies. Si id non iuuat, medulla è dextra porci ungula pedem per triduũ inunges. Eadem planè ratione læsum digitorum quempiam articulum, idem Albertus restituendum monet. Accipitre spasmo, seu conuulsione flatulenta, quam Albertus barbaro, si non Germanico vocabulo Rampam, vocat, laborante in pedibus, cibum eius in succum artemisiæ intinges, & sanguine agnino, eoq; calido pedes fricabis, aut vino tepido, in quo vrticæ decoxerint, atq; vtrũq; peragere consultum erit.

Ad tineas.

Ad penarũ fractionẽ.

Ad auulsũ vnguem.

Ad spasmũ

# COGNOMINATA.

ANTIOCHVS ob insignes expeditiones, & res bello præclarè gestas, debellatis quamplurimis gentibus, cum longa victoriarum continuatione illustris, Accipitris cognomine vocari gestiebat, vt [a] Plutarchus testatur.

Antiochus cur Accipiter dictus. [a] *In Apoph thegm.*

Hierax, teste Suida, vnus fuit ex Legatis Amphipolitarum, qui Athænas miserant, vt ciuitatem, ac regionem suam Athenienſibus traderent.

Hierax legatus.

Pharaonem vocauit Accipitrem D. [b] Ioannes Chrysostomus in D. Matthęi verba hæc: *Quoties volui te congregare, sicut Gallina,* &c. scribens. *Cùm te*, inquit, *in Aegypto, quasi sanguinarius Accipiter persequebatur Pharao, misi super te Moysem, & Aaron, quasi duas mollissimas pennas misericordiæ meæ, & liberatos vos de vnguibus eius rapui in desertum, & noluisti is sequi me.* & paulò inferius. *Illi autem non quasi domestici pulli Gallinæ, quæ est Ecclesia, sed quasi syluestres pulli sanguinarij Vulturis, non solum ad veritatem duorum testamentorum, venire non acquiescunt, sed adhuc irruunt super ipsam Gallinam, id est, Ecclesiam, & diripiunt, & dispergunt pullos eius, & euellicant eam.* Plato scitè ad modum, *Causidicos, & aduocatos, qui miseros reos insatiabili rapacitate deprædantur, Accipitres pecuniæ* vocat, eodem nempe sensu, quo, vt in Vulturis historia diximus, à Cicerone, salso admodum scõmate, *Imperatores, Piso & Gabinus Vulturij paludati* vocantur, quibus latrocinium forense exercere solenne esset. Ita [c] Plautus Drodalum Lenonem conuicijs lacessens Accipitrem appellat, his verbis:

Pharao Accipiter dictus & cur. [b] *In Math. c. 27. Homil. 46.*

Causidici Accipitres dicti.

Leno Accipiter dictus. [c] *In Persa.*

——*Eho lutum Lenonium,*
*Commixtum cæno, sterquilinium publicum,*
*Impure, inhoneste, iniure, illex, labes populi*
*Pecuniæ Accipiter, auide, atq; inuide:*
*Procax, rapax, trahax, trecentis versibus*
*Tuas impuritias proloqui nemo potest.*

Magi etiam apud Aegyptios, patres nuncupant Accipitres, Aquilas & Leones, hosce nempe, qui sacris ijsdem initiantur. Omnes enim μελεμψύχωσιν credunt, & communem nobis cum reliquis animalibus naturam esse, nominum etiam communitate testantur. Locorũ item quædã nomen Accipitris præ se ferunt. Insulæ enim, teste [d] Strabone, tres paruæ in Aegypto sunt, fortasse ab Ichtyophagis nõ admodum diſſitæ, quarum vna Testudinum, vnde Chelonophagi incolæ dicuntur: altera Phocarum, tertia Accipitrũ dictæ sunt Geographis. Insuper in Oceano Occidentali, vt ex theatro mundi habetur, sunt quædam similiter Insulæ Accipitrũ dictæ, quæ

Patres qui apud Aegyptios Accipitres dicti.

Loca Accipiter dicta. Insulæ. [d] *L. 16. Geograph.*

quæ Azores etiam vocantur Hiſpanis, quia Azor illis Accipitrem ſonat; Eſt qui eas ab eſlorer, Gallico vocabulo, quod ſiccare & areſcere ſignificat, ſic dictas ſcribit, ſed perperam. A [c] Strabone item ciuitas quædam memoratur Accipitrum dicta, quòd Accipiter in ea coleretur. Ea haud longè è Thebis aberat.

[c] *Lib.* 17. Vrbs Accipitrum.

# DENOMINATA.

Hieracites lapis.

HIERACITES lapis, [a] Plinio gemma eſt, quam idem *à colore Accipitris* denominatam ait. Huius etiam meminit doctiſſimus [b] Georgius Agricola. Hieracitem inquit, *Paulus Aegineta in lapidibus rectius numerat, quàm Plinius in gemmis. Is* (ſunt verba Plinij) *alternat totus Miluinis nigricans veluti plumis. Inuenitur*, vt tradit idem Agricola, *in tractu Heldesheymio Saxoniæ, qua itur verſus occaſum in colle ultra flumen & citra, eſtq; ſimilis ſpecie, & colore Accipitrum molliorib⁹ pennis, quæ ipſis ſunt in pectore.* Interpretatur [c] idem hunc lapidem Germanica voce habichſteyn, ac ſi Accipitrum lapidem dicas. Hunc lapidem dextro femori alligatū ſanguinem per ora venarum profuſum ſiſtere dicunt. [d] Paulus Aegineta contra hæmorrhoidas valere etiam tradit. Hermolaus *eum, qui hunc lapidem geſtat, à muſcis infeſtatum iri* negat. Eſt & intybacei generis herba quædam, quæ mutuato ab Hierace vocabulo Hieracium plerumq; apud Græcos, Latinoſq;, atq; etiam fæmineo genere quibuſdam Hieracea dicitur, ea ratione, quam & ſuprà cùm de Accipitris ingenio ſermo eſſet, retulimus: Huius enim Accipiter auulſæ ſcalptæue ſucco oculos irrigans, oblinenſq; deperditam oculorum aciem in integrum reſtituit, priſtinamq; claritatem recuperat. Lactuca etiā ſylueſtris, Italis Lattuca ſeluatica dicta, teſte [e] Apuleio, quibuſdam Accipitraria nominatur. *Ex lactucis ſponte naſcentibus cenſetur, rotunda habet folia, & brcuia*, vt inquit [f] Plinius.

[a] *Lib.* 37. *c.* 10. *&* 11.
[b] *Lib.* 5. *de nat. foſſil.*
[c] *In Interpr. rer. metal.*
[d] *Lib.* 7.

Hieracium

Lactuca ſylueſtris.
[e] *In floridis.*
[f] *L.* 19. *c.* 7.

Hieracium minus.

Minus Hieracium (inquit Ornithologus) quod doctorum pleriq; hodie illud eſſe putant, quod vulgò Dens Leonis appellatur, Romani Intybum ſylueſtre appellant, vt inter nomenclaturas Dioſcoridi adiectas legitur. Ruſtici quidam apud nos Vveyenſchuuantz, id eſt, caudā Milui vocant, alij Seubluumen, id eſt, flores ſuillos, alij aliter, vt in Sueuia, Geinsblumen, dicūt quaſi florem Anſerinum, quòd illa planta Anſeribus grata ſit. Eandem hedypnoidem putant eruditi, aut ſi quid intereſt, viribus tamen & genere ſimiles ſunt. Huius florum ſcapi, inſtar lactucæ, & Hieracij Cretici, aliorumq; quorundam Hieraciorum lacteo ſucco diffracti manāt, qui cùm amarus ſit, & inſigni abſtergendi vi præditus, non mirum ſi Accipitribus affrictu oculorum caliginem diſcutiat. Quanuis fortaſſe his egrè credat quiſpiā, vt facultate frigidis, Aliud quoddam eſt Hieracij genus totum lacte turgens, ſed non amaro, verùm acerrimo, qualis Tithymalis ineſt. Vnde illud Hieracium, Tithymaloides vocare quibuſdam placuit. Hoc ſaltem egregia deterſoria vi pollere, eaq; ratione oculorum aciei prodeſſe, vt Chelidonium maius, aliaq; huiuſmodi, nemo negauerit. Ex eodem Hieraciorum genere Picris eſt, id eſt, Intybum, vel Cichorium ſylueſtre ab amaritudine dictum, quod Aelianus refert *Circum* Accipitrem *nido ſuo imponere tanquàm ad cuſtodiam pullorum aliquid conferat.*

Cauda Milui.
Hedypnois.
Qūo Hieraciū caliginē diſcutiat, & quale.
Hieracium Tithimaloides.
Picris.
Intybū, ſiue Cichorium ſylueſtre.

Dracunculus etiam Hieracium nominatur apud Dioſcoridem, fortaſſe propter caulem maculis inſignem, vt & Accipiter ſuo pectore maculoſus eſt, quemadmodum de lapide Hieracite paulò antè diximus. Et Lychnis ſylueſtris Hieracopodion, id eſt, pes Accipitris, nimirum à figura folij dicitur. Nā Lychnis coronaria alio nomine quibuſdā Ballaria, appellatur. Inuenio autem apud Varinum, & Heſychium, Balarim herbam eſſe triphyllon, id eſt, triplici folio, vt ita fortè vngues Accipitris imitetur. Alia, Accipitrinus pes, dicta herba, inquit, Hermolaus Barbarus, apud vulgus noſtrum, quæ Corneola quoq; dicitur (fortè, quòd ſiliquis quaſi Corni culis inſigniatur) folio ſalicis ferè puſillo, flore ſubluteo, ſiliquis ciceri ſimilibus. Ex geniſtarum genere eſt, & tinctoria cognominatur, quod colore rubro capillos inficere dicatur. Medici collyria quædam, ſiue medicamenta ad oculos Hieracia vocitarunt, nimirum quòd oculorum aciem ita acuant, vt ne perſpicaciſſimo quidem Accipitrum viſui inferior futura ſit. Tale eſt Apollonij Phœnix Collyrij genus apud [g] Galenum Hieracium cognominatum, vt doctioribus quibuſdam recentioribus placet, quòd ab Hierace quodam compoſitum, ab Apollonio verò in vſum aſſumptum ſit. Quam ſententiam confirmat aliud ſimile medicamentum, ibidē Hieraci aſcriptum. Fuerunt & multæ aliæ compoſitiones eiuſdem nominis apud veteres. [h] Plinius recenſet vnam his verbis: *Hieracium vocatur collyrium, quod ita maximè conſtat.* Temperatur autē idem Ammoniaci vncijs quatuor, æruginis Cypriæ duabus, atramenti ſutorij (quod chalcanthum vocant) totidem, miſyos verò unā, croci ſex. Hæc omnia trita aceto Thaſio colligūtur

Dracunculus cur Hieracium dictus.
Ballaria.
Balaris herba quæ.
Accipitrinus pes alius.
Corneola.
Collyria Hieracia dicta.
[g] *Lib.* 4. *de comp. med. ſec. locos c.* 7
[h] *L.* 34. *c.* 11.

in pilulas

in pilulas excellentis remedij contra glaucomatum initia, & ſuffuſionum, contra caligines, & ſcabricies & albugines, ac genarum vitia. Aliud à Plinij, & vtroq; Galeni Hieracio diuerſum [i] Celſus deſcribit ad ſcabrities.

[i] *Lib.6.c.6.*

Ars ipſa, quæ Accipitres domari, & ad uenatum inſtitui docet, Accipitraria dicitur. Item & mãſuefactarij, qui huic arti operam dant, Accipitrarij vocantur, vt Græcè ἱερακοτρόφοι. Ab huius Auis nomine metaphorico tropo, originem duxit quondam veteribus vſitatum verbũ, Accipitrare, quod apud Næuium legitur authore [k] Gellio, & idem ſignificabat, quod rapere, detrahere, nunc abolitum.

Accipitraria ars. Accipitrarij qui. Accipitrare.

[k] *L.19.c.7.*

# VSVS IN SACRIS.

IN ſuperſtitioſis veterum Aegyptiorum ſacris frequentem admodum Accipitris vſum fuiſſe legimus. Hunc enim cùm viuum, tùm mortuum colebant. Viuum quidem venerabantur, cùm quòd Scorpiones, Ceraſtas, aliaq; venenata animalia necaret, tùm ob plurimam, quam ei cum cæleſti igne ſeu Sole, quem pro potiſſimo numine habebant, eſſe credebãt, ſimilitudinem. Deniq; quòd ad auguria eo maximè vterentur. Vnde & certos miniſtros in Accipitrum, quos in ſacrorum vſum alebant, curam deſtinabant, teſte [a] Diodoro Siculo, vt volantibus carnes inciſas proijcerent, magnaq; voce, donec carnes caperent, inuitarent. Mortuos Accipitres colebant, quod eorum animas vaticinandi vi præditas exiſtimarent. Vnde Aelianus; Accipiter, inquit, *quoad viuit, cùm apud Aegyptios egregiè charus Deo exiſtimatur; tùm poſt exceſſum è vita, futura oſtendere, ab eodemq; ſomniorum interpretationes proficiſci perſuaſi ſunt. Atque apud eoſdem populos tripoda Accipitris aliquando fuiſſe, vnde oracula conſulentibus diuino inſtinctu afflata effunderentur, fama eſt.* Et [b] rurſus. Accipitres *Tentyritæ ſanctiſſimè colunt, & adorant propter comparationem, quam cum igne ijs eſſe affirmant. Atq; huius rei teſtimonium adferunt, quod ſimiliter atq; ignis violenti, ac veloces ſint, aquam verò cum igne exiſtere poſſe negant. Contrà Copitæ Accipitres, vt Crocodilorum hoſtes, ſæpè in crucem agunt. Hi quippe Crocodilos ob ſimilitudinem, quam cum aqua habere aſſerunt, diuino honore afficiunt.*

[a] *Lib.2.rer. antiq.cap.4*

[b] *L.10.c.24*

*Fuiſſe diuinum animal Accipitrem,* inquit [c] Euſebius Pamphilus, ubi ueterum Ethnicorum de eo opinionem copiosè proſequitur, *ab Aegyptijs habitum, inde etiam conſtare poteſt, quòd bonum illum Dæmonem, cuius beneficio ac nutu omnia ſubſiſtere, vigere atq; contineri credebant, reliqua ſerpentis imagine, caput Accipitris effingerent.* Mortuos etiam Accipitres publico exequiarũ honore proſequutos eſſe antiquos legimus. Sed hoc mirabilius, quod [d] Diodorus Siculus refert: *ſicubi*, inquiens, *vinum frumentumuè, aut aliud aliquid, victui accommodatum, vbi aliquod ſacrum animal expiraſſet, inuentum eſſet, non amplius eo vtebantur: eodemq; luctu etiam ad alia loca profecti, Aeluros, & Accipitres mortuos ad Aegypti vrbem Butrim aſportabant.* Plura ad Accipitris cultum pertinentia primo ſtatim huius operis ingreſſu, vbi de dignitate Accipitris, ex diuinis ei exhibitis honoribus potiſſimùm deprõpta diſputatur, curioſo Lectori videre licet, ne eadem ſæpiùs repetẽda ſint.

[c] *Lib.2.c.1. de præpara. Euangel.*

[d] *Lib.2.*

# AVGVRIA.

HABITOS olim in maxima veneratione Accipitres, cùm plurimas alias ob cauſas, tùm vel maximè, quòd rebus gerendis benè conſulere, bonumq; ſemper augurium adferre à ſtolida, ſuperſtitioſa, & proprio ſæpè cum damno nimis credula gentilitate crederentur, ex omnium authorum conſenſu probatur. Hos enim diuinæ voluntatis nuntios, ac interpretes, præſertim verò Apollinis, vt Aquilam Iouis, Homerus, & Porphyrius creditos fuiſſe oſtendunt. Quæ opinio adeo apud omnes inualuit, vt ab augurijs nomen traxiſſe velint Accipitrem, quaſi quod ter accepta, & nuncio lętiſſima in augurijs dicatur Auis. Sunt qui exiſtiment boni ominis nuncium eſſe, cùm ad læuam volare conſpicitur. In qua ſentẽtia fuit Ioannes Vrſinus in eo ſuo carmine, quod de Accipitre fecit, vbi etiam rationem reddit, cur Sacra Auis Græcis dicta ſit:

Accipiter vnde dict⁹
Augurij Accipitris felix ſignum.
Cur ſacra Auis dict⁹ ſit Accipiter.

*Si ſacra dicor Auis, nimirum conſulo rebus*
*In læuum vergit cum mea dextra latus.*
*Non tamen augurium, non noſtri commoda fellis*
*Aut ſeui, at prædam mollis aſote petis.*

Qua quidem in re manifeſtè [a] Homero repugnat, qui Accipitrem Telemacho ad dextram

[a] *Odyſſ.O.*

volaſſe, & lætum tamen augurium attuliſſe ſcribit, hiſce verſibus, quos Simon Lemnius Rhætus Emporicus è Græcis ſic Latinos fecit:

*Talia dicentis dextra de parte volauit*
*Accipiter Circus, volucris pennata ſub auras,*
*Acre genus raptu, & Phœbi quoq; nuntius Ales,*
*In curuo pauidam lacerabat vngue Columbam,*
*Euellens plumas, vulſaſq; ſub aëre pennas*
*In terram medias, inter tuuenemq; ratemq;*
*Fundebat retinens volucrem. Theoclymenus augur*
*Telemachum à ſocijs prensâ vocat omine dextrâ:*
*Haud equidem volucris ſine numine dextra volauit,*
*Telemache augurium agnoſco, coramq; volantem*
*Conſpexi volucrem. veſtro haud genus altius extat.*
*Quin alia haud Ithacæ magis eſt gens regia terris,*
*Quæq; magis Samijs ſceptro dominetur in vndis,*
*Quàm veſtra in populis Ithacæ. vos ergo potentes,*
*Imperio vndarum ſemper regnabitis alto.*
*Telemachus contrà prudens orditur: Amate*
*O vtinam lætum non hoc ſucceſſibus omen*
*O hoſpes, careat. &c.*

[b] *Lib. 5. c. 13. Genial. dierum.* [b] Alexander ab Alexandro *poſt Ciconias, quæ ſemper non dubiam concordiæ ſignificationem ferre* perhibentur, *proximam eſſe Accipitrum naturam*, ſcribit; *præcipuum* verò *genus, quod Circum appellant, altero pede claudum, quod fortunatum nuptijs, & pecuariæ rei opinati ſunt.* Tantum verò hanc prædicendi vim in Accipitre ualere arbitrabantur, ut etiam cum moriente, non ſolùm nõ mori, ſed in alios etiam, deuoratis eius extis, transferri poſſe crederent. Quod impius ille [c] Porphyrius aſſerere etiam nõ dubitauit, his verbis. *Qui animalium vaticinijs pollentium animas in ſe recipere volunt, deuoratis principalibus corporis eorum partibus, vt corde Ceruorum, aut Talparum, aut Accipitrum, animam quoq; ſingulorum præſentem, & ingredientem in ipſos accipiunt, & Dei inſtar futura præſentientem.* Exempla augurij ab Accipitribus deſumpti præter Homericũ illud, aliquot ſubnectere lubet. Dario Accipitres viſi, duo Vulturum paria vellicantes, omen fuere, quòd dẽ cõiuratis ſumpto ſupplicio, haud multò poſt Perſarum regno potiturus eſſet. *M. Aemilio, D. Bruto Coſſ. Didius Lælius Legatus Pompeij, cui prodigium Romæ erat factum, in lecto vxoris duo angues coſpecti, in diuerſum; lapſi, proximè Pompeio in caſtris ſedenti Accipiter ſuper caput acceſſerat, in Hiſpania aduerſus Sertorium inter pabulatores occiſus*, vt author eſt Iulius obſequens.

[c] *Lib. 2. de abſtin. ab anim.*

Darij augurij ex Accipitribus, & Vulturib. Didius Lælius occis⁹.

Manethon Aegyptius ab Accipitrum augurio Capuam vrbem olim celeberrimam, nomen accepiſſe ſcriptum reliquit, his verbis: *Oſcus, qui Tyrrhenis imperauit, inſigne ſerpentis habuit.* Sed & Seruius teſtatur, *Oſcos populos dici, apud quos plurimùm ſerpentes abundant*, quorum quidem regio nunc Campania dicitur. Nam Oſcum hunc aiunt coloniam eò tranſmiſiſſe, cùm Hetruſci in tota ferè Italia rerum potirentur, vrbemq; in ea regione longè principem ab Accipitris augurio, quem lingua Hetruſca Capym appellabant, nominaſſe: vt ſcriptores etiam alij quidã veteſtiores memoriæ prodiderunt. Licet pòſt temporis progreſſu creditum ſit, eam ita à cam-peſtribus locis nominatam eſſe. [d] Statius etiam, vt boni ex Accipitre augurij ſpem indubiam affulſiſſe innuat, ita inquit: ——*& altis*
*Deſuper Accipitres exultauêre rapinis.*

Capys Accipitrem ſignificat.

[d] *L. 3. Thebaid.*

# MYSTICA.

[a] *L. 31. Moral. c. 18.* DIVVS[a] Gregorius eum locum interpretans, vbi ita D. Iob quærit, *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcet Accipiter expandens alas ſuas ad Auſtrum?* allegoricum ſeu myſticum ſenſum his verbis explicat. *Quid eſt ergo Accipitrem in Auſtro plumeſcere, niſi quòd vnuſquiſq; ſanctorum tactus flatu Sancti Spiritus concaleſcit, & vſum vetuſtæ conuerſationis abijciens, noui hominis formam ſumit: Quod* [b] *Paulus admonet dicens: expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum. Et rurſum: Licet is, qui fortis eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diẽ. Vetuſtam autem pennam proijcere, eſt inueterata ſtudia doloſæ actionis amittere, & nouam pennam ſumere, eſt mitem, ac ſimplicem bene viuendo ſenſum tenere. Penna namq; veteris conuerſationis grauat, & pluma nouæ mutationis ſubleuat, vt ad volatum tantò leuiorem, quantò nouiorem reddat. & benè ait: Expan-*

[b] *Ad Coloſ. cap. 3.*

dis

*dit alas suas ad Austrum. Alas quippe nostras ad Austrum expandere, est per aduentum S. Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire, vt iam non libeat defendendo nos tegere, sed accusando publicare. Tunc ergo Accipiter plumescit, cùm ad Austrum alas expandit, quia tunc vnusquisq; se virtutum pennis induit, cùm S. Spiritui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim vetera fatendo non detegit, nouæ vitæ opera minimè producit. Qui nescit lugere, quod grauat, non valet proferre, quod subleuat. Ipsa namq; compunctionis vis poros cordis aperit, & plumas virtutum fundit, cumq; se studiosè mens de pigra vetustate redarguit, alacri nouitate iuuenescit.* Post pauca eodem loco: *Potest etiam per hunc Accipitrem renouata gentilitas designari, ac si beato Iob apertè diceretur: futuras virtutum plumas in gentilitate respice & uetustas superbiæ pennas amitte.* Hæc D. Grægorius Papa. [c] Glossa eius loci hunc adfert sensum. *Nunquid,* inquit, *cuilibet electo tu intelligentiam, quam non habes, ex te contulisti, ut flante sancto Spiritu, cogitationum alas expandat, & confitendo aperiat, quatenus pondera vetustæ conuersationis abijciat, & virtutum plumas in vsum noui volatus sumat?* Quasi dicat, minimè, sed diuina sapientia sola huius rei est effectrix. Et rursus. *Significat,* inquit, *Accipiter pœnitentem, cuius conuersatio renouatur per hoc, quòd expandit intellectum suum, & affectum fideliter ad amorem diuinum.* D. [d] Antonius Patauinus in hunc locum commentans hęc mystica ex eo sensa eruit, inquiens: *Accipiter hoc in loco virum iustum signi ficat. Et nota quòd Accipiter duo facit: pede capit, et non capit Auem nisi volantem. Sic vir iustus pede affectus capit & non capit bonum nisi volans. de terrenis non curat. Hic per sapientiam Dei plumescit. Plumæ Accipitris sunt puræ cogitationes viri iusti, quæ per Dei sapientiam (quæ dicitur à sapore) ordinatæ in Dei mente succrescunt. Quantum enim de Deo sapis, tantum plumescis. Quantum de ipsius saporis dulcedine sentis, tantas bonarum cogitationum plumas emittis. Et sic iste Accipiter expandit alas suas, id est, amorem & timorem diuinum ad austrum, id est ad IESVM, qui ab Austro venit, ut calorem nutritiuum emittat, & gratiam conseruatiuam in ipsas perfundat. Hæ duæ alæ dantur mulieri, idest, animæ pœnitẽti, quibus à terrenis eleuata auolet in desertum locum pœnitentiæ.* Iacobus Vitriacensis totam hanc historiam Saluatori nostro Christo allegoricè adaptat, in hæc uerba scribens: *Accipiter iste dicitur Christus, qui pennas veteres exuit, & nouas assumpsit, dum proiectis Iudæis gentes ad se conuertit. In cruce autem totus deplumatus est, vna sola pluma ei adhæsit. Latro enim, qui prius pluma fuerat Struthionis, factus est pluma Accipitris. Per sapientiam autem diuinam quotidie plumescit Accipiter iste, quia per prædicationem sanctorum nouas plumas acquirit, donec omnibus plumis in fine sibi adhærentibus Auis pulcherrimâ circundata varietate prædam suam offerat Deo patri. Hic autem Accipiter nouem mensibus fuit in mutatorio vteri virginalis* (Mutatorium vocat locum vndiquaque probè occlusum ac tepidum, ædiculam, siue caueam, in quam manuefactarij, Accipitres plumarum senectam deposituros, seponunt) *super virga rectissima* (conto) *virga de radice Iesse: exiens autem ab eo multam prædam cepit, & tandem in die ascentionis in cælum auolauit. Alas autem ad Austrum expandit, dum diligentibus sensum aperit, vt intelligerent scripturas. Duo enim testamenta dicuntur alæ Christi, de quibus dicitur: sub umbra alarum tuarũ sperabo, donec transeat iniquitas. Nos autem ad austrum Spiritus sancti alas cogitationum expandamus, vt nouas virtutum pennas abiecta uetusta iniquitate assumamus.* Hactenus Iacobus de vitriaco. Alicubi verò Accipiter eos denotat, ut ait [e] Hieronymus Lauretus, qui alijs insidias moliuntur, & cædes meditantur assiduè: inquit autem: *Accipitres significant homines, qui sæpè prauis & damnatis artibus Dæmonum ministerio vtuntur ad sua explenda carnalia desiderta.* Nam Accipitres solent auxiliari alijs hominibus in uenatu & insidijs aliarum Auiũ. Ipsi autem nullam nõ Auiũ infirmiorum inuadunt. Quos homines vt displicere sibi Deus significaret, eius Auis esum eo loci prohibuit. Hic quidem intellectus simplex & sanus mihi videtur. Quem verò Glossa adfert huic nostræ tempestati, qua Accipitraria venatio vbique vsitata est, accomodatior videri potest, minimè autem Mosis seculo, quo quidem, ut suo loco dictum est, nullum adhuc in feris capiendis homini obsequium præbebant Accipitres. Vnde eam tunc fuisse scripturę mentem, aptè dicere non possumus. Verba autem [f] Glossæ sunt istæc: *Accipiter inter rapaces est Aues, sed mansuescit, & rapinam cum hominibus operatur. Hunc imitantur, qui mansueti videntur, sed eam potentibus & auaris atque rapacibus rapere nituntur.* Et [g] alibi: *Accipiter deseruit ad Auium prædam; & ideò significat illos, qui raptoribus præbent ministerium.* Hæc Glossa.

[c] *Tom. 3. c. 39. Iobi.*

[d] *Dom. 1. Quadrag. ser. 2.*

Christo Accipitri assimilatus.

[e] *Sil. alleg. ex Deut. 14.*

[f] *Leuit. c. 11.*

[g] *in moralib. eiusdem capitis Glos sa.*

Potest etiam Accipiter simili ratione infernalem illum raptorem denotare. Quemadmodum enim Accipitres captæ prædę ante omnia oculos eruunt, deinde lacerant, & occidunt: ita Dæmon, ubi hominem deceptũ diripere parat, primũ excæcare, & oculos omnis boni propositi configere, aureſq; ne audiat verbum Dei, obturare, & linguam, ne peccasse confiteatur, excindere nititur, deinde eum laniat atque æternum illi ita exitium machinatur. Quemadmodum etiam duo sunt Accipitrum genera, nobile scilicet, & ignobile, illud certè Aues non caperet, nisi in altum elatum esset; hoc verò, nisi in terra. Columba autem vtrumq; genus agnoscens, vt primum vidit, in terram; vbi aliud, statim in altum auolat. Sic etiam Diabolus aliquos rapit in alto, hoc est, in statu prosperitatis, & aliquos in terra, hoc est in aduersita-

tibus. Columba autem vtrunque Accipitrum genus cognoſcens ſignificat iuſtos, & ſimplices, qui felle peccati carent. Hæc Columba duas alas habet, ſcilicet humilitatem & patientiam. Quando ergo iuſtus videt Accipitrem diabolum velle ſe rapere in alto, hoc eſt in proſperitate, tunc vti debet ala humilitatis, proſperis non ſe exaltando, ſed ex hoc ſe magis Deo debere cognoſcẽdo. Cùm verò videt eundem ſe opprimere in terra velle ſeu paupertate, tunc volabit in altum per alam patientiæ, & ſpei, rectè credendo patientiam viam ad Chriſtum eſſe. Rectè quoque Iobum Columbam inter Accipitres vocabat D. [h] Chryſoſtomus, vt ouem inter Lupos &c. Præterea quemadmodum ad ſolis radios ſolet Accipiter pennarum vitia dirigendo componere. Sic ad Chriſtum Dom. acceſſurum, oportet omnem improbitatem & affectus impios exuere, & nouo veſtitu, ac renouatione vitæ ſuperindui.

[h] *Homil. 2. de patientia Iob.*

# MORALIA.

Accipitribus q̃ comparentur.

[a] *L. 8. Ep. 3*

[a] CASSIODORVS Accipitris naturam ad humanos mores comparat his verbis: *Quod animoſi Accipitres, & ſupra omnes alites acutiùs intuentes, volatus ſolitarios concupiſcunt, quia rapaces inſidiæ innoxia conuenticula non requirunt. Ambiunt enim aliquid ſoli agere, qui prædam cum alio non deſiderant inuenire. Sic mortalium voluntas plerumq; deteſtabilis eſt, quæ conſpectum hominum probatur effugere, nec poteſt de illo aliquid veraciter credi, cuius vitæ teſtis non poteſt inueniri.* Di-

[b] *In Perſa.*

uus Auguſtinus Accipitres pecuniæ eos vocat, qui aliena quærunt, in quo [b] Plautum imitatus eſt, qui auaros Lenones eodem nomine appellauit, ut ſuprà ex eo in cognominatis oſtendimus.

[c] *Cant. 21. Stanz. 63.*

Nec inconcinnè quoque noſter [c] Arioſtus medicũ, qui ob promiſſam à Gabrina illa ſceleſtiſſima uetula, ingentem pecuniæ uim, Filandrum veneno exhibito è medio tollebat, Accipitri comparauit, dicens:

*Come Sparuier, che nel piede grifagno*
*Tenga la ſtarna, e ſia per trarne paſto,*
*Dal can, che ſi tenea fido compagno,*
*Ingordamente è ſopragiunto, e guaſto.*
*Coſi il Medico, intento al rio guadagno,*
*Donde ſperaua aiuto, hebbe contraſto,*
*Odi di ſomma audacia eſſempio raro,*
*E coſi auenga à ciaſcun altro auaro.*

[d] *Lib. 7.*

De Callicratis & Menalcidæ perfidia, impoſturaq; antiquiſſimũ carmen legitur apud [d] Pauſaniam, quòd latinè redditum ſic ſonat:

*Et ignis eſt alio magis, qui urat igne,*
*Lupisq; ſæuior Lupis eſt alijs,*
*Accipiter ocius Accipitre volat,*
*Si Callicratem ipſum immaniorem ante alios*
*Superauit perfidia Menalcidas.*

Hominem enim omnium nequiſſimum Callicratem, perfidia qui ſuperaret, Menalcidas eſt inuentus. De ducum horum hiſtoria conſule Pauſaniam, quam ſi ad moralem doctrinam placet reducere, ſignificabit neminem adeo verſipellem eſſe, cui non ab alio imponi poſſit.

# HIEROGLYPHICA.

Accipiter animi hieroglyphicũ & cur.

ANIMVM humanum, quo nihil pulchrius, nihil ſublimius, nihil præſtantius in hoc mundo eſt, cùm ad contemplationem rerum diuinarum ſe extollentẽ oſtendere uellent Aegyptij, Accipitrem recta ſurſum volantem, ita vt æthera captare videretur, pingere conſueuerunt. Cętera enim volatilia, ſi uolatum arripiunt in ſublime, obliquo tractu curuatiſq; ſpacijs ferri coguntur; neq; enim recta curſum poſſunt intendere. Solus autem Accipiter recto meatu volat. Contrà uerò, ſi animum à ſublimium conſideratione ad hæc inferiora ſeſe dimittentẽ, ut quas ibi conſpexerit ideas, in centro hoc recognoſcat, neq; à recto itinere quicquam aberrabat, ijdem uellent indicare, tum Accipitrem identidem deorſum ad terram tendentem effingebant. Plato animæ alas attribuit, ſingulares illius motus, quaſi uolatus ſignificans: ad quos duo Accipitris

cipitris uolatus commodè referri possunt, sublimis ad cælestium, humilis uerò ad terrestrium rerum considerationem, atq; ita in Hieroglyphicis depictum Accipitrem, uel sursum, uel deorsum uolantem, interpretaberis. Animæ etiam sedem Aegyptij sacerdotes per Accipitrem intelligi uoluêre. Baieth enim apud eos idem est, quod apud Græcos ἱέραξ, & apud Latinos Accipiter. Aegyptiaca elementa illa, si in syllabis diuidantur, Bai, per se animam, Eth cor significat. Vtebantur illi libenter huiusmodi compositis uocibus, cùm uel ipsam rei originem naturamq;, aut quid simile significare uellent. Quod & apud Hæbreos frequentissimum est, qui uerbi gratia, quo uocabulo cælum nominant, idem constare ex aqua & aëre docent: & cùm Adam dicunt, & crassam, qua compacti sumus, terræ materiam, & insitam simul mentē ostendunt. Mentem enim terræ applicatam, id nominis significare ostendit Philo. Sed iam quid cō mercij anima cum ipso corde habeat, uideamus. Aegyptiorum opinio fuit, cor esse animæ receptaculum. Ex compositione duarum illarum syllabarum, Bai & Eth, in unam dictionem fit uox Baieth, quæ Accipitrem significat; Ergo ut animæ sedem in corde esse docerent, Auem illam pingebant Aegyptij tantùm, sed & Stoici animam in corde potissimùm statuerunt. Sentiendi enim uires omnes ad sensum, quem ex re ipsa communem uocamus, ubi flumina ad mare, confluunt. *Hic* autē, si [a] Aristoteli credimus, *in corde est*. Neque absurdè dixerimus ab eo mari, quinque corporis sensus, quasi quinque maria mediterranea diffundi in corporis continentem, quæ manifesta [b] Platonis fuit sentētia. Quod uerò de animo paulò antè dicebamus cum Accipitre comparatum, imò alitem ipsam pictam congruum illius esse symbolum, tum subit in mentem Zoroastris dictum, *alatum* nempe *esse animum* (quod apud Platonem latissimè disseritur) *decidentibusq; alis præcipitem in corpus ferri, illisq; mox rursum succrescentibus ad superos euolare*. Sed percontantibus eum discipulis, *quo pacto alis benè plumantibus animos volucres sortiri possent: Irrigetis*, inquit, *alas aquis vitæ*. Iterum sciscitantibus *vnde has aquas peterent*, sic per parabolam, qui erat hominis mos, respondit: *Quatuor amnibus Paradysus Dei alluitur, & irrigatur, indētidem vobis salutares aquas haurietis*. Qui sciuerit uerò quispiam, qui nam hi fluuij sint; ut si Accipitrem suum quis mersare ibi uelit, eos inueniat? D. [c] Ambrosius per quatuor flumina Paradysi intelligit *totidem Initia uirtutum*, nempe *Prudentiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, Iustitiæ: & fons* ait, paulò superius, *est sapientia*; ex quo cętera omnia deriuantur. Nam in diuinis literis fons passim accipitur pro sapientia, ad quem accedere sitientes admonemur. Vbi verò Plato in alarum, quas animæ tribuit, mentionem incidit, per eas naturalem eam *intelligentiam* capit, *quæ*, ut inquit Alcinous, *est intellectio quædam in anima, quæ corpori sit applicata*, non ea quæ animo à corpore soluto conuenit. Ea igitur, cùm labem à corpore contraxerit, nunquam sese humo tollere poterit, nisi fluminibus acceptam maculam eluerit. Quoniam verò sunt, qui duram esse hanc metaphoram contendunt, itaque Gangem, Nilum, Euphratem, & Tigrim (ea enim fluminibus nomina faciunt) quatuor illis uirtutibus, quæ omnem in hominum uita principatum obtinent, respondere asserunt. Ex his itaque aquis implumis Accipiter noster lustrari poterit, atque identidem ita plumescere, easq; alas emittere, & non supra nubes tantùm, quod faciunt Grues, verùm etiam supra omnes cælorum orbes sese efferre, pariq; cum Aquila honore acceptus, in ipsius Iouis gremium euolare. Habet præterea similitudinē Accipiter cum anima, quòd ab aquæ potu abstinere credatur, & solo sanguinis suctu sitim leuet, quo uno & anima ipsa nutriri quodammodo videtur. Ideo, uetere illo instituto, libaminibus, quæ pro anima parabantur, sanguis admiscebatur, & [d] Moyses sanguinem hostiarum pro anima esse monet, uetatq; nos animam comedere cum carnibus. Passim etiam in [e] Leuitico admonemur, ut à sangui ne abstineamus: quia uniuscuiusq; carnis anima sit in sanguine. Sed præcipuè Deus exitium cuilibet, tam ex domo Israëlis, quàm etiam hospitibus & peregrinis, qui apud eos diuertissent, habitarentq; minatur, qui sanguine uesci ausi fuerint, quem ea de causa datum eis asseuerat, ut super altari per eum animas suas expiarēt, essetq; ita sanguis animæ litatio, dum funderetur per altaris circuitum, & quod residuum esset, terra operiretur. Quod uerò dictum; uniuscuiusque animam in sanguine eius esse, nequaquam intelligendum est, *substantiam animæ esse sanguinem*, ait Hesychius, sed quòd *societatem cum carne per sanguinem habeat*. Vnde quidam, sanguinem, animę uehiculū appellarunt. Emissus enim ubi frigere cœpit, corpus uita dissoluitur, animaq; auolat. Eà de causa Aegyptij, si sanguinem significare uoluissent, Accipitris imaginem effingebant. Multorum sanè opinio fuit animam esse sanguinem, siue ut Empedocles arbitrabatur, in sanguine. Hinc illud apud poëtas: *Purpuream ille animam*. et: *vitam cum sanguine fudit*. & alia huiusmodi. Sed quantum ad hos pertinet, qui sanguinem animę commiscent, ego non ita fuerim impius, ut non profitear, de brutorum anima hoc tantùm intelligendum esse, de quibus in Genesi scriptum est: *Anima ipsius in sanguine est*, cùm in homine tantùm ex animalibus, anima per se uitalis sit, suaq; se contineat immortalitate. & quamuis Salomon pro concione tertia, unūq;

Baieth qd. Bai. Eth.

Adam qd significet.

Aegyptiorum opinio de Animæ loco.

[a] *L. de somno, & vig.*

[b] *In Theæteto.*

Animus alatus.

Paradisi flum. quatuor quæ.

[c] *To. 1. de Parad. c. 3.*

Fons ꝑ sapientia.

Intelligētia naturalis.

Cur cū aīa similitudo Accipitri.

Sanguinis vsus in litationibus.

[d] *Deut. 12.*

Sanguine vesci cur ꝓhibitū.

[e] *Cap. 14.*

Animā in sanguine esse quo intelligendū.

Accipiter pro sangui ne pictus.

eundemq; interitum hominis,& iumentorum, & æquam vtroruńq; conditionem, ex impiorum opinione poſuerit,ex ſua tamen ſententia,corpus ad terram reuerti,ſpiritu uerò ad eum, qui dederat, aſſeuerat. Illud uerò comercij cordi eſt cum ſanguine, ut ex Philoſophorum obſeruatione compertum eſt,quod ex ijs omnibus cõſtet,quibus & ſanguis.Litem uerò eam,qua Ariſtotelici ſanguinem à corde, Medici uerò ab hepate proficiſci, in eoq; naſci aſſerunt, non eſt huius loci,nec inſtituti examinare.

Victoriæ hieroglyphicũ Accipiter.

Denique propter eas dotes quas huic aliti natura, ſupra aliorum volatilium conditionem largita eſt, factum eſt, vt in vniuerſum eſſet excellentiæ, & præcipuè victoriæ hieroglyphicũ. Nam reliquas omnino volucres volatu antecellit. Neque fruſtra Theoclymenus apud Homerũ, obſeruato Accipitris auſpicio, Telemachum benè ſperare iubet, eiuſq; genus in Ithaca ſupra reliquorum omnium gloriam potẽs, celebre, & illuſtre futurum pollicetur.Ea ſanè Accipitris prærogatiua eſt, vt agilitatis in volando principatum obtineat,ab eoq; deſumãtur præclara illa alarum inſignia, quæcunq; in huiuſmodi gloriæ ſignificatum deueniunt. Hinc victoriæ Hieroglyphicum paſſim in numis, & monumentis alatum eſt, quod victoriæ partæ fama ſeſe ſtatim humo tollit,& gloriam amplexa, perq; ſummum æthera latè volitãs, perq; immenſos terrarum tractus expatiata, impedimenta omnia agilitate ſua diſſipet. Hinc ipſi numi victoriati dicti, quibus Druſus in Tribunatu plebis octauam æris partem argento miſcuit. Eſt & illud victoriæ ſignificatum hieroglyphicum,quod in antiqua columna Viterbij ſpectatur,duo ſcilicet Accipitres ex diuerſo aduolantes; per quos,vt nonnulli tradunt, Herculis ab alpibus; & Oſiridis à Brunduſio motus in Gigantes, necnon victoria deſcribitur. Neq; verò ſolùm ea de cauſa,quòd volatu præſtet, vel quòd alæ victoriæ attribuantur, ales ea victoriæ ſymbolum eſt; veràm ob id etiam, quòd eius pugna tam artificioſa ſit, eaq; verſutia peragatur, vt hoſtis quomodocunq; reluctans neceſſariò ſuperetur, vti ſuo loco de pugna eius relatum eſt. Septẽ item Accipitres, qui inſectabantur Vulturẽ, ſignum hieroglyphicũ erant victoriæ illius, quam ſeptẽ illi viri,qui Smerdis in Magorum exitiũ coniurauerant,aſſecuti ſunt,votiq; cõpotes facti, patriam ab illegitimo Rege liberarunt. Ille ſiquidem regnum ſibi nullis natalibus comparauerat, veluti Vultur non ex legitimo conceptu,ſed patre generatur,vt aiunt,vẽto. [f] Diodorus per Accipitrem volantem, per quem,vt diximus,alij victoriam interpretantur, celeritatem ſignificari tradit,propterea quòd in volatu ſit omnium volucrum velociſsima. Ad hęc Accipiter paſſis alis figuratus, elementum aëris indicat apud Aegyptios ſacerdotes. Vt & alæ Auium ſingulæ per ſe,quòd ſcilicet aër ſolis Auibus proprius ſit, perinde ac aqua piſcibus; & terra alijs animantibus. Sunt qui ventos ea ſpecie ſignificari tradant. Ventus autem nihil aliud eſt,quàm incitatus,& fluens aër. Triclinius apud Pindarum Pelopis ἵππους ὑποπτεροις, velociſſimos exponit. Sunt qui cæleſtium corporum cœtum hinc interpretentur. Nam quæ ſidera ſuper horizontem attoluntur, volucrium in modum ſurgere,& per immenſum inane ferri videntur.Sed & alia multa præterea ſignificata hieroglyphica apud Aegyptios habuit Accipiter. Inter quæ præcipuum erat Solis, cui cùm ob eximium viſus ſplendorem, ac clariſſimam aciem, quæ ad illius quidem aduerſos radios non conniuet, tùm propter motus velocitatem, viuacitatem, ac fæcunditatem maximam,peculiares ſoli dotes,ſacer credebatur. Ignis quoq; typum ob violentiam,& quam dixi perniciſſimam volandi vim, gerebat. Sed & Venerem deſignabat, propter nimiam ſalacitatem. Ijdem Aegyptij, totius orbis molem demonſtrantes, inter circulũ aëreũ, & igneum ſerpentis effigiem cum capite Accipitris circunducebant, vt eſſet inſtar Græcæ literę Θ, quæ Thita dicitur. Per circulum enim, magnitudinem & formam totius orbis intelligebant: per anguem verò,qui medium interſecat, bonum Dæmonem,cuius beneficio omnia vigeant, alantur,ac conſeruentur. Sed & Lunæ ſymbolum fuit olim homo Accipitris facie, lãceam habens, qui,vt tradit [g] Plutarchus, typhona mõſtrum, hippopotamo ſimile,interficeret. Hoc ſimulachrum candido colore fingebatur; quod is color ab alio Lunam mutuari lumen ſuum ſignificet, nempe à Sole, cuius Accipiter ſymbolum eſſe ſuprà docuimus. Serpentẽ etiã pingebant Accipitrino capite,ut felicem populi genium ſignificarent.

Victoriæ hieroglyphicũ cur alatũ depingatur.

Numi victoriati.

Accipitres duo Viterbij in colũna ãtiqua.

Herculis et Oſiridis victoria de Gigãtibus.

Septẽ Accipitres Vulturem inſectantes.

[f] *Lib.2.c.4.*

Celeritatis hieroglyphicum.

Aëris hieroglyphicũ.

Ventorum Hieroglyphicum.

Equi veloces.

Cæleſtia corpora Accipitribus aſſimilata.

Solis hieroglyphicũ, & cur.

Ignis typ⁹.

Veneris typus.

Lunę ſymbolum.

[g] *L.de Oſyride.*

Felix genius.

# APOLOGI.

SYMBOLIS hiſce hieroglyphicis Apologi iure ſubnectendi veniunt, quòd morales ſententias ſuo fabuloſo inuolucro contegant, atq; artificioſo amænoq; commento, animantes, à quibus plura virtutis documenta haberi poſſunt, homini,quaſi magiſtras faciant. Talis eſt ille [a] Heſiodi.

Νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρίω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς.
Ὡδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον,

[a] *Lib. 1. de die & opera.*

Τὴν μὰλ'

Υ̓ψιμάλ' ἐν νεφέεσι φέρων, ἀνύχεσι μεμαρπώς.
Ηδ' ἐλεὸν, γναμπτοῖσι πεπαρμένη ἀμφ' ὀνύχεσι,
Μύρετο. τὴν δ' ὀγ' ἐπικρατέως πρὸς μῦθον ἔειπε,
Δαιμονίη, τί τέλλαι; ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.
Τῆδ' εἶς ἣ σ' ἂν ἐγὼ περάγω καμ' ἀοιδὸν ἐοῦσαν.
Δεῖπνον δ' αὖτ' ἐθέλω ποιήσομαι ἠὲ μεθήσω.
Αφρων δ' ὅς τ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.
Νίκης τε στέρεται, πρὸς τ' ἄιχεσιν ἄλγεα πάσχει.
Ως ἔφατ' ὠκυπέτης ἱρηξ ταυσίπτερος ὄρνις.
Ω Πέρση, σύ δ' ἄκουε δίκης, μηδ' ὕβριν ὄφελλε.
Υ̓βρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ. οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς
Ρηϊδί ὡς φερέμεν δυνάται, βαρύθει δέ θ' ὑπ' αὐτῆς,
Εγκύρσας ἄτῃσιν. id est:

*Sed nunc fabulam regibus dicam, tametsi ipsa sapiant.*
*Sic Accipiter affatus est Lusciniam canoram.*
*Altè in nubibus ferens vnguibus correptam:*
*Illa verò miserè, curuis confixa vnguibus,*
*Lugebat. eam autem imperioso ille sermone allocutus est,*
*Infelix, quid strepis? habet certè te multo fortior:*
*Hâc vadis, quâ te duco etiam cantatricem existentem.*
*Cœnam verò, si quidem libet, faciam, vel dimittam:*
*Imprudens verò, quicunq; velit cũ potentioribus contendere:*
*Victoriâq; priuatur, adq; pudorem dolores patitur:*
*Sic ait velox Accipiter, latis alis prædita Auis.*
*O Perſa, tu verò audi iustitiam, neque iniuriam foue.*
*Iniuria enim pernitiosa est misero homini, neq; bonus quidem*
*Facile ferre potest, grauaturq; ab ipsa,*
*Illapsus damnis.*

De ijsdem Aesopus Phrygius hunc refert Apologum.

*Philomela super arbore sedens de more canebat. Accipiter autem videns, ac cibi indigens volando corripuit. Quæ cùm occidenda foret, orabat Accipitrem, ne deuoraretur. Neq; enim satis esse ad Accipitris ventrem implendum, sed oportere ipsum cibo egentem ad maiores Aues conuerti. At Accipiter suscipiens, ait; sed ego certè demens essem, si qui in manibus paratus est, cibo dimisso, quæ non videntur, persequar.*

Fabula significat; pleroſque homines eodem modo inconsultè, ac stultè agere, qui spem, vt dici solet, pretio emunt, id est, spe maiorum incertorum, fortunam præsentem, seu emolumẽta, quæ indubitata tenent, è manibus sinunt elabi.

Alius de Philomela, & Accipitre Apologus.

*Dum Philomena sedet, studium mouet oris amœni,*
*Sic sibi, sic nido visa placere suo.*
*Impetit Accipiter nidum, pro pignore mater*
*Supplicat. Ille autem: plus prece carmen amo:*
*Nec prece, nec pretio, sed amœno flectere cantu*
*Me potes. Ille silet: Dulcius illa canit.*
*Mente gemit, licet ore canat, corq; eius anhelat,*
*Cuius mellifluum manat ab ore melos;*
*Impia fatur Auis, sordet modus iste canendi,*
*Et laniat natos matre vidente sua.*
*Mater obit, nec obire potest, sed vincit, vt ipsam*
*Vincat vita necem, plus nece cladis habens.*
*Cor patitur matris, plus nati corpore, corpus*
*Rodit Auis rostro; cor fodit ense dolor.*
*Vestigat sua damna scelus: Nam fraudibus vso;*
*Aucupe fraudosam viscus inescat Auem.*
*Fine malo claudi mala vita meretur iniqui,*
*Qua capit insontes, se dolet arte capi.*

Docet hic Apologus ei, qui alijs insidiatur, esse cauendum, ne ipse vicissim ab alijs capiatur.

Alius Apologus de Accipitre & Columbis:

*Accipitrem Milui pulsurum bella, Columbæ*
*Accipiunt Regem, Rex magis hoste nocet:*

*Incipiunt*

*Incipiunt de Rege queri, quòd ſanius eſſet,*
*Milui bella pati, quàm ſine matre mori.*
*Quicquid agas prudenter agas, & reſpice finem:*
*Ferre minora volo, ne grauiora feram.*

# VSVS IN CIBIS.

TAMETSI lege Leuitici interdictum fuerit Hæbreis, Auium rapacium & præſertim Accipitris carnes menſis apponere, propterea quòd eſſet animal verè ſordidum, ac rapax ſanguinariumq; : nos tamen non faſtu illo Hebraico metimur innocentiam, ſed Chriſti mandata, quæ in ſacro Euangelio, & ſanctorum Patrum monumentis ſcripta legimus, ea ſola obſeruanda ducimus, exiſtimantes animantium harum aut illarum carnes minimè poſſe animam afficere, ſed quæ præter modum, & citra temporis ullam rationem deuorantur. Alioquin cùm vel ipſo [a] Ariſtotele teſte, *Pulli Accipitrum ſuaues valdè, pinguesq; efficiantur*, & iuxta [b] Albertum: *Caro Accipitris dulcis & leuis eſt, propter bonum nutrimentum*, ſcilicet quo alitur, itaq; minimè in cibis damnandus videtur, neque ſanitatis offendendæ metu eius eſus vitandus eſt. Buteo verò inter Accipitres præ ceteris commẽdatur, ut guſtui ſuauis admodum, nec inſalubris.

[a] *L. 6. Hiſt. cap. 7.*
*L. 23. de Animal.*

# VSVS IN MEDICINA.

IN uſum Medicum aſſumitur Accipiter quandoque totus, quandoq; eius partes, pro affectuum uario diſcrimine. Totus quidam aſſus & cibi loco ſumptus *morbum ſacrum*, ſi modo Kiranidi credimus, curat. Integer item in *roſaceo elixus ad omnium oculorum vitia iungitur efficaciſſimè*, ut Plinius uult, aut ut Sex. Empyricus, *in vnguento ſuſino*. Ad ſanandam oculorum hebetudinem, quidam *viuum deplumari; & in eodem oleo decoqui iubent, donec ab oſſibus caro diſſoluta decidat*, eiuſque *iure colato oculos inungi*. *Carnes pullorum, Accipitrum*, inquit Rabbi Moyſes *animum corroborant, melancholiæ & perturbationi mentis reſiſtunt*. Olim ſuperſtitio erat, in morbis ab arte parum ſanabilibus, ex quibus etiam quartanę ſunt, puluerem, in quo ſe uolutaſſet Accipiter, lino rutilo decumbentis collo alligari. Adeps Accipitris in oleo tritus oculis eo inunctis caliginem depellere traditur Aeſculapio, & iuncturis utiliſſimus Ioanni Vrſino. Fabulam ſapit quod Kiranides ſuo more de oculis ſcribit, nempe à collo ſuſpenſos tertianam fugare. De roſtro dicunt, ſi coniungatur oliui decocto, hyſtericas duritias emollire. Obſcurus quidam autor ad quaſuis malas corporis affectiones huiuſmodi medicamentum è uentriculo præſcribit, *Accipitris ventriculum tribus diebus, & noctibus merò maceratum conteres, & cum tribus cochlearibus ſucci fœniculi ac mellis permiſcebis, & ſub ſomnum propinabis*. Fella Accipitrum, quemadmodũ & Aquilarum ualdè acria ſunt, ut Galenus apertè docet: quinetiam erodunt, quod uel colore ſuo eruginoſo ac uiridi teſtantur, qui tamen niger interdũ in eis eſt, unde abſterſione ſua oculis prodeſſe quidam ſcribunt. Eandem Plinius uim *ſimo* tribuens, *Accipitris*, inquit, *ſimi cinis cum melle Attico laudatur ad inunctiones omnium in oculis vitiorum*. Idem cum uino pro antidoto datur contra morſum ſtellionis. Apud [b] Hippocratem extat medicamẽtum ad cõceptum adiuuandum efficax, huiuſmodi, *Si verò*, inquit, *os uteri concluſum fuerit, fici ſuccum apponat, donec fuerit apertum, & ſtatim aqua eluat. Cæterùm Accipitris ſtercus in uino dulci terat, & ieiuna bibat, & tunc cum viro concumbat*. Plinius quoque, *ſimum*, ait, *Accipitris in mulſo potum videtur fœcundas facere*.

Ad morbũ ſacrum.
Ad oculorum vitia.
Carniũ vires.
[a] *In Aphor.*
Ad morb. deſperatos.
Ad Quartanam.
Adeps ad caliginem.
Ad iũcturas.
Oculi ad terrianam.
Roſtrũ ad hyſtericas duritias.
Ad quaſuis affectiones.
Vẽtriculus.
Fel.
Ad oculos.
Fimus ad culos.
Con. Stellionis morſum.
[b] *De morb. mulier.*
Ad Fœcũd.
[c] *In Breu. ſuo.*
[d] *In Sintaxi medic.*

[c] Arnoldus Villanouanus ſuffitum deſcribit, qui fœtum uiuum uel mortuũ educit, huiuſmodi: *Spolium ſerpentis, opoponax, myrrha, galbanum, caſtoreum, ſulfur citrinum, rubia, ſtercus Columbinum, uel Accipitris*: Hæc omnia, uel quædam eorum trita felle uaccino excipiantur, & fumus inde per fiſtulam, in uterum recipiatur. Item ad partum promouendum [d] Vueckerus talem præſcribit medicamenti formulam:

℞. *Fimi Accipitris* ʒ. i.
*Cinamomi*, *Caſſiæ* ana, gra. vij.
*Croci* gra. iij.
Miſce cum vino albo modico.

# VSVS IN VENATIONE.

EX multis commodis, quæ Accipiter præstat, nullum magis fructuosum est, quàm quod eius aucupio capitur. Non enim Aues solùm omnis generis cibo laudatas, sed quadrupedes etiam minores, ut lepores, & huiusmodi cupedias alias, quæ heri sui mensam diuite penu instruunt, venatur. Cùm autem satis superq; suo loco de ratione domandi Accipitris, & de uenatione eius opera peragenda tractatum sit, itaque hîc longior non ero, adiecto hoc tantùm ex [a] Pictorio versiculo, quo Accipiter ita loquitur: Quæ Animalia capiat.

*Nil curas, cæcos quod stercus curat ocellos.*
*Dummodo sit patinis præda potita tuis.*

[a] *In Pantopolio.*

Quin & aucupes, ac mercatores quamplurimi haud exiguũ ex his captis, venditisq; quæstum faciunt, maximè verò ex illis, qui venationem edocti sunt; quos singulos nonnunquam quingentis aureis uenisse constat: [b] Ferdinandus Cortesius scribit *in Themistitana vrbe mercatum locupletissimum cogi penè quotidiè, ubi inter cætera Aues omnis generis uenales exponuntur, & inter has plurimi Accipitres, Falcones, & Tinnunculi, qui illis regionibus frequentes capiuntur.* Accipitris præterea hęc est prerogatiua, teste [c] Paradino, vt si aucupatricibus alijs Auibus fuerit associatus, eas omnes etiam multò se maiores, ab omni, cui alioquin abnoxiæ futuræ essent, vectigali liberet.

[b] *Li. 2. rer. Indic.*

[c] *In Symb.*

# ICONES. PICTVRÆ.

AELIANVS author est *solitos esse Aegyptios coronare Isidis statuam pennis Accipitrum in signum excellentiæ.* Nam Accipiter inter Aues ut iam sæpius dictum, summo honore ab ipsis afficiebatur. Regis Persarum vestem purpuream, Accipitribus aureis pictis distinctam fuisse legimus. Neque præter rem esse puto ponere, quod *in quodam Canone Imperialium militiarum apud Maffæos Romæ se vidisse* [a] Pierius scribit, *militarem ordinem fuisse, qui Accipitrem luteum in parma identidem lutea gestabant. Erant hi qui sagittarij venatores nuncupabantur, qui sub Magistro peditum stipendia faciebant. Sed & alius ordo Launi nuncupati, insigne idem Accipitris lutei in parma itidem lutea gestabant, & sub eodẽ magistro peditum merebant, eo tamen discrimine, quod sagittariorum Accipiter caput in alam læuam vertebat, Launorum in dextram.* Diuitenses, Gallicana legio Diuitensi munimento, quod è regione Coloniæ Agrippinę in Ducatu Bergensi situm est, in Rheni ripa, pro præsidio imposita, cæruleum Accipitrem habebant in insigni, colore tamen dilutiore. Verùm illud in primis obseruãdum est, ne qui semper in aëre ferè degit, ita pingatur, vt in aqua degere videatur, quod naturę Auis omnino refragatur. Neq; probandus est ordo insignium Domini de Foleto in comitatu Pinctauiensi, in quibus Accipiter Lilij floribus insidere conspicitur. Nam & hoc etsi aliquo pacto naturæ limites non excedat, fieri tamen non potest, vt Accipitrem ferant fragiles, ac caduci flores, de qua re vide [b] Bartholum.

Isidis stat. coronata. Regis Persarũ vestis.

[a] *L. 21. Hieroglyp. Sagittarij venatores qui. Launi qui. Diuitenses qui.*

[b] *In dig. tractat. de armis Col. 8.*

# FABVLOSA.

QVI Accipitrem fabulis inuoluunt, Apollinem sæpius in hanc alitem sese trãsmutasse comminiscuntur, quemadmodum & aliàs eum nunc Lacerti, nunc Leonis, nunc Draconis habitum iuduisse fingiũt. Vnde hunc Deum Phæbũ quo nomine Solem intelligebant, & venerabantur, & Accipitrem nonnunquam vocabant, & hinc ob maximam naturæ Accipitrinę cum Sole similitudinem Apollinis præcipuum nuncium, eiusq; voluntatis interpretem poëtæ eam Auem habitam fabulantur. Vnde [a] Ouidius de Arachne puella cum Minerua de lanificio certante, ita canit: Apollo.

[a] *L. 6. Metamorph.*

—— *Est illic agrestis imagine Phœbus*
*Vtq; modò Accipitris pennas, modò terga Leonis*
*Gesserit. &c.*

In hanc Auem conuersum fuisse Dædalionem nugantur poëtæ. fuit autem Dædalion, vt illi fingunt, Luciferi filius, Ceicis Regis Trachiniæ frater, qui Chionem (aut vt alij volunt Phylonidem) filiam habuit, quæ cùm iam ex Mercurio Autylocum, ex Apolline Philemonem genuis-

Dædalion in Accip.

genuiſſet; Dianâ ſe formoſiorem iactauit. Quare Dea irata ſagittis eam confecit, cuius morte Dædalion tantum concepit dolorẽ, vt ex Parnaſſi vertice ſe in mare præcipitauerit. Sed Apollo, vt filiæ illius cauſa gratiam facere uideretur, eum in Accipitrem, antequam in mare caderet, commutauit. Hanc eandem Metamorphoſin [b] Ouidius hoc carmine deſcribit.

[b] *L. 11. metamorph.*

*Qua via nulla ruit, iam tunc mihi currere viſus*
*Plus homine eſt, alaſq; pedes ſumpſiſſe putares.*
*Effugit ergo omnes veloxq; cupidine lethi*
*Vertice Parnaſſi potitur: miſeratus Apollo*
*Cùm ſe Dædalion ſaxo miſiſſet ab alto*
*Fecit Auem, & ſubtitis pendentem ſuſtulit alis,*
*Oraq; aduncа dedit, curuos dedit vnguibus hamos:*
*Virtutem antiquam, maiores corpore vires*
*Et nunc Accipiter nulli ſatis æquus, in omnes*
*Sæuit Aues, alijsq; dolens ſit cauſa dolendi.* Et idem rurſus.
*Vir fuit, & tanta eſt animi conſtantia, quantum*
*Acer erat belloq; ferox, ad vimq; paratus.* Idem alibi denuò.
—— *Illi fera bella placebant,*
*Quæ nunc Thisbæas agitat mutata Columbas.*

[c] *In Metamor. fab. 3.*

Sunt tamen qui ad diuerſam Metamorphoſin Accipitris originem referant ex huiuſmodi fabula: cuius etiã meminit [c] Antoninus Liberalis ex Bœo, qui de Ornithogonia ſiue de Auiũ ortu librum ſcripſit. *Fuit*, inquit, *apud Maryandinos Hierax vir iuſtus, & illuſtris. Is templa Cereri poſuit, primuſq; ex ea fructus percepit. At poſtquam Teucri legitimo tempore ſacra Neptuno non perſoluerunt; ſed ea prænegligentia omiſerunt, indignatus Neptunus fruges eorum perdidit, ingentemq; à mari cetum ipſis immiſit. Teucri cùm Ceto ſimul & fami ferendo non ſatis eſſent, ad Hieracem miſerunt, qui auxiliũ aduerſus famen, ab eo poſcerent, iſq; cùm triticum, tùm alia miſit alimenta. Irritatus eo facto Neptunus, ob ſuos ab eo honores diminutos in Auem ipſum conuertit, quæ nunc Græcis Hierax, Latinis Accipiter dicitur. Mores quoq; eius priſtinos prorſus immutauit. Eum enim, qui hominibus fuerat chariſſimus, volucribus inuiſiſſimum reddidit; & qui ab interitu multos homines vendicauerat; fecit vt is plurimas factus Accipiter necaret Aues.*

# HISTORICA.

[d] *Li. 1. ca. 4.* Cur ab Aegyptijs cultus Accipiter.

ASSERVNT Aegyptij, vt refert [a] Diodorus Siculus, ſeſe hãc ob cauſam præcipua veneratione Accipitrem proſequi, quòd, vt inquiunt, *Olim è regione ignota Thebas nobile Aegypti oppidum attulerit librũ characteribus puniceis exaratum, quo continebatur quomodo, & qua reuerentia, quibus ceremonijs Dij adorandi eſſent.* Inde natum (ut alibi etiam diximus) vt rerum ſacrarum ſcriptores, necnon ſacerdotes ibidem tyaram rubram cum ala Accipitris capiti impoſitam geſtarẽt. Hæc ſanè ſi pro veris recipere velimus, Diaboli fraude, ac technis facta fateri debemus, qui etiam animalium variorum ſæpenumerò formas aſſumere comperitur, & inter cæteras, Accipitris aliquando imagine ſeſe celaſſe, pro uero refert [b] Gulielmus Neubrigenſis his uerbis: *Endo Britãnus armiger, homo nefarius ac ſceleſtus, conſpectum aliquando miræ, vt ipſius oculis à Dæmone faſcinatis videbatur, pulchritudinis Accipitrem, in propriam perniciem concupiuit, quo potitus, Dominum ſuum iam abeuntem lætitia ſequebatur. Cui ille: Abiſce, inquit, citò quod portas. Non enim eſt Auis, vt apparet; ſed Dæmon ita in eam ſpeciem transformatus. Cuius quidem dicti veritatem, euentus poſtea declarauit. Cùm enim inſipiens nollet audire monentem, primò conqueſtus Accipitrem illum, vnguibus pugnum ſibi arctiùs, ac vehementiùs ſtringere, mox per manum ab eodem ſublatus, diſparuit.* Ita Leo rugiẽs, varios quibus hominem deuoret, modos ac aſtus excogitat. Non aliter, ac ille piſcis, quem ab aſtu, Diabolum nonnulli vocant; necnon qui Rana piſcatrix dictus, piſciculos callidè in ſua ora tanquam in caſſem illectos abſorbet. Sic ille fatuos irretit ac capit; necnon tanquam muſtela lutum, ita alienas formas verſipellis induit, quibus horribilem alioqui conſpectum diſſimulet, & occultat. Cuius vafriciem, ac fallacias, non alijs meliùs, quàm verè Chriſtianis artibus eludemus, fide nimirum firma, & charitate non ficta erga Deum, & homines. Conſiſtit verò ea fidei veræ ſinceritas, vel maximè in repellenda longè à nobis omni ſuperſtitione, ſeu potiùs dæmonolatria, in quam frequenter incurrunt, qui naturæ limites egreſſi, nimia curioſitate à natura inquè poſtulant, quod in ipſa minimè ſitum eſt, cùm ſcilicet à Diabolo malè perſuaſi, ea quę ipſe vi propria elicit, herbarum, atq; aliarum rerum naturalium facultati tribuant. Nos verò

[a] *Li. 3. ca. 4.*

[b] *L. 1. c. 19. Hiſt. Angl.*

Dęmõ Accipitris forma Eudonẽ fallit.

Diabolus piſcis. Rana piſcatrix.

rerum

rerum naturalium tam animatarum, quàm inanimatarum conceſſis, à Deo Opt. Max. viribus, ſobriè ac moderatè, quatenus earum natura permittit, vtamur, ne longiùs, aut miraculorum auiditate, aut nimia vitę, ſalutiſuè cupidine abrepti, & altiora nobis ſcrutantes, per Diaboli perfidiam hac ipſa vita præſente ſimul cum futura priuemur. Cogitandum enim vita ipſa, quam creatori debemus, nobis ipſum chariorem eſſe debere, qui eam dedit: & Diabolum, ſi quando fortè rerum naturæ vi, quam optimè callet, quid perpetrat, omne id, quicquid eſt, in noſtrum exitium conuertere, cùm nobis benè velle, aut benefacere ex odio, quæ ipſius eſt natura, haudquaquam poſſit.

Sed ne longiùs euager, hîc vela contraho.

Finis Libri Quarti.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ

## Liber Quintus.

Qui est

## DE ACCIPITRIBVS IN SPECIE.

## DE ASTERIA. Cap. I.

ARISTOTELES Accipitrum species enumerãs, [a] Buteonem primo loco ponit, tanquam Accipitris genus præcipuum, non quidem quod *viribus sit valentissimus*, vt malè [b] Bellonius putat, hæc ipsa verba Aristoteli, quæ nusquam apud eum leguntur, falsò ascribens, quem alioquin Accipitrum omniũ ignauissimum, & pigerrimum esse constat, sed quantũ ego reor, ob magnitudinem insignem, *qua Miluo*, vt idem [c] Philosophus adiungit, *æquiparatur*. [d] Plinius à Circo statim orditur, qua de causa incertum. Neque ullam subesse ego existimo, nisi fortè, quòd prospera auguria facere crederetur. Cùm itaque Buteo maximè sit imbellis, imo ipsamet quasi ignauia, quæ etiam in prouerbium abijt, & ad disciplinam iners. Circus verò corpore infirmo, altero pede claudus & more Buteonis murium ac fœtidorum rapina victitet, maioribus verò capiendis ineptus: Nos institutæ methodi rationem sequentes, quæ dignitatis ordine procedit, Asteriam Accipitrem tanquam eum, qui & corporis & animi simul magnitudine præstare videtur, alijs omnibus præponendum duximus.

[a] *L. 9. Histor. c. 36.* Cur à Buteone Aristoteles inceperit.
[b] *Lib. 2. de Auib. c. 14.*
[c] *Lib. 8. Histor. c. 3.*
[d] *L. 10. c. 8.*

## AEQVIVOCA.

VOCABVLVM hoc Asterias Græcum, & quod idem significat Stellaris, Latinum, vtrumq; per se sine adiecto quopiam alio positũ, pluribus sanè competere solet. Nam & Aquila quædam Aeliano vocatur Asterias, quam Stellarem vertit [a] Gyllius, quæ quidem est Chrysaëtos.

Et Ardea quædam [b] Aristoteli Asteria, seu vt vertit Gaza, Stellaris est.

[c] Gyllius item Auis meminit nomine Asterias, *quam in Aegypto mansuefieri tradit, atque adeò præclarè humanam vocem intelligere, vt si quis huic conuicium faciens, vel appellauerit seruam, ex ea contumelia irascatur, uel eandem ipsam vocauerit pigram, ea sic dolenter tanquam ignobilitatis & segnitiæ arguta indignetur*. Quæ Auis nunquid eadem sit cum nostro Asture siue Asteria, difficile est iudicare. Scio in Aegypto magno honore affici Accipitres, sed humano sermoni assuefactos nusquam legi, idq; ijs potissimùm conuenit, quibus latior lingua est.

Musteli quoq; pisces stellarium cognomento ueniunt, omnes nimirum à punctorum, quibus ceu stellis insigniuntur, varietate.

Sunt qui hanc, de qua nunc institutus est sermo, Auẽ nocent Asturem. Sunt autem Astures populi Hispaniæ citeriori contermini, de quibus [d] Aethicus: *Hispania*, inquit, *citerior ab Oriẽte incipit ex Pyreneis saltibus, à parte Septẽtrionali vsq; ad Cantabros & Astures excurrit, atq; per Vaccæos & Oretanos, quos ab occasu habet, posita in nostri maris littore Carthagine terminatur*. De eijsdẽ [e] Lucanus:

*His præter Latias acies, erat impiger Astur.*

Sunt autem dicti Astures ab Asturica urbe magnifica.

Aquila Asteria, siue Stellaris.
[a] *Lib. 2. de Ani. c. 39*
[b] *L. 14. c. 4.* Ardea Stellaris.
[c] *Lib. 9. Histor. cap. 1.* Musteli pisces cur Stellares dicti.
Astures populi.
[d] *In Cosmographia.*
[e] *Lib. 4. de bel. Pharsal.*

SYNO-

# SYNONIMA.

GRAECIS, vt[a] Aristoteli, Accipiter hic Ἀστερίας dicitur. Ad huius nominis imitationem Latini Stellarem vocarunt. Vtriusq; vocis etymologia inde petita est, quod Auis hæc maculis quibusdam, notisq; veluti asteriscis ac stellulis perornetur. Recentiores Latini ex vernacula sibi Italica dictionem Latinam facientes, Asturem vocant, Italis enim Astor appellatur. Gallis parumper immutata dictione Autour ipse[b] Bellonio teste. Quas quidem uoces omnes à Græca (Asterias) detortas esse & sonus & res ipsa indicat. Nam & Galli forsasse Astour dicturi essent, nisi idiomati eorum S literam ante aliam consonantem subticere peculiare esset.

[a] *9. Hist. 36.* Etymolog. Astur.

Astore. Autour.

[b] *Lib. 2. de Auib. c. 16.*

# GENVS ET DIFFERENTIAE.

ACCIPITRVM Stellarium seu Asturum differentiæ variæ admodũ sunt. Sed antequam has recenseamus, prius Asturis ipsius in genere naturam, quaq; à cæteris discrepet Accipitribus, rationem paulisper examinemus, vt ex tanta rerum ac vocum consimilium varietate natæ obscuritati, quoad licet, lucem aliquam adferamus. Omnes enim Asturem ponunt, & plura eius genera faciunt. Sed qui Accipiter propriè dictus est, Asterias, nemo (quod sciam) hactenus dixit. Accipiter igitur Stellaris ex ferociorum Accipitrum numero censetur, corpore est grandi, unde ab [a] Aristotele Palumbario, & Pernici comparatur. Nam ueritus, ne quis hæc tria genera, ob parem magnitudinem & similitudinem inter se magnam deceptus, pro ijsdem haberet, desertis uerbis ea differre monuit. Palumbarium uerò ipse Aristoteles alibi maiorem Accipitrem vocat. Punctis verò & notis quibusdam stellas referentibus respergi, vt plurimùm Asturem, eoq; nomine ab alijs distingui, ipsum nomen indicat. Quamuis enim & alij Accipitres uarij & maculati sunt, huic tamen id maximè competit. *In Asture* (inquit Albertus) *anterior pars capitis extensa paulatim in rostrum, sicut & Aquilæ caput. Falconis uerò caput naturaliter non extenditur, nec similiter se colligit.* Oculis est varijs, & pellucidis, vultu hilari Collum, vt testatur Bellonius, cæteris paribus iuxta vtriusque magnitudinis proportionem, habet longius, quàm Aquila. Colore multùm ad Aquilæ formam accedit, & fœmina præsertim, maculis tamen ubique, quàm illa frequentioribus ac densioribus ruffis. Corpore plerumq; oblongiore, femoribus præsertim longioribus, atque ideo etiam altioris staturæ, quàm Falcones. Crura tamen seu tibias respectu femorum obtinet breuia ac crassa, pedes magnos & crassos. *Asturis*, ait [b] Albertus, *cauda ob longitudinem dependet, quod in Falconibus improbatur.* Tales animosi sunt, ac fortes. Nam Aues maiores, quales sunt Anseres, Grues, imo & Lepores inuadunt & capiunt. Sunt autem Astures ex genere eorum Accipitrum, qui Pugillares mansuefactarijs vocantur, id est, qui emissi prętento pugno reuocantur. Sunt enim & alij, qui nisi pinnarum sca po reuocari solent. Distinguuntur Astures inter se, uel à natura, uel à sexu, tanquam differentijs internis: tum aut magnitudine, aut natalibus, aut colore, tanquam externis. Quanquam de magnitudine dubium esse potest, vtrò referenda sit. Quod ad sexum attinet, iam olim diximus euidens esse discrimen inter marem & fœminam. Fœmina enim in toto rapaciũ genere maior & nobilior est mare. Quæ quidem differentia in Asturibus apertè obseruatur. Mas omnium rapacium plerunque Tercellinus uocatur, & fœmina minus audax est, minusq; robustus.

Asturquod ab alijs Accipitribus discrepet.

[a] *9. Hist. 36.*

Caput.

Oculi.

Collum.

Crura.

Pedes.

[b] *Lib. 2. 3.*

Cauda.

Pugillares Accipitres qui.

Fœminæ Asturis & maris discrimen.

Differunt etiam natura hac ratione, quod quidam circa aquas degant, victum ex his petant, alij verò terrestres sint, quia ut plurimùm in terra viuãt, & Gallinaceas & Columbaceas Aues, aut Lepores etiam prædentur. Horum animosiores ij existimãtur, qui littora seu ripas accolũt, quòd magnas Aues aquaticas summa audacia inuadant, vt Anseres, Cycnos &c.

Differẽtiæ à natura. A magnitudine.

Magnitudo etiam non minimam inter eos facit differentiam. Nam præterquam quod Sexus plerunq; inde discrimen cognoscitur, bonitatis etiam inter ipsas fœmellas indicia à magnitudine sumuntur. Quò enim maior est Astur, ac pluris ponderis, eò censetur præstantior, adeo vt Tardiuo teste, *in Syria Aues, quæ prædæ ac aucupio seruiunt omnes, ad pondus emantur, & eò quæque maioris, quò pluris penderint.* Colorem aliasque eorum conditiones non curant. Sunt tamen qui contrarium sentire videntur. Nam [c] Franciscus Carcanus Italus scribit *illos Astures pulcherrimos haberi, qui parui sunt... Tertiarios verò è contrario magnos paruis præferri.* Vnde apud Italos natum prouerbium de re quapiam conuenienti, & quæ optimè quadret: Astore picciolo, & Terzuolo grande.

[c] *Lib. 2. de Aucup. c. 1.*

Eſt præterea & aliud quoddam Aſturis genus, quod dimidiatum Aſturem Galli demy Vatour vocant, teſtibus Tardiuo & Bellonio, qui inter Aſtures marem & fœminam media eſt magnitudine, quem paucicapi epitheto, Gallicè Peuprenant cognominant, quòd modicæ ſit rapacitatis, & parum emolumenti hero adferat.

Peuprenãt.

Aloco.

Aloco etiam ſeu natalibus plurimæ deſumũtur differentiæ, quæ haud parum faciunt ad ferendam de cuiuſque bonitate cenſuram, quòd aër ſeu locus natiuitatis, ut hominum, ita etiam Auium corpora ac eorum temperiem non parum immutet. Iuxta has alij dicuntur Armeni, alij Perſæ, alij Græci, alij Sardi, alij Illyrici. Sunt præter hos Alpini, Hetruſci, Appuli, Calabri, Longobardi, Germani, Rutheni, Sarmatæ, Islandi, Gemonenſes, Carnenſes, & Calamentani. qui omnes bonitate ac præſtantia maximè inter ſe diſcrepant. Atque apud Accipitrarios plerunq; pro regionis cuiuſq; indole æſtimantur, certisq; notis omnes dignoſcũtur. Aſtures enim in Armenia & Perſia, vt teſtantur Tardiuus & Bellonius, omnibus præferuntur, deinde qui è Græcia: denique qui ex Africa adferuntur. Armeni hac ratione à reliquis diſcernuntur. Oculos habent virides, & pondus corporis inſigne. Præſtant tamen qui oculis & dorſo nigricant. Perſa corpore grandi eſt, & bene veſtito plumis, oculis claris, concauis, ſupercilijs pendentibus. Græcus capite grandi, & raris in collo plumis. Africano dorſum nigrum, & oculi ſimiliter in iuuentute. Nam ætatis progreſſu ruffeſcunt. De Armenis paulò fuſiùs Carcanus hunc in modum tradit: Armeni, vt ab alijs accepi multùm alijs præferuntur, plurimùmq; ab illis differunt, ita vt quaſi nullam cum alijs Aſturum ſpeciebus habeant ſimilitudinem. Sunt admodum belli, corpore tertiarij Aquilæ nobilis (quem autem tertiarium Aquilæ nobilis ille vocet, vix intelligo, exiſtimo tamen tertium Aquilæ pullum intelligere, eumq; marem) quam regalẽ etiam appellant. Audacia & animo omnes cæteras vincunt. Crura habent candida, pedes magnos, & ad aucupium auium, maiorum præſertim, & campeſtrium optimè inſeruiunt. In noſtris regionibus rariſſimi videntur. Quod ſi ita eſt, hic Armenus, Aſtur, hoc nomine merito per excellentiam & ſimpliciter dicendus erit. Sardorum verò hæ ſunt notæ. Pennas habent nigras, crura breuia, femora longa, & pedes pallidos. Ad Perdicum, Phaſianorum, & Coturnicum prædam quàm aliarum Auium maiorum ſunt vtiliores: Hactenus ille.

Perſa

Græcus.

Africanus.

Armenus.

Sardius.

Illyricus.

Illyrici ſiue Sclaui dicti in Dalmatia naſcuntur, & Foro Iulij. Statura corporis plerumq; ſunt mediocri, pennas habent rubras, maiori ex parte, adinſtar prunarum candentium, quamuis & aliqui inueniantur coloris flaui, aliqui etiam nigri. Pedes habent magnos, roſtrum acutum ac extenſum, craſſumq;, femora ab interna parte plana ac æqualia ad volæ manus inſtar, neque ita rotundi ſunt, vt cæteræ Aſturum ſpecies. Qui ex hiſce ſunt anniculi, quos Soros vocant, habeant oportet pectoris & partium anteriorum maculas maiuſculas, rubras & longas, alas magnas, caudam uerò non vſque adeò longam. Qui aliquoties pennas mutarunt inter ſe parum differunt. Aſtures hi Illyrici cæteris nobiliores habentur, neque Tertiarij eorum multò minoris pretij ſunt, quàm Aſtures fœminæ.

Alpini.

Aſtures alpini dicti in Apennini iugis in Longobardia, Hetruria & Apulia geniti, pauci ad aucupia vtiles. Statura corporis magna ſunt, & pleruną; tereti, pennis nigris. Natura contumaces ac refractarij, & quò ſæpiùs pennas mutarint, eò magis degenerant, & viliores fiunt.

Calabri.

Calabri corpore magno, & vt plurimùm oblongo conſpiciuntur, pedibus ferè cãdidis. Non deſunt tamen, qui nigri ſunt, neque etiam flaui: Quin & rubri & pallidi reperiuntur. Robuſti hi ſunt, at ſuperbi & ad venationem Leporum vtiles: uerùm non admodum magni fiunt.

Germani.

Germani Aſtures Accipitrarijs magiſtris in Gallia, vt fatetur Bellonius, in frequentiſſimo vſu ſunt, & magni fiunt. Horum magna copia erat in Arduenna ſylua, cuius hac tempeſtate plurimis in locis exciſæ, maximæ adhuc reliquiæ extãt in Leodienſi & Luxemburgẽſi diœceſi, cùm alijs Germaniæ locis. Hiſce oculi iris, & ſuprema, ubi capiti contigua eſt, roſtri pars, item crura, tibiæq; & pedes colore croceo tinguntur, cõtrà quàm Hierofalco, cui pedes palleſcunt. Caudam habent maculis latis & obliquis, partim nigris, partim canis admodum frequentibus conſperſam. Pennæ colli ſuperioris, nec non capitis magis ruffeſcunt, & punctulis nigris plurimis itidem interſtinguuntur. Plumę verò femorum, ac ventris inferioris diuerſa ratione maculantur. Nam fuluæ minus, quàm cæteræ notis ornantur rotundis intercurſantibus, quales in Pauonum cauda oculi figura conſpiciuntur.

Sarmatici.

Sarmatici iuxta Carcanum ex Sarmatia regione Septentrionali polo antarctico proxima in Italiam deferuntur, & in altiſſimis etiam Iſlandiæ, vicinarumq; inſularum, ac regionum montibus naſcuntur. Sunt autem albi.

Gemonenſes.

Gemonenſes, qui in montibus ſupra Gemonam degunt, ibique capiuntur, & quorum nidi nunquam inuenti dicuntur, ob excelſum prærupti, atque inacceſſibilis loci ſitum optimi euadunt ad Auium campeſtrium & fluuiatilium uenatum.

Sunt

Sunt & alij Astures non admodum magni, sed ut plurimùm oblongi, ac pennis rubris, atque flauis uestiti, qui nascuntur in montibus Carnea & Cadore dictis. Horum aliqui frugẽ faciunt & præstantes euadunt, sed anniculi his, qui plumas aliquando exuêre, utpotè animo uiliori, minorique audacia præditis præferuntur. Habent & hi sicut & reliquę Asturum species suos tertiarios, uerùm hi minoris multò fiunt. Quamuis campestrium Auium uenationi admodum idonei sint, si ad eam eos institui contingat.

Astorellus Carcani.

Quem Carcanus Astorellum uocat, suspicor eundem esse cum Semiasture Tardiui & Bellonij, quem inter Asteriam Accipitrem fęminam, & marem medium, quod ad magnitudinem attinet, statuunt. Hunc ita describit: Corporis statura maior est Tinnunculis grandioribus, sed rostro, oculis, dorso, ac lũbis, pedibusq; similimus Falconibus. Diù in aëre ęquilibrio quodam, ueluti immotus suspenditur. Homines ac Canes uenaticos quouis insequitur, in gyrum altè uolat, ut uel Alaudam, uel Perdicem, ubi in altum euolando fugâ conspecto hoste sibi consulant, rapere extemplò ac lacerare queat.

Differẽtiæ Asturũ penescolores Ruffi. Subnigri. Albi.

Denique colore inter se differunt Astures. Quidam enim sunt ruffi magis quàm alij, alij ad nigrum plusculum vergunt, alij etiam albi sunt. Ruffi inter hos excellunt, sed illi magis, quibus color ille ad fuscum splendidum tendit. Exempla ex antedictis peti possunt. Subnigri, & quibus plumæ à uertice frontem uersus dependent, pulchri habentur, sed parũ robusti. Albi quales dicuntur Sarmatæ obesiores sunt, & corpulentiores, speciosi & institutioni faciles, sed cęteris imbecilliores. Gruem capere nequeunt, sed quoniam in sublimi uolant, & alti aëris frigus facilè tolerant, ad Aues altiuolas capiendas laudantur.

Asturis maioris laudabilis forma

In vniuersum autem laudabilis forma Asturis maioris censetur, si caput sit modicum, facies longa & angusta, qualis est Vulturis, & si Aquilinam similitudine referat. Fauces & gula probantur amplæ: oculi magni, concaui, ac profundi, iris exigua nigricans, narium, auriumq; meatus ampli, cauda, pedesq; lati, rostrum oblongum & nigrum, collum item longum, pectus carnosum ac crassum, caro dura, coxę longæ, carnosæ, ac à se mutuo distantes, ossa crurum & tibiarum breuia, vngues crassi & longi, plumæ coxarum versus caudam versantes latę, similiter & caudæ ipsius pennę, quæ etiamsi ruffę & molles sint, præferuntur. Color caudæ pronæ seu inferioris non alius quàm pectoris, cuiusque pennæ singulæ parte caudę superiore nonnihil intersectæ sint; Rursus color pennarum caudæ extremarum circa caules, calamosuè seu neruos, earundem niger.

Asturũ minorum bonitatis signa. Quæ in Asturib. damnentur.

Signa verò bonitatis minorum Asturum sunt istæc. Oculi clari & ampli, capacitas aurium & oris ampla, caput paruum, collum longum, pedum digiti longi, pennæ breues, & abditæ, pedes è flauo nonnihil virentes, vngues ampli, digiti excarnes, concoctio cibi facilis, excrementi meatus seu aluus ampla, excretio procul admodum reiecta, extremitas rostri nigra. Damnantur cùm in maiori, tum in minori Asteria caput grande, collum breue, molle, carnosum, plumis opplet um, pennæ colli perplexę, & sibi mutuo inuolutę, coxæ breues & graciles, crura longa, digiti curti, color bæticus siue nigricans, pedes asperi. Cùm verò Asteriam nullam haberem itaque hasce duas, quas subinde dabimus icones, unam nempe ab Ornithologo, eamq; primo loco positam, alteram à Bellonio, mutuauimus, licet meo iudicio descriptioni parum respondeant.

# LOCVS. VENATVS.

ASTVRES, inquit [a] Petrus Crescentiensis, *nascuntur in alpibus, & nemoribus.* [a] *L.10.c.3.* Ex proximè præcedenti capite, quo differentias eorum à loco natali desumptas recensuimus, videre est plerosq; in montium altissimis iugis, aut syluarum densissimarum cacuminibus, locisq; alijs aditu difficillimis, ac solitarijs nidulari, atque degere; quemadmodũ & Aquilæ & Vultures, adeo vt quod de Vulturino nido Herodotum Brisonis Rhetoris patrẽ [b] Aristoteles dixisse refert, [b] *L.9. Hist. cap.11.* de Asturum genere in Germaniæ montibus nascente, quidam affirmare audeant. Quidam autem eas rupes incolunt, quæ mari adiacent, littoraq; inhabitant, aut circa flumina, & aquas dulces versantur. Alij verò locis procul ab aquis diffitis in continente, aut rarò admodum iuxta aquas degunt. Primùm genus, ut plurimùm ex Auibus aquaticis, ut Anatibus, Anseribus, Ardeis, Gruibus & huiusce modi alijs uiuit. Hoc humilem adeò uolatum prope terram, cùm prędam capiendam prosequitur, exercet, ac clandestino quodam astu, ex occulto eam adoritur, vt priusquam sese humo tollant aues, oppressas rapiat. Huic forsan non ineptè adscribi poterit etymum illud, quod Albertus magnus de hoc nomine (Astur) tanquam, si latio suam deberet

Asturis etymologia Alberti.



originem, adfert. Vult enim ab aſtu maximo dici, quo in venatu vtitur. Semper enim latet, & prope humum præter aliorum Accipitrum & Falconum morem, Aues perſequitur, & è latebris erumpens, prouolansq; ex improuiſo, eas inuadit. Et de hoc genere meo iudicio loquebatur Arioſtus hunc in modum canens:

*Qual buon Aſtor, che l'Anitra, ò l'acceggia*
*Starna, ò Colombo, ò ſimil altro augello*
*Venirſi in contra di lontano veggia,*
*Leua la teſta, e ſi fà lieto e bello.*

Poſterius illud Aſturis genus, quod aquas rarò accollit, & ferè ſemper procul à mari & fluuijs diſſita loca inhabitat, campeſtribus Auibus, ut Columbis, earumq; pullis, Gallinis, Phaſianis, & Perdicibus victitare ſolet. Depoſitis pennarum exuuijs excelſæ cuipiam arbori inſidere conſueuerunt, ut ex ea, tanquam ex ſpecula quadam, undiquaq; prædam deſpiciant, proſpectam diligenter obſeruent. Venantur Coturnices, Perdices, Phaſianos, Cornices, Monedulas & id genus alias, in quas ſubitò ac conſpexerint, maxima velocitate, & impetu irruunt, neque perſequi deſiſtunt, donec in ſuam poteſtatem redegerint.

Quin etiam quidam alij reperiuntur, cæteros animi magnitudine, corporisq; robore vincentes, qui etiam Lepores nullo negocio rapiunt, & ex eorum oſſibus magna fruſta, aliquando etiam integra palmi longitudine deglutiũt, eaq; ſtomachi ingenti calore concoquunt, & quod maius eſt, Capreolorum etiam hinnullos, licet ſine Canum venaticorum ope retinere non poſſunt, ita tamen feriunt, ac negocium faceſſunt, iniectaq; illis mora tam diù impediunt, donec à Canibus capiantur.

## VSVS. ICON.

ATTILAE Hunnorum Regi hominum truculentiſſimo, qui flagellum Dei dictus fuit, ita placuit Aſtur, ut in inſigni, galea, & pileo eum coronatum geſtaret. Hæc auis Phœbea etiam dicta eſt, quod ſoli ſacra haberetur.

## DE ACCIPITRE PALVMBARIO. Cap. II.

QVEM Latini Accipitrem Palumbarium ea ratione, quòd Palumbas potiſſimùm perſequatur & capiat, Græci φασοφόνον vocant eadem de cauſa. φάσσα enim Palumbus eſt. Dicitur etiã Varino & Heſichio φαβοτύπος, & φαβοκτόνος, & φάσσοκτονος, quaſi Columbicida. nam φάψ genus inquiunt eſſe Columbæ ſylueſtris. Quidam Germani docti uiri hunc Germanicè Taubenfalck interpretantur, id eſt, Falconem Columbarium, quàm rectè, ipſi uiderint. Albertus Aſturem cum Accipitre Palumbario eundem facere uidetur, dum nominibus vtrisq; promiſcuè & pro idem ſignificantibus vtitur. Sed ſi, ut omnium ferè concors ſententia tenet, Aſtur vulgò dictus, Aſterias Ariſtotelis eſt, ſanè Accipiter Palumbarius eſſe nulla ratione poterit; Nam ex [a] Ariſtotelis authoritate, Accipiter Palumbarius, & Stellaris multum inter ſe differũt. Videtur tamen nonnunquam idem Albertus Aſturem & Accipitrem Palumbarium pro diuerſis denuò habere, dum ſeorſim ſuo quemq; nomine deſcribit, vt aut non inter nouiſſe eos, aut nominum paruam rationem habuiſſe neceſſum ſit. [b] Petrus Bellonius, dum Accipitrem Palumbariũ eum facere conatur, quem Galli ſimpliciter & ſpeciatim Falconem uocant, cuius hanc, quam ſtatim dabimus, iconem exhibet, nullis omnino rationibus nititur, præterquam vnâ, eaq; exigui admodum momenti, quòd Accipitrarij Galli ſuos Falcones Columbarũ eſca, tanquam illicio quodam capere ſoleant. Sanè non ſolùm Palumbarius Columbis ueſcitur, ſed omnibus omnino Accipitribus hoc cõmune eſt, ut Columbas ceu gratam eſcam capiant, & interemptas dilanient, ſicut ex [c] Ariſtotele & [d] Plinio ſatis conſtat, ut experiẽtiam quotidianam omittam. Verùm ita dictus eſt hic Accipiter κατ' ἐξοχὴν, quòd huic peculiare ſit illis uolucribus potiùs, quàm alijs quibuſuis inſidiari. Cùm autem ab Ariſtotele nihil præter nudas nomenclaturas horum Accipitrum acceperimus, difficillimum, imo ἄδυνατον, & temerarium eſſe exiſtimo, de his rebus quicquam certi ſtatuere, ac veterum nomina, nullis præſertim argumentis, huic potiùs, quàm illi attribuere. Videmus autem Philoſophum, hunc Accipitrem Palumbarium

Columbicida. Taubenfalck.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. c. 36.*

[b] *Lib. 2. de Auib. c. 18*

[c] *9. Hiſtor. cap. 36.*

[d] *Lib. 10. c. 36. & 37.*

lumbarium & Fringillarium abſolutè & ſimpliciter Accipitres uocare, quemadmodum ubi [c] ait: *Accipitres ambo carniuori ſunt*, de his tantummodo loquens, tanquam hęc duo genera præ cæteris Accipitrum nomine vocari mereantur. Habent enim alij omnes etiam alia nomina, vt Triorchis, Aeſalo, Circus, Aſterias, Pernes, Percnus, Leuis. Hi verò duo, vt & Rubetarius, ſimpliciter Accipitres dicũtur, adiecto cognomine ab animali, quod ſinguli præcipuè capiunt. Multi eadem penè ratione, qua Bellonius decepti, hoc nomen Palumbarij alijs atque alijs Accipitribus accommodarunt. Albertus, ut diximus, Aſturi ſeu Accipitri maiori, quod & is Columbas capiat, id nomen aſcribit. Epheſius quidam à Nipho citatus Falconem Gentilem vulgò dictum, qui etiam Palumbos inſequitur, ex eo facit, Petro Bellonio hac in re aſſenſus, non minus ſiculneo tamen argumento, quàm ille, innixus. Turnerus Anglus Sparuerio Germanorum, qui ab aliarum nationum Speruerio non differt, & omnium vnanimi conſenſu Niſus & Fringillarius Accipiter habetur, Palumbarium eſſe opinatur, non alio perſuaſus argumento, quàm quòd Palumbos, Columbos, Perdices & grandiuſculas Aues inſequatur. Quidam Germanorum Taubenfalck eſſe uolunt. Ita eos, qui nulla graui ratione adducti coniecturis meris rem decernere volunt, neceſſum eſt in diuerſas diſtrahi ſententias, & nihil quicquam ſibi conſonum dicere. Nos in re adeò incerta ac controuerſa, vtpotè certi nihil habentes, certi quidpiam ſtatuere non audemus. Certè extra omnem controuerſiam eſt, nobis plurimas eſſe ſpecies Accipitrum Ariſtoteli ignotas, & quæ illi inquilinæ fuere, nobis exoticas eſſe. Falconem eſſe non prorſum poſſumus ire inficias, cùm hoc nomen valdè generale ſit, & frequenter non ſecus, quàm Accipiter omnes huius ſpecies ſub ſe comprehendat. Verùm nunquid is ſit, qui ſpeciatim & peculiariter hoc nomine venit, dubito. Quod ſi tamen quiſpiam ita eſſe volet, de his peculiarem, quem de eis conſcripſimus, tractatum, conſulere poteſt.

[c] *Lib. 8. Hiſtor. c. 3.*

Hunc Accipitrem Palumbarium carniuorum eſſe & multum à Fringillarijs magnitudine differre Ariſtoteles ſolùm ſcribit, è quibus verbis difficile eſſe iudicium ferre, cuiuis liquet. Addunt alij hunc ſpecie alioqui Fringillario ſimillimum eſſe. VVottonus in ferociorum Accipitrum numero cenſeri ſcribit. Homerus celeritatem viſus & actionis nunc confert Accipitri φασσοφόνῳ, id eſt, Palumbario, nunc Aquilæ. Et [f] Porphyrius Accipitrem Palumbarium peculiariter omnium celerrimè volare ſcripſit. Hic idem fortè eſt ea Ouidio Auis,

[f] *Lib. 3. de Abſtin. ab animat.*

*Quæ nunc Thisbæas agitat mutata Columbas.*

Columbario Accipitre Mercuriũ delectari [g] Aelianus tradit. Magnitudo huius Accipitris colligitur ex [h] Ariſtotele, Chalcidem auem huius magnitudine eſſe aſſerente.

[g] *L. 12. de An. c. 14.*

[h] *L. 9. Hiſ.*

# DE FRINGILLARIO ACCIPITRE Vulgò Niſo dicto. Cap. II.

## AEQVIVOCA.

FRINGILLARIVM Accipitrem cùm Ariſtoteles nuſquàm ſeiunxerit, & eundem non minus, quàm Accipitris nomine abſolutè dignatus ſit, & ſpecie quoque, id eſt, habitu & colore illi ſimillimum pleruńq; tradant, ego quoq; non temerè Palumbario proximè ſubiungendũ putaui. Quoniam uerò, qui ſanioris ſunt ſententiæ, hunc cum eo, quem Niſum recentiorum Latinorum vulgus appellat, eundem ſtatuunt, nec non cum Speruerio diuerſarum gentium vernacula lingua dicto, volui prius homonomiam pro more noſtro explicare.

Veterum Accipiter Fringillarius cum nullo nomen habet æquiuocum. Niſus verò Ouidij, & veterum multum ab eo differt. Ouidio enim non Accipitris genus, ſed Haliætus eſt, id eſt Aquila marina. Sparueri uerò nomen Italiæ vulgus etiam tentorio ſeu conopæo, quod cubilibus frigori & culicibus arcendis obtenditur, impoſuit, eadem fortaſſe ratione, qua Aui, quam utriuſq; in generali ſynonimia latiùs declarauimus.

Niſus Ouidij.

Sparuier vulgò qd.

## SYNONIMA.

GRAECIS ut Aristoteli,& Hesychio hic Accipiter Σπίζιας nominatur,ideſt, Fringillarius,eò quòd præcipuè minorum Auiũ genus, quales Fringillæ ſunt, ſectetur: Σπίζα enim ſeu σπίζη Fringilla eſt. Hac tẽpeſtate Græcorum uulgò ξυτέρι corrupto,ut uidetur,nomine,ab oxyptero uel ocyptero, dicitur. Ωκυπέτης apud Heſiodum Accipitris etiam epitheton eſt. Quę omnia ob uelocitatem ei conueniunt. Hęc fortaſſe Nipho duplicis erroris occaſionem dederunt, quo hũc Fringillarium Accipitrem cum πέρνη Ariſtotelis eundem eſſe putarit, & Perni nomen impoſitũ à pernicitate,vt dicatur Pernis,quaſi pernix. Sanè niſi Sparauerij,quem Pernem eſſe dicit,nomen generatim accipiat pro quouis Accipitre, toto erret cœlo,neceſſe eſt,cũ Ariſtoteles pro diuerſis ſpeciebus enumeret Accipitrem Fringillarium & Pernem. Aț verò Speruerium vulgò dictum Fringillarium eſſe Ariſtotelis,Albertus, Ornithologus, Bellonius, alijque doctiſſimi quique vno ore fatentur. Præterea indoctè ſatis nomini Græcæ originis latinam etymologiam affingere conatur, vt cùm ad Pernem ventum erit, pluribus oſtendemus.

Σπίζιας, ξυτέρι. Ωκυπέτης. Niphi error. Pernis.

Hic itaq; Σπίζιας Ariſtotelis, Latinis ad Græci nominis imitationem Fringillarius Accipiter uocatur. Alioquin hic etiam,vti paulò antè de Palumbario diximus,præ cæteris Accipitris nomine uenit,cùm apud Græcos veteres, tùm apud recentiores, quorũ pleriq; Accipitrem in duo genera diuidunt,in magnum ſcilicet,quem alio nomine Aſturem quandoque appellant, & in paruum,quem Niſum ſeu Speruerium. Niſi verò appellatio,quatenus hunc Accipitrem deſignat, apud Latinos recens admodũ eſt,ac Alberti æuo non ſatis Latino uſurpari cœptum. Huius etymum è Latio idem petit,quàm aptè,ipſe viderit. Sunt autem hęc eius uerbo: *Accipiter minor latinè Niſus vocatur,à conatu ad prædam,quia nititur capere Aues ſe fortiores,vt Columbam, Anatem,Corniculam.* Niſus quidem vox Latina eſt,& antiquis vſitata,ſed diuerſa longè ſignificatione. Veteribus enim Haliætum,vt diximus,denotauit,quam vocẽ recentiores, longo poſt tempore,ad hunc Accipitrem trãſtulerunt, quod fortè viderent rapacitate,& Auium perſecutione vtrumq; conuenire. Fieri quidem poteſt,inquit Ornithologus,vt uox Niſus ab Hebręis deſcẽderit, qui Aquilam Neſer vocant, & Nez Accipitrem,alij Aſturem,alij etiam Niſum interpretantur. Itali hoc genus Accipitris vocant Sparuiero,uel vt alij Sparauier, Sparauiero, Sparauero. Sunt qui illum in minorem & maiorem diſtinguant. Germani Sperber,vel Speruuer: Galli Eſperuier,vel Eſparuier. Horum omnium nominum eandem ſine dubio originem, vbi de Synonimis Accipitris in genere egimus,examinauimus. Nullum enim præter has voces nomen aliud eſt,quo quæuis nationes magis aptè, aut propriè generalem Accipitris notionem exprimere queant,ac Italica præſertim. Hæc itaque Accipitris Fringillarij fæminę ſunt ſynonima. Marem uulgò Muſcetum uocant,à Muſchetto Italica dictione, Galli Mouſchet, uti & Belgæ,qui id nominis à Gallis uicinis mutuati ſunt, hac fortaſſe occaſione, quòd Accipitrarij plurimi Belgę quotannis omne Accipitrum genus undiquaq; comparare, & in Galliam Principibus,alijſque optimatibus venum portare ſoleant. Alioquin eorum linguæ cum Gallica nihil commune eſt. Germani Muſcetũ uocant Sprintz, Sprintzel,Sprinzle uel Sprintzling. Quas uoces nimis ridiculosè,quantum mihi uidetur, Ornithologus, uir alioquin incomparabilis doctrinæ à Græca uoce σπίζιας deducit, uocum neſcio qua,ſanè nullius momenti, alluſione adductus. Qua in re,quod pace illius dixerim,communi pleriſq; Germanis etiam doctis,nec non aliarum quarundem nationum viris,morbo mihi laborare uidetur, qui uernaculæ ſibi linguæ, parum aut nihil curioſi,uocum etiam indigetum originem, è quouis alio peregrino idiomate potiùs,quàm è ſuo, etſi inuita Minerua malũt petere. Ita nos ſemper aliena magis, quàm propria ſeu domeſtica capiunt & oblectant, qui nouarum rerum auidi ſumus, & uſitatas faſtidimus. Qui uerò Germanus eſt, examinata diligenter hac uoce Sprintzeln facilè intelliget, & concedet maculas ſignificare, quas Belgæ etiam nonnihil variante uocabulo Sprinckelen dicunt, à quibus huic Aui,id nominis inditum conijciet,quòd maculis quibuſdam toto corpore reſperſa ſit. Pro reſpergere etiam Belgæ beſprinckelen dicunt. Muſcetus autem prętерquam quòd totum pectus,& ventrem tranſuerſis maculis diſtinctum habet, etiam dorſo & alis hinc inde plurimis albicantibus in ferrugineo notis inſignitur,ut deſcriptio docebit. Nominis Germanici Sprinzling adductam rationem vehementer etiam confirmat vox Gallica Mauchet, quam Italos & Belgas à Gallica mutuatos eſſe non eſt dubium. Cùm enim verbum moucheter Gallis nihil aliud ſignet quàm tracheter, id eſt, diſtinguere, maculis reſpergere, cuiuis palam eſt,deductam inde uocem mouchet,maculoſam Auem ſignificare: non quòd reliqui Accipitres non ſint quoque notulis diſtincti,pectore præſertim,ſed quòd huic ferè ſoli proprium eſt,dorſum & collum,quæ cæteris pleruną; tota nigricant,illud albis, hoc nigris notis maculatum habere. Hiſpani hanc Auem Francello uocant,fortè tanquam Francos,id eſt, nobiles ac ingenuos,libertatisq; amantes.

Niſi etymũ. Sparuiero. Sperber. Eſperuier. Niſus veterũ q̃ Auis. Muſcetus vnde Mouſchet. Sprintz. Ornithologi error. Sprintzeln vnde dicatur. SprincKelen quid. Mauchet quid. Tracheter quid. Francello.

DE-

# DESCRIPTIO. DIFFERENTIAE.

ACCIPITER Fringillarius, cuius nos iconem exhibemus, longitudine eſt ab extremo roſtro ad ultimam caudam ſpithami cum palmo. Roſtrum ei breue, fuſcum, craſſum, modicè uncum. Iris oculi intensè flaua. Vertex, collum, dorſum, alæ, colore caſtaneo nigricante, obſcuroue fuſco. In ſincipite tantùm, & circa alarum mediũ, quà dorſo ipſæ incumbũt, alba macula conſpicitur. Pars pro-

na totius

na totius corporis, nempe gula, pectus, venter, latera alis tecta, femora & uropygium sunt candida, & transuersis lineis luteis intersecantur. Tibiæ & pedes lutei seu crocei. Vngues nigri in curui. Cauda supina tota est fusca, maculis nigris transuersim ductis ornata per interualla.

Muscetus, quem damus, minor aliquanto est, duobus nempe digitis, si à rostri acie ad caudæ finem commesuretur. Rostrum ei similiter breue, crassum, vnco exiguo acutissimo tamen præ-

ditum

ditum,colore corneo ſubcæruleo. Oculi pupillam ochræ colore pallido,lutea iris excipit,quod reliquum eſt intensè flauet. Caput,collum,pectus,venter, crura albicant, & varijs maculis diſtinguuntur. Caput enim fuſcas habet oblongas,collum latas nigricantes, cæteræ pronæ partes ferrugineas tanquam lineas tranſuerſas,at minimè, vt in Niſo, continuas. Dorſum & alæ bætico,ſed dilutiore,quàm in Niſo colore tinguntur. Dorſum tamen tam medium,quàm extremum, atque alas cùm in parte ſuperiori, quà primi ordinis tegetes plumulæ poſitæ ſunt, cùm in ea potiſſimùm,quæ in dorſum reclinatur media,maculæ multę albæ reſpergunt. Quæ fortaſſe res Germanis Muſcettum Sprintzling,quaſi maculoſum vocare,occaſionem dedit,vt dixi. Cauda reliqui corporis ferè longitudinem æquat, & nigris & dilutè fuſcis maculis tranſuerſalibus alternatim diſpoſitis ornatur. Pedes,tibiæq; crocei coloris. Vngues nigri, incurui.

Huic noſtræ vtriq; deſcriptioni omnibus ferè notis correſpondent, quæ ſingillatim, & ab Ornithologo,& à Bellonio poſitæ ſunt:adeò vt iam calamo depictas Aues omnium conſenſu Accipitres Fringillarios, nempe Niſum ſeu Sparuerium, nec non Muſcetum eſſe, nullum ſit dubium.Fredericus Imperator Speruerios omnibus rapacibus minores eſſe ait:quod certè uerum eſt,ſi de ſolis Accipitribus & Falconibus,quorum ad venationem vſus eſt,intelligamus.

Horum Accipitrum,vt & reliquorum plures ſolent poni differentiæ, quæ partim ab ætate: partim à natiuitatis loco,partim etiam à colore,& magnitudine ſumuntur.

Ab ætate. Ab ætate,alij nidarij,alij ramarij, alij denique mutati dicuntur, quarum appellationum in vniuerſali Accipitris hiſtoria rationem reddidimus. Horum optimi, ac diſciplinæ capaciſſimi ſunt,qui, cùm adhuc pulli ſunt,è nido tolluntur, quibus bonitate proximi ſunt ramularij, qui necdum plumarum depoſuerunt exuuium, neque nidum extruxerunt, aut ſobolem procrearunt,hoc eſt,antequam anniculi ſint. Pro ætatis itaque diuerſæ ratione, alijs atque alijs pennarum coloribus,vti omnia Accipitrum genera, ornantur. Quidam enim plumulis exiguis albis tranſuerſis veſtiuntur. Alij maioribus,quos damnant accipitrarij. Etſi verò,vt diximus, laudatiſſimi ſint ramarij, nihilominus tamen etiam inter hos non paruus delectus eſt. Cæteris enim præferuntur,quibus caput ſupernè, ſeu vertice teres eſt, roſtrum craſſiuſculum, oculi non nihil cooperti, iris pupillam inter viride & album ambigens, humeri magni, aliquantum gibboſi, lumborum ſeu renum regio lata, at verſus caudam paulatim arctata,ac extenuata poſtrema dorſi pars. Alæ ita in longum dorſum reclinent, vt extremitate ſua caudæ incumbant, quæ quidem non nimium longa debet eſſe, ſed amplis & robuſtis pennis iuſtructa. Tibiæ probantur complanatæ ſeu latiuſculæ,& breues, pedes longi, & graciles, colore inter viride & album medio:Vngues acutiſſimi,atri,& tenues. Omnium denique præſtantiſſimi ſunt, quibus plumę tranſuerſæ ſunt craſſæ, magnæ, rubicundæ, articulationes item craſſæ. Hę autem quę pectus veſtiunt,concinno ordine diſpoſitæ ſe mutuò conſequũtur,& ſimilibus notis per tranſuerſum diſtinguuntur,quibus reliquum corpus. Supercilia habẽt alba,ruffo nonnihil intermixto. Candor totum oculum ſupernè ambit, atque ad occipitium vſq; pertingit plumę ſunt latiuſculę. Denique qui ferè ſemper famelici ſunt.

Ramariorũ delect.

A natalib. A natalibus,horum etiam Accipitrum differentia ſecunda ſumitur, à quibus alij vocantur Illyrici,alij Orientales,alij Africani,alij Calabri,quidam Corſici,nonnulli Germani, alij Bergomates,Vicẽtini,Tridentini,alijque plures,quorum natales aut dubij ſunt, aut prorſus ignorantur. Horum plerorumq; deſcriptiones ex [a] Carcano ſubnectere viſum eſt;& ſigna, quibus à ſe mutuo dignoſci poſſint, addere.

[a] *Lib. 2. de Aucup.*

Illyrici forma. Illyricus Accipiter Fringillarius,aut,vt ipſe ſuam Italicam linguam imitans,ait, Sparuerius, Dalmatię montibus natus,vt etiam ille,qui in altiſſimis Fori Iulij alpibus oritur,omnium nobiliſſimi ſunt.Maiori ex parte ſtatura corporis ſunt mediocri,& oblonga:pauciſſimi longã agunt vitam. Omnes,vt plurimùm lumbos,ac dorſum nigra obtinent. Roſtrum pulchrum,longum, craſſum & acutum. In magno pretio & honore ſunt, vtpotè qui animoſi ſint, & velociſſimè volantes,ita vt Aues quamuis magnas libentiſſimè capiant.

Orientaliũ forma. ORIENTALES ita dicti,quia ab Oriente ad nos adferuntur,quandoque vi ac impetu ventorum in territorium Taruiſinum, aliquando etiam in agrum Vicentinum,atque Foro Iulienſem impulſi. Quia verò rarò admodum hoc contingere ſolet, pauciſſimi huius generis conſpiciuntur. Statura corporis magna ſunt. Roſtrum habent magnum, ac craſſum magis, quàm vlla alia huius generis Accipitrum ſeu Sparueriorum ſpecies. Pedes etiam habent magnos,& caudam duodenis pennis inſtructam. Quinimo quendam ſe habuiſſe [b] Carcanus ſcribit,cui cauda tredecim pennis conſtaret. Hic ętate erat matura,roſtro magno,craſſóq;, maculis nigris & magnis,dorſi & lumbis nigris,alis pulchris.

[b] *Lib. 2. c. 5*

Calabri. Illi quos veteres ſcriptores aiunt naſci in Calabria,ab alijs diſcerni ſolent, quòd ſtatura corporis ſint mediocri,lumbis,dorſoq; nigris,ſuperbi ac refractarij,neque facilè pugno affuescant.

Illi

Illi,quos Africanos diximus vocari,& in Africa naſci,dorſum ac lumbos nigros obtinent, pectus maculis nigris & tranſuerſis uarium, alas longas, roſtrum pulchrum, oculos nigros, quales Falconum. Africani.

Vicentini duorum generum ſunt. Aliqui enim in montibus noſtris Vicentinis naſcuntur, qui quandoque optimi euadunt, & omnes ferè ſtatura ſunt exigua, aut mediocri: alij verò in montibus Mucroſticanis,qui rarò admodum,aut nũquam aucupio vtiles fiũt, & maximè qui Spinaroli ab indigenis appellantur. Statura, vt plurimùm puſilla ſunt,pẽnis nigris, roſtro exiguo,capite magno,pedes verò magis giluos, at minores omnibus reliquis Sperueriorum ſpeciebus habent,muribus ac gliribus,vtpotè natura degeneres ac ignaui,plerunque victitant. Vicentini. Spinaroli qui.

TRIDENTINI in illius loci alpibus prognati,admodũ volaces ſunt,corpore procero,ſpecioſo,magno, atque vt plurimùm oblongo, pennis nigris veſtito. Hi dum Alaudas ceperunt, ſæpenumerò prius deorſum in terram deijciunt,poſtea eam arripiũt rurſum,more Falconum. Tridentini

Gignuntur & alij in monte vulgò della Gucchia dicto,in agro,vt arbitror, Bergomatum, qui omnes ferè pulcherrimi ſunt,ac celeris volatus.Hi plumis teguntur nigris, ſtatura corporis ſunt mediocri,& quadrata. Bergomates.

Sunt & alij quidem Sparuerij,quorum natales ignorantur,magni tamen faciendi,etſi natura ſua admodum ſint rebelles. Corporis magnitudine ſunt mediocri,maculis reſperſi maiuſculis coloris ferruginei, ad rubrum tamen inclinantibus: quibus ſignis nullo negocio ab alijs dignoſci queunt. Color enim ille macularum talis ferè eſt,cuiuſmodi aureorum, quos ſcuta vulgò Itali dicunt.

Maximum præterea horum Accipitrum in coloribus diſcrimen eſt. Præter enim varium, qui pleriſq; communis à nobis deſcriptus eſt,albus quoq; & ruffus in nonnullis ſpectatur. Albos Accipitres Fringillarios in regionibus ad vltimum Septentrionem poſitis reperiri author eſt [c] Olaus magnus Vpſalenſis, in ſua rerum Septentrionalium Hiſtoria. Ruffi verò dicuntur quidam, nõ quidem quòd toto corpore ruffo ſint,ſed quia eius coloris maculis pectus inſignitum ac reſperſum habeant. A Colore. Albi. [c] L.19.c.1. Ruffi.

Magnitudinis inter eos differentia in ſingulorum deſcriptione expoſita eſt. Hac ipſa verò potiſſimùm inter ſe differunt mas & fæmina,ita vt ea ſola ferè nota diſcernantur. Vnde factũ eſt, vt Bellonius deſcriptionem vtriq; communem poſuerit huiuſmodi. A magnitudine.

Sperueriorum, quemadmodum & Muſcetus,capitis verticem nigris plumulis veſtitum habet, quarum radices tamen albæ ſunt. Pars quædam alarum, ea nempe quę dorſum contingit,maculis variegata eſt, teretibus, albis: at plumæ, quæ tergum ſuperius,alaſq; veſtiunt, nullis notis variæ, ſed vnicolores è nigro diluto conſpiciuntur: alarum tamen pars interior lineis tranſuerſis diſtinguitur. Plumulæ illæ minutiores,quæ axillas ſeu alarum flexus circumueſtiunt,quęq; ad latera vtrimq; poſitę ſint, aliquantum ruffeſcunt: item illæ,quæ ventrem tegunt, plurimis notis tranſuerſis ruffis maculoſæ ſunt; quibus hoc peculiare eſt, vt latera nigricent. Albicare nonnihil videtur extremitas pennarum caudæ,quæ vtriq;, vt inquit Albertus,dependet. Fridericus Imperator, Sperueriosſ laudabiliores eſſe ait, qui cùm forma, tùm colore magis accedunt ad Aſtures,& caudam eorundem more maculatam habent. Mutati per tranſuerſum maculantur in anteriori parte eodem modo,quo Sori,ſeu non mutati. Et eorum etiam pulchriores habentur,quò plus Aſturibus aſſimilantur. Verùm illud in Aſturibus, & Sperueriis aduertendum eſt,quòd cùm viſus aciem in aliquam rem infigunt, nigredo oculorum pupillæ maior euadat,quàm quando nihil firmiùs intuentur. Vidimus etiam aliquãdo Aſtures, Sperueriosq; pupillam more Falconum obtinere; ſed contrà Falcones illorum more oculos habere nunquam obſeruauimus. Hæc ille. Sperueri deſcriptio ex Bellon. Qui eligendi.

# CAPIENDI RATIO.

HORVM Accipitrum Fringillariorum capiendorum rationem familiarem Bellonius exponit his verbis: Aberamus,inquit, haud procul à faucibus Ponti Euxini, vbi freti Propontidis initium eſt, conſcenſoque altiſſimo eius loci mõte inuenimus fortè fortuna aucupem Sperueriorum capturæ incumbentem. Cùm autem iam Aprilis ferè præteriſſet, quo tempore omne Auium genus conſtruendis nidis,ac procreandæ ſoboli operam dare ſolet,nobis mirum ac inſolens erat Miluorum ac Accipitrum tantam multitudinem à plaga Oceani dextra aduentantem videre.Hiſce ea dexteritate,ac induſtria auceps inſidias ponebat,vt ne vnus quidem euaderet. Singulis verò horis Accipitres ad minus duodecim capiebat. Latebat hic auceps

ceps poſt dumetum, ante quod aream quadratam æquauerat, duos plus minus paſſus longam, latamq; binis vel ternis à dumeto paſſibus diſtantem. Senos in areæ marginibus in humum defixerat ſtipites iuſto interuallo collocatos, pollicis ferè craſſitudine, ſtaturæ humanæ longitudine, vtroque latere binos, quibus ſummis, & ſingulis crena, ea qua aream ſpectabant, parte, inciſa erat, è qua rete filo viridi, tenuiq; contextum ſuſpendebatur. Mediâ verò areâ haſtula cubitum alta ſtabat, cuius apici funiculus alligatus erat, qui ad aucupem poſt dumetum latentem vſque pertingebat. Eidem huic fumiculo Auiculæ complures adnexæ, ſed longo, laxoq; ſatis, grana frumenti per aream depaſcebantur, quas auceps Accipitrem à longè aduentare conſpiciens à plaga Oceani, agitato fune, ſubuolitare cogebat. Ad haſce Accipitres ſeu Niſi, à medij milliaris interuallo, nempe leucæ Gallicæ, quo ſunt inſigni viſus acumine, conſpectas, ſubitò pleno explicatarum alarum remigio aduolantes, tanto impetu in retia irruebant, auiculas abripere conati, vt illis intricati, implicatiq; caperentur. Hac arte in caſſides illectis auceps alas totas ad axillas vſque linteo cuidam in eum vſum conſuto inſerebat, quo alarum infimam partem femoribus, caudæq; colligabat. Ita vinctos humi relinquebat, ſui adeò impotentes, vt neque mouere, neque reluctari prorſus, multò minus expedire ſeſe poſſent. Nemo facilè cogitaret, vnde tanta Niſorum copia aduolare potuerit. Eo enim binarum horarum ſpacio, quo aucupij eius ſpectatores eramus, pluſquam triginta numero hoc dolo captos vidimus: vnde coniectura eſt aucupem vnicum centenos & amplius, vnius diei ſpatio capere potuiſſe. Accipitres hi alioquin non æquè diù eodem loco morantur, vt Falcones, ſed ſæpius hunc mutant, vnde difficiliùs quàm hi capiuntur reti. Neque enim facile ſpacium aucupi caſſes ſuper ſe explicandi concedunt, niſi ea ratione, quam Bellonius poſuit, fallantur.

## LOCVS.

TEMPORE hyberno pleruncq; degere comperiuntur in ſyluis cęduis, earumq; gracilibus, & quæ loco aprico propter dumetum aliquod expoſitæ ſunt, potiùs quàm in nemorum denſorum, celſorumq; craſſis arboribus inſident. Pleruncq; verò non ante occidentem ſolem, ad ſedem ſuam reuertuntur. In volatu Niſi admodum veloces ſunt, & plerunq; vento aduerſo volant.

## GENERATIO.

Cuculi generatio.

EX Accipitre minimo, (inquit Albertus) id eſt, Sparuerio, veterum quidam Cuculum gigni putarũt; vt latiùs in generali hiſtoria ex Ariſtotele & Plinio declarauimus. Hoſce eoſdem cum Falconibus aliquando coire Albertus tradit. Nidificant in Abietibus, & oua, vt audio, quaterna aut quina pariunt.

## VENATVS.

VISVS licet minor Accipitre Palumbario, æquè tamen animoſus eſt, & alacris pro ſua facultate, & ad venandum promptiſſimus, capitq; omnes volucres, quas Aſtur, ut Tardiuus ſcribit, maioribus tantùm exceptis. Columbas enim, Anates, Palumbes, Perdices, Coturnices, Gracculos, Picas, Alaudas, & omne genus Auium minorum, laudati Sparuerij capere ſemper obſeruati ſunt. Hinc etiam [a] Albertus à nitendo Niſum, quod Aues ſe multò maiores rapere nitatur, dictum putat. Citò manſuefieri, & delicatum nutrimentum poſtulare Niſum author libri de natura rerum ſcriptum reliquit. De hac aue in legibus ſalicibus legitur, quòd qui eam furatus fuerit, centum & viginti denarios perſoluere deprehenſus teneatur.

[a] *Lib.* 23.

Niſus vnde dicatur.

## EMBLEMATA.

Spriuerius.

APVD Claudium Paradinũ de Accipitre Sparuerio tale legitur emblema. Accipiter, inquit, is, quem paſſim Spriuerium uocant, inter copioſam Falconũ turmam geſtatus, cum inſcriptione SIC MAIORA CEDVNT, ueram nobilitatem non in opibus, uel autoritate, ſed animi præſtantia conſiſtere figurat. Accipitris nimirum illius ea prærogatiua eſt, ut quibuſcunq; aucupatricibus alijs uolucribus fuerit aſſociatus, eas uniuerſas, etiam ſe multò maiores, ab omnibus, quibus forent aliàs obnoxiæ, uectigalibus uindicet.

DE

# DE CIRCO. Cap. IIII.

NOBILIORIBVS ac simpliciter dictis Accipitribus Circum, quòd & magnitudine & audacia, viribusq; insignis sit, proximè subiungendum putauimus. Nam & Miluo non multò minor est, & Vulpes, Leporesq; inuadere audet, ideoq; meritò cæteris omnibus minoribus, & ignauo Buteoni anteponendus videtur. Falcones enim, licet etiam nobile genus Accipitrum sint, & Circo præferendum, quia tamen hîc de veterum Accipitribus primùm agere decreuimus, & Falcones veteribus ignoti fuerint, variasq; sub se species cõprehendẽtes, peculiarem sibi tractatum vendicare videbantur, ideoq; hîc minimè inserẽdos, aut alijs permiscendos duximus, sed proprio sibi loco post omnes ab Aristotele enumeratas species pertractatas, reseruandos esse. Cum bona itaque Falconum venia Circi historiam auspicemur.

## AEQVIVOCA.

CIRCI vox similis ferè est cum Cercis, quæ vox telum textorium significat, vt Eustathio videtur ἀπο τῦ κρέκειν, quod est ἦχειν, id est sonare, transposita litera ρ: vnde etiam illi ipsi κρέξ Auis etymon suum habet. Cercis qd. κρέζ Auis.

Reperitur κίρκος in ea etiam significatione, qua Circus apud Latinos, pro loco circulari, & in orbem redeunte.

Circus olim erat locus Romæ, quo ludi agebantur, & in quo cursu certabant Equi, vnde & Hippodromos dictus fuit, quasi Equorum cursus. Neque enim credidem hippodromum à Circo differre, vel forma, vel usu. Oblongi maximè erant, at in extremo veluti circulo, in ambitum ducebantur, vt equi, qui eandem viam non semel repetere debebant, currendo possent pergere. Non vnus erat Romæ circus, quæ eo tempore Romana luxuria erat. Ab una parte urbis prope Vaticanum; erat ille Hadriani Augusti, à quo non longè aberat ille Caij Neronis, quo loco iam extructa cõspicitur Basilica S. Petri in Vaticano campo triumphali. Ex altera parte Vrbis erat Circus Aureliani Augusti. Erat & Agonalis prope thermas Hadriani, & theatrum Balbi. Erat & Flaminius Apollinaris prope templum Pietatis & Herculis magni custodis. Erat & circus maximus prope scholam Cassij, & ædem Pompei magni. Extabant præter hos & alij, vt Salustij, & reliquorum. Hippodromus. Circorum Rom. nomina.

Lupi etiam genus secundum Circus vocatur apud Oppianum, nimirum à rapacitate. Lupus circus dictus.

## SYNONIMA.

APVD Græcos poëtas hæc auis aliquando ἶρηξ κίρκος; aliàs κίρκος simpliciter, vt etiam Aristoteli, nominatur. Cuius quidem etymum varij variùm affignãt. Grammatici Græci asserunt, vt Varino placet, vt Circus dicatur ἀπὸ τῦ κρίζειν. Quo verbo alicubi usus est [a] Homerus per metathesin à soni similitudine efficta uoce, hancq; literarum transpositionem consultò in hac uoce esse factam, ut à uoce κρίκος, qui ianuę circulus ferreus est, differret, quę ab eodem uerbo deriuetur. Ἶρηξ κίρκος ab Hesiodo quoq; memorat, & κίρκος, [b] Homero: ubi Hesychius κίρκοι, κοίκοι, ἅρπαγες, & incurua omnia, inquit, κίρκοι dicuntur. Quare fieri potest Circum à rostri & unguium aduncitate, sic uocatum esse. Vel deniq;, ut potiùs puto; quòd uolando, præsertim cùm insidiatur, ut & alię rapaces, & Milui in gyrum sese librans, ac obuertens circuitum facere in aëre conspiciatur; Quanquã Græci Auem Circum appellant; circulum uerò κρίκον. Itaque cùm Festus ita scribat, Circanea siue Circenda Auis dicitur, quę uolans circuitum facit, ego cum Circo eandem esse conijcio, cùm à nominis similitudine, tùm à circulari uolatus genere. Voce Græca κίρκος etiam Latini utuntur, & ab eadem Circaneę Auis nomen Festus, ut dixi, deriuauit, Latinam ei terminationem addens. [a] Iliad. Ξ. [b] Iliad. ρ. Circanea Auis.

Hãc [c] Bellonius eam esse sentit, quam Galli Fau-perdrieux, quę uox Falconẽ Perdicarium, uel Perdicotheron sonare uidetur, quibus tamen id rationibus faciat, non uideo. Nullas enim posuit. Cui nos quoque subscribere potiùs, quàm reclamare uoluimus, maximè cùm præter nudum nomen, nihil aliud apud Aristotelem inueniamus, è quo iudicium facere liceat. Quod enim [d] Plinius de hac Aue scribit, *altero pede claudicare*, euidẽtissimum sine dubio, & certum dignoscendæ uolucris signum futurum fateor, nisi falsò ab eo huic attributum, & perperam ad hãc translatam esset, quod [e] Aristoteles de Aëgythalo Aue scribit. In Accipitrum enim genere nulla unquam cuiquam uisa est altero pede clauda Auis. [c] Lib. 2. de Auib. c. 17. Fau-perdrieux. [d] L. 10. c. 8. [e] Lib. 9. Hist. c. 15.

# DESCRIPTIO.

Fau-perdrieux. Circus.

QVANDOQVIDEM quęnam noſtrarum rapacium Circi nomen mereatur, incertum eſt, deſcriptionem nullã dare potuimus, niſi ex Bellonio, qui hoc nominis ſuę Aliti Fau-perdrieux Gallis dictę aptat. Hunc itaque ſequuti, eiuſdem, quam ipſe Circum putat, auis deſcriptionem è Gallico contextu tranſlatam hîc adijcimus. Auis hęc Miluo haud multò minor eſt, quod ad corpulentiam attinet, & crurum longitudine etiam altior. Roſtrum & ungues minus huic, quàm cæteris omnibus rapacibus adunca ſunt. Crura, gracilia, lutea, ſquammis ſeu tabellis, ut Galli uocant, obducta. Caudę & alarum extremitas nigra eſt. At plumarum caudę color bęticus obſcurus. Capitis uertex & guttur inferius nonnihil ex ruffo albicant, quo eodem colore alę interiores ſub axillis utroque latere etiam tinguntur. Plumulę, quę auditus foramina ſeu meatus tegunt, nigrę ſunt. Roſtrum qua parte capiti continuum & contiguum eſt, plumbeo eſt colore, extremum uerò atrum. Collũ eſt admodum breue, contrà atq; Accipitribus ſtellaribus ſeu Aſturibus, quibus oblongum eſſe ſolet. Capitis albicantis inſigne, nos ferè in eã opinionem adduxerat, ut [a] Ariſtotelis Orypelargum, uel Percnopteron eſſe putaremus, quod hoſce *capite albo* Philoſophus eſſe dixerat. Sed cùm neq; clamoſum aut querulum eſſe, neque à Coruis uerberari, quę quoque eidem ab eo attribuuntur, uideremus, ſententiam mutauimus. Huc uſque itaque Bellonius. VVottonus Circum ex ferociorum Accipitrum numero eſſe ſcribit.

[a] *Hiſ. c. 32.* Orypelargus. Genus.

# VOX

Kreiſſen.

ACCIPITRES generali uerbo, cùm uocem edunt, clangere dicuntur. Circus uerò Gręcis propriè κρίζειν, unde & ei nomen factum uolunt. Hoc uerbum à Cymbrico Kreiſſen nõ admodum abludit, quod exclamare ſignificat. Hanc eius uocem Columbę facilè agnoſcunt & horrent, ut inquit [a] Aelianus ex Ariſtotele. At tardius plerunq; fortaſſe agnitam fugiũt, ſi Euſtathius Homeri commentator uerum dicit, qui tum primùm uocem aſſerit illum emittere, cùm iam prędæ propinquus, de ea apprehendenda ſolicitus ſit, quod de eo ſcribit, ubi hęc [b] Homeri uerba interpretatur ὀξὺ γελήκως Κίρκος. Quibus uerbis Poëta acutam Circo uocem eſſe indicat, quod nõ malè uerbum illud κρίζειν, quo alibi etiam idem [c] Homerus uſus eſt, exprimit. Nam & Cymbricum Kreiſſen, & Italicum gridare, uel ut alij pronunciant, cridare, & Gallicum Crier, eiuſdem omnia originis, acutam & clamoſam potius, quàm grauem uocem edere propriè deſignant.

[a] *Lib. 3. de Anim. c. 45*
[b] *Iliad. χ.*
[c] *Iliad. Π.*

# VOLATVS

[d] *Odyſs. N.*

CIRCVM à uolatus uelocitate ἐλαφρότατον uocat [a] Homerus, ubi uelociſſimum Vlyſſeę nauis curſum huius Auis uolatui comparat.

Ἡ δὲ μάλ' ἀσφαλέως θέεν ἔμπεδον. οὐ δὲ κεν ἶριξ
Κίρκος ὁμαρτήσειεν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν id eſt,
*Et ualdè tutè currebat firmiter, neque Accipiter*
*Circus ſecutus fuiſſet citiſſimus volucrum:*

Alibi etiam τάχυς ἄγγελος Apollinis, hoc eſt, celer nuncius ab eo nuncupatur. Atque eadem prorſus ratione Oppianus, *Equis Iberis velociſſimis, ſola,* inquit, *fortè Aquila uolando contenderit, aut* Κίρκος ταναῆσι τανυσσόμενος πτερύγεσσιν. Volat autem Circus in gyrum, pręſertim cùm pręda conſpecta deorſum ex ęthere in eam ruere cogitat, hac intentione, ut tamdiu in alto aëre gyrorum ope ſe ſuſpendat, donec oportunum præda petendæ tempus conſpicatus rectà deſcendere, & unico eoq; minimè irrito ictu queat abripere. Bellonius ſuum Circum, ſi modo Circus eſt, ſcribit non admodum pernici volatu valere, Miluum quidem velocitate ſuperare, ſed Falcone ac Buteone vtroq; cùm mare, tùm fæmina inferiorem eſſe, idq; reipſa, facto ſcilicet periculo, ſibi cõſtare, vidiſſe ſcilicet eũ Falconibus & Accipitribus loco Milui in prædam datum ab accipitrarijs, qui ſingulorum velocitatem, roburq; explorare vellent.

[e] *Odyſs. O.*

RAPA-

# RAPACITAS.

PAVCIS Accipitribus audacia ac robore cedere Circum, vel ſolum [a] Ariſtotelis probat teſtimonium, qui nempe Vulpem eum non inuadere tantùm, ſed & vulnerare tradit. Vnde nil mirum erit, ſi Columbas timidas, Gallinasq; imbelles perſequatur. Illud quidē de eo etiā Homerus teſtatur: hoc uerò [b] Gyllius apud Aelianum his verbis: *Gallina ardet ſtudio & amore pullorum: primum enim, vt Circum Auem rapacem ſupra tectum gyros agere cognoſcit, ſtatim vehementer vociferatur, tum explicatis alis timidos pullos protegit, auemq; procacem cogit retrò cedere.* Quamuis hoc ipſum in Miluum aptiùs quadrare videtur. VVottonus tamen Circum Gallinarum domeſticarum pullis inſidiari aſſerit, & ferociorum numero Accipitrum ipſum reponit. [c] Homerus Aeneam & Hectorem Circo comparat, proculdubiò ob inſignem eius ferociam & magnanimitatem, Græcos verò Auibus, quæ à Circo capiuntur. Bellonius de ſuo Circo, nempe Fauperdrieux ita ſcribit: Haud ſecus atque Miluus ad Bubonem, qui ad decipiendas & in caſſes vel ad viſcum alliciendas, vel Accipitrum ope Aues in propatulo exponitur ab aucupibus capiendas, ipſe quoque Circus tāquam ad prædam paratam aduolat incautus. Verùm ſimulatq; animaduertit Accipitres, ſui capiendi cauſa ab Accipitrarijs manu mitti, ſeſe in fugā rectà conijcit, nec ſurſum in aéra volat more Milui, ſed recto ad latera curſu ſeſe abripit. Vnde fit, vt difficilior ſit eius venatio Accipitrum opera inſtituta. Verùm noſter Circus ſeu Fau-perdrieux, qui inſigni virium robore præditus eſt, ſtrenuum ſuæ ſalutis ſe defenſorem præſtat. Nam & Miluo viribus longè eſt ſuperior. Hinc fit, vt qui eum capere in animo habent, non pauciores quàm quatuor Accipitres ſimul ad perſequendum ipſum emittere cogantur. Subbuteoni & Tinnunculo hoſtem eſſe, ſatis docet Coturnicum venatio, quæ Canum odore ſagacium ope perficitur, quos eo tempore Subbuteo perpetuò inſequi, ac comitari ſolet. Nam ſi Circum aduentare fortè contingat, ſtatim in fugam ſeſe vertit. Obſeruatū item eſt ſæpius Subbuteonem Circi impetum non ſuſtenturum, ideoq; nec illum expectare auſum, ſed fuga ſibi ſalutem quærere. Circus enim alis vix motis ac veluti rigidis intenſo remigio, maximoq; impetu prope humum volat. Hactenus ille.

[a] *L.9.H.c.1* Circus quæ animalia rapiat.

[b] *L.14.c.33* gallina qūo ſe à Circo defendat.

[c] *Iliad.p.* Æneas Circo comparatus.

Circus qūo capiatur.

Circ° Subbuteoni inimicus.

Hinc fieri ego crediderim, vt nec Vulpem, etſi ſatis potentem hoſtem, & fortaſſe ſolis Aquilis dignum aggredi metuat: ad quod facinus audendum etiam præter roboris conſcientiam, innatum quoddam aduerſus Vulpem odium eum ſtimulat. Neque enim videtur ſufficiens ea, quam [d] Ariſtoteles adfert, ratio, nempe *eum idcirco Vulpem inuadere ac vulnerare, quia aduncis eſt vnguibus, ac carne viuit.* Quot enim ex rapacium genere Aues enumerare liceat, etiam maiores atque robuſtiores, quibus tamen tantus animus minimè ſuppetit?

Circi, & Vulpis odiū

[d] *L.9.H.c.1*

Cum Colūbis item, etſi ijs cum oībus Accipitribus malè cōueniat, prædonibus nempe cum pręda grata, Circus tamē plus, quàm cæteri alij inimicitiam gerere proditur. Vnde [e] Aelianus: *Clangorem*, inquit, *quidem Aquilarum & Vulturum facilè Columbæ ſpernunt, non item Circi & marinæ Aquilæ.* Et alibi: *Aquilas marinas & Circos horrent Columbæ.*

Cū Columbis.

[e] *Lib.3.de Anim.c.45.*

Ita etiam Turturi, ſed pręterea & Cornici hoſtem faciunt. Vnde idem [f] Aelianus: *Cum Turture Coruus & Circus inſitas inimicitias gerunt, & Turtur viciſſim hoſtili odio ab vtroque diſſidet.* Et ibidem. *Inimicitiæ intercedunt Cornici cum Circo.*

Cū Turture & Cornice.

[f] *Lib.6.de Anim. c.45.*

Mures etiam apud [g] Homerum pręter felem & decipulam ſe Circum timere cōqueruntur. Sed indigna propemodum huius vnguibus præda videtur muſculus, Buteoni, & hoc etiam vilioribus relinquenda.

Cū murib°.

[g] *In Batrachomyomachia.*

Sed nec ipſe ſuo hoſte, & quidem capitali caret. Nam ut idem [h] Aelianus ſcribit: *Circus & larus, Vulturq;* &c. *mali Punici grano pereunt.*

[h] *Lib. 6. de Anim.c.46.* Cum malo punico.

Sunt è contrario quædam naturæ eorum amica & familiaria, *Amaraginem* enim, vt Philes habet, *Picrida*, id eſt, *intubum ſeu lactucam ſylueſtrem, ad cuſtodiam pullorum in nidos imponunt*, vt author etiam eſt Aelianus, & [i] Zoroaſtres. Alibi tamen apud Philen reperio, Circum florem Croci nido imponere.

Circi amaraginem ponūt in nido.

[i] *In Geoponicis.*

# LOCVS. NATVRA CIRCI Belloniani, Gallorum Fau-perdrieux.

AVIS hæc Galliæ minimè peregrina aut aduena, ſed inquilina eſt. Inuenitur enim nidum componere in ſummis arboribus ſeparatim poſitis in Auerniæ planis atque campeſtribus locis, vbi Cuniculos potiſſimùm depopulatur, eorumq; maximam ſtragem edit. Bibere etiam aliquando viſus, præſertim cùm in maritimis verſatur. Rarenter admodum eos inſtituere ad Auium venatum ſolemus. Sunt reliquis minus dociles, præterea neque pernicis admodum uolatus. Vidimus nihilominus tamen aliquãdo ad Perdicum, Coturnicum & Cuniculorum etiam venationem eductos, ad horum capturam emitti.

## AVGVRIA.

[a] *L.10.c.8.*

INTER Accipitrum genera, inquit [a] Plinius, inuenimus *Circum claudum altero pede, proſperrimi augurij nuptialibus negotijs, & pecuniariæ rei*. Eundem etiam Columbam vnguibus diſcerpentem felix nuncium attuliſſe Homerus voluit, & nominatim Apollinis nuncium facit. Aeſchylus antiquiſſimus Poëta de Circi augurio hos verſus protulit:

Μεθύστερον δὲ κίρκον ἐισορῶ δρόμῳ
Πτεροῖς ἐφορμαίνοντα, καὶ χηλαῖς πάρα
Τίλλοντα, id eſt,
*Deinde vero Circum conſpicio curſu,*
*Alis ingruentem, & vnguibus caput*
*Vellicantem*

## DE AESALONE. Cap. V.

ÆSALONEM, etſi parua Auis ſit, Circo tamen ordine proximum ob parem cum illo audaciam cõſtituimus. Vulpem enim impugnat. Quinimo manſuefactus & Cycnos & Grues adoriri, fatigare, capereq; perhibetur.

## Æ QVIVOCATIO.

[a] *In comm. lib.5. Lucretij.*
[b] *L.11. Metamorph.*

ÆSALOS Priami filius fuit, qui cùm amore tabeſceret, in Mergum mutatus fuit, vt ſcribit [a] Ioannes Bapt. Pius; Verùm nullibi id nomen reperire potui. Video tamen apud [b] Ouidium Aeſacon eiuſdem regis filium fuiſſe, & eandem ob cauſam in eiuſdem nominis Auem transformatum. Quare haud dubiò dicendum vel authoris, quod non credo, vel potiùs librarij mendum eſſe.

## SYNONIMA.

Α'ισάλον.
Α'ισάρον, Aſſalon.
[a] *L.10.c.8.*

AESALONA hanc Auem Græci vocant, ſcribuntq; alij Α'ισάλων, vt ſit paroxytonum. Alij verò oxytonum faciunt, vt Varinus. Sed hoc minus placet. Apud Heſychium Α'ισάρων corruptè legitur. Albertus & recẽtiores quidam non aptè (vt ſolent) & deprauata voce Aſſalon & Azalon ſcribunt, & vocis affinitate decepti cum Salo, id eſt, Aegitho Auicula confundunt. Latinis eodem quo Græcis nomine dicitur. Hunc cùm [a] Plinius *ſolum inter Accipitres omni tempore apparere* ſcribat, idque inter minores Accipitrẽs ſoli Smerillo vulgò dicto, competere uideret doctiſſimus Turnerus Anglus, minimè uano argumento coniecit hunc cum Aeſalone eundem eſſe. Hic verò Smerillus, ſiue Smerlus vulgò ab Iſidoro Merillus vocatur, & Iſmerlus [b] Petro Creſcentienſi, Mirle [c] Alberto: ab Italis Smerlo ſiue Smeriglio, quarum tamẽ prior vox maiori videtur conuenire, poſterior minori. Faciunt enim duas ſpecies, ſiue aliter, ſiue ſexu tantùm differentes, ut Smerlus fæmina, Smerillus verò mas uoce diminutiua, vtpotè minor, dicatur. A Germanis ein Smirle uel Mirle, à Gallis Eſmerillon uocatur. Quæ quidem voces eiuſdem omnes originis à Merula deriuatæ uidentur, hac de cauſa, *quòd*, ut teſtatur Iſidorus, *Merillus non multò maior ſit Merula*. Imo authore Alberto, colore & figura eam refert, ægrèq; dignoſceretur, niſi roſtrum & ungues aduncos haberet. Vocem Hebraicam עסניא,

Smerillus. Merillus.
[b] *L.10.c.13*
[c] *Lib.23.de Anim.*

Aſnya

Asnya.

Asnya aliqui Gallicè Esmerillon interpretantur. Hunc Bellonius ἱέρακα λεῖον [d] Aristoteli facit, sed nullo argumento, & Accipitrem Leium Latinis dici scribit.

[d] 9. Hist. c. 36 Accipiter Leius.

# DESCRIPTIO.

BELLONIVS [a] Merillum omnium Auium, quibus in uolatico uenatu Accipitrarij utuntur, minimum esse tradit. Plinius paruam Auem uocauit, non quòd inter minores Aues recensendus, ut perperam Hadrianus [b] Turnebus illius uerba accepit, sed quòd inter rapaces minimum esse designaret. *Merilli*, inquit Petrus Crescentiensis, *formam habent Falconis, minores Sparuerio. Sed & corporis specie, & colore pennarum Falcones referunt, sed per omnia minores, vnde ueluti Falconelli*, id est, Falcones parui, *esse videntur.* Hac de causa verisimile est Albertum hos in Falconum genere, sed vltimo loco ceu quantitate minimos collocasse. Muscetis enim seu Nisorũ masculis magnitudine & Lanario rubro pares facit, Merula nõ multo maiores, cui etiam toto habitu & colore non absimiles iam paulò antè diximus. *Guttas*, inquit Albertus, *in facie habẽt, vt & Falcones, alas lõgissimas respectu sui corporis, caudã mediocrẽ, crura pedesq; planos & citrinos*

[a] Lib. 2. de Auib. c. 20.

[b] L. 18. Aduers. c. 16.

Falconelli.

# VOLATVS. PVGNA.

MERILLVM omnium Auium uelocissimum quidam tradunt, & Albertus miram eorum celeritatem prædicat, *Et quamuis*, inquit, *magnitudine cæteris inferiores sunt, nulli tamen animo aut audacia cedunt, pro corporis & virium suarum portione, præcipuè si peritia & vsus accedant, spesq; auxilij à Falconario propinquo.* Itaq; VVilhelmus Falconarius refert se horum operâ aliquando Gruem cepisse. Quinetiam Isidorus scriptum reliquit quatuor Merillos institutos arte hominum, quorum ope nituntur, Cycnum à diuersis partibus inuadere, hoc pacto, ut interpretatur Albertus, ut unus capiti, bini alis insideant, quartus collum & pectus oppugnet, atque eo modo Cycnum opprimentes deijciant, ut ab aucupe capiatur. Vnde inquit idem Isidorus, Cygnus Auis grauida angustijs circumsepta mouere se non ualens, ab aucupe præuenta capitur. Alioquin enim, dum feri sunt, Alaudas, & similes minutas Auiculas tãtùm capere possunt, & ad summum Perdicem & Columbã, nisi (ut diximus) uires arte iuuentur. Venantur autem præcipuè Alaudas, quas tãto desiderio & impetu prosequũtur, ut uel ad clibanum usq; ardentem quandoq; uel in puteum, uel in homiuum uestes offendat, uti [a] Petrus Crescentiensis obseruauit. Cardueles etiam, authore Alberto, frequenter capiunt: sunt enim uolatu celerrimi & insidiosi, & inter persequendum, cùm iam capiunt ascendentes, & descendentes feriunt, sicut & alia Falconum genera. Vnde fit, ut horum aucupium seu uenatio plus uoluptatis, quam utilitatis adferat, cùm pusillarum tantùm uolucrum genus, ut præter iam dictas, Passeres, aliasq; huiusmodi à Speruerio rapi solitas, prædam sibi destinent.

Cycni a Smerlis qũo capiantur.

[a] L. 10. c. 13.

# ANTIPATHIA.

DVAE res cùm ita se habeat, non tam robori Aesalonis ascribendum uidetur, quod, ut Aristoteles & Plinius de eo scribunt, cum Vulpe etiam decertare audeat, quàm naturali cuidam inimicitiæ, qua uel maxima animalia etiam à minimis summoperè sibi metuunt, & horrent; ut Elephas à Mure, Sueuè, Leo à Gallo; Crocodilus ab Ichneumone; Asinus ab Acanthide Aue. Ita enim de Aesalone [a] Aristoteles scribit: *Aesalo Vulpi est inimicus. Ferit enim, cuellitq; eius pilos, occiditq; catulos. Vncis namque vnguibus est. Aesalonem Coruus impugnat, & Vulpem aduersus ipsum defendit.* [b] Plinius uerò, etsi paulò aliter, tamen ex hoc ipso, *Aesalo*, inquit, *vocatur parua Auis, oua Corui frangens, cuius pulli infestantur à Vulpibus. Inuicem hæc catulos eius ipsamq; vellit. Quod vbi viderint Corui, contra auxiliantur, uelut aduersus communem hostem.* Hoc sanè admirandum uidetur, animiq; generosi indubitatum signum, solum Aesalona duobus hostibus (contra quos ne Hercules quidem, ut habet adagium) sese opponere. Quinimo & hoc magis adhuc mirandum est, maiorisq; animi typus, quod loco eodem etiam tradit Aristoteles, cũ Vulture pugnare, Auiculam nempe rapacium omnium ferè minimã cum Aue etiã Aquilâ maiore contendere, eiq; resistere, ex quo ab animositate corporis uires quandoq; superari colligere est.

Cũ Vulpe.

[a] 9. Hist. c. 1. Cũ Coruo.

[b] L. 10. c. 74

Non est tamen, vt ex hoc quispiam arguat Smerillum nostrum, Aesalonem Aristotelis esse non posse, quòd Smerillum nostrum paruas Auiculas pleruncq; infectari diximus. Nam illum etiam

etiam maiora, quàm quæ Aeſaloni veteres tribuunt, præſtare, & Grues & Cycnos adoriri, & ſuperare, præſertim ſi arte humana inſtructus eſt, ex Iſidoro & Alberto antè probauimus. Vnde Merillum Aeſaloni magnanimitate minimè cedere liquidò conſtat, idq; minimè obſtare, quò minus pro iſdem habeantur, aſſerimus. Quicquid tamen ſit, [c] Plinius *Aeſalona ſic Græcis vocatum, ſolum omni tempore apparere, cæteros Accipitres hyeme abire* ſcribit. Quod etiam de Merilo verum eſſe doctiſſimus Turnerus teſtatur. [d] Ariſtoteles tamen *inter Accipitres Buteonem tantùm ſemper apparere* tradit. Merilli, inquit Albertus, *habent aliquid de natura Falconum. Socialiter enim volant ad prædam, ſicut Falcones & Herodij.* Smerillos niſi intra octiduum cicures atque inſtituas, inutiles euadunt.

[c] L. 10. c. 8.

[d] 8. Hiſt. c. 3.

# DE TINNVNCVLO, ſeu Cenchride. Cap. VI.

TINNVNCVLVS parua Auis, Buteo grandior, ambo imbelles, mures & ranas venantur. Quia verò Tinnunculus Auiculas aliquando ſectetur, quod Buteo non facit, hoc longè nobilior eſt, ideoq; nobis de illo meritò prius agendum.

## ÆQVIVOCA.

Milium. Κέγχρις, quo nomine Tinnunculus Græcis appellatur, plura ſignificat. Tinnunculus non item. Nam Milium illis κέγχρος, à Strabone χέγχρυς dicitur.

Κεγχρίται Aues. Κέγχρίται Oppiano ex Anſerum vel Aquaticarum Auium genere ſunt, qui milio ineſcati capiuntur.

Cenchrias ſerpes. Cenchrias, & Cenchrines, vel, vt alij ſcribunt, Cenchrites, ſerpentis genus eſt, quę ſic dictum aiũt, vel quòd tempore milij appareat, vel quòd colore uario ſit, maculis inſtar milij reſperſus.

[a] Tetrab. 4. ſerm. 1. c. 27. [a] Aëtius verò hunc ſerpentem *colore viridi* deſcribit, *maximè iuxta aluum, vt milium colore refert: vnde & Cenchrias*, inquit, *appellatur: aiunt etiam hunc ſeipſo fortiorem fieri, cùm milium floret.*

Cenchrias herpes. Eſt & Cenchrias, id eſt, Miliaris, genus herpetis, à ſimilitudine, quam habet cum granis milij dictum, quòd iſtorum inſtar exiguis puſtulis exaſperetur.

Cáchramidæ ficus. Iſchlades (genus Ficuum) κέγχριτιδες apud Suidam memorantur: alioqui Cenchramidas vocant, ſemina ſeu grana interiora ficuum, milij ſeminibus ſimilia.

Κεγχρίνης. E milio etiam ferculum κεγχρίνη dicitur.

Miliaris Auis. Eubulus apud Athenæum κερχνῆδας (fortè κεγχρυδας) nominat inter paruas Aues: hæ forſan Latinorum Miliariæ fuerint, quas Bononiæ Hortulanos appellant.

## SYNONIMA.

Etymum. GRAECE itaque κεγχρις dicitur, quaſi miliaria Auis. Huic id nominis impoſitum cenſuit Ornithologus nec ineptè, eãdem ob cauſam, qua Herpeti Cenchriæ ſeu miliari & ſerpenti antè dicto, nempe quòd multis milij inſtar punctis inſignis ſit. Nominatur etiam κεγχρίνης apud Suidam, & Varinum item κεγχονίς apud eundem Suidam in voce γαμψώνυχος. In Auium choro apud Ariſtophanem Κερχνίς nominatur. Latinis Tinnunculus dicitur per n duplex. Videtur autem Plinius nomen Latinum ignoraſſe. Nam Græca voce vbiq; Cenchridem uocat, & Tinnunculi [a] ſemel tãtùm meminit. Locum tamen illum non ex Græcis tranſtulit, ſed à Columella ſumpſit. Hermolaus ad locum Plinij iam citatum antiquam lectionem Triſtunculus habere ait, eamq; Gazam aliquando ſequi, ex maiori verò parte Tinnunculum pro voce Græca (Cenchride) ex Ariſtotele vertere. Hac tamen tempeſtate, Triſtunculus in Gazæ traductione nuſquam legitur, ſed vbique Tinnunculus. Videtur autem Tinnunculus per onomatopœiam dici à tinnitu vocis. Triſtunculus cur diceretur non video, ſi apud Latinos nominis originem quærimus. A tribus teſticulis vocem deriuari ridiculum eſt, nec rei ſignificatæ conſonum. Hi enim ſoli Triorchi proprij ſunt, eique ob id meritò nomen dederunt. Multò veriſimilius eſt Gazam, ſiue quiſquis ea primùm pro Latina vſus eſt, ſiue in Latium tranſtulit, ab Italico vulgo eam mutuò accepiſſe. Quod etiam in multis alijs eum feciſſe conſtat, exempli cauſa in voce Ligurinus, quam Auem Ligurino Itali dicunt, qui & hanc noſtram Cenchridẽ hodie etiam Triſtunculũ & Triſtarellum, teſte Nipho uocant. Solent autẽ ijdem, homines

[a] L. 10. c. 17. Triſtũcul⁹. Tinnunculus vñ dict⁹

Κεγχρίνης. Κέγχρις.

Ligurinus.

homines nequam, vafros & verſipelles, triſtes & per diminutiuum triſtarellos nominare. Vnde fortaſſe ab aſtu, quo in Auibus capiendis vtitur, Tinnunculo etiam id nominis indiderunt. Vocatur & Canibellus à quibuſdam Italis, fortè per methateſin detorta voce à Gauinellus. Nam hoc nomine apud quaſdam Italię gentes venit, deriuato, vt videtur, ſeu accepto vocabulo ab Hiſpanis, qui Accipitris quoddam genus Gauia vocant, à quo diminutiuum Gauinello formatum apparet. Iiſdem Hiſpanis Auis hæc Cernicalo, vel Zernicalo dicitur, quæ dictio Græcæ originis nonnihil ſapit, & ad Cenchris accedere videtur. A Gallis Quercerelle nominatur, aliqui Cercerelle ſcribunt, eſtq; vocabulum diminutiuum, tanquàm ſi Cenchridem dicas. Hæc etiam prima ſyllaba ad dictionem Græcam κερχνὴς nonnihil alludit. In Narbonenſi Gallia vocant Siricach. Germani VVannenvvaeher, VVandvvaeher, VVandvvehen, VViegvvehen. Videtur autem nomen VVannenvvaeher factum ab eo, quòd alas extendat, ventiletq; inſtar ventilabri, quod vannum nominant: vel VVandvvaeher, quòd in parietibus turriũ præſertim nidificet. Angli à Keſtrell, Kiſtrel, Kaſtrel in regionibus ad auſtrum vergentibus dicunt, quod nomen à Gallico Quercerelle detortum videtur. Boreales verò à Steingal.

Canibell°. Gauinell°. Gauia Hiſpanor. Cernicalo. Zernicalo. Quercerelle. Cercerelle. Siricach.

[b] Bellonius Gallicè ſcribit Creſſerelle, addẽs Italis obſcœno nomine quibuſdam vocari Foutiuento, hac de cauſa, quia cùm paſcitur, in aëre ſuſpenſus, & tanquam immotus hæret.

[b] *Lib. 2. de Auib. c. 23.*

# DIVERSITAS. DESCRIPTIO.

ITALI ſuum Gauinellum, id eſt, Tinnũculum, duplicem faciunt, maiorem nempe & minorem, nimirum pro diuerſitate ſeu differentia ſexus, non ſpeciei. Mas enim cuius hîc iconem exhibemus, fœmina minor eſt; (cæteras differentias ex vtriuſq; deſcriptione cognoſce) ab extremo roſtro ad vltimam caudam commenſuratus palmos quatuor longus. Roſtrum ei pollicem ferè longum, minimè ſui initio rectà extenſum, vt Speruerijs, ſed ſtatim deorſum molli decliuitate tendit, vnco inſigni, ac longiuſculo, multò quàm in Sparauerijs maiore. Prima eius pars, nempe quæ membranula obueſtita capiti contigua eſt, fulueſcit, media colore eſt cinereo, habetq; ad latera appendicem quandam hæmicycli forma, quæ ab inferioris labri extremi cauitate excipitur; Ab hac vncus incipit ſeu roſtri acies tota atra, qua vniuerſa ſuperius roſtrum inferiori longius eſt. Oculi pupilla nigerrima, cætera flaua. Palpebræ quoque, & plumarum oculorum ambientium vndiquaque circulus ſimiliter flauent. Caput nonnihil complanatum, ac compreſſum eſt in ſummo vertice, qui quidem cũ vniuerſa ceruice ad dorſi initium vſq; coloris fermè cinerei eſt. Gula, pectus, venter flaueſcunt, maculis vndiquaque nigris, non quidem tranſuerſis, ſed oblõgis in ventre, quàm gula latioribus reſperſa. Alæ & dorſum ferrugineis pennis veſtiuntur, quæ notis atris latiuſculis ſubinde diſtinctæ ſunt. Alarum pars interior ex cinereo candicat. Remiges, & extremæ, quæ ventrem contingunt tantùm, ex bætico fuſceſcunt, ad nigrum vergentes. Pennæ caudæ maxima ſui parte cinereæ ſunt, ſcapo medias ſecante nigro. Extremæ uerò propemodum macula atra duos digitos lata, tranſuerſim ducta inſigniuntur, quæ ipſa tamen vltimo penitus caudæ apice in albam notam ſimiliter tranſuerſam deſinit, ac caudam claudit. Cauda admodum prolixa eſt, ita vt reliqui corporis longitudinem æquet, duos ſcilicet palmos explens. Quoniam verò alæ etiã oblõgæ ſunt, & quinq; digitorum ſpatium vltra vropygium, ſeu caudæ initium protenduntur: Cauda tamen etſi longa, trium tantùm digitorum menſura alis longior videtur. Tibiæ flauæ, & pedes digitis ſat magnis, & robuſtis vnguibus inſtructis, & admodum aduncis, nigris, armati ſimiliter flaueſcunt.

Maris deſcriptio. Magnitudo. Roſtrum. Oculi. Palpebræ. Caput. Pectus. Alæ. Dorſum. Cauda. Tibiæ. Pedes.

Quæ ſequitur primùm Tinnunculi Maris Icon eſt; Secunda fœminæ.





## TINNVNCVLVS FAEMINA ALTERA.

Fæminę deſcriptio. Magnitudo. Roſtrum. Oculi.

Tinnunculus fæmina marem medĭj palmi longitudine excedit. Eſt enim quaternos cum dimidio palmos longa. Roſtrum ei breuius nonnihil, quàm maris, nec adeò longo vnco: at magis recuruo. Totum verò eſt colore cinereo ſeu corneo, aliquantum albicante, ac potiſſimùm in parte ſuperiore. Nam vbi capiti adnectitur, pellicula ruffa eſt. Oculorum color idem, qui in mare, in quorum parte inferna, & iuxta minorem oculi canthum, deorſum in collum vergens macula

macula cinerea albicans apparet. Dorsum totum, alarumq; pars superior diluto ferrugineo, & ad ruffum accedente tingitur. Singulæ plumulæ prope radices castaneo fusco seu nigricante variant. Extremæ pennæ remiges supernè bætico obscuro, infernè seu parte prona albescunt, & subfuscis obliquè maculis variegantur. Pennæ extremæ dorsi, quæ vropygium cooperiunt cinereo sunt colore, & notis transuersim fuscis obliquis utrimq; in angulũ medio scapo coeuntibus maculantur. Pennæ ipsius caudæ admodum longæ. Maiores ac præcipuæ maxima sui parte ruffescunt, & transuersis lineis, nigris & calami scapo similiter nigro, qui eas in longitudinem secat, distinguũtur. Vltima tamen propemodum portio maiuscula ac larga macula nigrescit; Sed extremus apex denuò ruffescit. Collum & pectus notis strictis, longiusculis, & recta deorsum tendentibus respergitur. Crura pedesq; lutea sunt. Vngues quidem minus, quàm mari adunci, nigri, recurui tamen.

Dorsum. Alæ. Cauda. Pectus. Crura. Pedes.

Eam verò auem, quam pro Tinnunculo fœmina altera exhibeo, uiuam in foro coemptam anno 1592. sub finem Augusti, intimiùs contemplatus ita descripsi. A rostro vsque ad caudæ extremum tota auis quinque palmos longa erat; longior medium palmum superiore, etsi icon contrarium demonstret: vnde etiam fœminam esse omnino iudicaui. Rostrum habebat breue, aduncum & acutum, in superiori parte cæruleum, sed prope caput intensè luteum. Caput plumis castaneis dilutis, albis, & nigricantibus, per longitudinem ductis insignitum erat: Dorsum coloris castanei intẽsioris maculas habebat magis quàm in capite nigricantes & per transuersum ductas. Alæ ipsæ exterius nigræ, intus maculis albis ferram æmulãtibus perornantur, in quarum medio color est cinereus: extremitates earundem alarum tam foris, quàm intus albescebant. Cauda alis longior, & duodenis pennis constans, erat leucophæa nigris maculis transuersis pulcherrimè exornata, licet in aliqua sui parte videatur ferruginea, & forsitan adultior facta in eum colorem, quem in dorso diximus, erat transitura, vt videre est in superiori, quę fortè adultior fuerit, cùm vngues habeat nigriores & crassiores; in hac verò ad luteum, sicuti etiam pedes, qui omnino lutei sunt, uergant, euidentissimo nondum mutatã fuisse argumento. Gula, pectus totum, ipseq; venter candicabant, & maculis nigris sed oblongis, vt in dorso, respergũntur. Sub caudâ, tota erat alba. Rostri pars inferior seu mandibula sublutea. Oculos habebat magnos, nigros: iridem luteam. Rostrum irata ualdè aperiebat.

Magnitudo. Rostrum. Caput. Dorsum. Alæ. Canda. Pectus.

# VOX. VICTVS.

CENCHRIS cùm uocem edit, tinnire propriè quibusdam dicitur: Vnde per onomatopœiam Tinnunculum dictum uolunt.

Non admodum rapax est, reptilibus & insectis, vt plurimùm uiuens. Papiliones & Locustas, teste [a] Aristophane, deuorat, & Vespas, ut Ornithologus obseruasse scribit. Mures capit. Quinetiam aucupem quendam fide dignum retulisse sibi idem testatur, in Tinnunculi nido se paruum serpentem reperisse, unde anguibus etiam uesci libeat conijcere. Adhæc cùm idem asserat Tinnunculum unà cum pullis in Picarum nido inuentum fuisse, ueri simile est eum Picarum pullos depastum esse, suisq; pullis in cibum dedisse, unde & Aues infirmiores occidere, atque edere putandum est. Nam eum & Turnerus quoque Auiculas insequi, ac dilaniare author est.

[a] *In Auib.*

Quod ad potum attinet, uariare authores uideo, alijs bibere affirmantibus Tinnũculũ, alijs uerò negantibus. [b] Aristoteles enim *Tinnunculum licet aduncis vnguibus, bibere tamen, quamuis rarò, & solum quidem inter vncungues* tradit. Contrà uerò [c] Aelianus: *Cenchris*, inquit, *nulla potione eget:* & Suidas; *Cenchrines Auis est, quæ omnino non sitire dicitur*, quod & Varinus ex eo repetijt. Apud me sanè Aristotelis authoritas grauior est, quàm ut hisce posterioribus credam, quamuis neque ipse ueritatem undiquaq; firmam assecutus uidetur. Nam ut uerum sit eum bibere, non tamen solus bibit, ut nobis res ipsa monstrauit, qui Buteonem, nec non Aquilam bibere etiam uidimus.

An bibat. [b] *3. de gen. cap. 1.* [c] *Lib. 2. de Anim. c. 43.*

# LOCVS. NIDVS.

TINNVNCVLVS in altis vrbium turribus, quales sunt templorum, & in eorum etiam muris, nec non ædificijs, eorumq; tectis nidificat. Interdum in cauis Quercubus, aliisue arboribus; idque non more Cornicum super fronde, sed Monedularum in latibulis semper, vt Turnerus se obseruasse dicit.

# GENERATIO. LIBIDO.

[a] *Lib. 3. de gener. c. 1.*

ARISTOTELES *fœcundiſſimum inter vncungues Tinnunculum eſſe* ſcribit; *ſed ne ipſum quidem plura ova quaternis parere, vt plurimum, aliquãdo tamen etiam plures procreare, compertum eſſe*. Cum eo conſentit Plinius, cùm inquit: *Pennatorum in fœcunda ſunt, quæ aduncos habent vngues: Cenchris ſola ex his ſupra quaterna edit ova*. Quæ quidem, vt vterq; aſſerit, *minij modo rubent*. Inſignis iſtæc, ac ſummoperè prædicata Tinnunculi fœcunditas, qua reliquis ſui generis Auibus, rapacibus nempe, præcellit;

[b] *Lib. 2. de Anim. c. 43*

[b] Aeliano, credo, occaſionem dedit, eidem maximum libidinis ardorem attribuendi, *Ardenti*, inquit, *in fœminas amore inflammatur, moreq; hominum amatoria leuitate flagrantium, ſemper ſectando eas in oculis fert. Si quò clam fœmina abſceſſerit, ex eo maximum capit dolorem, & clangorem fundens vaſtum exclamat, vtque homines vehementer amantes ex amore vexantur, proinde amatorijs moleſtijs affligitur*. Teſtatur Turnerus Tinnunculum pullos diu volantes, tantiſper alere, dum proprio ipſi venatu viuere poſſint.

Pietas in pullos.

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

QVVM cæteris rapacibus plerunq; loca inacceſſa habitare ſit commune, humana conſuetudine gaudere videtur Tinnunculus, dum loca haud longè ab hominum frequentia remota, nempe vrbiũ muros & tecta turrium, aliorũq; ædificiorum incolere comperitur. Vnde & meritò etiam viciſſim ab hominibus amatur, ut quibus illius præda damnum nullum inferat, ſed è contrario potiùs non parum proſit. Nam haud ſecus atque Feles murium capturam ſtrenuè exercet, quibus maximè victitat.

Tinnunculus Colũbis amicus.

Cum Columbis verò in primis maximè celebrata ei intercedit amicitia; ſi verum Demetrius, Columella, & Plinius dicunt. E contrario cum Accipitribus alijs, etſi ſui generis Auibus inimicitiam capitalem, & innatam gerere perhibetur. Vnde *ne Columbæ ſedes peroſæ relinquant*,

[a] *Lib. 7. de re ruſt. c. 8.*

[a] inquit Columella, *vetus Democriti præceptum eſt; genus Accipitris Tinnunculum vocant ruſtici, qui ferè in ædificijs nidum facit. Eius pulli ſingulis fictilibus ollis conduntur, ſtipatisq; opercula ſuperponuntur, & gypſo lita vaſa in angulis columbarij ſuſpenduntur. Quæ res Auibus ſic amorem loci conciliat, ne vnquam deſerant*. Ex quo

[b] *L. 10. c. 37*

[b] Plinius; *Auis*, inquit, *quæ Tinnunculus vocatur cum Columbis habenda eſt. Defendit enim illas, terretq; Accipitres naturali potentia, in tantum, vt viſum eius vocemq; fugiant. Hac de cauſa præcipuus Columbis amor eorum, feruntq;, ſi in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare ſedem Columbas*.

[c] *Lib. 2. de Anim. c. 43*

Huic etiam Tinnunculo peculiariter aſcribit [c] Aelianus, quod aliquin multis alijs etiam Accipitribus ab authoribus attributum eſt, nempe *à natura edoceri, & medicamentum cum oculis malè eſt, ſibi proprium quærere, & inuentum agnoſcere*.

# V S V S.

Fimi vſus.

STVMPHIVS, qui de Accipitraria arte nonnulla ſcripſit, tradit Tinnunculum eadem ratione, qua Merillus, cicurari, ac ad venatum inſtitui, auiculasq; minores, ut ille, captare: *Fimus*, inquit [a] Plinius, *Cenchridis (Accipitrum generis hanc Græci faciunt) albugines oculorum extenuat*.

[a] *Lib. 29. c. ultimo.*

# DE BVTEONE SEV TRIORCHI. Cap. VII.

[a] *L. 9. Hiſt. cap. 36.*

ETSI Ariſtoteles Buteonem inter Accipitres primo loco collocarit, *cumq; genus eorum præcipuum eſſe* dixerit, nos tamen diuerſam rationem ſequuti, inter omnes ab illo enumeratos, ſi modo quos dedimus, tales ſunt, ut cum illis collati, apparent, vltimum locum viliſſimo Buteoni aſſignauimus. Etenim nos Accipitrum dignitatẽ ubiq; ab animi magnitudine metiti ſumus, & quo quiſque ferocior, ac generoſior erat, eo priori loco dignũ iudicauimus. Cùm itaque Buteo omnium ignauiſſimus vnanimi authorum & vulgi quoque conſenſu ſtatuatur, quia non ſolùm nullam Auem capiat, ſed cõtrà à paruis etiam auibus fugetur, (quæ res ipſi eo maiori eſt dedecori, quo corpore eſt grandiori, namque illi, ut dici ſolet,

*Nulla*

*Nulla in tam magno corpore mica salis)* nullam ei iniuriam facere uidemur, dum reliquis omnibus eum postponimus. Cur uerò Aristoteles primum ei locum assignet: imo cur, quod magis est, eum præcipuum seu præstantissimum Accipitris genus esse asserat, rationem ægrè assignare possumus, nisi quod maximè uerisimile est, ad corporis magnitudinẽ respexisse dicamus. Sanè etenim, cùm Miluo haud multò minor sit; itaque reliquis Accipitrum speciebus magnitudine facilè anteibit. Sed & hac dote corporis laudem suam meretur; quòd non solùm in rapacium, sed in Auium uniuersim omnium genere solus sit tribus testiculis præditus, insigni & præclaro admodum raræ fœcunditatis argumento. Buteo cur præcipuus Accipiter Aristot. dictus.

# ÆQVIVOCA.

TRIORCHIDIS nomẽ etiã herbę cuidã ex satyriorũ genere inditum est quòd triplici radice testiculorũ effigie dotata sit, quæ [a] Paulo Aeginetæ herba Serapidis, Satyrium autumnale alijs; Testiculus odoratus alius flore albo Lobelio dicitur. Hæc instar testiculorum multo nutrimento calido & humido ad Venerem extimulat, & fœcunditatem præstat. [b] Plinius ineptè & graui errore, *Centaurium Triorchin* uocari scribit, è perperam intellecto Theophrasto, ubi ait: *Tertio est Centauris cognomine Triorchis: qui eam secat rarum est, vt non vulneret se. Hæc succum sanguineum mittit. Theophrastus defendi eam impugnarig, colligentes tradit à Triorche Accipitrum genere, à quo & nomen accepit; Imperiti confundunt hæc omnia* (scilicet Centaurij genera) *& vni generi ascribunt*. Quibus uerbis, dum alios insciti æ insimulat, suam ipsius palam facit. Apparet enim omino eum esse deceptum [c] Theophrasti uerbis non intellectis, qui sic scribit. *Febrifugam secantes, Accipitrem triteste gerum* (Gaza vertit Triorchen) *nuncupatum cauere aiunt, ut sine vulnere possint discedere*. Non igitur herba ipsa Triorchis appellatur, sed ab Accipitre huius nominis fodienti periculum esse aiebant homines siue superstitiosi, siue impostores uerius. Gaza eo loco non rectè febrifugam vertit. Nam id nomen minori, non maiori centaurio conuenit. Maioris quidem radix succo sanguineo est; minoris inutilis. Triorchis herba. [a] *Lib.7.* [b] *L.25.c.8.* Plinij error Centauriũ. [c] *Lib.9.c.9. Hist.pl.* Febrifuga. Gazę error

Butio apud authorem Philomelæ, per onomatopeiam vocatur Auis ex Ardearum genere, quam vulgus Butor, Plinius Botaurum vocat. Butio Ardeæ genus.

# SYNONIMA.

*TRIORCHA* (inquit [a] Plinius ex Aristotele) *Accipitrem dictum inuenimus à numero testium*. (trium videlicet) *Buteonem hunc appellant Romani*. Huius Latini nominis etymum declarare conatus Festus Grammaticus *Buteonem vastitatis*, ait *esse causam* (signum potiùs credo, vtpotè mali ominis putatum) *his locis, quæ intrauerit, vt Bubo, atque ab hoc etiam Buteonem appellari*. Quæ quidem nominis ratio, quam vera sit & apta, docto lectori iudicandum relinquo. [b] Albertus & eiusdem classis authores Buteus, pro Buteo ineptè scribunt. Hanc Auem Itali Poiana vocant, quasi pagana, ni fallor, nam Villanum etiam dicunt. Circa lacum Verbanum Aieta dicitur. Hispanis aut Lusitanis Gauia, si rectè recordor. Ornithologus putat dici Gallis Buysard, Busard, vel Busant, idq; Sabaudis, apud quos & Buse nomen vsitatum est. Sunt tamen, qui dicant etiam Milui alterum genus, Buysart Gallicè nominari. [c] Bellonius profectò inter Aquilas, nescio quàm rectè, Auẽ quãdam Gallicè ponit Buse & Busard dictam, eamq; Percnopteron [d] Aristotelis Aquilam esse putat. Verùm cùm Aristoteles Percnopterum *cadaueribus pasci* scribat, abiectiq; adeò esse animi, vt *à Coruis superetur ac fugetur*, ipse verò Bellonius hunc Gallorum Buse Cuniculorum viuaria depopulari, Gallinas è corte abripere, pisces in stagnis capere asserat: ex his, inquam cuiuis perspectum fiet illius Buse, neque Percnopterum Aristotelis esse, neque etiam nostrum Buteonem, quòd hic nihil horum præstet, sed ranis & muribus tantùm contentus sit. Vnde Milui quoddam potiùs genus existimauerim, præsertim illud quod Germani Mosvveich, id est, Miluum palustrem vocant, vt pòst dicemus. Aliam item Auem ab eodem Bellonio huic proximè dictæ Aquilæ subiunctam & Aquilarum numero adscriptam video, quam ipse Gallicè Boudree, voce à Buteo non admodum abludẽte, & Goiran Aruernis vocari, & Aristotelis Phrynolochon esse ait. Sed apertè hac in parte Aristoteli aduersatur, dum Phrynolochon, quem ille postremum Accipitrem facit, hic Aquilis apponit. Vnico tantummodò argumento Aristotelis Rubetarium, quem φρυνολοχος significat, Budreum Gallorum esse probat, nempe quòd ranis vescatur. Atqui præterquàm quòd Buteoni hoc ipsum etiã peculiare est, vt eius Etymum. [a] *L.10.c.8.* [b] *Lib.23.de Anim.* Buteus. Poiana. Villanus. Aieta. Gauia. Busart. Bellonij error. [c] *Lib.2. de Auib.c.10.* [d] *9.H.c.32.* Mosvveih. Boudree. Goiran. Error Bellonij. φρυνολοχος.

docebit hiſtoria,& præter nominis quoq; ſimilitudinem,reliqua omnia, quæcunq; de Gallorum Budreo ſcribit, adamuſſim noſtro Buteoni,ſeu Poianæ Italorum quadrare comperio, vt deſcriptionem utriuſq; conferenti manifeſtò patebit. Vnde colligo Buteonem Gallis propriè Boudree uocari,Goiran Aruernis,& perperam à Bellonio Phrynolochon diuerſam à Buteone ſpeciem nulla firma ratione ſtatui.Equidem non temerè quoque exiſtimo,diuerſis nominibus Galliæ eiuſdem prouincijs alio atque alio,vt fit,nomine venire, & idem vocabulum apud varias eiuſdem nationis gentes diuerſis rebus tribui. Vnde ſæpè maxima oritur ambiguitas in rebus præſertim huiuſmodi naturalibus. Credo enim lubens Ornithologo, & ex eius deſcriptione,quam de Buſardo apud Allobroges fecit.hunc cum Buteone eundem eſſe apertè colligo,quanquam & apud hos Sabaudos idem multorum eſt generum. Attamen huius nomen alijs Gallis aliam Auem ſignificare,& Buteonem,nõ Buſard ſolum,ſed & Boudree & Goiran nominari uideo. Gallorum Allobrogum nomenclaturam retinent & confirmant Angli, qui Bushard ſcribunt,& uocant Auem,ut teſtatur Turnerus,Milui magnitudine,quę ſemper cernitur,quod de Buteone ſolo [c] Ariſtoteles ſcriptum reliquit. Aut quod uerius fortaſſe dixerimus, Angli & Galli hanc uocem à Germanis mutuati ſunt,qui & ipſi Buteonem prima ſyllaba conformi Bushard appellant, alij Buſant,Buſarhn quaſi Buteaquilam dicas, deniq; Buſe & Bushen. Germani inferiores, ut [f] Albertus & Murmellius annotarunt, Brobuxen. Eundem Saxonibus Ruttelvvye,id eſt,Miluum rubrum, à ſimilitudine Milui uocari Ornithologus tradit. Idem apud ſuos Maſshuvv, id eſt Bubonem paluſtrem, quòd Bubonem corporis ſpecie aliquatenus referat,& Maſſhuvv, quod eſt,Miluum paluſtrem,quòd circa paludes Auibus inſidietur,& fortè etiam piſcibus. Verùm hæc auis meo quidem iudicio non erit Buteo Ariſtotelis,neque etiam uulgaris,quòd ei aues aquaticas & piſces capere minimè competat. Sed hanc potiùs Milui cuiuſdam ſpeciem puto eandem fortaſſe cum Buſardo ſeu Buſo Gallorum & Bellonij,quam circa aquas uictitare diximus. Multò minus Buteo ſeu Triorchis ea eſſe poteſt Auis rapax,quam Galli Sacre uocant. Etſi idem [g] Bellonius ea ſynonima faciat, & eadem eſſe opinetur,licet opinionis ſuæ non ſatis certus. Etenim Sacre Gallorum Auem ferocem, ac generoſam eſſe,nec Falconibus animi magnitudine cedere ipſe fatetur, quod de Buteone minimè verum eſt dicere.

Buſard.

[c] 8.*Hiſ.c.*3.

[f] *Lib.* 23.*de Anim.*

Brobuxen.
Mashuvv.
Ruttelvvij.
Miluus ruber.
Miluus paluſtris.

Bellonij error.

[g] *Lib.* 2. *de Auib. c.*14.

# DIFFERENTIÆ. DESCRIPTIO.

[a] 8.*Hiſ.c.*3.
[b] 23.*Lib.de Anim.*

BVTEO iuxta [a] Ariſtotelem *Miluo æquatur magnitudine,ſubniger*,vt addit [b] Albertus. Quanuis coloribus etiã variare ſcribat Ornithologus, & albos reperiri ſibi relatum ſit. Quin & corporis quãtitate,eos inter ſe differre,& triplicem eius differentiam apud Heluetios reperiri, nempe magnum, mediocrem & paruum addit.

Lõgitudo.
Roſtrum.
Caput.
Lingua.
Oculi.
Collum.
Dorſum.
Venter.
Cauda.
Tibiæ.

Buteo mihi ex montibus Vineolanis allatus à ruſticis huiuſmodi erat. Longitudine à roſtri principio ad caudæ vſque extremitatem duorum dodrantum cum palmo. Roſtro craſſo,nigro,ad cæruleum vergente,membrana circa nares lutea veſtito,rictu, quà incipit ſeu freno oris ſubluteo. Caput habebat compreſſum,quale Falconibus, figurâ trigonâ. Linguam latam,craſſam,obtuſam. Oculos ſplendidos,teretes, hilares, iridem circa pupillam nigerrimam, leucophæam. Collum breue, plumoſum, craſſum. Dorſum vniuerſum ad caudam vſque coloris ferruginei obſcuri. Venter erat totus albus, maculis ferrugineis, oblongis, deorſum tendentibus diſtinctus. Cauda lata,tranſuerſim maculoſa ſpithamam longa. Crura ſublutea. Tibiæ tres digitos longa. Digiti pedum nigricabant. Totum corpus Auis ſtantis aut erectæ duarum ſpithamarum erat altitudine. Iconem eius ſtatim primo loco dabo.

Bushardũ Sabaud. cũ Poiana eundem eſſe.
Roſtrum.
Pedes.
Dorſum.

Quo autem cuiuis innoteſcat hunc noſtrum Buteonem, Italorum Poianam, cum Bushardo Sabaudorum planè eũdem eſſe,licet alijs Gallis aliter vocetur,hîc Ornithologi deſcriptionem ipſius Bushardi maris in Allobrogibus ab eo accuratè calamo depicti ſubiungemus.Ego, inquit,olim in Sabaudia Bushardum marem ad me delatum contemplatus,talem eſſe inueni. Roſtro erat breui,aduncо,nigro,in fronte color ex viridi & flauo mixtus (quem tamen in altero quodam non deprehendi). Pedes flaui,ad media ferè crura innatæ plumæ. Tergum fuſcum, pennæ extremæ nonnihil ruffi coloris præ ſe ferebant. Interior pennarum pars, quæ mutuo obtectu latet,albeſcebat,multis,denſis,criſpis,mollibusq; plumulis obſepta. In ventre & pectore pennæ albicantes erant nigris pleræq; maculis per medium inſignes. Capitis quoq; pennæ fuſcæ per margines albicabant. Alarum maximæ pennæ cæteris nigriores erant; ſed omnes in alis pennæ altera extremitate,interiore ſcilicet, albidæ. Longitudine corporis à roſtro ad imum pedem extenſi,vel etiam ad imam caudam, dodrantum duorum cũ palmo, hoc

Caput.
Alæ.
Lõgitudo.

eſt, pal-

Cauda. Collum. Bushardi Sabaud. alterius, itidē maris deſcriptio.

eſt, palmorum ſeptem. Cauda ab uropygio dodrantalis. Collum breuiſſimum, vt in omni Accipitrum genere. Tota denique magnitudo & pondus videbatur magnam Gallinam referre. Teſtes, cùm incidērē, nullos inueni, & fœminam fuiſſe puto. Rurſus verò alio tēpore in alium marē incidi. Illi magnitudo per omnia æqualis erat cū ſuperiori; pondus vnciarum triginta. Colore nonnihil à ſuperiore variabat, vt in fronte & alibi. Circulus in oculis flauiſſimus, iridem nigram ambiebat. Crura à ventre ad vngues vſque digitos circiter nouem longa. Venter, latera & crura ſuperius plumis albis veſtiebantur, quas latiuſculi circuli obſcurè ruffi per tranſuerſum diſtinguebant. Tota pars prona concolor erat, caſtanearum coloris obſcuri. Plumæ in cauda magis albebant, zonis quidē eiuſdem coloris, nempe obſcurè ruffis diſtinctæ. Teſtes ad ſpinam dorſi inter vtroſque renes binos tantùm (ut Triorchæ nomen à ternis teſtibus non verè ſit factū) albos & puſillos reperi, altitudine æquali. In medio quidem particula quædam erat teſte minor & flaua. Vngues Buteoni minores, infirmioresq; quàm reliquis Accipitribus. Obſeruaui & Buteonis pullum, nido exemptum recens, vndique cinereum, roſtro tamen pedibusq; & oculis flauis. Poſt aliquod tempus oculi & anterior roſtri pars, ad fuſcum vel ſubcæruleum colorem mutabantur, cùm iam quinque aut ſex hebdommodas vixiſſet. Hæc itaque omnia Ornithologus & quidem rectè. Verùm in eo, quòd Buteonem tribus teſtibus prædi-

Ornithologi opinio de teſtib. Triorchis refutata.

tum eſſe negat, ideoq; non rectè hanc ſui nominis reddi rationem, non poſſum ei per omnia aſſentiri. Nā ego ternos olim in diſſecto Triorchi teſtes obſeruaſſe memini, teſte ipſo, qui hāc anatomen in ædibus meis adminiſtrabat, vti & alias plurimas, doctiſſimo & eccellentiſſimo D. Ioanne Coyter, reip. poſtea Norimbergenſis medico. Quod ſi quiſpiam tertiam illā glandoſam portiunculam, præter binos teſtes, & iuxta ipſos contentam, verum teſtem fuiſſe pertinaciter negauerit, non equidem cum eo vehementer contendam. Attamen hoc ſaltem mihi concedat, velim, eam teſticulo proportione reſpondere, ac ſimilem eſſe. Quæ cùm in nullo alio Auium genere reperiatur; itaq; non iuiuria hunc Buteonem Triorcha, id eſt, triteſtigerum nominandi veteribus occaſionem dedit. Sanè præterquàm quòd iuxta vetus ac uulgatum Philoſophorum axioma: *Natura nihil facit fruſtra*, minimè temerè ſophiæ principis Ariſtotelis ſententiam infringendam puto, ut de Plinio interim, cæterisq; nihil dicam. Vt autem pro uirili mea, ubique in tanta rerum uarietate, ac uocum ambiguitate obſcuritati lucem addam, volui, quemadmodum Ornithologi deſcriptionem, (ut Buteonem cum Gallorum quorundam, at non omnium, Bushardo eundem eſſe diligenti lectori & utramq; conferenti pateret) præter meam attuli, & nunc hîc quoque ſubiungere, quā Bellonius iconem exhibet, & quæ de figura ac compoſitione Gallorum quorundam Boudree, aut Aruernorum Goyrano ſcripta reliquit, vt cuiuis, num rectè hunc cum Poiana Italorum eundem iudicauerimus, liberum etiam ſit iudicium [c] Inquit ergo: Si quis alas huius Auis inuerterit, extrema quinque maiorum remigum pennarum nigra inueniet; parte ſcilicet exteriore, ubi uentrem ſpectant, reliqua interiore à proximis incumbentibus tecta alba eſſe. Cùm in aēre expanſis alis, explicatisq; pennis uolat, albicantes ea parte, qua dixi, faciunt, ut ſupinus albus appareat. Sed cùm complicatis ac demiſſis alis perticæ inſiſtit, è cinereo fuſcus eſt, ſeu nigricat. Et quinæ quidem primarię, ſeu rectrices alarum plumæ hoc pacto notatæ ſunt, ut crenas inſtar ſerræ exhibeant nigras, ubi albere incipiunt. Plumę, quæ uentrem integunt, prorſus cādidæ eſſent, niſi macula nigra apicem ſingularum, iuxta ſcapi medij ductum, inſigniret. Plumę, quæ crura ueſtiunt, fuſcæ ſunt. Hamos in unguibus habet, non quidem ualdè magnos, ueruntamen ungues mediocriter adūcos. Caudā, quod ad colorum uarietatem ſpectat, habet Attagenis caudæ ſimilem. Eadem enim prorſus ratione tranſuerſim diſtincta eſt. Crura ei ſunt breuia, eaq; non prorſus, neque omni ex parte rotunda, antica tantùm & poſtica tabellis, ut uocāt, ſeu annulis imbricata, latera uerò ſquammulis cooperta, colore ubiq; lutea. Roſtrū curtum, acie ſeu extremo nigrum, hamatum, uerùm narium regio & rictus flaueſcunt. His indicijs à Miluo dignoſcitur, cùm quòd minor eſt, tùm quòd caudam minimè bifurcatam, qualis in Miluo cōſpicitur, obtinet. In hoc præterea Miluo diſſimilis, quòd inter uolandum frequēti motu alas concutit, quod & Buſus ſeu Buſardus Gallorum à Buteone, Allobrogum Bushardo diuerſus, facit. Hoc nempe Miluo, neq; Falconi Perdicario, ſeu Gallorum Pau-perdrieux vſitatum eſt.

Boudree ſeu Goyrani deſcriptio.

[c] *Lib. 2. de Auib. c. 10.* Color.

Vngues.

Cauda. Crura.

Quo à Miluo dignoſcatur.

## Sequitur Goyrani ſeu Boudree Bellonij icon.

Triorchis

Triorchis ille, in quo dissecto tres à nobis testes inuētos diximus, & cuius hîc iconem exhibuimus, ei, quem ab initio descripsimus, in omnibus ferè iā hactenus descriptis magnitudine, & habitu conformis erat; verùm dorsum totum ferrugineum potiùs quam fuscum erat, & singularum plumularum oræ nonnihil albicant. Collum, pectus, & venter plumis in radice, & maxima sui parte cinereis subalbis, at in superficie seu marginibus in ambitum ferrugineis obsita sunt. Vnde fit, vt si quis manum, aduerso, vt ita dicam flumine pennarum, ab inferna ventris parte sursum duxerit, aut alioquin naturalem earum situm nonnihil turbauerit, omnia alba aut albis hîc illic maculis respersa sint apparitura. Caput nec admodum rotūdo, neq; etiam multùm complanato vertice est. Crura illius ultra poplites propendentibus plumis, similiter ferrugineis dilutis, obtegebantur. Pennæ caudæ ferrugineæ quoque fuscis notis frequentibus admodum, & ordinatis æquali vbiq; interstitio transuersantur. Hæc tamen colorum in diuersis visa varietas, non debet scrupulum in animum lectoris inijcere, quò minus easdem Aues esse credat. Etenim, vt antè suo loco diximus vniuersim de toto Accipitrum genere, ætas maximè colores mutat, adeò vt eadem Auis diuersis temporibus sibi ipsi videatur quàm dissimillima, & imperitis incognita, facilè imponat.

Color.

Caput.

Crura.

Cauda.

Hanc Auem, cuius iconem modò damus, etiam Poianam vulgò vocant, & Goyrano Bellonij consimilis est, & fortassis eadem.



# VOLATVS. VICTVS.

BVTEO minimè altum volat. Cùm verò volat, crebra alarum cõcussione uolatum instaurat. In vtroq; Miluo dispar est; impotens nempe, vt vnico & valido impetu lõgiùs vehatur. Tarda etenim Auis est, & pigri volatus, tamq; deses ac segnis, vt etiam telo petita, non solùm non ad primum, aut secundum, sed ne ad tertium quidem ictum cedere dicatur. Vnde locũ prouerbio apud Germanos dedit: Du Sitzest vvie ein Bushard, id est, *Buteonis instar sedes*, in homines ignauos, & diutius ad mensam vel alibi ociosè desidentes. Quod quidem præ socordia eum facere, non autem animi intrepidi, vt quispiam æstimare possit, argumentum esse, vel hoc potest esse indicio, quòd quantumuis grandi corpore, ut plurimùm arbori cuipiam insidet, immotusq; ex ea escam speculatur, atque hoc pacto de vna arbore in alteram haud longè distantem, aut de prato in vicinum aliud prouolet ad insecta, vermesq; insectandos ac depascendos. Vnde Oppianus dicit, *Accipitres nonnullos pigerrimos esse, & ad volandum ignauos adeò, vt ab alijs nutriri desiderent, & serò tandem ad venationem procedant, solisq; ranis insidientur*. Quod de hoc Buteone proculdubio est intelligendum, qui non solùm in victu quærendo tardus est, ac deses, sed ne id quidem quod iam acquisiuit, ab alijs, non dico rapacibus, sed ne ab Ardeis, alijsq; huiusmodi, quę alioquin cæteris Accipitribus in prędam cedunt, seruare potest. Quod Simonidem non latuit, cuius hi extant Græci apud Athenæum versus:

Buteonis mira segnities.

Ἐρωδιὸς γὰρ ἔγχιλυν μαιανδρέην
Τρίορχον εὑρὼν ἐσθίοντ' ἀφείλετο.
*Ardea enim anguillam Mæandriam*
*Triorchum cum offendisset comedentem, eripuit*

Quibus notauit insignem Buteonis ignauiam, qui Anguillam ab Ardea sibi eripi passus sit. Quò magis miror Festum scripsisse Buteonem genus esse Auis, quæ ex eo se alit, quod Accipitri eripuerit. Quomodo enim qui ab Ardeis sibi escam paratam eripi patitur, Accipitrem inuadere prædam erepturus audebit, nõ solùm Accipitrum omnium, sed & reliquarum penè etiam Auium ignauissimus? Nisi hoc ita intelligamus, vt dicamus, quę etiam aliorum quorundam sententia est, ea præda tantũ viuere, quæ vel alijs excidit, aut ab ijs fortè relicta est, quamue vel dolo ceperit, vel languore aliquo aut pigritia detentam assecutus fuerit. Auiculas nullas capit, Alberto teste, nisi pigras aut infirmas adeò vt volare nequeant. Imò verò è contrario, adeo vilis ac timidus est, vt ab his ipsis paruis Auibus nonnunquam fugetur. Quamobrem Itali meticulosos ac effæminatos, Poianas, id est, Buteones vocant. Ob hanc eandem pusillanimitatẽ non audent, quod Milui solent, in vrbibus aut locis ab hominibus inhabitatis, aut frequentatis prædam inuadere, sed ruri tantùm & in agris eam perquirunt, vt diximus. Alioquin, ut docet [a] Aristoteles, carniuorus est, vel hoc nomine, quia mures maiores & minores, ranas, rubetas, lacertas, scarabeos, scolopendras, erucas, ac quandoque etiam limaces ac serpentes; sed & anguillas, vt suprà ex Simonide docuimus, rapit ac deuorat. Ornithologus in Buteonis cuiusdam incisi ventriculo talpam integram reperisse sese scribit, & in alio insecta quædã nigra. Sed & herbas quasdam, vt [b] Bellonius annotauit, nimirum sclaream, & asperulam aut aspergulam odoratam Lobelij, quam alij alyson Plinij vocant, Tragus Matrisyluã, depascitur, fortasse quod vero simile est, ob occultum quendam amorem ac sympathiam cum his ipsis plantis, quæ quidem verior videtur sententia, quàm [c] Aristotelis, antipathiæ, seu naturalis inimicitiæ, quam Buteoni cum animalibus quibusdam intercedere scribit, id asserentis: *Hostis est ranæ*, inquit, *rubetæ & anguis. Rapit enim eos atque exedit*. Nam hoc, vt vel ipsiusmet verba indicant, cibi causa potiùs facit, quàm quòd aliter eos oderit. nam & anguillam capit, vt suprà ex Simonide retulimus. [d] Plinius *Harpæ & Miluo communes esse inimicitias contra Triorchim* scribit: Et rursus: *Harpæ*, inquit, *& Triorches Accipiter dissident*. Sed hoc fortè non rectè ex [e] Aristotele transtulit, apud quem sic legitur: *Quæ cibum à mari petunt, Anas, Gauia, & Harpa inuicem dissident. Buteo in alio genere hostis ranæ, & rubetæ, & anguis est*. Et ibidem: *Amici etiam Pifex, Harpa, Miluus*. Illud potiùs ad priuatum, si verum esset, & innatum odium quoddam referendum, quàm quod alio loco Aristoteles dicit, *Triorches, Phrynus, & ophis pugnant*.

Festi error.

Poianas quos Itali vocent.

[a] *9. His. c. 1.*

[b] *L. 2. de Auib. c. 10.*

[c] *Lib. 9. Histor. c. 1.*

Arist. opin. refutata.

[d] *L. 10. c. 74*

[e] *9. His. c. 1.*

CAPIENDI

## CAPIENDI RATIO.

PIGER ille, quem diximus, Buteonis volatus in cauſa eſt, vt facilè ac nullo negocio capiatur. Capitur autem viſco hac arte: Murem humi ponit auceps & faciem auertit, & circumquaq; in muris ambitu virgas viſco illitas erigit, atque æquali vndiquaque interuallo collocat, ligneoq; circulo infernè affigit. Hiſce Buteo murem rapturus implicatur, & alis glutine impeditis, pennas explicare non potis, capitur.

## VSVS IN CIBO.

CAPITVR verò frequens admodum dicto modo, hac potiſſimùm de cauſa, vt in menſæ vſum veniat. Optimam enim carnem ac teneram obtinet, hyeme præſertim. Adeo obeſus eſt, vt non facilè aliam Auem obeſiorem reperias. Vnde, vt tradit Bellonius, Aruernis Galliæ populis, cùm qui plana, tùm qui accliuia loca incolunt, cibus eſt gratiſſimus, aſſus & elixus, neque minus pulpæ præbet, quàm Gallina quæpiam vulgaris. Dulciſſimus eſt, & boni ſaporis, vt Albertus etiam teſtatur, præſertim autem aſſus. Vnde multis etiamnum Italiæ locis in foro veneunt depluma-
[a] *L.10.c.49* ti. Quamobrem minus mirum videbitur, quod [a] Plinius prodit; nempe *in Balearibus inſulis Buteonem etiam Accipitrum genus in honore menſarum eſſe*.

## VSVS IN MEDICINA.

MARCELLVS Empiricus iubet, eum, qui in Venerem infirmior ſit, teſticulos Millonis ex aqua fontis perēni, cum melle decoctos edere ieiunum per triduum, ſpondetq; præſenti iuuamento impigrè in Venerea paleſtra congreſſurum. Cæterùm diù animo pendenti, quænā ea Auis eſſe poſſet, quam Millonem vocat. (Hoc enim nominis nulli vnquam Aui attributum memini.) Tandem in mentem uenit coniectura quadam Triorchen eſſe, quæ
Millo Auis quæ. quum Miluo ſimilis dicatur eſſe, Millonis fortè inde nomen accepit, vt uidelicet Auis maximè teſticulatæ teſtes, à quorum terno numero etiam nomen Triorchidis adepta eſt, ad promo-
[a] *L.3.c.34. Phytogn.* ueudam Veneream facultatem adhibeantur. Nam & doctiſſimus [a] Io: Baptiſta Porta Buteonis teſticulos cum melle decoctos recentes dari eis ſcribit, qui in Venerem infirmiores ſunt, & tantæ ad eam efficacię eſſe, ut ſubitò poſt aſſumptos eo modo teſticulos, coire poſſint, imo verò plantas omnes tales teſticulos radice referentes, frigida membra egregiè calfacere, & ad Venerum apta reddere.

## VSVS IN SACRIS.

[a] *L.10.c.8.* TRIORCHAE *Accipitri*, inquit [a] Plinius, *principatum in augurijs Phœmonoë dedit, Buteonem hunc vocant Romani. Familia etiam ex eo cognominata, cùm proſpero auſpicio in ducis naui ſedisſet.* Et Feſtus Buteonem inter eas Alites, quæ volatu ueteribus auſpicium
[b] *Lib.12.de Ani.c.4.* faciebant, ponit. [b] Aelianus *Dianæ ſacrum Buteonem* eſſe dicit, fortaſſe quòd ſub ueſperum potiſſimùm ad prędam prouolet.

## COGNOMINATA.

[a] *L.10.c.8.* [b] *Lib.24. Ant.lcc.c.4.* Fabius Buteo. [c] *Lib.23.* [d] *In Fabio Max.* ButeoOrator. [e] *L.2. Controuerſ.* Agatocles Bnteo dictus.

FAMILIAE *cuidam Romanæ cognomentum indidiſſe Buteonem, ob fortunatum, quòd in ducis naui ſedens, attulit auſpicium*, nuperrimè ex [a] Plinio dictum. In quem locum commentatus [b] Cælius: *Ego*, inquit, *in gente Fabia id fuiſſe cognomentum puto. Nam* [c] *Titus Liuius M. Fabium Buteonem nominat. Meminit &* [d] *Plutarchus. Sed ibi mendum (opinor) inoleuit. Namſcribitur, modò Fabius Bulco. Græcus codex φαβιον præfert* Βελεωνα, Βετεωνα *legendum credo.* Denique Oratoris Buteonis mentio fit apud [e] Senecam. Legimus item Buteonem cuiuſdam authoris cognomen fuiſſe, qui de Arithmetica abundè ſcripſerit. Ab eodem Agatocles tyrrannus cognomentum traxiſſe uidetur, qui Buteo dictus fuit, vel quoniam hæc Auis, vt ſcribit Sextus Pompeius, uaſtitatis eſt cauſa, his locis quæ intrauerit, quod Tyrannorum eſt proprium, aut, quod uero ſimi-

lius

lius est, ab efferata libidine. Nam egressus Agathocles pubertatis annos libidinem à viris transtulit ad fœminas. Traditur item, quum esset perfunctus fato, uxorem querulam flexibilibus modis illud subinde ingessisse, τὶ δ' ἐκ ἐγω σε; τὶ δ' ἀκ ἐμε συς; id est, quid non ego tibi? quid tu non præstitisti mihi?

# DE SVBBVTEONE. Cap. VIII.

SOLVM Subbuteonis nomen fecit, ut eum Buteoni subiungeremus. Hoc enim nomen Buteone minoris seu inferioris Auis esse videtur. Quamuis & de hoc in Græco præsertim nomine, docti controuertãt, ut postea in nomenclaturis latiùs declarabimus. Alioquin naturę suę ratione Buteoni longè præponendus erat, uel ipsius [a] Aristotelis authoritate, qui *Subbuteones* tradit *appellari in Accipitrum genere, qui latiores sunt*. Quinetiã, si uerus est Subbuteo, quem [b] Bellonius pro eo obtrudit, hic item, etsi Buteone multò minor sit, hoc tamen nomine Buteoni anteponi meretur, quòd generosior, multòq; ad aucupium alacrior, & institutioni aptior esse comperiatur. Hanc autem Bellonij sententiam, qua ille nominis quadam, ut opinor, similitudine ductus, Auem Gallis, Hobraeu, dictam Hypotriorcha statuit, eò minus impugnandam, aut reijciẽdam duxi, quòd aliam Auem ex Accipitribus nullam habeam, cui id nominis à doctis aptiùs imponatur, aut potiùs conuenire uideatur. Quamuis ut uerum fatear, genuinum Aristotelis Subbuteonem esse, non ausim asserere, quòd ex illius verbis adeò paucis nullum iudicium facere liceat. Nã hoc quod *Subbuteones latiores cæteris* dicit, nobis omnino refragatur. Sed Turnerus quoque non maius, neque latius hoc genus Buteone; sed minus facit, & Subbuteonem esse putat, quem Angli Ringtalum appellant, ab albo circulo, qui caudam circuit, colore inter fuluum, & nigrum medio, Buteone paulò minorem, at multò agiliorem. Hic autem à Belloniano & nostro diuersus planè est. In nostro enim nullus circulus caudam ambit. Id tamen Turnero nonnihil fauere videtur, quòd eum similiter ac Buteonem prædam captare scribit. Vt ut est, nos candidè, quod habemus, lectori lubenter communicamus, & de cætero liberum cuiq; iudicium relinquimus.

[a] *9. H.c.36*

[b] *Lib. 2. de Auib.c.19.*

Hobraeu.

Ringtalus Anglorũ.

# SYNONIMA.

SVBBVTEONES Græcè dicuntur ὑποτρόρχαι, sed dubitat Ornithologus vtrum apud Aristotelem γυποτρόρχαι potiùs legendum sit, cùm & in generibus Aquilarum Gypaëtus (sic enim codices nostri habent, & rectè quidem) simili nomenclatura dicatur, ea de causa, quia Vulturis speciem referat, vt Aristoteles ibidem scribit. An verò similiter Gypotriorchæ legendum, non æquè asserere audet. Coniectura tamen quadam in eam sententiam penè deducitur, quod Aristoteles Aues istas latiores dicit, vt ad latitudinem videlicet Vulturum accedant. Turnerus, vt dixi, & Bellonius, contrà sentiunt. Ille enim Subbuteonem Buteone minorem facit: hic verò ex nomine ipso certum se promere putat argumentum minoris in Subbuteone magnitudinis. [a] Inquit enim τὸ ὑπο hic planè oppositam habere significationem illi, quam alioqui plerunq; apud Græcos obtinet. Alibi enim hypo uocabulis additur ad magnitudinem exprimendam, verbi gratia, cùm Hypomaratrum, Hyposelinum dicimus. Verùm in coloribus designandis, cùm subrubrum, aut subnigrum aliquid dicimus, minus tale, & dilutiùs eo colore tinctum intelligi volimus. Eandem significationis vim in nomine venti, Subsolanus, esse illi particulę existimat. Sed quod pace eius dixerim, in duos, eoq; graues sanè errores ex Græca lingua, vt videtur, non planè perspecta impegit. Prior est, quòd Græcas hasce voculas dictionibus alijs pręponi natas augendę, aut imminuendę significationis gratia, nempe hippo, & hypo confundat, tanquam idem significent, cùm sint diuersissimæ. Quando enim rei significatum augere volumus, non hypo, sed hippo, ei proponimus. Atq; hoc sensu non hypomaratrũ aut Hyposelinum, sed hippomaratrum & hipposelinum dicimus. Hippo enim non secus, atq; τὸ βς particula in uocibus Bulapathum, Buselinum, rei significatę aliquid addit. Contra verò hypo eidem nonnihil detrahit, non vbique tamen, neque semper, sed tum solummodò quando cum uerbis componitur, aut nominibus ab ijsdem deriuatis, cum substantiuis verò nequaquam, nisi, ut dixi, verbalia sint. Errat item circa nominis huius Auis examen, dum perpetuò minus quippiam denotare dictionem opinatur, cui prępositio hypo adijcitur. Perperam enim

γυποτρόρχης.

[a] *Lib. 2. de Auib. c.14.*

Bellonij error.

Latina,vt de Græcis probet,exempla adducit. Diuersa enim est Græcæ prępositionis ὑπο vt dixi ratio,à Latina,sub. Hæc non cum uerbis tãtùm & verbalibus,vt illa,componitur,sed & substantiuis nominibus,vt in Supparus & similibus alijs. Rectiùs feciſſet, ſi de Latinis nominibus, cum prępositione sub compositis,hoc dixiſſet. Hęc enim imminutum aliquid significat. Quod etiam in hac ipsa dictione, Subbuteo, locum habet, quam Plinius pro Græca Hypotriorchis posuit. Quod quidem & ipsum ita sensisse,nempe hypo hîc significatum imminuere, indicio est,ut Hypotriorchis Triorchin significet,aut corpore minorem,aut ignobiliorem:qua significatione Gypaëtos quoque dicitur. Qua ratione moti & nos quoque Subbuteonem, siue Hypotriorchin minorem potiùs Buteone, quàm è contrario statuemus, atq; Bellonij Subbuteonem,cùm alium potiorem non habeamus,acceptabimus. Hic autem ille est,quam Bononienses aucupes,& cęteri Barello uocant, Galli Hobraeu.

ὑπο quibus nominibus ꝑponatur.
Sub quibus nominibus ꝑponatur.
Hypotriorchis quid significet.
Gypaëtos.

# DESCRIPTIO.

HANC Auem ab aucupibus Bononiensibus anno 1591. mense Februario coëmptam ita descripsi. Longa erat palmos quatuor. Rostrum ei breue,initio subcæruleum, extremo nigrum. Nares teretes & patulę. Superius rostrum admodum aduncum, acutum, à cuius aduncitatis initio vtrimq; duæ appendices eminent, & orarum inferioris rostri lateralium veluti sinubus digitatim insertæ sunt. Mandibula inferna parte eadẽ,qua superna,ratione colorata, in extremo obtusa est,& canaliculata. Lingua latiuscula. Palatum colore ferè corneo. Oculi subnigri. Palpebræ subluteę. Plumæ menti, & gulæ totæ albæ, & color ille continuus ad ceruicis & verticis post tempora initium, quod minori oculorum cantho ex opposito est, perducitur. Vertex ex cinereo & castaneo obscuro ad nigrum vergit, eiusdemq; coloris macula à capite per tempora ad gulæ latera descendit: item altera eiusdem coloris ab initio rictus sub oculis vtrimq; per gulam in longum protenditur. Collum medium plumulæ partim albidæ, partim rubidæ cingunt. Dorsum totum,alæ,collum & cauda è leucophæo ad nigrum tendunt,è quo nonnihil obscuri castanei, dorso præsertim supremo, & extremis alis superficietenus emicat. Obscuriores tamen alæ sunt. Alarum pẽnæ omnes parte interna versus dorsum maculis transuersis,nunc subruffis,nunc subnigris vicissim uariant,vti etiam caudæ decem pennę vniuersę, duabus tantùm medijs exceptis. Pectoris totius plumę, necnon & uentris medio macula fusca oblonga notatæ in oris albicant. Femora ad poplites vsque ferrugineis tecta plumis, notulis subnigris aspersuntur. Crura breuia,sublutea, tabellis ad ungues vsque intecta. Digiti cum cruribus,præsertim uerò cum tibijs collati, longiusculi apparent. Crus totum seu tibia potiùs ab genu ad aciem usque unguium duorum est palmorũ longitudine, uti & cauda. Vngues aduncì,& insiguiter hamati,aterrimi. In pedum planta seu parte digitorum inferiore ex articulorum regione tubercula,ueluti calli ubique eminent. Marem esse putabant aucupes, & è Sparueriorum genere. Verùm oua in dissecta postmodum Aue reperta,contrarium declarârunt.

Lõgitudo.
Rostrum.
Lingua.
Palatum.
Oculi.
Gula.
Vertex.
Collum.
Dorsum.
Alæ.
Cauda.
Pectus.
Venter.
Femur.
Crura.
Pedes.

# VOLATVS. VENATVS.

BELLONIVS[a] uenationem huiusce Auis, quam Galli Hobreau vocant, quam in aëre in paruas Auiculas exercet, comparat persequutioni illi,qua pisces maiores in alto mari, in minores victus gratia plerũq; vtũtur,iuxta illud:

*Grandibus exegui sunt pisces piscibus esca.*

Quemadmodum enim, inquit ipse, pisces à Delphino insectari sese sentientes, neque tutò sibi in natiuo, proprioq; elemento viuere licere ad aërem seruandi sui gratia confugiunt,& aquæ superiora petunt,maluntq; anceps ab Anatibus,Laris, alijsq; summo æquore volitantibus subire periculum, quàm in certam perniciem capitali hosti sese in prædam dare: Simili planè pacto Auiculis accidit,quas Subbuteo seu Hobreus persequitur. Huic proprium est,ac solenne, homines, quos Perdicum, aut Coturnicum venationi operam dare conspexit, comitari, suprаq; capita ipsorum pauliſper eleuatum per aëra sequi, hac spe,vt si Auicula quæpiam Canum vestigantium metu subuolarit,hanc nihil tale suspicantem, & ex improuiso obuiam rapere queat. Cùm itaque Alaudarum omne genus,nempe tam Galerita, quàm gregalis,seu non cristata,& pratensis, præterea & similes aliæ Auiculæ, rarò in arboribus sedeant, fit vt à Canibus venaticis humi deprehensæ, quò horum faucibus se eripiant,

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 19.*

Hobreus Delphino comparat.
Hobrei natura.

piant, in æthera euolare cogantur. Cùm itaque vndique certum ſibi periculum imminere vident, malunt aut uiuæ capi, aut Canibus præda fieri, aut dubiam ſalutẽ in venatorum & equitum turba ſeſe abdendo quærere, quàm in hoſtis iurati & mortalis poteſtatem venire. Tanta eis fugiendi inimici innata eſt cognitio. Neque ſanè eas fallit opinio. Nam peculiaris hæc eſt Hobreo venandi ratio, vt Auiculas non humi, aut in arbore ſedentes, ſed uolãtes rapere ſoleat. Qua de cauſa venatores obſeruatos ubicunque gentium aut terrarum Subbuteones ſeu Hubreos, comitari ſemper ſolent, quaſi non ignorent, ab his auiculas humili gaudentes loco excitari, ſibiq; in aërem obuiam mitti. Veruntamen in eo ingenio hunc morem ſeruat, vt non niſi ad certum quoddam tempus venatores prædę ſpe ſequatur, quaſi etiam ſibi euagari nõ liceat. Certum itaque & quod uiſum eſt, interuallum itineris emenſus, nemorum denſorum, celſorumq; oras repetit, in quibus pleruncq; degit, ac ſedes figit.

Locus.

Barellus. Noſtrates aucupes ſuum Barellum ad venandum alacrem & impigrum pro ſua magnitudine Perdices, & Coturnices capere aſſerunt.

## VSVS.

ACCIPITRARIAE uenationis diſciplinę nõ inidoneus eſt, & ex eorũ numero, qui ſcapo reuocantur, & ſublimes uolãt inſtar Falconũ. Per rura quoq;, cùm ferus etiamnùm eſt, ac iuris ſui, uagatur & hoc commodi uenatoribus præſtat, ut minutæ uolucres hoſtis in aëre pendentis conſpecti terrore perculſæ, atque auolare non auſæ, ab ipſis potiùs hominibus ſe capi quomodolibet patiantur: adeò ut illud, quod [a] ab Ariſtotele, & [b] Plinio ſcriptum eſt, *apud Thraces venationis ſocios adſciſci Accipitres, quorum opera aues metu tyranni ſupernè imminentis perculſas, terramq; repetentes capiantur*, in hoc peculiariter Accipitris genere locum habere uideatur.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. c. 36.*
[b] *L. 10. c. 8.*

## PERCVM CVM FRINGILLARIO eundem eſſe Ariſtoteli. Cap. IX.

ENARRATIS iam ex deno Accipitrum [a] Ariſtotelis numero, illis ſpeciebus, quæ poſteris, nobisq; etiam aut cognitæ ſunt, aut ſaltem exiſtimantur, reſtant nunc ij deſcribendi, quorum nomina hactenus nulli adhuc nobis noto Accipitri ex doctorum conſenſu impoſita congruere comperiuntur. Huiuſmodi ſunt Ariſtotelis Pernis, Percus, Rubetarius, Leuis. Verùm antequam de his ſigillatim agamus controuerſiam quandam de hoc, quem Ariſtoteles dicit Accipitrum numero, inter doctos natam uentilabimus, quod ea diſcuſſa dicendis maiorem ſit lucem allatura. Eorum, quos nominatim ac ordine Philoſophus recenſet, Accipitrum primi ſeptem ex ipſis authoris uerbis omnes diuerſi, & ſinguli ſuum, ac peculiare genus conſtituere cognoſcuntur. At cùm præterea in ſequentibus alia quatuor adhuc Accipitrum nomina ponat, ipſe tamen decem tantùm ſpecies expreſsè ſtatuerit, neceſſe eſt, ut è quatuor illis ultimo loco recitatis nominibus, duo ſint, quæ unam & eandem Auem ſignificent. Verùm in utro binario, poſteriorinè ſcilicet, an priori id contingat, admodum dubium eſt, cùm utrique binarij ſeorſim per coniuctionem copulatiuam, tanquam ſi idem ſignificarent, in enunciatione poſiti uideantur. Ita enim inquit Ariſtoteles: *Alij Percæ, & Fringillarij vocantur, alij leues & Rubetarij.* &c. Neque uerò in utraq; propoſitione, utrumq; nomen idem genus Accipitris denotare poteſt. Sic enim nouem tantùm genera contra authoris ipſis mentem recitata comperirentur. Ornithologus dum de Leui & Rubetario ſimul ac ſemel tractat, neque eos ſeparat, pro ijſdem habere uidetur, apertè tamen ſententiam ſuam non declarat. Bellonius diſertè diuerſos facit, uarijs ſpeciebus ea nomina imponẽs, ut paulò pòſt docebimus. Auguſtinus etiam Niphus λείας, & φρικολόχες ſpecie diſcrepare uult, πέρκας uerò & σκιζιας minimè. Ego, etſi hanc litem, meo interpoſito arbitrio, decidi poſſe diffidam; ut tamen, quod ſentio, dicam, potior mihi Niphi uidetur ſentẽtia, qui Percum & Fringillarium eaſdem ſpecie Aues facit. Etenim cùm Percos, ſeu potiùs, ut Ornithologus legendum contendit Percnos, teſte Varino, à uerbo Græco περκάζειν, quod eſt nigreſcere, ortum ducat, & ipſa uox oxytona Percnos nihil aliud, quàm nigricantem, aut maculis nigris diſtinctum ſignificet: unde nimirum Aquila Percno-

[a] *9. Hiſt. 36*

Accipitres qui adhuc incogniti.

Niphi ſententia approbata.

Percnoptera ab alarum notis vel nigritie,& Perca piſcis à lineis,quibus varia eſt, nigricãtibus, nomen traxiſſe videntur;in eam coniecturam ducor,per Fringillarium ſeu σπιζίαν, & πέρκινον Ariſtotelem vnum tantùm genus,ſpecie videlicet minimè diſtinctum, ſed ſexu tantummodò dicere uoluiſſe,ut nempe per Fringillarium,Niſum fæminam; per Percnũ,marem vulgò Muſchetum dictum,intellexerit. Huius meæ coniecturæ eandem rationem,quam ſuo loco nominis Muſcheti Gallici,& Sprintzling Germanici poſui,nunc quoq; adduco. Percni reuera nomen nulli Accipitrum aptiùs, quam mari Fringillario competit. Auis enim eſt maximè & quantum ulla alia ſui generis nigricantibus,alijſq; notis maculoſa & varia,& rei ſignificatæ apprimè reſpondet.Et hac ipſa,ſine dubio, de cauſa multarum gentium conſenſus huiuſmodi ei nomen impoſuit,quod eiuſdem cum Græco περκνὸς eſt ſignificationis. Diximus enim Moucheter Gallis,nihil aliud, quàm maculis diſtinguere, denotare, indeq; illis indigete voce Mouchet,quaſi maculoſum & varium dici.Eadem eſt Germanici nominis etymologia.Sprintzling enim idem quoque diminutiuo vocabulo, quod Auiculam plurimis notis diſtinctam vel reſperſam ſignificat.Quæ omnia eiuſdem cum Percno eſſe ſignificationis,quis non videt?Vnde, ſi vera noſtra eſt coniectura, relinquitur manifeſtum, quod diſcrepent vltimo loco enumerati Ariſtoteli, Leius & Phrynolochus,id eſt,Leuis & Rubetarius,de quibus nũc pauca dicẽda ſũt.

Percnoptros Aquila, & Perca piſcis vnde dicti.

Moucheter quid Gallis.

Sprintzling.

Ornithologus,vbi cauſam etymi λεῖος inueſtigat,in hęc verba ſcribit:Cur leues quidam Accipitres (λεῖοι) ab Ariſtotele dicantur, non facilè dixerim . Nam Muſtelæ piſces leues dici uidentur,quoniam aculeos dorſi, vt Acanthiæ in eodem genere non habent. Eſt & Leuiraia à priuatione ſpinarum dicta. Coniecerim tamen leuem dici Accipitrem, qui nullis punctis aut maculis diſtinguatur,& veluti exaſperetur,ut Aſterias, Cenchris . Nam & Aeleophoro inter Accipitres nomen à maculis naſi. Hæc ille. Ex hac veriſimili admodum profectò ratione adducta ab Ornithologo,patet eum contraria prorſus de cauſa Leiũ ſeu Leuem eſſe appellatum, quamquam illi Percno nomen datum fuit,& omnium primò Aſteriæ,nec non & Cenchridi. Quæ res etiam nonnihil opinionem noſtram de Percno allatam confirmat,dum Accipitrum differentias ab eo peti docet,quod nihil omnino , aut plurimùm commaculati ſint. Hic uerò Leius quis ſit incertum eſt.Bellonius Smerillum,quem nos pro Aeſalone Ariſtotelis dedimus, Leium eſſe putat,ſed nullo prorſus argumento.Ea ſanè quam de Leue Accipitre attulimus,no minis ratio Smerillo non conuenit.

Accipitres leues vnde dicti.

Muſtelæ piſces cur leues dicti.

Leuiraia.

Leius quis.

Alter Phrynolochos Ariſtoteli,id eſt,ranas deuorãs,ſeu Rubetarius,quod hiſce uitam potiſſimùm ſuſtentet,dictus eſt à Bellonio Gallorum Boudreus, nempe quia ranis etiam veſcatur. Verùm hoc cùm pluribus alijs,tùm Buteoni quoque conuenit, quem Boudreum eſſe ſuo loco docuimus. Magis,longiuſq; à uero oberrare uidetur Turnerus, qui Rubetarium eſſe credit Accipitrem ( ſic ipſe uocat ) illum,quem Angli Henharroer nominant,à laniandis Gallinis, Palumbario maiorem,colore cinereum,qui humi ſedentes Aues in agris, & Gallinas in oppidis repentè adoritur,& præda fruſtratus tacitus diſcedit, nec unquam ſecundum facit inſultum,per humum volans omnium maximè. Nam ſi has,quas dicit, Aues capit,non erat, quod Rubetarius,tanquam à præcipuo victu diceretur. Quare ſi ne Buteo quidem , qui etiam ranis ita oblectatur,ut Aues nullas uoret,ſic dici mæretur,multò minus ille,quem Turnerus adfert, Accipiter,eo nomine uocandus eſt. Mihi quidem Milui potiùs ſpecies,quem deſcribit,eſſe uidetur. Hiſce enim potiſſimùm propriũ eſt Gallinaceos pullos prædari,quãuis Ornithologus peculiari de Miluo tractatu hũc Circũ eſſe ſuſpicetur,quẽ priuatim Gallinis inſidiari ſcribit.

Rubetarius quis.

Turneri error.

Hen harroer.

De utriuſque,nempe Leuis & Rubetarij natura & victu, hæc tãtùm,& ab Ariſtotele prodita inueniuntur. *Abundè*,inquit, *viuunt,& humuolæ ſunt*.id eſt, facilè ſibi uictum parant. Neque is ferè unquam defit,ſuppetente nempe ubique ranarũ copia. Cæterùm quòd ita coniunctim, & eandem naturam vtriſque tribuit Ariſtoteles,ſuſpicionem cuipiam mouere poſſit, eoſdem eſſe hos Accipitres. Ego quidem, poſtquam meam in medium adduxi coniecturam , cuiq; liberum,quid ſentiat,relinquo iudicium.

Verùm de Perne,quòd ſtatueramus, nihil adhuc diximus. Apud [a] Ariſtotelem Accipiter Πέρνης ſcribitur, Gaza verò Pernix transfert. Niphus dum illum eſſe conijcit,qui vulgò Speruerius appellatur,& à celeritate ſic dictum ſcribit,ſuam in Græcis literis ignorantiam prodit, dum alludendo ad vocem Græcam,Latinam ei ſignificationem aſciſcit. Πέρνης alioqui ſignificationem nullam apud Græcos habet. Vnde Ornithologus πέρκνης legendum mauult, vt eadem ratio eſſet nominis, quæ Percno antedicto Accipitri & Percæ piſci. Si quis tamen Pernis legere malit, quod & πέρνὸς κυνηγητικὸς ἀετὸς apud Varinum habeatur, per me quidem licebit. Etſi quod ſequitur ὁ περιασῶς κάπνων, voci Percnos magis conueniat. Sed alibi quoq; apud eundem Varinum πέρνης genus Accipitris eſſe,& apud Heſychium quoque legitur.

[a] *L.9. Hiſt. cap.36.*

# DE RELIQVIS ACCIPITRIBVS, Ac primùm de Sacro Ægyptio Bellonij. Cap. X.

TRADITIS decem Accipitrum Ariſtotelis generibus, dignitatis ſemper, vbi fieri licuit, ordine ſeruato, proximum eſt modò, vt à recentioribus traditas quaſdam ſpecies ueteribus fortè ignotas ſubnectamus. Huiuſmodi ſunt, quos Sacros Aegyptios Bellonius appellat, Lanarijq;, & Falconum omne genus. De Sacris, quoniã nomine Hieracis ſignificationem Latinè exprimunt, ideoq; ad Accipitrem propriè dictum, propius accedere videntur, prius agemus, dein de Miluis & Cuculis, poſtremò de Falconibus, vt eidẽ, quo cœpimus, ordini inhęreamus, atq; omnem confuſionem euitemus.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 15.*

Ea Aegypti parte, inquit [a] Bellonius, quam Nilus minimè inundat, & potiſſimùm quę Africam uerſus vergit, loco ſita eminentiore, ſolo ſabuloſo, ac ſterili, ingentem vim Vulturum conſpeximus, aliasq; alites nobis tum temporis ignotas. Verùm cùm frequentem adeò, numeroſumq; earum gregem uideremus, eademq; qua Vultures eſca, paſci, omnibus præterea notis, quæ Aui rapaci conueniunt, præditas eſſe, ſtatim Accipitres Aegyptios eſſe, quorum [b] Herodotus meminit, ſuſpicati ſumus, neq; nos, ut remur, opinio fefellit.

[b] *In Euterpe.*

## FORMA.

CORPORIS magnitudine Coruum ferè refert, capite Miluum, roſtrum inter Coruinum & Aquilinum medium, in extremo modicè aduncum, crura etiam ac pedes, partim Coruum, partim Aues rapaces imitantur, vti etiam inceſſus. Colore ad Falconem Sacrum accedit, quamquam fortaſſis etiam alijs coloribus inueniri poteſt.

## LOCVS.

AVIS eſt in Aegypto frequentior, quàm ulla alia Auis, quæ rapto uiuit. Ab hac regione nõ admodum diſcedit, nec alibi facilè reperitur. Rara enim in Syria conſpicitur. Quaſdam tamen in Caramania dicta hodie regione huius generis videre contigit, quod nobis inſolens uidebatur. Harum autem generis uerſicolores obſeruauimus.

## VICTVS. VSVS IN SACRIS.

[a] *In Euterpe.*

SERPENTIBVS potiſſimùm veſcitur, & Aegypti regionem à noxijs huiuſmodi reptilibus ea ratione liberat & expurgat. Vnde, vt tradit [a] Herodotus, tanta eum Aegyptij proſequebantur reuerentia, vt quicunq; hanc Auem, ſiue imprudens, ſiue data opera, ſiue volens, ſiue nolens occidiſſet, ex legis præſcripto, ſtatim ineuitabili morte mulctaretur. Simili ratione, ſi quam fortè exanimem alicubi offenderent, maxima procurabant ſolicitudine, vt cadauer eius accuratè condiretur, ac ſepeliretur, quemadmodum & Ibidem, aliaq; aliquot animalia, atque ea præſertim, quæ Deo cuidam (verius Dæmoni) ſacra erant, uiua, mortuaue, ſimili falſa ſuperſtitione, maximo honore afficiebant.

Aegyptios Accipitres ſepelijſſe.

Hanc, quæ ſequitur, iconem Bellonius pro Sacro Aegyptio exhibet.



# DE LANARIO. Cap. XI.

LANII ſeu Lanarij proculdubiò rapacium generi aſcribendi ſunt, cùm habitus, tùm naturæ ſeu indolis ratione. At cùm duplex eorum genus ſit, prius Falconi ſimillimum, & ipſi affine, vnde & eius gaudet prænomine: alterum ignobile, Buteonibus, vt videtur, rectiùs annumerandum: itaq; prius illud peculiari, quem meditamur, Falconum tractatui reſeruamus, ne cum nominibus res ipſæ quoque confundantur: (nam Tardiui & Bellonij, Gallorumq; Lanarius ab alijs maximè differt, vt collatis hiſtorijs facilè innoteſcet) hoc verò ſecundum, etſi fortè Buteonibus potiùs adiungẽdum eſſet, quia tamẽ ſub Lanarij nomine vulgò innotuit, ſeorſim, hoc loco eius hiſtoriã ponemus. Dehinc minorum Lanariorum uarias ſpecies enarrabimus.

## AEQVIVOCA. SYNONIMA.

NOMEN hoc, Lanarius, vt iam diximus, diuerſis & admodum inter ſe diſcrepantibus Auibus tribuitur. Gallis enim quidã Falco Lanarius dicitur, de quo poſt Falcones, item quem veteres Tinnunculum appellant, hunc Lanarium rubeum recentiorum eſſe quidam exiſtimant. Regeſtolæ quoque, & Buferlotto vulgo Italorum dictis, Lanij rectiùs, quàm Lanarij nomen conuenit. Denique & hic, de quo in præſentiarum ſermo eſt, ſiue Buteo, ſiue aliud genus Accipitris eſt, cùm ignobilis ſanè ſit, à quibuſdam, qui Falconis nomen ad omne Accipitris genus extendunt, Falco degener, ſeu ignobilis, tanquam ſi Acciptrem degenerem dicas, etiam appellatur. Dicitur autem Lanarius, vt conijcio à laniandis Auibus: vel quòd plumas multas, denſasq; & molles lanarum inſtar habeat, vnde quibuſdã genus quoddã Lanij etiam Molliceps dicitur. Italicè vocatur Laniero, à quo Latina terminatione vox Lanarius cõficta videtur. Alioquin, vt dixi, etiam Buteo albus, & Falco albus uocatur. Gallorum uerò Lanier ab hoc & cæteris omnibus diuerſus eſt. Germani quidam peregrinum vocabulum imitantes, Lanete dicunt. Alij Alberto & Murmellio Germanis teſtantibus Svvemere uocãt; pro quo nonnulli Schvveimer ſcribere malunt, fortaſſe quod in aëre ſuſpenſus, ueluti natare uideatur. Nam Schvveimmen, vt ſuperiores Germani, uel Svvemmen, ut inferiores ſcribũt, ipſorum idiomate natare ſignificat. Cum hiſce eoſdem eſſe conijcio, quos Beliſarius ignobiles, & villanos Accipitres vocat. Vulgò enim Itali & Galli villanos homines ruſticos & in uillis habitantes, aut ruſticis moribus præditos, vocant.

Falco Lanarius.
Tinnunculus veterũ Lanarius dictus.
Regeſtola, & Buferlotus Lanij dicti.
Lani⁹ molliceps cur dictus.
Buteo alb⁹
Falco alb⁹.
Lanier Gallorum.
Lanete.
Svvemere.
Schvveimer.

## DIVERSITAS. DESCRIPTIO.

ALBERTVS de ignauo Accipitrum genere agens, ſic infit. Falconum (id eſt, Accipitrum: hoc enim nomine ſpeciei pro generali vtitur) ignobilium genera ſunt tria, quæ Aquila, Symmachus & Theodotion tradunt, Lanarij potiùs, quàm Falcones uocantur, & ſunt. Sunt autem Butherij (ſic ipſe Buteones uocat,) differuntq; coloribus. Alij albi, alij nigri, alij deniq; rubei, ex quibus duo priores ad Falconis magnitudinem accedunt. Rubeus minor eſt, & refert Merillum. Hæc Albertus. E quibus colligere eſt latiùs tùm & Buteonis & Lanarij nomen, quàm hac tempeſtate uulgò uſurpatur, extendiſſe. Nam quem nigrum Lanarium dicit, ſine dubio noſter Buteo, uulgò Poiana, eſt, antè ſingulari capite nobis deſcriptus. Rubeus uerò ipſi appellatus Buterius, ſeu Lanarius, non reuera Buteo eſt, ſed Tinnunculus potiùs, qui toto corpore ruffeſcit, & Merillum magnitudine nõ admodum excedit. Primus uerò, cuius meminit, albus Lanarius, ſiue Buteo, hic eſt, de quo nobis nunc inſtitutus ſermo eſt. Quibus Auibus nomen Lanarij & Buteonis credo impoſuiſſe, quòd omnibus commune ſit mures, ranaſue in agris uenari, & ad maiora præſtanda, præ animi corporisq; imbecillitate ineptas eſſe. Eſt noſter hic, cuius item iconem hîc exhibemus, Lanarius albus, quod Albertus non ignorauit, mediocris Accipitris ſeu Falconis magnitudine, Niſo ſeu Fringillario Accipitre maior, Palumbario ferè par. A ſummo capite ad extremum caudæ apicem dodrantis & ſeſqui palmæ longitudinem explet. Vertice eſt lato, capite colloq; craſſo, omnibus è cinereo albicantibus, uti & uentre & tota parte prona, necnon femoribus, uropygio ac cauda inferna. Oculi pupillam nigram iris flaua includit. Inter huius canthum maiorem & roſtrũ macula eſt nigra. Roſtrum integrũ digitum craſſitie æquat, nigrũ, acuto ſatis prolixoq; hamo, quà caput contingit, membrana lutea obtectum. Dorſum, alæ ſuperiores, quantum pennæ remigum inueſtrices ſe exporrigunt:

[a] *Lib. 23. de Ani. c. 15.*

Lanariorũ differentiæ.

Lanari⁹ niger eſt noſter Buteo.
Rube⁹ eſt Tinnnnculus.
Lanarij cur Buteones dicti.



porrigunt; nec non cauda ſuperna cinereo ad ſubfuſcum ex cano vergunt. Alarum uerò rectrices prorſum fuſceſcunt, ac penè nigræ ſunt. Alas habet admodum acutas, oblõgas, longèq; vltra vropygium protenſas, adeo ut vix vnius pollicis mẽſura abſit, quin ad caudam vſq; extremam pertingant. Femora non tota plumis intecta, tibiasq; luteas pro cæteri corporis portione valdè graciles. Tibiæ à poplite ad vngues uſque paulò plus palmo longæ ſunt, & culmo triticeo vix craſſiores. Digiti pedum ſimiliter lutei, imbecilles. Vnguiculi nigri, vnci quidem, at tenues, & parum validi.

Quem ſecundo loco exhibui Lanarium, eum ſub finem Auguſti anni 1592. in foro emi ſuperiori in multis cõſimilem. Ab extremo roſtri ad finem caudæ vſque duos dodrantes, & palmum erat lõgus. Roſtrum nigrum: cuticula, quæ à capite ad nares vſque tendit, lutea; latiuſcula lingua, & nigra. Iris lata, & lutea. In capite, & toto dorſo colore erat fuſco, cui nonnihil in ſuperficie leucophæi admixtum erat. Superior alarum pars erat leucophæa. Alarum remiges velut ex ſex ordinibus conſtare videbãtur. Nam tres extremæ ferrugineæ, parte tamen interiore albæ erant; ſecundi ordinis tres omnino nigræ in extremitatibus aliquantulum albicabãt. Sequebatur tertius ordo ſex pennis albicantibus conſtans, quarum primæ quatuor fuſcæ, reliquæ duæ atro colore tranſuerſim maculantur. Quartus ordo binis caſtaneis: quintus totidem; ſed ita ſeſe habebant, vt vltimæ duæ in tertio ordine. Sextus denique ordo plumarum trium erat, quæ & quarti ordinis plumis reſpondebant. Cauda habebat duodecim pennas, quarum vtrinque tres extremæ erant albæ, & maculis ferrugineis dilutis inſignitæ: quarta nigro maculata: quinta fuſco, & ferrugineo diſtincta: duæ mediæ, quæ reliquas omnes cooperiunt, leucopheæ. Vropigium totum candicabat. Totum pectus erat leucophæum, cętera ad anum vſque maculis in longum ferrugineis diſtinguebantur. Pedes habebat luteos, & femora plumis ad poplites vſque veſtita. Tibiæ erectæ erant, & inſtar ſtipitum. Vngues longi, nigri, admodum recurui. Digiti eriam non ita longi.

Roſtrum. Lingua. Iris. Caput. Dorſum. Alæ. Cauda. Vropigiũ. Pectus. Pedes. Tibiæ. Vngues. Digiti.

## VICTVS. INDOLES.

VILLANOS (inquit Beliſarius) ſeu Lanarios audiuimus in Gallia optimos reperiri, quod nunquid venatorum ſeu accipitrariorum arte induſtriauè, an ipſorum naturâ eueniat, non comperimus. Fieri enim poſſet, vt cùm frigidior ſit Galliæ regio (frigore enim appetẽtiores cibi redduntur Aues) impelli inde poſſent Villani ad ſociatim magis aucupandum, feriendumq; Aues. Vnum hoc ſcimus, Auium iſtarum operam apud nos proprietati nominis reſpondere, quum in regione noſtra, nec animo, viribusq;, nec uolatu ita valeant, quin reliqua Accipitrum & Falconum genera, longè præſtantiora eis ad aucupij uſum inueniantur. Ex hiſce Beliſarij verbis, facilè intelligo eum nominis æquiuocatione deceptum, eundem eſſe credidiſſe Lanarium Italorum cum Lanario Gallorum, de quo Tardiuus, & ex hoc Bellonius. Hunc etenim natura ſua generoſum ac audacem, & ad volaticam venationem, ſi quæ alia Auis, aptiſſimum eſſe, quod ambiguus vix credit Beliſarius, uero verius eſt. At longè Gallicus hic Lainier ab alijs diuerſus eſt, vt præter ingenij, naturæq; diſcrepantiam pedes cærulei ſatis commonſtrant, & peculiari poſt Falcones capite ponẽda hiſtoria faciet manifeſtum.[a] Albertus noſtros Lanarios inſtar Buteonum ex muribus in agris victum quærere tradit, & pullos Auium uolandi adhuc impotentes, dũ per terrã uagãtur, uel in nido iacẽt, tãtũmodo rapere, adeòq; natura timidos eſſe & pigros.

Lanarium Gallorũ ad venationẽ aptũ eſſe.

[a] *Lib. 23. de Ani. c. 15.*

## INSTITVTIO. VSVS.

ALBERTVS, ubi de triplici illa, quam antè attigimus, Lanariorum differentia agit, generalem quandã de eorum inſtitutione ad uenatum, rationem tradit, his uerbis: Hi omnes in iuuentute, præſertim propter humiditatem & caloris hebetudinem, nulla ferè audacia præditi ſunt, ut & pueri natura ſunt timidiores. Vbi uerò bis uel ter pennas mutauerint, & arte induſtriaq; aucupis animoſiores facti fuerint, Columbas & Anates capiunt. Curandum autem eſt, ut primo anno, cùm cicurantur, uiuis tantùm Auibus paſcantur, quæ ubi parum deplumatæ ab eis fuerint, dimittantur è pedibus eorum euadere, non ad uolatum primò, ſed ad curſum; deinde cùm ſæpius has inſequi didicerint, dimittantur euadere ad motum mixtum ex uolatu & curſu. Et quum ſic quoque frequenter eas perſequuti fuerint, poſtea tardo uolatu euadentes (curtatis ſcilicet alarum pennis) demum perfectè uolantes inſequantur. In omnibus uerò his exercitijs fortiſſimè & alta uoce prouocetur, ac incitetur Lanarius, & ad retinendam

Lanarius quas capiat.

dam Auem à Falconario adiuuetur. Sic enim reddetur audacior. Porrò ſecundo anno paruæ Aues in grandiuſculas commutentur,& tertio iterum in maiores. Omnis enim Auis hoc modo peritia ſimul & audacia ad Aues,quas uoluerit Falconarius ſeu Accipitrarius,capiẽdas proficit. Quamuis enim primę nobilitatis Falcones,qui ſunt octo primorum(tot enim antea enumerauerat Accipitrum ſeu Falconum ſpecies)generum,hoc exercitio, inductione à minoribus Auibus ad maiores capiendas non indigeant, ad omnium tamen audaciam, & peritiam augendam non parum momenti habet. Hæc omnia Albertus. Ex eo uerò, quod alibi idem ita ſcribit, Falconem,qui in alto ſuſpenſis alis hæret,neq; in prędam ruit, degenerare in naturam Auium,quæ Lanarij dicuntur, colligendum eſſe uidetur, peculiarem hunc Lanarijs volandi,& prędam adoriendi morem eſſe,ut non ſtatim in eam uiſam irruant, cæterorum Accipitrum more; ſed quaſi deliberāti ſimilis,ſupernè in ęthere pari alarum remigio, ac ęquilibrio quodam,parumper ſeſe motitare,velutiq; ſuſpenſos aliquandiu hærere,antequā deorſum ruere,ac prædam inuadere audeant, imbecillis ſcilicet volatus,ac imbellis naturæ ſuæ forſan conſcij. Vnde aliquis Germanis Schvvimmer, tanquam natatorem vocari conijciat, quòd in volatu ſuo in æquore æthereo,veluti natationem exercere videatur. Quēadmodum ijdem Tinnunculum etiam à volandi modo,quo alas extẽdit,ventilatq; inſtar vanni ſeu ventilabri, ſignificanter VVannenvvaeher appellant,atque Itali Foutiuento ſimili de cauſa.

Modus in venando.

# DE COLLVRIONIBVS, SIVE DE minori Lanariorum genere. Cap. XII.

LANIORVM hoccegenus, cum præcedentibus collatum Lanarijs,minus iure merito erit dicendum. Attamen & hoc duorum generum eſt. De maiori itaque primum hìc agemus, reliquas deinde ſpecies pertractaturi.

[a] *Lib. 2. de Anib. c. 23.*
[b] *Lib. 9. Hiſtor. c. 23.*

## SYNONIMA.

Regeſtola.
Gaza marina.
Gaza Sparuiera.
Paſſera Gazera.
Oreſto.
Deſtoloral coniero.
Falconell°.
Caſtriga.
Thorntraher.
Thornkretzer.
Torquiſpinus.
Spinilani°.
Nũntoder.
Nũnmorder.
Enneoctonos.
Vvaldhaeher.
Vvaldher.
Piè Ancrouelle.
Mattagaſſe.
Pica trucidans.
Pie Grieſche.
Pica cana.
Piè Eſcrayere.

ORNITHOLOGVS Lanium, qui ad diſtinctionem cinereus uocatur, quemq; alij aliter Latinè, Græcèue nominari poſſe coniecerunt, nulli veterum deſcriptioni accedere putans, nouo nomine Lanium appellare maluit, quòd in alias Aues nõ ſolùm ſe minores, ſed maiores etiam aliquas ſęuire ſoleat. [a] Bellonius conatur aſtruere eſſe Collurionem Ariſtoteli, quam hic *Virionis aut Pardali magnitudine eſſe* dixit. Lanium noſtrum Itali vulgò Regeſtolam vocant,ſine dubio voce diminutiua à Regazza,quæ ipſis Picā ſignificat,detorta, tanquam ſi dicant Ragazzola. Cuius argumentum eſt,quòd alijs etiam Italis Gaza marina dicitur:nonnullis etiam Gaza Sparuiera. Refert hæc Auis Picam aliquomodo,cauda præſertim,& in genus etiam quoddam Picarum ſæuit. Gaza verò Italis Pica eſt. Eadem de cauſa alijs etiam Paſſera Gazera fortè dicitur,quam aiunt magnas etiam Aues nido ſuo appropinquantes morſu repellere,niſi hoc nomen fortè minori tantùm generi Laniorum, quod Paſſeris magnitudinem non excedit, conueniat. Circa lacum Verbanum Oreſto vocatur, Deſtollo Falconiera Ferrarienſibus. Deniq; Gazza Sparuiera dicitur, & Regeſtola Falconiera ab Auis rapacitate deſumpto cognomine,quòd prædandi natura Falcones & Accipitres imitetur. Vnde & Falconelli nomen accepit. Vmbris monticolis Caſtriga dicitur. Eandem ſignificationem habent, recẽtiq; nomini Latino (Lanius) reſpondẽt Germanica iſtæc,quæ habemus,nomina,Thorntraer, Thornkretzer,quaſi Torquiſpinum uel Spinilanium dicas. Ferunt enim aucupes inſecta ab ſe capta, & Auiculas eum ſpinis veprium infigere, & circumtorquendo occidere, dein roſtro laniare atq; deuorare. Itẽ Nũntoder,Nũnmorder hoc eſt, enneoctonos, apud Vveſtphalos, Heſſos & Turingos,quòd ſingulis diebus nouem alias volucres occidere credatur. Circa Friburgũ Heluetiæ VValdhaeher, vel VValdherr, quod ſyluarũ, nemorumuè dominum, ac Tyrannum ſonat. Galli ferè omnes Picam vocant cum aliquo proprietatis ſignificante cognomine adiecto. Alijs namq; Piè Ancrouelle dicitur,quòd Picę ſimilis unguibus ſuis paſſim adhæreat arborum truncis,ita vt aliquando vix extricetur. Sabaudi Mattagaſſe, quaſi Picam trucidantem dicant. Alij Pie grieſche appellant, quod nomen non Picam Grȩcam ſonat, vt quiſpiam opinari poſſet,& Ornithologus perperam autumat, ſed Picam canam, ſeu ex cinereo ſubalbidam,quòd maculas vtrimq; albicātes inſtar Picæ habeat. Vnde etiā Latinis diſtinctionis gratia Lanius cinereus vocatur. Aliter etiam Gallicè Pie eſcrayere nominatur, quòd

vocem

vocem habeat clamosam, Canino latratui similem, quam hyemali præsertim tẽpore frequenter & ad nauseam vsque repetit. Sunt quoque Galli qui Arneat ei nomen dant: Angli Germanicæ originis vocabulo, Nünmorder, id est, enneoctonon, & Shrike, teste Turnero appellant. Turcæ Gezegan. Arneat. ShriKe. Gezegan.

# DIFFERENTIÆ. DESCRIPTIO.

DVAS huius Lanij cinerei seu Collurionis maioris differentias obseruaui, quæ à sexu tãtùm, ut opinor, peti debent, vt nempe quemadmodum in rapacium genere fieri solet, maior, audaciorq; sit fœmina, minor & imbecillior mas. Sed colore etiam nonnihil differunt, vt ex vtriusque descriptione palam fiet. A sexu. A colore.

Fœmina igitur magnitudine *Vireonis aut Pardali*, iuxta [a] Aristotelem, seu Turdi mediocris, videlicet à rostro ad vltimam caudam spithamam longa. E longinquo contemplanti tota apparet cinerea. Quare opinor, Gallos eam Pie Griesche vocasse, quasi Picam griseam, vt & senis barbam canam dicũt barbe Grise, sed propius inspicienti venter, pectusq; albida apparent, dorsum leucopheum. Caput, quod tam grande est, ut triplo maiori Aui (modò rostrum longius & maius esset) proportione sua satis responderet, magnum ac largum, inter utrumq; oculum interstitium habet, à rictu rostri vtrimq;, per oculi regionem, ad collum vsque, longa nigraq; macula, sed nonnihil obliqua exporrectum. Rostrum atro splendore, & aduncum est, vt in Sparuerio. Eius partem superiorem valdè inflexam, duos angulos vtrimq; efficere, inferiorem verò partem modicè sursum curuatã conspici Ornithologus in descriptione Lanij cinerei à se obseruati tradit. Quæ res alium à vulgari hoc nostro Italico, quem vulgò Regestolam uocamus, Lanium suum, siue Germanorum Nünmorder esse indicat, cùm talis rostri cõstitutio in nostrate minimè reperiatur. Sed & icon, quam in voluminis totius calce in appendice exhibet, diuersam esse loquitur, si modo uera est. Huius igitur rostrum digiti longitudinem non excedit, in extremo hamatum, sed firmissimum, ac robustissimum, utpotè quo manum etiam duplici chiroteca munitam sauciat, & Auium ossa, & capita confringit, ac conterit, quàm ocyssimè. Lingua in extremo multifida est, in fibras acutas & quasi capillamenta desinens, quę fortè ad infigenda insecta à natura fabricata est. Oculi toti nigri. Ala utraq; nigra est tota, nisi quod alba linea latiuscula mediam utrimq; alam transuersim distinguat. Caudam Picæ similem habet, nempe uariam & longiusculam, palmum explentem. Ita verò variat, ut maiore sui parte nigra appareat (quatuor nẽpe medijs totis atris, non duabus tantùm, ut Bellonius scribit, nisi hac parte diuersos facit Gallia) sed extremæ utrimq; sitæ albæ sint, diuerso modo. Nam prima extremarum tota albet, secunda minus quàm prima, tertia minus quàm secunda, quarta deniq; minus quàm tertia, ita ut utrimq; ex quaternis pennis interior semper minus alba sit exteriore. Quæ res facit, ut caudam explicatam intuenti corniculatæ, crescẽtisuè lunæ imago exhibeatur. Superius tamen, uidelicet circa uropygium omnes albicant, eodem colore, quo collum, pectusq; ac uentrem infecta esse diximus. Tibias & pedes pro ratione corporis omnium minimos, nigros, & graciles, atque ungues etiam atros & aduncos habet. Color. Pie Griesche. Caput. Rostrum. Ornithologi Lanium à nostro diuersum esse. Lingua. Oculi. Alæ. Cauda. Pedes.

Alter ille lanius, quem marem esse putabamus, toto habitu est paulò minor. Duos enim tantùm palmos, & pollicem unum, quà longissimus est, explet, ideoq; tribus digitis priori breuior. Color gulæ, pectoris, ac uentris, femorum, caudæq; pronæ albicat quidem, uti in fœmina, sed dilutiùs, & nonnihil, quod tamen uox uidetur, lutei admixtum habet. Vertex & dorsum cinereo, ut in illa tinguntur quidem, sed in hoc obscuriùs fuscescunt: in illa uerò dilutiora ad cæruleum aliquantulum tendunt. Plumulæ harum partium ad caudam usque in utroq; adeo tenellæ sunt ac molliculæ, ut pili potiùs quidam glabri, ac leues esse, quàm pennæ tangenti ac demulcenti uideantur. In hoc præterea uestitrices plumulæ secundi ordinis, seu ultimæ, extrema, qua remigibus incumbunt, parte albicant, ita ut omnes extremitates earum simul lineam transuersam albam exilem constituant. Remigibus quoque omnibus extremi apices albicant. Ea insuper macula, quę in maioris quoque Lanij alis medijs, nempe in maximarum & extimarum ventri contiguarum rectricum initio conspicitur, huic duplo maior ac latior est, bonamq; earundem partem occupat: Vltra pennas alarum utrique & vropygium longè protenditur, quemadmodum Picis. Crura pedesq; non atra, sed fusca tantùm sunt. Cætera fœminæ similia. Vnum aduertendus est lector de rostro, nempe durum hoc, nigrum crassumq;, & nonnihil uncum esse vtrique, sed modicè admodum. Ille enim pictor, cuius opera Bellonius vsus est; perperam & inscitè rostri hamum multò longiorem, quàm reuera est, & curuiorem finxit. Lanij cinerei maris descriptio. Color. Dorsum eiusq; pennæ. Alæ. Crura.

LANIVS CINEREVS FAEMINA.



Cuius verò ſecundo loco iconem damus, totus albus eſt, roſtro, tibijs & vnguibus exceptis. Roſtrum enim & vngues nigricant, tibiæ luteſcebant: cætera cinereo præcedenti ſimilis.

LOCVS.

## LOCVS. NIDVS.

BELLONIVS Laniũ interdiu rarò alibi,quàm ſummæ cuipiã arbori aut dumeto inſidere,conſpici ſcribit. Et Ornithologus Lanios ſuæ Heluetiæ plerunq; verſari inter frutices ſpinoſos, fruticum & humilium arbuſtorum ſummis ſurculis inſidere;& cùm conſident,caudam refert erigere. In ijſdem nidificat,& nidum ſuum ex muſco, lana & herbis tomentoſis quibusq; conſtruit. Nidus. Fundum verò ex erica componit,intusq; molles ac tenellos quoſdam,vtpotè fœni, dentis canini,aliarumq; ſimilium herbarum cauliculos inducit: In eo nido ſenos pullos Pulli. æſtate eſt reperire, adeo parentibus diſſimiles,vt vix vel vnica nota eoſdem referant,roſtro,cruribus,pedibusq; tantùm exceptis. Imo è contra potiùs omnium plumularũ,quæ etiãnum non aliud,quàm futurarum plumarum rudimenta quædã ſunt,radices, ad virorẽ nõnihil vergunt.

[a] *Lib.2. de Auib.c.23.*

## VICTVS. RAPACITAS.

VIVERE aiunt ex Scarabeis, Papilionibus, & grãdioribus inſectis, ſed non ſolùm iſtis, verùm etiã, more Accipitris, Auibus. Occidit Fringuillas, Regulos, & quod à ſe viſum ſcribit Turnerus, Turdos. Tradunt etiam aucupes hanc Auem Picas quaſdam ſylueſtres interdum iugulare, & Cornices in fugã adigere. Oſſa comminuta & contuſa deuorat, & quãdo eſurit, tantos carnis bolos in gulam ingerit, quantos rictus oris anguſtia capere poteſt. Vnde Oſſifraga parua. Oſſifraga quædam parua vocari poſſet. Nam nec moribus, nec colore ab ea multùm abludit. Nullo non die animal viuum perimere dicitur, Aues ſcilicet, aut vermes, aut iulos & erucas hir-
[a] 9.H.c.23. ſutas, locuſtas, grillos: quinetiam mures, lacertasq;. [a] Ariſtoteles ijſdem veſci, quibus Merula, Collurionem tradit.

## INGENIVM. VOX. VOLATVS.

PRAETER morem reliquarum Auium, præſertim rapacium, ſi quando prẽda uberior contigit, nonnihil in futuram penuriam reponit. Muſcas enim grandiores, & inſecta iam capta in aculeis, & ſpinis arborum figit, & ſuſpendit, atque circa eos intorquet, vnde, vt dictum eſt, Germanis Thorntraeher, quaſi Spinitorquus vocatur.

Vox. Cantillat, & varias modulationes, uocesq; Auium æmulatur, vere præſertim & æſtate, qua Aues ad ſe capiendas alliciat. Datâ enim operâ altùm exclamat, aliarum ſonos imitatus, eo fine, vt illas, generis ſui Auem quampiam opprimi, ac egere ſubſidio credẽtes, aduolantesq;, ſi quę propior facta eſt, arripiat, lanietq;. Adeo ut eam venationem exerceat eadem ratione, qua Noctuarum opera Aues allectas decipimus. Alioquin autumno & hyeme vniformis illi vox eſt, quę Canum à longè auditum latratum, aut Noctuę alteram appellantis ululatum refert. Videtur autem hanc uocem exprimere, Houin, Houin, quam ſubindè iterando inculcat, acerrimo quodam clamore. Vnde Picam clamoſam uidẽtur nominaſſe Galli indigete uocabulo Pie Eſcrayere. Ex hac ratione & ingenio Aues capiendi, hanc Auem eam eſſe non obſcuro argumento colligere licet, quam Aelianus Merulam uenaticam uocat, & de qua in hęc uerba ſcribit: *Merulis affine quoddam genus eſt venaticum & captioſum, colore atro, ſplendidè canorum, rectè ex eo venaticum appellatum, quòd ex Auibus ſui cantus permulſione ad ſe allicit, & capit: cuius ingenitæ ſibi præſtantiæ hæc Auis non ignara, eo munere ad ſe voluptate & cibo explendam, vti videtur. Nam ex ſui cantus auditione, & beluiſſimas oblectationes habet, & aucupio, & venatione proximè ad ſe accedentium auicularum exaturatur. Quod ſi quiſpiam hanc captam in caueam incluſerit, non modo canere omittit, verùm etiam pro ſeruitute ſua à venatore panã ſilentio ſumens, muta permanet atque elinguis.* Solus ater color, quem Aelianus ei tribuit, obſtare videtur, quo minus noſter Lanius dici poſſit. Attamen & magna ſui parte niger eſt, etſi non totus. Cæteræ omnes notę reſpondent. Bellonius ſuo iudicio ſuauitate cantus plerasq; vincere illum affirmat. Hunc aſtum ei natura prudenter indidit, quòd alioquin volatu parum ualeat. Quare & alio ingenio utitur. Nam Aues, quas occidit, non unguibus, ut Accipitres, uolando perniciter aſſequitur; ſed ex inſidijs adoritur, & mox iugulum petit, & cranium roſtro comprimit, & confringit. Nonnunquam tamen in ipſo aëre etiam operam dat, ut uolet ſublimius, id eſt, ſupra illas Aues, quas capere conatur, ſed quod aſſequi ſe eas poſſe alioquin diffidat, celeritatẽ illarũ uarijs anfractibus impedit, donec defeſſas corripiat. Sic Turdis, & ſimilibus maiuſculis Auibus interdũ potitur.

Pica clamoſa.

Merulam venaticam Aeliani eſſe Lanium cinereum.

Venandi modus.

## CAPIENDI RATIO. INSTITVTIO.

[a] 9.H.c.23. COLLVRIONES hyberno potiſſimùm tempore, ut tradit [a] Ariſtoteles, facilè capiuntur. Nam cùm uident Auem aliquam caueę incluſam, deſuper uolant inuaſuri. Facta uerò decipula mox concidit, atque eos ipſos capit. Omnium autem teſte Turnero, facillimè cicurantur, & mãſuefacti carnibus aluntur, quę ſi fuerint ſicciores, aut prorſus exangues, potum requirunt. Cicurantur aliquando à pueris Accipitrum inſtar, & aluntur, ut Paſſeres captent è nidis. Dicitur Franciſcus Gall. Rex. ſcus Galliarum Rex cicurem habuiſſe Lanium, eoq; ad manum redeunte aucupari ſolitus.

DE

# DE ALIO LANIORVM GENERE maiore Ornithologi. Cap. XIII.

SIMILIS hęc Auis est, ut Ornithologus tradit, Lanijs superioribus, maiori prę sertim, quam tamen duplò ferè uincit magnitudine, ut ad Merulam ferè dupla sit. Natura & species corporis eadem, nisi quod alę sint ruffę. Quare dedita etiâ opera iconem, quam ille exhibet, prętermisimus. Germanicè circa Argentoratum, Francofurdiam & alibi VVerkengel, vel VVarkengel, seu VVarchengel inferioribus Germanis, fortasse quasi VVurchengel, quod ad verbum suffocantem angelum sonat. Vt non inconcinnè id nominis sit adeptus ea de causa, quòd blanda & amica, nempe minimè rapacis Auis voce deceptarum Auium statim iugulum petat, vt in antecedenti proximè historia diximus. [a] Albertus hoc nomen Germanicum præcedentibus Lanijs maioribus, & etiam alijs minoribus Collurionibus tribuit, ita vt commune potiùs, quàm uni speciei proprium videri debeat. [b] Idem etiam alibi pro Certhia Aue à nobis suo loco describenda non admodum aptè VVarchengel interpretatur.

VVerKengel.

[a] *L.8.c.3. Hist. Anim. Arist.* Certhia.

[b] *In c.17. eiusdem lib. 9.*

# DE LANIIS, SEV COLLVRIONIBVS paruis. Cap. XIIII.

ALIVD est Laniorũ genus, superiori per omnia simile, habitu præsertim (nam colorum notis nonnihil differunt) at multò minus. Huius quinque genera obseruaui, tria aliqua sui parte rubescentia, duo eaq; vltimo loco posita cinerea. Collurionem minorem antiquorum appellari licebit. Itali, præsertim Bononienses Buferulam dicunt. [a] Bellonius Gallicè Petite Pie Griesche, id est, paruum Lanium uocat.

Collurio minor antiquorum. Buferla.

[a] *Lib. 2. de Auib. c.25.*

## DIFFERENTIA. DESCRIPTIO.

HOC ipsum Auiculæ genus ab alijs colorum macularumq; varietate tantùm distinguitur, non autem compositione.

Primum, idq; pulcherrimum in hoc genere est huiusmodi. Auicula est Alauda paulò maior, duos palmos & pollicem longa. Rostrum ei crassiusculum, atrum, extremo nonnihil aduncum, acutum, non ita longum. Fronte & temporibus, vtrinque maculis nigerrimis, per oculorum regionem, ad dorsum vsque continuatis. Fronte tamen inter hanc nigredinem & rostri initium, angusta quæ

Collurionis paruì primi generis descriptio.



dam macula candida conſpicua eſt. Vertex & collum pulcherrimo colore ad bæticum vergente ſunt inſignita. Dorſum, alæ, & cauda plurima ſui parte nigricant, verùm plumulæ illæ quæ inter alas & dorſum mediæ collocantur, eum locum, quo alæ dorſo articulo colligantur, veſtientes, albicant. Vropygium & remiges nouem primæ, item & caudæ quoq; pennæ duodenæ, mediis quaternis exceptis, & duæ extimæ laterales, oris ſuis lateralibus; omnes verò in vniuerſum etiam principio, quo vropygio inſeruntur, albent, vt itẽ venter totus, & pectus. Dorſum extremum cinereum eſt. Pedunculi ex modico rubro nigricant.

Secũdi generis deſcriptio.

Alius eſt paris cũ primo magnitudinis Collurio, Buferla etiã Bononienſi vulgo, dictus Ferrarienſibus Verle, cætera illi ſimilis eſt, quod ad ſtructuram, ſeu cõpoſitionem attinet, ſed colore plurimùm variat. Roſtrum enim, & alarum pennæ tam primi, & ſecundi ordinis tegetes, quàm remiges minores, potiſſimùm ea parte, quà ventrem ſpectant, & extrema cauda, ſubrubra ſunt. Vertex & dorſum fuſcis plumulis cooperitur, quæ ſingulæ extrema ora primùm albicante, deinde nigro hemycyclo clauſæ, varias eas partes faciunt. Venter albus quidem, ſed & ipſe ſimili pacto diſtinctus, nempe vt omnes in extremis marginibus, ſeu apicibus tranſuerſim nigricante linea diſtinguantur. Penultimæ veſtitricum plumularum ventri proximarum ſecũdi ordinis albæ, albiſſimã ea in parte maculã conſtituũt. Reliquum alarũ, & cauda nigricãt. Tibiæ & pedes cinereo ſunt colore, & quàm in magno Lanio pro corporis ratione, craſſiores.

Tertij generis deſcriptio. Buferlotto.

Tertia ſpecies, quam Bononienſes vulgò Buferlotto maſchio vocant, Collurio mas cinereo vertice dici poteſt. Eadem, qua reliqui, magnitudine eſt, & ſtatura, roſtro nigerrimo, macula ea nigra, quæ ſecundæ, de qua vltimò ſermo habitus fuit, deeſt, per oculorum regionem decurrente à rictu ad collum primi generis more. Vertex & collum cinereo ſeu leucophæo, ad cæruleum nonnihil vergente, colore pulchro ornantur. Dorſum & alarum plumæ tegetes obſcurè rubent, ad ferrugineum inclinãtes. Remiges maximæ fuſcæ ſunt, ac ſubnigræ, ſed minimæ dorſo proximæ, parte tamen ea, qua ventrem ſpectant, ad latera rubeſcunt. Gula, vropygium, & cauda tota prona, ſeu inferior candent, necnon & femora. Pectus & venter tota dilutè ex albo rubent. Pedes & tibiæ nigri ſunt.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 25.*

[a] Petrus Bellonius minores hoſce & maiores Lanios inter ſe comparans, tantam ſcribit pullorum vtrorumque eſſe ſimilitudinem, vt difficillimè dignoſci poſſint; idq; ſe experientia edoctum, educatis ad iuſtam ætatem & magnitudinem vſque, cùm maioris, tùm minoris pullis. Hanc tamen diuerſitatem animaduerti docet, quòd pulli grandioris Collurionis caput multò maius, rictumq; oris ampliorem longè habeant, neque ita colorum varietate in ſuluo diſtincti notentur, quemadmodum minoris. Præterea quantum prima plumularum rudimenta oſtendunt, venter iam albus apparet, nec non & alarum quoque & caudæ extrema. Minoris pulli, cum iam ad iuſtam ſtaturam adoleuerunt, Alaudarum magnitudinem vix ſuperant, ſuntq; dorſo maculoſo, vtpotè cui plumæ marginibus nigris cingantur, quæ tamen ipſæ ſuluæ ſint, ſeu rubeſcant adinſtar Tinnunculorum. Alæ quoq; ſimili ratione variant. Hoc tamen poſtremum, quod Bellonius ponit, ſignum, in noſtratibus, Italicis dico, nõ reperitur. Noſtratum enim color fuluus, in dorſo, aliſq; vniformis eſt, non uarius. Qui uerò inſtar Tinnunculi, Accipitriſuè uariegatus, non fuluus, ſed cinereus potiùs eſt, in tergo præſertim. Vnde mira

colorum



colorum in his Auibus obſeruatur diuerſitas. Minoribus Collurionibus hoc diagnoſticum ſignum eſt, quod utraque roſtri parte ternos pilos inſtar barbæ prominentis habeant. Omnibus in uniuerſum roſtrum eſt recuruum, inſtar Accipitrum, modicè tamen. Vtrorumq; pulli, antequam frequentibus adhuc integantur plumis, uireſcere nonnihil apparent, teneris illis pennarum rudimentis.

## VOX. VOLATVS. VICTVS.

EADEM & pullis & parentibus, vt aſſeuerat Bellonius, Collurionibus uox eſt. Quod ſi fortè terreri, aut metu cuiuſpiam rei commoueri contigerit, clamorem terroris plenum, horribilem ac magnum edunt, caudamq; huc illuc motitant, & in altum eleuatam, ac ſurrectam tenent. Lanij hi cibum inter edendum prehendunt pede altero ſurſum retracto & eleuato, uni tantùm tibiæ inſiſtentes in pertica. Agros à ſoricibus, muribus, lacertis, & talpis expurgant. Dum prædæ inhiant, inſtar Tinnunculi in aëre ſeſe aliquandiu librando ſuſpendũt, loco non cedẽtes. At humilius uolant, ac terræ propius, quàm ille. Sępenumerò uerò carduis inſidere conſpiciuntur, & in his quieſcere. Nã ſi fortè pręda ſe fruſtratos uidẽt, irritũq;, quem tentauerant, conatum eſſe, in primum cuiuſque obuię plantę caulem conſeſſuri ſe demittunt.

## GENERATIO. NIDVS.

VTRVMQVE cùm maius, tùm minus Laniorum genus pari ratione, figuraq; nidum ſuum extruit. Verùm minus numeroſiorem prolem gignit, educatq;, quàm maior. Octonam nonnunquam parit, aliquanto ſenam tantùm. Maior Collurio, vt plurimùm quaternos tantùm pulllos procreat, quinoſuè, aut ad ſummum ſenos.

## VSVS IN CIBO.

TRAGVS medicus Germanus Lanios in uniuerſum omnes, vti cæteras rapaces cibo inutiles eſſe ait. Attamen minimum hoc Laniorum genus, potiſſimùm rubore verticis inſigne, in Italia victus delicatus & ſalubris habetur.

DE

# DE MILVO. Cap. XV.

[a] *Lib.10. cap.10.*

[a] LINIVS naturalis hiſtorię clariſſimus author Miluos ex Accipitrum genere eſſe tradidit. Cuius authoritate nixi, & nos quidem Accipitribus eos adiungendos, ſed poſtremo propemodum loco ponendos duximus, quòd Ariſtotelem carniuoros etiam vocaſſe, at rapacium nomine vix dignatũ videremus, & quòd impudentes ſimul & ignaui ſint, ſi reliquis Accipitribus comparentur, fœdiq́;, & inauſpicati ominis. Non defuerunt tamen & eorum cultores, qui dininos etiam eis deferrent honores, Aegyptij nempe, gens, ſi quæ alia, maximè ſuperſtitioſa, vtpotè qui & Leones & Crocodilos feras crudeliſſimas, & feles, imo & alia etiam dictu fœda adorarent. Veruntamen ſi & Accipitris & Ibidis auium, quas adorarunt, cauſam ab ipſis redditam recipimus, nempe quòd regionem ſuam ſerpentum, aliorumq́; venenatorum animalium noxa liberarent: cur non aut parem, aut fortè potiorem ad Milui cultum rationem ſubeſſe putare poſſumus, cùm nimirum cadauera, quæ vbi fœtore ſuo aërem inficiant, peſtiferæ ſæpè luis cauſa ſunt, abſumant, atque ita, vt illa à ueneno, ſic hic à peſte humanæ valetudinis hoſte maximo, regionem immunem reddant? Ita ſibi facilè perſuadebit, qui non neſciet etiam hodiè apud Anglos lege cautum eſſe, ne quis Miluos vlla ratione lædat, tanquã qui non minimo beneficio, dum à cadauerum putore ac tabo eam expurgãdo, inſulam ſuam afficiant.

# AEQVIVOCA.

[a] *Iliad.P.* Miluus vir quis.

Ἰκτῖνος præter præcipuam ſignificationem, qua Miluum auem notat, vt [a] Euſtathius inquit, etiam viri nomen eſt, quod ſimiliter, vt auis nomen, & ſcribitur, & penanflectitur. Hoc apud [b] Ariſtophanem legitur media producta. Sæpè paroxitona hæc vox mihi reperta eſt, ſæpe etiam penanflexa. Hunc virum teſte, [c] Strabone, opificem fuiſſe cõſtat, qui Eleuſinę Cereris phanum illud myſticum fabricauit. Parthenon quoq;, id eſt, Mineruæ virginis templum, quod fanum fuit ad Acropolim, curante Pericle ab Ictino architecto conditum fuit. Huius Ictini meminit & Vitruuius, & Siuidas quoque Ἴκτινα nomen proprium eſſe innuit.

[b] *In Auib.*

[c] *L.9.Geog.*

[d] *L.2. Ser. Sat.7.* Miluus piſcis.

Nomen ſimiliter Latinum Miluus, & viri proprium eſſe quidam volunt. Illo enim [d] Horatij carmine, quod habet.

*Audit cum magno blaterat clamore, furisq́;*
*Milius.*

Acron legit Miluius, qui paraſitus fuerit. Calepinus Mulium in eo loco pro Mulione perperam accipit.

[e] *L.9.c.26.* [f] *Lib.1. de pſc.113.* Miluꝰ ſtella.

Eſt & Miluus piſcis [e] Plinio, qui Græcè Ἰρηξ, id eſt, Accipiter dicitur à volatu, quem repræſentat, harum auium nomina ſortitus. Miluus hic celebratur ab [f] Oppiano his verſibus.

*At radunt ſummam Milui lati æquoris vndam*
*Hos nanti ſimiles dices, ſimilesq́; volanti.*

[g] *L.3. Faſt.*

Stella inſuper quędam in Septentrionali cæli parte Miluus vocata eſt, de qua [g] Ouidius, vbi fabulam & ortum ſideris proſequitur.

*Stella Lycaoniam vergit decliuis ad Arctos*
*Miluius, hæc illa nocte videnda venit.*

[h] *Lib.18. cap.26.* [i] *3. Faſt.*

Italię oſtenditur 15. Kalend Aprilis teſte [h] Plinio, quam quidam dicunt hoc tempore cum libra in ortum cronicum tolli. In hanc mutatum fabulantur Miluum, quòd Ioui annulum elapſum retulerit. Hinc [i] Ouidius:

*Iuppiter alitibus rapere imperat, attulit illi*
*Miluius, & meritis venit in aſtra ſuis.*

# SYNONIMA.

[a] *Cap.14.* [b] *Cap.11.*

HEBRAICAM vocem דאה daah & איה aiah, noſtrates Iudæi interpretantur pro generibus Miluorum, & Daah Miluũ ſimpliciter exponũt. Aiah verò Miluum rubeum. Noſtri interpretes Vulturem reddunt. Aiah Rabino Kimhi auis eſt, quę vulgò Gaza vel Agaſſa, id eſt, Pica dicitur. In [a] Deuteronomio & [b] Leuitico, vbi Chaldæus interpres Taraphita trãſtulit, hoc eſt, Vulturem, Arabs צרא Seda, Perſa mar an tih מר אן טיה, Septuaginta Ἴκτῖνα, & Ἰκτῖνον, id eſt, Miluum, Hieronymus Vulturem. Apud Eſaiam vocem Daiah docti quidam Mil-

uum

uum volunt signare, eiusq; plurale esse Dauoth. Daiah autem Elias Leuita suspicatur dictum ab atrore. Vnde Miluo Aetolio magis competeret id nominis. In[c] Deuteronomio Chaldæus uertit, דיתא Daietha uel Daiatha, Arabs חדא Cheda, Persa An dih דיה. אן. quæ quidem vox Dih accedit ad Germanicam VVih. Septuaginta eam prætereũt. Apud[d] Esaiam pro דוות douoth reddunt ἐλάφους, id est, Ceruos. Hieronymus Miluios. Eodem capite Esaię Kimhi interpretatur uulgari lingua אולטול aultul (nimirum Austurem, quod Gallis est Astur Falco, seu Asterias Accipiter, Vautour uerò Vultur.) Rabbi Salamon אלטורש al torisch Vulturem interpretatur. Daah דאה Miluus quibusdam dictus ita putatur ob pernicem uolatum, à uerbo uidelicet daah, quod est uolare. Hoc nomen in Leuitico cum delta & rectiùs, in Deuteronomio cum rho scribitur. In[e] Deuteronomio Chaldęus uertit בת כנפא Bathkanepha Arabs גאדה Gadach, Persa mar an daah מג אן גאה, Septuaginta Gyps, id est Vultur, Hieronymus Miluus. Chaldęus in Leuitico Daietha, item in Deuteronomio. Rabbi Abraham probat eos qui uolunt idem esse nomen cum raah נאה. Andreas Bellunensis Alhada auem esse dicit, quæ Miluus Latinis uocatur. Hasida uel Chasidah Hebraicam uocẽ Thalmudistę aliqui Daiah Lebano, id est, Miluum album interpretantur, & sic dictum uolunt, quòd faciat gratiam siue pietatem cum sodalibus suis cibos eis distribuendo. Sus quoque uel sis Hebraicè exponitur uel Grus, uel Hirundo, uel Miluus. אנפא anapha ueteres Hebręi exponunt genus Milui irritabile, quasi deductũ sit nomen à uerbo anaph, quod irasci significat, ut etiã Aben Ezra explicat. Iudęi Germanici uulgò Trapp uocant authore Germano quodam. Ardrias, Burdo, & Actiros, nescio quę uocabula, singula Syluatico Miluum significant. Postremum à Græco Ictinos corruptum apparet. Grecis Miluus ἴκτῖνος, uel ἴκτινος, uel ἴκτις uocatur, uoce equiuoca cum Ictide animali quadrupede, nẽpe Viuerra seu mustela syluestri, cuius[f] Plinius meminit. Huius nominis amphibologia Andreas Diuus Iustinopolitanus deceptus fuit, ubi hæc[g] Homeri de Dolone proditore uerba uertit, τῆ δ' ἀπὸ μὲν κτιδέλω κεφαλὴφιν ἕλοντο, id est, *huius autem mustelinam galeam à capite detraxerunt* (ut rectè interpretantur Ioannes Spondanus, & Henricus Stephanus) Miluinam traduxit. Errasse ipsum uel ex subsequenti Homeri uersu manifestè colligo, κηῶ λυκίῳ *& Lupinam*. Est & ἴκτις è Luporum genere, ut uidere est apud[h] Oppianum. [i] Eustathius penãflectit. Plato proparoxytonum facit, ut Aristophanes quoq; in hoc senario: Ἰκτινα παντόφθαλμον &c. Sic & Clemens ἴκτινα nominat à recto ἴκτιν. Ἰκτῖνες penanflexum habet Pausanias numero plurali. Ἰκτὸς ἰκτίνος Pergæis apud Hesychium. Dicitur uerò Ἰκτίνος, ut uult Varinus παρὰ τὸ ἰκνεῖσθαι, id est, aduenio, unde quidam nomen illi Ἰκτινω esse uolunt, quod tanto desiderio à pauperibus tanquã ueris nuncius expectatus accedat. Hic alijs Græciæ gentibus, alijs etiam ac varijs nominibus, testibus Hesychio & Varino dicitur. Cretẽsibus enim Ἀρπετος: & Harpe alijs Miluus est, alijs Miluo similis auis, & Tzetzes Miluum Harpam vocat. Apud Hesychium etiam ἀναπτησιοκέρας pro Miluo legitur, sed suspectum esse locum illum ait[k] Henricus Stephanus. Ornithologo verò auis, quæ vulgo Germanorum seu Heluetiorũ Massvvy, id est, Miluus palustris vocatur, Aristotelis videtur Harpe. Lydis βαθυρῥηγάλη. Itali, Hispani, necnon & Galli hodie Miluorum genus infirmius Regale uocant. Laconibus δίκτυς. Sunt verò & Dictyes semel Herodoto nominatæ quadrupedes viuiparæ, vt conijcere licet. Iisdem Hesychio & Varino Miluus nunc ἔλανος, alibi καισανδήριον, quod Varinus duplici σ scribit, aliàs etiam σκιλλος appellatur. Idem in ἴκτινα Miluus, inquit, hodie vulgò à Græcis λούπη dicitur, nimirum à Lupina rapacitate. Mihi quidem absurdum videtur Græcis vocis originem à Latinis petere. Neque Græci, vti nos Lupum dicunt; sed λύκον. Vnde rectiùs, vt credo, Bellonius Græcos hac tempestate Miluum Licadouria nuncupari asserit. Aut si Græcis. tempore Varini λεπτη dictus verè fuit, fortasse id nominis à vocis sono ei affinxerunt. Quemadmodum Latinis, cùm vocem edit Miluus, lipire dicitur. Latinis vtroque modo & Miluus & Miluius dicitur, nempe quasi mollis auis, scilicet viribus & volatu, & vt Isidoro placet, *quòd* nimirum *molliter & immotis alis volet*. Quidam conijciunt ita dictum fictitio nomine à voce, quam edit. Italis Miluio, Nibio, Nichio. Poyana quoque Italicum vocabulum est, fortè quasi pullana, quod pullos rapiat. Hispanicè Milano. Gallicè Milan & Escoufle, non Escorfle, vt malè Ornithologus forsan libri aut typographi mendo deceptus. Rusticis etiam Gallis teste Bellonio Huo vocatur, nempe à sono quem emittit, indito nomine. Quamuis alij Huau pronunciant, quæ vox non est absimilis Flandricæ VVau. Batauis appellari audio een VVou & Kukendieff, hoc est, furem pullorum.

[c] *Cap.*14.
[d] *Cap.*40.
[e] *Cap.*14.
[f] *L.29.c.*4.
[g] *Iliad.*κ. Andreæ Di ui error.
[h] *Lib.3.de venat.*
[i] *Iliad.*φ.
[k] *In Appẽd. Thes. ling. gr.* Dictyes.
Licadouria.
Poyana vn de dicta.

GENE-

# GENERA.

Miluus ætolius. Miluus regalis & curſic dictus.

TRIA in uniuerſum Miluorum genera eſſe reperio, duo nempe præcipua & frequẽtiora, quorum alterũ nigrum, robuſtum, at minus, Ariſtoteli ac Græcis peculiariter ἱπτινος ἀιτωλιος vocatur, eſtq; illud, quod dĩ Batauis Kukendieff: alterum colore propemodum ruffo infirmius, licet maius: quod genus Hiſpanis & Italis Miluus Regalis cognominatur, Royale Gallis, idq; ut quiſpiam putabit, immeritò, cùm ſit priore ignauius. Verùm hoc cognomen non regię indolis ergò adeptus eſt, ſed quòd Regibus & Principibus frequens & iucundum de ſe ſpectaculum præbeat, quum bini Falcones Sacri in ipſum emiſſi, pernicitati ſuæ fidentem, ideoq; ſublimi volatu effugere nitentem, atq; intra nubes ſe condentem, tandem uolatu ſuperent, & in terram maxima omnium voluptate deijciant. Hoc genus Ruttelvvy ſeu Rotelvvy Saxones fortè, id eſt, Miluum rubeum vocant. Bataui inferioris Germaniæ populi, vt audio, propriè VVouvve nuncupant. Tertium genus albidius, rapaciusq;, Angliæ, ut inquit Turnerus, frequens, in Hollandia etiam reperiri audio, quare dubitabam, an diuerſę reuera à prioribus ſit ſpeciei, an potiùs formam eius ab alijs non niſi color diſtinguat. Locis enim frigidioribus quales ſunt Septentrioni vicinę regiones, & montes niuoſi, nigredo & rubedo in candorem vertitur, vt & alijs accidere Ariſtoteles teſtis eſt, & nos aliàs docebimus. Huic poſteriori ſententiæ fauet doctiſſ.[a] Scaliger, dum albos Miluos, ſed locis niuoſis reperiri ſcribit, nõ in Noruegia ſolùm, ſed etiam in Iuhria & Scythia. Iã uerò certò noui apud Lucanos, albos Miluos dari, eosq; ſatis frequentes. Ita enim mihi retulit D. Euerardus Vorſtius Medicinæ Doctor Belga, qui mihi in multis operam ſuam aliquando præſtitit, uir ſanè humanus, doctus, & fide digniſſimus. Germani præterea genus quoddam Maſvvy, id eſt, Miluum paluſtrem appellant, quòd, ut conijcit Ornithologus, illud eſt, quod Albertus non admodum aptè Miluum riſus conterraneis ſuis uocari ſcribit. Veriſimile.n. eſt illum Germanicam uocem Lachvvy ſic interpretari uoluiſſe, quę ſicubi in uſu eſt, cur à riſu deriuetur, ratio nulla eſt, etſi Lacchen Germanis ridere ſignificet. Quin potiùs ſuſpicio eſt Harpam, uel Milui genus, quod circa aquas & ſtagna verſari ſolet, Maſſvvy Heluetijs nominatum, & alijs pleriſq; alicubi Lachvvy uocitari. Paludem enim Germani & Maſſ & Lacchen, quaſi Lacum appellant. Veruntamen illud etiam genus credi poteſt, quod antea ſimili de cauſa Regale nuncupari dixi, ut ſcilicet cum oblectamento ſimul etiam riſum uenatoribus excitet. Germani itẽ neſcio quod Milui genus, Orlivvy dicunt.[b] Ariſtotelem tamen & ueteres duo tantùm Miluorum genera agnouiſſe certum eſt. Quod enim Ariſtoteles ſcripſit *Miluos colore ſpectari æruginoſo, & nonnunquam atro*, procul omni dubio de diuerſis ſpeciebus intelligendum eſt. Nam & [c] Plinius, *Milui*, inquit, *ex Accipitrum genere magnitudine differunt*. Quibus quidem uerbis hic author Miluos Accipitris ſpecies eſſe ſtatuit, & reuera Accipitribus magnitudine & penna non malè reſpondent, præſertim Buteonibus, quibus etiam natura, moribusq; non adeo diſſimiles eſſe quidam putãt.[d] Ariſtoteles uerò *carnuorum & uncunguem* uocat, ſed Accipitribus nuſquam annumerat. Quod ſi Accipitris nomen, quod à capiendo pleriq; deductum uolunt, ad omne rapacium genus, ut quibuſdam placuit, extendere lubet, iam ab Accipitrum grege, Milui nullo pacto excludendi erunt. Quinetiam ſi ſpeciatim & propriè id accipimus, non minori illis ratione, quam Buteoni, ac Lanarijs cõpetere uidebitur. Si quæ etenim cauſa aſſignari poteſt, cur non inter Accipitres ſint admittendi, ea ignauia eorum fuerit, & inertia. At uidemus ab illis Columbas, Anſerinos & Gallinaceos pullos, imo & aquaticas aues, atq; ab eo præſertim, quem paluſtrem uocant, Germani Maſſvvy, abripi: cùm tamen Buteo præter ranas & mures, aut ad ſummum auiculam quampiam uolatus impotentem, nullas alias delicias aut prædam nouit, appetitq;. Imo uerò Ornithologum, Turnerum, aliosq; dubitare uideo, an eum, quem Maſſvvy, id eſt, paluſtrem Miluum uocant, inter Miluorum potiùs, an inter Buteonum genus, an deniq; inter Aquilas recenſeri debeat. Tanta eſt auium rapacium nonnullarum, atque diuerſarum ſimilitudo, & ſimilium diuerſitas, nempe Vulturum cum Aquilis quibuſdam, Aquilarum cum Accipitribus ſeu Falconibus nonnullis, deniq; illarum & horum cũ Miluis, ut diſcernere ſingulos, ſuæq; propriæ ſpeciei aſſignare admodum arduum ſit, præſertim cùm huius generis auium multæ hactenus incognitæ prorſus, aut necdum ſatis benè perſpectæ ſint. Huic accedit eiuſdem ſpeciei uaria ſæpè & diuerſa apud diuerſas gentes nomenclatura, & diuerſarum eadem appellatio. Ego ſanè facilè crediderim quartum Bouſati (ita Buteonem uocant) Sabaudorũ genus, quod marinum cognominant, cum Germanorum Miluo paluſtri eundẽ eſſe. Nec deſunt Ornithologo teſte, qui dicant etiã Milui alterum genus, Gallis Buyſart, quod alioquin Buteonis apud ipſos nomen eſt uernaculum, nominari. Miluus ab Accipitribus differt, quòd alas habeat curuas, & non rectas, ut annotauit author de natura rerum.

Ruttelvvy. Miluus rubeus. VVouvve.

Milui albi, & vbi.

[a] *Exerc. 39.*

Maſſvvy. Miluus riſus. Lachvvy.

Orlivvy.

[b] *Lib. 6. Hiſtor. cap. 6.*

[c] *Lib. 10. cap. 10.*

[d] *Lib. 9. Hiſtor. c. 1. & lib. 8. c. 16.*

Rapacium inter ſe ſimilitudinẽ confuſionẽ parere.

Bouſati Gallorum quartum genus cum Maſſvvy Germanorum eundẽ eſſe.

FORMA.

MILVVS AERVGINOSVS.

FORMA.

# FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo. Caput. Roſtrum.

MILVVS ęruginoſus duorum ferè dodrantum eſt longitudine. Caput ei planum, in uertice macula alba ad ceruicem deorſum uergente inſignitum. Roſtrum habet breue, colore carneo obſcuro, ſeu ſubcæruleo, rictum rectum, nulla marginum appendice à fræno, ſeu lateribus extremis ad vnci vſq; initium. Vnco eſt haud longo, vtpotè cuius acies extrema dictum modo rictus initium ſeu frænum non tranſeat, ſed ſibi mutuò ex oppoſito pari altitudine reſpondeat, ceu lenis, quem roſtrum ipſum, eiusq; rictus conſtituunt, arcus, aut teſtudinis baſes.

Oculi. Color totius. Alæ. Cauda. Pedes.

Imo verò hamus ſuperioris roſtri vix inferiorem mandibulā ſeu roſtri partem excedit. Oculi nigri toti, circulo luteo. Corpus vniuerſum colore ferrugineo obſcuro ſeu caſtaneo vniformi tingitur. Remiges tamen alarum pennæ colore ſunt pleniore ac penè nigro. Nulla in vniuerſa aue macularum varietas, neque etiam in cauda, quæ paulò dilutior eſt, & longitudine duorum palmorum. Vltra hanc mediam alæ extremæ exporriguntur. Tibiæ nudæ, graciles, luteę. Vngues nigri atque adunci. Miluum inteſtino & hepati fel adiunctum habere tradit [a] Athenæus, quod alij facta de eo anatome inueſtigare poterunt, & rationem eius aſſignare.

[a] *L.8.c.8.*

# VOX.

Lippire.

AVTHOR Philomelæ, qui cæterarum ferè animantium voces proprio vocabulo explicauit, Miluum lippire dicit:

*Accipiter pipat, Miluus hianſq; lipit.*

Iugere.

Feſto verò iugere milui dicūtur: quam vocem à Varrone deſumpſit. De Miluo enim ita ille Seſquiulyſſe *iugere volitans Miluos viſus, aquam è nubibus tortam indicat fore, vt tigillum ſibi paſtor ſumat.* Vbi apud Nonium hodiè legitur *vigere volitans Miluus.* Sed rectè meo iudicio doctiſſ. [a] Ioſephus Scaliger ex Feſto *iugere* legendū coniectat. Quidam coniciunt Miluum fictitio nomine dictum à voce, quam edit, tanquam ſi vox ei nomini ſimilis eſſet. Bellonius verò Gallos ruſticos, ei per onomatopeian Huo nomen indidiſſe tradit, quod verius eſſe credo. Sed fortè Miluorum diuerſorum diuerſæ voces hanc ſententiarum diuerſitatem pepererunt, aut etymi ignorantia. Clamoſa certè auis eſt, & perpetuo clangore obſtrepera.

[a] *In Coniectanea in Varronem.*

Miluus an à voce dictus.

# VISVS.

AQVILARVM & Falconum oculos tanquam uidendi acumine præpollentes multi celebrant. Vnde etiam noſtratium vulgus, ſi quempiam à viſu laudare cupiunt, eum Falconis oculos habere dicūt. At Miluinos oculos rarus ſcriptor, imo præter [a] Apuleium, & qui ſine dubio ab hoc accepit, Politianū, nullus commēdat. Hi oculos Miluinos pro acutiſſimis dixêre. Sic [b] ille ſe Miluinos aſtutulę anus oculos effugere non potuiſſe conqueritur, quibus perſpicaciſſimæ & clariſſimæ aciei oculos innuere hauddubiò voluit. Credibile eſt tamen Miluo oculos eſſe ſatis claros, cùm ex alto ſpeculatus rectà ad prædam minimè aberrās deuolet, vbi pullis Gallinaceis in excelſo inſidiatur. Qua etiam ratione [c] Ariſtophanes, citante Varino, Γ'κτινα παντόφταλμον dixit, quaſi omnioculum.

[a] *L.de Aſin. aureo.*

[b] *Metam.6* Miluini oculi.

[c] *In Auib.*

# VOLATVS.

Milus cur altùm volet.

NON exiguam admirationem parit Miluus uolatu ſuo ſublimi adeò, ut pænè oculis ſeſe humanis eripiat, ac intra nubila ſeſe recondat. Quod pleruną; aut æſtus meridiani euitandi, frigidamq; mediæ aëris regionis auram captandi, aut inſequentis in ſe emiſſi Falconis Sacri tyrānidis effugiendæ gratia alarum magis ope, quàm uiribus corporis fretus facere, magna intuentium uoluptate conſpicitur. Vnde [a] Martialis:

[a] *Epigr.9.*

*Hinc propè ſumma rapax Miluus in aſtra volat.*

[b] *Cant.10. Stan.47.*

Quod [b] Arioſtus etiam innuere uoluit; inquiens:

*Ma, come i penſier tuoi meglio formati*
*Poggin più ad alto, chę per l'aria i Nibi.*

Diuturno

Diuturno præterea & indefeſſo labore maxima aëris ſpatia, quantum fortaſſe ulla alia ales, emetitur. Vnde veteres, cùm hominem locupletem, & agrorum diuitem deſignare vellent, tantum eum agri poſſidere dicebant, vt eſt apud Perſium:

——*Quantum nec Miluus oberret:*

[f] Item Iuuenalis: [f] *Sat. 4.*

——*Tot Miluos intra tua paſcua laſſos:*

tanquam ſi immenſa terræ ſpatia ac propè infinita iugera hac hyperbolica locutione innuerent. Peculiaris inſuper huic volucri & cæteris inſolens volandi ritus eſt, in orbem videlicet obuolitare, & velut immotis alis diutiſſimè in aëre, cùm prædæ inhiat, ſeſe librare, quo neq; ruſticos, neque ciues domeſtica damna ignorare ſinit. Et pueri eum obſeruant ac mirantur. Simulatq; enim prædam aliquam diſpexit ex alto, metam figurarũ præſtantiſſimam, circularem nempe, non vnico orbe obito deſignat, ſed pluribus repetit, vel ut [g] Ouidius ait: [g] *Lib. 2. de Amore.*

*Ducitq; per aëra gyros,*

[h] Et rurſus: [h] *L. 2. Metam.*

*Flectitur in gyrum, nec longius audet abire.*

Et [i] Iulius Scaliger teſtatum reliquit, *Horam integram aut plus ſibi Miluos obſeruatos non iactatis alis captare prædam, dum tomaclariæ mulieres ſcruta lauarent ad Garumnam.* Minimè enim ſe mouere aut alas quatere oculis obſeruari poteſt. Vnde quibuſdam à molli hoc volatu Miluum dictum placet. Licet verò alas non videatur agitare, ideoq; alarũ muſculos nihil mouere, ac quieſcere quis eum exiſtimet, reuera tamen quies ea dicenda non eſt: alioqui ceſſante omni muſculorum opera neceſſe eſſet in terram ruere alitem, ſed motus ea ſpecies exercetur, quem tonicum Galenus vocat, id eſt, tenſiuum, quo nimirum vtitur, exempli gratia, dum brachia neque attollimus, neq; deprimimus, ſed extendimus, cõcurrentibus ad hunc motum & parem vim conferentibus omnibus in vniuerſum brachiorum muſculis. Hic licet exigui, aut nullius penè laboris eſſe videatur, cæteris tamen motuum generibus eſt longè operoſior, dum muſculi omnes in eandem actionem conſpirantes ſeſe tendunt, ac æquali omnes robore ueluti de uirtute certant. In ipſa tamẽ tenſione uix fatigãtur, fortè ea de cauſa, quòd, ut author eſt Scaliger, ſupremi oſſiculi claua ſuperiori oſſi prominenti tanquam fibulæ occurrat, ita ut reflecti nequeat, aut ſupinari. Quod ut in Manucodiata, ita in Miluo, ut uolatus perpetuatio continenter fiat, poteſt contingere. Quod alij ſublimius tamen indagent. Docebit autem hoc anatomica inſpectio. Quare ſignificanter admodum & appoſitè Itali aucupes & accipitrarij hunc uolandi morem, tendere uocant. Hebræi quoque motum hunc, quali ſcilicet Miluus in aëre mouetur immotis, ut videtur, alis, proprio uocabulo רהף rahaph, exprimunt. Galli planare uocant. Germani etiam præſertim inferiores peculiari & indigite uocabulo Vbijs uſitato VVihen Miluinum uolatum ſignificant. Dum enim inconcuſſis pinnis æthera ſecantem ſuſpiciunt, uelut admirabundi dicere ſolent, VVie VViheter? id eſt, ut immotis per aëra fertur alis? Vnde nulli dubium relinquitur vocem Germanicam VVye, quę Miluum denotat, à verbo VVihen, quod volãdi morem ipſi peculiarem denotat, deductam eſſe. Quamuis etiam aliquis ſuſpicari poſſit, & fortè non malè eodẽ modo nominatũ eſſe Germanis, quaſi VVeher, vel VVecher, quod interpretari poteſt vẽto latus, quòd ſcilicet veluti in aëre aura potiùs, quàm pennarũ ope ſubleuetur, aut ab aëre non iactatis alis impellatur. Ipſis n. VVehen vel VVeyen ventum ſpirare ſeu flare ſignificat. Etenim, vt teſtis eſt Scaliger, elata ea ex parte pauliſper ala, vnde ſubit aura, motum aëris in reliquum etiam corpus excipiunt, atque ita ſuſtinentur, idq; longiſſimo, vt diximus, tempore, præter aliarum auium conſuetudinem, quibus facultas hæc à natura denegata eſt. Veluti *nobis*, inquit idem, *dum natamus, etiamſi nihil moueamur, ab aquis brachia ſuſtinentur: ita illis alarum alternatio non eſt neceſſaria.* Ad hunc volatum exercendum, eiusq; durationem ſanè nõ parum confert, quòd cauda in alarum vicem ab eis veluti ſufficiatur, quam eis natura latam dedit, nonnullis bifurcatã. Hanc enim modò conſtringunt, modò dilatant, nunc deprimunt, nunc attolunt, prout res poſtulat, eaq; ratione, & aëris motui auram ſecundam captantes ſeſe accõmodant, volatusq; ſui curſum, in quam lubet prouolare partem, ueluti temone dirigunt. Circaneas aues eos vocarunt ideò veteres, quòd oberrent ſemper agros circando. κυκλένεσα, περινοςᾶσα, περιοδεύσα, vt annotat [k] Scaliger. Vnde, ut inquit [l] Plinius, *videntur artem gubernandi nauem docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo mõſtrante natura, quid opus eſſet in profundo.* Hinc enim clauum immittere homines didiciſſe eſt probabile. Quippe cùm obſeruaſſent Miluum cauda, modò hac, modò illac flexa, temonis vice vti, qua iter ſuum in aëre dirigeret: ipſi quoq; ſimile quid moliti, clauum naui addiderunt, quem huc illuc contorquendo nauem per undas minimè incerto itinere fluctuantem, quò vellent, recto curſu impellerent. Dum autem ea, qua expoſitum eſt, ratione, volat, alas quàm latiſſimè dilatat, vnde vel maximè ea, qua alarum muſculos

Tonicus motus qualis.

Tendere. Planare.

VVihen.

Circaneæ Aues.

[k] *In Tibul.*

[l] *L. 10. c. 10*

Clauus nauis quõ inuentus.

Miluo cur alæ longæ.

scelos tendit, cõtentio intelligi potest, necnon admirabilis naturæ prouidentia, quæ longiores illi alas, quàm reliquis, etsi paris magnitudinis, imo etiã corpore maioribus, elargita est, quibus facilius, etiamsi non remigans sese sustentaret. Alas Miluorum quorũdam hominis etiam vel oblongi brachia expandentis integro palmo sua longitudine superasse quidam prodiderunt, & tantas esse, quantæ vix Aquilis auium maximis esse comperiuntur. Qua ratione fortè etiam non absurdè videri possit (liceat mihi, etsi non Germano, in re à Germanis hactenus intacta, coniecturis à uero præsertim non abhorrentibus, imo rei naturã explicantibus, uti) quòd Miluus eorum lingua VVeyer dictus sit, quasi dilatator. VVeyen enim vel VVyen antiquissimæ Germanorum gẽti Thungris, ut VVeiden vel VVeiteren alijs, dilatare, seu in latitudinem exporrigere significat. Quæ quidem uox eiusdem est cum ea significationis, qua Itali accipiunt arij vtuntur, dum uolatum hunc denotant, nempe estendere. Gallicum uerò, quod est planare, alarum potiùs inconcussarum quietem respicit. Planare enim æquare ipsis est, & planum æquabile, quòd uelut iusta & æqua lance & tanquam in æquilibrio alas extendant, neque eas sursum, deorsumue inter uolandum Milui iaciant. Quemadmodum verò cùm prædam ex alto dispiciunt, in orbem circumuolant: sic pari pacto cùm sursum scãdentes, sublime petunt, in gyrum denuò spiratim sese contorquent, sed cùm deuolant contrario prorsus volandi ritu vtuntur. Nam descendentes rectà, & unico impetu ex æthere deorsum sese præcipitant, tanta uelocitate, ut [m] Bellonius scriptum reliquerit, obseruatos à se Constantinopoli, qui proiecta à Turcis animi relaxandi causa in altum pulmonum bubulorum segmina deuolantes, unguibus arripuerint, antequam in humum delapsa essent.

Milui cur VVeyer dictus.

VVeyen quid Germanis.

Estendere.

Planare.

Miluorum mira velocitas.

[m] *Lib. 2. c. 26. de auibus.*

# LOCVS. MIGRATIO.

MILVI ubique ferè gentium degunt: sed loca, modò frigus, modò æstum nimium euitaturi, mutant, ut & multæ aliæ uolucres. Vnde *hybernis* (inquit [a] Plinius) *mensibus latent, vsque paucis* ([b] Aristoteles paucis diebus habet) *adeo vt multis latere ignorentur. Tardè* etenim, *neque ante Hirundines*, ut idem tradit, *abeunt*. Hyeme ad loca tepidiora succedunt, si vicina sint, sin remota, non mutant sedem, sed se ibidem condunt. Iam enim de angustijs euolasse, cùm primùm apparuerunt, uisi sunt, ut & Hirũdines. Sed hoc [c] Aristoteles de sua Græcia nostris regionibus calidiore. Visi tamen sunt etiam in superiore Germania in quercubus, alijsue arboribus intus carie exesis & concauis, dum fortè fortuna cederẽtur, per hyemem sese occuluisse, ac puluere earundem carioso, quippe qui à putredine caloris quidpiam nactus erat, corpus fouisse, quod & Hirundines aliquãdo, imo sæpenumerò facere compertę sunt. Aut etiam in nido ad breue tempus, frigore maximè sæuiente, manere quibusdam dicuntur, densissimoq; plumarum suarũ vellere ab hyberna aeris iniuria, quãtum licet, modicum corpus tueri. Pleruncq; uerò in Aegyptũ Milui tam Aetolij, quàm [d] egales, cæteræq; volucres migratoriæ hyeme aduentante è nostris regionibus Pontũ transuolare, ibiq; hyemare cogniti sunt. Quod à se cum stupore obseruatũ annotat [d] Bellonius, ita scribens. Cùm aliquando in littore Ponti Euxini ea parte, qua Thracia est, versaremur, vltimo ferè Aprili, in colle quodam eminentissimo, columnæ illi, quæ ad ostium Borphori est, proximo, vbi rete tenderet auceps capiendis Nisis, qui à dextra maris plaga aduolabant, obseruauimus Miluos gregatim eò aduentantes recto tractu, frequenti adeò numero, ac denso agmine, ut miraculi loco nobis ea res esset. Nam nouitate spectaculi veluti attoniti, animo concipere nequibamus, vbinã locorũ tanta Miluorum copia uictũ sibi esset paratura. Si.n. quindenorum dierum durante spatio singulis diebus numeroso adeo phalãge, atq; tunc temporis visi sunt, prętertuolassent, ausim asserere, numerũ hominum viuẽtium superaturos fuisse. Et sanè res admiratione plena, dignaq; mihi uisa est, tãtam Miluorũ multitudinem verè innumerabilẽ instar examinis formicarum, idq; per multos dies perpetuò Pontum traijcere. Aestate verò aduentante, vt nimium illarum regionum æstũ effugiant, in Europam, tardiùs tamen Aetolij, quàm Regales in has nostras regiones, Italiam uidelicet, Galliam, Germaniã reuertuntur, quemadmodũ etiam prius ijsdem à nobis recedũt. Ne verò vacui aut soli redeant, bellum nobis, si Dijs placet, & Isidoro credimus, hospitem adducunt Cuculũ, insigni profectò in hunc beneficio. *Scapulis* enim *susceptum, propter breues eius & paruos volatus*, inquit Isidorus, *ne per longa aeris spatia fatigatus deficiat, transuehunt, vt qui secum in hybernis egerat, secum vnà quoque aestatem transacturus verni temporis nobis esset nuncius*. Vnde ut quatuor anni partium, aliæ alijs auibus, ita uer Miluis tribuebant antiqui. Hinc * Aristophanes [e] Κεῖνος αὖ μετὰ ταῦτα φανῇς ἑτέραν ὥραν ἀποφαίνει, Ἡνίκα πέρνην ὥρα προβάτων πόκον ἱρινόν,

Miluos in Aegyptum migrare.

[a] *Lib. 10. cap. 10.*

[b] *L. 8. Hist. cap. 18.*

[c] *Lib. 8. Hist. c. 16.*

[d] *Lib. 2. c. 28.*

Milui cur in Europã redant.

Milui Cuculum ad nos deferunt.

[e] *In Auib°.*

id est,

id est, *Miluus rursus post hæc apparens aliud tempus ostendit, Quando tundere tempus ouium vellus veranum.* Hinc origo est prouerbio apud eundem Aristophanem, προκυλινδεῖσθαι τοῖς ἰκτίνοις, id est, *prouolui ad Miluos seu adorari Miluos*. Idem etiam ad hunc sensum dicebat: Εὔχεσθε τῇ ἑρίφῳ τῇ ὀρνιθίῳ, καὶ τῷ ἰκτίνῳ τῷ ἑρεθίχῳ, id est, *Supplicate veste auili, Et Miluo vestam habenti.* Ineunte etenim vere, cùm apud nos, quàm apud Græcos Milui primùm apparerent, ad eorũ conspectum, tanquam certissimum hyemis exactæ, cuius scilicet graui tædio iam leuati essent, nuncium, tenuioris fortunę homines læti prouoluebantur, & in genua, tanquã eos adorarent, procidebant, quo ritu Reges adorari mos est. Itaque reges olim fuisse fingit poëta. Verùm honos huic temporis mutationi potiùs, quàm aui habebatur. Hinc etiam quidam apud Græcos nomen illi factum Ἵκτινα volunt, quòd tanto desiderio expectatus accedat. Hanc autem mutandi loci, temporisq; cognitionem, quam instinctu naturali edoctus est, (bruta enim omnia, vtpotè animam corporibus immersam habentes, leuem etiam auræ alternationẽ multò citius homine percipiunt) sacræ etiam literæ Miluo inesse testantur, ut ex diuino [c] Propheta Ieremia manifestum est dicente. *Miluus in cœlo non ignorat tempus suum, Turdus & hirundo & Ciconia, ipsæ quoque aduentus sui tempus obseruant: populus autem meus iudicium Domini non cognouit* Quemadmodum uerò in uarias orbis plagas ultrò citròq; commeat, ut modò æstuantis, modò algentis supra modum aëris noxam euitet, ita etiam cùm apud nos agit, ac sub Canicula omnia in hac infima aëris regione intolerabili æstu torrẽt, & cùm cæteræ animantes tum non nisi in umbra degant, ut auram frigidiusculam, qua sese refocillent, captent, unde Miluus plerunq; circa meridiem refrigerium quæsiturus tam sublimi uolatu in altum contendit, ut nec uisu illum sæpe assequamur. Nam etsi nullam ibi umbram, uti apud nos in terra, quæ æstuantẽ recreare queat, reperiri quispiam existimet, tantum tamen abest, ut solis radiorum caloreillic aduratur, quin potiùs nullum locum adeo opacum aut umbrosum humi reperiri possę, qui cum illo de algoris uehementia certet, uerissimum est, ubi Miluus expansis alis sese librans hæret. Imo uerò frigus ibi tantum est, ut periculum sit, ne congelascat, uel saltem membra eius rigeant, si diuturnam ibi moram traxerit. Argumento sunto altissimorum montium, ut Olympi, Athos, Idę, & similiũ iuga, quæ, etsi regiones, in quibus siti sunt, calidissimæ sint, perpetua tamen niue canent, ob ingens mediæ aëris regionis, ad quam usque pertingunt, frigus. Et ne tam longè exempla petamus, alpes nostrates & penè domesticæ nobis exemplo sint. Quis enim nescit alpeis summas, alia alijs locis ac partibus nomina sortitas, totius anni decursu etiam cum Sirij ardore cuncta adurantur, uertices suos perenni niue onustos ac candentes ostẽtare, unde etiã ab albendo alpes nominatas uolunt. Harũ certè in summis illis fastigijs frigus est ingens adeo, ut quiuis per eas iter facere, etsi æstiuis mensibus, pertimescat. Radij enim solares, quorum reflexorum à terra uis eousq; minimè pertingit, omni caloris beneficio hanc partem destitutam relinquunt. Cuius rei haud grauatim sese mihi testes præbebunt, quotquot rei botanicæ studiosi montium Baldi in agro Veronensi, aliorúmq; cacumina perreptantes, nõ minus in ijs frigus Iulio & Augusto mensibus experti sunt, quàm quo bruma maximè sæuiẽte corpora nostra affligi solent, cùm tamen paulò antè & eodẽ die maximo solis ardore in subiectis uallibus & cãpis æstuassent. Hinc est quod Milui magnam diei partem, nempe meridianam illic transigant, nec ante uesperam deuolent. In Lybia uerò circa fontes Nili teste [f] Herodoto, perennant, ut & in India occidentali, ubi frequenti admodum numero, ac præsertim in Insula quadã D. Dominici nomine celebri, necnon in alto longè lateq; eam ambiente mari, sibi uisos cùm primùm nauibus illuc appulissent, id genus Miluos, quibus cauda est bifurcata (unde & illi nomen impositum) [g] Hispani Indicarum nauigationum comentarijs memoriæ prodiderunt. In his enim & similibus regionibus, quòd aëris constitutio temperata sit, & hyemes clementes, non minus æstiuant, quam hybernant, perpetuasq; sibi sedes figũt. Refert tamẽ clarissimus [h] Carolus Clusius uix maiorem in Cairo (ubi Bellonius eos magna copia habitare scripserat; cùm à nobis absint frigoris euitandi causa) Miluorum frequentiam conspici, quam Londini Trenobantum in Britannia, nulloq; non anni tempore frequentissimos ibi apparere: cùm enim (inquit) eos interficere uetitum sit, ut spurcitiem in plateas uel etiam ipsum flumen Thamesim, qui urbem alluit, ab incolis eiectam legant, & deuorent, per confertos etiam homines prædam ab ipsis in altum uolantibus conspectam, corripere non uerentur, quod sæpenumerò, cum illic essem, miratus sum. Hactenus ille. Item & in Hollandia Nouembri mense, quo ibi cuncta sæpe glacie rigent, catapulta à se occisum Miluum mihi retulit Io: Cornelius VVtervverus Batauus Medicus, uir fide dignissimus, cuius opera ac doctrina in hoc opere multo tempore usus sum.

Miluus adoratus.

[c] *Cap. 8.*

Miluus cur sup nubes sese efferat.

Supra nubes ingens frigus esse.

Alpes unde dictæ.

[f] *Lib. 2.*

[g] *Tom. 3.*

[h] *L. 2. c. 36. In Obs. Bel lonij.*

# GENERATIO.

Lud. Viuis error.

ADMIRATVR Ludouicus Viues, & ſanè id omnibus (ſi quidem verum) meritò admirandum eſt, quod de Miluorum generatione Ariſtoteles in naturę admirandis narrat: Ex Aquilinis ſcilicet pullis alterum à patre degenerare, & fieri ex Aquila Haliæton, ex hoc iam non Haliætos gigni, ſed Phenas ſeu Oſſifragas, ex Oſſifragis Miluos, nec Miluos ſui generis aues procreare, ſed diuerſi, atque hìc demum ſiſti, & fieri degenerandi modum: has ſteriles & abſq; vlla prole conſeneſcere atque interire. Verùm, quod pace tanti uiri dixerim, & author, quem citat, ſuſpectus eſt, neque genuinus Ariſtoteles, imo neque locum hunc in illo libro antè citato reperies. Et ſuſpicor uel Plinium hunc locum hinc mutuatum eſſe, uel hunc authorem à [a] Plinio, nam in ſua naturali hiſtoria ita loquitur: *Haliæti genus ſuum non habent, ſed ex diuerſo Aquilarum coitu naſcuntur. Sed quidem quod ex ijs natum eſt, in Oſſifragis genus habet, è quibus Vultures progenerantur minores, & ex ijs magni, qui omnino non generant.* Hoc tamen differunt loco hæc inter ſe, quòd alter Miluum ex Oſſifraga, alter Vulturem naſci dicat. Putarim tamen ego doctiſſimum illum virum forſan hæc apud Plinium legiſſe, & mox memoria lapſum, vt magnis ingenijs, & multa ſcribentibus vſu uenit, Ariſtoteli attribuiſſe. Angelus Politianus in haud minorem errorem lapſus eſt, cùm quod de Vulturibus (etſi etiam perperam, vt à nobis monſtratum fuit) vulgò traditur, Miluis tribuit, marem ſcilicet in Miluis non reperiri, & fœminas Auſtro uel Euro concipere. Pariunt autem Milui *bina, magna ex parte*, vt [b] Ariſtoteles author eſt, *interdum tamen & terna, totidemq; excludunt pullos, poſt vicenorum dierum incubatum: Sed qui Aetolius vocatur, vel quaternos aliquando excludit.* Sed Plinius in turpe mendum impegit, ineptè Aegolius, quę uox Vlulam ſignificat, pro Aetolius traducens: Sunt autem hæc eius verba: *Singulos ferè parit, nunquam plus ternos, is qui Aegolios vocatur, quaternos.* Vocum in primis ſimilitudine eum lapſum eſſe probabile eſt, quanuis & in pullorum numero ab Ariſtotele diſcreper. Ex quo itaque Plinij verba ſic reſtituenda puto. Miluus binos ferè parit, nunquam plus ternos, ſed qui Aetolius uocatur, quaternos. Non minor verò Miluo, quàm cæteris alitibus pullorum ſuorum cura eſt, quos, ut incolumes conſeruet, & ipſe peculiare ſibi amuletum, videlicet ne quis teneros oculus pullos faſcinet, aut veneno lædat, ſolerti naturæ prouidentia ſelegit, ut Aelianus literis traditum reliquit: *Miluus* inquit, *rhamnum nidis ſuis imponit ceu faſcinationis remedium, aliarumq; ſine dubio noxarum arcendarum futurum.*

Angeli Politiani error.

[b] *6. Hiſt. c. 6.*

Plinij turpis error.

Plinij emẽdatus.

Milui induſtria.

# VICTVS.

[a] *8. Hiſt. c. 3.*

MILVVS carniuora eſt auis [a] Ariſtoteli, utpotè aduncis unguibus, & non minus mortuorum, quàm uiuorum animalium, necnon & piſcium. Plinius exiſtimauit non alio cibo, quàm carnibus ueſci, vbi ait: *Veſcuntur glande aues quaedam vncorum vnguium, pomiſq; multæ, ſed quæ carne tantũ non viuunt, excepto Miluo.* Sed falſus eſt. Nam & fructus Miluo in cibum venire conſtat, præſertim cùm alio alimenti genere familiari deſtituitur. Hoc teſtatur [b] Bellonius, qui in Aegypti vrbe Cayro Miluos ſibi viſos in palmas deuolaſſe & dactylos comediſſe aſſerit. Hinc fortè & ipſe [c] Ariſtoteles perperam ſcriptum reliquit, *Miluos, ſi fruges in os indideris, reſpuere.* Si enim fructus deuorent, quid ni & fruges, cùm illemet aliquando eos bibere concedat? *Genus*, inquit, *auium omne cùm potu exiguo contentum ſit, tum aduncis nullus omnino vſus bibendi eſt, præterquàm pauciſſimis quibuſdam, quæ & ipſe rarò vtuntur, qualis potiſſimum Tinnunculus eſt. Miluus etiam viſus eſt bibere, quanquam rarò.* Quam raritatem ego ex ſicciori cibo, quo rariſſimè veſcitur, proficiſci autumor. Ioannes Tzetzes Miluum ex ſolis aquis pluuialibus bibere, eo ſolum tempore, quo pluuia cadit, prohiberi tradit. Voraciſſimus eſt & plurimi cibi, in tantum, ut in prouerbium tractum ſit Miluina appetentia pro vehementi fame, & Miluina menſa, quę cum auiditate maxima deuoratur.

Plinij error.

[b] *Lib. 2. de Auib. c. 28.*

Ariſtotelis error.

Miluina appetentia.

Miluina menſa.

RAPA-

# RAPACITAS. MORES.

RAPACISSIMA *& semper famelica*, inquit[a] Plinius, *hæc auis est*. Vnde & doctissimus nostri æui Poëta quidam Miluos famelicosos uocat, inquiens:

*Qualis famelicosa secta Miluiorum,*
*Cuius acuit postriduus famem clangor.*

Insidiatur auibus domesticis, maximèq; pullis Gallinaceis & Anserinis inter quos è sublimi quempiam, qui extra securitatẽ prodierit, aut incautiùs à cæteris se disiunxerit, aut alia quauis ratione rapinæ magis quàm cæteri, se exposuerit, sibi eligit, atque aliquandiu in gyrum obuolitans obseruat, donec cùm oportunum putat, dicto citiùs in cortem deuolans, incogitantem abripit, frustra conquerente matre, & hominibus tam clamore, quàm lapidibus eum territantibus. Quod eleganter his uersibus noster Ariostus expressit.

*Cosi il rapace Nibio furar suole*
*Il misero pulcin presso à la chioccia,*
*Che di sua inauertenza poi si duole*
*E in van li grida, e in van dietro li croccia.*

Præsentiam hominum minus, quàm cæteræ aues Miluus pertimescit. Imo solitudinem fugere & vrbes, locaq; hominibus frequentata affectare, vbi rapiat, euidenter conspicitur; Quod num à naturali mansuetudine ac veluti cum hominibus quadam amicitia, an potiùs ab impudenti quadam rapiendi audacia procedat, dubium videri nobis potest. Qui nauigationes Indicas ab Hispanis institutas conscripserunt, memoriæ produnt, Miluorum quoddam genus bifurcata cauda præditum, quorum in insula D. Dominico sacra, magna copia est, ad se in naues aduolasse, & ex ijs maximam cepisse voluptatem, quòd mites adeò ac mansuetos eos esse conspicerent, & quamuis propè adeò ad eos accederent, vt fuste percutere potuissent, tamen non aufugiebant, ideoq; nulla ratione nocere illis voluisse, tanquam si religio esset, nec auderent amicas adeò hominibus volucres offendere. Illi coram se corpus à pulicibus expurgabant, atque ita omni metu depositò, intrepidè pennas rostro expoliebant, vt hac in re cicures seu domesticas nostras aues superare viderentur.[b] Bellonius etiã in Aegypto præ mansuetudine ad fenestras vsque domuum aduolare scribit. Hæc quidem mitem Milui naturam esse testari videntur. At contrà sentio, dum ad rapinas faciendas, vt inquit[c] Aelianus, eminentissimum, si superior extiterit, carnes è macello rapacissimè auferre Miluum video: Vnde culinas & carnaria circumuolitat: minimèq; expectat aliquãdo, donec quidpiam crudę carnis foras proijciatur, sed vltrò rapit. Pueris cibum è manibus in ipsismet vrbibus, carnes, scrutaq; abluentibus & pisces exenterantibus fæminis, sudaria sepibus, imo è virorum manibus & quod amplius, sæpius pileos hominum capitibus, eo maximè tempore, quo nidulantur, vt visum à se testatur Turnerus, vi audet eripere. Hinc apud Plautum legimus: *Pulmentum ei pridem eripuit Miluus*. Hęc omnia eius facinora, faciunt vt impudenti potiùs ac effronti temeritati, imo ignauæ, vt ita loquar, cuipiam rapacitati ascribendã censeam, eam, quam præ se fert, mansuetudinem, ac cum homine familiaritatem. Neque enim alia de causa, loca hominibus habitata ac frequentata amat, quàm ut rapiat, ac prædam facilè, nulloq; labore parabilem nanciscatur, vt qui viribus suis diffidat, neque animantes aut celeritate, aut robore pollentes persequi locis desertis audeat. Hoc enim agit, vt hominibus aliud agentibus, aut nihil minus cogitantibus ex improuiso aduolans cibum auferat, aut pullos Gallinaceos vel Anserinos, imbelles nempe & repugnare nõ valentes, clandestino impetu veluti suffuretur, vnde meritò & appositè à Germanis inferioribus Thungris & Batauis Kuijckendieff, id est pullorum fur dicitur. Hinc benè dixit, nescio quis anonymos, author libri de natura rerum, *Miluum audacem esse in paruis, timidum verò in rebus magnis*. Qui enim omnium impudentissimi volucrum ad hominum usque manus, ut inquit Oppianus, prouolant, eisq; cibum extorquere non verentur: à Niso, etsi triplo maiores, in fugam verti traduntur. De Miluis prædicant omnes, & pro miraculo habent Aristoteles, Pausanias, Plinius, Aelianus, quòd in Elide, cùm carnes alioquin ab illis, qui per forum gerunt, eripiant, nihil tamen vnquam esculenti auferãt ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara carnium Ioui sacrificatarum, ac ne ab ijs, qui manibus eas deferrent *nisi lugubri municipiorum immolantium*, vt inquit[d] Plinius, *ostento*. Credebant illi nimis superstitiosi, vt apparet, Miluum religione tactum abstinere immolatis. In funeribus autem cœna lauta apparabatur, quam ad rogum delatam cum defuncto cremabant. Vnde Virgilius.

*——Congesta cremantur*
*Thurea dona, dapes, fusoq; crateres olivo.*

[a] *Lib. 10. c. 10.*

Quib[a] auib[b] insidiet.

Miluusquo homines amet.

Miluus bifurcata cauda.

[b] *Lib. 2. de Auib. c. 28.*

[c] *L. 2. de Animal. c. 47.*

Milui audacia.

KuijcKendieff.

Miluus cur à sacris abstineat.

[d] *Lib. 10. c. 10.*

Silicernium ea cæna dicebatur, quòd ſilentes vmbræ eam cernant, vel quòd qui adſtant, cernant, non attingant. Nam pijs Inferis, qui libata ediſſet, vel bibiſſet, funeſtabatur. Ariſtophanes tamen immolata etiam abripere Miluum innuere mihi videtur, hunc in modum ſcribens.

*Ἐπὶ ποῖον ὦ κακόδαιμον ἱερεῖον καλεῖς;*
*Ἀλιαιέτους, καὶ γῦπας, οὐχ ὁρᾷς ὅτι*
*Ἴκτινος εἷς ἂν τοῦτο γ' οἴχοιθ' ἁρπάσας;* id eſt,
*In quale ò infelix ſacrificium vocas?*
*Aquilas & Vultures? non vides quod*
*Miluius vnus hoc abiuit rapiens?*

Ego verò ſi modo hoc verum eſt, quod de Miluo narrant (nam reuera fabulam ſapit) in inſignem eius timiditatem ac ignauiam reijciendum putem. Qui enim aſtu & celeritate, non viribus fretus imparatos adoriri & rapere conſueuit, & aperto Marte congredi nõ audet, aut vim inferre: cuipiam ſoli non attento facilè quid eripiet: at turbam, frequentemq; hominum coronam, quæ plerunq; ſacra circumſtat, expaueſcit, malè mulctari metuens. In eadem ſententia mecum eſt [e] Ouidius, quam his uerbis exprimit:

[e] *Lib. 2. Metam.*

*Vt volucris viſis rapidiſſima Miluius extis,*
*Dum timet, & denſi circunſtant ſacra miniſtri,*
*Flectitur in gyrum, nec longiùs audet abire,*
*Spemq; ſuam immotis auidus circumuolat alis.*

[f] *In Hippar.* Expectans videlicet, donec aliò ſe relictis ſacris recipiant, abſcedantq;. Idem teſtatur [f] Xenophon: *Solent Milui*, inquit, *ſi quid incuſtoditum fuerit, rapere, & cùm rapuerint, in locum aliquem tutum ſecedere, priuſquam deprehendantur*, nempe in utroque ſolerter formiduloſi. Albertus etiam cadauera eos obſeruare dixit. Quidam tamen non ſemper iuxtà timidum eſſe, ſed animum ac mores cum ętate mutare aſſerunt. Miluum tradit Iorath, cùm è nido exceſſerit, eumq; iam parens uolãdi compotem deſeruerit, maiores primùm aues uenari: tum uerò, ubi adoleuerit, atq; (ut ipſius uerbis utar) iam ualidior factus fuerit, debiliores, minoresq; capere, tandem cùm ad ſummum (ætatis, corporisq;) uigorem peruenerit, muſcas, culices, ac lumbricos terreſtres, inſecta ac uermes captare, & tum deniq; fame emori. Vnde uulgò ferunt Miluũ primo anno adeo audacem eſſe, ut nihil mortuum dignetur guſtare, ſecundo uerò præ metu nihil uiuum edere, tertio denique fame interire. Quod ſi ita eſt, inuerſo ſanè in eo ordine procedit natura, ac ὕστερον προτέρον, ſeu, ut aiunt, nouiſſimum in eo primum eſt. Cùm enim reliquæ animantes, maximè uerò feræ aut bellicoſæ, ętate tenella uiribus ſint imbecillioribus, quæ paulatim cum eadem accreſcente etiam augmentum aſſumunt, Milui è contra, quò iuniores, eò animoſiores, quò adultiores, eò meticuloſiores & ſegniores ſunt, imo quod monſtro ſimile uidetur, quò ualidiores ipſi, eò debiliora animalia capiunt. Ita enim Iorath deſertè ſcribit. Quibus innuere, ut opinor uoluit, quo plus robori corpori ætas adijcit, hoc amplius ab animi fortitudine ſeu audacia recedere. Hinc fortè Plautus inquit:

Miluus nõ ſemper habet eãdem naturam.

*Vidi petere Miluium etiam, cùm nihil auferret tamen,*

[g] *In Pœn.* [g] Item perquàm lepidè de illius rapacitate:

*Tunc ſis me arctè mea voluptas: malè ego metuo Miluium; mala*
*Illa beſtia eſt, ne fortè me auferat pullum tuum.* Item [h] alibi:
*Pulmentum pridem ei eripuit Miluius.*

[h] *In Aulul.*

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

[a] *9. Hi. c. 1.*
[b] *5. de Hiſ. An. c. 48.*
Harpe quę auis.

CVM Miluo, vt [a] Ariſtoteles, & ex hoc [b] Aelianus teſtantur, Harpe amicitiam ſeruat. Vtriq; verò, inquit Plinius, communes inimicitiæ contra Triorchin. Nec mirum, cùm Harpe reuera Milui quoddam genus eſſe uideatur, nempe lacuſtre & audacius. Miluis quoque & Cuculis non malè conuenire videtur. Hoſce cùm aliò migrandi tempus eſt, humeris ſuſceptos ad loca calidiora tranſuehunt, alioquin tantum iter ob volandi impotentiam non confecturos. Contrà Miluum & Vulpem inimicitias exercere aiunt, fortè quia ambo rapiunt Gallinulas. Cum Coruo quoque diſſidet, ut docet Ariſtoteles; *Eripit enim*, inquit, *Miluus à Coruo, quidquid tenet, vt qui & vnguibus ſit præſtantior, & volatu. Ita fit, vt & eos quoque victus ratio faciat inimicos.* Addit Auicenna aliam cauſam, nempe *quòd propter oua & pullos pugnent.* Gallinis, earumq; pullis imo & Gallo ipſi terribilis. *Hic enim*, inquit Aelianus, *cùm cantu ſuo terreat Leones, & Baſiliſcos exanimet metu, Miluium tamen timet.* Quandoque tamen animum arripiens & contra Miluos pro Gallinis dimicat. Imo & Gallina ipſa pullorũ parens, viſo, auditouè Miluio, cuius vel umbram,

Gallina Miluum exhorres.

& multo

& multò magis vocem aduolitantis mira naturæ solertia agnoscit, statim eos intra alarum asylum receptos, maxima solicitudine glocitando tutatur, hostemq; capitalem arcet rostro opposito. Quod his versibus eleganter expressit Baptista Mantuanus.

*Vt mater cristata solet, quo tempore Miluus*
*Instruit insidias, flectitq; per aëra gyrum,*
*Illa dolum timet, & crocitans sua pignora cogit,*
*Collectumq; gregem suspensis protegit alis.*

Columbæ etiam & Milui discordiam doctè [c] Horatius detexit, inquiens: [c] *In Epodo*

*Mirus amor iuuet vt tigres subsidere ceruis,*
*Adulteretur & Columba Miluio*, hoc est per adulterium à Miluo ineatur. Paræmia ex impossibili desumpta est, qua summam discordiam & naturalem impotẽtiam docere intendit, quòd aduersum animal Columbæ sit Miluus, adeò vt impossibile sit eos vnquam reconciliari, quantò minus mutuo amori indulgere, odio priori depositio. Aliud præterea impossibile notat Horatius, quia Columba nulli succumbere dicitur, quàm cui semel sese iũxit, ut inquit Porphyrio. Punicæ malo nunquam insidere Miluios, vt tradit Oppianus, ferũt, & ne aspectũ quidem eius sustinere. Cuius rei causam in fabulosum commentum idẽ retulit, quod suo loco enarrabimus. Punicę malo non insidet Miluꝰ.

# AFFECTVS CORPORIS.

SCRIBIT Oppianus Miluum certo anni tempore magnum in pedibus dolorem pati: [a] Plinius tempus hoc exprimens, *Traduntur*, inquit, *à solstitijs affici podagra*. Albertus timiditatis Milui & latebrarum causam in hunc morbum reiciens, *arthritica*, inquit, *& podagrica auis est, ideoq; timida, & latet aliquando circa solstitia frequentius, quòd tunc morbo podagræ magis obnoxia sit*. [a] *Lib. 10. cap. 10.*

# AVCVPIVM.

QVOD [a] Terentius parasitum introducens loquentem, ex prouerbio inquit: [a] *In Phormione.*

*Quia non rete Accipitri tenditur neque Miluio,*
*Qui malè faciunt nobis, illis, qui nihil faciunt, tenditur,*
*Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.*

Illa ætate forsan, & suo quodam sensu verum erat. Sunt autem verba parasiti, qui sibi non metuit insidias, aut uim ab eo, qui illam inferret maiore suo periculo quàm alieno. Nam aues capiuntur vel gulę gratia, vel delectationis. Tale nihil in Miluo agnoscebat ea ætas. Neque enim ad cibum expetebatur, neque quispiam illum alere volebat, vtpotè nimis edacem, nemo habere cupiebat, nempe maleficum. Ideo autem tutior erat, quia in illo & fructus perdebatur, & opera ludebatur. [b] Horatius hamo etiã capi solitos Miluos hoc versu innuit: [b] *L. 1. Epist.*

*Cautus enim metuit foueam Lupus: Accipiterq;*
*Suspectos laqueos, & opertum Miluius hamum.*

Nostra hac tempestate Milui & quidem magno studio capiuntur, cum positis retibus, ne noceant, quem modum præscribit [c] Pet. Crescentiensis, estq; non dissimilis ab eo, quo Accipitres irretire solent, tum venatione, ut oblectamentum præbeant, nempe in aëre sublimi, Falconum præsertim Sacrorum pugna, quos instructos in eosdem immiserint. Quam quidem venationem Alphonsus Neapolitanus Rex auorum nostrorum memoria demonstrasse quibusdam creditur. Tam flagrans.n. hodie volatilis aucupij, vt inquit Budæus, est studium, vt nec Ardeæ nec Milui intra nubes conditi euadere humanas manus possint. Principes ac magnates, quos Milui venationẽ, ac potissimùm regalis spectare iuuat, hac eã ratione, teste Bellonio, instituũt. Cùm Miluo in more positũ sit, media æstate sublimẽ in aëre libẽter ac diù ferri; hac arte, ut descendat primùm, eum inuitant. Accipitrario Bubonem pugno gestare iubent, cuius pedibus cauda vulpina annexa sit, qui auolare in campum patentem permissus, vbi à Miluo conspectus est, confestim eum ad deuolandum allicit. Miluus enim viso Bubone, mirum quanto eius contuendi desiderio ingenita quadam curiositate actus, statim deorsum aduolet. Ad quẽ cùm proximus accesserit, ita vt eum contingat; non aliud, quam auidè & admirabundus insolentis formæ eum contemplatur. Tunc uerò Sacros in Miluum emittunt impugnaturos. Qui imparem eorũ viribus sese videns, fuga saluti consulit, & subitò rotationibus aëra scandit. Cùmq; auis sit, pernicis quidem uolatus, sed infirmarum ad resistendum virium, quantum potest sublimis euehitur. Ibi verò in nubibus iucundissimum pugnæ fit spectaculum, præsertim si locus est campestris, [c] *L. 10. c. 17.* Falconum sacrorũ pugna. Milui venatio. Bubonis vsus ad venandum Miluum.

campeſtris,& nullis arboribus,quæ uiſum impediant,conſitus,aërq; tranquillus, ac ſudum cælum. Nam & ſacros & Miluum ſublimes adeo euadere ſpectare licet, dum alter alterum ſuperare conatur,ut uterque obtutubus humanis eripiatur. Verùm nihil prodeſt Miluo altiuola pernicitas, neque eum ſeruare poteſt ab imminenti exitio. Nam à Sacris tandem in poteſtatem redigitur,qui uolatu facti ſuperiores,ſupernè & frequenter ictum deorſum in terram prę-cipitant. Exagitatur uerò hoc uenationis genere potiſſimùm Miluus, cui Regali, uel ab hoc ipſo cognomen eſt,quòd Regum & Principum oblectamẽto propriè dicatus ſit, qui ex illius in excelſo aëre cum Falconibus manum conſerentis, aut potiùs, vel in ipſum cælum, ſi liceat, dum altiora continenter petit,euadere conantis,ſpectaculo,haud leuem voluptatem capiunt. Cedunt tamen in hunc uſum quoque nonnunquam Milui nigri, qui cum Regalibus multò ſint robuſtiores,fit quandoque,quod teſtatur Beliſarius,vt,quamuis etiam capti & à Falconibus Sacris circumacti, per aëra deturbati deſcendant,à Falconũ tamẽ manibus quãdoq; euadãt. Sed & Sacris ipſis sũmo æthere reluctãdo plus negotij faceſsũt, ac operoſiorem de ſe,quã de Regali diximus, victoriã reddunt. Nam præterquã quòd virium eis plus ineſt, ſic agilitatis etiam ac expeditæ velocitatis amplius habent,corporeę verò molis minus. In Propontide ubi Accipitres magno numero ex Ponti Euxini dextero latere venientes,retibus capi antè ex Bellonio dictum,ibi Milui eodem modo,ut de Accipitribus diximus, capiuntur. Verùm parum honoris Miluo acceſſerit ex hoc,quod eum recreandis hominum animis,venationi vtilem demonſtrauimus, niſi (vt produnt) & eum ipſum reliquorum Accipitrum modo, alijs auibus capiendis idoneum eſſe & arte humana reddi poſſe aliquando doceamus. Cùm artis Accipitrariæ originem & antiquitatem indagaremus,ex [d] Aeliano,qui Cteſiam citat,oſtẽdimus,non ſolùm Aquilarum,ſed & Miluorum pullos ab Indis ad venationem inſtitui ſolitos,atque adeo manſuefactos,ut animalia ab ſe capta,ſpe carnis,præmij loco conſequendæ dominis reportarint. Rationem inſtitutionis,venandiq; modum illic prolixiùs expoſuimus. Et Baldus Angelus Abbatius medicus præſtantiſſimus & noſtri amantiſſimus,Alphonſum Aragoſium Regẽ tradit ex Volaterrano,Miluum primum venaticum habuiſſe,idq; credendum eſſe affirmat:quod etſi inficiari nolim,vereor tamen,ne Volaterranus,uel ille,venationem Milui & Falconis,cuius eundem Regem inuentorem fuiſſe antè notauimus, in qua Miluus ſuperatus tam iucundum ſpectaculũ edit,cũ uenatione aliarũ auiũ confuderit. Mirũ ẽt uidetur, quomodo Miluus auis timidiſſima,& tenellulis tantummodò pullis inſidiari nata,ad uenatum auium inſtitui poſſit.

Quis Miluus à Sacris maximè capiatur.

Milui nigri cum Sacris pugna.

Miluos etiã Aues capere.

[d] *L.4.de Anim. c.26.*

Indos Miluinis pullis in venatu vti.

# COGNOMINATA.

Lupus qui Miluus & Circus dictus.

ICTINVS cognominatur, quartum genus lupi à rapacitate nimirum, vt ſecundum etiã Circus,quia hæ aues rapaciſſimæ ſunt. Hoc genus apud Oppianum, ut antè dictum fuit Ἴκτις vocatur.

Miluum pontem dictum Romanæ vrbis Hermolaus Barbarus interpretatur Sublicium. De quo ita ſcribit Abrahamus Ortelius: Pons Miluius in Tyberi prope Romam,vbi Conſtantinus Maximus Imp. Maxentium tyrannum deuicit. Hodie ponte mole vocant. Miluium uocant hunc pontem, Liuius, Tacitus, Saluſtius, [a] Plinius, [b] Cicero, Eutropius, Oroſius, Aurelius Victor. De eo tamen apud me doctiſſimus Victor Giſellinus. De Molo ponte conſului manu ſcriptos meos, in quibus eſt Moluius,Muluius, Moblius & Molbius,quæ poſtrema duo,etſi falſa ſunt, vocalem tamen O uel V diſertè oſtendunt, In nullo libro eſt Miluius. Hactenus ille.

Milu⁹ pōs.

[a] *De viris Illuſt.*

[b] *Orat.3.in Catal.& Epiſt.ad Atticum.*

# DENOMINATA.

AMILVO deriuatur adiectiuum Miluinus, a, vm, pro eo quod Milui eſt. Vnde Miluinus pullus apud [a] Ciceronem pro homine rapaci per tranſlationem dicitur:& Miluina menſa [b] Plauto,ſimiliter pro rapaci: *Madida quæ mihi appoſita menſam Miluinam ſuggerant.* Miluinæ plumę dicuntur apud [c] Plinium: *Hieracites gemma alternat tota, Miluinis nigricans veluti plumis.* Vngues item Miluini pro rapacibus,& furacibus apud [d] Plautum.

*An tu inuenire poſtulas quenquam coquum*
*Niſi ſit Miluinis aut Aquilinis vnguibus?*

[a] *Ad Q. Fr.*

[b] *In Menæch.*

[c] *L.7.c.10.*

[d] *In penul.*

Pes miluin⁹ herba.

Pes Miluinus herba quædam à Miluo denominata,à Columella colligi,& in vſum reponi iubetur,ſed qualis ea ſit,non explicuit. Ruellius herbam cornu ceruinum hodiè vocatam eandem cum illa ſuſpicatur. Nam extremum folij in articuli aut pedis Miluini figuram formatur.

Alij

Alij cornu ceruinũ coronopodem interpretantur. Syluaticus pedẽ Milui, pepanum esse dicit alio nomine vocatũ, folia asserens habere diuisa satis & subalbida, cum flore & capitello oblongo, sicut cauda animalis. Sed alia est Plinij pepanus, buglossi folio, pulmonaria latinè dicta. Hieracium minus Germanis nonnullis vocatur VVeyenschvvantz hoc est, cauda Milui. Cornu ceruinum. Milui pes. Pepanus. VVeienschvvantz.

Miluina Festo genus tibiæ est soni acutissimi.

# AVGVRIA. PRÆSAGIA.

MILVVS diri ominis & inauspicatus habitus est, ac semper infortunia præmonstrasse antiquis creditus. C. Valerio & M. Herennio Coss. in æde Apollinis Romæ comprehensus, vt author est Iulius Obsequens. Agmen Miluorum in certissimum excidium futurum retulerũt augures, vt & aliarũ auium, quæ cadaueribus vescuntur, vt Vulturum & Coruorum. Sin verò aliquando raperentur à Miluis exta aut carnes sacrificatorum animalium, signum inauspicatum putabatur, vt Pausanias testatur: Idq; eò magis funestum putabãt, quod sæpius cùm in ludis Olympicis, tùm alias obuolasse obseruati fuissent, sacrificijs interim intactis manentibus, authore [a] Apollonio. Memoriæ prodidit Gratarolus Miluos unà volantes, ac colludentes & veluti in aere expatiantes, significare calorem, siccitatem, aërisq; serenitatem. Obseruatum item est ea loca ob pestem imminentem suspecta esse, quæ Milui reliquerint, quasi naturali quadam sagacitate aut saltem exactissimo quodam sensu aëris & salubrem & prauã constitutionem ipsi præsentiant. [a] *In Histor. mirabili.* Serenitatis & pestis signa.

# MORALIA.

D. AVGVSTINVS in hæc [a] Dauidis uerba: *Scapulis suis obumbrabit tibi*, id est, inquit, ante pectus suũ ponet te, ut alis suis te protegat, si modo agnoscas infirmitatem tuam, ut quasi pullus infirmus fugias sub alas matris, ne à Miluo rapiaris. Milui enim sunt terrenæ potestates, diabolus & angeli eius, qui rapere volunt infirmitatem nostram. Fugiamus sub alis matris sapiẽtię, quia & ipsa sapientia infirmata est super nos. Quia verbum caro factum est, sicut infirmatur Gallina cum pullis suis, ut protegat eos alis suis. Quemadmodum Miluus pullos domesticos grano intentos inuadit, ac surripit, eaq; de causa in urbibus ac locis hominibus habitatis lubens uersatur, nec animantes syluestres persequitur: ita Dæmon hos, qui mundi negotijs toti sunt immersi, & in medio mundo degunt, citius adoritur, & incautos rapiens, opimam plerunque prędam ex ijs reportat. Eos uerò qui Deo & sibi uacantes hominũ turbam fugiunt, & ipse fugit, atque syluas religionis, & contemplantis omnis sophiæ Christianę plenas rarò aggreditur. [b] Ieremias: *Miluus*, inquit, *in cælo cognouit tempus suum, Turtur, Hirundo & Ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Vti Miluus, ita & Diabolus immundis delectatur, pullis & incautis insidiatur. Scriptum est autem: Nolite locum dare Diabolo, & fugiet à uobis. Diabolus enim alijs est formica, nempe pijs uiriliter se gerentibus, in magnis, ut Miluus, timidus, alijs est leo, nempe prauis, audax nempe in paruis, in malo astutus est ac callidus, per coniecturas ac uarias suspiciones tempus tentationi oportunum obseruat. Si autem ille solicitus est & prudens in malitia, quantò potiùs nos salutis nostræ curam gerere ac satagere debemus, & in hoc incumbere, ut cognoscamus Christi aduentum, & iudicium Domini futurum. Nam & Milui, homines scilicet gulosi, ventris mancipia, diligenter ac studiosè inquirunt, quinam pisces, quo anni tempore palato sapiant, ac blandiantur magis, quarum item animantium carnes, quando esui sint aptiores, ac suauiores, magno studio cognoscunt. Verùm ut alibi inquit Scriptura. *Filij sæculi in generatione sua prudẽtiores sunt filijs lucis.* Quod si decimam partem eius operæ, studij ac diligentiæ, quàm hisce rebus perituris, imo malis, impendimus, diuinis daremus rebus, in quibus plerunque parum sapimus, quibusq; tantummodo obiter & ueluti aliud agentes uacamus, quantò melius cum anima nostra ageretur? At interim dum nos omnium rerum securi agimus, nostræ salutis parum curiosi, & ut dici solet, in utramuis aurem dormimus, diabolus in nostram pernitiem inuigilans summo studio, instar uolucris rapacis semper in aere (unde sacræ literæ dæmones aëreas uocant tempestates) circumuolitat, quærens quem deuoret. *Congregati enim sunt*, inquit Isaias, *Milui alter ad alterum*, id est, dæmones nigri, rapaces, clamosi, cadaueribus inhiantes. Pulli autem meticulosi, molles ac tenelli, qui dicunt Ieiunare nequeo, mane surgere graue est, pondus diei & æstum sustinere non ualeo, huiusmodi Miluorum rapinis exponuntur. Qui autem Miluis fortiter resistunt, [a] *Psal. 90.* Miluus qd signet. Dæmon Miluus similatus. [b] *Cap. 8.*

ſiſtunt, eos à ſe abigunt, dicente ſcriptura, *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*. Hic enim in eo Milui naturam æmulatur, quòd non niſi malè cuſtodita & neglectim obſeruata rapit. Vbi verò excubias agi videt, illinc ſtatim pedem refert, ac aufugit, fruſtra reſtituris inſidias poni cognoſcens.

# MYSTICA.

ANTIQVIORES illi, qui doctrinam ab Aegyptijs magna ex parte mutuati ſunt, ac de hominum moribus per palingeneſiæ figmenta diſſeruêre, cuiuſmodi eſt Plato, & qui eum ſecuti ſunt, Plotinus, Harpocraſion, Boëthus & Numenius, per Miluum rapacitatem intelligi tradidêre, hominesq; tã auaritiæ ſtudioſos, quàm ad imbecilliorum expilationes & rapinas, atque violentas tyrannides paratos in Miluos ac lupos conuerti, vt [b] Socrates diſputat. In vniuerſum hi in ea animalium genera abire homines opinati ſunt, quorum moribus in uita ſimiles fuiſſent. Hinc ad huc Milui prouerbialiter dicuntur, qui diuites numorum potiendorũ cauſa, vel veneno, vel quouis alio modo tollunt è medio.

[b] *In Phæd.* Qui in Miluos abire crediti, & qui Milui dicti.

# EMBLEMATA.

ALciati emblema inſcriptum AEMVLATIO IMPAR, ſic habet.

*Altiuolam Miluus comitatur de gener Harpam*
*Et prædæ partem ſæpè cadentis habet.*

Eiuſdem aliud eſt ſub lemmate. MALE PARTA, MALE DILABVNTVR.

*Miluus edax nimiæ quem nauſea torſerat eſcæ,*
*Hei mihi mater ait, uiſcera ab ore fluunt.*
*Illa autem, quid fles? Cur hæc tua viſcera credas*
*Qui rapto viuens ſola aliena vomis.*

Sumptum eſt emblena per imitationem à fabula Græca Gabriæ, cuius hæc eſt ſententia.

*Bouis puer feſto die cum comediſſet viſcera.*
*Hei mihi clamabat, quod inteſtina effundo mater?*
*Hæc ridendo ait. Ne timeas fili;*
*Non enim ex tuis quicquam, ſed vomis aliena.*

Qui Proſopopæiam ſcripſit ad Paulum Landulphum Papienſem, Miluum de ſe loquentem introducit, ſub perſona propria, quo rapto viuentes notat his verſibus.

*Qui deſes latuit brumali tempore Miluus,*
*Omine felici ſub tua tecta venit.*
*Excipe pacato (fert commoda plurima) uultu*
*Si ſapis hic melior, quam Iouis ales erit.*

Miluus loquitur.

*Tollere ſi nequeo pullos, venabor Alaudas,*
*Hinc muſcas, tandem fœda macella ſequar.*
*Heu me degenerem timor arguit, heu nihil ingens*
*Corpus, nil ungues, nil mea penna iuuant.*
*Nimirum refero, carnis qui mole grauantur,*
*Et qui terreſtris nil niſi carnis habent*
*Heu quot (pace loquar) paſcunt hæc ſæcula Miluos*
*Quos non ars diues, imo rapina facit.*
*Primo vorant pullos, dehinc excrementa macelli,*
*Hinc muſcas. Qui ſint Oedipe ſcire potes.*

Doctiſſimus quidam noſtri temporis poëta Miluos, atque Aquilas tolerantiæ inſignem typum præ ſe ferre his verſibus indicat.

*Patientia quanta eſt Aquilæ, Miluioq;*
*Terras obeundi ac maria, aeriſq; tractus?*
*Quanto tolerant tempore iciunia longa?*
*Nos mancipia, ut deſidiæ pignora veræ,*
*Suprema boni munera in otio putamus.*

# VSVS IN CIBO.

AVicenna Miluinam carnem craſſam eſſe ſcribit: & alibi, duræ carnis.[a] Moſes in lege Miluum inter alias rapaces menſis Hebræorum abdicauit, innuens nõ oportere coniungi uel aſſimilari hominibus illis, qui non labore ac ſudore victum comparant, ſed rapto & iniquitate viuunt. Apud tamen inferioris Germaniæ populos, maxime apud ruſticos & pauperiores in menſa eos venire audio.[b] D. Hieronymus Miluum inter ea recenſet animalia, quæ à Deo in medicinæ gratiam facta ſunt.

[a] *Leuit.c.11*

[b] *Deut. 14.*

# VSVS IN MEDICINA.

SVrculus ex nido Milui, puluino dolentis caput ſuppoſitus prodeſt. *Ceruicis quoque neruis opiſthotono laboranti adalligatus auxiliari dicitur. De Miluo quidam affirmant, ſi inueterato, tritoq; quantum tres digiti capiant, bibatur ex aqua, podagram ſanari, aut ſi pedes ſanguinent, cum vrtica, vel pennis eorum cùm primùm naſcantur, tritis cum vrtica.* Author[a] Plinius. Ad comitialem, inquit[b] Galenus: *Miluum in olla cremato viuentem, cineremq; propinato, & ſanabis.* Ad eundem Milui iecur exuſtũ & tritum ex aqua potui datum, idem & [c] Plinius commendãt. Id ipſum aridum tribus obolis in aquæ mulſæ cyathis tribus potum opiſthotonos prohibere, & ad inunctiones oculorum vitioſorum laudari Plinius ſcribit. Cuius rei rationem ad viſum eius acutiſſimum reiicit[d] Io. Baptiſta Porta, vbi animantia, quibus egregia videndi acies eſt, oculorum ſeu viſus uitijs conferre multis exemplis adductis probat. Qui in Venerem infirmior erit, teſticulos Millonis ex aqua fontis perennis, cum melle decoctos edat, inquit Marcellus Empiricus, ieiunus per triduum, & ſtatim remediabitur. Per Millonem Miluum, uel Buteonẽ videtur intelligere. Huius enim terni teſticuli ad fæcunditatem facere creduntur: vel pro Millonis, ſunt qui Milionis legẽdum putent. Milionem verò nunc paſſim Itali & Galli, auis rapacis vocant quoddam genus animoſum ſatis, magnum & aucupio ſeu venationi volatili aptum, ideoq; parum appoſitè, vt opinor Miluorum familiæ aſcribendum. Fimus deniq; Miluorum [e] Plinio articulorum dolori bus illinitur, quo morbo & ipſe laborare ſolet. Idem cum ſtyrace ſuffitus, reptilia abigit, author [f] Florentino. Non accedet ſerpens, inquit[g] Porta, vbi ſtercus Milui aut Aquilæ iacet. Idem Miluum, quòd pallidi ſiue crocei ei ſint oculi, ſicut ſunt ictericorum, idem poſſe tradit, quòd Accipiter, qui arquatis ſubuenit. Sunt qui Miluum viuum in fimo quadraginta diebus macerã dum ſepeliunt, & ex vermibus, qui ex eo procreantur, vnguentum ad dolores podagricos ſedã dos conficiant. Vnde in perſona Milui idem qui ſupra.

Surculus è nido Milui

[a] *Lib. 30. c.9.*

[b] *2. Parab. c. 2.*

[c] *Lib. 29.c. ultimo.*

[d] *Lib.4.Phy togn.c.26.*

Millo quæ auis Milio auis.

[e] *Lib. 29.c. vltimo.*

[f] *In Geopo micis.*

[g] *Lib. 10. vill4 c. 8. lib. 3. Phytogn.c.8.*

*Diſcutio mira naturæ dote podagram,*
*Si quis de noſtri verticis oſſe bibat.*
*Curoq; diuinum diuerſo munere morbum*
*Heu mihi, ſed nullus vult adhibere fidem.*
*Deme mihi linguam, in qua noſtram hanc ſcribe figuram*
*In cunctis melior ſors tibi rebus erit.*

Fel Milui delet maculas oculorum.

# FABVLOSA.

FErtur, referente Oppiano, ſi credere dignum eſt, quendam virum amiſſa vxore in filiam, quam ex illa nomine, Siden (quod etiam malũ Punicum ſignificat) ſuſceperat, exarſiſſe. Filiam verò, ne à parente contaminaretur, ſuper materno ſepulchro ſeſe iugulaſſe; poſtea uerò Diis hunc caſum miſeratis, terram de ſanguine arborem produxiſſe, & patrem mutatum in Miluum, calamitatis ſuæ monumenta refugere, nec arbori huic inſidere. Fabula iſtæc teſte doctiſſimo Io. Baptiſta Porta ſignificat Miluum maximè colorem rubrum abhorrere. nam Punico malo non inſidet, neq; eius aſpectum ferre poteſt.

Side amata à patre.

Miluus rubro colore abhorret.

Aliam item de Miluo in cælum illato, atq; ſtella facto hanc referunt fabulam. Saturno à Ioue expulſo, Ioui bellum Titanes intulerunt, pepererateq; terra horrendum monſtrum, anteriori parte taurum, poſteriori anguem, quòd ita monentibus Parcis, ſtygiis eſt aquis intercluſum. Quumq; fatum eſſet, quòd qui belluæ huius adoleuiſſet exta; Deorum imperio potiturus eſſet, eam

Cur in cælũ relatus.

cam Briareus mactauit, at Miluus exta Ioui retulit, pro quo beneficio Iupiter inter aſtra ipſum collocauit. Vnde[a] Ouidius: *Li. 3. Faſt.*

*Quid dederit Miluo, ſi vis cognoſcere, cælum.*
*Saturnus regnis ab Ioue pulſus erat.*

# APOLOGI.

INfirmus quidam Miluus prope nidum, in quo tanquam æger in lecto, decumbebat, habebat Dei quoddam ſimulachrum. Aduocatam itaq; matrem ſuam rogabat, vt ſupplex ad ſimulacrũ accederet, ac precaretur, vt debita ſua dimitteret, ac ſuperuiuere ſibi concederet. Mater, fili, inquit, quid tibi prodeſt, aut cuius peccati à Deo remiſſionem poſtulas? reſpondit ille, quia toties ſuper eius capite aluum excreui.[a] Morale, eodem modo arrogantes peccatores dum ſani ſunt, imaginem Dei fœdare ſignificat: vbi verò in aduerſam ſalutem incidant, Eccleſiam rogare, vt intercedat pro ſe apud Deum, quo ab imminentis iam matris periculo eos liberet potiùs, quàm peccata condonet.

[a] *Rober. Holcot in li. Eccleſ. c. 5. lect. 59.*

# DE HARPA. Cap. XVI.

DE Harpa etſi inter Ariſtotelem, Plinium, Oppianum, alioſq; veteres, qui eius meminerunt, non ſatis conueniat, ideoq; quænam auis ſit, (auem enim eſſe omnes videntur concedere) difficulter iudicari queat, vt rectè Ornithologus dixerit, Harpam Auis rapacis nomen eſſe inconſtans: opinor tamen paucula iſtæc, quæ quid de hac aue ſentiam, obiter annotant, perlecturis plurimum lucis in tam obſcuris tenebris allatura. Sum autem, vt etiam in præcedenti capite innui, huius omnino ſententiæ, vt Harpam Milui quoddam genus eſſe, non tamen ſemper Harpæ nomen huic ſoli competere dicam. Oppiani enim Harpam, Oſſifragam eſſe olim à me concluſum eſt, quanuis ſecus ſentiat Ormithologus, qui vel fabuloſi Kiranidis, Zaucon vel Zeucon vel Harpam, modò Vulturis albi, modò rubicundioris ſpeciem eſſe tradentis, authoritate, vel hoc ſolo argumento nixus, quòd in altiſſimis etiam montibus niduletur, & ſub mento plumas barbæ inſtar habeat, quæ Harpæ ſuæ tribut Oppianus, Vulturem aureum Germanis Goldgyr dictum, cuius iconem nos ſuo etiam loco ex ipſo exhibuimus, Harpam Oppiani eſſe exiſtimat: Sed cùm multa alia de Harpa ſua ſcribat Oppianus, quæ Vulturi illi minimè conueniunt, atq; Harpam in primis, vt interim cætera præteream, mortuorum animalium oſſibus (quod Oſſifragæ peculiare eſt, ac propriũ) veſci: itaquæ meo iuditio Harpa eius, Vultur ille minimè eſſe poterit. Vnde dubius omnino[a] Scholiaſtes, *Harpe*, inquit, *auis eſt, quam alij Miluum, aly Oſſifragam vocant*, neſcius fortaſſe, nunquid uel Miluum, vel nunquid Oſſifragam facere deberet, amphibologia nominis intricatus. Eodem modo Euſtathius *Harpe*, ait, *vel Miluus eſt, vel alia auis Aquilæ ſimilis, quæ è ſublimi facilè in quem voluerit locum cum impetu ſe demittit.* Et Io. Tzetzes Harpam cum Miluo confundit, Ariſtoteles apertè diſtinguit. Sed cùm tria ſuperiori capite Miluorum genera eſſe ſcriptum ſit, dicendum, ad quod eorum Harpa referri debeat. Id, ni fallor, ibidem feci, ac iam denuò repeto, ad paluſtre illud, quod Maſſvvy vocari Germanis ſcripſi, rectè reduci, quod ex Philoſophi hiſce verbis colligo: *Harpa, Pifex, & Miluus amici ſunt*, propter, vt exiſtimo, maximam ſui ſimilitudinem, vel quòd victu inter ſe diuerſo vtantur. Harpam enim è mari viuere, ideoq; cum Brentho (Gaza ex Plinio, vt videtur, Anatem tranſtulit) & Laro (Gauia) diſſidere idem Philoſophus tradidit. In quorum verborum traductione Plinius Græcum textum vel perperam diſtinguens, vel malè diſtinctum traducens, hallucinatus eſt maximè, Triorchim cum Harpa diſſidere tradens. Triorchim enim, qui è mari cibum non capit, cum rubeta & ſerpente coniungere debebat. Sed forsã priorem à me adductum locum Ariſtotelis mihi ipſi aduerſari quis exiſtimet, atq; ex eo conſtare dicat, Harpam aliam omnino auem apud illum eſſe, quàm Miluum: Nam, vt videtur, idem alioqui eſſet dicere, Miluus Miluo amicus eſt, vel Harpa Harpæ, quod tamen rationi repugnare videtur. Aues enim (de rapacibus ſermo eſt) eiuſdem ſpeciei ſibi inuicem inuidere, & cibum (cuius cauſa vel amicæ ſunt, vel inimicæ) non aliter ac figulus figulo eripiunt. Huic reſponſum velim, non talem fuiſſe Ariſtoteles intentionem, ſed hanc: *Harpa, Pifex, & Miluus amici ſunt*, hoc eſt, Miluus paluſtris, Pifex, & Miluus nempe vel Aetolius vel Regalis amici ſunt, vtuntur enim victu diuerſo, atq; ideo non diſſident. Sed longè difficiliorem nodum ex Plinio euellendum alius obiiciat, qui, tantum abeſt, ut Harpam maritimam auem crediderit, montanam apertè vocauit, & oculos impeten-

tem

Oppiani Harpa quæ Zaucon. Zeucon. Ornithol. opemio de Harpa Oppiani refutata.

[a] *In Iliad. r*

Harpa ad quod genꝰ Milui reduci debeat. Harpa Miluo amicꝰ, Brentho inimicus & cur. Pli. error.

Plinij locꝰ de Harpa explicatus.

tem effodere ſcripſit. Huic item reſponſum eſto, turpiter & maximo cum legentium diſpendio, Ariſtotelis locum, ubi Phoici (cui Harpam, quòd victus earum ſimilis ſit, inimicam ſcribit) peculiare præ cæteris eſſe tradat, vt oculos potiſſimùm appetat, apud Plinium in plurimis parum oculatum, corruptum legi. Quare omnino concludo Harpam paluſtrem Miluum eſſe. Ad quam pariter opinionem Ornithologus in primis accedit: & Syluaticus idem concludere videtur: *Arba*, inquiens, *auis eſt, quæ in lingua noſtra vocatur Arpa ſimilis Miluo, ſed vtcunq; maior*. Atq; hinc Cretenſes Miluum adhuc ἁρπέτον vocant.

# DE CVCVLO. Cap. XVII.

CVCVLVM Accipitribus apponendum duximus vel ea ſola ratione, quòd Accipitrem referat tanta ſimilitudine, vt etiam Ariſtotelis ætate, hoc ipſo prognatus crederetur, & etiamnum apud Gallos, vt teſtis eſt [a] Bellonius, *Falco Cuculi parens* communi prouerbio dicatur. Non armis tamen ad rapiendum aptis, roſtro ſcilicet & vnguibus inſtructus eſt, ſed colore tantùm Accipitres repræſentat, eſtq; auis minimè bellicoſa, ſed ignaua potiùs ac timida, & impunè ab alijs auiculis infeſtata, [b] Philoſopho teſte, ideoq; eam in vltimum Accipitrum locum reiecimus, non tamen ea ratione, quòd reuera cum hiſce conueniat, ſed quia conuenire credita fuit. Cuculus tamen non omni prorſus honore ac laude deſtituitur. Nam Iunonis Deum Reginæ ſceptro inſidens ab antiquis effingebatur, fortè quia non alia ratione facilius Iunoni imponere, eaq; ſe potiri poſſe Deorum Rex exiſtimaret Iupiter, quàm quòd ludicram huius auis formam aſſumeret, quam ipſa poſt captaret. Vnde non indignam auem eam exiſtimarunt, cuius nomine etiam Iouem ipſum donarent, Cuculum uocantes. Quare Cuculo debere uidetur Iuno, quòd coniunx eſſet Iouis, ſi Ethnicorum fabulis credimus, quas tamen ſuo loco latiùs enarrabimus. Cùm verò uincula iugalia, nec non puerperium curæ eſſe Iunoni exiſtimarent priſci, quare boni ominis cauſa Cuculum Deæ huic dicatum eſſe quis putare poſſet. Boni enim augurij etiamnum à uulgo habetur, ſolentq; noſtri ex eius cantu ducendæ uxoris tempus ut Germani, diuturnitatem uitæ colligere, dum in ſingulas, quas auis reddit, uocis iterationibus ſingulos annos computant. Et in partu non minus fortunatus, quàm aſtutus ac ſagax eſt. Propriæ enim frigiditatis probè conſcius, qua ſe & ad fouenda, & ad excludenda oua agnoſcit ineptũ, eo aſtu utitur, ut nullo ſuo labore poſteritati tamen conſulat, ouis ſuis in alienum nidum, earũ præſertim auicularum, quæ ſimilia pariunt, ne deprehendãtur, illatis. Hoc etiam humano generi præter cætera utilis, quòd omniũ primus autum, ut teſtis eſt Oppianus, uerni temporis, cùm aduolat, nuncius eſt, & caniculæ exortæ, cùm auolat. Vnde Agricolis ad uarias operas diſpertiendi temporis author eſt.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 29.*

[b] *Lib. 3. de Gen. c. 1.*

Cuculus Iunonis Sacer.

Cuculi boni ominis Auis.

Germani cuculi voces enumerãt, & cur.

# AEQVIVOCA.

Κόκκυξ eſt os in imo oſſis ſacri poſitum, tribus proprijs partibus conſtans. Sunt autem partes illæ oſſicula, etiamſi Galenus ita non audeat appellare, quòd pueris adhuc ſint cartilagines, quæ quamuis annorum ſpacijs oſſeæ euadant, in ambitu tamen, & cõmiſſuris & fine adhuc cartilaginoſæ permanent. Vniuntur autem inter ſe ſymphiſi, quamuis coccygis tertium os (quòd proprio nomine & σπονδύλιον, & οὐρός, & οὐροπύγιον appellatur) ut oſſis ſacri primum perſæpè ſynarthroſi iungatur, & in ijs foramina intus ampliora, ut in oſſe ſacro, niſi quod ad coccygis oſſis ſecundi cum tertio commiſſuram pro foraminibus futura tantùm eſt. Ita dictam Coccygem [a] Cardanus putauit, quaſi Cuculum, quòd Cuculi roſtrum, quo ad figuram (nam in aduncam quandam acutiem deſinit) & quodammodo etiam colorem æmuletur. Verùm alijs magis placet ita uocatam, quòd inſtar criſtæ emineat. Nam κόκκυξ Heſychio & Varino alibi etiam exponitur λόφος καὶ περικεφαλαία, id eſt criſta & galea.

Vocatur & κόκκυξ in iumentis pars quædam humeri uel inter humeros.

[b] Nicander olynthos id eſt groſſos caprifici coccygas uocat, fortè quòd cum Cuculis ſimul uerno tempore prodeant.

Κόκκυξ etiam Græcis, & Cuculus Latinis piſcis marinus eſt apud [c] Athenæũ, qui Numæniũ rubrum ab accidenti appellaſſe ſcribit: Romanis uocatur uulgò peſce capone. Videtur autem à ſono uocis ita dictus. Hinc hos uerſus legere eſt apud [d] Caſtorem Durantem.

*Quantumuis mutos piſces natura crearit,*
*Coccyx efficiæ nomina vocis habet.*
*Eſt autem duræ carnis, ſiccæq; nihilq;*
*Lenti in ea, aut modicum, nil quoq; fellis ineſt.*

[a] *Comm. in 3. Aph. 23.*

Κόκκυξ, Pro parte humeri.

[b] *In Theriacis.*

Coccygæ fructus.

Cuculus piſcis.

[c] *L. 7. c. 27.*

[d] *In Theſ. Sanit.*

[c] *Lib. 2. de diæta, & de affec. int er.* Vnde [c] Hippocrati tanquam piſcis ſicciſſimus plurimis in locis commendatur ad morbos à craſſa pituita ortos, necnon ad ſplenis vitia. Editur ſuauiter frixus ſucco aurantij reſperſus.

*At verò gladio partes diſſectas in ambas*
*Frigitur, & multò gratior eſſe ſolet.*
*Vtque minus Cuculi deſint & in aëre & vndis*
*Viuunt, longè alios terra frequenter alit.*

Inquit idem Durantes verſu non illepido. Athenæus verò ex Epicharmo aſſatos videtur laudare. *De Cuculis*, inquit, *ſic meminit Epicharmus: Et ſplendidi Cuculi, quos omnes diſcidimus, aſſanteſq; ac condientes moliuimus. Dorion eos, ait, aſſare oportet, vbi per dorſum diuiſerimus, ac herba, caſeo, laſerpitio, ſale, oleo condire, deinde verrere, vngere, modicum ſalis ſubterſpargere, tũ excipere, ac aceto perfundere.*

Cucul⁹ herba. Herba Cuculus [f] Fernelio Ambiano ſub cineribus cocta ambuſtis mederi traditur, & Cardano ad carcinomata valere. Hanc oxyn eſſe Plinij crediderim. Alioqui panis Cuculi dicitur vulgo Latinorum, nũc trifolij acetoſi nomine nota eſt. Hæc moderato frigore quem acor indicat feruorem temperat, & repellit modicè. Vnde & ad inflammationes & eryſipelata celebratur, & acutè febrientibus vtiliſſima eſt.

[f] *Lib. 6. Meth. c. 20.*

Oxys Plinij.

Solatrũ furioſum. Solatrum verò furioſum vulgò quidem Cucculo di Leuante dicitur, ſed ei nomini, vt videtur, nihil cum Cuculo noſtro commune eſt, verùm ita dictum iudico à Græca voce κόκκυς, quæ Latinis baccam notat, vnde & coccus piſcatorius vocatur. Nam inſtar baccæ teres eſt, alijs galla orientalis, quem quercus cuiuſdam fructum eſſe dicunt. Bononienſes noſtri hodie oliuas vulgò coccolas vocant, itidem quaſi baccas. Quanquam Ornithologus ſuſpicatur cuculum herbã apud [g] Marcellum, vbi hanc podagræ dolores impoſitam ſedare ſcribit, Solanum intelligi, hac motus ratione, quòd inter medicamenta ſimplicia ad Paternianum (qui liber [h] Galeno aſcribitur) vua lupina, hoc eſt ſolanum hortenſe, Cuculus ẽt nominetur, quod & cacubalum à Plinio dici putat, quod nomẽ etiam apud Dioſcoridẽ inter ſolani hortenſis nomenclaturas legitur. Et Syluaticus Cuculum vuam lupinam vocat. Quod ſi ita eſſet, poſſet herba Cuculus apud Fernelium & Cardanum fortè non malè ſolanum etiam intelligi, quod ad ambuſta & eryſipelata inſigni ui pollere conſtat. Hac interim de re alij vt lubet, iudicent. Plura videre erit in capite de denominatis.

[g] *Cap. 30.*
[h] *Cap. 83.*

Vua lupina.

Cacubalũ.

Capitis tegmen.

Cucullus pro tegmine capitis. Cucullus (cuius vinculum tegillum Plauto dicitur) capitis tegmen olim erat groſſioris villi, vnde [i] Iuuenalis.

*Contentus ſũ illic Veneto, duroq; Cucullo.*

[i] *Sat. 3.*

Sicuti enim in elegantioribus Galliæ ſeruis frequens erat vſus veſtis cuiuſdam purpuræ, ſic & vilioribus per illam ætatem, vt teſtatur doctiſſimus Lipſius ætatis noſtræ decus, cucullus. [k] Martialis:

*Pullo alget Mæuius in cucullo.*

[k] *Lib. 10. Epigram.*

[l] Columella. *Cultam veſtitamq; habeat* (agricola ſcilicet) *familiam vtiliter magis, quàm delicatè, munitam diligenter à frigore, pluuiaq; quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel ſagis cuculatis*, id eſt cucullos habentibus. [m] Lampridius: *Tectus cucullione mullionica, ne agnoſceretur.* [n] Capitolinus: *In tantum dicunt vitiorum Caianorum & Neronianorum fuiſſe æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas & lupanaria ob tecto capite cucullione vulgari viatorio.* Ad eundem ſenſum [o] Iuuenalis.

[l] *Lib. 1. c. 8.*
[m] *In Heliogabalo.*
[n] *In Vero.*
[o] *Sat. 6.*

*Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos* &c.
*Illa iubet ſumpto iuuenem properare cucullo.*
*—— Si nocturnus adulter*
*Tempora Santonico velas adoperta cucullo.*

Et alibi:
[p] Item alibi:

[p] *Sat. 8.*

Cucullus pro tota veſte. Cucullus etiam pro tota veſte accipitur apud Sidonium: *Per quos nocturnalem cucullum, quo membra confecta ieiunijs inter orandum, cubandumq; dignantur tegere, tranſmiſi. Quanquam non oportunè ſpecies villoſa mittatur hyeme finita, iamq; temporibus æſtatis appropinquantibus.* Noſtra tempeſtate & in Italia viatoribus tantùm & monachis ad tegendum caput eſt in uſu. Horum mores formãs D. Hieronymus, de monachis loquens, ita inquit: *Edentes autem cucullis capita ſua velent, ne alter alterum aſpiciat manducantem.* Gallis etiam mulieribus non abſimili tegmine caput velare etiãnum mos eſt, quod ipſæ vti & monachalem cucullum vernacula uoce cappam, vt & Germani uocant. Cucullionem pro cuculo, ut & Capitolinus ſuprà, & Cato uidetur accipere. *Funes veteres ſarciri, nouoſq; fieri, centones, cuculiones familiam oportuiſſe ſibi ſarcire.* Nec diſſimile quod bardocucullum [q] Martialis nominat.

[q] *In diſticis.*

*Gallia Santonico veſtit te bardocucullo,*
*Cercopithecorum penula nuper erat.*

Item alibi.

*Vrbica lingonicus tyrianthina bardocucullus.*

Penulæ Gallicæ genus, si cucullum non habebat bardiacus, inquit Perottus, dicebatur. Verùm Perottum ea in re hallucinatum fuisse, quiuis ex sequentibus iudicet. Meminit [r] Iuuenalis:

*Bardiacus iudex datur hæc punire volenti*
*Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ.*

[r] *Sat. vlt. in principio.*

Quibus tribus describit centurionem, qui gestare solet in castris cucullum bardiacum, & calceum clauatum, & qui magnus, procerusq; est. Erat autem uestis uilis, & apta militibus, in qua etiam cubarent in castris, quasi quæ & similis ob breuitatem & crassitiem conueniret, ut ex Martialis uersu paulò antè citato etiam comprobatur: de eadem [s] Capitolinus: *Auctio sanè rerum*, inquit, *Commodi in his insignior fuit uestis sub tegmine Serico, aureis filis insignior per tunicas, penulasq; lacernas, & chiridotas Dalmatarum, & cuculli Bardiaci.* Per bardiacum itaq; intelligere debemus cucullũ lanæ crassioris, quo maximè Galli utuntur. Nam Bardi natio sunt Gallorum, ut docet [t] Strabo. Ex bardo itaq; & cucullus fit bardocucullus, siue bardiacus cucullus, & quandoq; ponitur absolutè, ut ex Iuuenale paulò antè liquet, & ex istoc etiam Martialis:

[s] *In P. Heluio Pertinace.*

[t] *Lib. 4.*

*Lassi bardiacos quod euocati,*

Erant autem euocati iuuenes ex equestri ordine delecti, qui manente usu constituti sunt ad custodiam cubiculi Imperatorij loco militum; hi cùm excubias agebant, bardiaco uestebantur. Alij ita dictum putarunt, quòd bardos, id est, uiles & stolidos homines deceret.

Cucullus etiam significat fictile poculum, de quo [u] Horatius:

[u] *In arte Poët.*

*Reges dicuntur multis urgere cucullis,*

id est, poculis seu cululis aliter dictis, imo ego cululis legendum puto, qua significatione istæc uox apud [x] eundem etiam alibi reperitur, ubi ait:

[x] *Lib. 1. car. Ode 31.*

*——Diues & aureis*
*Mercator exiccet cululis*
*Vina Syrâ reparata merce.*

Cucul⁹ q̃d Medicis.

Fernelio aliisq; medicis est etiam intersutus pileus, quo caput ad destillationes ac frigidos affectus discutiendos muniri solet, quem uulgò cucupham quoq; nominant.

Cuculus ꝓ inuolucro papyraceo.

Cucullus papyraceum inuolucrum in cõnum fastigiatum, quo pigmentarij olim utebantur, ac hodiè utuntur, quibus aromata venalia excipiunt: uulgò hoc tempore Scartozzo nuncupatum, unde Martialis: —— *Nec thuris, piperisue sis cucullus:*

ita dictum, quòd in speciem cuculli seu caputij erat efformatum. Nã cucullos in acumen ex ijsse Bapt. Mantuanus eo uersu indicat: —— *Bardocucullatus caput, vt campestris Alauda.*

Capuccini vnde dicti.

unde eos monachos, qui hodiè à uestis huius usu Capuccini uulgò dicuntur, antiquam & ueram formam cuculli retinere apparet. Hanc nostri homines nunc malè cucullã uulgò uocãt.

Cucullus item in quibusdam Italiæ locis uocatur eruca illa, quæ olosericum profert.

Cuculum Græcè κεκκελον [y] Straboni oppidum est propè Albam Marsorum urbem in Italia referente [z] Ortelio, quòd hodiè Scutulum castellum Leander ponit.

[y] *Lib. 5.*
[z] *In Thes. Geog.*

Est etiam Cuculum urbs circa Noricum Ripense in D. Seuerini uita.

Cuculus ludus.

Ludunt Germani, præcipuè Heluetij ludum, quem cuculum dicunt, hoc modo: Vnus occlusis oculis manet in loco, quem solium vel tribunal appellant, interim ab vnitate consequenter clara voce & interstinctum numerans, dum alij diffugientes passim se occultant. Occultatis omnibus vnus Cuculi voce clamat, tum ille à solio discedit, & passim inquirit, si quem abditum deprehendat. Deprehẽso aliquo tribunal celerrimè conscendit, ne cursu à deprehenso, aliouè præueniatur. Vltimus enim inquisitoris laborem subit. Hunc ludum [a] Pollux apodidrascindâ appellat. Frequens item est apud Batauos, ut audio.

Apodidrascinda.

Cuculi nomine item mons venit in agro Bononiensi, vulgò monte Cucculo.

Mõte Cuculo.

# SYNONIMA.

VCVLVS Syriacè uocatur coco: Hebraicè ut [a] quidã uolunt קאת Kaath uulgò interpretãtur Iudæi Cuculũ, idq; ex eorũ Talmud, in quo appellatur קיק. kik Verùm etsi vocẽ Hebraicã קאת Kaath nonnulli interpretẽtur Cuculũ, & quidẽ pleriq;, tñ LXXII. Pelicanũ, D. Hyeron. Onocrotalũ esse putãt, alij Monedulã ita nominant, ut inquit Reuchlinus. Schalac ẽt Hebraicè quidam Cuculum dici putant, alij Mergulum, alij Nycticoracem. Quidam שחף Schachaph Cuculum exponunt auem immundam à scabie & tuberculis, quibus præ cęteris fœda est, & ita Hebræos eum uulgò uocare [b] quidam author est. שחפא similiter Cuculum sunt, qui uertant, inquit Santes Pagninus, tamen D. Hieronymus Larum exponit. In Auicennæ animalium historia

[a] *Lib. 9.* Coco
[a] *Psal. 102.* Kaath.

Schalac schachaph

[b] *Leu. 11. & Deut. 14.*

Banchem Euchem. modò Banchem, modò Euchem pro Cuculo legitur. Græcis κόκκυξ eſt à uoce, quam edit, per onomatopœiam. Nam & κοκκύζειν Græci habent uocabulum fictitium ex Cuculi cantu. Signat etiam Gallinacei uocem, quam parta uictoria ſolet occinere. Hodie Cretenſibus, teſte Bellonio, Decocto dicitur. Latinè Cuculus, ut plurimùm, & Cuccus, cuius illud eſt dimnitiuum, etiã Decocto. uocatur. Cucullus uerò pro aue Latinum non eſt. Quare quòd quidã ex Cuculo faciunt cucullum, ex aue ſcilicet ueſtem, apud Horatium nihil eſt neceſſe, quum hæc uox pleruńq; penultimam habeat productam, apud Plautum in carmine Trochaico:

*At etiam cubat Cuculus, Surge amator, i domum.* Ac mox.
*Cano capite te Cuculum uxor ex lustris trahit.*

[c] *Lib. 1. S. 7.* Alioquin enim in utroq; Trochaico uerſus non conſtaret. Ita igitur legendum apud[c] Horatiũ:

——*Cui ſæpe uiator*
*Ceſſiſſet, magna compellens uoce Cuculum,*

non cucullum. Inuenitur tamen & correpta penultima apud Poëtas, ut in illo uerſu Martialis.

*Quannis per multos Cuculus cantauerit annos.*

Et apud authorem Philomelæ:

*Et Cuculi cuculant, frittinit rauca cicada.*

Pro ueſte uerò ſemper ll. geminat, neq; eſt diminitiuũ, ut Cuculus, quod etſi, ut diximus, à Cuccus deriuatur, alterum tamen C. deponit, ita ut etiam prima in eo ſecus atq; in primitiuo, corripiatur. Etymum Eſt autem hoc nomẽ Latinũ, ut pleraq; aliorum idiomatum eiuſdem auis, etiam à uoce, qua ſemper & ad tædium uſq; repetita, ſe primo uere prodit, nomen proprium ingeminãs, effictum, ut uix alia ſit auis, quæ ſimiliter in tot linguis unam aut ſimilem nomenclaturam habeat. Demonſtrat uerò, ut tradit Goropius, Latinorum Cuculus (ſi tamen hæc deriuatio accipienda eſt. Nulla enim neceſsitas, ut Latinum Cuculus à Græco mutuemur.) duo potiſſimum: priore quidem ſyllaba V. apud Latinos à quarta uocali ſonum exordiri, ut Terentianus ſcribit, poſteriore uerò apud primos Latinos tenuis etiam V. ſonũ fuiſſe, ſi Ypſilon, quòd eſt in κόκκυξ exprimere uoluerunt. Quæ Goropij ſententia quoad primam ſyllabam, commonſtrat quidem quod Græci Latinorum V. exprimere uolentes, ſemper ου ponũt, ut de hac ipſa dictione factum uidere eſt apud Suidam & Varronẽ, quibus teſtibus Coccyx apud Romanos κῆκκος uocatur. Et Iſacius Tzetzes in Lycophronẽ inquit: ὁ παρὰ Ῥωμαίοις κῆκκος, id eſt, apud Latinos ſeu Romanos Coucoulus uocatur. Belgæ ſanè Coucouc Cuculi ſonum efferunt, quem Galli, nunc Franci more Græcorum κοκκυ pronunciant, à quibus diſcere etiam obiter licet, quì ſit Y Græcorum ſonandum. Sed ut dixi ego minimè acceperim hanc nominis Latini originem, cũ manifeſtum ſit & hanc ipſam ex uoce Cuculi apud quaſq; gentes promanaſſe, atq; ut eam primò comprehenderint, ſic in uſum tranſduxiſſe. Alberto haud aptè Gugulus ſcribitur. Italicè Gugulus. Cucculo, Cucco, Cuco, Cucho: Hiſpanicè Cuclillo: Gallicè Cocou, ſed ut plurimum, cocul ſeu coquu: Germanicè Gucker, Guggauch, Kuckkuck, GucKuſer: Belgicè Kouckouck vel Kockuunt. Anglicè a Cukkouu & a Gouke: Illyricè Ziezgule.

# GENVS.

IALSA hactenus, ab ipſis Ariſtotelis etiam temporibus uſq;, hominum com plurimum opinio Cuculum Accipitrum eſſe ſaltem ſpuriam quandam progeniem tenuit. In quem errorem & [a] Plinius ipſe alicubi & Albertus, aliiq; lapſi ſunt. Verùm hos luculentius refutari poſſe haud quaquam puto, quàm ipſis [b] Ariſtotelis verbis, qui diſertè diuerſum omnino ſentiẽs in hæc uerba ſcribit. *Cuculus ex Accipitre fieri immutata figura à nonnullis putatur, quoniam quo tempore is apparet, Accipiter ille, cui ſimilis eſt, non aſpicitur. Sed ita ferè euenit, vt ne cæteri quidem Accipitres itẽ cernantur, cùm primùm uocem emiſit Cuculus, niſi perquam paucis diebus. Ipſe autem breui tempore ætatis viſus, hyeme non cernitur. Eſt hic neq; aduncis unguibus vt Accipiter, neq; capite Accipitri ſimilis, ſed ea vtraq; parte Columbum potiùs, quàm Accipitrem imitatur: nec alio quàm colore repræſentat Accipitrem niſi quòd Accipiter maculis diſtinguitur ſeu lineis, Cuculus velut punctis. Magnitudo atq; volatus ſimilis Accipitrum minimo, qui magna ex parte per id tempus non cernitur, quo Cuculus apparet, nam vel ambo vnà viſi ſunt aliquando. Quin etiam ab Accipitre interimi Cuculus viſus eſt, quod nulla auis in ſuo genere ſolet facere.* Quæ Ariſtotelis uerba non rectè intellexiſſe Plinius uidetur, cùm Cuculum ſolum inter aues à genere ſuo ſcribat interimi, tãquam ſi Cuculus de Accipitrino eſſet genere. At Ariſtoteles hoc non dicit, ſed vt contra uulgi opinionem, Cuculum non eſſe Accipitrini generis doceret, illum etiam ab ipſo Accipitre deuorari ait, quod non fieret, ſi eiuſdem generis eſſet, vel mutata tantùm figura ab ijs differet. Videtur ſanè Plinius etiam ſibi ipſi inconſtans eſſe,

Plin. & multorũ error.

Cuculum non fieri ex Accipitre.

quippe

quippe qui ibidem ita dicat: *Vnguibus non est aduncis Cuculus, sed ijs & capite ac rostro, rictuq; Colũbam potius, quàm Accipitrem refert, colore tantùm Accipitrem imitatur.* &c. Posſent autem & ipſius Ariſtotelis verba alicui negotium facesſere, vbi pedibus esſe ait Columbinis Cuculum. Equidẽ & ipſe miror, cur non potiùs Picorum pedibus eos comparârit, cùm hiſce, quos nos agnoſcimus, Cuculis non terni antè, & retrò vnus, vt Columbis, ſed bini antici, & totidem poſtici, vt Picis ſint digiti, & nocturnis auibus. Niſi exiſtimemus nõ in eo ſimiles Columbis Cuculos (quantum ad pedes) voluiſſe dicere, ſed quòd vnguibus vtriq; minimè aduncis ſint rapacitati aptis, aut aliam Cuculi ſpeciem ipſum agnouiſſe, qualem Ornithologus etiam olim depictam exhibuit, Accipitris potiùs quàm Cuculi forma, ſed quã pòſt adiecta in appẽdice alia emenda-
10 rit. Hinc etiam hallucinatum esſe [a] Albertum colligimus, qui nõ dubitat in hunc modum ſcribere: *Cuculus quidam componitur ex Columba & Niſo ſiue Sparuerio, alius ex Columba & Aſture, mores etiam habet ex vtroq; compoſitos. Ex Columba enim habet, quòd non prædatur alias aues, ex Niſo autem & Aſture habet quòd inſidiatur nidis aliarum auium debilium* &c. Hallucinantur ſimiliter Galli, qui, vt teſtis eſt [b] Bellonius, Falconem Cuculi esſe patrẽ vulgari dicterio ferunt. Etenim, etſi, vt doctiſſimus Scaliger inquit, *Cuculus & Accipiter dempto roſtro una & eadem videatur auis esſe*, eorum tamen naturæ tam cohæret, quàm Placentini & Genuenſes, aut cum Hiſpanis Galli.

[a] *Lib. 23.*

[b] *Lib. 2. Hi. c. 29.*

# DIFFERENTIÆ.

ALBERTVS duo Cuculorum genera ſtatuit, alterum maius, minus alterũ. Vbi enim [a] Ariſtotelẽ interpretatur. *Cuculus*, inquit, *duplex eſt, etiam ex Auicennæ ſententia, maior & minor: Maior ex Aſture & Columba componitur, quoniam roſtrum & vngues & pedes habet ſimiles Palumbo, reliquum corpus ſimile eſt Aſturi, niſi quòd varietas pennarum diuerſa eſt. Minor Cuculus componitur ex Columba & Sperueiro, habens roſtrum, & pedes Columbæ, & catera corporis membra & volatum ſimilia Speruerio, vnde falſa vulgi opinio nata eſt, Cuculum maiorem aliquando eſſe Aſture & è conuerſo. Magnitudine quidem & volatu maior Cuculus magnum Accipitrem refert, minor paruum. Et fortè plures ſunt differentiæ huiusmodi Cuculorum.* Hæc Albertus, in quibus, etſi quæ de generatione ſeu ortu Cuculorum vtriuſq; generis prodidit, falſa ſunt & fabuloſa, vt proximè præcedenti capite ex Ariſtotele oſtendimus, vera tamen ab eo Cuculi diuiſio ponitur, & quæ immeritò à Nipho & Ornithologo reprehenditur, qui Cuculum maiorem reperiri negant. Etenim aucupes noſtri Bononienſes omnes vno ore affirmant & Cuculos maiores reperiri, & minores, & illos præterea duorum esſe generum, ſed quæ ſolius coloris differentia inter ſe diſtinguantur. Minores uerò à maioribus non alia ratione, quàm magnitudine diſcrepare. Maioris utriuſq; icones daturi ſumus, minorem hactenus uidere non licuit. Vnde non malè Albertus plura Cuculorum diſcrimina ſubodoratus uidetur, ubi ait: *Et fortè plures ſunt differentiæ huiusmodi Cuculorum.* Auicenna quoq; hanc Cuculorum differentiam ponit & Ariſtotelem, ubi *genus quoddam Cuculorum in præruptis nidum ſtruere* tradit, aliud Cuculorum genus intelleXisſe manifeſtò liquet.

[a] *Lib. 6. Hi. c. 7.*

Cuculi duo genera dari.

Niphus & Ornithologus falſi.

# DESCRIPTIO.

CVCVLORVM maiorum prior longus eſt plus minus dodrantem, & ſeſquipalmum. Roſtrum habet oblongiuſculum eiuſdem ferè longitudinis quæ in Palumbis, ſed craſſius & acutius, & nonnihil magis aduncum. Vulgarium uerò ſeu domeſticarum Columbarum roſtro tertia ferè parte longius. Mandibula ſuperior hamo exiguo nonnihil conuexa, inferiore longior eſt, eaq; nigra, inferior uerò cornea. Rictus cum tota capacitate interiore roſtri & lingua intensè eſt croceus. Nares teretes ac patulæ. Oculorum iris minimè è luteo ſplendet, ſed pupillæ conformiter fuſca eſt, imo nigra. Prona pars tota tam cinerea, quàm alba, lineis ſeu maculis tranſuerſim ductis oblongiuſculis, fuſcis diſtinguitur, at non continuis, ſed interruptis, uti etiam in multis Accipitribus. Quare ea, quam Ariſtoteles adfert, Cuculi & Accipitris diſferentia, quòd ad haſce notas attinet, in hoc, uti neq; in altero ſequenti minimè locum habet. Neq; enim, ut ipſe ait, in hoc Cuculo teretes ſunt magis quàm in Accipitrum pleriſq;. Imo uerò eæ, quibus Subbuteo aliiq; nonnulli Accipitres inſigniuntur, notæ punctorum magis rationem ac ſimilitudinem habent, ſi his, quibus Cuculus hic noſter reſpergitur, comparentur. Hæ uerò linearum potiùs, quàm guttarum imaginem exhibent. Quare quid aliud dicam, quàm Ariſtotelem aliud quodam genus ab utroq; noſtrorum diuerſum agnouiſſe, ut etiam paulò antè diximus, minimè habeo. Nam & alter proximo loco deſcribendus tranſuerſas pectoris notas

Cuculo maioris primi forma.

Roſtrum.

Nares.

Oculi.

Venter.

oblongiores, magisq; continuas ac lineis similiores, quàm hic ipse gerit. Pennæ colli, dorsi, alarum propè omnes nigro ac ferrugineo variant; extremis verò pleræq; oris albicant. Remigum tegetes maiores albicantibus in ordinem æquabilem marginibus, lineam per transuersas alas album constituunt. Remiges uerò ipsæ, nigræ alioqui totæ, in medio, extremis undiquaq; albẽtes, vltra mediam caudam quàm longissimè protenduntur. Cauda similiter triplici colorum varietate picta est, nempe nigra, alba & ferruginea. Nigra in singulis pennis est è duabus lineis medio in acumen coeuntibus, ac æquali intercapedine à se mutuo distantibus, serieq; quadam ad vltimam caudam dispositis ferruginea latera tingit. Alba medias pennas intersecat, non recta tamen prorsum linea. Vltimæ omnes totius caudæ plumæ albent. Crura exigua admodũ & curta sunt, ac minimè corporis magnitudini congrua. Nam & femora breuia & tenuia sunt, & tibiæ vix pollicem latum longæ, quæ in parte superiori pilis propendentibus è femore candicantibus ultra poplites vestiũtur, croceo diluto tinctæ, vti & pedũ digiti, qui bini parte antica, ac totidẽ postica Cuculo à natura dati sunt. Quã rem antiquorũ nemo obseruasse videtur. Nã præterquã q̃ neq; Aristot. neq; Plin. in hac aue describenda, q̃ alioquin satis curiosè, si reliqua spectes, facere videntur, huius rei vllam faciunt mentionem. Alibi etiam ab utroq; scriptũ est Iyngem Auium vnam præter Picos & aues nocturnas binos vtrimq; habere pedum digitos. Quod quidem cùm hic, tùm proximè sequens Cuculus minimè uerum esse re ipsa declarant.

Color. Alæ. Cauda. Crura. Aristotelis & Plinij negligẽtia. Cuculi alterius forma. Rostrum. Oculi. Dorsum. Alæ. Cauda. Venter. Crura Pedes. Cuculi pulli forma.

Cuculorum maiorum alter, eadem est, qua prior magnitudine, nempe dodrantem & sesqui palmum plus minus longus. Rostro quàm prior, paulò longiori, magis arcuato, acutiori, sed minus crasso. Mandibula superior nigra, inferior cornea est. Rictus rostrumq; ipsum interius lutea sunt. Iris oculorum splendidè lutea, pupilla nigra. Pars auis supina tota è cinereo seu leucophæo nonnihil ad castaneum tendit, alis præsertim. Nam caput, ceruix cum ultimo dorso seu lumbis prorsus leucophæa sunt. Alarum pennæ remiges, quarum longissima ultra mediam caudam exporrigitur, parte interiore, qua dorsum spectat, maculis candidissimis in longũ ordine dispositis ornantur. Pari ratione & caudæ pennæ decem utrinq; ad neruum albis notis, figuram quodammodo cordis æmulantibus, atq; interiecto inter singulas digiti interuallo, pulcherrima serie & iucundo spectaculo resperguntur. Sed earundem in latere interno margines, exceptis duabus mediis, & extremus apex omnibus candidis notis insigniuntur. Venter, pectus, vropygium ex cinereo albicant, intercursantibus transuersim lineis nigris, vti ferè in Accipitrum generibus. Crura breuissima, ad pedes usq; propemodum plumulis tecta, saturo tinguntur croceo, tabellis cincta, vti & pedum digiti ad vngues usq;, qui & ipsi nonnihil flauescũt. Horum maximus maioris & antici digiti in medio latiusculus est, & nonnihil concauus, ad firmiorem, ni fallor, apprehensionem. Digitos obtinet vtrimq; nempe antè & retrò pares, quẽadmodum de priore dictum est. Ornithologus huius generis Cuculum pullum describens, inspexi, inquit, aliquando, iuuenem Cuculum, qui ventre & adiacentibus partibus similis erat Sparuerio, colore totus nigricans, sed maculis subruffis per alas aspersus. Foramina narium in rostro multùm eminebant. Oris pars interior flaui coloris erat. Digiti eius bini antrorsum tendebant, bini alij retrorsum, vt in Pico. Hæc ille.

## Sequitur Cuculi alterius iam descripti icon.

# VOX.

CVCVLI propria vox est cucu, è qua ei nomen, vt multis alijs auibus, est inditum. Hinc etiam Latini verbum proprium formarũt, vocem Cuculi denotãs, quod est cuculare, vnde author Philomelæ:

*Et Cuculi cuculant, frittillat rauca cicada,*

Alunnus frigulare etiam dicit. Verùm nos frigulare Cuculum nusquam legimus. Græci similiter verbum habent κοκκύζειν, quod cùm de Cuculi, tùm de Galli gallinacei voce vsurpant, quem Latini cucurire dicunt. Est autem absona admodum Cuculi vox, vnde δυσφόνος Varino vocatur. Hanc in cantando nunquam mutat, sed semper eandẽ replicat, & ad tædium usq; aures auditorum obtundens ingerit: Martialis.

*Quannis per multos Cuculus cantauerit annos.*

Vnde mirum est, absurdam eius vocem, cantus nomine fuisse dignatum Plinium. Auditur autem plerunq; ad vltimum usq; Iulium uocem perfectam edere, apud Germanos uerò ad festũ usq; D. Ioannis. *Vocem minus explanat*, inquit Aristoteles, *cùm se abditurus est*. [a] *Lib. 9. H. c. 49.*

Cucu

Cuculare

Frigulare

κοκκύζειν.

# TEMPVS.

PROCEDIT, seu apparere incipit ineunte vere, *occultatur caniculæ ortu*, Aristotele ac Plinio authoribus, *pòst rarissimè*, inquit Aelianus *cernitur*. Aristophani ante messem apparere dicitur. Aestate enim volat, & lasciuit, hyeme deplumis ac squalidus in cauis arborum abditus torpet. Imo breui tantùm tempore ætatis visus (vnde & temporaria ales Plinio vocatur, uerna scilicet) hyeme nõ cernitur. Est autem primus omnium animantium ferè aduentantis ueris nuncius, & eorũ quæ sese ob aëris hyberni iniuriam occuluerunt, primus sua latibula relinquit, una excepta amphisbæna, quæ, ut tradit Plinius, sola serpentium (qui omnes etiam sese hyeme in terræ cauernas recondunt) frigori se committit, prima omnium procedens & ante Cuculi cantum. Huc Aschyli uersus subsequentes referri possunt, nam & doctissimus Scaliger Cueulo ea conuenire putat quæ Vpupæ Aschylus tribuit, Vpupamq; cum Cuculo confundit:

[a] *Lib. 9. H.*
[b] *Li. 10. c. 9.*
[c] *Lib. 3. de anim. c. 30.*
[d] *In Phœni cc.*

Amphisbæna

Τοῦτον δ' ἐπόπτλω ἔποπα τῶν αὐτῷ κακῶν,
Πεποικίλωκε, καὶ ἀποδιηλώσας ἔχει,
Θρασίλω, πέτραῖον ὄρνιν, ἐν παντευχίᾳ·
Ὅς ἦρι μὲν φαίνονται διαπάλλει πτερὸν,
Κιρρόν μὲν ἐπ' ἀγρῷ, δύο γὰρ οἱ μορφὰ ἐυφανεῖς.
Παιδὸς γε αὐτῷ μὶ ἔπεσι νήδυος,
Νέας δ' ὀπώρας, ἡνίκ' ἄν ξανθὴ ϛάχυς
Τίκτῃ, τότε ἀμφίεννυσ' ἄλλ' αὖθις πτέρα.

*Nunc calamitatis Vpupam testem suæ*
*Variam facit, tenetq; perculsum metu,*
*Ferum antea, armatum petrarum nunc auem,*
*Vere appetente quæ nouo, pennas quatit,*
*Ruffas in agris. Nam est figura duplici.*
*Vnus quidem iuueni colos est pectoris,*
*Autummo at illa, flaua cùm peperit seges,*
*Mutata pennas rursus alias induit.*

Scaliger versu secundo legit, ἀποδηλάσας: quarto, φαιόν τι: quinto, κίρκε λεπάργε. δύο γὰρ οἱ μορφὰς φανεῖ: sexto, παιδὸς γε τ' αὐτοῦ νήδυς μιᾷς ἄπο: octauo, τίκτει νιν ἄυτις, ἀ' ἀμφινωμήσει πτέρυξ.

# LOCVS.

CVculus ubiq; ferè gentium, etiam in Septentrionis locis, iisq; frigidissimis reperitur, præterquam in India occidentali seu nuper reperto orbe. Scribit Hispanus Aluarez, qui totam Aethiopiam per lustrauit, nusquam à se tota ea regione Cuculum conspectũ esse. Petere autem petras præruptas, excelsaq; saxa & domicilia, in quibus nidificet, uno loco [a] Aristoteles asserit; [b] alibi uerò nidificare negat, sed alienos tantùm nidos inhabitare. Quam controuersiam Niphus ita componere nititur, ut dicat, Cuculum perrarò in proprio & à se extructo nido degere, in alieno uerò frequenter. Verùm Ornithologus monet, nunquid pro

Cuculum in Aethyophia non apparere.

[a] *Lib. 6. H. c. 1.*
[b] *Lib. 6. H. c. 7.*

Aristoteles reconciliatus.

κακκοξ

[c] *Lib. 6. H. c. 1.* κόκκυξ apud Ariſtotelem κοασυφος legendum ſit. Nam locus etiam eſt apud illum alibi, vbi Albertus non Cuculum, ſed Cygnum habet. Poſſet forſan haud ineptè reſponderi, Philoſophum cùm Cuculum nidificare negat, id de vno genere intellexiſſe tantùm; Vbi enim affirmat, expreſsè addit, genus quoddam in præruptis nidificare aſſolere. Atque ita vtrunq; de diuerſo genere intellectum, verum eſſe. Aeſtate in arboribus degit pleruncq;, hyeme verò earundem caua intrat, ſed & in lapidũ & terræ cauitatibus per totam hyemem latere, longa obſeruatione compertus eſt. Fabulãtur quidam apud Germanos Heluetos Baſilienſes, Tigurinũ ruſticum quendam, cùm truncum fornaci calfaciendæ hyeme immiſiſſet, Cuculi in ea vocem audiuiſſe. Cùm enim frigoris ſit impatiens, naturæ etiam, teſte Ariſtotele, frigidæ, non mirum ſi hyberni frigoris euitandi gratia in cauernas ſe abdat, eò præſertim magis, quòd eo tempore deplumeſcat. Quod verò rurſus ad æſtatem attinet, exiſtimo eos nullum certum locum aut proprium habere, ſed pro natura auis, in cuius nido parit, nunc in arbore, aliquando in petris, aut alibi agere. Auicennæ nonnunquam in ripa fluminis inuentus eſt.

Cuculi in fornacè reperti hiſtoria.

Temperies

# VOLATVS.

VOLATVS Cuculi ſimilis eſt iuxta Ariſtotelem Accipitris minimi volatui: inſtabilis quoq; & interruptus, vnde frequenter

*Accipitrem cauta Cuccus ſic decipit aſtu,*
*Dum vagus incertas itq; reditq; vias.*

Quod enim perenni volatu effugere ſeſe poſſe deſperet, vt pote quo non admodum ualeat, hac arte hoſti illudit. Exercet autem humilem uolatum Cuculus, ad quem alluſit etiam Arioſtus noſter hoc uerſu:

*Tenendo baſſe l'ali come il Cucco:*

Quare, ut tradit [a] Iſidorus, *quo tempore aduenium, Miluorum ſcapulis ſuſcipiuntur, propter breues & paruos volatus, ne per longa aëris ſpatia fatigati deficiant.*

Cuculus Accipitres fallit.

[a] *Lib. 12. Orig. c. 7.*

# GENERATIO.

VCVLVS, authore [a] Ariſtotele, *parum generat etſi aduncus non eſt, quia naturæ frigida eſt.* Imo nulla auis vnum parit, excepto Culo, qui & ipſe tamen duo interdum aut terna, bina quidem maxima ex parte. [b] Alibi tamen idem è contrario ſcribit, *maiori ex parte ſingula parere, raro bina.* Hoc ipſi peculiare, eodem teſte, necnon [c] Plinio, ipſaq; rei experientia, vt nunquam nidificet, ſed in nidis pariat alienis, & præcipuè in Palumbi, Currucæ, Alaudæ humi, atq; in nido Luteolæ appellatę ſuper arborem. Alberto etiam nonnũquam in Rubeculæ, Luſciniæ, Motacillæ. Idem ita diſtinguit, vt maiorem Cuculum in Palumbi, minorem in Currucæ ſeu Motacillæ nido parere dicat. Verùm Auicenna ſe minorem Cuculum in vtriuſq; nido reperiſſe teſtatur. Hæc ipſa verò pauca oua, quæ peperit, minimè incubat, ſed ea auis, in cuius nido peperit, incubat, excludit, & nutrit. Qua quidem in re, inquit Bellonius, & exemplo huius Cuculi, natura ſe operis ſui magnam gerere curam demonſtrauit. Nam cùm Cuculus vnum nonnunquam pauciſſima ſaltem ſemper ponat oua, quę in nidũ Ligurini, vel Thraupidis, vel Fringillæ, vel alterius alicuius auiculæ, quæ pullos ſuos granis enutriat, deponere poſſet, voluit tamen ipſi quærere nidum auis cuiuſpiam, quæ in nutrimenti genere ſecum conueniret. Vnde à natura doctus pullum ſuum in nidum auiculæ, quam Currucam Latinè dicimus, importat. Viſus tamen etiã eſt in Alaudæ nidum humi ea inferre, quemadmodum & Palumbi, vti ſuprà ex Ariſtotele recitatum eſt, quarum vtraq; frumento ſeu frugibus etiam viuit. Alauda & vermiuora, & frugilega eſt. Verùm arbitror apud Gallos in Currucæ nido, vt plurimùm naſci Cuculum, ideoq; ita ſcripſiſſe Bellonium. Cùm autem natura voluerit Cuculum ouum ſuum deponere in nidum auis, quæ ſe multò minor eſt, nempe Currucæ, iniuſtè certè egiſſet, ſi multa, aut plura vno, aut ad ſummum duobus imponi conceſſiſſet. Cuculus enim, qui Currucam corpore longè ſuperat tam exigua aue enutriendus, fame erat periturus, niſi ab eadem illi de cibo proſpectum fuiſſet. Atqui quæ pluribus ſuis pullis victum ſuppeditare poterit, etiam vni atq; alteri Culo cibando ſufficiebat, quanuis tantum cibi vnicus Cuculus, quantum ternis aut quaternis Currucæ pullis alendis eſſet ſatis, vno die abſumat. Aliàs pluribus Cuculis haud quaquam ſuffectura erat. Quod verò [d] Aelianus ſcribit in nidis alienis, at non cuiuſlibet auis, ſed Corrucæ tãtùm, Luteolæ & Alaudæ, parere Cuculum hanc ob cauſam, quòd non ignoret ab ijs oua ſuis perſimilia excludi ſolere. An, inquam, hoc de Palumbi nido verum ſit, ipſius videat, in cuius nidum oua etiã depo-

[b] *Lib. 6. H. c. 7.*

[c] *Li. 10. c. 9.*

Cuculus in quo nido pariant.

[d] *Lib. 3. de Anim. c. 30.*

deponere ſuprà ex Ariſtotele diximus. *Si autem illarum nidos vacuos repererit, non eo diuertit*, inquit idem Aelianus, *ſed in eos, in quibus oua ſunt, atq; ad ea ipſa apponit ſua. Si autem illarum oua complura offenderit, ex ijs quædam perdit, ac in eorum locum ſua* (totidem fortè, ne, dum illa numero frequentiori aut ſuperflua inuenerit auis incubatura, tanquam aliena repudiet) *ſupponit, quæ non ab illarum ouis internoſci poſſint ob ſimilitudinem. Iam verò aues, quas dixi, aliena oua excludunt. pulli verò Cuculi cum ætate procedenti ad volatum firmi paulum exiſtunt, ſibi conſcij eſſe illegitimos fœtus, ad parentem ſuum euolant. Iam enim ſuccreſcentibus pennis* (ab aue, quæ eos excluſit) *alieni deprehenduntur, atq; acerrimè verberantur.* [c] Oppianus paulò aliter ſcribit, nempè *foueri quidem oua Cuculi per alienam matrem tantiſper, donec excluſis pullis fraus detegatur, eaq; cognita nutricem eos relinquere, & alienum nidum ſtructura auolare, & ſic Cuculum accedentem pullos demum nutricare.* Qua in re ab Aeliano diſſidet, quòd hic nutricem agnitos ſuppoſititios dicat deſerere, ille verò verberatos è nutricis nido excedere, & haudquaquam derelinqui tradat. In hoc tamen conueniunt, quòd neuter de nutricis nece, neq; à matre, neq; à prole illata quidquam ſcribat: de qua tamen Ariſtoteles & Plinius, alijq; varias admodum recenſent ſentẽtias: Nam vt [f] ille ait, *Cùm Cuculus alienigena utdelicet pullus accreuerit, ſuos eijcere dicitur Curruca, ſeu alia quauis nutrix, ita ut pereant. Alij eos à genitrice occidi, & dari in cibum Cuculi pullo aiunt, videlicet improbatos propter ſpeciem Cuculi elegantiorem. Auidus* enim *Cuculus*, inquit [g] Plinius, *ex natura, præripit cibos reliquis pullis, itaq; pingueſcit, & nitidus in ſe nutricem conuertit. Illa gaudet eius ſpecie, miraturq; ſeipſam, quòd talem pepererit. Suos comparatione eius damnat, ut alienos, abſumiq; etiam ſe inſpectante patitur, donec corripit ipſam quoq; iam volandi potens.* Iuxta hunc igitur Cuculus grandeſcens non ſolùm nutricis pullos, ſed & nutricem ipſam tandem impius deuorat. Verùm, vt inquit rurſum Ariſtoteles, *quanquam plurima ex ijs vidiſſe nonnulli confirmant, tamen de pullorum etiam interitu non conuenit inter omnes, Alij enim Cuculum ipſum repetere nidum, cui ſuum ouum mandárit, pulloſq; deuorare nutricis volunt. Alij pullum Cuculi, quod magnitudine præſtet, poſſe percipere cibum omnem oblatum, atq; ita cæteros fame perire autumãt. Alij ipſum vt fortiorẽ, cæteros paſtus conſortes occidere authores ſunt.* Sunt, inter quos Oppianus & Auicenna, Albertus, alijq;, qui dicant *Cuculum oua auis eius, in cuius nidum ſua importat, vorare, abſumereq; ſuis q; ſuppoſitis diſcedere.* Itaq; ſpem & ſeminium prolis extinguens, minimè expectat, donec pulli editi ſint, vt tum demum eos deuoret. Imò [h] Ariſtoteles ipſe alibi hanc opinionem probare videtur, non ſatis ſibi conſtans; Scribit enim in hæc verba: *Parit Cuculus in nido, non quem ipſe fecerit, ſed minorum auium, & oua quæ aliena repererit edit. ſuaq; relinquit.* [i] Iſidorus quoq;, *Cuculi*, inquit, *oua in Paſſeris nido reperta comedunt, & ſua obijciunt.* Quod ſi ita eſt, quorum oua perfregit, abſumpſitq;, vt pullos etiam perdat fieri non poteſt. Niſi dicamus auiculam nutricem prioribus ouis, quæ poſuerat, non inuentis, alia parere, è quibus poſt excluſos pullos denuò Cuculus interimat. Verùm hæc multis modis fieri contingit, & nunc hac, nunc illa ratione vera eſſe, quæ prima verborum ſpecie pugnare videntur. Alia præterea eſt ſententia de Cuculi generatione, quam Niphus adfert. *Nonnullos velle*, ait, *nutricem incubare ouum Cuculi, & ſimul ẽt ſua. Sed quoniam ouum Cuculi citius excluditur, ideo viſo pullo Cuculi, veluti eo contentam nutricem à proprijs incubandis, fouendisq; deſiſtere. Quidam deniq; aſſerunt*, inquit idem, *pullum Cuculi ſuis motionibus propter pondus ſui corporis opprimere pullos nutricis auis, & veluti conculcare, præſertim in illa prima teneritate, cùm iam primùm excluſi ſunt.* Verùm, vt vt eſt, hac de re certũ eſt, *educare Currucam ſubditum Cuculum adulterato fœtam nido*, vt Plinij verbis vtar. Malè ergo hanc hiſtoriam intellexiſſe videntur Galli, qui maritũ, nempe cui vxor prolem alienam educandam ſupponit, Cuculum, vulgò mary coquu, nempe adulterę virum, impropriè admodum appellant. Non enim educat fœtus illegitimos Cuculus, ſed illegitimus ille educatur, aut Corrucæ pullum ſuum excludendum & enutriendum ſubijcit. Ita vt Corrucæ potiùs aut alterius maritus nomine appellandus eſſet. Acron quoq; Grammaticus omnino errauit, vbi illud Horatij interpretatur:

——— *Magna compellens voce Cuculum,*

*Cuculus enim*, inquit, *hoc vitio naturali laborat, vt oua vbi poſuerit oblitus, ſæpè aliena calefaciat, vnde ruſtici ſibi obijciunt, quaſi alieni curam ſuſtinentibus.* Atqui Cuculum non aliena oua fouere, ſed ipſum potiùs ab aliena matre foueri, aut ſuum ouum fouendum ſupponere iam ſatis probauimus. Quod ſi quis tamen adhuc talem maritum Cuculum appellare velit, concedi illi hoc poterit ea ratione, qua Cuculum ſimpliciter hominem nullius ingenij, ſtolidum & inertem vulgò etiam vocamus. Quod Germanis etiam frequens eſt ignominiæ genus. Multò melius, veriusq; & ſcitè maritum huiuſmodi ſtultum, qui ad fictas improbæ vxoris lachrymas commiſereſcit, Curucam [k] Iuuenalis vocat:

*Tu tibi nunc Curruca places, fletumq; labellis*
*Exorbes &c.*

Quo loco codices quidam pro curruca habent eruca, quod non placet. Meritò enim maritus inſul-

[c] Ixcut. li. 1.
[f] 9. H. c. 29.
[g] L. 10. c. 9.
[h] L. 6. Hiſt. cap. 7.
[i] L. 12. Origen. cap. 7.
Mary coquu.
Cuculi qui iuſtè dicantur.
[k] Saty. 6.

insulsus, qui mœchæ vxoris filios pro suis & legitimis educat, vt Cuculi pullos Curruca, & aliæ quædam aues, sed illa præcipuè, Currucæ nomine appellatur. Talē hodie maritum Itali cornutum appellant, quod nomen à Curruca quasi, quamuis alia eius sit appellatio, detortum videtur. Alioquin curruculæ nomen adhuc quibusdam Italiæ locis in vsu est, cùm quis de stoliditate notatur. Cæterùm dubitanti cuipiam & admiranti, quæ causa esse possit, cur solus inter aues Cuculus oua, quæ peperit, non etiam incubet, atq; ex his pullos excludat? Huic [l] Aristoteles disertis verbis respondet in hæc verba: *Prudenter sane prolis suæ procreationem moliri videtur Cuculus. Cùm enim se ignauum, minimeq; optitulandi potentem nouerit, facit quasi supposititicios pullos suos, quò seruari possint.* Causa ergo subijciendi pullos putatur, quod *inuisum se sciat*, inquit [m] Plinius, *cunctis auibus. Nam minutæ quoq; eum infestant auiculæ, ab hisq; vellitur, ita vt præ metu earum fugiat. Quare non fore tutam generi suo stirpem opinatur, nisi fefellerit, ideoq; nullum facit nidum trepidum profectò animal.* Etenim vt Theophrastus testatur, *Cuculi genus non extaret, nisi oua sua alieno nido supponeret.* Aliam alibi & veram infæcunditatis simul & timiditatis Cuculi causam assignat [n] Aristoteles, nempe naturæ frigiditatem. Huic attestatur [o] Aelianus, inquiens: *Cuculus sibi conscius se neque incubare, neque ex ouis pullos excludere posse ob frigidam corporis sui constitutionem, in nido parit alieno.* Cùm verò apud omnes inconfessò sit, Cuculum licet sua natura sterilem aliena tñ opera pullos procreare, miretur quis, cur [p] Aristoteles dicat, quod Cuculi pullos sese vidisse nemo affirmaret. Vvottonus quidam Germanus sententiam nonnihil limitare conatur, & addit ferè neminem visos sibi dicere: Albertus subaudiri vult in nido proprio. Verùm hoc sensu Philosophus nihil nouum docturus erat. Nam paulò pòst in nidis tantùm alienis oua ponere eum disertis verbis ostendit. Sed fortè intelligendum id est de eo genere, quod in præruptis nidulari ex ipso antè diximus.

Cornuto q Italis dicatur.

Curruca qui dicat.

[l] *Lib. 12. Hist. c. 29.*

[m] *L. 10. c. 9.*

[n] *3. de gene. c. 1.*

[o] *3. de anim. cap. 30.*

[p] *6. Hist. c. 7.*

# VICTVS.

VERMIBVS & insectis quibusdam, vt muscis & erucis Cuculos vesci referunt. Auicenna scribit se auiculas illas, vt Currucam & similes Cuculum vermiculis nutrientes obseruasse. Vnde eum ex victu non rapacem esse licet colligere. Quod autem [a] Bellonius opinatur à natura non temerè institutum, vt in Currucæ potiùs, quàm aliarū auium nido excluderetur, & educaretur, scilicet quòd ea consimili, ac eodem quo ille alimenti genere victitet, fateremur verum esse, nisi ab [b] Aristotele edocti Cuculum non solùm Currucæ aliarumq; minorum auiū nidos petere sciremus, sed & Palumbi, & quidem maximè frequentissimèq;, præterea & Alaudæ, quæ tamen spermologæ seu frugilegæ aues sunt. At si verum est, quod ipsemet etiam [c] Philosophus ex aliorum sententia tradit, *Cuculum tam grandiusculum nutrices pullos deuorare, imo etiã nutricem ipsam tam volandi potentem absumere*, vt Plinius nescio quo authore refert, sanè rapacis auis hac parte naturã sapere videtur, & carniuorus erit. Verùm vt vt hac de re sit, hoc [d] Aristoteles ex propria refert sententia *Cuculum Accipitri nonnunquam in cibum cedere*, ex eoq; contrariũ probat, quòd hac ipsa de causa rapax, carniuorusq; minimè habendus sit, cùm nulla auis aliam sui generis vnquam visa sit interimere. Quod autem quidam dicunt comportari congeriq; ab eo æstate cibum in cauas arbores, quo hyeme vitam sustentat, Albertus falsum esse ait. At si quis ex Alberto quærat, quomodo igitur viuat, aut qui nutriatur, si neq; cibum in latibulo olim reconditum habet, neq; hunc quæsiturus auolare, vtpotè implumis, queat, fortasse obiecturus est, eum non secus atq; serpentes ac vrsos hyeme vitam degere, idque à ratione alienum non putabit, qui & Cuculum frigidæ esse naturæ, ipso Aristotele authore secum reuoluit, & Hirundines in Sarmatia Europæa sub glacie totam hyemem veluti sepultas viuere, nihilominus & ineunte vere denuò auolare pensitabit. Quam rem minimè fabulosam esse, sed veritati ac rationi maximè consonam, cùm ipsa rei experientia, tùm rationibus varijs, cùm ad Hirundines ventum erit, probabimus. Cuculi verò vel ex hoc cùm latent, comedere videri possunt, quòd in eorum cauis, vbi latent, varij fructus reperiantur, vt author ille quisquis sit de natura rerum quoq; testatur, & experientia ipsa docet.

Cuculus q̃o nutriatur sine cibo in arboribꝰ cauis.

[a] *Lib. 2. de Auib. c. 29.*

[b] *Lib. 6. Hist. c. 7.*

An inter carniuoras reponēdꝰ.

[c] *Lib 9. Hist. c. 29.*

[d] *L. 10. c. 9.*

[e] *Lib. 6. Hist. c. 7.*

# INGENIVM. MORES.

TIMIDISSIMAM auem esse Cuculum [a] Aristoteles tradidit, & trepidũ animal eum [b] Plinius vocat, vtpotè qui à minimis etiam quibusq; auiculis impunè lacessatur, & vellicetur, imo præ metu eas fugiat. Quam formidinem à natura ob frigiditatem ei inesse vult Aristoteles, ex moribus, corporis constitutionem non immeritò coniectans. Verùm ne natura hunc prorsum omni ope imbellem destituisse putetur, quod corpori negauit, ingenio addidit. Peculiari enim & naturali instinctu suę sibi imbecillitatis conscius, sagaciter admodum aliarum auicularum, nec tamen quarumuis, sed quibus imponi faciliùs posse confidit, nidos obseruat, eosq; inuolans oua aliquot exorbet, ac in eorum locum sua substituit, reliquisq; ne agnoscantur, permiscet, & medium pleruncq;, si Alberto credimus, collocat. Neque ignorat earum auicularum nidos ad fotum suorum ouorum sibi esse deligendos, quæ suis non absimilia pariant, ne alienũ agnitum repudient, & deturbent. Nisi enim astu hoc & vulpina fraude instructus esset, iamdudum tota eius progenies euanuisset, cui quauis ratione potiùs prospectum natura voluit, quæ æternitatem in omnibus animantibus, saltem in specie conseruandis maximè appetit. Ab ingratitudinis tamen nota (si quidem, quod refertur, verum est) nulla ratione excusari potest Cuculus, vt qui nutrici, quæ, vt supposititio pullo alimentum copiosè suppetat, non solùm propriorum pullorum, sed & suum ipsius genium defraudat, pro omni beneficio hoc ingens rependit maleficium, vt non solùm coëtaneos, & pastus nutricatusuè consortes adultior factus deuorat, sed & in nutricem ipsam sui admirabundam, in quo scilicet illi complacitum est, quod tam pulcher sibi natus contigerit, crudelis & impius insurgit, & plus Neroniana crudelitate interimit, atq; dilaniat. Infandum sanè scelus, vt qui eam, quæ modò sibi pastum præbebat, nunc ipsam in pastum suum conuertit, & quæ vitam dederat, pro vita mortem reponit.

[a] *3. de Gen. cap. 1.*
[b] *L. 10. c. 9.*
Cuculi timiditas.
Cuculi astus.
Cuculi impietas.

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

QVEMADMODVM Cuculus aliarum auium inuadit nidos, effractisq; ouis spem prolis præcidit. Ita ipsi quoq; è contra non vnus quidem, alterq; hostis est, sed omnes ferè auiculæ, quæ eum impugnant occultè quidem, vt inquit Albertus, & eo potissimùm tempore cum eo digladiantur, quo oua pariunt, tanquam fraudulentæ illius hostilitatis & tyrannidis, qua earum oua depopulari solet, non ignaræ sint. Omnibus itaq; inuisus est Auibus præter vnũ Miluum, qui scapulis suis sublatum per longinqua terrarum interualla vere aduentante deportare ab [a] Isidoro creditur, volatu alioquin admodum imbecillem, occultæ proculdubiò amicitiæ priuilegio. Alia etiam potest esse huius communis odij causa, quod nimirum Accipitri quam maximè similis sit, sed auium omnium ignauissimus, vnde quam de Accipitre non possunt, de hoc, qui eum figura refert, vindictam sumunt, vellicantes & insultantes, quem haud repugnaturum sciunt. Sic tanquam fœdum & deformem uelut Bubonem quempiam & absurda noce importunum καὶ ἄμουσον ludibrio habere uidentur. Neq; auibus solummodò uniuersis, sed & insectis quibusdam æstiuis, nempe cicadis quàm maximè exosus est, adeo ut necem quoq; ipsi inferant. Quod si credi fas est, id quod doctis minus uero fit simile, *ex Cuculi saltua cicadas gigni*, ut [b] Isidorus testatum reliquit, quæ mox, quod quidam memoriæ prodiderunt, infenso admodũ animo Cuculum aggrediũtur, & ad mortem usq; diuexãt, sanè naturæ lege, ut qui suam nutricem ingratus interemit, ipse quoq; ab his, quas ipse quodammodo genuit, è suis excrementis natas, debita talione mulctetur morte: iuxta tritum illud commune prouerbium, *A filijs expecta, quod parentibus feceris.* Scribunt enim quidam cicadas, simulatq; Cuculum absonam illam suam uocem toties ingeminare ante caniculam audiunt, veluti indignatas frequenti agmine inuadere, ac sub alis eius sese recondentes, morsus acerrimos vndiquaq; infligere, adeo vt præ dolore ac cruciatu quiescere, aut loco stare, aut cibum capere nesciat. Itaque cicadarum multitudinem, ac vi oppressum tandem perire. Et hanc quidem causam esse volunt, cur Cuculus sub exortum caniculæ, quo quidem potissimùm tempore

——*raucis*
*Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis,*

cuculare, & pulchram illam, si Dijs placet, cantilenam suam occinere desinat. [c] Plutarchus refert *in monte Græciæ Coccygio palurum nasci, cui omne animal, quod insederit, hæret, tanquam visco retinente, excepto Cuculo.* Verùm huic commento ex loci eius nomine occasionem datam esse arbitror.

Cur aues Cuculo hostes sint.
Cuculus & Miluus amici.
[a] *L. 12. Orig. cap. 7.*
Cuculus cũ cicadis dissidet.
[b] *L. 12. Orig. c. 8.*
Cur vocem abscondat Cuculus.
[c] *Lib. de fluuijs.* Coccygius mons.

# AFFECTVS CORPORIS.

[a] 9.H.c.49.

NSTAR rapacium aliarumq; complurium auium Cuculus hyeme deplumeſcit, pennas mutat,& ſimul *colore*, teſte [a] Ariſtotele, *immutatur*. Cùm verò per hyemem exuuium veterum pennarum deponit, ſcabro quodammodo corpore eſſe videtur quale Anſeris eſt deplumati,ob pororum, quibus pẽnarum tubuli inhæsêre, aſperitatem. Vndè apud Germanos homines valdè ſcabroſi vulgari dicterio tam ſcabri eſſe dicuntur, quàm eſt Cuculus. Hinc etiã Hebræi Cuculum vulgò Schachaph nominant,quòd nempe præ cæteris ſcabiei morbo laborare credatur.

Etymologia. schachaph cur dictus.

# COGNOMINATA.

[a] *In Aſinaria.*

VCVLVM maritum mulier Artemona vocat [a] apud Plautum, qui cum alienis vxoribus dormiebat. Quia maritus vt Cuculus relicto nido proprio & fundo vxorio in filij Argyrippi nido fœtare contendebat,& quæ domi veluti oua incubari debebant, in lectum alienum transferebat. Vnde adulterium dictum, quaſi ad alterius thorum.

Adulteriũ unde dictũ Iupiter Cucul° dictus.

Coccyx etiam olim Iupiter dictus, quòd in hanc auem ſe conuertiſſet Iunonis deſiderio. Coccyges in Achernenſibus Ariſtophanis, vt Scholiaſtes exponit, dicuntur homines inepti ac imperiti,nam & Coccyx auis,inquit,voce imperita ac inepta canit: vnde [b] Plato:

Cuculi qui dicti.

[b] *In Laio.*

*Nunquid vides Meleager,ut Glauconis ex propagine*
*Præſtante ſtultus,vt Cuculus vadat vias*
*Longè,peponis qui crura habet ſimillima*
*Eunuchijq;?*

Oti qui dicti.

Eos tamen,qui facilè decipiuntur,priſci Græci ob ſtoliditatem ab Oti ſtolidæ auis natura Otos etiam appellabant. Germani ſimiliter homines ſtolidos Cuculos cognominare ſolent. Lycophron Aiacem Coccyga vocauit,ſiue,vt Scholiaſtes explicat, ab ingenio minimè ciuili, aut ſociali,ſed ſolitario, ſiue propter loquacitatem. Iactabundæ quidem eius, & impiæ loquacitatis Homerus meminit. Pleriſq; arriſit Battum Coccyga dictum fuiſſe, de loquutionis pontificio præpedito, vt [c] Cælius annotauit. Nos quoq; apud [d] Pindari Scholiaſtem legimus Battum regem Coccyga fuiſſe nuncupatũ,quòd non clara voce vteretur. Κόκκυγες, id eſt, Cuculi dicebãtur Heſychio & Varino, &, vt videtur, prouerbialiter, qui numero pauci, plures viderentur.

Aiax Cucullus dictus, & cur.

Battus Cucul° dictus.

[c] *Li.13.ant. lect.cap.1.*

[d] *In Pythijs.*

# DENOMINATA.

Coccygiũ mons.

COCCYGIVM mons eſt Græciæ iuxta Inachen fluuium,Dyceium prius appellatus, poſtea Coccygium, vel Coccyx, teſte [a] Plutarcho, eò quòd Iupiter in eo monte cum Iunone ſorore concubuerit,in Cuculum mutatus, ne agnoſceretur. Hunc [b] Pauſanias prius Thornacem (alij Thronacem ſcribunt) non Dyceium vocatum inſinuat. Coccytus inferni palus eſt à ſtyge emanans, vt [c] Homerus canit:

Dyceium.

[a] *In lib. de fluuijs.*

[b] *In Corynthiacis.*

Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι
Κωκυτός θ', ὅς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ:
*Hic quidem in Acherontem Pyriphlegethonq; confluunt,*
*Cocytusq;, qui certè Stygis aquæ eſt fluxus.*

[c] *Odyſſ. K.*

Meminit eiuſdem fluuij [d] Claudianus:

[d] *Lib. 1. de rap. Proſer.*

Coccytus fluuius.

——*& preſſo lachrymarum fonte reſedit*
*Coccytus: tacitis Acheron ob mutuit undis.*

vbi Coccytum, fluuium lachrymas volentem uocare uidetur,nam mœror ſtyx eſt, atque inde Coccytus, ideſt,in cuius ripis luctiferi Bubonis gemitus & aliarum dirarum auium ululatus tur piſſimos audiri, Theſeus apud Senecam refert:

Bubo luctifer.

*Palus inertis fœda Coccyti iacet,*
*Hic Vultur,hic luctifer Bubo gemit.*

Vnde Coccyto nonnulli nomen datum uolunt à Coccyge aue, ſed Platonici quidam per Coccytum interpretantur,quicquid homines ad lachrymas compellit.

Coccygia uentus.

Coccygiam uentum uocant,teſte Heſychio,fortè quòd eo tempore ſpiret,quo κόκκυξ incipit κοκκύζειν. Multa alia ſunt etiam plãtarum & fructuum nomina,quæ Grammatici à Coccyge de-

ge deriuata, seu denominata existimant. Ego uerò non tam ab hoc, quàm à cocco ea originẽ petere puto. Qualia sunt in primis Coccygria, quæ est cotinus Theophrasti, ita quantum ego iudico, dicta, quòd usus eius aliquis sit ad uestes purpureo colore tingendas, ita ut dicta uideri possit coccygria, quasi coccus agria, id est, syluestris, quo à cocco baphica distinguatur. Pari sensu κεκοκκυγωμένον Hesychius & Varinus exponunt, colore coccygino, id est purpureo tinctum. Neque enim huic arbori quidquam cum Cuculo commune esse uideo, cur ab hoc denominata putanda sit. Coccygria vnde dicta.

Similiter κοκκύμηλον dictũ quidã putant, quasi κόκκυγος μῆλον, quo nomine Eustathius prunũ, Suidas & Varinus malum Armeniacum Græcè uocant. Ego uerò rationem nullam uideo, cur hi fructus Cuculo nomen suum debeant, sed ita dictos puto, quòd inter mala & baccas quodammodo medij & ambigui uideãtur. Nam κόκκυς Græcis baccam notat, qua uoce continentur fructus malis minores, qui coniunctim quidem crescunt, sed quàm acini dispertius rariusq; ut sunt lauri, oliuę, alijq; huiusmodi. Vulgò mala Armeniaca, teste Suida βερίκοκκα vocãtur, quę vox corrupta uidetur à Latina præcox uel præcoquum. Sic enim Armeniacum malum appellant aliqui, quod tamen persici potiùs quàm pruni species est. Non sunt probandi Grammatici, qui κοκκύμηλα per ei in penultima scribunt, nec ille, qui in antepenultima. κοκκύμηλον. βερίκοκκα.

Panem Cuculi quidam nominant trifolium genus acetosum, à quo sapore Plinio oxys appellata est; nẽpe quòd sub initium ueris Cuculo canere incipiente pullulet, quam eandem ob causam barbaris alleluya uocatur, & Germaniæ officinis, quod circa paschatis festum, quo lætum hoc canticum in Ecclesia decantatur, erumpat. Panis Cuculi. Oxys. allelhuya.

Braccula Cuculi apud Ruellium est uerbascũlũ, seu primula ueris uulgò, alijs lactuca agrestis, sed malè, eadem, quam antea attulimus, ratione, ita dicta. Vulgò etiam à Germanis Cuculi flos (Gauchbloum) appellatur flos quidam caryophyllo syluestri non absimilis, lychnidis agriæ genus, quam, ni fallor, nos odontidem vocamus, folio multiplici, sed in partes plurimas dissectus & laciniatus. Huius caulem vulgò aiunt Cuculi saliua aspergi. Apparet in eo spuma alba, circa genicula maximè, vt Tragus scribit, in quibus saliuis cicadas gigni arbitrantur. Braccula cuculi. Primula veris. Cuculi flos. Odõtides. Tragopogon.

Alij Sysimbrium Cardamine, florem Cuculi appellant, eadem, vt opinor, de causa. Sysimbriũ Cardamine.

Hieronymus [e] Tragus tradit Germanis tragopogõ siue barbulam hirci vocari Gauchbrot, quasi Coccygis panem ob dulcedinem radicis, quæ si Apitijs perspecta foret, nunquam non acetarijs illam præ cæteris herbis & radicibus insereret. Hinc fortè etiam spumam illam albam, quę instar saliuę, in geniculis eius caulis reperitur, Cuculus aspergere creditur. [e] *L. 1. Hist. stirp. c. 94.*

Apud Brutios propè Roccam Imperialẽ Cotyledon nascitur folio maximo, magnitudine nẽpe pilei non longè à flumine Syri: hanc herbã incolæ herbã Cuculi vocant: Seplasiarij vtuntur in parando vnguento populeo, eiusq; radice ad conterendos lapillos in renibus, quod est secretum rarum. Cotyledon Herba Cuculi.

Græci κοκκύμηλα vocant; & id quidem vt Nicander indicat, quasi κόκκυγος μῆλον. Quid autem Cuculo cum prunis sit, ego me nescire fateor. Panem Cuculi, vt dixi, oxyn Dioscoridis vocant: fieri potest, vt principio, cùm agrestia duntaxat pruna nota essent, Cuculi mala fuerint nominata, id est, digna hominibus tardis, & qui nec domum, nec pomariùm haberent; propterea quòd gustantibus acerba sint & ingrata. Galenus inter alia, quæ suibus potiùs agrestibus, quàm hominibus alẽdis apta dicit, Brabyla numerat: quo loco satis clarè significat, se de prunis nostris agrestibus intelligẽdum. Hæc igitur Cuculi mala primùm dicta existimo, & de horum similitudine idem nomen ad domestica pruna transijsse, quæ iam non Cuculorum solùm, sed hominum etiam elegantium poma vocari mererentur. Posset quis suspicari, ab eo Cuculi mala nominata pruna omnia generatim fuisse, quòd aluum laxam reddant; qualem quamuis & alię Aues, tamen Accipitres præ cęteris maximè habere solent, inter quos Cuculus vix contemptissimus numerari potest, plumis duntaxat similis, cæteroquin timidissimus, & caloris semper indigens alieni. Quamobrem pomum aluũ ciens, Coccygis potuit proprium dici, quòd aluum molliret, & liquidam redderet, & propterea viscera refrigeraret. Hinc & illud videtur factum, vt Siculi & Rhodij omne prunorum genus Brabyla nominarint, quasi βορὰ βόλα, vt Stephanus in linguis rationem assignat: quæ si vera sit, communi vsui, quem Galenus in Brabylorum nomine secutus est, repugnat; cùm hæc potiùs astringant, quàm soluant. Quamuis ergò inter Coccymala & Brabyla illud obseruatum à plerisq; sit discrimẽ, vt illa cultarum arborum sint; hæc syluestrium: Brabyli tamen etymologia illis magis conuenit, quæ aluum lubricam reddunt; Coccymeli contrà illis, quæ succo sunt vehementer astringente, & prorsus inamœno, non alijs, quàm Cuculis pro cibo quærenda, qui tarditate sua in hanc incidunt necessitatem, vt dum ab alijs meliora impetrare nequeunt, cum suibus victum quærere cogantur. κοκκύμηλα. Brabilla. Mala cuculi, & cur sic dicta.

# PRÆSAGIA. AVGVRIA.

Veris præſagium.

CVCVLI certo certius iam hyemem exactam, nec frigus iam amplius pertimeſcendum eſſe uoce ſatis indecora acclamitant. Ita unumquodq; anni tempus ſuam habet alitem, quæ aut aduenisſe, aut iam præ foribus adeſſe id indicare ſolet. Etenim ut [a] Alciatus canit:

[a] *Embl.* 100

Fringilla. Hirundo.

*Aduenisſe hyemem Fringilla renunciat ales,*
*Ad nos vere nouo garrula Hirundo redit.*
*Indicat æſtatem ſeſe expectare Cuculus*
*Autumno eſt tantum cernere Ficedulas.*

[b] *Lib. 2. de opera, & die.*

Agricolas itaque officij ſui admonet tempeſtiuè, ut inquit [b] Heſiodus:

Ημος κόκκυξ κοκκύζει δρυὸς ἐν πετάλοισι, id eſt,
*Quando Cuculus canit in quercus frondibus arandi tempus eſſe.*

Cùm propius ciuitatẽ acceſſerit, & multò magis, ſi intrarit, pluuias uel tẽpeſtates expectandas aſſerunt. Hæc itidem ales inauſpicata quondam habebatur, ut ex F. [c] Leandro noſtro Bononiẽſi etiam liquidò conſtat, qui, dum Luitprandi filius Irprandus in Longobardum regnũ inauguraretur, ideo corona illius indignum refert fuiſſe habitum, quòd Cuculus eo tempore eius haſtæ inſidere viſus eſſet. Quod ex Sabellico Leãder tranſcripſit. Quidam annonæ caritatem timendam eſſe exiſtimant, cùm propius domos, quod cælo frigido facere ſolet, hæc auis acceſſerit. Aud untur apud Germaniæ populos Cuculi plerunq; ad diem uſque D. Iohanni ſacrum: Quod ſi etiam ab illo tempore audiãtur, uuas uix maturitatem conſequuturas metuunt. Apud eoſdem conſuetudo inoleuit, vt qui Cuculum ruri canentem audiant, petant ab eo per ludum, aut ex veteri aliqua ſuperſtitione vt numerum annorum, quos adhuc ſuperſtites uicturi ſunt, ipſi ſpreſagiat. Numerant verò totidem annos, quoties ille ſuum κοκκυ per interualla poſt queſtionem factã repetiuerit. Non ualdè diuerſus mos apud noſtros obſeruatur, ſed alio fine. Solent hi ex eius cantu ducẽdę uxoris tempus percontari, eum boni augurij veteri ſuperſtitione exiſtimantes. Olim enim nuptiarum præſidi Iunoni ſacer erat.

[c] *De Lombardia.*

[d] *Lio. 8. Enead. 8.*

# MORALIA.

Thraſones.

[a] *Prouerb. c. 22.*

CVCVLVS à ſono uocis nomen accepit, eò quòd uoce importuna ſemper ſe ipſum nominat, & non ſemel, ſed continuò nomen ſuum inculcat. Idem faciunt glorioſi Thraſones, & uani iactatores, quibus perpetuò laus propria eſt in ore, contra atque ille præcipit ſapientiſſimus [a] Regum, ubi ait: *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.*

Cuculi ob uolatus imbecillitatem Miluorum ſcapulis ſuſcepti ad nos tranſuolant. Pari pacto & nos, quibus proprijs meritis ad cælum euolare non licet, Chriſti Saluatoris, Deiparę Virginis ac Sanctorum ope innixi, meritisq; eorũ ac ſuffragijs ſubleuati, his ipſis noſmet, noſtraq; omnia concredentes, æthereas & ęternas ſedes petere debemus: iuxta illud [b] Deuteronomij:

[b] *Cap. 32.*

*Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos, portauitq; in humeris ſuis.*

# VSVS IN MEDICINA.

[a] *Lib. 30. c. 15.*

[b] *L. de pond. derib.*

AVIS *Cuculus*, author eſt [a] Plinius, *Leporina pelle alligatus, ſomnos allicit.* Ad canis rabidi morſum aliquos Cuculi fimum laudare decoctũ & potum idem affirmat. Cineres Cuculi, ut tradit [b] Rondoletius, ad dolorem & uentriculi humectationem ualent. Totus enim uritur, & in oleum recipitur, ut fit de uermibus, & auiculis, ut Paſſere, Hirundine, Troglodyte, Motacilla &c. Mirandum refert [c] Plinius (at proculdubio fabuloſum & ſuperſtitioſum) de Cuculo, nempe quo quis loco primùm audiat alitem illam, ſi dexter pes circumſcribatur, ac ueſtigium id defodiatur, non gigni pulices, ubicunque ſpargatur.

[c] *Lib. 30. cap. 10.*

# VSVS IN CIBO.

PVLLVS Cuculi, dum in nido educatur, ab aliena matre, eo tempore præcipuè & pinguis & grati saporis est, inquit [a] Aristoteles. [b] Plinius uerò Cuculi pullo, qui iam uolare potest, nullam auium suauitate carnis comparari attestatur. Postquam uerò per se uiuit, mutare saporem dicitur. Itali nostri hunc in cibum recipiunt, At Germani, ut plerosq; alios cibos nobis etiam frequentissimos respuunt & abominantur. Nam quia spuit, ut uulgò creditur, auem impuram, & excrementitiam iudicant. Quod si Kaath Hebræis Cuculum significat, ut quidam interpretantur (nam alij aliter vertunt) lege etiam [c] Moysis interdictus fuerit.

[a] *6. Hist. c. 7.*
[b] *L. 10. c. 9.*

Germani cur à Cuculi esu abstineant.

[c] *Deut. 14.*

# HIEROGLYPHICA.

PER Cuculum, quia timiditate omnium auium maximè excedit, homo meticulosus, ac minima quæque expauescens designari solet.

Timidorũ typus.

Pulicum quoque extirpationem per Cuculum, & humanum uestigium Magos olim significasse [a] Valeriano placet, quam alioquin etiam expressa origani figura innuunt.

Pulicũ extirpatio.

[a] *L. 25. Hierogl.*

Propter verò insignem eius in nutricem impietatem ingratum designat.

Ingratitudo expressa.

Est & verni temporis signum, id quod vel imperitæ innotuit plebeculæ. Porrò Phœnicibus messem prædicebat & signabat. Ad huius enim cantum seu signo dato Phœnices triticum & hordeum metebant. Cuculum regem Aegyptijs aliquando imperitasse tradunt. Necesse autem est tempestiuiorem multò quam in Græcia aut Italia nostra apud eos messem fuisse.

Veris signũ & messis.

Cucul[9]rex.

Verùm vt paulò maiora canamus, cùm Cuculus Iunoni sacer sit, ut aiunt, atque hæc & nuptias & parturientes curet, ideo Deam ipsam & præcipuè quòd huius forma, in quam Iupiter sese conuerterat, decepta Iouis coniunx esset facta, Cuculi simulachro expressêrunt. Imo verò Iouem ipsum imagine Cuculi, qui Iunonis sceptro insideret, exhiberi voluerunt, quod non alia ratione, vt etiam antea dictum, facilius sorori Deæ fucum facere putasset, quàm sub velo ridiculæ auis huiusce quam ipsa ceu ludicrum quid veneraretur, & in gremium secura admitteret. Meminit huius fabulæ [b] Pausanias.

Iunonis simulacrum.

[b] *In Corinthiacis.*

# PROVERBIA.

OLIM qui fuissent in re quadam parum honesta deprehensi, vulgari probro Cuculi dicebantur. Id ortũ à vinitoribus, qui seriùs cœpissent putare vineam, nec hoc munus absoluissent, priusquam Cuculus audiretur, veluti cessationem exprobrans agricolis, cuius vocem imitantes viatores, vinitores deridebant. Ita [a] Plinius: *In hoc temporis interuallo* (inquit) *quindecim diebus primis agricolæ, rapienda sunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non sufficerit, dum sciat inde natam exprobrationem fœdam putantium uites per imitationem cãtus altis temporarij, quem Cuculum vocant. Dedecus enim habetur, opprobriumq; meritum falcem ab illa volucre in vite deprehendi, vt ob id petulantiæ fales etiam in primo vere ludantur. Auspicio tamen detestabiles videntur. Adeò minima quæque in agro naturalibus trahuntur argumentis.* Ex his Plinij verbis intelligi possunt hi [b] Horatiani versus:

Cuculi qui dicti.

[a] *L. 18. c. 26*

*Tum prænestinus salso, multumq; fluenti*
*Expressa arbusto regerit conuitia, durus*
*Vindemiator, & inuictus, cui sæpè viator*
*Cessisset, magna compellans voce Cuculum.*

[b] *L. 1. Serm. Sat. 7.*

Simili sensu [c] Ausonius:

[c] *In Mosella.*

——*Vnde viator*
*Riparum subiecta terens, hinc nauita labens*
*Probra canunt seris cultoribus.*

Horatij locum Porphyrio explicans: *Nam solent,* (inquit) *leuia* (fortè legendum lenti pro leuia) *rustici circa viam arbusta vindemiantes à viatoribus Cuculi appellari: quum illi prouocati tantam verborum amaritudinem in eos effundunt, vt viatores illis cedant, contenti eos Cuculos iterum atque iterum vocare.* Huc [d] Pierij Valeriani verba ex hieroglyphicis, quod ad hoc argumentum declarandum non modicum sint allatura lucis, ascribere non pigebit. Ego, inquit, cum Octobri mense Roma Neapolim proficiscerer, in huiusmodi locos incidi, per continuum diem conuitijs huius-

[d] *Lib. 25. Hierogl.*

modi delectatus: quare cum Acrone dicere poſſumus, hoc autem ipſa re nouimus, quemadmodum viatores, quos in itinere vindemiatores per agros conſpexerint, conuitijs agitare gaudeant, illiq; ita reſpondere, vt Cuculos eos appellent, quaſi pigros, ignauos ſcilicet & nihili homines. Sed hoc parum eſt, & quod à Porphyrione dicitur, ſubfrigidum: Hodie ſiquidem res agitur conuitijs & calumnijs etiam vehementioribus. Viatores enim eos nũc pulterones, nunc cornutos, nunc alijs atque alijs probris inceſſunt: illi contrà ſiue ciuis, ſiue magiſtratus, ſiue rex ipſe occentare cœperit, omne opprobrij genus regerunt, tegendisq; retectis turpiſſima quæq; minitantur, præſertim ſi celſiſſimis, quę, tota regione ſunt, arboribus inſederint: quãuis id impunè toto agro Cãpano, Neapolitanoq; tempore vindemiæ licet, ne quid libero libertatis detrahatur. Atq; hoc illud eſt, quod Flaccus ait: *Durus vindemiator, & inuictus, cui ceſſiſſet ſæpè viator.* At quod Horatius de vere, cùm putandi vites tempus eſt, dixit, Pierius ad vindemiam tranſtulit, cùm Cuculus non canit. Quo tempore petulantiæ illi, quos Plinius appellat ſales, etiamnum apud alias nationes licet agnoſcere. Vernis enim menſibus quum auditur Coccyx mariti mutuis ſalibus inter ſe ludunt, dicentes, tibi canit hæc auis. Quod quidem Gallis eſt familiare ſignificantibus vxorem parum diligenter eſſe cuſtoditam. Quum tamen potiùs Curucæ, vt diximus, nomen talibus competat: Cuculi verò hiſce, qui fidem coniugalem vxori datam non ſeruant. Quin & [c] Plautus ſic introducit vxorem conuiciantem marito cum amica deprehenſo.

Pultrones.

Horatius declaratus.

Sales.

Curucæ q dicendi, & qui Cuculi.

[c] *In Aſinaria.*

*At etiam cubat Cuculus. Surge amator, i domum.* Et mox:
*Cano capite te Cuculum vxor ex lustris rapit.*

Quod verò Acron viatores Cuculos appellari ait tãquã pigros, cum hoc cõuenit Plautinum.

*Etiam cubat Cuculus, quod granatum ſurgeret aſſertor puellæ.*

[f] *In Pſeud.* Quin videri poteſt in conuitio Cuculi alluſum ad uocem cubandi. Et [f] alibi pro generali conuitio videtur uſurpaſſe. *Quid ſtes Cucule, vines?* niſi fortè lachrymantem ac ſingultientem amatorem Cuculum uocet, quaſi κοκκύζοντα. Similiter [g] alibi:

[g] *In Mercat.*

*Iſtæc filio non credam, qui obſequitur patri, huic non, vt mero Cuculo.* Itidem [h] alibi:

[h] *In Perſa.*

*Tua quidem Cucule cauſa, non hercle ſi os præciderim tibi.*

Cuculi, κόκκυγες de ijs, qui cùm pauci ſint, multi numero eſſe uidentur, dici ſolet Heſychio & Varino authoribus. Cuculi nimirum dici poſſunt, qui ſtrepitum, clamorem, aut oſtẽtationem magnam exercent, cùm reipſa parum aut nihil ſint, aut præſtare poſſint. Coccygis cantus, de ijs qui eadem ſemper ingerunt. Et cantilenam eandem canere, prouerbiale dictum eſt apud Latinos, quod & Germani uſurpãt: Du ſingeſt yemer ein geſang, vuieder guckguck, id eſt, cantilenam ſemper eandem repetis inſtar Cuculi. Ipſe ſemet canit: In iactabundos ſui ipſorum prædicatores. Huic affine eſt illud Germanicum: Der guckguck muſſim ſelbeſt ſein ergycht auſſruoffen. Aries nutricationis mercedem perſoluit: de homine ingrato. Impetit enim cornibus etiam altorem ipſum. Eiuſdem apud Germanos ſententiæ eſt illud. Du loneſt mir Vuie der guckguck dem gorſem, id eſt, mercedem mihi rependis, qualem Corrucæ Cuculus. Cuculus ſemper in alieno nido parit, nunquam bis in eodem: Der guckguck legt ſtaetz in ein ander neſt. Videtur torqueri poſſe in hominem improbum & aſtutum, ſed cuius doli facilè deprehendantur, ut nemo iterum ab eo decipiatur. Quanquam & aliter interpretari licet, Cuculum ſemper in alio (id eſt, ſimpliciter alieno) nido parere. Hæc Teutonica pleraq; prouerbia Ornithologus citat. Aſtutior Coccyge dicebatur, qui aſtu ſibi conſuleret. Sumptum ab auis ingenio, oua quæ ipſa fouere non poteſt, in nidos alienos ſubijcientis, quo in ſterilitate propria, & nullo quidem ſuo labore ſpecies nihilominus conſeruetur.

Thraſones.

Coccygis cantus.

Iactabundi.

Ingratus.

Improbus & aſtutus.

Aſtutus.

# EMBLEMATA.

[a] *Embl. 60.*

EMBLEMA eſt apud [a] Alciatum, quod inſcribitur Cuculus, huiuſmodi.

*Rurtcolas agreſte genus, plerig, Cuculos*
*Cur vocitent, quænam prodita cauſa fuit.*
*Vere nouo cantat Coccyx, quo tempore vites*
*Qui non abſoluit, iure notatur iners.*
*Fert oua in nidos alienos, qualiter ille*
*Cui thalamum prodit vxor adulterio.*

# APOLOGI.

CVCVLVS & Philomela eodem cantant tempore, uerno ſcilicet ab Aprili medio uſque ad exactum Iunium, aut eò circiter. Hæ duæ aues in contentionem uenerunt de ſuauitate concentus. Quæſitus eſt iudex. Et quia de ſono erat certamen, aptiſſimus uiſus eſt ad eam cognitionem aſinus, qui præter cæteras animantes magnas haberet auriculas. Aſinus repudiata Luſcinia, cuius ſe harmoniam negabat intelligere, uictoriam Cuculo adiudicauit. Philomela ad hominem appellauit, quem ubi uidet, agit ſtatim cauſam ſuam, canit diligenter, ut illi approbet uindicandam iniuriam ab aſino acceptam. Cuculi & Luſcinię cõtentio de cantu.

Apologus alius eſt apud [a] Plutarchum, in quo Cuculus inducitur minores aues percontari, quare fugerent ſe conſpecto, qui nullam præ ſe ferat ferocitatem. Quoniam, reſponderunt, ſuſpicamur te aliquando futurum Accipitrem. [a] *In vita Arati.*

# FABVLOSA.

THEOCRITI Scholiaſtes enarrans hoc carmen poëtæ, *πάντα γυναῖκες ἴσασιν, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγετ' Ἥρᾳν*, hoc eſt, *omnia nouerunt fœminæ, etiam vt Iupiter Iunonem duxerit*, cuius uſus adinſtar prouerbij haberi poſſe uidetur. Ariſtoteles (inquit) in libro de Hermiones templo, Iouem fabulatur, cùm Iunonis ab alijs Dijs ſeparatę concubitum inſidiosè quæreret, in Cuculi formam latere uoluiſſe, & conſediſſe in monte, qui prius Thronax ſeu Thornax dicebatur, nunc uerò Coccyx, & cùm Iuno ſola proficiſcens ad eundem montem perueniſſet, Iouem nimia tempeſtate excitata, ad Iunonem quieſcentem eo in loco, ubi nunc Iunonis pronubæ ſeu nuptiarum præſidis ædes eſt, deuolaſſe, frigenti rigentiq; ſimilem, & in Iunonis genibus inſediſſe: miſertam eam auis ueſte obtexiſſe, tum illum priſtinam formam reſumpſiſſe, & cùm Iuno copiam ſui negaret, quòd matrem timeret, Iouem ſe illi maritum fore promiſiſſe. Alij referunt primò repulſum à Iunone excuſſo peplo, at illum ſtatim mutata facie ab ea acceptum fuiſſe. Vnde præcipui Argiuorum hanc Deam colebant, cuius ſimulacrum, quod in alto ſolio poſitum erat, Cuculum ſceptro inſidentem manu tenebat. Thronax, ſeu Thornax mons. Iunonis tẽplum vbi.

# Appendix ad Hiſtoriam Aeſalonis.

Antequam ad Falcones noſtra transferatur oratio, viſum eſt Aeſalonis iconem, quam per incuriam, ac feſtinationem ſuo loco, folio videlicet huius libri 355. prætermiſimus, priùs hoc loco exhibere. Eſt autem auis forma & magnitudine Accipitri Sparuerio non diſſimilis; colore uerò planè alio. Totum enim dorſum à ceruice ad vropygium uſque ferrugineum eſt, etſi tamen pennæ eius omnes luteſcant: Cauda eiſdem coloribus conſtat, ſed uelut ex latrunculis modò ferrugineis, modò luteis compoſita. Roſtrum cæruleum, breuiuſculum. Pupilla oculorum nigerrima: iris lutea: Vertex ferrugineus: Ceruix modò ferrugineis, modò albis maculis maiuſculis deorſum uergentibus inſignita. Collum candicans lineis ferrugineis, quæ etiam deorſum tendunt, reſpergitur. Pectus & totus uenter, necnon & coxæ eiuſdem quidem coloris ſunt, ſed pro lineis maculas, eaſq; grandiuſculas habent. Tibiæ & digiti pedum crocei ſunt, & tabellis inſigniti. Vngues robuſti, nigri & hamati. Dorſum. Cauda. Roſtrum. Oculi. Vertex. Ceruix. Collum. Venter. Tibiæ.

## Sequitur Aeſalonis Icon.

VLYSSIS

Finis Libri Quinti.

# VLYSSIS ALDROVANDI
## PHILOSOPHI, ET MEDICI
## BONONIENSIS
## ORNITHOLOGIÆ
## Liber Sextus.

Qui est

## DE FALCONIBVS IN GENERE.

QVANQVAM Falconis nomen recentioribus quibusdam scriptoribus necnon huius tempestatis Accipitrarijs variarum nationum adeò latè pateat vt omne Accipitrum genus sub se comprehendat, vti ex capite de nomenclatura patebit, nos tamen, vt tam vocum, quàm rerum confusionē (in quo semper summo studio incubuimus) euitaremus, generali hac significatione, tanquam minus propria neglecta, præcipua ipsius significata hoc tractatu prosequemur. Etenim quæ ad Falconis nomenclaturam, quatenus omnes Accipitres denotat, pertinent, ea in Accipitrum tam generali, quàm particulari historia pertractantur, atque etiā multa, quæ Falconi, tanquam Accipitris speciei congruunt. Reseruata autem sunt huic peculiari tractatui ea potissimùm, quæ strictiùs accepta, solis Falconibus, generatim tamen, sunt peculiaria. In tanta enim scriptorum, qui diuersa adeo significatione vocibus vtuntur, & vocum ipsarummet ambiguitate, fieri vix potest, vt non aliquādo, quod speciei proprium est, toti generi attribuatur, aut contrà, cùm sæpe certò constare non possit, qua significatione, largane, anstricta, apud eum authorem, è quo excerptus est locus, dictio ea accepta sit. Sed neque in hoc ipse error seu peccatum adeò enorme committitur, si quæ de toto genere vera sunt, de specie dicantur, aut vice versa, non tamen hoc vniuersali, sed indefinita enuntiatione. Quare ignoscet æquus lector veniam præfatis, si pleraq; Falconibus & Accipitribus communia, in Accipitris historia retulimus, aut hîc etiam nonnulla referri videbit, quæ ad Accipitres quoque accommodari possunt. Hoc autem incommodum, quod alia ratione euitari non potest, ita corrigi, aut sarciri poterit, si utraque historia perlegatur ab eo, qui curiosiùs huius uel illius historiam inquirit.

## ÆQVIVOCA.

FALCONIS nomen, etsi recens, multis tamen rebus, idq; uaria ratione commune factum est, nempe aut analogia, aut alia quadam de causa.

In primis stellarum imago, ordine septima, vt auctor est [a] Franciscus Iunctinus, Falco uocatur, quæ alias quoq; lyra seu fidicula, chelysuè, tympanum, Vultur cadens, & testudo dicitur. Sidus hoc decem stellis cōstat, quarum laudatissima est, quæ lyra propriè appellatur. Falco stella.

[a] *In sphæra.*

Auripigmēti etiam quædam species, quā in meo musæo asseruo, Falco neotericis dicta est. Auripigmētum Falco dictum.

Mugil alatus ex piscibus squamma tectis, quibusdam Miluus, quibusdam Falco propter volatum nuncupatur. Falco piscis

Fuit etiam nomen viri celebris, cuius [b] Xyphilinus meminit. Falco Vir.

[b] *In Pertin.*

Germani & Itali bombardarum, siue tormentorum bellicorum genus quoddam Falcones appellant. Falco tormentum.

Fuit

Falco ſignũ militare.

Fuit & militare ſignum aliquando eo nomine dictum.

Promõtorium Gaditanum.

Promontorium quoque Gaditanum hoc nomine venit, cuius [c] Sabellicus meminit, ſub nomine Falconis promontorij.

[c] *In ſupplc. Hiſt.*

Falcones q̃ Aues dicte.

Denique, vt propius ad rem accedamus, Falconis vocabulo, vt Auem ſignificat, adeo generatim uſi ſunt authores multi, ut non ſolùm omne Accipitrum genus, ſed & rapaciũ omnium ſub ſe contineret, ſuaq; ſignificatione includeret. Ita Aquila, Theodotion, & Symmachus apud [d] Albertũ aues oẽs, quarum in uenatu uolatico uſus eſt, Falcones uocant. Et ipſe Albertus; alijque recentiores, ut Creſcentiẽſis, Niphus Merillos ſeu Aeſalones & Accipitres Palumbarios, Falcones uocant. Pari pacto nomen Falco Gallis, authore [e] Bellonio ad omne Accipitrum genus deſignandum extenditur, haud ſecus quàm Græcis Hierax, & Latinis Accipiter.

[d] *Lib. 23. de Anim.*

[e] *Lib. 2. de Auib. c. 18.*

# SYNONIMA.

Daah.

[a] *Cap. 7.*

[b] *Cap. 14.*

APVD Hebræos דאה daah Auis nomen in [a] Leuitico per daleth, ſed in [b] Deuteronomio per rauh ſcribitur. Hoc eruditus quidam Falconem ſignificare ſuſpicatur. Alij tamẽ aliter interpretantur quidam enim Vulturem, alij Miluum uertunt. Et nominis quoq; ratio generalis eſt, & alijs poteſt accommodari. Nam verbum דאה celeriter uolare ſignificat. Rabbi Salamon כוס Kos in [c] Deuteronomio interpretantur פלקין, id eſt, Falconem, ſed Bubo potiùs aut alia Auis nocturna hac uoce ſignificatur, ut in Bubone oſtendemus.

Kos.

[c] *Cap. 14.*

Falconis nomen quo intelligendũ.

Græcum huius Auis nomen apud alium nullum authorem præterquam Suidam reperitur, qui ita ſcribit: φαλκων, φαλκωνος, *nomen & ſpecies Accipitris.* Hæc uerba Bellonius ita intelligit, tanquam ſi Suidas dicere uelit id nominis Accipitri ſimpliciter, & generatim dicto competere, & præterea etiam uni tantùm peculiare eſſe ſpeciei. Ornithologus uerò uelle uidetur, ut dictio hæc (nomen) ad ſubſequentem (ſpecies) referatur, ſubaudiaturq; proprium, ut dicatur, nomen non Accipitris ſimpliciter, ſed vnius tantùm ſpeciei, & hoc quidem, vt mihi videtur rectiùs. Neque mirum eſſe debet, nuſquam alibi id nomen Græcè legi. Nam verè Græcum non eſt, ſed Latinę originis, & à Suida è Latio in Helladem trãſlatum Græca terminatione ipſi afficta. Latinos eſſe ei natales arguit nominis ratio. Nam Feſtus Falconem dictum eſſe vult à pede introrſum arcuato, ſeu à falcato vnguium hamo, id eſt, falcis in morem adunco, intorto, atque acuto. Nam ſimili cauſa falculæ dicuntur Pardorum, & Pantherarum extremitates vnguium, in falcis formam incuruatæ, quia apprehenſa integra corpora dilaniant. Alioquin Falconis nomen pro hac Aue non eſt admodum vetus. Falcones & Aſtures nominantur à [d] Firmico. Seruius quoque Grammaticus Virgilij Scoliaſtes Falconem commemorat. Antiquiori vocabulo Thuſcis Campanis vernacula lingua Capys dicebatur. Vnde Campaniam vel potiùs Capuam ciuitatem à Thuſcis conditam viſo Falconis augurio denominatam idem Seruius tradit. Id ipſum aſſerit Feſtus inquiens: *Capuam in Campania quidam appellatam ferunt à Capy, quem è pede introrſum curuato nominarunt antiqui, Falconem noſtri vocant: alij à planitiè regionis:* [e] Virgilius quoq; Capyn virum appellat, à quo nominata ſit Capua. Itaque Capys & viri & Auis nomen fuerit, vti etiam Falco. Blondus in Latina regione, quos nunc Falcones nominamus à Plinio Chiluones vocari ſcribit, cùm tamen id vocabuli apud Plinium nuſquam ſit reperire. Latinum Falconis nomen plerique Europæ populi acceptum retinuerunt. Italis enim Falcon uel Falcone dicitur, Gallis Faulcon, Germanis Falck, Belgis Valck, Hiſpanis Halkon, Illyrijs Sokol.

Etymologia.

[d] *L. 5. Matheſ.*

Capys.

[e] *Aen. 10.*

Capys vir.

Chiluones.

Falcone.

Faulcon.

FalcK.

ValcK.

HalcKon.

SoKol.

# GENERA. DIFFERENTIÆ.

Paſſagers ſeu migratores.

Cãpeſtres.

Riparij.

Marini.

Littorales.

HARDIVVS & Bellonius generica quadam attributione Falcones in tres claſſes partiuntur, vt ſcilicet à loco ſumpto diſcrimine, alij dicãtur Paſſagers, id eſt, migratores ſeu commeatores, ſub quo genere omnes qui ab exteris, & procul diſſitis regionibus ad nos migrant, & peregrini ſunt, continentur: alij verò campeſtres, qui ſecundum ab illis bonitatis locum obtinent, & Aues mediæ magnitudinis, quæ ruri degunt, vt Columbas, Perdices, Turdos, & minores etiam ex agris uenantur, maiores verò, quales ſunt Cygni, Anſeres, Ardeæ, Anates, Phaſiani, Otides, non aggrediuntur, ſed peregrinis illis, quos migratores vocauimus, relinquunt. Tertium verò ac vltimum genus, Riparij appellantur, quòd in ripis, aut littoribus degentes ex aquis victum ſibi quærant, qui varia etiam pro locorum diuerſorũ ratione nomina ſortiuntur. Italis enim marini dicuntur, quod in maris littoribus & in maritimis habitent, vnde & littora-

lium

ſium nomen accipere poſſunt. Galli, qui iuxta flumina agunt, fluuiatiles, qui circa lacus, lacuſtres indigite voce Faulcon de mareſt, vel riuiereux appellant. Hoc genus, quia piſcibus tantùm, aut in littore ab aqua deſtitutis, aut Laris ereptis victitat, omnium ignobiliſſimum cēſetur. Fluuiatiles. Lacuſtres.

Alij denique Gallis peculiari nomine Faulcons de repaire vocantur, ſcilicet a loco quopiam, in quo paſci ſoliti, eſcæ illecebra capti fuêre. Repaire enim Gallis diuerſorium ſeu domicilium ſignificat, non uerò, ut uir quidam doctiſſimus putauit, paſtum. Hoc enim non repaire, ſed repaiſtre dicunt. Faulcōs de repaire.

Ad primum, arbitror, genus pertinent, quos ijdem Galli, Haultains uocāt, id eſt, ſublimipetas, item quos Heronniers ab Ardeis, & Gruiers à Gruibus capiendis denominarunt. Haultains. Herōniers. Gruiers.

Albertus magnus non diſſimili ratione, ſententiaq; triplex Falconum Genus facit, unum nobile, cuius decem ſpecies ponit: ſecundum ignobile, eius tres tantùm: tertium inter utrumque medium, quod promiſcuo generoſorum & ignauorum coitu progenitum utriuſque naturam participat, & hoc ipſum triplex. In prima claſſe[a] enumerat Falconem ſacrum, Hierofalcum, Falconem montanum, peregrinum, gibboſum, album, rubeum, cyanopodam, arborarium & lapidarium. Ignobiles Buteones, & Lanarios, Tinnūculoſq; vocat, hac in parte Falcones cum Accipitribus perperam confundens. Tertij ordinis Falcones Hybridas meritò appelles: quo nomine Cicero Antonium vocauit, altero parente nobili, altero ignobili natum inſinuans, ſed nullas nominatim ſpecies exprimit, quòd eorum quotidiè nouo partu variantium nulla certa ratio iniri poſſit. Huic numero Itali, inter quos eſt Carcanus, qui vulgari idiomate de rapacibus ſcripſit, adijcit Germanos & Tunetanos. Sed, niſi me mea con'ectura fallit, Germani cum Cyanopodis ijdem ſunt, & qui è Tunetano regno Africę apportantur, ad peregrinos non malè referentur, vti ſuis locis, adductis rationibus docebitur. Nos vnum incerti generis, quem à colore totius corporis leucopheū ſeu ſubcęruleū appellamus, prętерea & Indū vnū addemus. [a] *Lib.* 23. Hybridæ qui ſint. Antonius. Hybris dictus. Germani. Tunetani.

Hi omnes rurſum, quemadmodum & Accipitres, in triplici ſunt differentia, quæ ab ætate ſumitur. Ab hac alij vulgò à colore infumato dicuntur Sori, id eſt, Hornotini, eodem anno nati, qui antequam deplumeſcant, manſuefiuut, ſi ſtatim à relicto nido capti ſint. Tales præſtantiſſimi putantur ad diſciplinam. Alij nidularij manſuefactarijs vulgò vocantur, vulgò Italis Nidaſi, Gallis Nyez, Germanis Neſtlingen, quòd ſtatim à nido domi noſtræ adoleuerint. Alij ramales dicti ſunt, Italis mutarami, Gallis ramage aut branchiers eſtlingen, qui nondum plenè adulti circa nidum ramulatim obuolitant, hi nidularijs celeritate prævalent. Alij demum mutati vulgò uocantur, qui vel deplumes ſunt, vel plumam veterem cum noua iam commutarūt anniculi, vel bimi, trimi, aut his prouectiores. Huiuſmodi plerumq; ſunt peregrini, nunquam uerò nidularij, utpotè cùm alibi in regionibus longinquis adulti ad nos aduolent, ideoq; uolaciſſimi ſunt, ſed ad obſequium contumaciores. Quodſi hornotinos eſſe contigerit, aut quos Itali Marzarolos, quòd Martio menſe capti fuerint, appellant, præſtātiores proculdubio euaſuri ſunt. Tunc enim ramalium naturam nonnihil redolent. Sori ſiue Hornotini. Nidularij. Nidaſij. Nyez. Neſtlingē. Ramales. Mutarami. Ramage. Branchiers eſtlingen. Marzaroli.

Quomodo uerò nidularios dignoſcas à ramalibus, his ferè uerbis docet Fridericus Imperator; Nidularij, inquit, uix educari poſſunt, quin aliquā læſionem incurrant: quod ſi uerò fortè non lædantur, fieri tamen nequit, ut pēnas producant, quales ramularij, inſignes nempe, ſplendentes, uirides, & corpori proportione æquali reſpondentes: contrà uerò uel corroſæ eſſe ſolent, uel alio quodam uitio infectæ. Cuius rei ratio iſtæc aſſignatur, quoniam ab hominibus minus diligenter, & cum minori cura quàm à parentibus educentur, aereq; impuriori, quàm apud illos, apud homines uti cogantur. Cæterùm color pedum & ſuperioris roſtri pars in nidularijs magis albicat: ungues uerò & roſtrum obtuſiores, & minus ſplendentes; ipſi autem magis queruli, & ore hiant; dum paſcuntur, ueluti quodam horrore afficiuntur, pennas ſuas concutientes. Nidulariū diſtinctio à ramarijs.

Falconum denique aliud diſcrimen inſtitui poteſt, ut alij dicuntur magni, quales ſunt Hierofalcones, peregrini, & eiuſcemodi: alij mediocres, alij parui, alij longi, alij corpulenti, craſſiq;, alij teretes. Denique cùm in uniuerſo genere, tùm etiam in ſingulis pleriſque ſpeciebus, magna reperitur colorum uarietas, nonnunquam quintuplex. Nam peregrinorum necnon aliorum quidam ſunt rubicundi, alij fuſci, alij maculoſi. Differentię à forma corporis. A colore.

# NATVRA. DESCRIPTIO.

IFALCO haud dubiè Accipitrini generis eſſe cognoſcitur, ſed nobiliſſima ſpecies eſt, & animo & audacia reliquis plurimùm præſtat. Qua verò ratione, quibuſue notis ab alijs rapacibus & Accipitribus dignoſci queat, & diſtet, ex deſcriptione eius liquebit. Quandoquidem verò nemo vnquam Falconem in genere exactius deſcripſerit, quàm [a] Albertus, itaq; huius verbis libenter vtemur, ne ſenſum in vllo immutemus. Falconũ, inquit, conueniẽs color eſt, habere maculas nigras in maxillis, vel, vt alibi idem ait, guttas in facie nigras, & albas circa oculos, vtrimque ex vtraque parte roſtri; & cilia habere nigra, & cinereum ſubnigrum colorem in cranio, & dorſo & ſuperiore colli, & exteriore alarum parte, & caudæ etiam exteriore, & in alijs paſſim partibus varium eſſe, & quaſi virgulis interruptis quandoque, imo ſemper habere nigredinem pro colore vno. Sed primo anno ſecundus color ruffus eſt remiſſæ rubedinis. Abeſcit autem deinceps paulatim, eò amplius ſcilicet, quò pennas ſæpius mutârit. Color oculorum admodum flauus eſt ſeu croceus, ita vt ad rubedinem accedat: pupilla nigricat. Color pedum optimus croceus, multùm declinans ad albedinem. Nã quò minus albeſcunt, eo ignobilior eſt Falco. Quod ſi vergat ad colorem cæruleum, is quoque ignobilis, quamuis ſecus alij ſentiunt. Quanquam autem diuerſæ Falconum ſpecies, iam dictis pedum & pennarum coloribus differũt: in genere tamen colores iſti Falconi conueniunt. Capitis quidem color iam dictus, conuenit etiam quibuſdam nocturnis Auibus rapacibus. Sed quoniam figura, id eſt, forma & ſpecies corporis magis, quàm color ingenium ſeu complexionem indicat, idcirco excluduntur illa ſimpliciter à Falconum nobilitate. Quod ad corporis figuram attinet, omnibus Falconibus in genere conuenit craſſius habere caput, & collum breuius, & ſimiliter craſſius, breuiusq; roſtrum & pectus maius cum oſſe pectoris acuto. Quoniam autem Falconis eſt ictu pectoris percutere, largita eſt ei natura anterius in pectore os latum, triangulare, validum, cuius prominens & rectus angulus in ſuperiori parte pectoris eſt perquam durus & firmus. Peculiare præterea eſt Falconi alas longiores & caudam habere contractiorem, crura breuiora, ac fortiora proportione ſui corporis, quàm cæteræ Aues rapaces. Eodem modo reliquarum partium poſitã à nobis deſcriptionem per comparationem ad alias Aues rapaces accipi volumus. Quanquam verò dixerimus caput debere eſſe craſſum, non tamen enorme caput laudamus, quòd hoc accedat ad ſpeciem Auium nocturnarum, quæ omnes capita habent enormia, timidæq; ſunt, magnitudine capitis, materiæ potiùs abundantiam, quàm virtutis excellentiam indicante. Præterea neque omnino rotundum caput probamus, quòd in concauo ſphærico nimis diffluant ſpiritus. Sed cùm in Aſture capitis pars anterior longiuſcula ſtringatur paulatim, & terminetur in roſtrum, ſicut & Aquilæ caput, caput naturale Falconis neque oblongum eſt, neque ſtringitur, ita ut roſtrum fermè videatur ſphæræ appoſitum, & frons eius ex rotunditate dilatari. Superior cranei pars à rotunditate deficit, & hæc capitis planities in ſummo vertice ſemper laudatur. Maxillares partes benè rotundæ & breues ſunt, quæ quidem ſpecies eſt humidi cholerici, benè mobilis & benèaudacis. Nam & Falconis inter Aues proprium eſt, citò moueri in prædam, & non diſcernere, & plus audere, quàm poſſit. Idem dixerim de colli breuitate. In genere enim breue eſt collum Falconis, magis quàm Aquilæ, Aſturis aut Niſi. Sed nimia breuitas vituperatur, phlegmaticam enim frigiditatem, aut melancolicam ſiccitatem ſignificat, & ad proprietatem Auium nocturnarum accedit. Ferè autem quodcunque animal ſpeciem alterius refert, ingenio quoque & moribus ad id accedit. Et licet crura breuia eſſe debeant, coxæ tamen ſint longæ & benè pennatæ. Pes benè patulus, digiti fortes, præcipuè in nodis articulorum, & vngues validi, magisq; aliquantulum curuati ad intetiorem pedis partem. Similiter denique caudam non ſimpliciter breuem probamus, ſed comparatione facta ad Aſtures & Niſos. Nimis enim breuis, Noctuæ aut Bubonis referret. Sit igitur longitudo eius tanta, vt compoſita alæ ſe ſuper caudam extendant, aut ferè attingant in extremo longiorum anteriorum pennarum, & ab illa coniunctione cauda non multùm deſcendat, nec dependeat, ſicut Aſturis & Niſi. Nam cauda longa ſpinę dorſi medullam nimis humidam indicat, & timiditatem arguit. [b] Petrus Creſcentienſis laudat in Falcone caput rotundum, ſpatulas amplas, pennas alarum ſubtiles, coxas longas, tibias breues, & craſſas, pedes liuidos, & ſparſos. In his ab Alberto nonnihil variat, qui caput probat mediocriter craſſum, pedes latos, ſparſos, & macros, pennas alarum remiges longas. Et Falconem laudat, qui frequenter pedes ſuos reſpicere ſolet. Huiuſmodi dotibus præditus plerunque alijs, in quibus

eæ deſi-

[a] *Lib. 23.*

Color.

Oculi.

Pedes.

Figura.

Cur pectus latum habeat.

Caput, ciuſque partes.

Collum.

Coxæ.
Pedes.
Cauda.

[b] *L. 10. c. 7.*

eæ deſiderantur, præfertur. Fit tamen, vt qui è contrario, aſpectu maximè deformes ſunt, optimi aliquando reperiantur. Vnde Falconum præſtantia ſolo experimẽto exactè cognoſcitur. Iconem, quam dedimus, cùm Ornithologus in generali Falconũ hiſtoria collocauerit, & nullum peculiare nomen dederit, nobis etiam hîc ponere placuit.

## LOCVS.

Vbi optimi Falcones gignantur.

MAXIMVM, prẽſtantiſſimum, ferociſſimumq; Falconum genus, & quidem magno numero in regionibus ad ſeptentrionẽ poſitis reperiri omnes ſcribũt. Cuius rei ſaltem veriſimile rationem in Accipitre reddidimus. Nam in Suetia & Liuonia, quæ pluſquam ſupra ſexaginta tres gradus ab æquatore diſtant, vt ex tabulis geographicis patet, frequentes admodum, & audaciſſimos gigni tradit, & inſulas maris glacialis Falcones plurimos producere author eſt Paulus Venetus. E Moſcouia quoque & præſertim Pecerra huius regione, Tartaria, Ruſſia, Ruſſia, magna Falconum copia, & quidem generoſorum admodum ad nos apportatur. Reperiuntur quoque albi & optimi in Boſnia à Boſna fluuio uocata, habitantq; montes altiſſimos & inacceſſibiles. Hybernia quoque eidem polo artico ſubiecta, quam hodiè Irlandiam vocant, Oceani inſula, Britanniæ collateralis, multos producit Falcones, aliasq; ſimiles rapaces aues. Denique in tota Septentrionali plaga, Sarmatia tota, finitimisq; regionibus optimi, pulcherrimiq; abundè reperiuntur. Orientis præterea regiones Aegyptus, Aſſyria, Perſia, inſulæq; ad Orientem ſitæ, Cyprus, Creta, Rhodus Falcones optimos ferunt. Ea quoque Africæ pars, quæ Tunetanum hodiè regnum vocatur, & Græcia, necnon Liguſtici maris inſulæ, Sardinia, Corſica, & Herruſci ex Hua præſtantes mittunt. Producit item & Italia in Apennino, Germania in alpium iugis, & Gallia in Pyrenæis & alibi, alios alijs præſtantiores. Plerunque verò in altiſſimis montium rupiumuè verticibus, aut ſyluarum excelſis arboribus, ut quercuum ramis degunt, & aliquando in ſyluarum lateribus, vnde promptiùs ad paſtum in agros euolare poſſint.

Falcones albi vbi.

Cur in mõtibus & ſyluis agant.

## VOX.

FALCO vocem edit, vt inquit Albertus, plerunque craſſiorem & prolixiorem, & quæ ab acuto in grauiorem procedit, magis quàm Aſturum vel Niſorum, id eſt, reliquorum Accipitrum, imo quàm Aquilarum etiam, quibus acuta eſt.

## VOLATVS. PVGNA.

Volandi ritus.

FALCO mira quadam volandi ratione cùm in principio, medioq;, tùm in fine ſuę uenationis vtitur. Primùm enim præda conſpecta in gyrum ſeſe rotando altum æthera conſcendit, & fixo in eam intuitu deorſum obliquè ſeſe præcipitat. In viſam Anatem, Anſeremuè aut Gruem inſtar ſagittæ, aut iaculi clauſis, cõtractisq; alis ruit, ac ungue poſteriore lacerat. Scire autem licet non omnes rapaces ſimili pacto prædam inuadere, capere, & laniare. Quædam enim rectà & in longum volant, nec alta petunt, cùm prædam prehendũt, & ſimulatq; Auem ceperunt, non expectant, donec exanimata ſit, ſed roſtro ilicò uellicare & lacerare incipiunt, quibus plus roboris in unguibus eſt, quàm in roſtro. Huius generis ſunt Aſtures, Niſi, ſeu Sparueri. Aliæ uerò, cùm prædam captant, ex alto in eam magno impetu decidunt, feriunt, atque hoc modo cõficiunt: Vnguibus arreptam uinctamq; iugulum & colli uertebras roſtro diffringunt, quòd in eo maiorem uim habeant, quàm unguibus. Roſtro itaq; prædam dilaniãt, neq; uerò prius mordere, aut uorare incipiunt, quàm prorſus mortuã conſpexerint. Hanc conſuetudinem, ac naturam habent Aquilæ, & Falcones, necnon & Aeſalones, & fortè etiam Lanij maiores, minoresq;. Falco enim, ut Albertus, ubi ipſius uenãdi modum enarrat, docet pulchrè, vbi ad prædam inuadendam pergit, tum celeri uolatu in ſublime aſcendit, & rurſus compoſitis ad pectus, quibus icturus eſt, unguibus, impetu quodam in Auem deſcendit, tam ualido conatu, vt ſtrepitum quaſi concitati uenti ſuo deſcenſu excitet, & inter deſcendendum rapido motu prædam ferit. Deorſum uerò labitur non quidem rectà, aut perpendiculariter, ſed obliquo uolatu: quo deſcenſu Auem unguibus percutiens, longum adeò uulnus infligit, ut à capite ad caudam uſque diſciſſa, aut toto capite truncata nonnunquam in humum decidat. Eſt autem generoſi Falconis inter aſcenſum, & deſcẽſum nihil, aut parum quieſcere, (alioquin enim inter duos motus duplicem quietem fieri eſt neceſſarium) ſed poſteà quã deſcenderit, aliquando prædam deorſum volando anteuertere, & impedire, donec ab altero Falcone ſocio, qui aſcẽdit, feriatur. Cùm autem hoc Falconi ſit peculiare, vt maximo impetu in prædam feratur, & præ animi magnitudine plus audeat, quàm vires patiantur, fit ſæpenumerò, vt minus in ſui tutela cautus, parumq; ſibi proſpiciens ſummoperè offendatur, & in graue aliquod malum impingat. Quod exemplo venationis Ardearum manifeſtum eſt, quas ſanè perſequentem videre

Rapacium in volando diuerſitas.

Falco quo modo prędã inuadit.

Generoſi ſigna.

dere Falconem iucundissimum est: *Ardea* enim, vt refert doctissimus ille Chyrurgus Regius [a] Paræus, *vbi Falconis remigio alarum elati rapida celeritate depressam, & infra positam se intuetur, rostro quod prælongum habet, & acutum, sub alis condito, ac sursum elato, pugnæ ardore, & prædæ cupiditate occæcatum, & incautum ipsum deuolantem, & irruentem excipit, vt eo semet Falco medium pectus induat, adeo vt ambo sæpè illisis interraneis humo affligantur enectæ. Quod si arte & felici corporis declinatione insidias illas Falco illæsus effugerit, Ardea nihilominus deiecta & deturbata, receptui stentorea voce canente magistro, in prætentum pugnum pinnarum rotato scapo reuocatur.* Huic incõmodo hac de causa maximè obnoxius est Falco, quia cùm se non ignoret, armatum probè valida & ossea acie, robustumq; à natura pectus obtinere, quare hisce armis potissimùm naturæ ductu cõfisus pectoris cono antrorsum protenso ac exerto hostem adoritur, ac vehementi quodam impetu ferit, audacior potiùs quàm cautior. Vnde fit, vt hunc eius venandi morem probè callens, & ipsa à natura edocta Ardea, necnon in rostro oblongo ac mucronato spem salutis collocans, ex álto impetentem Falconem supina in aëre excipit, & telo quod prius, ne à Falcone visum euitaretur, prudenter sub alis condiderat, tẽpestiuè deprompto, ac velut euaginato mucrone, pectus eius confodit, cautior ipsa, quàm audacior, nisi Falco periculum præsentiens, represso nonnihil motus impetu ictum declinans euitet, atque hac ratione & fortitudinis & sagacis prudentiæ palmam reportet. At quoniam hi motus contrarij, qui sursam, deorsumq; volando fiunt, tam citò peragi non queunt, quin mora aliqua inter vtrumq; intercedat, prẽterquã quòd & ipsis vtrisque præsertim ascensui, longiusculum tempus impendi necesse sit, quod tam celer minimè esse possit, atq; descensus, optimè venatio per Falcones instituitur, quum duo, aut plures sibi mutuo suppetias laturi in prædam persequendam emittuntur. Ita enim, ut unus summa petens volantem siue Ardeam, siue aliam auem impulsus præcipitet, alter iuxta terram volans præcipitatam excipiat, aut si ille irrito ictu prædam impetiuit, hic in locum socij in sublime elatus succedat, eãq; certiori ictu percutiat, illo interim, qui iam deorsum lapsus est, Auem præueniente, neue longiùs abscedat, aut fugam capiat, impediente. Et hanc ob causam, inquit, Albertus, Falco licet Auis sit iracunda (ut & cæteræ rapaces omnes) ideoq; consortis impatiens, & solitaria, tamen venationis idoneo tempore socium diligit, ac lubens admittit, perpetiturq; cum eo prædam sine pugna, aut contentione vlla, quod reliqui Accipitres non faciunt, priore modo solertem ac industrium, altero iustum se ostẽdens. Fit item nonnunquam, vt solus & socio destitutus, non statim postquam æthera superauit, rursum descendat, sed in aëre Aue, quã captat, superior, eam tamdiu insequatur, donec iusto à se interuallo dissitam videat, ex quo commodè in eam irruat. Sed vitio vertitur, si veluti alis suspensus in aëre aliquandiu veluti immotus hæreat. Id enim timidi, ac degeneris animi signum est, eisq; Auibus proprium quę non nisi reptilia, insectauè, aut minuta quadrupedia, vt mures, ranas & similia inuadunt, quales sunt Lanarij, Buteones, Aesalones &c. Generosi est, vt diximus, statim vt ascendit, nisi admodum longè ab Aue absit, præcipitem sese deijcere, atq; si primo aggressu præda frustrari contingat, rursum in altũ euolare, & quod priùs non succesſit denuo experiri, ictumq; iterare. Solet etiam, si Auem in fugam sese conijcere viderit, fugientem persequi acerrimè, tanto ardore, ac cupidine, vt nisi breui capiat, præ indignatione longiùs prosequatur, ac tanto post se herum suum ac dominum interuallo relinquit, vt amplius ad eum non redeat. Profectò miselis Auibus vnicum in fuga relictum est præsidium, alioquin hostis feritatem non euasuris.

Falconis cũ Ardea certamen.

[a] *Lib. 1. de Animal. & hom. prast.*

Cur plures Falcones emittẽdi in Ardeam.

Timidi signa.

Generosi signa.

# ANTIPATHIA.

AMIRABILEM profectò ac suspiciendum authorem suum, summum, inquam, Opificem, reddit natura, & ipsa miratu digna, cùm absque rationis, mentisue adminiculo, sed rudis quodam phantasiæ beneficio animantia bruta ita bene noxia sibi ac pernitiosa futura cognoscere, vt ea fugiant, docuerit. Sic & Aues quædam non tantùm hostem suum, cùm ipsas persequitur, atque vrget, omni contentione fugiunt, verùm etiam cùm vel visum aut auditum tantummodo, ex quouis minimo signo, quale est, vel vmbra supernè volare, nec longè abesse perceperint, innata quadam præsentione tantoperè exhorrent, ac formidant, vt quiduis perpeti potiùs, quàm in eius vngues malint incidere. Cõfirmat id Auis riuulariæ seu lacustris, quã Drepanim dicunt, exemplum, quam, si vel tintinabula tantùm Falconis subaudierit, tanto terrore affici tradunt, metuq; Falconis adeò consterni, ut omnino malit crebris fustibus, lapidibusq; ab hominibus obrui, quàm volatu se in aëra, vbi hostẽ esse percepit, attollere. Pari quoq; ratione Alauda in manus hominum venire, quàm in vngues Accipitris mauult incidere.

Antipathiæ vis.

Drepanis timor.

# INSTITVTIO AD VENATVM, eiuſque huic tempeſtati accommodata ratio.

LONGO quidem ſermone ac diligenter in Accipitrum generali hiſtoria, de manſuefaciendis & ad venationem inſtituendis Accipitribus, vt in vſum & oblectamentum nobilium cedant, egimus. Itaque ſuperuacaneum cuipiam videri poſſit, hîc denuò eadem repetere, ac ueluti cramben bis coctam apponere, præſertim cùm quę de illis in genere tradita ſunt, Falconibus, vtpotè eorundem quoque ſpeciei, etiam accommodari queant. Attamen, quia quæ ibi dicta ſunt, pleraq; ex veterum, aut ſaltem ex mediæ ætatis authorum placitis, allata ſint, neque huic noſtræ tempeſtati ſatis appoſita, (quod enim in alijs pleriſque artibus & ſcientijs, in hac quoq; vſu venire videmus, vt vetus illa ruditas indies ingenioſorũ hominũ ſtudio ac induſtria expoliatur, adiectis, quæ deſunt: immutatis, quæ minus apta uidentur) ideò rem minimè ingratam facturi viſi ſumus, ſi in gratiam nobilium ac clarorum, cùm noſtræ Italię, tùm aliarum etiam nationum, hominum, nouam & huius noſtræ ætatis accipitrarijs vſitatã cicurandorum, & ad uenationem inſtruendorum Falconum rationem hoc loco exponeremus. Habet enim id vtilitatis, vt alias præteream, ſecum adiunctum, quòd, vt ea quæ de Accipitribus inſtituendis tradita fuerũt, Falconibus, ita hæc quæ de Falconibus nunc dicenda inſtituuntur, Accipitribus ſimiliter magna ex parte adaptari poſſint. In qua quidem re, cùm nos Accipitrariã nunquam exercuiſſe, qui grauioribus curis, ſtudijsq; intenti ſumus, ingenuè fateamur, aliorum itaq; ſententiam ſequemur, ac præcipuè Franciſcum Carcanum Vicentinum, quo, quod ſciam, nemo accuratiùs, ac curioſiùs hac noſtra tempeſtate hãc artem, pertrectauit, vtpotè qui per omnem ætatem ſummo ſtudio eam coluit, aſſiduoq; vſu à ſe obſeruata pręcepta, uernacula nempe Italica ſuis conterraneis communicauit, quæ nos in Latinum ſermonem tranſlata toti orbi communia facere non recuſauimus,

Cur de Falconum inſtitutione agamus.

Vtilitas ex inſtitutione.

In Falconis itaque inſtitutione hæc in primis requiruntur, ut hominis nutui ac arbitrio obſequatur, capitio indui lubens ſe permittat, & è loco ſeu prælongo funiculo ad inſtituentis manum aduolare adſueſcat: denique ut Aues aquaticas, uerbi gratia, Ardeas, Grues, emiſſus è manu audacter & præcipiti impetu inſequi, & alia huiuſmodi ad hanc artem Accipitrariam maximè faciẽtia, paulatim induſtria dexteritate diſcat. Si igitur Falcones prorſus rudes etiamnum, omniſq; diſciplinæ hactenus expertes eſſe, Accipitrarius magiſter uiderit, paulatim ſingulo quoque die unum quidpiam docebit, tanquam lectione ſeu addiſcendorum penſo nouo ipſis præſcripto, ut quotidiana hac exercitatione in melius paulatim proficiant, atque tandem conſummatæ induſtriæ uenatrices Aues euadant. Quod quidem, ſi continua, aſſiduaq; cura adhibeatur, triginta dierũ ſpacio perfici poterit, plus, minuſue pro diuerſa ipſorum indole. Longius enim refractarij ac contumaces, breuius manſueti ac dociles inſtitutionis tempus poſtulant.

Inſtitutionis ſũma.

Quãto tẽpore inſtituatur.

# DE MANSVEFACIENDO AC Inſtituendo Falcone nidulario.

CVM ſuprà docuerimus, triplex Falconum genus ex ætate ſtatui, nempe niduláriorum, hornotinorum, & qui manſuefactarijs noſtratibus mudarami appellantur, itaque ſcire licet omnium eundem eſſe inſtituendorum modum. Veruntamen ſi quis meo conſilio auſcultare uolet, à nidularijs inſtituẽdis in uniuerſum abſtinebit. Nam pręterquam quòd maior pars ad bonã frugem non perueniunt, maxima adferunt tædia, ob aſſiduos labores ac moleſtias, quas in eis inſtituendis tolerare ille cogitur, qui eos eò uolet perducere, ut ſua ſponte, & ſoli Aues per aérem ſequantur, atque interficiant. Si tamen cuipiam animi gratia lubebit hac in re laborem inſumere, rectè faciet, ſi primùm eos aſſuefaciat è manu emiſſos inuadere Ardeas rubras, aut cinereas, Botauros, Alucones, Aſiones, atque alias huiuſmodi alites maiores. Sunt etenim nidularij natura ſua admodum rapaces, animoſi ac crudeles in exercenda laniena. Cùm uerò has maiores aſſueuerint capere è pugno emiſſi, poterint dehinc ad lacuſtres Aues venãdas inſtitui. Cuius rei gratia manſuefactario in amœnum & ſpacioſum campum prodito, ubi aut Capellę

Nidularios non inſtituendos.

Quomodo inſtituantur.

ſeu

seu Vanelli, aut Cornices, aliæue huiusmodi Aues reperiuntur, & relaxato nonnihil Falconis, quem pugno gestat, cucullo, seu capitio, ad has alites, quàm proximè fieri queat, accedito; & ad primæ cuiusque subuolantis tētatam fugam Falconem capitio exuto, è manu emittito, quo scilicet illa subuolante Falco quoque eam persequuturus alta petat. Cùmq; iam aut longiùs, aut mediocriter saltem aëre superato terras reliquisse videbitur, Accipitrarius Anatem, quem in hunc vsum penes sese in promptu habere debet, cuique oculorum cilia prius tranfixa penna occluserit, iusto spatio distanti Falconi obijcito in aëra; Et si hanc ceperit, eadem pascito, maximisq; blanditijs eum delinito, magna voce, & clamore sublato ei applaudens.

Narratū mihi fuit à quibusdam (quod tamen ego, vt cuius periculum nunquàm feci, non certò asseuerim) quosdam ex his nidularijs cura & studio manuefactariorum Perdices, Coturnices, Phasianos, quinetiam Lepusculos capere. Esse quoque, qui omnibus numeris absoluti in venatione hac volatili euadant.

Quãdo nido eximẽdi.

Verùm quo tempore nido eximendi, qui præferendi ad propositum opus, & quomodo nutriẽdi sint, docet. [a] Fridericus Imperator. Nidularij, inquit, vel accipiuntur ex proprijs nidis: vel quando iam è nido exiẽre, & simul cum alijs, verùm non longè à nido obuolãtes, vel cùm hyemali tempore frigoris iniurias enitaturi ad alias regiones sese recipiunt; vel cùm in illis regionibus, in quibus perhyemabant, capiuntur, vel cùm in vere ea loca, vnde propter frigoris inclementiam aufugerant, repetunt. Quorum tam redeuntium nempe, quam abeuntium alij mutati, alij verò immutati in manus aucupum incidunt. Qui verò nidis eximuntur, ij quoque diuersimodè obtinentur. Vel enim accipiuntur oua eorum, & auibus domesticis incubanda supponuntur: Sed ita nati viles admodum & nullius ferè pretij sunt. Vel nido eximuntur, idq; trifariam, aut cùm nullum adhuc pẽnarum in ipsis adest vestigium, sed veluti lanugine quadam, quam primùm nati aduersus ambientis frigus à natura armantur, induti sunt: aut vbi depositā quidem illa lanugine pennarum vestigia iam erumpunt, aut cùm pennis omnino instructi quidem sunt, sed volare tamen nequeunt. Quorum omnium illi minus probantur, quò incubatui propinquiores sunt. Quarè tam diù in nido relinquantur oportet, quàm diù de fuga non est periculum. Quò enim diutius à parentibus nutriuntur, eò fortiores, robustiores, minusque queruli euadunt, neque ita ore hiant, & meliorem corporis habitum acquirunt, siquidem parentes non tantùm carnem illis venantur conuenientem, sed & opportuno tempore, & debita quantitate eam offerunt. Contrà paruulos nido extractos homo, neque alere, neque cùm tempus postulat, neque quantum offerẽdum sit, cognoscere potest, vnde de facili vel moriuntur, vel in aliquod corporis vitium incidunt; si tamen sanos esse contingat, quod rarissimè accidit, nunquam robusti euadunt, nec pennas firmas acquirunt. Atque hæc de tempore eximendi è nidis Falconis sufficiant, Dicamus modò, quomodo exemptus pro institutione ad venatum conseruari queat. Locus in primis ex authoritate eiusdem Imperatoris longè alius esse debet ab eo, in quo Accipiter educatur: Sit, inquit, campestris, sed longè ab arboribus & syluis diuitus, in turri, aut in eminentiori solitariæ domus parte, cùm quia à parentibus in similibus locis alebantur, tùm verò maximè quòd peculiari quadam sympathia ea Falcones appetant, venationemq; suam adulti ibi exercere soleant. Si enim arbores domui vicinæ sint, periculum est, ne emissus Falco nidarius ad illas sese recipiat, redireq; ad Falconariũ magistrum renuat. Sit verò locus paruus, ad nidi, in quo natus est, similitudinem, tribus partibus patens, vt Septentrionalem, Orientalem, & Occidentalem ventum recipiat, & solem ab Oriente & Occidente; à parte verò meridiei clausus sit, ne noxam illi ab Australi ventus inferat. Is enim humores capitis resoluendo pigriorem, & debiliorem reddit. De cibo ita disserit. Carnes offerantur, crudæ, cùm quòd illis calor ventriculi, quo plurimùm abundãt, ad iustam quandam temperiem reducitur, tùm quòd talibus ali à matre cõsueuerint. Sint verò teneræ, imo verò quanto teneriores haberi possint, careãt fibris, neruis, venis, arterijs, cartilaginibus, ossibus, atq; pinguedine: ea enim omnia difficilè concoquuntur, maximè à nidulario, cui calor propter humidi abundantiam obtusior est. Sint auium pinguium, quoniam macilentæ pulpa carent. Sint recentes, iam iam occisarum auium, natiuo nempe calore adhuc tepidæ. Tales enim parum à viuarum carne immutãtur, ac calore putredinali minimè imbutę sunt, cui alioqui carnes obnoxiæ sunt. Si tamen, vt fit, recentes semper nanciscinon liceat; tunc illæ quę parum aut iam statim refrixerint; hoc pacto exhiberi poterunt; Tandiu primùm in aqua dulci calida calefiant, donec ad proprium animantis, cuius sunt, calorem peruenerint. Sic enim minus noxiæ sunt. Sint animantis sani: siquidem morbosorum, quod prauis qualitatibus scateant, prauum etiam nutrimentum subministrant. Sint auium, aut aliorum animantium mediocris ætatis, quoniam cùm facilè digerantur, bonumq; nutrimentum præbeant, pennas necessariò generant robustiores, firmioresq; quàm ex recens natorum esu. Quare improbatur pullus Gallinaceus, quòd molles

[a] *L. 2. c. 31.*

Locus vbi tenendus.

Falco exẽptus à nido qũo instituatur ad venandũ.

Cibus.

carnes procreet, nutrimentumq; eius facilè reſoluatur. Cognoſcitur autem Falco, qui eiuſmodi recens natorum animantium carnibus nutritur, ex uentris frequentiori ſolutione. Improbatur item prouectioris ætatis animantium eſus, cùm propter durum & nimis ſiccum, quod præſtant, nutrimentum, tùm quòd plurima ſuperfluitate abundet. Cognita verò nunc, quæ offerri debet, carnis qualitate, videndũ eſt modò, quomodo & quando eæ nidulario Falconi exhiberi debeat. Quoniam itaque auis roſtro adhuc atque vnguibus parum valet, caro in fruſta conciſa & ſuper ligneam aliquam tabulã mundam repoſita, cum ſumma cura atq; diligentia danda eſt. Paulò verò iam adultioribus caro etiam paulò durior, & in fruſtula aliquantulum maiora conciſa offerenda eſt, quoniam iam vnguibus & roſtro potentiores facti, ea ſuo marte dilaniare poſſunt. Qui uerò deficiente carne caſeum recentem illis exhibent, ſummoperè cauent, ne ſale conditus ſit. Alij qui oua dant cum lacte, ea rumpũt & in uaſe ferreo ſtanno illito unà cum teſtis lacte primùm repletis agitant atque permiſcent, poſtmodumq; ſuper carbones lentè ita decoquunt, ut neque duram, nec mollem ſubſtantiam acquirant: hunc cibum recenti caſeo præferunt. Quantum autem ex iam dictis cibis exhibendum ſit, iam dicendum eſt. Sit neque ſuperfluus, neque etiam diminutus: Siquidem ſuperfluum aut euomunt, unde fit, ut non nutriantur & debilitentur, aut ſi non uomant, tantam copiã digerere nequeũt, hinc illæ lachrimæ, caloris natiui nempe ſuffocatio, atq; ex hac atrophia, uiriũ debilitas, membrorum grauitas, pennarum prauarum generatio, aliaque id genus ſymptomata ſuboriuntur. Ex diminuto, calor idem, ſicut ignis per ſubtractionem lignorum, pabulo ſuo deſtitutus, ad extinctionem tendit, auis macilentior, debiliorq; redditur, pennasq; acquirit ueluti corroſas, atq; deformes. Prouectioribus itaque pullis plus, minoribus minus erit dandum, ac ſemper in mediocritate conſiſtendum. Sed ſi auis natura calidior eſt, plus, quàm frigidæ offerendum. Caloris in aue exuperantis ſigna ſunt, alui ſolutio, optima, citaque digeſtio, vnde dicebat Hippocrates: *Eorum, quæ velociter & copiosè nutriunt, veloces & copioſi feceſſus fiunt.* Contrario modo omnia in frigida aue ſeſe habent. Ex hiſce itaq; cuiq; facilè liquere arbitror, incertũ eſſe, offerendi cibi menſuram inſtitui poſſe. Quare in primis appetitus ratio habenda eſt. Solẽt enim tantum ſolummodò petere, quantum coquere ſufficiunt, ſatis verò ingeſſiſſe, gulæ incrementum demonſtrat. Præterea cibi qualitas inſpicienda eſt, ſiquidem qui facilis coctionis eſt, largior conceditur, de duro, minus dandum eſt, & tunc quotidiè etiam aliquid ſubtrahendum, donec meliorẽ nactus, rurſus largiori manu exhibere poſſis, vt quod deperditũ eſt, paulatim reſtauretur. Cæterùm tempus cibandi etiam variat. In fine veris ac æſtate, quando dies longiſſimi ſunt, bis omnino quaque die nutriendi ſunt; quoniam ſi ſemel duntaxat, etſi copioſè, cibus offeratur, cùm ob diei longitudinem, tùm ob caloris natiui vbertatem, ventriculus nimia mora debilitaretur. Bis itaque in die, nempe ſub matutino & veſpertino crepuſculo cibus, ſed ſecundus nunquam, niſi primo digeſto, præbendus eſt. Sic enim nulla cruditatis, à qua naturalium virtutum ordo perturbatur, operationesq; confunduntur, generandæ pericula imminent. Qui cibum ſubminiſtraturus eſt, ſolus accedat, idq; rarenter admodum, ſic enim minus queruli fiunt, & minus hiant. Poſtquam modò eò peruenerunt, vt uolare queant, non iam ſtatim cicurari, aut doceri debent, ſed huc atque illuc ad loca propinqua ſub dio, tempore tum ſereno, tum etiam procelloſo volitare permittendi, vt pennas elegantiores acquirant, ipſiq; robuſtiores efficiantur; Nam eo modo poſtmodum edocti ad quæuis capienda meliùs euolant. Neque eſt, quod de fuga ſuſpiceris, cùm alioquin locum, in quo cibari ſolet, irreuocati etiam repetant: verùm cauendum eſt, ne tamdiu id repetatur, quouſque cibum ſuo marte capere poſſint; Nam tunc de fuga maximum foret periculum.

Animantia prouecta fugiẽda, & cur.

Cibus vt & quãdo dandus.

Caſeus.

Oua.

Quantum dandum.

Calidæ auis ſigna.

Frigidæ ſigna.

Qualitas cibi.

Tempus cibandi.

Magiſtri cura.

# FALCONIS RVDIS ADHVC INSTITVTIO.

QVODSI fortè mãſuefactarius Falconem nactus fuerit prorſus imperitum, ac planè adhuc indomitum, & vt vulgò dicunt, ſylueſtrem, cui oculi necdum fuerint occluſi, operæ prætium erit, vt huic confeſtim cilia conſuat, ſimulq; tibias corio vitulino aut caprillo, vulgò camozza, alteriuſue cuiuſpiam animalis pelle conſutis caligis veſtiat, butyro, quo molliores ſint, ac mitiores, inũctis. His utriſque ſummis clypeolos argenteos ſingulis ſingulos affigat, quorum alteri domini inſignia, nomenq; cum cognomine, alteri loci, in quo degit, ſint inſculpta & inſcripta inſignia, ut ſi fortè, ut fit, aliquando in longinquiora loca auolarit, horum indicio ad dominum reportari poſſit. In eundem uſum tintinnabula quoque argentea aut ærea appenduntur. Dehinc placida contrectatione manſuefaciendus erit. Cùm uerò feroces admodùm ſint, roſtroq; ualdè robuſto, cauere ſibi debet Accipitrarius magiſter, ne roſtro digitũ apprehẽdi ſinat.

Quo corio tibiæ veſtiendæ. Clypeoli quales tibijs affigẽdi. Tintinnabula cur adhibẽda.

Nam

Nam arctiſſima roſtri & mandibularum acutarum compreſſione digitum adeò uehementer ſtringunt, ut non ſecus ac forcipes lædant. Quare ſatius fuerit, uimen, ſeu bacillum minimi digiti craſſitudine adaptare, quo caput eorum molliter contrectet, collumq; & humeros demulceat: & ſi bacillum mordicus, quod facere ſolet, appetat, noli impedire, ſed animum explere ſinito, manibus tamen perpetuò caueto.

Vt verò obſequens fiat noctes aliquot inſomnes ducere cogendus eſt, geſtando eum in pugno, docendusq; cibum ſumere, palpebris adhuc ſutura commiſſis, & frequenter admodum largo ſatis, ac congruo cucullo induendus, & rurſus exuẽdus, hoc obſeruato, ut quotieſcunq; caput à capitio nudatur, leniter manu fricetur, blanditijs quibuſdam addit's, ne indignetur, odiumuè aduerſus magiſtrum ſuum concipiat. Ala in cibum ei præbenda Gallinacea, & curandum, ut hanc deplumet, diuellatq;. In hoc verò ei palpebræ conſuuntur, atque ita diù, noctùq; pugno geſtatur, neque vnquam conto inſiſtere permittitur, ut delaſſetur, & caput coriaceo eo cucullo ſibi tegi haud ęgrè patiatur, immotusq; ac rectus in pedes ſtet inſtar marmoreę ſtatuæ: denique vt vitia omnia deponat, qualia ſunt anhelare, ſuſpirare, ac mordicus quiduis arripere. Perpetuò verò meminiſſe oportet, ut quemadmodum antè monuimus, caput, collumq; virgulto demulceatur. Quodſi adeo natura efferus ac rebellis eſt, ut ægrè aut nulla ratione uitia deſerat, allij nucleum mundatum, aut aloës fruſtulum mordere uolenti obijcito, ac in roſtrum inſerito. Ita enim fiet, ut graui odore allij & amaro aloës ſapore deterritus, ab anheloſa illa exufflatione, atque mordacitate ſolita deſiſtat.

Vt obediat

Cibus.

Vt non ſuſpiret & mordeat.

# QVA RATIONE CAPITIO Aſſuefaciendus ſit Falco.

ACCIDIT nonnunquam, ut Accipitrarijs magiſtris in manus ueniant Falcones exotici, qui nauigio è Cypro, Creta, Alexãdria Aegypti, aut aliunde ad uecti ſunt, quiq; quòd imperitos, ac minus dexteros nacti fuerant magiſtros, ſæpè prę fracti, rebelleſq; ac capitij impatientes euaſerunt. Hiſce primùm palpebras oculorum committere oportet, dehinc capaci, magnoq; cucullo caput obducere, & rurſus blandè eximere, atque ut noctem unam aut alteram excubiam tranſigant, cogere, identidem caput, quo ſuprà dictum eſt, modo demulcendo, curareq;, ut prauos mores antè memoratos relinquat. Poſt hæc una nocte conſuta hactenus cilia diſſui poterunt, atque ita apertis oculis Falconibus candelæ, ſeu lucernæ lumen admoueri. Caput interim aſſidua, leniq; manuũ contrectatione demulcere, & iterũ atq; iterũ cucullo, quẽ vulgò capellettum, quaſi gelericulum dicas, vocãt, operire, rurſumq; denudare conueniet. Hac ratione fiet, vt manſuetus redditus, cùm manui magiſtri, tùm galericulo optimè aſſuefiat. Hoc loco vnum aduertendus es lector, rectam Falconum inſtitutionẽ ab eo depẽdere potiſſimùm ſicque demum rectè eam perfici, ſi ille qui manſuefactionis curæ incumbit, cùm innata quadam animi propenſione, tùm etiam voluntario ſtudio ac delectu, miro quodam amore erga has Aues afficiatur, maximamq; ex arte Accipitraria voluptatem capiat, adeo vt, quod dici ſolet, eius amor intimis ipſi reſideat medullis, eiuſque veluti libidine totus flagret. Ita enim quantumuis parua opera huic arti data, ſit omni dubio procul, breui in abſolutum ac conſummatum magiſtrum eſt euaſurus. Ille verò, quem hoc ſtudium non oblectat, ſed aut ad oſtentationem tantùm, ſi diues eſt, aut quæſtus faciendi gratia, ſi pauper, venationem hanc volatilem ſeu artem Accipitrariam exercet, operam ſanè omnem ac oleum perdet, artique dedecus adferet, & miſerorum Falconum inſignem ſtragem edet, melior veſpillo, quàm magiſter. Cùm iam dicta ratione inſtitutus, ac malos mores dedoctus fuerit Falco, commiſſæ oculorum palpebræ diſſuendæ erunt, locusq; futurę modica ſaliua inungendus, & capitio ablato pugno geſtandus, idq; tota nocte ad poſteri diei diluculum vſque, manu leni frequenter demulcẽdo, capitiumq; nunc detrahendo, nunc denuò capiti imponendo ſubinde, nonnunquam ipſum paſcendo ac vt deplumet gallinæ ſeu alam ſeu coxam ſinendo. Hoc interim ſumma cura obſeruato, vt tot noctes peruigil agere cogatur, neque quietem vllam capere, neque conto aut perticæ inſiſtere, donec defatigatus capitium lubens, ac minimè ribellis admittat, neque amplius morſu impetat obuia, aut anhelus ſuſpiret. Sunt tamen non pauci Falcones, qui inueterata hæc vitia haud facilè relinquunt, neque minori, quàm trium aut quatuor dierum interuallo ijs deſuefcunt. Prout enim indole ſunt ferociore aut mitiori, longius aut breuius tempus ad inanſuefaciendum poſtulant. Cùm verò mordicus quæuis apprehendere, ac ſuſpirioſus eſſe deſierit,

Quibus oculi conſuantur.

Capellettũ quid.

Inſtitutio ĩ quo conſiſtat.

Cur vigil tenendus.

iam

iam tutò conto imponi quietis gratia poterit, hac, tamen lege, vt noctu tres, aut quatuor ad minimum horas adhuc pugno geſtetur, contrectatione leni & blanditijs ſolitis adhibitis, capiteq; identidem cucullo ſæpenumerò denudato, ac iterum tecto, & eſca in paſtum obiecta, quam deplumet ac diuellat. Idem interdiù factitandum, at in cõclaui quopiam remoto ac penitiori, in quod modico lumini ſit aditus, ne lumen, aëriſuè ſplendorem conſpiciat, priuſquam certo ac rato roſtri ictu cibum capiat, & minimè ægrè, haudq; difficulter paſcatur.

# VT VOCEM ACCIPITRARII Falco cognoſcat.

Vt vocem agnoſcat.

SI primo hoc triduo, quatriduouè, ita perdomitus, ac cicuratus fuerit, vt iam fame coactus cibum capere incipiat, idq; continuet, tunc opus eſt in hoc incumbere, vt primùm ſibilum Accipitrarij, deinde uocem agnoſcat, hac ratione. Accipiatur pullus Gallinaceus viuus, & intra parietes, ſeu loco quopiam clauſo: (ita tamen parũ lucis ſit, vt Falco pullum quidem uidere poſſit, ſed aërem clarum ac luminoſum non conſpiciat) hîc pullus ei laniandus præbeatur, ſed in pugno retento, ſibilis alijſque clamoribus editis. Hac ratione itaque paſcenti cucullus ſolito more induatur. Deinde capite galericulo tecto à ſumpto cibo ala extrema, aut pes, aut alię excarnes partes pulli ipſi ad vellicandum exhibeantur, cùm vt hac exercitatione caput exonere-

Cibus.

tur ſuperfluis & excrementitijs humoribus, tùm vt pugno inſiſtere affluefiat. Cibus eius eſto, pullus Gallinaceus non admodum magnus, cor uitulinum, veruecinum, & ſuillum: cuius mediocris detur quantitas, neq; affatim ingluuies hiſce infarciatur, quò contentam ſtomacho pi-

Vt appetẽtia reſtituatur.

tuitã concoquere, & ferinam paulatim naturã queat deponere. Si verò fortaſſe orexis Falconi langueat, operæpretium erit eſcam nonnunquam aquæ puræ intingere, aliquando etiam vrinæ humanę, haçq; prius exterſa aliquantum aliquoties, nempe bis, teruè paſcere, ſed interiecto ſingulis vicibus duorum, aut trium dierum ſpacio, vt hoc pacto nonnihil extenuatus rurſus cibum appetere incipiat. Neque ab re erit, tempore matutino, cùm adhuc ieiunus eſt, in gulam indere ſacchari candidi momentum, quantum nempe per œſophagum meare, ac deglutiri commodè poſſit. Hoc enim pituitoſa ſtomachi excrementa optimè digerere, ac ferinam in-

Vt cibum agnoſcat.

dolem, naturamq; exuere facit, cibiq; deſiderium excitat. Cùm iam auidè cibum ſumit, vocẽq; magiſtri didicit, docetur quoque eſcam ſuam agnoſcere, & in eam viſam concuſſis, & agitatis alis auidè ferri, hoc pacto: Accipitrarius manu dextra cibum præbendum in altum eleuet, ſibiliſq;, & clamoribus editis Falconi oſtendat, atque ſi ad eum agitatis alis promptũ moueri viderit, confeſtim porrigat, ac duas, treſuè bucellas ex eo ſumere permittat, idq; ſæpius ſimili ratione repetat, quo alimoniam ſuam agnoſcere diſcat: tum paſcere ſinat. Singulo quoque die ſub veſperam, cùm iam cibum confeciſſe videbitur, turunda cathartica danda erit è plumulis, aut goſſypio ſolo, vel cui caryophilli duo in quatuor fruſta comminuti, uel diſſecti aut cubebe grana duo confracta, aut aloës modicum inuoluta ſint, ut expurgato, & à ſordibus exinanito ventre fames aliti reſtituatur.

# VT ANIMVS ADDATVR FALCONI.

VT audacior, ac animoſior reddarur Falco, opus eſt ad dilaniandum ei pullum Gallinaceum præbere. Ad quam rem commodè peragẽdam in locum quendam obſcurum conc edendum eſt, eo, quem antè memorauimus, modo, atq; ibi relaxato nonnihil galericulo, genu in humum procumbens manſuefactarius, alta voce ac clamore ſublato pullum Gallinaceum, quem viuum altera manu feret, aliquantum deplumandum exhibere debet, dehinc adempto capitio pullum ea dexteritate demat, vt nihil Falconem offendat, tumq; iterum ad pullum bis, teruè morſu impetendum, plumasq; vellendas Falconem inuitans, pullum Gallinaceum in terram proijciat, & elato ac depreſſo pugno, quauis ratione, omniq; opera ſtudeat, ut Falco in pullum dictum inſiliat, eumq; inuadat. At ſimulatq; Falco cũ dilaniare cœperit, alta uoce clamando ac ſibilando ei blandietur, ac applaudet, hocq; pacto humi paſcet, & uno, eodemq; tempore è terra blandè ſublatum, in pugnum recipiet, dũmodo pullaſtrum adhuc vnguibus teneat, & ad vellendum plumas, carnesq; Auis pedibus ſubiectas, ſemel atque iterum inuitet. Tum leniter, ac cum dexteritate quadam capitium denuò ei inducet, & deniq; alam, ſeu pedem Gallinaceum diuellendum relinquet.

VT

# VT SCAPO ALATO ASSVESCAT.

POSTQVAM Falco iam per trium aut quatuor passuum interuallum in pullastrum insilere, eumq; lacerare loco obscuro didicerit, iam scapum pinnatum cognoscere, eiq; assuescere docendus est, hoc pacto. Pullaster scapo adalligetur, & in locum quempiam tenebrosum eundum, ibiq; falco socio mansuefactarij in pugnam assignandus, vt cucullum coriaceum nonnihil ille relaxet. Tum retrocedens mansuefactarius tres aut quatuor passus, scapum pinnatum (quod Accipitrariorum nostratium vulgus, il lodro nuncupat) ad medium lorum, cui annexus est, arripiat Il Lodro. sed semel atque iterum scapum rotet, alta voce Falconem adhortans atque acclamans, socio interim ipsum cucullo exuente. Ille, qui scapum tenet, eum de manu ad longiusculum spatium proijciet, & assiduo clamore Falconem excitet, ac exhortetur. Quodsi Falco in pullastrum latus iam ei insederit, iam dilaniare hunc pro libitu sinendus est, sibilisq; atque altis clamoribus sublatis ei blandiendum ac applaudendum, hacq; ratione super scapo pinnato eo ipso pullastro pascendus, deinde vnà cum esca in pugnum recipiendus, denuoq; galericulo induendus; demùm ala, pesuè Gallinaceus, eo, quo dictum est, modo, ipsi præbendus est.

Falcone iam per aliquot passus in scapum pinnatũ aduolare loco obscuro, & in pullastrum, tàm viuum, quàm exanimem insilire probè perdocto, prodeundum est in campũ quempiam apertum, seu pratum spatiosum & arboribus nudum, alligatoq; pullastro ipsi scapo, Falco socio in pugnum dandus. Post hæc ipsi quoque Falconi annexo loro, debet curare, ut socius galericuli vincula nõnihil soluat, & sublato clamore modicum escæ rostro admoueat, & aliquot morsibus absumere permittat. Interea ipse Accipitrarius quatuor, aut quinque passus ab aue recedit, vnaq; aut altera voce sublata, iubebit, vt socius capitium detrahat, dein scapum extremo loro, cui annectitur apprehendens, bis teruè rotabit, & altum clamans, in humũ proijciet. Si Falco ad escam aduolet, permittatur eam dilacerare, ac super scapo pinnato pasci, cerebellumq; auiculæ uorare. Cor quoque & hepar, si integra & sana sunt, in cibum dentur, cum applausu, & adhortatione clamosa solita. Cumq; hac ratione duos, tresuè dies sub dio, seu loco aëri vndiquaque exposito, ac luminoso edoctus fuerit ad scapum aduolare, per decẽ aut duodecim, pluriumuè passuum interuallum, singulis deinceps diebus auicula quæpiã ei depascenda è scapo offerenda est, in dies paulò longiùs ab eo, magistro abscedẽte, quò scilicet ferocior, animosiorq; redditus auiditate quadam in escam scapo impositam ferri consuescat. Falco sup scapo pinnato quo cibandus.

Cùm itaque Falco ex magno interuallo ad scapum aduolare, atq; è pugno emissus in eundem insilire didicerit, ita vt iam pullastrum, seu aliam escam, exuta omni feritate, placidè depascatur, tum demùm Falcone prius inedia reddito auidiore, postridiè in locũ quempiam campestrem nullis aut paucis arboribus impeditum eques prodire debet Accipitrarius, vbi Falconi in pugnum comiti tradito, qui & ipse equo insideat, lorum oblongum adnectat, ita vt auem ad scapum aduolaturam impedimento esse nequeat, dehinc aliquantum procul, quousque uidebitur, ab aue abiens, socio suo det signum nutu, vt galericulum Falconi nonnihil soluat, pugno in altum elato. Posthæc voce edita semel, bisuè quàm fieri poterit, altissima, scapum cum pullastro continuò in orbem agitet, simulq; capitium capiti demat. Aduolantem Falconem ad scapum expectet tantisper, donec circiter octo passus à se absit, tum scapum iactet, in quem si Falco conscenderit, pro libitu pullastrum acclamans depasci sinat. Equo insuper descẽdens, Aui appropinquet, solito clamore inter pascendum applaudendo. Inter biduum igitur, triduumuè Falco ita edoctus, vt ad teli iactum iam aduolare ausus fuerit, postridiè tempore matutino inedia famelico prius reddito, iam tutò liber, omniq; loro ac uinculis solutus, etiam coram spectantium turba, ab equite mansuefactario, ad scapũ circumactum reuocari poterit. Quodsi Falco ad depascendum pullastrum aduolarit, eo pro libidine expleri sinatur, iteratis identidem altis clamoribus, quò illis vocibus assuescat. Deinceps posteri diei mane similiter ab accipitrario equite ad scapum, cui iam pullus Gallinaceus nullus adnexus sit, reuocari poterit, & simulatq; scapo insiderit, pullaster viuus, cui pedes prius effracti sint, obijciatur, quem super scapo dilaniet, atque deuoret.

QVOMO-

# QVOMODO AD PRÆDAM emittendus Falco.

Tintinnabula quando appendenda.

FALCONI tam hornotino, quàm ramulario iam paſcēti, & reuocatorem expectanti, eiq; obedienti, moribus omnibus feris depoſitis, tintinnabula magna ac ſonora appendenda ſunt, & ea quidem eò maiora, quò aut hic aut ille animo maiori præditus, ac generoſior eſſe conſpicietur. Nullus tamen error committetur, ſi à principio maiuſcula annectantur, donec eorum indoles pleniſſimè cognita ſit. Dein matutino quodam tempore, Falcone fame aliquantum prius edomito, equo conſcenſo, rus prodibis in campum quempiam ſpacioſum, in quo nullæ vel ſaltem pauciſſimę ſint arbores, falconemq; pugno geſtans, ventum vnde ſpiret, obſeruabis. Illuc aduerſus ventum ad teli dimidium, vel eo amplius, iactum equitabis, vbi relaxatis aliquātum cuculli uinculis, ſibilum mediocrem edes, veluti Falconem ad uolatum inuitaturus, quo excitus Falco alas concutere, ſeque in pugno mouere incipiet. Tunc non impedito abs te illius motu, ſtatim caput galericulo exues, eumq; emittens liberè auolare ſines, pectore vento oppoſito. Ita etenim ventum commodius accipiet, faciliusq; eo adiutus aëra ſuperabit. Ibi Falco ſuaptè natura in gyros aliquoties ſe circumagendo ſubuolare conſpicietur. Quare Accipitrarius vna atque altera aut pluribus ab illo factis circulis, alta voce ſublata ſcapum cum pullo Gallinaceo viuo agitare debet. Aduolāte verò ad ſcapum Falcone, & propiore iam facto, ſcapum in ventum aduerſum proijciat, quem ſi conſcenderit, non ſolùm pullum depaſcere, ſed equo deſiliens blanditijs illi applaudet, & agere ſinet liberiùs.

# VT FALCO SE SE HVMO TOLLAT.

SI fortè Falco è pugno auolare nollet, aut ſtatim in humum deuolans, ibi deſideret, quod maior pars hornotinorum facere ſolet, non ob id animū deſpondere, aut ſpem omnem abijcere debet manſuefactarius, imo potiùs è contra equo inſidens ei obuiā ibit, ac minis aut claua, ſeu baculo abiget, incuſſoq; terrore, vt ſubuolet, coget, & gyro vno atque altero facto in ſcapum recipiet, & eſca appenſa paſcet. Si verò vitium iſtud deponere noluerit, opus erit locum inquirere, quo Vanelli ſeu Caprę aues, aut Corniculæ, Sturni, alięuè huiuſmodi aues verſentur, & relaxatis nonnihil capitij vinculis Falconē in pugno tenere, atque ad eas propius accedere, donec ſubuolantes fugam capere tentent, atque eodem momento capitium capiti eius demere, & emittere. Ita enim futurum eſt, vt has auiculas volatu inſequatur, atque in altum ad magnum ſatis ſpatium agat. Tùm verò accipitrarius Anatem in præſentem vſum præparatam habeat, cilij ſeu palpebrarum pinnis commiſſis, quam dextra apprehēſam ea alę parte, qua dorſo iungitur, tenebit, atque ſe in auerſam partem reſpicere faciet, tunc ſublato clamore Falco in alteram partem, oppoſitam nempe ſeſe uertet: quo commodo eius ſitu animaduerſo ſtatim in eum locum, ſupra quem Falco uolat, procurrat, Anatemq; in altum proijciat, uerſus eam ſcilicet plagam, in quam Falco ſeſe conuertit, ut eam conſpiciat. Quam ſi Falco ferit, ac unguibus arripit, depaſci laniareq; eam ſinatur, alta uoce, ac clamoſa animo ipſi addito. Et primùm quidem cerebellum, dein quoque lingua, cor, heparq; exempta in cibum præbeantur, quibus comeſis, aut altera aut utraque coxa Anati detrahatur, qua, quantum opus eſt, Falco in pugnum iam receptus reliquam famem expleat. Moderatio tamen adbibenda eſt, ne nimium ingluuiem farciat. His igitur exactè biduum, triduumuè plus minus obſeruatis, ad omnem nutum alas expandere, agitareq;, ac ſe ſurrigere, ueluti ad uolandum, atque ad magiſtri nutum promptus eſſe Falco condocefiet.

# VT FALCO VENATVM lacustrem discat.

ITS igitur iam satis instructus,& stare erectus & circa accipitrarium semper ob uersari,& ad signum sibili,vel clamoris se recipere:tum illum ad Anatum venatum accommodare tempus erit. Hoc verò in primis agere debet magister vt Falconem in locum quempiam,è quo possit in Anates commodè emitti, easq; insequi deducat. Tum quàm celerrimè Anates, clamore, sibilisq;, aut sono, quem ocrea, aut chiroteca percussa reddet,excitatis,ex aquis euolare faciet,in quas,si quidem Falco irruat,illę verò denuò in aquam semel atque iterum relabātur, tum confestim è marsupio Anatem,quam in hunc vsum recondidit,depromat,ac prius commissis pinna palpebris Falconi ostendat,ac nunc eam percutiens,nunc in pedes erigens Falconem insequatur, opemq; ferat, & Anatis alas in crucis figuram distorqueat, & Falconi depascendam relinquet,interim blāditijs omnibus,quibus poterit,modis,clamoribusq; pro adhortatione,ac animo adhibitis. Ego in ea sum sententia,ut putem ab initio, nempe prima, aut secunda vice,non consultum esse, anates maiores Falconi monstrari, verùm illas potiùs Aues ante reliquas,quę nostratibus vulgò Arzaguole dicuntur, nempe Mergulos, Querquendulas, idq; genus minores Anates. Quādoquidem si à principio maiores obijciantur,frequenter accidit,ut eas tractim deturbare nequeat.Quare recto volatu si eas venaturus,procul insequitur, ita vt persæpè accipitrarius longiùs excurrere cogatur, & Falconem insequi. Cùm verò hoc modo sæpenumerò Falcones amitti contingat,vbi longiùs,quàm par sit, euagantur,operępretium erit,ab initio huic incommodo occurrere.

Ad Anatis venatū institutio.

Arzaguole

# DE REVOCANDO FALCONE in venatione lacustri.

SVODSI hoc ita,vt diximus,euenerit,ut rectà volans Anatē venetur,eamq; persequendo, quàm longissimè ab accipitrario euagetur, tandem verò aut persequi desistat, aut ex alto denuò inuadere pristina repetita via,resumptisq; animis tentet,tum opportunum erit subuolanti Falconi celeriter occurrere, & Anatem,cui oculi consuti sunt,obijcere, quam si iciat,capiatq; iugulādam relinquere,tum cerebrum,linguam, cor, hepar, & coxam vnam aut alteram, prout vel obesus,vel macer Falco fuerit, in cibum præbere. Si verò Anas viua non sit ad manum,recipiendus erit in scapum,& Gallina ad iugulandum,ac depascendum offerenda. Hoc etenim pacto Falconem facies, cùm redintegrare aucupium, tùm in insectando hominis voce audita, rursus approperare.

# RATIO INSTITVENDI FALCONEM Ramularium ad venatum.

SI quisquam ad persequendam volatu prędā ramularium Falconem instruere volet,rectè meo consilio faciet,si semel,bisuè volitare illū sinat loco quopiam, vbi nullę Corniculę,aut Capellę seu Vanelli, aliæq; huiusmodi Aues reperiantur;ne relicta alia præda ad hasce sese conuertat. Cōsultum etiam, ne longiùs eum ab se aberrare permittat,sed cursu insequens,atque alta voce ad redeundum eum inuitans,deuolantem in scapum excipiat, & pullum Gallinaceum viuum necandum, ac depascendum præbeat. Accidit verò nonnunquam, vt Falcones hi ramularij innata quadam magnanimitate contra voluntatē magistri longiùs auolent,deuientq;, tum illis alliganda sunt tintinnabula maiora, postmodum verò bis aut ter clamore solito, & Anate, cui palpebræ committantur, monstrata, ab insequente mansuefactario ad reditum inuitandus est,ac retinendus,ut hac ratione docilis factus à fuga abstineat, magistroq; in venatione lacustri morem gerat. Ramularijs minus opus est,stentorea illa voce receptui canere,aut

Anate

Anate, aut ſcapo rotato reuocare, quàm hornotinis. Etenim loco manere conſueuerunt, probéq; has, ac ſimiles Aues longo vſu edocti agnoſcunt. Verùm cùm blanditias, ac beneficia, tùm contumelias altiori mente repoſitas tenent ramularij, quàm hornotini. Quare cautiùs cum illis, & benigniùs, quàm cum his agendum eſt, & ante omnia frequenter in ſcapum recipiendi, ac prædam quampiam iugulare permittendi, vt hac ratione commodè, ac benè tractati longà tandem conſuetudine tibi prorſus familiares facti, conſortio tuo gaudeant, lubenteſq; tecum agant, alioquin breui, & prima quaque occaſione fugam arrepturi, tibi ſæpenumerò maxima contentione equo inſequendi ſeſe negocium faceſſent.

## VT FALCO ANATEM PRIMO impetu capiat.

POSTQVAM Falco ſiue hornotinus, ſiue ramularius tantum iam manſuefactarij diligentia profecit, ut vel ad nutum eius morigerũ ſeſe præbeat, rectamq;, qua cœpit, venandi uiam ſeruet, & quam primo ictu prædam deturbare non potuit, ſecundo ac tertio denuò aggredi tentet. Tunc primùm Falco quiſpiam veteranus, & in arte exercitatus ad venatum emittendus eſt, qui Anatem in ipſo lacu, ſeu quauis alia aqua feriat, loco prius diligenter obſeruato, quo ſe immergendo ſubduxerat, qui denuo recipiendus, & paſcendus eſt, ac capitio induendus, atque in humum deponendus, non ita procul à lacu, ſeu fluuio, quo, cùm opus erit, ſocio Falconi queat ſuccurrere. Poſt hæc Falco tyro, quem inſtituere animus, eſt, in pugnum excipias, atque ita aduerſo vento, in eam nimirum plagam, vnde ventus ſpirat, procedas ad teli iactum, & ſolutis nonnihil galericuli vinculis, ſubmiſſo ſibulo ad volandum eum inuites, quem, ſimulatq; alas cõcuſſerit, & ad volatum ſe compoſuerit; capitio exuas, atque auolare ſinas, pectore tamen obuerſo, vnde vẽti origo eſt, & dato prius ſigno, vt in procinctu ſtent, præſto futuri ſocij, quo ſcilicet cùm iam Falco ſatis altè ſubuolaſſe videbitur, aquam ingreſſi Anatem latibulis excutiant, ac euolare cogant. Tum equitando, ac Falconi ſolita voce acclamando, animo, vt ſtrenuè ſe gerat, addito, & ut ad prædam inuadendam deuolet, hortator. Ad hanc cùm deſcenderit, eiq; iam propior factus, ſupernè imminerit, denuò ſignum ſocijs dato, ut omnes vnà ad aquam accurrant, ac Anatem circumdantes extra aquam in liberum campum auolare compellant. Si Falco fuga ſibi conſulentem ceperit Anatem, aut ictam unguibus prehenderit, ſtatim ferendæ ſunt ſuppetiæ, alæq; Anati cohibendæ, ut illam liberiùs dilaniet, & cerebrum, cor, hepar, lingua, unum aut ambo femora pro arbitrio prudentis accipitrarij in pabulum exhibenda. Verùm ſi fortè primo aggreſſu Anatem Falco non interfecerit, iter repetere, ac denuò ſubuolare permittendus erit, & cùm in altum ſeſe extulerit, iterum ex aqua ſubuolare Anas, ac in cãpum prodire cogenda. Quod ſi ipſam unguibus tenere conſpicietur, ſtatim Falconi ſuccurrẽdum erit, & iam toties repetita ratione paſcendus. Illud perpetuò obſeruandum eſt, qui expectatione ſua fruſtrari nolit, aut operam ludere, ut in omnem euẽtum Anatem uiuam ſecum ferat, uenatum prodiens, qua Falconi obiecta ſiquidem in Anatem illã è ſublimi irruat, neq; tamen occidat (ob multa, quæ moleſta accipitrarijs in uolatico hoc uenatu prẽter omnem ſpem incidere ſolent impedimenta,) paulò antè commiſſus error emendari, ac damnum reſarciri quoquo modo poſſit. Et ſi hanc ferit, aut capit, ſtatim, & modo, quem iam aliquoties docuimus, paſcendus erit. Ita enim fiet, ut Falco non minus oblectamenti daturus ſit, ac ſi priorem, quam fruſtra impetierat, Anatem interimiſſet.

## FALCONE IN ARBOREM QVAMPIAM ſe abdente, quid agendum.

SI fortè huius ingenij Falconem inſtituendum nactus es, qui cùm primo inſultu, aut ſecundo etiam, præda ſe fruſtratum uidet, ulteriorem uenationem detrectans, ſtatim in arborem aliquam ſecedat, ibiq; ſeſe ceu ignauus miles occultet, omni ratione cauere debes, ne ad perſequendum emittas loco arboribus conſito, ſed cures oportet, ut Anatem unam, aut alteram ad minus ſemper in promptu penes te habeas uiuas, & ſingulis ſocijs in diuerſa, nempe uni huc, alteri illuc abituris, ut Falconem uolantem diligenter obſeruent, unam cedas. Cùm uerò Falco præda fruſtratus

ſtratus ad arborem, in qua deſideat, pergere videbitur, ille, verſus quẽ Falco prouolare conſpicietur, Anatem Falconi in aërem obuiam proijciat, receptum paſcat, comiterq; admodum tractatum blandiſſimis uocibus deliniat, ac omni modo demulcere ſtudeat. Hoc enim pacto illud uitium depoſiturus eſt. Quod ſi nihilominus, triduo ac quatriduo hac arte uſus, nihil te proficere uidebis, neq; ingeniũ Auis mutare poſſe, author tibi ero, ut degenerem adeò, indocilemq; Auem, & indignã, in quã maiorem curam, ſumptumuè impendas, confeſtim abijcias.

## VT SCAPVS FALCONI PLANE familiaris ac gratus reddatur.

CVM omnia hæc prædicta ritè edoctus erit Falco, conueniet præterea curare, ut in ſcapum lubens aduolet, huic inſidere geſtiat, &, ut uno uerbo dicam, ſcapum amet. Quare cùm bis, teruè repetito uolatu prædam impetijſſe ac deturbare tentaſſe conſpicietur, ſtatim ſcapo excipiendus, ac pullo Gallinaceo, quem ipſe iugulârit, paſcendus erit. Et quãtò animo eſt maiori, ac ferociori, tantò ſæpius ex alto ad ſcapum inuitandus eſt, & à frequentiore interim Auium cæde prohibendus. Plurimos enim Falcones hac ſola de cauſa videmus ſcapum auerſari, neque eo reuocari poſſe facilè, quod iugulandis Auibus aſſueti cædis nimium auidi ſint. Quare non ſolùm cauendum eſt, ne frequentiori Auium laniena plus iuſto oblectentur, verùm præda nonnunquam, quam ipſi interimere, ſimulatq; cerebrum, & exta comederint, clanculum eripienda, & ſocio concedendi, cucullo q; impoſito ad teli iactum ad ſcapum reuocandi, & Anate iam antè à ſe occiſa paſcẽdi ſunt. Quod ſi fortè Anas ſemel icta amplius euolare, aut aquam relinquere nollet, ſed potiùs frequenti immerſione ſe abſconderet, tum canibus aut alia ratione capienda, Falconiq; ad ſcapum inuitato, iugulanda & in paſtam danda fuerit, adhibita interim verborum, acclamationumq; iam ſolita blanditie.

## FALCONE PRÆ NIMIA SAGINA pigro ac inobediente, quid agendum.

FIT nonnunquam, vt Falco plus iuſto ſaginatus nimis obeſus, & mollis euadat, ita vt non expediat iam amplius feris Auibus etiam à ſe captis eum paſcere. Quare poſtquam prædam iugulare permiſſus fuerit, & dum adhuc in occidẽda occupatur, accipitrarius cor vitulinum, aut femur Gallinaceum frigidum in Anatem in quatuor partes diſſectam inſerat, vt odore ac calore ſemianimis, & à recenti cæde adhuc calentis animantis imbuantur. Interea verò dum Falco Anatis cerebrũ, extaq; depaſcitur, cor illud vitulinum, aut Gallinaceum femur exemptum, & plumulis Anatis è collo tenuioribus inuolutum Falconi, tamen in pugnã prius recepto offeratur. Sic enim fiet, vt ventriculus probè expurgetur.

## DE FALCONE LONGIVS EVAGANTE.

SI fortè fortuna longiùs è conſpectu abripiatur, ac procul euagetur Falco, tum citato eum curſu ſtatim inſequi oportet, & altiſſimo clamore, ac uoce ſtentorea ſcapo aſſiduè rotato reuocare. Et ſi voci obediens accipitrarij ad ſcapum aduolarit, paſcendus, ac blandè excipiendus eſt, ac captam prædam occidere ſinendus. Et non ſolùm à prædæ paſtu prohibendus, ſed multò magis in eo, omni blãditiarum genere, popiſmatibus, ac lætis acclamationibus illi applaudendum, tanquam re benè geſta. Adulationes enim, & laudes probè à iurgio & contumelia diſcernit: & vt illis capiatur, ita his apprimè irritatur. Hac ratione exactè obſeruata, Falco, præſertim ſi anniculus eſt, ſtatim ad vocem accipitrarij reuocatus diſcet reuertere, pulchrumq; ac mirabile ſpectatoribus ſpectaculum præbebit.

# VT FALCONIS INDOLES GENEROSA ac natiua ſublimiuaga conſeruetur.

SI Falco ad lacum, aut riuum moratus, neque fugiens probè ſuo officio functus erit, non ſæpius, quàm bis ante meridiem ad prędam emittendus eſt, & poſtea, etiamſi nullam prædam ceperit, omnino paſcendus. Verùm ſit ſublimipeta, ac generoſi animi, non amplius quàm ſemel emitti debet. Alioquin inutilis ac degener euaſurus eſt, fietq; Auium lanio, ac cædis & rapinæ præter modum auidus. Cum itaque Falco ſi generoſus ſit, emiſſus è pugno in gyrum volet, ac veluti ſpiris quibuſdam volatu deſcriptis, in ſublimi ferri conſueuit, omni conatu moliendum, vt in eo ſtatu conſeruetur. Quod vt fiat, ſemper iuxta lacus, fluuioſq; ad prædam emitti debet, euitatis foſſis exiguis, ſpinetis, dumetis, ſyluoſis locis, ijſque, è quibus ob arundines, & ſimilia, quæ in paluſtribus naſci ſolēt, impeditus, vix queat ſe extricare. Difficulter enim, & non niſi magno clamantium, ac manus complodentium, canumq; latrantium ſtrepitu, vt euolet pręda, adduci poteſt. Imo ſæpenumerò venatoribus, ex equo deſiliendum eſt, vt è latebris prædam excutiant, & peditibus in lacum ingrediendum. Has enim omnes aut ſimiles ob cauſas fit, vt vilis, ac inutilis reddatur Falco ſublimipeta. Quandoquidem alti illi clamores, manuum complоſus, ac ſtrepitus, latratusq; canum, aqua præterea viſui Falconis ſubtracta propter arundines, & alia impedimenta faciunt, ut Falco veluti deliberandus, alis diſtentis ſuſpenſus in aëre hæreat, atque ita leniter deſcendat, inſtar Milui, ac Lanarij, inertium Auium. Quare ſi in id vitium bis, teruè incurrat, prorſus degenerabit, & omni poſtmodum uenationi ineptus erit. Quare ne in hunc errorem incidat, ſummoperè ſibi caueant accipitrarij. Verùm è contrario Falconem perpetuò ſublimipetam, ac generoſum conſeruabunt, ſi raræ Auium cędi indulgeant, & prædam ſemel fruſtra petitam, bis teruè ad ſummum denuò aggredi permittant. Et cùm huius rei gratia rotato uolatu maximè in ſublimè euaſerit, iam prædam inuaſurus, ſcapo prætento reuocandus eſt, reuerſuſq; paſcendus, Aue prius ad necem ſibi permiſſa. Ita enim in alto uolatu perſeuerabit, & ſcapum appetere conſueſcet, eritque aliàs reuocatu facilis. Vnum hoc loco admonitos accipitrarios, aliosq; huius artis ſtudioſos uolo, quod, ſi quotidiè prædam ſibi capere, ac enecare permittant, modò id faciat è ſublimi in eam irruendo, ac unico ictu occidendo, non autem longo cruciatu excarnificando, tum uel maximè Falco ſublimipeta conſeruetur, imo indies magis altiuolus reddatur. Verùm is ſcapi planè obliuiſciturus eſt adeò, ut quò magis eum reuocaturus inſecutus fueris, hoc ipſe longiùs profugiet, ac herū ad inſequendum perniciſſima, longaq;, ac moleſta equitatione compellet, fietq; ut aliquando etiam incaſſum eum inſequatur. Ante omnia igitur neceſſe eſt, ſcapum Falconi amicum, ac familiarem reddere, curareq;, ut eo reuocatus lubens aduolet. Etenim non minus laudi datur Falconi ſublimipetæ, ſi ad ſecundum aut tertium ſcapi rotatū caput inclinet, ac teli inſtar deorſum in ſcapum irruat, quàm ſi de præda uictoriam reportet. Imo hoc nomine minoris longè æſtimandi ſunt, quàm illo, & maiorem mæretur laudem accipitrarius ille, qui ad ſcapū reuocatu facilem Falconem reddidit, quàm is, qui prædam capere, & interimere rectè addocuit. Efficere enim, ut ad ſcapum reuocanti pareat, induſtriæ eſt, ac diſciplinæ, cædes uerò Falconi, ut Aui rapaci, naturalis eſt.

# VT FALCO SVBLIMIPETA SVBVOLET.

ACCIDIT ſæpenumerò, ut in altum euolare detrectet Falco, etiamſi natura ſua ſublime petat, ſed dum aucupes Anatem ex aquis fugare ſtudent, ipſe deorſum labatur, antequā Anas ſubuolet. Quod quidem potiſſimùm contingit, uel quia nimia fame premitur, uel quia intempeſtiuè, & hora inſolita uenatum deductus, ac è manu ad prædam emiſſus eſt. Si itaque fic peccare citra cauſam aliquam euidentem cōſpicietur, conſultum erit, aut Anatem, aut pullum Gallinaceum exanimem ei obijcere per ſcaramazzo, ut Falconarij noſtri loquuntur, tum capitio caput negligenter induere, & ipſum nōnihil offendere de induſtria, ut uidelicet huiuſmodi vitia dediſcat. Neque enim vitium in ipſum cadere poteſt maius, quàm ſi in prædam, antequam ad ſublime aſcendat, ſtatim inuolet. Cui quidem non alia meliori ratione, quàm hac mederi quempiam poſſe longo admodum vſu edoctus affirmat Carcanus. Poſtquā itaq; Auem quampiam mortuam, eo modo, vt dictum eſt, ei obieceris, ac inter induendum galericulum

culum duriuſculè ipſum tractaueris interiecta media hora ad ſcapum denuò vocabis, ac paſces, idq; toties iterabis, quoties in idem illud vitium impegerit. Verùm quò neque eſuries, neq; hora emiſſionis intempeſtiua huiuſmodi ignauiæ anſam præbeant, neceſſum in primis eſt, vt accipitrarius ſumma diligentia ſuorum Falconum naturam, ingenium, necnon temperamentum perſpecta habeat; Sic enim qui eorum largiori, qui pauciori alimento indigeant, quique magis famelicus, & qui minus, quì deniq;, qua hora, nempe an exoriente ſole, aut duabus plus minuſuè pòſt horis, an citius, an ſerius, aut hic, aut ille ad venatum emitti debeat. Diuerſiſſimæ enim ſunt Falconum naturæ, adeò vt ſi Falco quiſpiam tempeſtiuè, nempe hora debita, ac conſueta emittatur ad prædam, tantum à ſeipſo intempeſtiuè emiſſo, quantum Falco generoſus à Miluo ignobili differre in venandi modo deprehenſus ſit. Vnde diligentiſſimè ea naturarum varietas animaduertenda eſt, vt cuique pro indolis ſuæ ratione, ac temperiei congrua inedia adhibeatur, qua ceu ſtimulo quodam in prædam audacior feratur. Et vt viciſſim conuenienti hora educatur, ac emittatur, atque vt ante emittendi tempus horis aliquot ſub dio exponatur. Illud enim ſcire oportet Falcones omnes tam hornotinos, quàm qui deplumarunt, vti & feros, & omnis adhuc diſciplinæ rudes, ſub veſperam duabus, aut tribus horis aëri exponendos eſſe, quemadmodum etiam manè in aurora, temporis interim ſpatio pro robore cuiuſque maiore aut minori, aucto, aut imminuto. Induti verò prius capitio ſub dio relinquendi ſunt, donec conſcenſis equis accipitrarij rus proficiſci volent. Ita enim ſemper ad venationem parati erunt.

Ingenium Falconisco gnoſcere neceſſe.

## VT ARDEAS VENETVR.

SED reliquum eſt, vt rationem inſtituendi Falconis ad Ardeas captandas doceamus. Quæ quidem venatio, etſi nobiliſſima, & ſpectatu iucũdiſſima ſit, non tamen tantæ in hac, quantæ in priori induſtriæ locus eſt. Quandoquidẽ Falco Ardeam ſpontaneo quodam naturæ impetu, tãquam peculiarem ſibi hoſtem inuadit. Verùm in lacubus Anates, aliasq; huiuſmodi Aues venatur, accipitrarij diſciplina, ac diligentia inſtructus. Si itaque Falcones, qui hactenus in riuularia ſeu Anataria venatione ſeſe exercuerant, iueũte uere ſub principiũ Martij, quo ferè tempore ad nos commeare ſolent Ardeæ, ad harum venatum inſtruere eſt animus, tum à lacuſtri venatu aliquandiu feriari neceſſe eſt. Interea verò dum vacant à venandi munere, expurgari eos decet, ac extenuari conuenienti victu. Quod fiet, ſi prædæ ſylueſtris eſca ipſis ſubtracta, huius loco vitellina caro, veruecinumuè cor, aut agninum, pulliuè Gallinacei in cibum præbeatur. Deinde in conſpectu alterius ſocij ad ſcapum vocandus eſt, ſuntq; duo ſimul inſtituendi, quo videlicet mutuæ ſocietati aſſiueſcãt, vnàq; uolare, ac Ardeã inſequi, & ſibi mutuò, cùm opus erit, opem ferre diſcant. Hoc interim ſumma cura cauendum eſt, ne ſeſe mutuò capiãt, aut perſequantur, quod alioquin facturi ſunt, cùm ad prædam vnà emittuntur. Quæ res non ſolùm cum periculo mutuæ offenſionis coniuncta eſt, ſed in exitium etiam vtrumq; perducit. Cùm itaque eo pacto extenuati, atque expurgati fuerint, vt ita cibum appetant, & verè famelici dici queant, tum Ardeam viuã in promptu habeat accipitrarius, cui roſtrum ſuperius arundinis, aut melicæ, quæ & ſorgo vulgò dicitur, internodio ad longitudinem plus minus dodrãtis vnius inſerat, ne videlicet Falconem roſtri acie offendat. Dehinc Ardea funiculo alligata humi deponatur, atque interea capitio Falconi detracto, loro nonnihil attrahatur, atque loco moueatur, vt in eam viſam Falco ſtatim inuolet, ac comprehendat. Quam ſi adortus ceperit, tum extemplò ei ſuccurrendum, & vt Ardeam iugulet permittendus, & oſſulis (vulgus accipitrariorum ſoppam vocat) è cerebro, oſſium medullis, ac cordis carne ſimul mixtis è manu paſcendus, deinde reſciſſo, ac aperto pectore Ardeæ ad ſatiem uſque explere concedant. Hiſce ita obſeruatis, dũ adhuc Ardeę inſidet, capitio induatur, & omni libertate indulta, blandimentisq; adhibitis plumas aliquandiù vellere ſinatur, dehinc denuò in pugnum recepto, ala ſiue pes ad tempus aliquod conuellenda detur. Quod ſi fortè manſuefactarius, ut plerumq; fit, Ardearum copia deſtituatur, hac arte defectum ſupplere poterit. Roſtro primùm Ardeæ viuæ ea ratione, qua expoſuimus, harundinis calamo induto, fruſtum pellis vitulinæ, aut alterius generis, ea longitudine, qua eſt Ardeæ collum, inſtar vaginæ circumſuito, atque ea forma effingito, vt capitis, colli, ac humerorum figura, tũ penicillo, aut calamo depicta, veram Ardeam referat. Illam humi, quo diximus modo, collocatam, ſi Falco inuadat, pullus Columbinus adhuc plumeſcens in promptu habendus eſt, & ſub Ardeę alis, ne fraudem Falco percipiat, dextrè obtrudendus, vt iugulatum depaſcatur. Inde Ardea reponatur, ut ſequentibus diebus ad ſimile ſtratagema vſui eſſe queat. Poſtridiè in pratum, ſeu alium quemuis locum idoneum prodeat manſuefacta-

Cur Ardeã Falco inſequatur.

Soppa.

ſuefactarius,manu Falconem geſtans,& qua iam expoſuimus ratione,Ardeam ſocio ſub axil lis abſcondendam tradat, is vltra lapidis iactum à Falcone conſiſtat,tum detracto Falconi galericulo Ardeam in mediocrem altitudinem proijciat. Quam ſi Falco inſecutus fuerit,vnguibusq; comprehẽderit, Columba clam ſub Ardeæ alis obiecta,ut antè diximus,paſci debet,uel nullo blandimenti genere prætermiſſo. Tertio die ſimili pacto rus uenatum proficiſcitor, & collega longiùs,quam pridiè a Falcone recedat, Ardeamq;, quanta poteſt ui, in altum proijciat,quam ſi Falco quoque ceperit, eadem quæ antè agenda monuimus,obſeruato. Hiſce rationibus inſtructus Falco,ſi probè ſuo munere fungitur,poſtridiè in campo ſpatioſo Ardea libera,nuda,atque nullo funiculo alligata emitti poteſt, poſt illam, cùm in tantam altitudinem ſublata fuerit, ut iam in aére liberè uolitans ſatis ſublimis uideatur. Falconem ſimiliter emitto,& ſi unguibus eam comprehẽderit,ſtatim opem ferto,roſtrum Ardeæ humo infigito, alas, crura diffringito, ut faciliùs eam iugulare poſſit, dehinc Ardeæ cerebrum, oſſium medullam, & cor in cibum ſimili,quam antè diximus,ratione offerto. Multi alia quoque ratione Falconem ad Ardeæ uenatum inſtituunt. Hominem in arborem inſilire iubent, ex ea Ardeam in ſublime iacere,ipſi uerò confeſtim Falconem ad hanc captandam emittunt, captaq; paſcunt. Verùm in hiſce tyrocinijs,quibus Falconem in Ardeas animare,& ad earum perſequutionem inſtruere lubet,iudicium adhibẽdum eſt manſuefactario,ut quò alacrior,ferociorq;, cùm uenatum exportatur,Falco uidetur,eò prædam captu difficiliorem ſibi proponat.

Alia ad Ardeæ venatum inſtitutio.

# VT FALCO VENETVR ARDEAM feram & liberam.

CVM Falco hiſce modis Ardeam nunc animoſius alacris & inuadere edoctus erit,tunc manſuefactarius Ardeam in agris ſylueſtrem diſquirat,& ad inuentam,quàm proximè, fieri poteſt,accedat,Falconemq; cui prius laxauerit capitium,eò,unde uentus ſpirat,geſtet,ac ſimulatq; Ardea ſubuolarit,continuò capitio exutum emittat. Quod ſi Ardeam aggreſſus comprehendat, atque ita unguibus uinciat, ut una ſecum deorſum in terram trahat, ſtatim ei ſuppetias ferre oportet, ut ſupra diximus. Poſthęc è chirotheca,corde,cerebro,& oſſiũ medullis ſimul permixtis paſci debet,modo antè expoſito. Verùm ſi Falco neque perſequeretur, neque ſuperaret Ardeam,in quam emiſſus eſt,illi ulterius fidere, aut alteram Ardeam monſtrare minimè debet accipitrarius, niſi adhibito alio Falcone, eoq; feroci, exercitato, ut rudis ille eius exemplo animetur. Quum itaque communi Marte, ac iunctis uiribus ſtrauerunt, ac occiderunt Ardeam,unà etiam tanquam communi præmio cohoneſtati,exta eius,cerebrum,ac medullam etiamnum calentia depaſcant. Ita timidus, & puſillanimis ipſe animos capiet, & ſtrenuus euadet. Si uerò accidat,ut Falco ſua ſponte Ardeam inuadat,tum præda pro libidine potiri eum magiſter ſinat. Ita enim animoſior ſemper fiet. Profueritq; interdum illi talem uenatum, ludumq; liberum de induſtria concedere. Et hæ rationes ſunt, Falcones ad Ardearum aucupium inſtituendi.

# DE MORBIS FALCONVM.

ACCIDVNT Falconibus affectus,& morbi ferè omnes,quibus reliquos Accipitres corripi antè diximus. Sunt tamen fortiores pleruq;, ac morbis cùm externis,tùm internis faciliùs reſiſtunt. Cùm verò eadem propè, aut ſimillima ſit rapacium omnium natura, eadem quoque omnium curandi ratio eſt. Quare,quamuis Falconum curam ex tractatu, de generali Accipitrum curatione petere liceat,ſiquidem remedia à veteribus vſurpata, à nobis diligenter indicata ſunt, tamen hoc loci recentiorum plurimis experimentis comprobata, & præſertim Franciſci Carcani noſtrę ętatis in hoc Falconũ aucupio peritiſſimi,in mediũ quoq; producere nõ grauabimur. Quę tamen & ipſa omnibus in vniuerſum Accipitribus applicari poterunt.

Falcones facili⁹ quã Accipitres morbis reſiſtunt.

Quot modis afficiãtur.

Falcones igitur, vel etiam omnes Aues rapaces morbis corripi poſſunt, vel quoad corpus, vel quoad pennas. Voco autem morbis capi, ſeu ægrotare Aues rapaces tunc, cùm actiones eas,quas ſanæ exercere ſolent, obire nequeunt, cuiuſmodi ſunt volare, prædam unguibus arctare,deuorare,&c. Solent verò ſecundum corpus affici,vel à cauſa externa, ut quando contunduntur,aut vulnerantur, vel cùm oſſa franguntur: vel à cauſa interna, vt à uitioſis humoribus,

ribus, qui generantur aut ex nimia ac intemperata humiditate, uel caliditate capitis, uel à siccitate ingenti pulmonũ, gutturisue. Vnde asthmate morbo frequentissimo, & periculosissimo laborare solent. Solent præterea affici secundum pennas, quò fit ut sæpè corpore integerrimo, & optimè sano, uolare tamen nequeant, uel effractis, uel aliter mutilis, uel extractis, maximè uerò ob pennarum neruos, qui etiam interdum ob contusionem alarum corrumpi solent, sanguine scilicet in pennarum tubulos per oscula subeunte. Posteaquam uerò omnes ferè Auium morbi ab excrementis dignosci queant, quæ cùm ab ore, beneficio medicamenti purgantis, tùm ab aluo exeunt, itaque ea diligenter ab aucupe cognoscenda, ac considerandaueniunt. Bona verò & mala excrementorum signa ex Accipitrum generali tractatu repetere licebit.

Asthma in Falconib⁹ frequens.

Vnde Auiũ morbi cognoscãtur.

# DE FEBRI, EIVSQVE CVRA.

FEBRIS Falcones primùm cum pauco frigore, deinceps cum calore manifestissimo solet inuadere. Cognoscitur autẽ, qando nonnihil tremere, alasq; pendulas gestare, & caput inclinare conspiciuntur. Solent etiam plumulæ illæ, quæ sub mento sunt, contorqueri instar barbæ, & tunc plerumq; cibum respuunt, & omnino calidi, si manu tangantur, persentiuntur. Quando igitur hæc signa vel omnia, vel quædam adfuerint, certò iudicare potes Auem illam febricitare. Quod mali genus periculum quidem minatur, non tamen perpetuò. Plurimos enim eo liberari vidimus. Omnis verò curandi scopus in refrigeratione positus est, cùm febris ipsa calida sit affectio. Quod ad victum itaque primùm attinet, dandum femur Gallinaceum, aut pulli plumescentes, aut aliquæ ex auiculis minutis, Passeribus tamen, qui calidissimi sunt temperamenti, exceptis: quæ omnia prius in aqua buglosse, aut endiuiæ macerata sint, ac deinde antequam Falconi obijciantur, probè detersa. Vtile præterea fuerit perticam, seu contum, cui insistit, ac etiam pedes, æstiuo præsertim tempore, madefacere plantaginis, aut lactucæ, aut semperuiui succo, quandoque & hyoscyami, aliarumq; similium herbarum refrigerantium. Oportebit quoque loco quopiam separato, ac à turba semoto eum detinere obscuro & frigidiusculo. Hæc tamen adhibenda est cautela, ut si gracilis admodum fuerit & extenuatus, bis singulo die cibetur modicè. Et si hac ratione à febri nõ liberatur, à ratione alienum non erit in purgatione, quæ stuppeis, vel bombycinis turundis fit, Rhabarbari electi in puluerem redacti ℈ ii. Falconi exhibere. Bilem enim febris fomitem sic ritè vacuabit. Sunt qui velint sanguinem è vena coxendicis detrahendũ esse, quamuis Carcanus dicat nunquam hoc remedij genere se vsum, tamen conferre posse putat, si modò commodè ea sectio administrari queat. Imò magis ex vsu futurum existimo, si ea quæ sub ala dexra vena est, secari possit, Hoc enim modo è vestigio hepar refrigerari posset, atque adeò vniuersus corporis habitus.

Curatio.

Victus.

Periticę quales.

Venæ sectio.

# DE MORBIS CAPITIS, AC primùm de Apoplexia.

APOPLEXIA morbus capitis in Falcone est grauissimus, ac periculosissimus, qui vt plurimùm originem ducit ex nimia obesitate, seu repletione, aut sanguinis copia, vnde venam aliquam in capite disrumpi contingit, sanguinemq; effusum in cerebri quapiam parte colligi, nempe in ventriculis, in quibus medici spiritus animales generari tradunt, sine quorum ope animal, nec sentire, nec moueri ullo pacto potest. Vnde obturatis spirituum meatibus, necesse est Falconem, quamuis robustissimum subitò extingui. Potest & hoc malo corripi Falco, si diutius, quàm par est, sub ardente sole persistat. Huius enim vi tanta humorum copia, & in caput attrahi, attractaq; liquari potest, & in reliquum corpus diffluere, ut, si in capite hæreat, apoplexiam, sin aliò lapsa, alios morbos facilè pariat. Idem contingit ob diuturniorem uolatum sub æstuante sole, quando vel Phasianum, vel Perdicem magna contentione insequitur. Ab his itaque causis Falconem diligenter tueri oportet. Quod ad nimiam plenitudinem attinet, scire licet Falcones, dum deplumescunt, plurimùm sanguinis, ac carnis coaceruare. Oportunum itaque erit, per quindecim aut viginti dies continuos, antequam pennas omnes veteres cum nouis commutârint, eos nutrire cibis leuioribus, ac liquidis, quales sunt, cor vitulinum, agninum aut caprillum, tepida ablutum, deinde linteo probè extersum. Item pullastri, pipiones, &

Cauſę apoplexiæ.

Curatio.

Victus.

nes,& Paſſeres implumes ac tenelli. Hiſce ritè obſeruatis, cùm iam pennas mutare deſierint, ex auiario ſeu loco,in quo plumas depoſuerunt,ac toto mutationis tempore egerunt,eximendi erunt,aliiſque viginti diebus iiſdem cibis reficiendi, ac frequenter pugno geſtandi, præſertim veſperi. Vtile quoque fuerit purgare ſaginam vētris pauxillo aloës lotæ in puluerem contritæ, ac fabæ magnitudine exhibitæ, inuolutę paucula lana xylina. Vti etiam licet ſaccharo candido per duos aut tres dies tempore matutino. Neque vllo pacto aloë non lota vtendum eſt: peſſima enim ſymptomata excitare ſolet. Butyrum etiam, & lardum frigida octies aut decies abluta, ac ſaccharo excepta plurimùm prodeſſe ſæpius ſeſe expertum Carcanus affirmat. Si fortè propter has purgationes appetitus deijciatur, immingere cibo, dein abſterſum offerre utiliſſimum fuerit. Hac ratione à morte ſubuentanea, aliiſque grauibus ſymptomatibus liberabitur.

# DE APOSTEMATIBVS CAPITIS.

Cauſæ. Signa. Curatio.

SOLENT Falcones,quemadmodum & Aſtures,alięq; rapacium ſpecies,obnoxij eſſe tumoribus, ac apoſtematibus capitis malo ſanè periculoſiſſimo, quod quidem naſci ſolet ab humorum prauorum redundantia, ac capitis caliditate. Cognoſcitur verò hoc mali ex oculorum intumeſcentia, ex humore per aurium meatus effluēte,ſæpè etiam ex odore fœdo, & à Falconis ad motum pigritia,ac tarditate,quam cùm in capite, tùm toto corpore præ ſe ferre videtur. Ad hæc mala curanda,neceſſarium erit purgare primùm vniuerſum corpus,deinceps ipſum caput. Vniuerſalis ea purgatio perfici poterit ſingulo manè,per triduū,aut quatriduum pilula ex ʒi butyri aliquoties frigida ablati, dein aqua roſacea macerati, denique momento mellis roſati,aut ſacchari fini inuoluti aui exhibita, tam diu in pugno geſtari debet, donec ſemel atque iterum aluum deijciat. Dehinc capiti ſuccurrendum, exonerādo hoc medicamine. ℞. ſeminis rutæ ʒ iiij. aloës hepaticæ ʒ ii. croci ℈ i. ſ. Hæc omnia ſimul in minutiſſimum puluerem redigantur, & cum melle roſato in pilulam efformentur, eius magnitudinis, ut in palati foramē illud, per quod cerebrum expurgatur, commodè ita penitus immitti poſſit,vt os inſpicienti non appareat. Quo peracto Falco in pugno aliquandiu geſtandus loco quopiam oportuno,ac duabus pòſt horis cibus ei hora conſueta calidus,optimiq; nutrimenti offerendus. Sin verò putres humores in aure collecti fuerint, ſtilo opus eſt argenteo ab una parte acuminato, ac media acie ſecto ſeu crenato,quo lana goſſypina inſeratur:ab altera verò nonnihil complanato in ſpatulæ formam ea latitudine,ac magnitudine,quæ auris ipſius meatui reſpōdeat,quo ſordes craſſiores quidem parte hac latiori, ut tenuiores altera nempe acuminata, cuius crenæ goſſypium immiſſum fuerit,extergi queāt. Statim verò in purgatam aurem inſtillandum paucum oleum amygdalinum dulce, tepenſq;, dein goſſypio auris obturanda, quò tamdiu intus retineatur oleum,donec denuò eadem curatio iteretur, quò emolliri, & ad exitum præparari ſordes illæ poſſint Atque hoc tam diu agendum, donec apoſtema vniuerſum reſolutum, ac diſcuſſum fuerit. Verùm ſi nulla parte expurgetur, at in capite pertinaciter hæreat, ad ignem deueniendum,atque occiput cauterio inurendum eſt, ad exiccandam, atq; deriuandam corruptam illam materiam. Ipſa uerò eſchara à cauterio facta, butyro per octo aut nouem dies inungenda eſt. Notandum verò,ſi fortè Falco aut non uelit aut non poſſit cibum roſtro comminuere, tum in fruſtula minima ſecandus eſt, eiq; offerendus, aut ingerendus etiam inuito. Adhibenda interim omnis diligentia vt ſua ſponte,ſi fieri poſſit,roſtro illum dilaceret. Sciendum enim Auem peſſimè ſe habere,cùm ſponte non capit cibum. Nam ex centenis vix vnam aut alteram ſic affectam, mortem euaſiſſe Carcanus affirmat, & ſe quidem ſaltem vnius hac ratione à ſe curatæ meminiſſe poſſe.

## De deſtillationibus capitis, inflationibus, tumoribus, vitijsq; oculorum & narium.

CONTINGIT Falcones, aliaſque Aues rapaces deſtillationibus capitis laborare,cùm ex nimio labore incaluerunt,ſi ſtatim aëri frigido exponantur, aut pluuia maduerint, pruinauè refrixerint, aliiſuè huiuſmodi aëris iniurijs offendantur,maximè cùm corpus prauis humoribus refertum eſt. Ex deſtillatione ſolent quandoque plurima incommoda oriri, qualia ſunt, capitis totius intumeſcentia,oculorum frequens lachrimatio ſeu lippitudo, quę facit,ut oculi ſæpè gracileſcant,

item

:m nares ſanioſa quadam humiditate manantes, quæ ſingula mala, remedia peculiaria requi-
i nt, Primum itaque Auem expurgare oportet vel butyro præparato, eo, quo ſuprà diximus, Cura.
modo, vel oleo oliuarum ea ration :, quã in capite de aſthmate exponemus, præparato. Sæpenumerò felici ſucceſſu in catharro Falconum, aliarumq; Auium hoc remedio vſus eſt Carcanus. ℞. agarici ℈ ij cinnamomi optimi, ſucci liquiritiæ ana ℈ i. In puluerem tenuiſſimum redigantur, ac cum melle roſato facta pilula fabæ magnitudine exhibeatur. Puluis caryophillorum, piperis, & ſeminis ſancti æqua portione in nares per fiſtulam inſuffletur. Condimentum ex ſinapio, quo hyeme vtimur, fabæ magnitudine, Falconi datum, aut palato affricatum, caput omni humore exonerat. Si nares ſanie fluunt, cum melle roſato fiat puluiſculus, includatur linteolo mundo, ac in aceto fortiſſimo maceretur. Huius guttæ aliquot expreſſæ Falconi plurimùm profectò conducent, expurgando & exiccando excrementitios eos humores. Qui ſi hiſce remedijs exhauriri non poſſunt, ad ignem neceſſariò confugiendum erit, non in capite ſolùm, ſed etiam circa nares, ac paululum infrà, vt harum foramina reddãtur ampliora. Diligenter verò cauendum, ne narium mediaſtinum lædatur. Poſt inuſtionem, donec dolor omnis ceſſet, ac eſchara decidat, butyro recenti locus inungendus eſt, dehinc vulnus ferruminandum puluere maſtichis, aut thuris. Idem faciendum, cùm nullis alijs remedijs te proficere videris in capitis obſtructione ex nimia pituita, capitisq; ea pars, quæ ſupra ſuturam (rauanello vocant Rauanello
accipitrarij) inurenda eſt ferro candenti, cautè tamen, ac ita, vt oſſis cranij, quod tenuiſſimum eſt in Auibus, ratio ſemper habeatur. Antequam verò locus inuratur, expediet plumulas ſupra, forfice detundere.

# DE VERTIGINE.

PER vertiginem, quod mali genus Itali capo ſtorno vocant, illud ſymptoma intelligitur, quo affectis Falconibus, vel alijs etiam Auibus tantus capitis dolor, aut debilitas accedit, vt id firmum immotumuè tenere, aut pro libitu regere non queant, ſed modo huc, modo illuc inclinent. Huius ſymptomatis vi ſæpè contingit Falconem ex pertica, vel ex aëre, dimiſſa præda in terram tanquam mortuum delabi. Hoc malo Carcanus plurimos liberauit hoc remedio. ℞. aloës hepaticæ ℈ i. caryophyllorum gr. ij. Redigantur in puluerem, ac inuoluta goſſypio Aui exhibeantur. Poſt horas duas dẽtur in cibum pulli Gallinacei, aut Columbacei tenelli. Hoc tribus aut quatuor diebus ſingulo manè repete. Si hac ratione non liberatur, exhibita prius vna atque altera purgatione, cuius ſæpè meminimus, ad vſum cauterij deueniendum erit, & reſectis prius pennis occiput ita inurendum, vt cutis tantùm, non cranium offendatur. Capo ſtorno. Cura.

# DE OCVLORVM SVFFVSIONE, ſeu hypochimate.

PRAETER iam enumeratos oculorum morbos ſolent & ſuffuſione ſeu catarrhacta Falconum oculi tentari, malo ablatu difficillimo, ſæpè etiam impoſſibili, præſertim vbi iam inueterârit, aut craſſitiem nimiam acquiſiuerit. Recentes verò, vt ait Carcanus, ſæpiſſimè & nullo negotio curantur. Solet hoc malum oriri ab humore ipſius capitis craſſiore, qui viſum impedire, ac quandoque prorſus obſcurare ſolet. Et fortè pileus, qui Falconum capiti imponitur, in cauſa aliquando eſt. Etenim vix in alia Aue, quàm Falcone hoc vitium conſpexiſſe ſe idem ait, vtpotè qui omnium maximè pileolum geſtet. Huic igitur malo quamprimùm occurrẽdum erit vno atq; altero die manè exhibita purgatione ex aloë, aut agarico, ne, ſi non præmiſſa vacuatione vniuerſali, localia tantùm medicamenta ipſi oculo adhibeantur, maior è toto corpore humorum ad oculos fiat affluxus. Poſt hæc vti conuenit puluere minutiſſimè trito ex aloës hepaticæ lotæ ℈ i. ſacchari candi ℈ ij. qui in oculos inſufflandus erit per tubulum argenteum, aut pẽnam Anſerinam bis, teruè ſingulo die. Neque ab re fuerit aliquando oculum vrina pueri abluere. Et ſi his remedijs malum non cedat, ad vehemẽtiora deuenire oportet. Capiatur ouum recens, tantiſper coctum, donec albumen lactis conſiſtentiam referat, quod linteo exceptum adeo exprimatur, vt liquor clarus, ac virens extillet. Huius aquę vna aut altera gutta xylino excepta in oculum affectum infundenda eſt bis teruè, ſingulo quoque die, donec Auis omnem ſanitatem recuperârit. Denique ſi neque hoc iuuerit, mirum in modum laudatur vſus ſucci radicis chelidonij optimè a luto ac ſordibus expurgatæ, & ſuperficietenus abraſæ. Hunc mirabilem præſtare effectum reapſe ſe didiciſſe ait Carcanus. Falco cur catarrhactæ ſubiectus.

DE

# DE MORBIS ORIS.

OS Falconum, Accipitrumuè multis quoque malis afficitur. Oriuntur enim quandoque in hoc carunculæ albicantes aut nigricantes, quæ impediunt, ne more ſolito cibum roſtro impetat, aut aſſumat. Vnde fit, ut nullam aliam euidentem ob cauſam gracileſcant. Quare diligenter os inſpiciendum eſt, præſertim circa palatum, & ſub lingua. Illis enim locis carunculæ huiuſmodi exceſcere ſolent ad magnitudinem grani piperis. Hæ igitur auferendæ ſunt, ac reſecandæ, vel forcipe, ſi id commodè fieri queat, aut alumine petræo combuſto, aut guttula olei ſulphuris deſtillatiti, excepta goſſypio, ac ſtilo impoſito. Caruncula abſumpta melle roſato, ac lana xylina locus inungendus, & abſtergendus eſt, donec caro rubicunda, ac munda appareat. Poſtea melli roſato miſcendus puluis, ex maſtiche aut thure, vulneris conglutinandi, ſeu conſolidandi gratia, quod vino albo aliquoties erit abluendum.

Termites quis morbus. Curatio.

Præter hoc aliud quoque malum ora Falconum afficit, nempe termites, ſeu exigua quædam vulnera, quæ idem incommodum, quod carunculæ afferunt. Poſſunt autem ipſa αὐτοψία, & à manducandi, ſeu deuorandi difficultate facilè dignoſci. Curantur nonnunquam ſolo melle roſato, vel puluere ex nucleo nucis, & tithymalo, quæ linteo madente arctè ligata, ac cineribus feruentibus ſubiecta, tandiu torrentur, donec in puluerem ſubtiliſſimum redigi queant. Hoc puluere bis ſingulis diebus, donec omnino malum curetur, vtendum erit. Qui ſi inefficax eſt, locum affectum aqua forti aurifabrorum contingere oportet, diligenter cauendo, ne partes vicinæ, aut aliæ ab affecta tangantur. Nam & ſanam carnem exulceraret. Cùm verò mortificatum malum ipſum fuerit, atque extinctum, mundandum ac conſolidandum erit melle roſato, quod facilè ex voto ſuccedet. Auium quoque roſtrum eodem interdum ſolet morbo corripi. Quodſi cõtingat, cultelli apice vlcuſcula abradantur. Si verò termes roſtrum ipſum perforaſſet, ac rhagadem, ſeu fiſſuram, rimulamuè reliquiſſet, roſtrum in ambitu termitis nonnihil reſecandum, ac abradendum erit, ac poſtea locus abraſus melle roſato inungendus, idq; ſi iterum atque iterum feceris, ſtatim hoc mali curaueris.

# DE ASTHMATE.

Cauſæ.

INTERNARVM pectoris partium peculiaris & periculoſiſſimus morbus eſt aſthma, & Falconibus frequẽtiſſimus, ac perſæpè exitialis. Mali huius plerunque cauſa eſt nimia pulmonum caliditas, ipſoſmet, cæteraſque partes reſpirationis ſeruientes exiccans, adeò vt liberè nec reſpirare, nec expirare poſſint. Vnde inflammatio in illis partibus excitatur, quæ mortem tandem inducit. Solent etiam quandoq; deſtillationes à capite in pulmones irruentes, illoſque ſuo lentore infarcientes, ac branchias obſtruentes, huic malo originem præbere.

Curatio. Signa.

Principio itaque obſiſtendum, antequam malum inualuerit, altasq; radices egerit. Tunc enim nulla amplius ſalutis ſpes ſupereſt. Malum hoc ab initio cognoſcitur, ſi thorax infernè multùm ac vehementer pulſet, caudamq; modò ſurſum, modò deorſum moueat, iuxta thoracis motum, neque alui excrementa deijciantur quandoque, & ſi fiat, fæces compactæ ſint, exiguæ, orbiculares & ſiccæ admodum. Exmotu præterea thoracis violentiori ſolitò cognoſcitur. Præterea ſi ſæpè roſtro aperto hiat, illudq; ſurſum claudit, tum ad ſummum peruenifle malum indicio eſt, ac tantò magis vigere, quantò frequentius roſtrum aperit, & operit. Quo caſu malum immedicabile cenſeridebet. Dum verò adhuc recens eſt, optimum ac præſentaneum remedium hoc eſſe ſæpenumerò Carcanus expertus eſt. Purgetur Auis oleo oliuarum maturo, frigida tamdiu abluto, donec albeſcat. Lauari autem ſolet oleum in ſcutella figulina, cuius fundo paruum foramen ſit, vt commodè vno digito ſuppoſito claudi poſſit: in quam cum pura aqua immiſſum oleum cum ſpatula, uel cochleari tam diu agitetur, donec aqua aliquantum turbida appareat, tum digito amoto, oleo retento, aqua ſubſidens emittenda. Hocq; toties repetatur donec oleum ab omnibus ſordibus probè eluatur. Oleum hoc receptum in purgatum pullaſtri inteſtinum, quatuor digitorum tranſuerſorum longitudine, vtrimq; filo munitum, uacuæ gulæ Auis immittendum. Quo exhibito Falco in pugno tantiſper retinendus eſt, donec aluum exonerarit. Hora deinde vna elapſa nutriendus erit cibis liquidis, non ita ſolidis, vt corde uitullino, aut femore pulli Gallinacei. Columbarum verò pulli grandiores fugiendi, necnon Paſſerculi, utpotè naturæ calidioris, niſi fortaſsè admodum extenuatus fuerit. Si uerò obeſus ac carnoſus ſit, cibi priores enumerati utiliſſimi erunt, qui tamen magis etiam conferent, ſi in aqua bugloſſę macerentur, ac pòſt panno linteo abſtergantur, ſaccharig; polline

conſ per-

conſpergantur. Quod ſex aut ſeptem diebus continuis obſeruandum eſt, donec ad priſtinam ſanitatem redierit. Exhibenda eſt præterea tertio aut quarto quoque die purgatio, quam uocant accipitrarij, ſeu turunda, boluſuè bombycinus cum cubebis, ac caryophillis, ad euacuandos humores, abſumendosq; qui in capite deſtillant, à quibus, ut diximus antè, huius mali cauſa potiſſima dependet. Iuuat præterea & ipſum butyrum, necnon lardum, toties abluta, donec albeſcant, ſordesq; omnes deponant: conſeruanda deinde in aqua roſacea, ſingulorum cùm opus erit, omni ratione præſcripta, ea quantitas Falconi danda, quanta ab eo commodè deglutiri poſſit. Mirabile præterea præſidium in hoc caſu præſtare comperimus, oleum amygdalarum dulcium in inteſtino pulli Gallinacei exhibitum. Si verò hæc omnia nihil iuuerint, neque aluum irritauerint, aut ſoluerint (quod tamen, niſi cùm prorſus immedicabile malum eſt, non accidere ſolet) uſus agarici goſſipio inuoluti uehementer probatur. Sed ſi neque hac ratione malum curare licet, ad cauterium tanquam extremum remedium cõfugiendũ, fronsq; intra oculos, & nares inurenda. Sunt præterea quibus placet partem caudæ lateratæ duos digitos largam in fauces deglutiendam inſeri, Falconemq; tamdiu loco quopiam obſcuro detineri, donec deijciat, deinde lac caprillũ ſanguine Columbino mixtum exhiberi. Alij volunt ſanguinem à collo detrahi, ſed neutrum horum Carcano ſatis probatur, qui veriſſimè affirmat, ſe cum purgatione dicta, & cauterio eiuſmodi multùm ſemper profeciſſe.

# DE MORBIS VENTRICVLI, CVM cibum ore reiectant.

VARII ſunt morbi, quibus vẽtriculus corripi poteſt, quorum frequẽtiſſimus, ac maximo cum periculo conũctus eſt ille, cùm Falco cibum ſtomacho continere nequit, verùm aſſumptum inconcoctum reijcit, eadem ferè forma, qua aſſumpſerat, uel quandoque etiam corruptum ac nidoroſum. Si alimentum reijcit penè crudum ac priſtinam adhuc formam retinens, adeo nihil aut parum à ventriculi calore immutatum, ſi tamen nullum prauum odorem ſpiret, non eſt res tanti momenti. Id enim accidere poteſt quandoque ob oſſiculi fruſtum, quod inter deglutiendum tranſuerſum in œſophago hæſerit. Cuius rei, vt fias certior, aquam offerto, periculum facturus, num bibere velit, nec ne. Si biberit, certiſſimum ſui indicium eſt mali. Sin potum reſpuerit, benè ſe habere ſignificabit. Solet hoc mali genus oriri à nimia prauorũ humorum in ventriculo genitorum copia. Si igitur, quem Falco reijcit, cibus, neque odore, neq; colore prauo, aquamq; biberit, ventriculus calfaciendus, ac corroborandus erit puluere ex nuce myriſtica, ac caryophillis, cum pauxillo moſchi, quæ omnia goſſipio inuoluta Falconi exhibeantur. Ipſe interim pugno geſtandus donec medicamentum in ſtomachum deſcenderit. Duabus verò, poſtquam reiecerit, horis, vtile erit eum pullis Columbaceis plumeſcẽtibus paſcere, & aquam, ſi appetit exhibere. Multùm enim ea ipſi profutura eſt. Ad hoc malum vtitor aqua roſacea alterata puluere caryophillorum, & moſchi hoc pacto: ℞. aquæ roſaceæ ʒ ii. puluꝛ caryophillorum ϑ ii. moſchi odorati gr. medium. Huius ʒ ſ. Falconi danda, ipſe verò in pugno retinendus, donec medicamentum per aluum excernet, quod ſtomachum corroborabit, fœtorem emendabit, eumq; expurgabit. Sed ſi, quod è ventriculo reijcitur corruptum, prauè oleat; præter iam dicta alioquin efficaciſſima uti licet radice chelidonij, cuius cortex abradendus, donec tota rubicunda appareat. Hæc paucula & quæ duorum digitorum altitudinem non excedat, aqua maceranda, quæ adinſtar lactis recens mulcti tepeat, & frequenter digito agitanda, quò vim ac qualitatẽ radicis, quanta eſt fabæ magnitudo, Falconi in os immittenda, digitisq; gula foris deprimenda ad promouendum deſcenſum eius ad ventriculum. Inſuper & aquę huius radicis ad minus vnum cochlear in fauces eius infundendum, compreſſo ac cluſo dein roſtro, ne rurſus effluat. Poſt hæc pugno aliquandiu geſtandus erit, donec optimè in uentriculum & radix, & aqua deſcenderint, deinde conto loco ſolitario collocandus, donec & radicem & aquam aluo reddat. Interiectis deinde duabus horis murem excoriatum & adhuc à recenti cæde tepentem deuorandum præbere vtiliſſimum fuerit. Sed ſi huius fortè non fuerit copia, pullus Columbinus tenellus, quem terrę violẽter illiſum, quò ſanguis grumeſcat, occideris, Falconi eius corde, & renibus adhuc tepeſcentibus obijcietur. Cùmq; hoc modicum cibi concoxerit, denuò tantundem cibi, quãtum prius, offeretur ex partibus alijs Columbini pulli: idq; quater aut quinques eodem die, eoq; quo dictum eſt, modo iterabitur, ſi Falco eſt, ſin Sparuerius, bis tantummodò. Poſteri diei mane turunda detur ex lino aut ſtuppa, quam

Cùm cibũ retinere nequit.

Cauſæ.

Cura.

purgam

Purga. purgãm vulgò vocant,cui folia abſynthij digitis minutis inuoluta ſint.Deinde duabus,hac rurſus electa,horis moderatè pullo Columbino ciba,ut veſperi denuò aliquid cibi offeras.Hac ferè ratione Falconem ſanitati reſtitui cõtingit, vt frequenti experientia apparuit. Quodſi dicta remedia nihil profuerint,ac ſæpius quàm bis cibum aſſumptum vomitu reijciat, ſcire licet deploratam eſſe prius ſalutem,eoq; magis,ſi macilentus fuerit.Quoniam tamen ſatius eſſe anceps periculum tentare,quàm nullum in malo medici dicunt,cuius ſpes omnis curandi amiſſa alioquin eſt, ſæpenumerò res ipſa docuit in extremis huiuſmodi malis vtiliſſimum eſſe Falconem inebriari vino Cretico ad duo cochlearia in fauces immiſſo,atque tunc in lectum aut menſam collocare,quia in pertica ſubſiſtere temulentus non poteſt. Ita quarto vnius horæ ſpacio immotus iacens,ſi ſe incipiet recipere,& medicamentum exhibitum reijcere, certiſſimum ſalutis recuperandæ indicium eſt,alias verò mortis. Verùm,vt monui,remedij hoc genus extremum ac vehemens nó niſi in morbis extremis ac his,quibus cõclamatũ eſt,omnino adhiberi debet.

# DE VERMIBVS FALCONVM.

Cauſæ. Signa. EX debili ventriculi calore craſſi ac crudi humores geniti, ac in inteſtina dilapſi vermium ſeu lumbricorũ generationi originem præbent. His laborare Falco cognoſcitur, quando deſes ac ocioſus eſt, ac cùm erigere pennas in dorſo, caudamq; torquere conſpicitur, & quando excrementa neque pura, neque alba,neque ea,qua ſolent,cõpia excernuntur, nec ſi quacunque adhibita cura pingueſcat. Hoſce vermes necare oportet, aut puluere aloës hepaticæ electę & lotę,aut ſantonici,vulgò ſantolinæ aut ſemẽtinæ,vel etiam agarici,partibus omnium æqualibus acceptis: vel puluere ex felle ſuillo ſeu porcino maſculino in furno exiccato ; aut denique hoc medicamento, ℞. cornu cerui vſti , dictamni albi, hieræ picræ ſimplicis ana ʒ ij. aloës hepaticæ lauatæ ʒ iij. agarici, croci ana ʒ i. omnia melle roſato excipiantur. Seruetur; hoc medicamentum ad uſum, cuius, cùm opus erit, ad vermes necandos Falconibus & Aſtoribus tantum dandum,quanta eſt fabæ magnitudo, Sparuerio verò ad grani ciceris magnitudinem tantummodò,& catapotij forma deglutiendum. Quod cùm aſſumpſit tantiſper pugno geſtandus eſt Falco,donec aluo id reijciat,deinde hora conſueta cibo euchymo ac laudabili paſcendus.Ita enim vel prima vice certiſſimè ſanabitur. Ad eoſdem vermes & hoc medicamentum valet: ℞. dictami albi, aloës hepaticæ lotæ ana partes æquales,cubebæ, aut croci fila quatuor aut quinque, totidem buccellis exhibenda. Hoc remedio procul omni dubio aluus fluet,ipſeq; ſanabitur. Eſt enim longè efficaciſſimum,& vnicum præſidium aduerſus vermes,tum præſertim,cùm caudam intorquere conſpicitur.

Curatio.

# DE PECVLIARI QVODAM Falconibus vermium genere, quem morbum accipitrarij Filandram vocant.

Filandræ morbus. EST verò & aliud vermium genus Falconibus infeſtum, Filandram vocant Accipitrarij. Genuina huius locus eſt non longè à renibus,iuxta quos membranæ cuidam tenui & propriæ hi vermes inuoluti ſunt. Sunt verò hi ipſi tenuiſſimi, ac inſtar fili graciles,longitudine dimidij cubiti,Falconibus admodum familiares,& propè proprij. Vnde facilè inducor,vt credam à generationis primordio illis eos connatos eſſe, etiamſi non perpetuò infeſtent. Infeſtant autem potiſſimùm macilentos. Obeſis ob alimenti abundantiam nullam moleſtiam exhibent, imò fortaſſe contrà iuuamentum adferunt. Cùm igitur ab hiſce vermibus excruciãtur,gracileſcunt,extenuãturq;, nonnunquam toto corpore exhorreſcunt,& pennas dorſi ſurrigunt,concutiuntq;, aliquando vocem emittũt. Hi enim vermes ob penuriam alimenti,inuolucrum tentant perrodere,atque ita ob acutum partis ſenſum, dolores punctorios excitant, dum perforata tunica aliundè ſibi pabulum ſtudent acquirere. Et accidit quandoque, cùm non ſatis tempeſtiuè huic malo occurritur,vt adeò exedendo vicina perforent,vt tandem partes internas principales,atque adeo cor ipſum erodant,vnde neceſſariò mors ſubſequitur. Quinimo aliquando omnia interanea ita perforaſſe viſi ſunt,vt per os exirent. Vt igitur huic malo medeamur,non interficiendi ſunt

Ortus.

Signa.

Cura.

vermes,

vermes, quod de cæteris solet fieri (putrefacti enim circa renes apostema generarent, quòd in loco eiusmodi non stabulentur, ex quo interempti per aluum excerni possint) sed inebriandi sunt, sicq; ab effecto Falcone distrahendi. Huic rei accommodatissimum ac probatissimum remedium est, allium à suis corticibus seu membranis exactè purgatũ, multisq; in locis ferro vel stilo candente perforatum, deinde in oleo oliuarum ad minus tres dies maceratum, quo scilicet facilè à Falcone deglutiri possit. Hoc remedio ita stupescunt, ac torpent Filandræ, vt nullam molestiam aui exhibeant etiam per triginta, ac aliquando per quadraginta dies. Allij vis cõtra Filandras.

# DE VARIIS SYMPTOMATIBVS, QVÆ vitio ventriculi accidere Falconi solent.

CONTINGIT nonnunquam, vt ęgrè cibus assumptus à Falcone in stomacho subsidat, quod hoc signo percipies, si hora matutina ingluuiẽ adhuc cibo cænę hesternæ onustam habere conspicies. Quod fieri solet, vel quia cibus adeo arescit, indurescitq; in stomacho, ut nequeat descendere, vel quia non satis probè coquitur. Priori vitio sæpè occurrimus aqua, quanta vellet copia, ad bibendum data, pedibus etiam madefactis, necnõ pertica, cui insistit, frigida. Quodsi nihil iuuerit, digitis foris, intus etiam cerea candela parua, aut digito auriculari prolobum deorsum versus mouere, atque ita cibi descensum in ventricnlum procurare decet. Qui si imbecillis sit, ita ut ægrè admodum coquat, vtaris, præsertim Falconibus ægris, purgatione ex turunda bombycina, cui æquales portiones pulueris mumiæ præparatæ, caryophyllorum, nucis moscatæ immissæ sint, inducendo turundam pauco lino aut stuppa, quò promptiùs reijciatur. Hac arte plurimi curati sunt. Si ægrè coquit, & cibum fastidit, vtilissimum erit, antequam pascere uoles, cibo eius semina nasturtij inuoluere. Verùm hoc hyberno tantùm tempore faciendum. Hic cibus ita præparatus orexin restituet, & animæ fœtorem pellet, respirationem facilem reddet, auiq; alacritatem afferet. Est enim suprà quàm dici possit, remedium præstantissimum. Facit etiam aliquando stomachi debilitas, vt tardiùs solito assumpta turunda uentriculum exoneret. Quare curandum, ut arte adhibita reijciat. Quam in rem idonea erit chelidoniæ radix, eo modo pręparata, ut suprà exposuimus. Ad idem mirificè confert sinapi cum caryophillo unico, & momento aloës hepaticę lotæ exhibitum. Signa. Cura.

# DE MORBIS HEPATIS.

SAEPENVMERO cõtingit Falconibus, iecur incalescere, imo inflammari ob nimium motum, aut laborem, ut cùm ex longinquis regionibus naui aduehuntur, aut dum in auiario mutationis tempore frequenti corporis motatione, ac cõcussione irrequieti constiterunt, aut cùm tintinnabulis, quàm par est, grauiorihus onerati inter uolandum nimium defatigantur. Solet & inflammatione corripi hepar propter apostema, quod aut ob spinę puncturam aut contusionem ab alia aue corpori inflictam ortum sit. Foris enim locus affectus facilè sanatur, quòd humor, sub cute contentus facilè transpiret, & dissipetur. Intus uerò ob sanguinis, qui illuc copiosiùs confluxit, extra uasa in grumos concreti, & tandem corrupti putredinem conceptam apostema gigni contingit. Cognoscitur hoc malum, cùm mœstus est, cùm nec tempore consueto fæces, easq; praui odoris ac coloris excernit. Pars quoque uropygio uicina uehementer pulsat instar arteriarum, similisq; febricitantis hominis pulsus sentitur, præterea excrementa instar atramenti nigricant. Hoc malum lethale est. Si itaque inflammatio aut intemperies calida hepatis à nimio motu ortum duxerit, facilè curabitur, cibis refrigerantibus, liquidisq; (ita loquuntur accipitrarij) ut femore pulli Gallinacei, aut corde uitellino intinctis in aqua buglossę, boraginis & similium. Confert itẽ cibus succo hyoscyami imbutus, aut lardum, quod abrasum sit, & mundatum à cute, multisq; aquis lauatum, ac aqua rosacea maceratum, sacchariq; candi polline obuolutum. Huius alimenti tanquam ad refrigerandũ maximè proficui, frequentissimus tibi usus esto. Vtile est & butyrum & oleum oliuarum lotum, eoq;, quo sępius diximus, modo, pręparatum. Si uerò mali origo sit uel à spinę punctura, uel alterius auis ictu, morsuuè, utilissima erit mumia munda, ac pura, & in puluerem redacta, qua carnis frustula tempore pastus efferenda inuoluentur, quod ternis aut quaternis uicibus repetetur. Causæ. Signa. Curatio.

Hęc

Hæc ſi Falco aſſumere detrectârit,vi cogẽdus, ac vi in fauces lana xylina inuoluta ingerenda. Sin inflammatio proceſſit illiſo corpore ad terram,ad arborem,aut auem alteram, ℞. rhabarbari electi ℈ i. hoc ipſum torreto in lamina ferrea candenti,quouſque in puluerẽ redigi poſſit. Huius grana duo lino abducta maioribus rapacibus offerenda, minoribus verò medium eius ſuffecerit,nempe granum vnum. Poſt duas verò ab excreto per aluum medicamento horas, cibandus (ſi obeſus fuerit) femore pulli Gallinacei contuſi,ac macerati in aqua quapiam refrigerante. Itaq; viciſſim modò Rhabarbaro, modò mumia alternis diebus auis expurganda, quaternis aut quinis diebus continuis. Hac ratione certò ſanabitur, niſi fortè è loco ſuo hepar dimotum fuerit,quod dignoſcitur à duritie quadam, quæ in poſteriore parte vropygio vicina perſentitur,& ab excrementis,quæ colore luteo tinguntur. Quod malum nullam curationem admittit,ac breui Falconem ad exitium perducit.

# DE PEDVM VITIIS.

Cauſæ.

Signa.

NONNVNQVAM in tumorem attolluntur Falconum pedes ob prauos humores, qui à reliquo corpore ad pedes vel læſos, vel alia quadam ratione debilitatos affluere ac decumbere conſueuerunt,aliquando etiam propter nimiam eorundem mollitiem, aut ob ætatem prouectiorem, aut laborem nimium. Malum hoc oculis, necnon tactui ſubijcitur. Ingens etiam manu perſentitur in parte calor. Sæpenumerò Falco uix in pedes præ doloris uehemen tia poteſt conſiſtere. Huic malo omni cura ac ſtudio obuiam eundum eſt,ne aut arthritide,aut alijs corripiatur morbis,vti ſæpenumerò euenire ſolet,cùm irreparabili auium damno. Oportunum itaque erit à principio mitigare dolorem, ac pedem refrigerare,ſæpè inungendo albumine oui,aceto & aqua probè mixtis. Vel oleo oliuarum veterrimo, quale arte extrahi poteſt è vaſe aliquo,in quo multo tempore oleum conſeruatum fuerit. Præterea non ſolùm tumori vtiliſſima eſt, ſed & dolorem mirè lenit inunctio partis ex puluere acaciæ, terræ ſigillatæ pari portione,nempe drachmis quatuor acceptis, quæ excipienda ſunt aceto, albumine oui,aqua roſacea,& ſucco ſolatri, quod ſatis eſt. Felici etiam ſucceſſu vti licet inunctione ex petroleo ſeu naphta,oleo liliorum alborum,ſanguine Columbi ac ſeuo,acceptis omniũ partibus æqualibus,quæ omnia ſimul igne incaleant. Hac inunctione Falco à tumore pedis prorſum liberabitur,aut ſaltem reſolutis tenuioribus humorum partibus, reſtabunt craſſiores,quæ gypſi formam ac conſiſtentiam induent,quos quidem dextrè oportebit excindere cute pedis aperta,& poſtea eodem vnguento per dies aliquot pedem oblinire. Atque hac ratione tumor omnis reſoluetur. Mirabilem quoque præſtat vſum ad pedum tumores, vel etiam fracturas hoc ceratum, quod recipit gummi Arabici, Armeniaci, ſagapeni ana ℥ ii. picis naualis, colophoniæ ana ℥ i. ſ. pulueris maſtichis ℥ iiii. olei abietini, ceræ nouæ ana q. ſ. ad efformandum cerotum. gummi omnia aceto diſſoluantur. Hoc ceratum in panno extendatur, ac pedi applicetur. Obſeruandum verò,ſi tumor rimis quibuſdam dehiſcat, diligenter prius à ſanie mundandum eſſe,& expurgandum, poſtea verò ceratum applicandum.

# DE PODAGRA.

Podagra quid.

ALIQVOTIES accidit, vt omnibus ſuperiùs deſcriptis medicamentis adhibiti,nihilominus tamẽ à podagra immunes ſeruari non poſſint. Quæ quidẽ nihil aliud eſt,quàm tumor durus,ac gypſo ſimilis,circa digitorum articulos,eſtq; malum maximi in rapacibus momenti. Impedit enim, quo minus prædam captare poſſint,& incurabile plerunque eſt,quicquid dicant alij. Sunt tamen, qui ſucco chelidonij melle & aceto commixto pedes inungunt,idq; mirabili,vt dicunt, ſucceſſu. Cuius,vt quiuis faciat periculum,liberum eſt.

# DE LVXATO FEMORE, AC CRVRE.

CRVS è propria ſede dimoueri ſolet ob externam quampiam cauſam. Quare ſtatim in ſuam ſedem reponendum erit, ne ſi aliqua ob humorum affluxum oboriatur inflammatio, vel ad minimum tumor, ægrè poſtea in locum priſtinum reſtituatur. Vbi igitur loco priſtino reddideris, in eodem firmũ retinendum ac conſeruandum eſt. Quod fiet, ſi Falco loco quopiam collocetur, vbi occaſionem vibrandi alas, ac vehementiùs ſeſe agitandi, non habeat. Fit & medicamentis, quæ vim habent exiccandi, & corroborandi articulum læſum; exempli gratia. ℞. ſtuppam lini, cui imponatur albumen oui cum olei roſati, terebinthinæ, ſanguinis draconis, aloës ana ʒ ii. Hæc omnia ſimul commixta cruri applicentur, ipſumq; faſcia linea obuoluatur, quò meliùs natiuo ſuo ſitu contineri poſſit. Hac ratione decem diebus continuis crus luxatum curandum erit, ſecundo quoque die medicamento innouato, ne ſtuppa nimium areſcat. Verùm antequam crus mediceris, hortor, ut prius probè abluatur. Femur verò lauandum lotione aliquantum calidiore, ex decocto roſarum ſiccarum, abſyntij, ſaluiæ, conſolidæ maioris, camomillæ, roſmarini, & uino. Hæc enim corroborant, ac calefaciunt neruos, & exiccant, ſi qui ob dolorem ad locum affectum humores affluxerint.

Medicamẽta uim exiccandi habentia.

# DE CRVRE AC FEMORE FRACTO.

SI fortè uel femur, vel crus rumpatur, ſeu frangatur, vti ſæpè Falconi cum Anate dimicanti contingit, confeſtim oſſa in priſtinum ſitum reponenda erunt, ac detonſis prius circa locum plumis, hoc emplaſtrum cruri applicandum, quod recipit boli armeni, aloës hepaticæ optimæ, ſanguinis draconis ana ʒ i. ſ. farinarum fabæ, orobi, hordei, ſeminis lini ana ʒ i. oleorum anethini, roſati, abietini ana ʒ ii. albuminis oui, mucilaginis fænugræci, radicum altheę ana q. ſ. Formetur emplaſtrum ſecundum artem. Hoc emplaſtro teniæ illitæ ad locum affectum applicentur, faſcioliſq; lineis anguſtis, quæ & partem, & emplaſtrum contineant, uinciantur. His demum ferulę quædam tenues tela molli obductæ, ne offendant, circumponendæ in partis affectę ambitum, vt crus effractũ in natiuo ſuo ſitu ſtabiliant. Hoc pacto trigenos dies continuos crus deuinctum permaneat. Elapſis tamen primis quindenis diebus, mutari, ac recens emplaſtrum imponi poterit vtiliter. Denique non ab re fuerit, tribus aut quatuor diebus, vti ablutione ſuprà deſcripta, ad corroborandum & ferruminandum membrum ægrum. Toto curationis tempore loco calido detinendus erit Falco, maximè ſi hyems fuerit. Optimum etiam fuerit eum ab initio expurgare, aut aloẽ lota, aut agarico trochiſcato, idq; ne aliqua in parte oboriatur inflammatio. Nutriendus cibis euchymis, & qui facilè nutriunt.

Emplaſtro uſus ad fractum crus.

Ferularum uſus.

Cibis qualibus nutriendus.

# DE VVLNERIBVS.

PRAETER ea, quę enumerata ſunt mala, contingit etiam vulnera aliquando rapacibus infligi, ut Falconi ab Ardea, aut alia de cauſa. Vulnera hæc uel ſunt ſimplicia, ut in cute ac carne ſola, uel compoſita, ut cum punctura aut ſectione nerui. Simplicia nullius, aut pauci admodum ſunt momenti, & facilè coaleſcunt, vel ſucco origani, vel lotione facta ex maſtiches, aloës, thuris ana ʒ ii. perforatæ, pimpinellæ, conſolidæ, ſaluiæ ana m. ſ. omphacij noui & clari lib. vi. Omnia in uas benè vitreatum infuſa, & probè obturata olla decoquantur, donec omphacij duæ partes abſumptæ fuerint: poſtea omnia fortiter exprimantur, ac colentur. Colaturæ addatur puluerис myrti ʒ i. Eſt & hoc medicamentum nobiliſſimum, quod ℞. aloës, myrrhæ, thuris, ſanguinis draconis ana ʒ i. cocci baphici ℈ i. Omnia in puluerem contrita, maceranda ſunt in aquæ vitæ ʒ ij. horas duodecim: poſtea expreſſum fortiter ac colatum in vſum ſeruetur, qui quidem eſt in vulneribus capitis, ac dorſi, necnon articulorum humeri. Verùm nulla ratione in vulneribus capitis oleo roſato vti cõceditur. Si cutis femoris vulnerata, lacerata, aut corroſa fuerit, ita ut caligis illum induere opus ſit, facilè curabitur folijs ſaluiæ ſiccis & in puluerem redactis, aut puluere abſynthij, aut maſtichis abluto prius loco, quem polline hoc aſpergere voles, & vino albo. Si verò vulnus cum læſione nerui fuerit coniunctum, maioris erit momenti, ac curatu difficilius. So-

Medicamẽta quæ adhibenda.

lent huiuſmodi vulnera intenſum dolorem adferre, quem plerũque inflammatio excipit. In quo caſu optimum erit vti terebinthina,& calidam parti admouere. Sed quæ locum affectum veſtiunt plumæ prius abradendæ,ipſeq; locus abluendus hac lotione, quæ recipit aluminis petræi ʒ i.roſarum ſiccarum,corticum granatorum,abſyntij ana parum, vini albi q.ſ. Coquantur donec media vini portio abſumatur. Impediet hæc lotio,ne apoſtema in parte oriatur,robore ipſi addito,repulſiſq; qui ad eam concurrere ſolent,humoribus.

# DE PEDICVLIS.

PEDICVLI atque cimices propria cutis mala ſunt, potiſſimùm verò alarum, capitis,& vropigij. In his enim magis quàm in reliquis corporis partibus generari ſolent. Ab his liberari poſſunt Falcones hyberno quidem tempore hoc medicamine ℞. piperis ʒ ij. aquæ tepidæ lib. j. vel q. ſ. Hiſce accuratè permiſtis Falco immergendus, cutisq; præſertim loci affecti diligenter abluenda, atque abſtergenda eſt. Poſtea verò in loco aprico,& tergo Soli obuerſo, in pertica collocandus, vbi virgulto palmum longo, in cuius extremo momentum ceræ rubræ, aut viridis affixeris,è cutis profunditate ad pennarum ſuperficiẽm adreperint, pediculos partim nempe ceræ illi tenaci adhæſuros auferes, partim uerò ſponte ſua decidere ſines, quod fiet antequam Falco probè ſiccatus ſole fuerit. Quare huic lotioni dies eligendus eſt ſerenus, quo Solis æſtus ſit vehemẽs, neque venti vlli ſpirent. Sin calor illo die modicus fuerit,foco moderato erit adhibendus,hac cautela,ne parte anteriore, nempe gula igni obuertatur. Solet enim hęc plus iuſto ad ignem caleſcens mortem certam ipſi adferre. Aeſtate verò vſus oportunus erit auripigmenti in puluerem tenuiſſimum redacti,qui digitis infernè & ſupernè erit interſpergendus pennis, præſertim locis affectis,cauendo tamen, ne quid in oculos incidat, & ne aqua madefiat Falco, quod quidam cum auis exitio fecerunt. Humectatus enim puluis pennas rodit. Quidam folia menthæ in aqua decoquunt ad tertiæ partis conſumptionem, qua tepida Falconem proluunt.

# MEDICAMENTA AD PLVRIMOS Falconum morbos.

Mumiæ vſus.

MVMIA magnum ſemper in Falconum ægritudinibus vſum præbet, ideoq; eius preparandi modũ hîc apponemus,qui talis eſt ℞. nuces myriſticas nu. iiij. cariophillorum, Zinziberis, cinamomi ana ʒ ſ. croci ʒ i. Omnia in puluerem minutiſſimum terantur,bulliant, in vaſe optimè uitreato cum uini Cretici optimi cyathis duobus ad tertias. Poſt hæc cape mumiæ in puluerem redactæ ʒ iij. vel iiij quæ linteo inuoluta in vaſe,quo decoctum ebullit, ſuſpendatur, ne fundum contingat, ſed medium ollæ locum occupet. Rurſus omnia ſimul coquantur,donec tertia totius portio fuerit igne abſumpta. Amoto dehinc uaſe, mumia in eodem quatuor aut quinque horis relinquenda eſt appenſa,ita ut uis pulueris mumiam probè penetrare poſſit, ac peruadere. Quæ poſtmodum ita linteo illigata conſeruanda eſt loco opaco, donec vtendi tempus fuerit.

Medicamentum ventriculo debiliori vtiliſſimũ recipit theriacæ,hieræpicræ,caſſiæ ligneæ, caryophyllorum,cinamomi,aloës, galangæ, agarici optimi, ſucci roſarum, confectionis Hamech,diacatholici,benedictæ laxatiuæ ana ℈ i. rhabarbari electi, mumiæ mundatæ ana ℈ ij. nucis moſcatæ ʒ iij. Omnia contundantur, ac melle roſato excipiantur, formenturq; maſſa, cuius,cùm opus erit,detur ad pondus fabæ dimidiæ ad ſummum,maiori præſertim rapacium generi,vt Falconibus & Aſtoribus,minoribus uerò paulò minore quãtitate. In debilitate uentriculi aliud medicamentum:quod recipit croci,agarici,cubebarum,abſynthij,rutæ, caryophillorũ,cinamomi,aloes,ana ℈ ij.nuces moſcatas nu.ij. mumiæ electæ, rhabarbari electi ana ʒ i. ſ. medullæ bouinæ,uitulinæ ana q.ſ. miſce,in puluerem redige ad formãdam maſſam.Exhibe de ea fabæ magnitudine. Superius medicamentum,etſi hoc ualentius ſit,tamen ſi auis macra erit, tum excrementa reddat nigra,huius uſus probabilior eſt.

DENO-

# DENOMINATA.

APVD [a] Homerum φαλκης nomen uiri est.

Φαλκονιλλα item mulieris nomen apud Suidam.

Falconiæ, uxoris Adelphi proconsulis Romani, centones extant, hoc est, poëma ex diuersis Virgilij uersibus, & hemistichijs consarcinatum, continens descriptionem utriusque testamenti.

[b] Flauius Vopiscus meminit Falconij Probi proconsulis Asię.

Insulę Falconensis meminit Paulus Diaconus, in ea Gallum Imp. à Constantio interemptum scribens. In mari mediterraneo alicubi ea esse uidetur. Circa Pellam Histriæ occisum tradit Marcellinus.

Falconis item nomen saxo cuidam impositum prope Deidonum Scotiæ hac nostra ætate cernitur, vt refert [b] Ioannes Lesleus Scotus. Est autem saxum illud insignis Scotorum contra Danos victoriæ monumentum æuiternum.

[a] *Iliad. e.* Φαλκης vir. Φαλκονιλλα mulier. Phalconia.

[b] *In vita Aurelij.* Falconius Probus. Falconensis insula.

[b] *Lib. 5. de rebus gest. Scotiæ.*

# AVGVRIA.

FALCONES olim, si apparuissent, spem certam maximi boni faciebãt, quibusuis superstitiosis gentibus. Hinc apparet, quod non incousultò Samnites vrbem Capuã conspecto Falcone condiderint.

# MORALIA.

FALCO, aliæq; id genus aues rapaces, quoad viuunt, magno in honore, & delicijs educãtur, sed mortuæ, utpotè nullius usus, in sterquilinium extra ędes proijciuntur. Contrà verò Perdices, dum viuunt, miris modis afflictas quiuis persequitur, mortuas verò etiam Principes & Reges honore suę mensę dignantur, locumq; ipsis inter prima fercula tribuunt. Simili ratione contingit eis, qui in hac vita prospero rerum successu vsi, ac elati, hoc ipso à quibusdam hominibus honore afficiuntur, quod cæteros deprædentur, & quo maiores prędones sunt, hoc magis illustres ac glorioſi reputantur. Simulatq; verò ex hac vita migrarunt, à summo illo & æquissimo iudice, ac patrefamilias, tanquam quisquilię, ac inutilia Ecclesię purgamenta, in inferorum sterquilinium in æternum cruciandi deturbantur. Alij è contrario innocentes miseri plerunq;, & infortunati, qui in hac vita varijs torquentur calamitatibus, & quod vitę, probitate, morumq; sanctitate Deo summo creatori placere student, ludibrio ac contemptui prauis hominibus habiti, uita cum morte commutata ad mensam cum magna angelorum exultatione, summi cęlorum Principis ceu epulę gratę offerũtur, utpotè cuius delicię sunt esse cum filijs hominum, quos & ipse è contra uisu suę immensę claritatis pascens, gloria & honore coronat, angelisq; pares facit, iuxta illud [a] Abrahami, diuitem epulonem ita alloquentis: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nũc autẽ hic cõsolatur, tu verò cruciaris.*

Diuites Falconibus cõparati.

Pauperes perdicibus cõparati.

[a] *Luc. 16.*

Quemadmodum Falco prędam, quam altum aëra petere conspexerit, non rectà insequitur, imo declinans volatum, eam vel vidisse se, vel curare dissimilans, statim tamen ex improuiso, citato uolatu in altum conscendit, magnoq; impetu eam adoritur, & capit. Ita perturbationes quasdam aliquando statui nostro aduersari uidas, dum eas sentimus non multò pòst maximam nobis attulisse utilitatem ac commodum cognoscimus.

Animi perturbationes Falconi comparatæ.

Quemadmodum Falco, qui Aquilonis inhabitat climata, in prædam citò ruit, antequam noctis superuenientis impediatur tenebris. Sic Diabolus necis humanę, ac perditionis auidus, tempore Antichristi, omnem conatum in hominum exitium adhibebit, prędandi facultatem, simul cum præda, breui sibi ereptam iri probè callens.

Diabolus Falconi assimilatus.

# APOLOGI.

QVIDAM Neotericorum ſatis doctus de duobus Falconibus, & Pica huiuſmodi condidit epigramma:

*Falcones inter ſublimis in aëre Pica*
*Dum volat, & cantu prouocat vna duos.*
*Illi ira accenſi quatiunt clangoribus alas*
*Atque hoſtem curuis vnguibus ambo petunt.*
*Sed ſpe dum nimia, nimiaq; cupidine cædis*
*Ardent, & neuter præcauet ipſe ſibi:*
*Mutua collidunt alterno corpora niſu*
*Atque alter moritur vulnere in alterius.*
*Pica ſuperſtes abit, ſed mox dum colligit alas*
*Et velut ex certo funere rapta fugit:*
*Ecce eadem à canibus miſeranda rapina voratur,*
*Et fato occumbens deteriore perit.*

Finis Libri Sexti.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ

## Liber Septimus.

Qui est

## DE FALCONIBVS IN SPECIE.

### De Falcone Peregrino. Cap. I.

ETSI [a] Albertus, qui Falconum genera in classes distribuit, quartum locum Falconi peregrino dederit, nos tamen non una tantùm ratione moti, eum primum ordine collocamus. Primùm enim Neotericorum plerosq;, & potissimos id facere uidemus. Nam Tardiuus eum sub Sacri genere, quem alioquin & Albertus, & Belisarius reliquis anteponunt, ponere uidetur. Belloniusquoque & Carcanus eiusdem mecum sententię sunt, quorum hic nomen peregrini ob naturæ excellentiam, qua reliquis omnibus anteit, donatum vult; ille hunc ipsum Falconem in bonitatis delectu habendo, veluti normam, ac regulam statuit, præsertim quod ad corporis magnitudinem & formam attinet. Enimuerò etsi peregrinus Falco Falconi sacro, eiq;, quem Gyrofalconẽ vocant, cedere videatur, audacia tamen, ac robore illis minimè inferior est, & non minus quàm illi, aues aquaticas, quantumuis magnas aggreditur, & capit. Animi verò magnitudine illos uincet etiam, quod eum non fame, aut alia necessitate coacta, sed generosæ indolis celsitudine tantummodò ductũ, venari omnes testentur. Inter omnia verò Falconum genera hoc dociliorem, aut magistro obsequentiorem vllum reperiri negant. Deniq; ad quæuis munia in venatu volatico obeunda idoneũ ac promptum Galli prædicant. Quas omnes simul dotes in alio Falcone haud facilè reperies. Quod autem quis obijcere possit Gyrofalconem etiã cum Aquila contẽdere, & hac parte Peregrinum præcedere, idẽ etiam Montano competere sciat, ut in eius historia patebit, qui Peregrino tamen longè cedit.

[a] *Lib. 23. de Animal. c. 8*

### SYNONIMA.

IN [a] Leuitico pro voce Hębraica Nez Accipitrem interpretantur. Arabica interpretatio habet נאז basi uel bazi. Atqui albasi apud Auicennam Andreas Bellunensis exponit Falconem peregrinum. Nominatur autem albazi præpositio scilicet ab [b] Auicenna articulo, vbi fimum ipsius, & aliarum auium rapacium, quod excrementitij admodũ sint, rarò à medicis usurpari scribit. Non admodum discrepat vox Persica mar an baz. Latinè Falconem peregrinum vocare licet accepta ab alijs nationibus nomenclatura. Nam Itali pelegrino vocant, & marem terzuolo pelegrino, & Galli Faulcon pelerin. Tardiuus Gallus alicubi hunc cum eo, quem Galli Faulcon de passage vocãt, & Hynaire, nos commeantem, & hinnularium dicere possumus (nisi posterior Syriaca ipsi vox est) confundit. Alibi tamen diuersos facere videtur. Alioquin nomina hęc Gallica, idem penè sonant. Nam passant seu passager commeantem seu migratorem, estranger, & pelerin, alienigenum & peregrinum denotat. Cur autem dictus sit peregrinus, curiosè satis indagat [c] Carcanus in hunc ferè modum. Existimaui aliquãdo Falcones hos peregrinos ideò vocatos fuisse, quòd ex longinquis regionibus ad nos importentur.

[a] *Cap. 12. Nez. Albasi.*
[b] *2. 614.*
*Mar an baz. Faulcon pelegrin. Faulcon de passage.*
*Nominis ratio.*
[c] *Lib. 1. c. 2.*

Qui peregrini dici possint.

Sunt etiam nobis Italis uerè peregrini, seu exotici. Nullos enim in Italia nasci certò scio, & quam paucissimos capi, sed vt plurimùm aliunde adnehi. Verum si hac de causa peregrini dicti putandi sunt, reliqui quoque omnes Falcones, quibus aliud natale solum est, quàm Italia, eodem nomine dicendi venient, cuiusmodi sunt Tunetani, Tartari, cæteriq; alienigenę. Quare alia ratione hoc nominis adeptos fuisse puto, eaq; triplici potissimùm. Prima quod nusquam gentium vnquam nidum eorum inuenire licuit, unde meritò omnibus in vniuersum gentibus, tanquam alibi, quàm apud se nati, exteri, & peregrini vocati fuere. Secunda ratio nominis esse potuit, quod nullum inter omnia sit Falconis genus, quod magis hoc ipso ex vno loco in alium nigret. Peculiare enim huic est, veluti errabundum in diuersas prouincias nunc huc, nunc illuc diuagari. Vnde non immeritò Gallis passagers fortè nuncupati, quasi commeatores, qui tanquam errones varijs locis transire, nusquam subsistere conspiciantur. Tertiam denique & vltimam nomini huic ansam fortasse dederit auis istius præstantia, indoles generosa, nobilitas, necnon species eximia. Vox enim istæc peregrina nonnunquam rem designat raram, præclaram, ac admiratione dignam. Harum omnium allatarum rationum quam reliquis præferas, parui referre interim puto. Duas priores causas Albertus etiam tetigit, vbi ait: *Vocatur autem peregrinus, quia semper peregrinatur, & migrat de vna regione in aliam, vel quia nescitur nidus eius, nec inuenitur à Falconarijs, sed inter uolandum longè à loco suæ generationis capitur.* Verùm de hoc plura in capite de loco.

Passagers.

Etymum. Falconis peregrini.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

Peregrinorum. Falconum duo genera secundũ Belisariũ.

BELISARIVS Accipitrum, seu Falconum peregrinorum duo genera statuit, quorum formam quidem eandem, sed alterum altero colore nigrius esse asserit: ita vt ferè gentilis, id est, nobilis priuatim dictus, appareat. Alterũ quod pennis colorem aereum præ se fert, in singulisq; pennarum capitibus, ad coronæ modum albedine sigillatim distinctæ pennæ, quasi figuram ostendunt. Hanc distinctionem Belisarius à colore sumpsit. Carcanus verò Vicentinus inter recentissimos, quadruplex eorum genus facit, à coloribus item sumpto discrimine. Alios enim flauos, alios rubros, alios colore Turturis, id est, vt credo, cinereo, cui rubri nonnihil admixtum sit, alios denique fuscos ponit. Verùm ne quosdam ex his, quos omnes à peregrinis diuersos faciunt, sub peregrinis ille comprehendat, vereor, maximè cùm rubri, & fusci nullam deinceps mentionem faciat. Nos aliud genus his meritò adiũgendum, album nimirum nigris punctis notatum obseruauimus. Idem Carcanus in magnitudine seu statura eam diuersitatem statuit, vt quosdam grandes, quosdam exiguos, quosdam mediocres, quosdam forma oblongiori, nonnullos denique corpore magis tereti esse dicat.

Peregrinorum. Falconum quatuor genera secundum Carcanum.

# DESCRIPTIO, ET DELECTVS.

Delectus. Falconis peregrini verã nota.

ALBERTVS breuiter Peregrinum his verbis describit: *Est Montano plerunq; minor, audax breui, alis longis, capite crasso, coxis lõgis, cruribus breuibus, & pedibus albicantibus. Præfertur, qui crura nodosa habet.* Tardiuus & Bellonius Galli, cæteriq; recentiores accipitrarij, peregrinum Falconem omnibus notis absolutum, cęterorumq; veluti normam futurum, his ferè conditionibus volunt esse præditum: Humeros habeat magnos, crassos, alas longas in vltimam caudam recumbentes, caudam pennis crassis, magnisq; instructam, ipsa longa sit, in acumen paulatim desinens, cuiusmodi est Sparuerij, pennis composita adhodum teretibus, apice nõ prorsus albo, neruis per medias pennas intercurrentibus suauè rubentibus. Pedes sint eodem colore, quo Ardeæ stellaris seu Botauri, tincti nempe inter flauum & plumbeum ambigente, seu ex pallore virescentes, sed ita, ut ad cæruleam nonnihil vergere videantur. Quamuis etiam si è pallido albescant, non prorsus damnentur. Pedum digiti graciles sunto. Vngues magni, nigri, valdè acuti. Color pedum, & rostri idem esto. Femora longa, tibiæ verò breues. Rostrum sit rictu amplo, & crassiusculum. Nares magnæ, & patulæ. Supercilia nonnihil alta & grandiuscula. Oculi magni, profundiq;. Caput aliquantum in fornicem, vertice leniter eleuato, ac rotundo, & simul atque volandi potens euasit in rostri parte superiori plumulas quasdã, quæ veluti barbulæ speciem gerant, exertas ostentet. Collo sit lõgo, lato pectore, & circa omoplatas, ubi cum collo coit, aliquãtum tereti. Pugno insidens nõnihil retrorsum corpore reclinet, alacris, mordax, & famelicus. Supercilia & maxillæ albicent, admixto modico rubore. Oculi nigricent, circulo, seu iride nonnunquam cæruleo. Caput esto leucophęum, quale Falconi sacro. Dorsum

Humeri. Cauda.

Pedes.

Rostrum. Caput. Vngues. Color. Femora. Nares. Collum. Oculi. Supercilia.

sum item coloris liuidi nonnihil, quali ferè tingitur in Anseribus tergum, & plumis rotundis, ac latis vestitum. Sed plura alia summæ bonitatis signa curiosi ponunt accipitrarij, nobis hęc indicasse suffecerit, quæ quidem in eo peregrinorum genere plerunque reperiuntur, quod Belisarius ex suis duobus generibus secundum ponit, æneo colore: nam primũ eius genus, quod nigrius esse ait, in multis ab illo notis variat. Neq; enim hi vertice capitis leucophæo sunt, neq; flauo, quemadmodum alij flaui, & rubri Falcones. Quare sępe imperitos accipitrarios fallunt, ut testatur Carcanus, qui eos hac nota ceu prępipua destitutos minimè pro peregrinis habet, nempe cinereo capitis colore, & quia gulam lineis in longũ ductis, nigris maculosam habent. Habent hi nigri prę terea femora lineis transuersim distincta, crura item colore croceo, sed dilutiore. Quas quidem notas Falconis peregrini subfusci esse, qui iam aliquando plumas ueteres exuerit, scribit Carcanus. Cùm uerò fuscus seu niger hic Falco peregrinus, quem nunc describturi sumus, ijsdem quoque notis præditus sit, fieri potest, ut hic quoque mutatus fuerit, ut uocant, quod equidem peritis manuefactarijs iudicandum relinquo. Niger uerò hic peregrinus Falco, olim in montibus agri Bononiẽsis ab aucupibus captus, sine dubio ui uentorũ eò delatus, cuius iconẽ sequens pagina dabit, erat talis. Dodrantem erat, & duos palmos à capite summo usq; ad caudam extremã longus. Vertex capiti planus ac compressus, quem nostrates inter laudabiles notas ponunt, licet Galli subrotundum probare uideantur. Rostrum pollicem crassum pulchrè cæruleum, unco acuto deorsum inflexum, breue, robustum, membrana lutea intensi coloris, quę nares ambit, capiti coniunctum. Oculus cęruleus, quem cilia seu membranæ luteæ ambiunt. Caput, ceruix, dorsum, alæ, fusca sunt, saturo colore, ac penè nigro, quæ pertingulas ferè pennas maculis atris transuersim per alarum maiores respersæ conspiciebantur. Gula ex albo nonnihil flaueſcebat, parte sui infima maculis veluti guttis nigris in longum ductis distincta. A frẹno seu rictu ad latera linea nigra deorsum, ad gutturis ferè mediam regionem porrigebatur. Pectus, venter, & femora alba, lineis latiusculis nigris transuersis distincta. Alarum extrema ad vltimam vsque caudam pertingebant. Cauda minus fusca, lineis etiam nigris transuersim ductis insignita. Crura, pedesq; lutei. Coxæ longæ. Tibię breues. Digiti pedum tenues, longi, squammis, vt & crura, tecti. Vngues nigri, acutissimi. Verùm, vt quod res est fatear, confusionemq; omnem, quod semper summo studio feci, euitem, cùm penitiùs hunc Falconem Peregrinum nigrum cõsidero, eumq; cum Falcone nigro, simpliciter dicto, diligentiùs confero, inuenio eum ita parum, aut penè nihil differre, ut posteriorem hunc Falconem nigrum, quem Germani Falconarium vocant, quemq; prius seorsim, postea suo loco, tanquam à Falcone peregrino nigro, diuersum describere statueram, idq; cum Alberto & Ornithologo eundem cum illo esse nunc facilè concesserim, imò verò ita esse prorsus existimo. Confusionem hanc parit sæpenumerò tanta authorum inter se discrepantia, qui de vna eademq; re tam diuersa scribunt. Belisarius enim atque Carcanus nigrum, rubrum, aliosq; sub peregrino ponunt, tanquam sub genere. Hos alij, ut Albertus, Tardiuus sui generis seorsim faciunt. Vnde fit, ut si quæ nobis huius generis auis in manus ueniat, quænam dictorum scriptorum statuenda sit necessariò, nonnunquam dubitemus. Qui nigrum sub peregrino collocarunt, ij sanè non leuibus rationibus adducti videntur, inter quos Belisarius est, & Carcanus. Imo etiam vel Alberto ipso, qui tamen Peregrinum quarto loco, nigrum uerò sexto describens eos disparare manifestè videtur, teste, ac iudice, nõ ineptè sunt opinati. Ita enim Albertus de nigro scriptum reliquit: *Figuræ ratione videtur hoc Falconum genus persimile esse peregrinis, & insuper, quoniam parentes in hoc genere filios cogunt peregrinari, à loco generationis suæ. Scribunt enim, & hos olim in montibus Gelboë, prope Babylonem, primùm genitos, pòst à parentibus expulsos, aliò commigrasse. Vnde non minus, quàm prius illud flauum genus, quod quidam solum propriè peregrinum vocant, peregrini nomine donandi videntur.* Et rursus. *Est autem in omnibus figura magis considerանda, quàm color. Nam & Coruos & Monedulas albas vidimus. Ingenio quoque & audacia peregrinos referunt, & similiter nutriri debent.* Tardiuus quoque Falconem nigrum in insulis maris nasci testatur. Atqui eædem peregrino sunt natales, nempe Cyprus, Rhodus, & Creta. Nunc quod quispiam ambigere poterat, Carbonarium Germanorum, seu Falconem nigrum Alberti, eundem esse cum eo, quem nos pro peregrino nigro descripsimus; ita probamus, quod tota descriptio Alberti nostro, ad amussim conuenit, ne vel vnica reclamante nota, uti vtramq; comparanti facilè liquebit. Ita enim de suo nigro habet Albertus: *Sextum gradum nobilitatis possidet Falco niger, breuior quidem aliquanto Falcone peregrino, sed figura similis per omnia. Colore enim differt, quia in dorso, & exteriore alarum parte, & cauda tota fuscam habet nigredinem, & in pectore, ventre, & lateribus fuscam varietatem.* (quam nempe in albo colore faciunt lineæ fuscæ transuersim ductæ) *in facie autem guttas Falconarias habet prorsus atras, quæ circumfunduntur quodam obscuro, & fusco pallore. Crura, vngues, & rostrum habet, sicut peregrinus.* At qui peregrino nonnunquam ad cæruleum tendere pedes, ex pallido, sæpe ex simili

Dorsum.
Falconis peregrini fusci notæ.
Falconis peregrini nigri descriptio.
Magnitudo.
Caput.
Gula.
Rostrum.
Oculi.
Color.
Alæ.
Cauda.
Crura.
Coxæ.
Tibiæ.
Pedes.
Digiti.
Vngues.
Falconarius.



mili pallore luteſcere, omnes affirmant. Noſtri verò lutei ſunt. Verùm hoc loco ex Alberto quærere lubeat, cùm, vt ipſemet docet, in ſpeciei diſtinctione, figuræ potiùs ſit habenda ratio, quàm coloris. Et quoniam eãdem eſſe huius nigri, cum Falcone peregrino figuram, habitũue fatetur, cur ipſe eos dirimat? Mihi certè ijdem ſpecie prorſus eſſe videntur, cùm ob hanc, tùm alias adductas rationes. Hoc tamen differre vult etiam Albertus, quod niger flauo ſit breuior. Illã quoque, quam Ornithologus Falconis Carbonarij ponit effigiem, à noſtro & Alberti nigro diuerſa videtur, quòd nullis in pectore lineis tranſuerſim diſtincta ſit, aut ſanè malè picta. Quinetiam quem alij Tunetanum ſeu Barbarum, vt etiam quem Tartarum appellant. Belloniꝰ peregrinis accenſeri ſcribit, quòd vix vllam inter eos differentiam obſeruãrit.

## LOCVS.

VEL ipſum Peregrini nomen apud nos hanc auem naſci negat. Natales Sardiniæ debet, Aegypto, Cypro, Cretæ, Rhodo. Qui verò nonnunquam in Italia capiuntur, nempe in ditione Ferrarienſi, necnon in agro Rauennate, vi ac turbine ventorum impulſi, hucq; aſportati exiſtimandi ſunt. Nam ibidem minimè naſci, vel ex hoc cognoſcuntur, quod nidularij nulli vnquam, ſed ſemper aut hornotini, aut ramularij, annoſioresq; inueniantur. Atqui hi ſunt natales indubij Falconis peregrini fului ſeu rubidi, qui omnibus citra controuerſiam talis habetur. De nigro verò, ubi generetur, & vnde primum ortum traxerit, ita ſcribit Albertus: *Hunc Falconem Fridericus Imp. ſecutus ſcripta Gulielmi Falconarij Regis Siciliæ dixit viſum aliquando in mõtanis quarti climatis, quæ Gelboë vocantur, ac poſtea iuuenes expulſos à parentibus, apparuiſſe in Salamine Aſiæ montana, & iterum expulſos nepotes priorum, ad Siciliæ montes peruenisſe, & ſic deriuatum eſſe hoc genus per Italiam. Nunc quidem in alpibus & Pyrenæis montibus reperitur, & in Germaniam quoque deriuatum eſt quamuis rarum adhuc.* Quæ ſi vera ſunt, & in Italia, Germaniaue quoſdam naſci, hi ipſi reuera, proprièq; peregrini non dicentur, niſi quatenus à peregrinis ſunt prognati. At quod ad formam & ingenium attinet, vel ipſo Alberto iudice, nihil differunt. Quem nos deſcripſimus, in agri Bononienſis collibus captum ſcimus. Verùm num ibi natus ſit, an aliunde ventorum vi importatus, ambigimus. Quo uerò loco nidos hoc Falconum genus conſtruat, idem Albertus ex accipitrarij cuiuſdam peritiſſimi relatu nos docet, his uerbis: *Dicebat exercitatiſſimus & veteranus hic Falconarius, qui in eremo alpium prope iuga altiſſimi montium multis annis habitauerat, hoc Falconum genus in altiſſimis, & præruptis parietibus montium nidos conſtruere, ita vt nuſquam adeundi locus ſit, niſi quis à cacumine montis ſubmittatur per funem longiſsimum, plerunque centum paſſuum longitudine, aliàs centum quinquaginta, aliàs ducentorum, vel trecentorum. Interdum verò, vel propter nimium interuallum, vel propter aſperitatem ſcopulorum, ne ſic quidem nidum adiri poſſe, & hanc ob cauſam vulgò locum generationis ignorari. Addebat ſæpius ſe vidiſſe parentes prædam pullis attuliſſe in ſpecus, & rimas taltum montium, & pullos adultiores à parentibus loco habitationis ſuæ expelli, propter cibi, & auium in iſtis locis penuriam, & pullos mox ad planitiem ſe conferre, vbi aues abundent, & ſic deinceps per regiones diuerſas ſine certa ſede vagari.* Hactenus Albertus. Ex cuius verbis colligere eſt, non ideo tantùm peregrinos dici, quòd nulli apud nos naſcantur, cùm ipſe etiam in alpibus ex accipitrarij illius ſenis relatu aſſerat, eos qui propriè peregrini vocantur, ſobolem procreare, quod tamen alij plerique negant, ſed hanc potiſſimam eſſe nominis cauſam, quod tanquam ſi peregrè ueniſſent, vnde ueniant, aut ubi geniti ſint, prorſus ignoretur. Et hæc quidem de fuluo ſeu ruffo dicta ſunto. Nam Carbonarios etiam in Germania, & alibi certò naſci uolunt.

Nigri natalis.

Nidulatio.

Cur peregrini dicãtur.

## VOLATVS, VENATVS, INDOLES.

FALCO peregrinus rariori alarum motu inſtar Lari, & confeſtim, vix interpoſita mora ſublimè uolat. Quibus notis plerunque à Montano diſcernitur. Hic enim frequentiùs alas concutit inter uolandum, more Hirundinum. Beliſarius de utroque Falconum peregrinorum genere, nempe tã rubido, quàm nigro loquens, in quas duas ſpecies peregrinum diſtinxerat, in hæc uerba ſcribit. Nos omnes eodem uolare modo, eodemq; ferire uidemus. Nam ſupra paludes altiùs uolare ita dicuntur, ut Anates, Anſeresq;, & quandoque cæteras aquatiles aues, aduncis unguibus feriant, quum à ſublimi in pronum uelociſſimè deſcendant, ac eo animo, uiribusq;, ut unica poſteriorum unguium percuſſione, mortuam per aëra uictam deſcendiſſe auem, quandoque conſpexerimus. Horum natura adeò mitiſſima eſt, ut quodammodo iraſci nequeant,

Venatio.

nequeant, ad hominumq; nutus magnitudine quadam animi potiùs, quàm inedia aucupẽtur. Indoles. Quippe venatorum ingenio, arteq; inſtituuntur, eorumq; vocibus, ac nutibus adeò obtemperant, vt (ſi macilenti non ſint) enixiſſimos auium volatus, altiſſimosq; aggredi poſſe, venatores aſſerant. Nutriendi ſunt delicatiùs, & ea corpulentia conſeruandi, qua, dum capiebantur, reperti fuerunt, vt velociſſimarum etiam, magnarumq; auium pugnam audaciùs, fortiusq; aggredi non expaueſcant. Sic etiam morbi, qui ferè ob macilentiam euenire Falconibus ſolent, Vt Ardeã capiat. cauentur. Si tamen efficere venatores voluerint, ut Falcones peregrini perſequãtur, & capiant Ardeas, vel alias huiuſmodi aues, quas ſpontè alioquin perſequi non ſolent, fame nimia, cibiq; parcitate, & abſtinentia ad hoc inducendi ſunt, ne inſolitis earum vocibus terreantur, nec ineptam, magnam, & turpem eorum formam, lethalesq; roſtrorum ictus pertimeſcant. Hoc vt faciliùs conſequatur venator, ter aut quater per interualla Ardeæ viuæ Falconum manibus attrectandæ, ac deplumandę ſunt. Curandumq; eſt, vt paſto leuioribus cibis Falcone, bombycina offula, plumeauè ſaltem veſperi, ſi poſtridie venandum ſit, ſolertiùs offerantur. Hæc omnia Beliſarius. Tardiuus tamen, eum maximè, qui ex Creta aduectus eſt, fortem & ſtrenuum eſſe, Grues capere, Anates & Anſeres ſylueſtres, Mergos, & reliquas Aues aquaticas, item Tardas aues, Ardeas, Leucorhodios, ſeu Pelecanos, Phaſianos, Perdices itẽ, reliquasq; minores Aues, aſſerit. Ex peregrinis verò idem Tardiuus inquit meliores eſſe nigros ex Alexandrinorum ſententia. Verùm hoc forſan ideo accidit, quòd rubri apud eos frequẽtiores, quàm nigri ſint, vel quòd alibi quàm domi noſtræ nata, ac peregrina ſemper nobis magis (quę eſt humani ingenij curioſitas) arrident. Ita quoque Bellonius Cretenſes optimates ſuis, & apud ſe natis Falconibus, qui tamen apud nos plurimi fiunt, cæterisq; præferuntur, parum delectari refert, alienisq; nempe Africanis, quos Barbaros vocant, magis affici. Hic niger, inquit Tardiuus, nutriendus eſt, ita ut mediocris inter obeſum & macilentum ſit. Carnem madidã ei ne dederis, niſi ſuperbior fuerit. Manu geſtato crebriùs quàm alios Falcones. Benignè tracta, nec vltra, quàm ei gratum eſt, fatiga. Aquilam ne videat caue. Alioqui enim non ampliùs aucuparetur. Cura etiam, ne pennæ eius contrectentur. Quum ad prædam eum proijcies, vide ne eum lædas, ſic enim animum, & alacritatem, amittit.

# QVANDO ET QVOMODO CAPIATVR.

PEREGRINVS, inquit Tardiuus, inter peregrinandum menſe Septembri capitur in Cypro, & Rhodo inſulis. Albertus verò eorum, quos in ſummis alpium iugis habitare dixerat, triplicem capiendorum artem exponit, his verbis. Capiuntur autem hi Falcones tribus modis, quorum duos ipſe uidi, tertium ab Eremita iam dicto audiui. Primus & ubiq; communis modus eſt, vt rete deſponatur patulum, ita vt facilè conuertatur cum chorda ſeu fune ſuper id quod intenderit auceps. Primus capiendi modus. Cæterùm ante rete extenditur corda, id eſt, reſtis, cui alligatur Lanarius rubeus, quem vulgò Suueimer vocant, & ad chordam dependentem ad eam extenſo alio fune diligenter alligatur auis, uel laneum, aut piloſum quidpiam ſimile aui, ita vt quando funis extẽſus trahitur, & concutitur ab aucupe, Suueimerius ſeu Lanarius videatur auem inſequi ad prædandum. Videns autem Falco, qui fortè peregrinatur, hunc geſtum auis, ſeu illius, quod auem eſſe putat, motum chorda ſæpius concuſſa factum, cum impetu deſcendit, vt prædã Lanario eripiat, & ſic deceptus irretitur. Sed alter multò melior modus eſt: Ligna duo inſtar crucis componuntur, & ſuper extrema eorum curuantur duo alia ad ſemicirculorum ſpeciem, & extrema circulorum infiguntur extremis lignorum, & inter illas quartas arcuum circulorum alia ligna curuantur locum interſectionis crucis vnietia, donec non niſi ad tres vel quatuor digitos diſtiterint inter ſe ligna. Tum ſingula ligna implentur laqueis à ſummo uſq; ad imum. Debet autem fieri hoc vas ad altitudinem ſeptem, vel octo pedum, & ad latitudinem quinque vel ſex pedum. Tum collocetur in eo cauea ſex pedes alta, ita ut pede vno diſtent latera vaſorum inter ſe, quũ vnum eſſet in alio. Et in interiori ſint ligna trabium inſtar, ſibi inuicem ab imo uſque ad ſummum impoſita, & aues in eodem ſex vel ſeptem includantur, quæ per trabes continuò aſcendant, deſcendantq;. Oportet autem hoc totum fixum, & immobile eſſe ſuper muro, uel porta, uel in campum liberè. Sic enim Falco, qui peregrinatur, conſpectas aues dum conatur prædari, capitur laqueo, & hoc modo vidi capi Falcones optimos. Ceterùm Eremita ille, cuius mẽtionem iam feci, reti extenſo, & aue ante id alligata abſq; Lanario, hoc genus Falconum quotannis ſe cepiſſe aiebat. Falconem enim auidum prædæ ſeipſum in rete præcipitare. Hactenus ille.

Suueimerius. Lanarius. Secundus modus.

# DE FALCONE SACRO. Cap. II.

NISI Falconi peregrino vel ea potissimùm ratione, quòd, etsi mediocri corpore, paris tamen sit cum maximis Falconibus audaciæ ac roboris, vt de cæteris dotibus nihil dicamus, primas dedissemus, hasce sanè vel communibus omnium suffragijs Falco Sacer merebatur. Fuisset certè etiam à nobis cæteris omnibus præpositus, si non & aliorum, & nostra, nec veri expers suspicio, è vero & genuino Falconum cursu submouendum arbitraretur, & Aquilis fortasse potiùs annumerandum, cùm colore & magnitudine, & robore, necnon ingenio, ipsi cum his plurimùm conueniat, vti qui historiã eius attento animo lecturus est, facilè liquebit. Quoniam tamen authorum vulgus, necnon accipitrariorum communem ei cum Falconibus nomen fecit, in horum numero & nos, & quidem secundo ponendum putauimus. Neque enim cæterorum Falconum cuiquam tantum animorum aut roboris est, vt Capreolos, & Hinnulos capiat, quod de hoc solo perhibetur, quamuis & hoc ipsum Aquilæ naturam sapiat.

## SYNONIMA.

RECENTIORES maximùm & fortissimum quoddam Falconum genus Sacrum nominãt, quia, vt Ornithologus sentit, ab omni auium genere, etiam ab Aquila timetur. Quemadmodum veteres sacrum serpentem nominarũt, cuius conspectum reliqui omnes fugerent: & sacrum piscem, qui à nullo læderetur. Nisi quis sacrum, vel Græcorum imitatione dictum malit, quasi hieraca, id est, Accipitrem per eccellentiam, vt poëtam pro Virgilio ponimus, vel à corporis magnitudine, viriumq; præstantia. Ornithologus hæc Perotti verba esse ait: *In Accipitrum genere præstant ij, quos Græci Hieratas, id est, sacros vocant:* quasi verò (ait idem) Accipiter generis nomen sit, hierax speciei, cùm vtrumq; uocabulum ex æquo pateat, & idem omnino sit Græcis hierax, quod Latinis Accipiter. Genus hoc (inquit Albertus) quod sacrum vocant, Symmachus Britannicum, aliqui Aelium, vel potiùs Aelyon, quasi aëreum Falconem, aut fortè à Gallica voce, qui Aquilam uocant aigle, vt Ornithologus coniectat, Alij Aeriphilum quasi Falconem amãtem aëris. Amat enim volatum in aëre sublimem. Quæ quidem nominis ratio Belisario arridet. [a] Bellonius Gallus Accipitrum numero adijcit, quod propriè Sacre uocant Galli, nihil proculdubio ab hoc Falcone diuersum, quod perperam ab illo Buteonem putari suo loco notauimus. Vnde de hoc eodem, istoc etiam loco meritò agendum. Nam Bellonius inter Accipitres eum posuisse uidetur hac ratione, quod Aristotelis Triorchin, seu Buteonem, Accipitrum præcipuum suum Sacrum esse opinaretur, quanuis perperam, & inconsideratè admodum. Cùm enim ipsemet Sacrum Falconi peregrino uiribus æquiparet, omniũ præstantissimo, & aues aquaticas magnas plerasq; imo & lepores eũ capere asserat, quomodo quæso Buteo erit, qui præ ignauia uix ullam auem uenatur, muribus & ranis uentrem teste [b] Aristotele explens famelicũ. Quinetiam idem ipse [c] Bellonius Sacrum suum Falconem uocat, quo nomine Accipitrum nobilissimos uenire constat propriè. Quanuis si etymi ratio consideretur, generalem magis possit etiam obtinere significationem. Germani hunc Falconem peregrino uocabulo Sacker, aut Sockerfalck uocant, uernaculo uerò Kuppel, quasi copulatos, fortè quòd uenaturi plerunque bini uolent. Quidam ineptiùs Stocker dicunt, nisi Aquilæ speciem Stockarn, id est, truncalem Alberto dictam eo nomine designent. [d] Auicenna Falconem Sachari nominat.

Etymum. Sacer serpens. Sacer piscis.

Aelius. Aelyos. Aeriphil[a]. [a] *Lib. 2. c. 14. de Auibus.*

Bellonij error.

[b] *9. Hist. c. 1*
[c] *L. 2. c. 13.*

SacKer. SocKerfalcK. Kuppel. StocKer.

[d] *L. 2. c. 246* Sachari.

## GENERA.

FALCONIS Sacri Tardiuus tria statuit genera, & priora duo maiora, quæ hinnullos, & capreolos capiant. Sed quod tertium recenset, peregrinus esse uidetur, quem tamen alibi, parum sibi constans, Sacro minorem facit. Ea uarijs nominibus barbaris uocat. Verba eius, ut lectori integrum de re sit iudicium, subiungam. Primùm (inquit) uocatur Seph, secundum Babylonios & Assyrios. Hoc inuenitur in Aegypto, & in parte Occidentali, & in Babilone. Capit lepores & hinnulos. Alterum genus dicitur Semy, à quo Gazellæ (sic Gallicè Capræas uocat) paruæ capiuntur. Tertium Hynaire, & peregrinus ab Aegyptijs, ac Assyrijs, uel commeans

Seph.

Semy. Hynaire.

commeans (uulgò Gallicè de paſſaige) quoniam neſcitur, vbi naſcatur, & quotannis commeat Indos, aut meridiem uerſus. Atqui paulò pòſt ſubiungit. Sacer dictus maior eſt, quàm Peregrinus. Hæc qui uolet, & poterit, conciliet. Ego duo potiſſimùm Peregrini genera inuenio. Vnum maius, quod Albertus Aquilæ comparat, & fortaſſis Aquila eſt. Alterum minus, quod Peregrino magnitudine par, at etiam ſuperius, tam Tardiuus, quàm Carcanus faciunt.

# FORMA.

Magnitudo. Crura. Vngues. Oculi. Pennæ. Caput. Roſtrum. Cauda. Sacer ab Imp. Frid. deſcriptus.

PRIMVM genus apud Albertum, ſed ſtrictim deſcriptum, reperimus his uerbis: *Primum genus nobilium Falconum, nempe ſacrum magnitudine eſt Aquilæ,* (vel paulò maiore) *Crura ei craſſa & nodoſa* (vngues & crura maxima) *Imo vngues crudeliores & immaniores, quàm Aquilæ* (pennæ ruffæ uel ſubruffæ) *aſpectus terribilis, oculi valdè flammei, ex citrino colore ad rubrum declinantes, caput magnum, roſtrum quoque magnum, & fortiſſimum, iuga ſiue complicationes alarum maximæ, cauda longa, & huic quidem ſoli in Falconum genere.* Ab hac deſcriptione non parum ſanè Fridericus Imperator diſcrepat, hunc in modum de ſacro Falcone ſcribens: *Sacri ſecundum formam membrorum ſic ſe habent, approximant Gyrfalconi in magnitudine corporis, cæteris quidem Falconibus maiores ſunt, ſed Gyrfalconibus minores.* Quod ſi verum eſt, Aquila multò minor erit. Dicendum itaque aut Imperatorem aliud genus Sacrum appellaſſe, aut Albertum de minimo Aquilarum genere loquutum fuiſſe, quod tamen Gyrfalconibus meo iudicio etiam maius eſt. Verùm & reliqua quæ addit, ab Alberti deſcriptione diuerſa ſunt: ita.n. proſequitur, *habent caput magnum, rotundum, roſtrum breuius* (magnum Albertus) *corpus ſubtiltus & longius in proportione ſua, alas longiores, caudam etiam longiorem, pectus minus carnoſum & minus dẽſum reſpectu ſui corporis, quàm Gyrofalcones, digitos pedum habent breuiores.* Sacrorum è colore temperiem indagans Beliſarius, ex pennarũ colore leuitatem argui tradit. Ad ignis ſimilitudinem pennati ſunt. Bilis enim colorem in pennis, inquit, præ ſe ferunt. Quare calidi cordis eſſe putandi ſunt, iraſcique nimium, ſi præda fraudari ſe aliquo modo ſenſerint, magis quàm alij ſolent. Vnde acres potiùs dicendos putamus, quos alij ſacros, alij aëreos aut aërinos, aërophilos alij vocant. Inter poſteriores Bellonius hanc & curtã quidem deſcriptionẽ adfert, inquiens: Sacer hic fœdioribus, quam ulla alia quæpiã auis rapax, aſpectu pennis integitur. Colore enim ſunt inter ruffum & fuligineum medio, Miluinæ ſimillimæ. Breuibus eſt cruribus, tibijs, pedumq; digitis cæruleis, hac parte nõnihil Lanarium referens. Ampliorem Carcanus Vicentinus ponit his verbis: Falcones Sacri dicti, Peregrino etiam grandi maiores ſunt. Hiſce caput eſt admodum canum, vertice plano, ſimillimum capiti Miluorum, quibus cauda eſt bifurcata. Oculi nigri, magni. Roſtrum cæruleum, nares exiguæ, vt plurimùm. Corporis ſtatura plerumque oblongiuſcula, maculæ pectoris fuſcæ, uti dorſum, alæq; ſuperiores quoque, femora interiora alba. Cauda maculis ſemicircularibus phaſeolorum figuram, aut renum ferè exprimentibus, varia eſt & longa. Alæ item magnæ & oblongæ. Crura pedesq; tota ferè coloris cærulei, verùm cętero corpori comparata, non admodum magna. Hornotini, vulgò Sori modicum ab his, qui plumas mutarunt, differunt. Hi enim eas, quibus pectus variat, notas paulò nigriores, ac rotundiores hornotinis obtinent, pedes quoque his nonnihil albeſcunt, & quibuſdam aliquanto luteo maculantur. Omnibus quoq; ferè dorſum ruffum ad cinereum tendit, ut Turturibus. Quibuſdam tamen tam hornotinis, quam his qui plumas veteres exuerunt, dorſum cum alis ſuperioribus nigreſcit. Ita vt arduum ſit, & difficile, niſi artis admodum perito, eos dignoſcere. Hactenus Carcanus. Fridericus Imperator ex formæ bonitate & proportione in ſacris Falconibus (quos meo iudicio, vt antè etiam monui, non agnouit) & pennarum pulchritudine haberi non poſſe delectum aſſerit: quòd pulcherrimi aliquando viſi ſint, non admodum veloces, & è contrario deformes ac indecẽtis proportionis ueloces, & pulchros, bonitatis laude ſuperent. Tardiuus rurſus Falconem ſacrum eum præferendum tradit, cui color rubicundus, aut ruffus, aut incanus, (quem griſeũ Galli dicunt) fuerit, & qui forma ac ſimilitudine quàm maximè Falconem refert, cui lingua craſſa, & pes amplus eſt, quod in paucis Sacris reperitur: Digiti craſſi & colore fermè cæruleo diluto.

Tẽperies. Bellonij deſcriptio. Carcani deſcriptio. Magnitudo. Caput. Oculi. Nares. Roſtrum. Statura. Color. Cauda. Alæ. Crura. Dorſum. Hornotini. Ex Tardiuo deſcriptio.

# LOCVS NATALIS.

DIFFICILLIMVM, inquit Bellonius, reperire est, qui huius auis nidum sibi uisum asseuerare queat. Galliæ sanè aduena est, & alienigena. Putãt nonnulli accipitrarij ex ultima Scythia, nempe Tartarorum & Ruthenorum oris ab Oceani plaga aduẽtare. Cùm verò certa anni tempestate victus quærendi gratia, meridiem versus proficiscitur, ab aucupibus intercipitur, qui insidias illi obseruato aduentu tendunt in diuersis, qua iter facit, maris Aegei insulis, nempe Rhodo, Carpento, Cypro, Creta, Naxia. Belisarius verò refert Maximilianum Cæsarem è suis quosdam ad extremas Sarmatarum (Polonos nunc dicimus) fines exploratum misisse, vt hoc genus auium è proprijs nidis ad se deferrent. Quos quidem in illis locis in arboribus non proceris nidulari inuenerunt. Vnde facilè conijcitur (inquit) non paruis, sed magnis tantùm auibus eos uesci, & insidiari. Quanquam venatores quidam nonnullas aues hanc ob causam in sublimi minimè nidificare existimant, quòd omnis generis cadaueribus uesci solent. Contrà verò Paulus Iouius de legatione Moscouitica scribens: *Ad Inugros*, inquit, *Vgolicosq; per asperos montes peruenitur, in quorum iugis nobilissimi Falcones capiuntur, cùm alij, tùm Sacri & Peregrini dicti, quos antiquorum Principum luxus in aucupijs non agnouit.* Idem de his ipsis fortasse alibi ita scribit. *Pecerra regio apud Moscouitas Falcones mirificos præbet, qui non modò Phasianos, & Anates, sed & Cygnos & Grues consectantur.* Albertus quoque contra Belisarij opinionem, aërophylum nidum in altissimis montibus construere scribit. Quin & Falcones Sacros magno admodum numero è Creta Venetias aduehi testatur Carcanus, vbi mercatores quidam stipendio ad hoc conducti à Christianissimo Galliarum rege huic innumerabiles penè quotannis coemptos transmittunt, quod ijs in venatione frequentissimè vtatur.

Nidus.

Pecera regio Falconib⁹ mirifi cis abũdat.

# VOX. VOLATVS.

VOCEM eius Albertus terrificam vocat, & metum alijs auibus incutere, sed rarò admodum clamare, altissimeq; volare testatur, adeò vt etiam nubes transcendere dicatur, è qua altitudine aues interemptas deijcit, quæ delapsæ nonnunquam in terra reperiuntur, sed vnde ceciderint, aut quomodo perierint ignoratur, quòd in tam sublimi loco aeriphylus videri nequeat. Diutissimè præterea volat. Prædam nonnunquam ad trium, aut quatuor horarum spacium persequitur. In summa Sacros Accipitres Belisarius omnium volacissimos ex multorum opinione asserit. Porrò Sacros è nidis abductos non adeò volaces, ut eiusdem generis cæteros reputari, docente experientia, idem tradit.

# VENATIO. FEROCIA. ANIMI MORES.

TANTA huius Sacri Falconis est potentia, & tam corporis, quàm animi uirtus, ut Alberto authore, nulla auis adeò magna sit, quam non statim deijciat, nec unam tantùm, sed quotquot habuerit obuias. Capit etiam capreolos, & hinnulos, quorum oculos, & cerebella unguibus dilacerat. Capreolis, in quos uisum defixerit, insidet, & cerebrũ capite perforato excutit. Adeò uerò Aues omnes uires eius inuictas exploratas habere uidẽtur, ut eodem Alberto teste, sub ipso, id est, in eius conspectu, nec Aquila quidem uolet, multò minus alia quæpiam auis rapax, præ eius timore, sed statim ut uiderint Sacrum, reliquæ quotquot sunt aues, ad loca arboribus condensa, uel ad terram refugiunt, & manibus capi se potiùs permittunt, quàm in aërem patentem redeant. More Falconum cæterorum bini uolare, unàq; cum socio uenari consueuerunt, imo & terni, ut ait Belisarius, præsertim quum aliorum generum rapaces ignobiles persequuntur, ut Miluos, & huiusmodi alias. Huius reddens rationem, nam, cùm unguibus sint paruis, inquit, (quod Falconi Sacro minus competere, cui ex Alberto ungues, quam Aquilæ immaniores antè tribuimus, & reliquæ eius corporis uastitati malè respondens, adeoque indignum uidetur) hostisq; fortior, & ad uolatum persistens nimium (neque hoc præcedentibus ex Alberto allatis, ubi auem quantunuis magnam nullo negocio superare Sacer dicitur, consonat. Vnde forsan de alio quopiam Sacri Falconis genere loqui Belisarius, uerbi gratia, qualem Bellonius describit, putari potest) mutuo auxilio, ut alter alterum iuuet, necesse est, & maximè si Milui nigri eis capiendi sunt. Sunt enim Miluorum genera duo, quorum alterum tempestate nostra regale, alterũ nigrum appellamus. Nigri robustiores sunt, ita ut quãuis ẽt ad ter-

Miluorum genera.

ram uſque capti,& à Sacris (ut aiunt)Falconibus circumacti per aëra deſcendãt,à Falconum tamen manibus quandoque euadunt. Qui quoniam cauda utuntur in cælo (aëre) flexili (gubernandi artem monſtrantes in profundo) relictis in terra Falconibus (qui propter aëris denſitatem huius generis Miluos amplius perſequi nequeunt) in aëre iterum ſoluti è Sacrorum unguibus elabuntur. Qua de cauſa indignati Falcones dimiſſa præda, inter ſeſe rixari ac ſeſe inuicem ferire ſæpius uiſi ſunt, adeo quidem ut aucupandi animum abiecisſe uiderentur.

Ne ſibiipſis impugnẽt quid agendum.

Quod ne cõtingat, iniuriasq; Sacri obliuiſci poſſint, omni cura ſtudendum uenatoribus eſt, ut ſimul unà Sacri nutriantur, ſimulq; ſedeant,& quieſcant,ſimul quũ à uenatore ad ueſcendum inuitantur,inſtrumento volubili,auis ſpeciem præ ſe ferente reſideant,ut communi carnis pa-

Amor erga canes & dominum.

bulo nutriri ſociatim poſſint. Nam & alioquin ſponte, inquit Albertus, cum ſocio præſtantiùs venatur, quanquam ſolitariam etiam probè venationem exerceat. Hominem, & canes venaticos amat,ac coram eis uenari uidetur lubentiùs, tanquam vires ſuas illis oſtentare velit. A domino,poſtquam cicuratus eſt,nunquam recedit,prædamq; omnem illi reponit. Quamobrem nobiliſſimus dicitur.Si verò aliquando reuocandus erit id alta & ſonora voce, & planè ſtentorea faciendum eſt. Nam & altè,& procul volat, & reclamatorium (ita vocat Albertus

Scapus pinnatus.

ſcapum pinnatũ,quod accipitrarij reuocaturi Falconem manu ſeu pugno ſolent prætendere) magnum admodum requiritur,quòd è longinquo videri poſſit. Et licet ſtatim reuocatus non redeat,non eſt cur ideò metuas,neque enim periculum vllum eſt non rediturum. Solet enim ſua ſponte ad domicilium reuerti. Frigoribus ventoq;, & imbribus,ut aſſerit Beliſarius,maximè omnium rapacium reſiſtit,cui & Tardiuus atteſtatur,laboris omnium patientiſſimum eſſe ſcribens,tractabilem etiam & manſuetum. Quamobrem nec mirum & Ferdinandum olim Sicilię Regem huic venationi potiſſimùm delectatum fuiſſe,quoniam ventis ac imbribus prohiberi non poſſit,& quòd plurium generum auibus capiendis inhiaret. Prædatur præter alias,

Quas aues venetur.

aues maximas,vt Anſeres ſylueſtres, Grues,Ardeas,& in primis quadrupedes ſylueſtres, vt Capreolos leporesq; & id genus alia. Vnde Marchio Mõtherculeus,ut memorat Niphus,tertium

Niphi ſententia de Falcone Sacro.

Aquilæ genus ab Ariſtotele deſcriptum,Falconem hunc Sacrum, quem quidã Hierofalcum etiam nominant,eſſe credidit. Neque fortè ineptè, cùm & montes ſyluasq; colat, & lepores captet,& colore nigricet,vti Valeria Aquila. Alijs tamen; vt Ornithologo magis placere uideo, ad Chryſaëton reducitur,& maiori forſan ratione,in quo plumæ ex ruffo ad nigrum ver

Falco regalis.

gunt. Albertus ſanè non incongruè Falconum hoc genus regale vocat. Hinc Tardiuo faciliùs crediderim, qui inquit, Falconem,ut aiunt,Sacrum cibos craſſiores facilè coquere. Solet

Aquilarũ vẽtriculus.

enim Aquilarum præſertim ventriculus vegeto,intenſo,ac quiduis conficiẽte calore eſſe præditus. Albertus tamen,quod mirũ videatur,nutriri eos,inquit,delicatiſſimè oportet, cibo ſemper recente, & præcipuè cordibus,cerebellis, & ſanis carnibus,quæ ita recentes ſint, vt ab ani-

Cibus.

mantis uitali calore adhuc caleant. Cibi uerò, addit tantundem ferè conſumunt, quantum Aquilæ. Eidem Alberto Beliſarius quoq; repugnare uidetur:cùm inquit,inuẽti ſunt aliquando Accipitres Sacri animalium cadaueribus ueſci. De altero uerò minore, ut credo,Sacri genere Bellonius ſcribit,alitem eſſe generoſi admodum animi, & Falconi Peregrino in roboris

De Sacri Falconis minori genere Bellonij opinio.

æſtimatione ab accipitrarijs aſſimilari. Et quanuis ſublimis adeo ſit uolatus, inquit, ut ad Miluum in æthere inſectandum,adoriẽdumq; emitti ſoleat,nihilominus etiam ad uolatiliũ aquaticarum, aliarumq; campeſtrium auium, & Anſerum ferorum, Otidum, Tetracum, Phaſianorum,Perdicum,& Leporum etiam,atque adeo ad omnis minorum animantium, quæ uenatu perſequi ſolemus,generis capturam inſtitui apprimè idoneus. Etiamſi ob raritatem paucis,præterquam Principibus uſitata ſit uenatio, quæ per Falcones Sacros inſtituitur: in eorum

Vt Grues capiat.

tamen gratiam,qui arte accipitraria capiuntur, hîc ex Carcano rationem transferam, qua in Cypro ad Gruum potiſſimùm capturam adhibentur, (nam in Anatibus capiendis horum vllum eſſe uſum,ut nec Gyrfalconum aut Miluorum,Merillorumuè idem negat) idq; unà cum Falcone Peregrino.Modus quem obſeruant,ferè talis eſt. Conſpecta Grue,accipitrarius Falconis Peregrini capitium nonnihil laxat,& quàm proximè fieri poteſt,ad Gruem accedit, ſimulatq; hæc ſubuolat,dempto capitio ſeu cucullo illum ad perſequendum Gruem emittit. Deinde emittuntur duo,treſue Falcones Sacri, qui ſtatim rectà Peregrinum per aëra ſequuntur. Hic enim ut Sacris uelocior,uolatuq; agilior,proximus ſemper Grui imminet. Quoniam verò Grus minimè prælium cum Falcone init,ac Ardeæ ſolent, ſed ſemper fugere ſolet, quare Peregrinus tandem illum aſſecutus bis teruè roſtro uellit, ac ferit, donec adiutricibus ſacris deuictus, in terram præcipitetur. Hiſce extemplò ſuppetias laturi accurrunt accipitrarij, qui Gruis roſtrum in humum defigunt, cruraq;, ne quid auis illis lædat, perfringunt. Deinde omnibus ſimul Falconibus ex Gruis cerebello, oſſibus,medulla,corde apparant ferculum,ſuppam illis uocatum,ſed pluſculum ex illo Peregrino concedunt.

DE

# DE GYRFALCONE. Cap. III.

ANIMI, corporisq; magnitudine proximus Falconi Sacro, meritò Gyrfalco æstimandus est Hic enim non minus, quàm ille cæteris Auibus terrorem, uel solo etiam conspectu incutere dicitur, & Aquilam quoque audere adoriri. Vnde fortasse factum, ut nomẽ Herodius, quod alij Aquilarum principi dãt, huic quoque datum à nonnullis sit. Verùm cùm omnium testimonio Aquilâ sit minor & reuera omni ex parte Falconis naturam referat, nempe colore, actis, uoce, figura denique, itaque Falconi Sacro hoc ipso cedere eum æquum est, quem Aquilæ, quàm Falconi similiorem antea diximus. Herodius cur Gyrfalcus dictus.

## SYNONIMA.

NOBILIS huiusce Falconis nomenclaturam alij aliter proferunt, scribuntq;. Nobis cum maiori tam scriptorum, quàm gentium parte Gyrfalconem appellare visum est. Peregrinum enim hoc auis huius nomen, nempe Teutonicum putamus, & cuius rationem frustra è Græco, aut Latino sermone petas, quod pleræq; nationes, tanquam commune vsurparunt. Etenim si Hierofalcum dixeris, quod nomen Falconi sacro competit, amphibologiam induces. Video tamen hoc Ornithologo placere, qui Hierofalcum ceu Græcæ originis vocem, quasi sacrum Falconem dicas, cum [a] Paulò Iouio scribere manult, quod nomẽ magnitudinem & vires mereri dicit, non minus, quàm antecedẽtem, quem Sacrũ Latinè nominamus. Sed & alia ratione Hierofalcum fortè vocatum suspicatur, quòd scilicet Herodios, id est, Ardeas, capiat. Vnde fortasse etiam Herodium eum vocasse recentiores existimat, cùm Herodius tamen (vel potiùs Erodius sine aspiratione) non Falconem Ardearum venatorem, sed Ardeam ipsam significet. Ego potiùs ob similitudinem, quam cum Aquila Regia seu Chrysaëto gerit, quem Albertum secuti barbari, Herodium, tanquam Auium heroẽm, vt ipse somniat, vocant, ab non admodum Latinis hominibus nũcupatum putauerim primùm, quorum vocibus etiam posteri linguæ politioris vti coacti sunt, si intellegi voluerint, melioribus destituti. Ita Iouius Herodium Falconum genus nominat, quod tamen apertè ab Hierofalcone separat. Qua de causa, incertum, nisi quod simile vero est, Falconis nomine, quod quibusdam nationibus valdè generale est, omnemq; ferè auẽ rapacem, cuius in venatu vsus est, significat, etiam Aquilam principem comprehenderit. Alioquin tanquam Auium historiæ non admodum peritus nominum quorundam, non exactam omnino rationem habuisse putandus est. Verba eius in capite de loco ponemus. Hac igitur posteriori ratione alij Hierofalcum, alij Hierofalconem scribunt. Priores uerò, quos sequimur nos, quidam Gyrfalcum nobiscum, quidam verò, inter quos Albertus & Volaterranus, tanquam si Latinæ esset originis, Gyrofalcum dictum putant, nempe à gyro, & circuitu, quo inter uolandum vtitur, prædam circumagat. Ornithologus inter cæteras coniecturas Girofalconem, quasi Agirofalconem fortasse dictum putat, deriuatione nominis Italica, etsi Italus ipse non sit, eadẽ nempe ratione, qua Hierofalco ab Herodijs, id est, Ardeis cupiendis dictus videri possit. Itali enim Ardeam Agironem vocant. Atqui Paulus Iouius Hierofalcos Ardearum hostes speciatim cognominat. Sunt qui Grifalcum dicant, vt Paulus Venetus, fortasse quòd ei cum Gryphe rapacitas, audacia & robur penè sint paria. Nobis verò Girfalco nomen præ cæteris arridet. Hoc enim plerosq; vsos videmus, aut alijs, etsi nonnihil variantibus, ab his saltem sine dubio detortis uocibus, cuiusmodi sunt Girofalco, Girifalco, quæ omnes ab hac dictione, Girfalc, deriuantur, cuius à Germanis petita est origo. His enim præsertim inferioribus, gir, siue gier, auidum, rapacẽ, voracemuè designat. Vnde Vulturem inter Aues immanissimæ uoracitatis uolucrem, Voghel gier, id est, auem auaram, rapacem, & edacem nuncupant. Hunc uerò Falconem, aut quod instar Vulturis magnus sit, (qua de causa & alio nomine ipsis Grosserfalck, id est, Falco magnus dicitur) aut quòd ob eam, quam passim in omnes Aues exercet sæuitiam, auari & rapacis nomen, non minus, quàm ille mæreri uideretur. Non absimili ratione ijsdem Gerfalck quoq; (Eorum n. idiomate Ger, appeto, cupisco, seu etiam congrego, corradouè) significat. A Germanis suum uocabulum Itali Girifalco, & Galli suum Gerfault mutuati, uel hoc nomine dici possunt, quòd horum nominum etymologia apud eos solos explicari possit. Moscouitę hos Falcones (si modo ijdẽ sunt) Kretzet uocant. Poloni Byalozor. Ea sanè quam adduxi Gallici nominis ratio plus verisimilitudinis in se habet, quàm ea, quam [b] Bellonius adducit. Vult Gerfault dictum quasi Gypsfalcus. Gyps autem Græcis Vultur est, quod nimirum, inquit, inter rapaces post Aquilam facilè sit ferocissimus,

Hierofalco cur dictus.

[a] *In lib. de leg. Moscouitar.*

Cur Herodius dicat.

Falconis nomine eam nes Aues rapaces cõ prehendi.

Gyrofalc.

Agirofalco Agirone.

Grifalcus.

Girfalco cur sic dictus.

Gir, aut Gier quid.

Grosserfalck.

Gerfalck.

Kretzet.

Byalozor.

[b] *Lib. 2. c. 6*

Bellonij error.

ſimus, adeò ſe harum vocum alluſione captum, & ſimilitudine deceptum penè affirmans, vt Girfalcum Gypaëton ſtaturus fuiſſet, niſi huius ignauia obſtitiſſet, quò minus eius nomen, tam generoſæ indolis aui accommodari poſſet. Ad hæc maior ſimilitudo inter has duas dictiones Gerfault, & Gerfalck auribus percipitur, præſertim cùm Galli Falcum, Faulcon, dicant. Accedit vocum huic conſonantiæ naturæ, & indolis concordia, quæ magna eſt Vulturis & Girfalci, Gypaéti verò, & Girfalci nulla. Quanuis, vt diximus, ſua ſibi per ſe Girfalco ſtat nominis ratio, etſi ad Vulturem, quem Gyr Germani vocant, minimè referatur. In eo verò magis peccat Bellonius, quòd hunc Gallorum Gerfault, ſeu Girfalcum Aquilam Anatariam faciat.

Faulcon.

Gyr.

# FORMA

GYRFALCVS, inquit[a] Albertus, figura, colore & actu, id eſt, moribus & voce, omnino naturam Falconis refert, maior Aſture, minor Aquila. Beliſarius hoſce, ut inuentu rariores, ita cæteris Accipitribus aſpectu pulchriores eſſe ſcribit. Nam præter ſpecioſam corporis formam, eo ſtandi modo, inquit, erecti manent, eaq; membrorum cõpoſitione, id eſt, habitu, ac geſtu, hominum oculos ita delectant, vt quandam aucupandi maieſtatem præ ſe ferant. Idem Albertus teſtatur, cùm inquit; Solet autem præ ceteris Falconibus erectus, & pennis benè compoſitis ſtare. Quem verò nos hîc damus Girfalcum ad viuum, & verum exemplar illius, quem olim in aula Sereniſs. Ferrariæ Ducis Alphonſi vidimus, primùm natiuis ſuis coloribus depingi, deinde exſculpẽdum in tabula lignea delineari exactè curauimus, idq; primùm eo ſitu, quò dorſum ſpectatori obuertere, atque intorto collo in tergum reſpicere videtur. Sed quoniam hæc icon verum & natiuum eius poſitum, quo erectus in pedes, decora admodum ſtatura, habituq; corporis pulchrè compoſito, præ cæteris perticę, cõtouè aut accipitrarii pugno inſiſtere ab omnibus perhibetur, minus exactè exprimit, ideò alteram diuerſo geſtu, & penicillo, & celtæ ſtylo effingi voluimus. Noſter enim potiſſimus ſcopus eſt, eas rerum naturæ imagines ob oculos ſpectatoribus ponere, quæ doceant potiùs, quàm delectent. Huius igitur Gyrfalci talis erat figura: Vertex ei erat complanatus, ac ſeſſilis colore cinereo. Roſtrum craſſum, validum, breue, cæruleum, vnco modico, ſed acutiſſimo, ac robuſto, ſubcæruleo, deorſum incuruatum. In oculis nigerrima pupilla, iris cærulea, cæruleo quoque circulo ambiente conſpiciebatur. Dorſum, alæ, venter, cauda, alba erant, verùm tergi, alarumq; plumæ penè ſingulæ nigra macula notatæ, quæ cordis quodammodò figuram æmulabatur, inſtar oculorum in cauda Pauonis. Alarum remiges, prope extremum apicem nota maiori, ac longiori nigra ornantur, quæ tamen margine ſeu limbo albo clauditur. Alæ admodum longæ, adeò ut parũ abeſſet, quin ad extremam vſque caudam pertingerent. Gula, pectus, & venter pura tingebantur albedine, nullis maculis reſperſa. Cauda non admodum longa, imo reſpectu ſui corporis, nec non cæterorũ Falconũ breuiuſcula potiùs, quòd etiã Albertus notauit, notis nigris trãſuerſim variegata. Tibiæ & pedes colore cęruleo diluto. Tibiæ craſſæ, robuſtæ. Pedum digiti oblongi, validi, latè expanſi, tabellarum continua ſerie per totum intecti. Iconẽ ſequens pagina dabit.

[a] L. 23. c. 6.

Girfalci noſtri deſcriptio.

Vertex. Roſtrum. Oculi.

Alæ. Pectus. Cauda. Tibiæ. Pedes.

Hanc deſcriptionẽ probè per omnia conuenire video cum his, quæ ab alijs authoribus ſparſim tradũtur, de hoc ipſo Girfalco, nẽpe ab Alberto, Beliſario, Tardiuo, Carcano, Bellonio. Cùm autem nullus horum, imo ne omnes quidem ſimul perfectam eius deſcriptionem dederint, hęcinſtar omnium eſto. Vnum diſcrepare inuenio, ſed obſcuri nominis ſcriptorem anonimum, authorem libri de rerum natura. Hic enim in hęc uerba ſcribit. Girfalco ſiue Herodius auis inter omnes nobiliſſima eſt, parui corporis, reſpectu alarum eius: colore cæruleo, maxima tamen ſui parte corporis ad albedinem declinans, pręterquam in pectore & alis, vbi cęleſtem colorem euidentiùs omittatur. Hęc ille. Verùm genuino Girfalco nihil pręter roſtrum, cruraq; & pedes cęruleum eſſe omnes vno ore teſtantur, neque interea, quę ex nonnullorum ſententia Girfalci genera poſituri ſumus, vnquam vel nomine tenus cęruleum legere aut inuenire potui. Vnum tantùm Falconem mihi videre olim contigit, qui quodammodo ad cęruleum accedere dici poſſit. Sed reuera leucophęus potiùs eſt, quo etiam me nomine tum fuit donatus, ita tamen vt ad cyaneum nonnihil vergat. Verùm hic tota forma, ac habitu tantum à Girfalco diſtat, quantum Aquila ab Vlula, vti ex eius hiſtoria ſuo loco manifeſtum euadet. Interim tanta huius apud me non eſt authoritas, vt mihi negotium faceſſere, aut rem claram conuertere debeat. Scaliger illum Gryfalconem, quem vnicum apud Carolum Sabaudiæ Principem ſibi viſum refert, à Falcone, quem Peregrinum vocant, nihilo niſi magnitudine, diſtuliſſe ſcribit. Et Bellonius Girfalcum vulgaribus Falconibus ſeſcuplo maiorem eſſe aſſerit,

# GENERA.

GIRFALCONVM (ſi Franciſco Carcano huius artis alioquin peritiſſimo credimus) diuerſa etiam aliquot reperiuntur genera, plumarum colore diſtincta. Alios enim flauos, quoſdam rubeos, fuſcos nonnullos eſſe aſſerit. Albos ſibi viſos vnquam negat, & num reperiantur, ſubdubitat, cùm tamen præter eum, quem nos modò calamo delineauimus, ſaltem plurima ſui parte albicantem, ac nihil præter maculas exiguas nigri habentem, Sigiſmundus Baro ab Herberſtain, Matthias à Michavv, Beliſarius, Paulus Iouius, apud Septentrionales præſertim populos, albos Girfalcones reperiri vno ore affirment. Et Fridericus Imperator non dari tãtùm Girofalcones albos, ſed cæteris etiam præferendos eſſe aſſerit. Quoniam pulchriores rariores q; ſint, & à remotioribus locis, quàm alij, ad nos perferantur. Sunt item eodem teſte, alij cinerei, alij ſubalbi, maximè verò in pectore; alij ex albo, & cinereo permiſti. Qui albi ſunt in pectore, etiam magis albicant, & primo anno dorſum partim albicat, partim ſubruffum eſt, vel ſubrubeum; Vbi verò mutati ſunt, color ille ſubruffus & ſubrubeus in nigredinem permutatur. Albi verò candidiores ſplendidiores q; euadunt. Alborum etiam Girofalconum roſtrum magis, quàm in cæteris Girofalconibus ad albedinem tendit. Cinerei ſiue incani, quos griſeos Galli vocant, antequam mutati ſint colore differunt; nam alij fuſci ſunt, ſeu ſubnigri; alij ſubrubei, & hi duobus modis. Quidam enim maculis inſigniuntur, alij minimè. Qui maculati ſunt, ijs dorſum & cauda veluti guttulis quibuſdam conſpergitur; ſed in vno quàm in altero magis. Qui maculis carent, ij egregiè cinerei euadunt. Qui inter album, & cinereum medij ſunt, horum alij magis ad album, alij ad cinereum colorem magis inclinant.

Girfalconũ penes colores differẽtiæ variæ.

Gyrfalcones maculis carentes qui.

# PROBATIO. DELECTVS.

QVONIAM (inquit Beliſarius) ſatis conſtat ex pennarum coloribus Accipitrum animos dignoſci, fuluum ac lucidum, auroque ſimillimum cęteris præferendum eſſe dicimus, vtpotè audacem, facilem, mitem, placidum. Deinde illum, qui ad albedinem tendit, tanquam fortem & robuſtum &c. Quod ad reliquam formam attinet, ſint Hierofalcones roſtro adunco, eo tamen nõ minus magno. Neq; enim in vniuerſo genere roſtri nimia magnitudo vnquam laudabilis fuerit. Nam ad reliqui corporis proportionem malè reſpondet, & veriſimile eſt nimia nec vtili humorum abundantia, roſtra & vngues creſcere & augeri. Quamobrem Accipitres huiuſmodi, tanquam nimijs humoribus referti, minus leues reputabuntur. Sint præterea vnguibus validis, poſterioribus maximè. (Hanc notam etiam Albertus Girfalco attribuit) planis cruribus, nodoſis, nec longis (credo legendum, non nodoſis. Nam alioquin planum, & nodoſum ſibi mutuò repugnant, & Albertus quoque non nodoſa uult eſſe) Cauda ad ſui corporis formam decenti. Alarum verò ſummitates ita ſint fortes, ut facilè iudicari, & animaduerti inde poſſit, in uolatu eos quàm diutiſſimè perſeuerare poſſe. Et [a] Fridericus Imperator bonã membrorum Gyrfalconis formam atque proportionem hanc eſſe memorat. Superior, inquit, capitis pars non ſurſum in tumorem attollatur, ſed ubiq; æquale ſit: Sinciput amplum, & ſpatioſum. Anterior capitis pars, illa nempè, quę ſupra oculos eſt, etiam ſit ampla, ſupercilia eminentia, oculi concaui, nares inſigni foramine patulæ, roſtrum craſſum, curuum, atque durum. Collum, quà caput ſpectet, gracile, quà ſpatulas, craſſum. Corpus uniformiter deſcendat, & ſubtilius & acutius ad caudam uſque euadat, eamq; formam ſeruet, quam Geometræ pyramidalem uocant. Alas habeat ad dorſum eleuatas, non autem dependentes, ſed ita complicatas, ut una propè caudam alteri ſupponatur, & in modum crucis ſeſe ambæ interſecent. Pennę alarum maiores, tam quæ alias cooperiunt, quàm quæ coopertæ ſunt, hoc eſt, tam ſuperiores quàm ſubteriores, latę ſint, & durę. Pennæ cooperientes quanto magis alias cooperiunt, tanto laudabiliores ſunt. Pennæ caudæ, cùm non uolat, ſimul ſint recollectæ, atque ſub duabus ſuperioribus, quæ coopertores dicuntur, adunatæ. Gula ampla ſit, atque profunda, poſt ingeſtum etiam multum cibum parum turgeat, & cibo plena, ſit rotũda. Pectus exterius promineat, carnoſumq; ſit, & denſum. Coxę ſint amplę. Tibiæ curtæ, craſſæ. Palma pedum craſſa etiam & ampla; digiti longi, macri, aſperi, ſquammoſi, ſpatioſiq;. Vngues macri, adunci, & acuti.

Cauda.
Alæ.

[a] *Lib. 2. de Venat. c. 19.*

Caput.
Sinciput.
Occiput.
Oculi.
Nares.
Roſtrum.
Collum.
Corpus.
Pennæ.

Coxæ.
Tibiæ.
Pedes.
Digiti.
Vngues.

# LOCVS.

SCRIPTVM reliquit Beliſarius vltimam Germaniæ partem verſus Septentrionem, quæ Noruegia nuncupatur, Girfalconum eſſe patriam. Nidificant etiam, inquit idem, in inſula, quam Hirlandiam vulgò nominant, quæ adeò præ cæteris frigidiſſima eſt, vt aliorum ibi Accipitrum genera nō reperiantur. Eſt eadem ſteriliſſima, altiſſimiſq; montibus, & ſaxis plurimis, geluq; nimio ac frigore inhabitabilis &c. Mercatores, qui inſulam adeunt, frumenti, farinæuè parum, ac viliſſimas ibi merces important, quę ſiccis piſcibus commutari dicuntur. Hi quidem Hierofalcones Accipitres ad Maximilianum Imp. Germanorum deferunt. Quorum pennæ magis albæ, formaq; maiores cæteris ſunt. Nā ij qui è Noruegia tranſportantur, non albi ſunt, nec adeò magni, quamuis illos meliores putemus. In ijs tamen duabus ſolùm mundi partibus Hierofalcones nidificare compertum. Hæc omnia Beliſarius. Verùm hac in re alij quamplures ab eo diſſentiunt, qui alia aliquot loca, in quibus Girfalci reperiuntur, recenſent, quāuis hoc verum eſt, quòd ea ferè polo arctico ſubiecta ſint, aut vicina. In primis enim Paulus Venetus *Balaſciam* nominat *Prouinciam, & quàm optimos habere Herodios, & Falcones affirmat*. Idem alibi: *In mari congelato inſulas quaſdam Grifalcos & Falcones producere* ſcribit. Item [a] rurſus alibi, *Grifalci* (inquit) *qui è Chriſtianorum terris ad Tartaros portantur, non perferuntur ad magnum Cham, qui hoc genere auium abundat, ſed perueniunt ad eos Tartaros, qui Armenis & Cumanis confines ſunt*. Paulò verò antè, in eodem capite ſic ſcribit. *A monte Alchai Aquilonem verſus venitur ad campeſtria regionis Burgu, quæ dierum quadraginta itinere patēt, poſtea peruenitur ad Oceanum, vbi in montibus nidificare ſolent Herodij, ſiue Falcones Peregrini, qui inde ad magni Cham curiam* (aulam) *perferuntur. Nec inueniūtur vllæ aliæ aues in his mōtibus præter Herodios, & aliud auiculæ genus, quo paſcūtur Herodij*. Ex quibus tamen verbis poſtremis facilè apparet, Herodium ab Hierofalco diuerſum ab eo exiſtimatum. Herodium enim & Falconem peregrinum pro ijſdem habet. Præterea Girfalcos ſuperiùs ad magnum Cham deportari negat, Herodios verò illuc deuehi concedit. Paulus quoque Iouius ſimul & alibi, quàm in dictis à Beliſario locis reperiri Hierofalcos, ſeu Girfalcos teſtatur, & Hierofalcum ab Herodio etiā diſtinguit, cùm in Inugrorum, Vgolicorumq; montibus nobiliſſimos Falcones capi, & ex ijs genus vnum eſſe candidum, guttatis pēnis, quod Herodium dicunt: eſſe præterea Hierofalcos, Ardearū hoſtes & peregrinos ſcribat. Hic enim Herodios & Hierofalcos ſeorſim enumerat, ſed quos Hierofalcos dicat, ignoro. Herodius ſanè ille candidus guttatis pennis ad amuſſim noſtrum, quem deſcripſimus, Girfalcum exprimere videtur. [b] Matthias à Michovv Canonicus Cracouiēſis in Sarmatię Aſianæ deſcriptione narrat, ad ſe nempe in Poloniam adferri ex locis Septentrionalibus (ſine dubio extremis & penitiſſimis. Nam alioqui & Polonia in Septentrione eſt, è quibus Cardanus nominatim Iurcam Scythiæ exprimit) auem rapacem, magnitudine Aquilæ, ſed cauda & alis prolixioribus, in ſimilitudinem Accipitris, quem Moſcouitæ Kiczoth, Poloni Byalozor, id eſt, albicantem ſplendorem vocant, quandoquidem ſubalba ſit, ventre potiſſimùm. Hanc noſtrum eſſe Girfalconem, poſita ab eo ſigna veriſimile faciunt, & [c] Sigiſmundus Baro Girofalcones eos ait eſſe Falcones magnitudine excellentes, quoſdam phœniceos, quoſdam albos, & Kretzet Moſcouitis appellari. Ex hiſce omnibus patet non in ſolis illis duabus regionibus, nempe Irlandia, & Noruegia, vt Beliſarius vult, Girfalcones gigni. Quamuis maxima ex parte eoſdem illic naſci haud grauatim admiſerim. Nam & ille albus nigris notis maculoſus, cuius nos figuram exhibemus, è Noruegia allatus, ac Sereniſ. Ferrariæ Duci miſſus dicebatur. Tardiuus Gallus quoque teſtatur Girfalcū naſci in regionibus frigidis, vt Dacia, & finitima huic Noruegia, necnon Pruſſia, ea potiſſimùm parte, quę ad Ruſſiā vergit. Capi autē plerūq; inter nigrādū in Germaniam.

Noruegia Gyrfalconibus abundat.

Balaſcia optimos gignit Herodios, & Falcones.

[a] *Li. 1. c. 61.*

Falco candidus mutatis pēnis quis.

[b] *Cap. 14.*

Kiczoth. Byalozor.

[c] *In cōment. rerum Moſcouiticar.*

Kretzet.

Pruſſia, & Ruſſia Girfalconibus abundat.

# MORES. INGENIVM. VENATVS.

ALBERTVS, & Petrus Creſcentienſis, alijque Girfalcum auem eſſe fortem, ferocem, ſtrenuam, ac mirè audacē ſcribunt, adeo vt inuentos aſſerāt, qui etiam Aquilas aggredi non dubitarint. Capere aues omnes quantumuis magnas, reliquiſq; Falconibus & Aſturibus terrori eſſe, vt qui in eius aſpectu ægrè volent. His atteſtatur Sigiſmūdus Baro, cū in hęc verba ſcribit: *Hiſce auibus, quas Kretzet Moſcouitæ vocant, nos Girfalcones: Cygnos, Grues, & alias id genus aues capere ſolent*. Sunt autem eædem aues audaciſſimæ quidem, at non tam atroces, nec impetu tam horrendo, vt aliæ aues quantumuis rapaces, illarum volatu ſeu conſpectu (quemadmodum quidam de duabus Sarmatijs fabulatus eſt) decidant, extinguanturq;. Illud quidem experientia compertum eſt, ſi

quis

quis venatur Accipitre aut Niſo, aut alijs Falconibus, & interim Kretzet (quam à longè volantem continuò ſentiunt) aduolauerit, quòd prædam vlterius non proſequantur, ſed patulæ ſubſiſtant. Notat aũt Matthiam à Michau Canonicum Cracouienſem, qui rapaces omnes, nempè Accipitres, Falcones, hanc adeò metuere in ſua Sarmatia Aſiana ſcripſerat, vt ea inſpecta tremant, decidant, & extinguantur. Verùm hyperbolico eum tropo in hac narratione
[1] *Exerc. 231. 2.* vſum cenſeo. Quam etiam in Cardanũ reprehendit Scaliger, cùm inquit: *In Getharum, Scytharumq; regionibus auis vocata Cretzet, tantarum virium, tantæq; eſt audaciæ, vt ea volante, aliæ rapaces trepident. Non enim vtar ambitioſo verbo illo tuo, quo dicebas Aquilam exanimari.* Hoc enim in Mi-
Cretzet quibus infeſta chouuio legerat Cardanus nimium credulus. Gruibus & Ardeis infeſta in primis auis eſt, cùm naturæ ſponte, tùm magiſterio Accipitrariorum inſtructa. Si enim in quinque Grues, libero & aperto aëris campo volantes emitti contingat, non prius perſequi deſinere dicitur, quàm ſingulas in terram deiecerit. Vidiſſe tempeſtate ſua peregrinos, ſacrosq; Accipitres adnitentes Ardeas perſequi, narrat Beliſarius, illosq; relictis tandem Ardeis venatorum altis vocibus reuocatos rediiſſe. Emiſſum verò denique ex Accipitrarij manu Hierofalconem ita citato volatu vagantem per aëra in gyrum crebriori alarũ percuſſione perſpexiſſe, vt filo ſublimi tractum cenſere quis poſſet, derelictam ab alijs in æthere Ardeã uiciſſe, & cepiſſe. Hinc etiam fit ut de eius pugna nulla aut exigua uoluptas capi poſſit. Nam & ille quem unicum Gryfalcum ſe uidiſſe narrat Scaliger, qui Caroli erat ducis Sabaudiæ, uolantum omne genus ſine ullo negotio deijciebat. Nec uiſa præda rationibus aërem ſuperabat, ſed rectà ab aucupis manu ad auem, quæ non ut aduerſus Falconem aut Sacrum ſeſe comparabat ad defenſionem, ſed ſola fuga ſaluti conſulebat. Verũ ut docet Sigiſmundus Baro, quemadmodum in alias aues aduerſo impetu feruntur, rapacesq; ac feroces exiſtunt, ita inter ſe mutuò manſuetiores ſunt, nec mutuis ſeſe morſibus, quod aliæ rapaces faciunt, dilaniant. Imò relatum ſibi à viris fide dignis ac grauibus idem affirmat, has eaſdem aues Kretzet dictas, cùm ex illis regionibus, vbi nidificare ſolent, afferuntur, aliquando quaternos, aut quinos, vehiculo cuipiam in eam rem parato ſimul includi, atque eſcam, quæ illis porrigitur, obſeruato certo quodam ſenij ordine ſolere capere:
Peculiaris mos quo ſe purgent. id autem ratione, an natura illis indita, an alia quapiam cauſa faciunt, incertum eſſe. Hoc præterea ipſis peculiare idem aſſerit, vt præter cæterarum rapacium morem, nunquam ſeſe aqua abluant, ſed ſola arena inſtar pulueratricum, qua ſeſe expurgẽt, ac pediculos excutiant, vtãtur.
Venationis modus. Quod à noſtratibus diuerſam ſpeciem arguere vult Scaliger. Frigore tantoperè gaudere, vt perpetuò aut ſuper glacie, aut lapide, marmoreuè algido ſtare geſtiant. Qua verò ratione venationem exercere ſoleant, quaque huic adhiberi, & ad eam inſtitui, denique qua paſci, Albertus docet in hęc verba: Solus venatur, ſed meliùs cum ſocio. In venatione diù perſequitur prędam. Quare venator, ut eum aſſequatur, veloci equo indiget, necnon canibus velocibus, qui, cùm prædam deijcit, eam tollant. Præcipuè autem docendus eſt hic Falco ne in aqua prædæ inſideat, quia frequenter longiùs diſtat à Falconario, & lędi poſſet in aqua. Quamobrem non ſecundum longitudinem aquæ emittendus eſt ad prædam, ſed tenendus, donec aues extra ripam in aëre appareant, & tunc gyro Falconis metu ad aquam redire non audebunt. Quod ſi à campo uerſus aquam emittantur, aues ad aquam fugient, ac vel euadent, uel ſi percuſſę fuerint, in aquam decident, Falco autem prædam ſequens lædetur, uel mergetur. Et ſi euadit, reddetur tanquam timidior propter acceptam noxam. Paſcendus eſt carne ſanè delicata, & re-
Cibus. centi, & quæ adhuc uitali calore caleat. Delicatã uoco, quæ cordi propinquior eſt, tanquam magis elaboratam, (Nam & ſylueſtres aues, ſeu rapaces pleræque de pręda, quam ceperint, cor in primis edunt, deinde partes ei propinquas uerſus alam dextram, rarò uerſus ſiniſtram. Præcipuè uerò paſci debet Gyrofalco calidæ naturę auibus, ut Columbis, Palumbis & ſimilibus, ijſque recentibus. Nam omne genus Accipitrum, Falcones, Aſtures, Niſi, recentibus tantùm aluntur, nec unquam reuertuntur ad reliquias prędę, dum ſunt ſylueſtres, neque cadaueribus, ut Aquilæ & Milui inſident. Sed poſtquam ſemel de aliqua aue guſtârint, illa deinceps relicta nouam ſemper prædam perſequuntur. Maximè uero Gyrofalco recenti, & etiam num calẽti carne delectatur. Quamobrem de præda prius incipit comedere, quam occiderit. Itaq; non laudo, quod nonnulli Gallinæ uiuę coxam, uel alam extrahunt, & rurſus poſtridie de eadem Gallina partem alteram, Gyrofalconi in cibũ exhibeãt. Proculdubiò enim ſic laniatum Gallinę corpus, mox & calorem febrilem pati & ſaniem incipit generare. Debet ſanè peritus Falconarius naturam ſequi, atque ijs maximè, & talibus cibis, quibus, & qualibus ſylueſtres ipſi paſcuntur, Falcones nutrire.

## VSVS.

MILIS est teste Tardiuo, ad omne genus venationis seu aucupij, sed magistrum benignum, ac tædij patientem, manumq; gestantis placidam requirit, ob ingenij ferociam, alioquin instructu difficilis, nec admodum docilis. Venit Girfalco etiamnum rudis, neque dum mansuefactus, plerunque aureis quinquaginta. Tertiarij verò mares, & ipsi non inutiles, aureis venduntur viginti, & pluris authore [a] Carcano. Mirũ verò videri potest, quod hic ex Oriente eos adferri à mercatoribus asserit, nempe Cypro, Creta, & Aegypto, cùm, ut antè diximus, alij alibi quàm in plaga Aquilonari eos nasci negent. Maxima autẽ horũ pars à Gallis, quibus horum multus in venatione est vsus, vt etiam omnis generis rapacium, coemi quouis pretio soleant.

Institutio.

Pretium.

[a] *Li. 1. c. 11*

## DE FALCONE MONTANO. Cap. IIII.

MONTANO propriè dicto Falconi ideo quartum inter Falcones locum dedimus, quòd strenuus admodum sit, & maximis tantùm auibus capiendis intentus, paruas verò tanquam se indignas negligat. Audax & bellicosus est, vt qui teste [a] Alberto, Aquilam aliquando inuadere, & occidere etiam visus, sit, vti suo loco historiæ exemplum fidem faciet. Plures aues eodem furoris impetu interficere, ei ludus est, & volupe. Verùm cùm ob nimiam feritatem, & iracundiam, ingeniumq; rude ac præfractum, institutu admodum difficilis sit, ideo cæteris præcedentibus postponitur, dignitatis ordine.

[a] *Lib. 23. cap. 7.*

## SYNONIMA.

MIC Falco, montanus dicitur, idq; per excellentiam. Quanquam & Peregrinus quoq; & Gibbosus, & alij Falcones in montibus, montiumq; rupibus nidulentur. Fortasse quòd, quemadmodum illud hominum genus, quod montana incolit, agreste & incultum, ingenioq; magis, quàm cæteri, truci sit: ita & hi Falcones naturę quàm cæteri sint ferocioris ac truculentioris, magisque indomiti. Hos Itali Montanaros vocant. Ad horum credo imitationẽ etiam Albertus Montanario Latinè nominauit. Gallis vocãtur Montagners. Germanis Birghfalck.

Etymũ nominis.

Montanarus.

Birghfalk.

## DIFFERENTIA.

FALCONVM montanorum, hornotinorum præsertim, variæ sunt iuxta colores differẽtiæ, iuxta [a] Carcanum. Alij enim rubicundi, alij fului, alij fusci toti, imo Coruorum instar nigri, alij cineritij, alij denique colore eius Anseris feri, quem vulgò Balettam nominant, quique piscibus victitat.

[a] *L. 1. c. 7.*

## FORMA.

MAXIMA horum Falconum pars statura est mediocri. Pauci admodũ, magni reperiuntur, exigui corporis permulti, & eius quidem nonnulli teretes, oblongi alij. Albertus montano Falconi crassitudinem ferè eandem, quæ Asturi est, ascribit, sed illum corpore breuiorem facit. Pectus ei tribuit rotundum, ac figuram in pedes stanti pyramidalem, quæ pyramidem, quam in dorso nonnihil compressam quispiam fingat, referat. Omnes penè caput habent rotũdum vertice fastigiatum, ac nigrum, coronula quadam cineritia cinctum, cui in fronte non longè à rostro plumulæ quædam exiles ac tenuissimæ, veluti capillares eminent, quæ quidem exiguo numero in fuscis seu nigris conspiciuntur, aliquando omnino nullæ. Rostrum habent breue, ac crassum, nigrumq; narium foramina angusta, oculos, palpebrasq; similiter exiguas. Guttur candescit nonnihil ad sternum vsque, maculis conspersum maiusculis, pectus reliquum versus inferiora notis quibusdam exornatum est, quæ ferrugineæ quandoq;, nonnunquam rubeæ, aliquãdo nigricantes conspiciuntur, & alijs præterea minutioribus notulis distinguũtur. Quibusdam verò guttur & pectus nigris plumis vestitur. Femora interna nigrescunt. Dorsum ac lumbi maiori ex parte plumis fuscis, eisque minutis obteguntur. Habent eorum aliqui post medium dorsum, lineas quasdam albicantes, aut rubescentes, quæ deorsum vergũt. Alij etiam

Magnitudo.

Crassities.

Pectus.

Caput.

Rostrum.

Oculi.

Guttur.

Femora.

Dorsum.

purè

purè cineritias dorſo gerunt, aut eius coloris, cuius eſt Anſeris feri illud genus, quod Vicentini Balettam vocant. Alas habent minimè vt Peregrini longas, caudam item eiſdem breuiorem, & maiori ex parte in modum caudæ Tinnunculorum variegatam. Inueniuntur etiã quibus cauda Falconis Sacri ſimilis eſt, ſed rari admodum. Crura & pedes pleruncq; habent croceos, quibuſdam ex flauo paleari palleſcunt, & ſquammis denſiſſimis integuntur. Pedes ſunt, quàm Peregrino minores, digiti magni, & carnoſi, vngues nigerrimi. Mutatos (vt vulgò vocant) facilius eſt cognoſcere. Caput habent nigrum inſtar Cornicis, nares crocea pellicula circum amictas, quemadmodum & oculos. Collum, humeri nigreſcũt. Pars dorſi inferior uerſus vropygium cæruleo tingitur. Guttur ad ſternum vſque candet. In quibuſdam verò obſcurè rubeſcere conſpicitur, in alijs nigricat, vbique verò maculis rotundis inſignitum. Cauda breuiuſcula & nigra. Plumæ, quæ femora veſtiunt, fuſcæ ſunt. Crura valida. Aduertendũ verò, quantò ſæpius pennas veteres exuerint, tanto guttur eos obtinere candidius, maculaſq; illas euadere minores, & pennas illas, quæ dorſum, ac lumbos contegunt, cæruleo intenſiùs tingi. His conditionibus Falco montanus præditus ſit oportet, qui minimè contemnendus eſt. Sit procero ac ſpecioſo corpore. Tantoq; autem maiori in pretio habendus eſt, quanto parte quapiã nempe aut capite, aut plumis, aut pedibus Peregrinum magis refert. Optimus verò Hornotinus fuſcus. Eos verò, qui corpore ſeu ſtatura ſunt, exigua, prudentem accipitrarium, vt non aggrediatur inſtituere, etiam atque etiam moneo. Rarò enim rem agunt, rarius verò eorum mares ſeu tertiarij, imo oleum, & operam perdere faciunt.

Baletta. Alæ. Cauda. Crura. Pedes. Mutati vt noſcantur. Delectus.

## VICTVS. VENATVS. MORES.

MAGNAS tantùm contemptis paruis, aues captare hunc author eſt Tardiuus. Et in Auibus magnis mirè audacem, Albertus item teſtatur. Carcanus hunc, præſertim ſi hornotinus eſt fuſcus, non Anates ſolùm, ſed & Anſeres & Ardeas capere aſſerit, eſſecq; animo in his perſequendis mirè intrepido, & ſuprà quàm credibile eſt, audaci, necnon admodum rapacem ac mordacem: verùm indocilis ingenij. Nam Albertus, eſt, inquit, hoc Falconum genus ferum, & malis præditum moribus, iracundũ, inconſtantis iręq, difficili cura regitur, & cuſtoditur. Itaque rarus eſt Falconarius, qui mores eius ſatis perſpectos habeat. Quamobrem præceptum eſt Ptolomæi Regis Aegypti, rarò tenendum manu, præterquam in aurora, & aucupij tẽpore. Alijs verò temporibus includatur loco obſcuriſſimo, vbi bis vel ter ignis clarus & non fumoſus accendatur. Neque teneatur manu extra tempus iam prædictum, niſi cùm paſcendus eſt. Sic enim ad manum Falconari, tanquam beneficam miteſcit, & iracundiam deponit. Atque ita Albertus. Veruntamen contrarium Tardiuus præcipit, frequentius ac diutius, quàm cæteros Falcones geſtandum ſcribens. Suadet verò Albertus accipitrario, ne iraſcenti multùm reſiſtat. Ita enim citiùs iracundiam remiſſurum. Nam ſi præda euaſerit, inquit, præ cęteris indignatur, ita vt per iracundiam aliquando reuocantem ſe inuadat, & caput, aut faciem Falconarij vel equi dilaniet. Eſt etiam quando Falco vnus alterum inuadit. Qua in re Falconarius patiens requiritur, qui non aduerſetur, ſed patienter diſſimilet reuocationem, donec ira depoſita miteſcat animus Falconis. Quod ſi etiam reuocatus Falco non rediret ad reuocatorium, non admodum curandum eſt, niſi ut caueat Falconarius, ne capiatur ab alio. Quia depoſita ira, ſua ſponte ad domum Falconarij reuertetur. Cæterùm ob mores hoſce non eſt abijciendum hoc Falconis genus, quòd in auibus inuadendis mirè ſit audax. Nam vel Aquilam aliquando inuadit, & occidit. Hinc induſtrio Falconario præcipit Ptolomæus, ne hunc Falconem in fortes aues frequentiùs immittat. Nam ſi per iram moderatè incaluerit, in mortem ſeſe præcipitat. Quod accidiſſe iam in alpibus quidam è ſocijs noſtris obſeruarunt. Nempe cùm Falco montanus è rupe veniens Perdicem ſequeretur, & Aquila fortè aduolans ex aduerſo illam ei præripuiſſet, nec Falco illam Aquilæ denuò extorquere poſſet, cùm aliquandiu fruſtra id conatus eſſet, altiſſimè tandem conſcendit, & impetu deorſum facto, caput Aquilæ feriens, ſe pariter & Aquilam interemit. Semper igitur ne in tantam iracundiam incidat, cauẽdum. Crudelior eſt, quam Falcones cæteri, & mirè gaudet feritate ſua. Itaque ſæpè reperiuntur ex hoc genere Falcones, quibus auem vnam vulneraſſe, & deieciſſe non ſufficit, ſed multis deijciendis gloriari videntur, adeoque interdũ crudelitati ſuæ indulgent, vt occidendis auibus occupati, cibi etiam obliuiſcantur. Hæc omnia de Montani Falconis moribus & ingenio, Albertus.

Quas aues capiat. Mores. Inſtitutio. Fortitudo. Falco Mõtanus Aquilã occidit. Crudelitas.

# CVRA VALETVDINIS.

CORPORIS habitu, inquit Tardiuus, inter obesum & macilentum mediocri seruari debet. Aegrotanti aquam puram diu decoctam in olla fictili apponito, atq; ut bibat, curato. Quod si non sanetur, remedijs alibi descriptis vtere. Quum purgare eum, & macerare volueris, tres offulas ei de pelle Gallinacea dato. Ad tuendam sanitatem eius haud modicum facit, si chirotecam tuam moscho inunxeris. Cùm ad venationem emittis, proijce eum ante alios. Ita futurum est, ut quantunuis nihil capiat, cum alijs sit rediturus. Aqua. Moschi vsus.

# DE FALCONIS MONTANI. Secundo Genere. Cap. V.

CVM Falconis huius Montani descriptionem exactè considero, in eam planè sententiam ducor, ut Falconis quoddam genus ad me olim allatum sub nullo quidem nomine, sed cui ego leucophęo à colore nomen indidi, non aliò, quàm huc pertinere autumem, & si non ipse est Falco montanus, ad hunc tamen ceu maximè congenerem planè reducendum esse. Rationes quæ me adduxerunt, hæ ferè sunt. Video Carcanum in describendo Falcone montano rostrum ei attribuere crassum admodum, curtum & nigerrimum, nares, oculosq; exiguos, & vtraque lutea membrana circumuestita. Hæc omnia in primis in meo leucophæo accuratè & exactè conspiciuntur, ut de hoc ipso loquutum putares. Pedes quoque huic sunt cum cruribus lutei, ut Montano. Cùm autem hunc meum toto corpore leucophæum seu subcæruleum intueor, reperioq; Falconi montano, præsertim qui aliquoties plumas ueteres cum nouis commutârit, mediam partem dorsi cæruleam affingi, denique quò frequentiùs senectutem exuit, hoc totum ipsi tergum magis fieri cæruleum, gulamq; cum pectore magis albescere, abolitis paulatim, quę ipsa distinguebant, cum ætate maculis, non uideo, inquam, quid me ab hac opinione abstrahere debeat, qua hunc leucophæum iam tandem Falconem montanum appellem; sed iam plurimas & frequentissimas pennarum mutationes perpessum, & ætate adultum. Confirmat hanc meâ sententiam etiam Albertus, qui montanum Falconem calamo depingens, suisq; coloribus ornans ait: *Dorso aliſque exterius color cinereus, qui paulatim magis, magisq;, quo ſæpius ſcilicet pennas mutauerit, clarior efficitur, & pallidior* &c. Quid enim cinereus color à leucophæo differt, qui multas etiam pro remissione aut intensione coloris differentias, possunt admittere? Maximam verò inter se habent affinitatem, & facili negotio in se mutuò transeunt, aut ætate, aut alia ratione leucophæus, cinereusue, & cæruleus, ita vt in multis sæpè cùm alijs animantibus, tùm auibus halluci nari oculum contingat, & inter cæruleum, & leucophæum seu cinereum ægrè discrimen reperire, ita mixto, & temperato colore, ut ex utrisque compositus, ueluti inter eos ambigere uideatur: quod uel ea sola Ardea, aliàs auis notissima clarum facit, quæ promiscuè nũc cærulea, nunc cinerea uocatur. Quandoquidem cinereus color alioquin albidior, quò obscurior fit & saturatior, hoc ad cyaneum magis accedere apparet. Verùm ne hac in re probanda simus longiores (Exacta enim colorum pertractatio huius non est loci) minimè mirum, aut nouum cuipiam esse debet, eidem aui rapaci uarios sæpe ac differẽtes colores ab authoribus attribui, cùm in uniuerso auium genere rapaces omnium maximè mutationi cùm pennarum, tùm & colorum sint obnoxiæ, ita ut adultæ à seipsis, dum pulli erant plurimùm discrepare comperiamus, ac diuersis admodum coloribus tingi pro ætatis incremento. Quanto minus insolẽs uideri debet in hisce colores proximos, seu affines in se mutuò paulatim transire. Denique cùm uarios admodum iuxta colores montanorum differentias Carcanus statuat, ac inter cæteras cineritium totum etiam enumerẽt: quid uetat hunc nostrum leucophæum cineritijs accenseri, & cæruleus præterea color in his ipsis montanis non ita uel eodem teste rarus est. Verùm descriptionem subiungamus, ex qua cum alia collata quiuis iudicium faciat, per me licet. Falco igitur noster, cui cinereo seu leucophæo nomen impositimus, duorum dodrantum est longitudine. Caput ei crassum, uertice tereti nonnihil cliuo, ac eleuato leniter assurgens (quod Carcanus etiam Mõtano tribuit). Rostrum item crassum, breue, nigrum, robustum, pollicaris crassitudinis, unco haud ita acuto, sed ualido, ita ut haud sciam, nunquid alteri Falconi rostrum fortius, Descriptio ex Carcano. Descriptio ex Alberto. Ardea cinerea vel cærulea. Descriptio Leucophęi Lõgitudo. Caput. Rostrum.

tius, crassius, ac fortius compactum, quàm huic, datum sit. Nares membrana circumtegit lutea. Oculi iris nigerrima. Cilia seu ambientes in circulum membranulæ luteæ. Corpus, vt vniuersim dicam, totum vniusmodi est, colore nempè leucophæo, seu cinereo ad cæruleum vergente, dilutiùs obscuriusuè pro diuersa partium ad lucem obuersione. Gula, pectus, venter, atq; dorsum, adeoq; corpus totum valdè crassum, &, vt inquit Albertus, qui Montano simile corpus affingit, spissum, rotundum, habitissimumq; . Pectus valdè teres, ac grande quali quoq; Montanum præditum esse idem tradidit. Alæ principium supernè habet latum, minus quàm cæteri acutum, quarum apices ad mediam ferè caudam, aut paulò longiùs protenduntur. Cauda mediocris inter longã, & breuem. Crura, pedesq; pro ratione corporis non ita magna, neq; crassa, crocea, tabellis intecta. Vngues verò nigerrimi.

Nares. Oculi. Color. Pectus. Alæ. Cauda. Crura. Vngues.

# DE FALCONE GENTILI. Cap. VI.

QVINTVM in Falconum classe, ordinem dignitate metiẽtes, locum assignauimus Falconi Gentili seu nobili, quòd præter nobilitatem, quam nomen ipsum indicat, tanta etiam Peregrinos similitudine referat, vt vel peritissimis sæpè accipitrarijs facilè imponat, & pro ipso ab illis etiã habeatur. Adde quòd audax quoq; & intrepidus sit, magnarũq; etiam auium quasuis capiat. Adeò vt penè Peregrinis hunc proximè subiuncturi fuissemus, magna affinitate, quę inter eos est, moti, nisi Sacrorum, & Hierofalconum illustris splendor, & omni exceptione propè maior, quò multis hunc numeris antecedunt, iniuriam sibi fieri palàm protestata, ac conquesta fuisset.

## NOMENCLATVRA.

FALCONES hosce vulgari Italorum, necnon Gallorum idiomate Gentiles vocant: quo nomine vtriq; natalium splendorem apertè denotant. Nam eadem significatione viros omnes illustri, & claro loco natos Gentiles homines passim vocant, nempè vt opinor, quòd gente aliqua præcipua, & magni apud eos nominis, ac generosa sint geniti, quibus longa serie auorum gentis suæ imagines recensere licet. Hos vulgò cùm Germanis nobiles vocant. Alioquin Gentiles Latinè Ciceroni dicuntur, qui eiusdẽ sunt familiæ, & cognominis seu gentis. Quamuis autem in omni ferè Falconum genere nobiles reperiantur, & ignobiles, quos certis notis à nobis suo etiã loco positis oculati accipitrarij internoscunt, hi tamen, de quibus nũc agimus, absolutè seu per excellẽtiam Gentiles, id est, nobiles vel generosi vulgò dicuntur. Huius autem nobilitatis opinionem, vnde sibi comparauerint, nõ aliud inuenio indicium maius, quàm quòd Peregrino ita similes sint, vt penè ijdem esse videantur, & hac parte ad Falconum (iuxta quosdam) omnium præstantissimos, quàm proximè accedant.

Gẽtiles homines. Gẽtiles qui dicantur.

## FORMA.

GENTILES, inquit Belisarius, paulò minores forma sunt Peregrinis, & dubitant quandoq; venatores, iudicentnè Peregrinos esse, quum eiusdem ferè formę sint, & eodem pennarum colore distincti. Vnde Fridericus Imperator Falcones Gẽtiles in Peregrinos, & absolutè Gentiles distinxit: quos Gentiles Peregrinos vocat, de illis hunc ferè in modum disserit. Gentiles Peregrini Falconibus Sacris minores sunt, & forma eis cõuenientior, & elegantior est, quò plus cum Gyrfalconibus participet; Rostrum videlicet crassum, recuruum, nares amplas, verticem capitis planum, æquum, haud eleuatum, neq; tumidum, occiput latum, oculos concauos, supercilia foris prominentia, collum breue, idq; prope caput subtile, prope spatulas crassius, cauitatem velut fossam quandam inter pectus, & collum magnam, ac profundam, in qua ingluuies sita est, pectus foris prominens, plenum, densum, carnosumq; habeant oportet. Coxæ plumis complurimis, ijsq; longis cooperiantur, & sub genibus etiam dependeant. Crura crassa, ac breuia sint: planta pedum ampla, digiti expansi, longi, atq; macilenti, vngues magni. Ab vna spatula ad alterã, ac per medium dorsum notabile spatium esto. Alæ super dorsum eleuentur, nec vbi super renes sese intersecant, decidant. Dorsi plumæ magnæ sint, & in extremo rotundæ. Pennæ alarum tam coopertæ, quàm cooperientes planæ sint, non crispæ, magnæ, atq; durę. Omnes verò pennæ, ac plumæ firmiter admodum corpori infixæ sint; & maiores sub duabus recondãtur. Falconum Peregrinorum Gẽtilium, cùm adhuc hornotini siue sori sunt, alij simpliciter,

Gẽtiles Peregrini & eorum forma.

Differẽtia penes colores.

& abſolutè fuſci ſunt; quidam verò rubris, quidam pallidis maculis ceu guttulis perornantur. Alij ruffi ſunt, aut ſimpliciter, aut ad nigredinem vergentes. Alij fului, uel abſolutè, uel cũ quadam rubedine. Cæterùm maculę à collo vſq; ad pectoris furculam paruæ ſunt, inde verò progredientes ad anum vſq; maiores euadunt. Rurſus alij in dorſo, alis, & cauda maculati ſunt:

Maculati. Fuſci.

alij nequaquam. Maculatorum, quidam ſubrubras, quidam ſubpallidas maculas, eaſq; alij rotundas, alij oblongas obtinent, alij multas, alij paucas, alij paruas, alij magnas. Fuſcorum alijs pennæ dorſi, alarum, ac caudę ſubalbidis, alijs ſubrubris, atq; horum quibuſdam paruis, quibuſdam magnis præcipuè verò in extremitatibus ſuis, maculis inſigniuntur. Eædem differentię de

Subrubri.

ſubrubris, & ſubfuluis poni poſſunt. A fuſcis itaq; qui ad rubedinem tendunt, quamuis eos nõ nulli inter Peregrinos Gẽtiles non enumerent, exordiemur, & omnium in hoc genere pulcherrimos iudicamus, modò paulò antè datam formam, & quem nunc enarrabimus, colorem obtineant. Color autem talis eſſe debet, vt neq; fuſcus, neq; rubeus dici queat, ſed ſimul ex æquo permixtus. Laudabiliores in ſuprema capitis parte ceu quadã corona in circuitu perornãtur, propè nares durities roſtri vireſcit. Maxillę ſub oculorum parte ſubrubeæ ſunt; quæ ſequuntur plumæ circa aures nempe fuluæ, & ad rubedinem vergunt. Dorſum fuſco colore eſt, ad rubedinem etiam inclinante, & marginibus rubeſcentibus, & maiuſculis, ſine guttis tamen exornatum. Pennæ alarum maiores fuſcæ cum marginibus, quos diximus. Cauda eiuſdem coloris eſt cum dorſi pennis. Margines tamen in pluribus in cauda pallidiores, & ſubalbidiores, quàm in extremitatibus dorſi, quoniam cauda longiùs, quàm dorſum à corde repoſita. Nigræ plumarum gutturis maculæ craſſæ, & breues, æqualis magnitudinis, & coloris. Plumæ ſub alis ad rubedinem inclinant. Coxæ eiſdem, quibus pectus maculis diſtinctæ. Color pedum, hoc modo ſeſe habet, ſi Falco fuſcus fuerit, pedes virides eſſe ſolent, ſi ruffus, ex viridi flaueſcũt. Quò itaq; Gentiles Peregrini fuſci, plures ex iam deſcriptis notis obtinent, eò laudabiliores ſunt, pulchriores atq; acceptiores, quò verò pauciores eò ignobiliores habendi. Qui verò pallidi ſunt, & liuidis maculis conſperſi, & quorum pennæ in extremitatibus nullos habent margines, vel ſi habent, pallidi ſint; & cauda coloris incani ſeu griſei, dorſo non reſpondet; pectoris maculæ exiguæ; plumæ ſub alis pallidæ, & ſubliuidæ; pennæ coxarum diſſimiles, ſine ordine tam quantitatis quàm coloris diſpoſitę, maximè verò quorum roſtrum propè nares, quam partem ceram vocat, croceum eſt, & pedes eiuſdem coloris: In ſumma quò à figura anteà data magis declinant, tantò ignobiliores, & viliores habentur. Poſtquam verò pennas mutárunt, craſſiores euadunt, pennæ uerò alarum breuiores, pleniores, & duriores, & in anteriori parte albę, in dorſo leucopheæ: quibuſdam etiam ac ijs præſertim qui ignobiliores ſunt, maculæ in dorſo & cauda tranſuerſales ſunt coloris ad fuſcum tendentis, atque id ſecundum magis & minus, reſpectu videlicet coloris, quo antequam pennas mutarent, inſignebantur: quò enim dum hor notini ſunt magis pallent, eò etiam mutati magis albẽt, & quò plus fuſci ſunt, eò minus pallẽt, & maculæ circa guttur vt primò mutatis etiam remanent, ſed ſubtiliores tantùm euadunt, quę uerò à gutture per pectus feruntur, in hornotinis per longitudinem, in mutatis tranſuerſim ducuntur; omnes verò fuſceſcunt, atque id ſecundum magis & minus, nam quæ in priori ętate fuſcæ erant, eæ in mutatis nigræ quodammodò euadunt, aut ſaltem ut ita dicam fuſciores illis quæ primò minus fuſcæ fuerant, atque ita de reliquis dicendum, & pellis demũ circa oculos & pedes, qui mutantur, ſylueſtriũ, crocei coloris efficiuntur. Hęc itaque de Falconibus Gentilibus Peregrinis Imp. Fridericus. De Gẽtilibus abſolutè dictis ita verò ſcribit: Falcones gentiles abſolutè, antequam mutârunt, trium generum ſunt, ſicut & Peregrini, de quorum datis antea notis quò plures obtinent, eò magis probantur. A Peregrinis in eò differunt, quòd minores ſint, & caput habeant rotundius ac etiam minus, roſtrum breuius, & pedes pro corporis ſui proportione etiam minores. Præterea color in his minus quàm in illis viuidus eſt, minusq; pulcher; imo verò quicunq; Peregrini ad exquiſitam illam, quam deſcripſimus, formã, etiam illaudabiliores propiùs accedunt, quàm Gentiles; eorum verò aliquibus tota quãdoq; deſcriptio competit, his verò nunquam. Sed quoniam multa, quantum ad corporis habitum attinet, in utriſque perquam ſimilia ſint, & niſi à peritiſſimo Accipitrario diſtinguenda, ex operationibus tamen facillimè dignoſcuntur. Cùm verò Falcones gentiles pennas primas depoſuerunt, pennæ Peregrini ſimiles admodum euadunt, in cauda tamen & dorſo plus maculatæ ſunt; Pulchritudine enim Peregrinis in omnibus cedunt. Hæc omnia ille. Aliud de forma Gentilis ſub hoc quidem nomine, ſcriptum apud rei accipitrariæ authores non inuenio, neq; quod ſciam auis ipſa vnquam mihi cõſpecta, vt ingenuè quod res eſt, fatear. Verùm ſi mihi per alios his in rebus liberum eſt iudicium, vti alijs eſt per me, cùm eadem omnia, quæ Beliſarius & Tardiuus de ſuo Gentili Falcone referunt, Carcanus noſter ei, quem Tedeſchum vernacula voce vocat, id eſt, Germanicum, aſcribat, ſingulaq; ad vnguem ſibi correſpondeant, hoſce eoſdem

Color Fuſcorũ qualis laudet.
Caput.
Dorſum.
Alæ.
Cauda.
Coxæ.
Pedes.
Laudabiles & non laudabiles.
Cera quæ pars.
Colorum mutatio.
Quomodo à Peregrinis differant.

eſſe

esse verisimili admodum argumento suspicatus sum. Quod si ita est, (quod æquo lectori expendendum relinquo. Nam in ea re asserenda non ero pertinax,) iam ampliorem paulò & clariorem, fusioremq; huius auis descriptionem ex Francisco Carcano Vicentino viro accipitrariæ artis peritissimo dare possumus, quæ quidē est huiusmodi. Tedeschi, id est, Germanici dicti Falcones, omnes ferè corpore magno sunt, & maior eorū pars figura oblonga, nonnulli modicè rotunda. Simillimi sunt Peregrino forma, capite, rostro, & pedibus. Femora interna plumis albis vestiūtur. Alæ grandes sunt. Cauda longa. Omnes penè pennę colore sunt fusco. Maximam Falconis Peregrini fusci gerunt speciem parte sui plurima, capite excepto, & humeris seu spatulis, quæ Teutonico paulò magis nigrescunt. Corona albicans caput ipsis propter collum cingit. Guttę seu maculæ pectoris plurimis fuscę sunt, ac magnę, quibusdam ferrugineę & oblongę. Hisce verò qui aliquando plumas priores exuerunt, seu ut vulgò dicunt, mutatis, caput, collum, & humeri fusca sunt, dorsum cyanęo tingitur, transuersim fuscis intercurrentibus notis distinctum. Gula albet, lineis crassiusculis maculosa. Pectus item quàm Peregrino fuscius. Sed pedes quales Peregrini. Mares seu tertiarij horum Germanicorum à maribus Peregrinorum nulla possunt ratione discerni, adeò per omnia sibi sunt simillimi. Hactenus Carcanus. Præterea cùm non solùm corporis forma externa, verùm etiā indole, animoq; Peregrinos adeò referre testetur idem Carcanus, vt non nisi oculatissimus quisque, & in arte exercitatissimus accipitrarius, eos inter se distincturus sit (nempe Germanicum à Peregrino, quod idem de Gentili alij perhibent) ideò non temerè quispiam Gentilem aliorum, nostratem Tedeschum esse crediderit.

Tedeschi, seu Germanici Falconis descriptio.

## VOLATVS.

BELISARIVS, quod aliam inter Gentilem & Peregrinum differentiam, quam assignet, non habeat, à volandi vtriusq; gestu, vnam petit, inquiens, volatu discernuntur. Nam motus alarum inter volandum crebrior spissiorq;, Gētiles esse demonstrat. Peregrinorum verò alæ quasi triremium remorum motus esse videtur. Sed & hoc à Peregrinis differunt, quòd adeò veloces non sint.

Peregrini & Gentilis distinctio.

## VENATVS. MORES.

RAPACES admodum sunt hi Falcones & animosi adeò, inquit Belisarius, vt ad omnia auium magnarum genera audaciissimi iudicētur. Attestatur huic Tardiuus, qui Falconem nobilem ad capiendas Ardeas in primis idoneum esse scribit, siue illas supernè, siue infernè ferire opus fuerit. Quin etiā ad omne aliud auium genus præsertim aquaticum, vt sunt Mergi, Anates sylueſtres, Plateleæ, Ardeolæ, & ad maiores etiam capiendas, perquàm aptum. Eo est animo, ijsque viribus præstat, ut si antequam alias aues noscere didicerit, & è nidis exemptus ad huc pullus ad hoc instituatur, non Anseres solùm, verùm etiam Grues capere audeat. Ad tale aucupium etiam canis instituitur detenturus captam à Falcone prædam, donec Falconarius interueniat. Canes enim Falconem frequenter videre assueti, & circa eum, præsertim dum pascitur, versari soliti, eundem facilè ab alijs auibus dignoscunt. Hisce prorsus consona de suo Germanico Falcone tradit Carcanus, ferocem ac rapacem admodum esse asserēs, ac præstantissimum plurima ex parte ad uenatam euadere Ardearum præsertim, neque in multo minori pretio, quàm Peregrinos ipsos haberi, adeò ut perspicaciissimum ac sagaciissimum eum accipitrarium esse oporteat, qui vtrosque dignoturus est. Hoc vno tātùm Gentilem Peregrino cedere vult Belisarius, quòd non sola animi magnitudine, ut Peregrini, sed cibi etiam auiditate prædam inuadere dicat.

Quas aues capiat.

## DE FALCONE TVNETANO. Cap. VII.

QVAMVIS verò hæc de Gentilis cum Germanico conuenientia verisimiliter dicta sint, (Nam in tanta authorum & nationum discrepantia eadem diuersis, & diuersa ijsdem nominibus vocantium vix quidpiam certi statui his in rebus posse certum est) arbitrari tamen quispiam possit à Carcano non Germanum, sed Tunetanum pro eo haberi Falcone, quem Galli Italique Gentilem vocant: De hoc enim Tunetano in hæc sensa scribit. Aliud Falconum genus Tunetanum seu Tunisium appellatur, quòd è regno Africæ, quam vulgò nunc Barbariam vocant, Tunetano capti

Nominis ratio.

Forma. Caput. ad nos adportentur. Sunt hi corporis ſtatura exigui, verùm pẽnarum colore ſunt perpulchro (ſeu vt eius verbis claritatis maioris cauſa vtar, di piumaggio gentile & nobile, quaſi come il Pelegrino)ac nobili inſtar propemodum Peregrinorum. Capite plerique ſunt flauo, nonnulli aliquantum nigro inſtar Falconum fuſcorum, quin & reliquo corpore hiſce ſimiles ſunt, tam hornotini, quàm mutati. Tanta ſimilitudine Peregrinos exprimunt, preſertim pedibus, vt multi fallantur, Peregrinos eſſe exiſtimãtes. Verùm quòd puſilli ſint omnes, & maribus, ſeu tertiarijs Peregrinorum vix maiores, nullo negotio ſolers accipitrarius eos à ſe mutuò diſtinguet. Quanuis & horum quoſdam paluſtrium volucrum uenatui perquàm idoneos vidimus. Horum maſculi ſeu tertiarij nullius ferè ſunt pretij & inutiles. Ex hoc loco, & præſertim illis uerbis, quibus Tunetanum coloribus ſuis depingit, Peregrinoq; ſimilem ſcribit, & nobilitatem ei hoc ipſo tribuit, quòd Peregrini inſtar ſpecioſo ſit plumarum tegmine ueſtitus, expreſsè & nominatim penè hunc Gentilem nobilemq; uocari, & ſimul nominis rationem exponi aliquis colligat, & contendat. Verùm hac de re vtpotè exigui momenti, ut cum nemine controuertere uelim, ita hoc non ſilebo, Tardiuum, Bellonium, Beliſarium, aliosq; prorſus diuerſos habere Tunetanum & Gentilem, & de utroque ſeorſim tractare. Vnde ſi Carcanum eundem exiſtimaſſe uolumus, Tunetanum ſuum cum Gallorum Gentili, à reliquis omnibus ſe prioribus diſcrepare fatẽdum erit. Tunetanum certè [b] Bellonius longè aliter deſcribit, quàm Carcanus, eumq; non Peregrino, uerùm Lanario Falconi Gallorum comparans, ita ſcribit: Aliud quoddam eſt Falconum genus Tunetanum nuncupatum, à primaria Africæ urbe Tunis, unde ad nos aduehitur, quod etiam Punicum eadem ratione appellari queat. Bellum enim quod Punicum Romani vocabant, ab ijſdem cum huiuſce regionis incolis geſtũ eſſe certum eſt, qui tunc Carthaginẽſes dicebantur, à Metropoli Regni, Carthagine, in cuius locum nunc Tunis ſucceſſiſſe videtur. Magnus admodum eſt hic Falco Punicus ad Lanarij ſimilitudinem ac naturam accedens. Nam conformes huic gerit plumas, pedes quoque habet ſimiles, verùm corpore eſt minore. Diutius præterea hoc ipſo & conſtantiùs volat. Capite eſt craſſo & tereti. Ad venationem paluſtrem vtilis eſt, & ſtrennuè etiam ſublimem aëra ſcandit, ſed & ad campeſtrem venatum non minus ipſo Lanario aptus eſt. Rarus autem ad nos adfertur. Aduertendum autem hîc Bellonium non de ignauo illo Lanarij genere, de quo Albertus agit, quemq; villanum ac ignobilem vulgus vocat, loqui, ſed de alio quodam Galliæ peculiari magis generoſo, de quo nos ſeorſim paulò pòſt tractaturi etiam ſumus, cùm nihilominus de altero illo Lanario pigro, ac inerte aliàs inter Accipitres diſſeruerimus.

[b] *Lib. 2. c. 8.* Falco Tunetanus, eiuſque deſcriptio.

Vſus.

# DE FALCONE GIBBOSO. Cap. VIII.

SEXTVS nobilitatis locus Falconi Gibboſo debetur. Eſt enim audacia ac perſequẽdi prædam ferocia admirabili, etſi corpore exiguo. Non enim minus, quàm cæteri præcedentes, Anſeres ſtrenuè, Ardeas, & Grues ſuperat. Volatu inſuper, & altiſſimo & velociſſimo excellit.

## SYNONIMA.

Etymum. Hagerfalck. Hagar. FALCO Gibboſus ſic appellatus eſt, quòd ob breuitatem colli caput vix appareat ante iuga alarum, dum eas ſupra latera dorſi componit, ita vt gibbum geſtare videatur. Vnde Germanis Ein Hagerfalck, vel potiùs Hogerfalck, dicitur: Gallis Hagar; quæ vox Germanica eſt, & gibbum ſignificat. Germani tamen pro gibbo hoger dicũt. Robertus verò Stephanus Hagar interpretatur (quàm aptè, ipſe uiderit) Falconem ueterem, iam quinque aut ſex annorum pennis abbreuiatis aut læſis, captum præda propoſita.

## DESCRIPTIO.

[a] *L. 23. c. 9.* Magnitudo. Caput. Roſtrum. Alæ. Cauda. Coxa. Crura. Pedes. FALCONIS hoc genus corpore eſt exiguo, quo parum (inquit [a] Albertus) excedit Niſum ſeu Sparuerium. In facie guttas habet, ſicut Peregrinus, & cætera Falconum genera. Caput ei magnum eſt proportione reliqui corporis. Roſtrum perbreue & rotundũ. Alæ prælõgæ & valdè exertæ. Cauda breuis. Coxæ fortes, & crura longiuſcula proportione cæterorum membrorum, & quodammodo ſquammoſa, inſtar ſquammarum ſerpentum & lacertorum ad ventris latera. Pedes habet nodoſos in articulis digitorum, præpuè ad interiorem partem

plantæ

plante pedis, oculos flammeos, ardentes. Colore est Falconum peregrinorum. Cranium superius benè planum est, & retrò in capite non prominet, continuum ferè collo. Hęc Albertus, qui addit esse & aliud Falconum genus, quod semper quasi volaturum alas extendat. Cranium.

## LOCVS.

NIDVLARI hunc scribit Albertus in rupibus inaccessis, vti Peregrinum, & similiter quoque ut eundem, de nido euolantem capi.

## VOLATVS.

VELOCISSIMVS est, eodem etiam teste, insuper & altissimè volat, ita ut hominis visum effugiat.

## MORES. VENATVS.

IACILE, inquit idem Albertus, cicuratur, & bonis moribus præditus est, audax & strenuus adeò, vt Anseres syluestres, Ardeas & Grues deijciat. Nec contentus est vnam auem deiecisse, sed multas vulnerat. Socios aucupij plures desiderat, propter sui paruitatem, & auium, quas venatur, magnitudinem. Cęterùm Falconarius quidam eremita narrauit mihi se aliquando huius generis Falcones tres uiro cuidam nobili uendidisse, qui statim ut fortè Anseres albi syluestres apparuissent, emissi, altissimum Anserum uolatum superarũt, ita ut à nemine amplius præsentium conspicerentur. Et cùm vir ille nobilis amissos Falcones conqueretur, paulatim Anseres vulneribus debilitati cadere circa eos cœperunt, inuẽtiq; sunt plusquam viginti Anseres deiecti. Tandem etiam Falcones reuocati ad instrumẽtum reuocatorium redierunt. Erant autem Anseres omnes lethaliter saucij, ac si cultello diuersis sui corporis partibus vulnerati fuissent. In causa est, quoniam hic Falco non statim inter descendendum percutit, sicut alia Falconum genera, sed potiùs, cùm à descensu rursus ascendere incipit. Tunc enim posteriore vngula ante pectus dispositа ferit, ideoq; longum vulnus, & lethale inducit, & sæpè adeò fortiter ferit, vt vnguem suum sibi amputet, ac seipsum valdè lædat in pectore, vel etiam quandoque occidat. Alterum verò illud gibbosi Falconis genus, quod semper alas tanquam ad volandum extendere diximus, animosius quidem est, quàm robustius. Quas aues venetur. Multi Anseres à tribus gibbosis Falconib⁹ vulnerati.

## NVTRITIO. INSTITVTIO.

GENVS hoc Falconum eodem authore pascendum est cibis planè recentibus, & adhuc calorem spirantibus. Sic enim plurimùm proficit. Si tamen alijs interdum carnibus cibetur, curandum, ut illæ leues sint, sicut carnes altilium & recentes, aut saltem non putridæ, & in aqua frigida ablutæ. Nam Aues rapaces ventriculum admodum debilem, & tenui pellicula contextum habent, quamobrem insalubri cibo facilè afficitur. Itaq; leui etiam occasione, cibum crudum remouunt, præsertim si graui & melancolica carne, uel ad putredinem dispositа pasti fuerint. Hoc genus Falconum diu manè & vesperi manu gestari desiderat. Nam quando assuetum fuerit, manui hominis libentissimè insidet, & libenter ad eam redit. Cibus. Carnes. Rapacium auium ventriculus.

## DE FALCONE ALBO. Cap. IX.

SEPTIMVM inter Falcones locum ille, qui à colore albus speciatim cognominatus est, sibi vendicat, cùm quòd Peregrino maior sit, tùm quia fortis, ac intrepidus, strenuus ac robustus. Volatum quoque etsi non velocissimum, saltem diutinum ac perseuerantem exercet, vt interim cæteras dotes, quibus reliquis sequentibus præstat, taceam.

# DESCRIPTIO.

[a] *Lib.* 23. *c.* 11.

Color, eiusque causa.

FALCO hic (inquit [a] Albertus) ita in varietate subalbidus est, sicuti (de quo in capite de Peregrino à nobis actum est) niger seu carbonarius. In dorso & alis subalbus est. Alibi verò maculas siue guttas habet valdè albas alijs guttis subpallidis interpositas. Albedinis causa est regio, in qua nascitur, frigida & humida. Maior est Falcone Peregrino & multùm accedit ad similitudinem Lanarij albi, qui per campos insidiatur muribus. Quare quidam natum esse crediderunt primùm ex Falcone Peregrino patre, & Lanaria alba matre, quod falsum esse audacia eius ostendit. Figura etiam pedum, unguium, rostri, ac totius corporis naturam Falconis præ se fert, quamuis crura habeat crassiora, & nodosiora, quàm Falco niger. Quod ei accidit propter temperamentum humidius. Vnde crura eius magis crassa sunt, quàm illius, cui temperamentum est siccum, & biliosum.

Crura crassa, & nodosa cur.

Ad hunc Falconem meo iudicio redigi debet, quem nunc damus, quemq; ante biennium Domin. Iulianus Griffonius nepos meus charissimus ab Illustri Angelo Gallo Vrbinate, Equite Melitensi, vnà cum sequenti eius descriptione acceptum, Roma ad me transmisit. Descriptio ea talis erat: Sparuerius (Sic enim ille uocabat) cuius à me qualitates scire aues, corpore erat toto coloris lactei, sed maculis flauis, quæ tamen nisi penitiùs introspicerentur, & ipsæ quoque albæ apparebant. Alæ cæterorum pulcherrimorum Sparueriorum similimæ, sed candidissimæ ac sine maculis. Cauda pennas habebat duodecim, coloris pariter candidi, & flauis maculis conspersas, quarum tamen apparentiam pennarum una, eaq; præcipua, & velut reliquarum tegumentum, quæ tota candida erat, nobis eripiebat, & tanquam in uaginam quandam eas recondebat. Rostrum item album magis erat, quàm cæruleum. Vngues & pedes cæterorum Accipitrum more lutei. Oculi flaui & nigri: & flauedo illa nihilo maior erat, quàm in nondum mutato Accipitre, quem uulgò Soro dicimus, quamuis tamen sorum fuisse hunc minimè crediderim: fieri enim potuit, ut flauedinem illam à peculiari quadam sui temperie retinuerit, alioqui necesse erat, ut cùm mutaretur, ad albedinem ea inclinaret: atque istæc ex proprio experimento loquor, qui diù hanc Accipitrariam artem exercui apud Illustrissimum Principem Bisignanum, necnon apud Serenissimum Hetruriæ Ducem, cui auem hanc emi, aluiq; ceu raram atque peregrinam. Audio tamen Serenissimum Ferrariæ Ducem Herculem eiusdem coloris Sparuerium habuisse, qui maiora etiam animalia, ut Gallos, & Cornices caperet. Audio item & Vrbini similem auem captam esse, quæ apud Serenissimum illius Vrbis Ducem, ad cuius manus peruenerat, mortua, tredecim uncias penderet, quod pondus in eiusmodi aue haud parum admirandum est. Noster Sparuerius statura erat alta, erat magnus, & superbus; non edebat, nisi oculis, vt fit, clausis, tuncque cum maxima auiditate. Occidebat pullastros: unde auem multi pretij fore aliquãdo, prædixeram, nisi immatura mors nobis illum eripuisset, postquam mensem unum uiuis eum alueram alitibus. Causam mortis indaganti, superstitiosi quidam aucupes fascinatum fuisse respondebant. Multi ad me nobiles uidendi eius causa ueniebant, & tam pulchram & uenustam auem admirabantur. Nam à longè eam inspicientibus Cycno apparebat candidior: unde fortè Sparuerium Tartarum fuisse quispiam non ineptè existimet, quoniam ibi uolucres omnes albas esse, & robustissimas asserunt. Hactenus itaque ille: qui cùm Sparuerium hanc auem uocaret, nos quoque nomen immutare noluimus, quanuis multos fore certò sciremus, qui Falconis speciem quandam potiùs, quam Sparuerij, iudicaturi essent.

Color. Alæ. Cauda.

Rostrum. Pedes. Oculi.

Forma.

Pulchritudo.

Sparuerius Tartarus.

LOCVS.

ALBVM hunc Falconem, inquit Albertus, mittit Septentrio, & Oceanus è Noruegia, Suetia Estouia, & finitimis syluis ac montibus.

VOLATVS.

## VOLATVS.

QVANQVAM (uerba ſunt Alberti) non tam uelox in uolando ſit, quàm niger, diutius tamen in auium perſequutione durat, & hac in parte compenſat, quod deeſt uelocitati.

## VENTVS. MORES.

TESTATVR Tardiuus præſtantem & audacem eſſe Falconem album, præſertim ſi adultior ſeu hornotinus (uulgò Sorus) captus fuerit. Atteſtatur huic Albertus, dicens eum nõ eſſe minus audacem Nigro, etiamſi frigidiori humidioriq; ſit temperatura. Nam (inquit) cùm robuſtior Nigro ſit, uirium ſuarũ fiducia ipſum quoque audacem reddit. Præterea etiamſi Lanario ſimilis ſit, nuſquam tamen à natura Falconis degenerat, nec mores Lanarij refert. Nam cùm inter venãdũ aſcenderit, nõ more Lanarij alis ſuſpenſus manet, ſed ſtatim, ut Falco ferit.

## INSTITVTIO. VSVS.

TARDIVVS ad volatum ſeu venatum auium non emittendum eſſe hunc Falconem aſſerit, antequam pennas mutauerit, id eſt, niſi anniculus ſit aut bimus. Tunc enim demum robur integrum ac perfectum aſſequi. Quod ad nutritionem & aucupium attinet, nihil ab alijs diſtare videri Albertus tradit.

## DE LANARIO GALLORVM. Cap. X.

Lanariorũ duplex genus.

QVM inter vltimos Accipitres de Lanario particulatim ageremus, monuimus duplex Accipitrum, qui Lanarij dicuntur, & quidem diuerſiſſimum, genus eſſe, unum nempe ignobile & ignauum, infimis meritò Accipitribus accenſendum, cuius hiſtoriam ſuo loco enarrauimus, alterum verò generoſum, ac ſtrenuum toto habitu ac natura, atque adeo ſpecie à priori diſſidens, quod Gallicum eò uocari meretur; quòd omnium rei accipitrariæ authorum teſtimonio Galliæ peculiare ſit, & proprium. De hoc ſeorſim inſtituendum ſermonem, & quidem iſtoc loco putauimus eoq; potiſſimum quòd à Gallis omnibus inter nobiliores Accipitres recenſeatur, & Falconis nomine virtutis meritò donetur. Viribus enim cùm corporis, tùm animi, multis etiam Falconibus prælucet, ideoq; Rubeo dicto, & cyanopodi alijſque minus generoſis præponi meretur, ac octauum in Falconum claſſe ordinem, dignitatis ratione haud temerè ſibi vendicat.

Cur Gallicus dicatur.

## NOMINA.

Laniers. Lanieri.

HOS Galli Faulcons Laniers vocãt. Mari ſeu tertiario Laneret, nomen dãt. Italis ſimiliter Falconi Lainiri dicũtur. Vnde vulgò Latinã Lanarij Falconis vocẽ factã autumo.

## DESCRIPTIO.

Alberti Lanarius qs.

[a] *L.2.c.22.*

[b] *Lib.1.c.9.*

QVEMADMODVM Lanarium Gallicum à Lanario Alberti (hic enim ex [a] Buteonum familia eſſe videtur, & Buteo albus quibuſdam dicitur) toto cælo differre certò ſcio, ita etiam ſum incertus, animiq; hęreo, num quem Galli Tardiuus & [b] Bellonius deſcribunt & celebrant, idem ſit cum eo, quem Carcanus noſter graphicè depingit. Itaque non ab re ſeparatim, licet in eodem capite & cum adiecta diſtinctione de vtroque agendum putaui, nec confundendam hiſtoriam, ne quod ſemper vnicè caui, lectori tenebras offunderem, aut confuſionem aliquam parerem. Dubitandi mihi hæc cauſa eſt, quòd cùm deſcriptionem ab utriſq; authoribus poſitam ſibi mutuò confero, in pleriſque quidem conuenire, in paucis verò diſcrepare eam video, præſertim quod ad figuram ſeu formam exteriorem attinet. Nam Italicus magis flauus, Gallicus magis albo & nigro varius uidetur. E contrario uerò actionibus multò ſunt diſſimillimis. Etenim uel ipſo Carcano teſte ac iudice, Gallicus tam animi, quàm corporis fortitudine

Lanarij Gallici, & Italici differentia.

titudine longè maiori est, & rapacitate, & ad uenatum aptitudine, & docilitate nostratem anteit multis passibus. Hoc saltem lectorem monitum uolui, ut penitiorem examinationem vtriusque cùm ex apponēda à nobis historia, tùm proprijs oculis, si occasio aut facultas simul, & Gallicos & Italicos nanciscendi dabitur, ueritatem rei inquirat. Gallicum Tardiuus & Bellonius hoc pacto describūt. Falco Lanarius minor est Falcone gentili seu nobili, pulchris pennis ornatus, & hac parte Sacro formosior. Certissimæ sunt notę, quibus Lanarium licet dignoscere, ac indubitatæ, nimirum quòd rostrum cruraq; cum pedibus habeat cærulea, plumas verò anteriores nigro ac albo varias, idq; maculis non quidem transuersis, sed plumas in longum distinguentibus, contraria atque in Falconibus ratione. Plumæ dorsi non admodum variegatæ sunt, uti neque alarum & caudæ, parte superna & externa. Et si fortè in his maculæ quædam conspiciantur, eæ exiguæ sunt, teretes & albidæ. Verùm alarum extensarum partem inferiorem seu pronam contemplanti notæ apparebunt, figura à reliquarum volucrium rapacium notis differenti. Sunt enim rotundæ, ac instar exiguorum numulorum per superficiem disseminatæ, licet, vti diximus, pennæ pectoris & partis corporis anticæ varietates in longitudinem protensas ac super marginibus dispositas ostentent. Collo est breui ac crassiusculo, ac rostro simili. Lanarius mas corpore quidem est minore, cæterùm eodem ferè pennarum colore. Præfertur, inquit, Tardiuus cui caput grandius, & pedes magis cæruleo tinguntur, siue is nido exēptus, siue adultior captus sit. Pedibus est omnis, quàm reliqui Falcones, breuioribus.

Lanarij
Gallici descriptio.
Crura.
Pedes.
Dorsum.
Alæ.
Cauda.
Collum.
Delectus.
Pedes.

Italicorum verò nostrorum formam Carcanus hoc ferè modo exponit: Sunt nonnulli corpore grādi, alij mediocri, minori aliqui. His omnibus caput flauum totum, vertice planum ac sessile. Oculi nigri, ac magni. Nares maiori parte exiles, rostrum breue ac crassum, & minus quàm Falconi Peregrino, necnon montano, coloris cærulei. Pectus flauum raris, & ferrugineis maculis distinctum. Dorsum quale Falconi Peregrino. Extremæ verò alæ veluti ocellis rotundis albisq; pictæ apparent. Alæ & cauda longæ: Crura breuia. Pedes longè, quàm Peregrino, aut Montano minores, coloris cærulei. Hisce verò, qui plumas veteres aliquando exuerunt, seu ut vulgò vocant, mutatis, caput vniuersum ad humeros usque flauo colore tingitur, sed ad rubidum vergente, & lineis quibusdam tenuibus distincto. Tergum cyaneum lineis nigris transuersim, quibusdam verò aureis varium. Pectus flauescit colore saturo, nullis guttis respersum. At plumæ femorum paucis ac transuersim ductis notis variant. Mutatur his pes, qui ante cęruleus fuerat, in luteum. Difficulter verò hornotini, seu sori à mutatis dignoscuntur.

Falco Lanarius Italicus.
Capnt.
Oculi.
Nares.
Pectus.
Dorsum.
Alæ.
Cauda.
Crura.
Pedes.
Mutatorū descriptio.

Easdem ferè notas Lanarijs suis (ita enim vocat) assignat Fredericus Imperator, ita scribens. Falcones Lanarij Gentilibus minores sunt, capite & collo pro corporis proportione crassioribus. Longi sunt & subtiles, parumq; carnosi. Pedes habent paruos, digitos crassos, breuesq; ac coloris flaui. Alij verò fusci sunt; alij ad rubedinem vergunt, & pro maiori parte pallidi sunt. Omnes verò in dorso maculati sunt, alij tamen plus quàm alij. Qui alijs præferendi sint, ex forma eorum atque colore haberi nequit. Quoniam ex singulis boni & minus boni reperiuntur: illos tamen nos pulchriores existimamus, qui cùm corporis forma, tū colore magis ad Sacros accedunt. Mutati Lanarij in pectore albi euadunt, & in gula maculas habent nigras, paruas & rotundas. Alij incani sunt, maculis nigris, satis euidentibus, in extremo albis distincti. Hi post depositas pennas deteriores fiunt, neque ampliùs ita audaces sunt, ac ueloces, vt anteà.

## LOCVS NATALIS.

LANARIVM passim Tardiuus in omnibus regionibus reperiri scribit, sed proculdubiò de Galliæ prouincijs id intelligit. Plerunq; enim Bellonio teste, in Gallia nidum facere comperitur, quem extruit, aut densorum nemorum excelsis arboribus, aut altis rupibus pro regionis uarietate. Italicus noster, de quo Carcanus, nascitur in mōtibus Vicentinis & in alpibus, quæ Italiam à Germania dirimunt, ut idem Carcanus Vicentinus ipse asserit. Gallicus, ut ait Bellonius, Galliæ perpetuus est, semperq; tam hyeme, quàm æstate, præter aliarum rapacium morem ibidem conspicitur, quod regionis aērem ei admodum familiarē & natiuum indicat. Cæterę verò rapaces ętate plerisque regionibus, præsertim frigidioribus, cuiusmodi est Gallia, degunt tantūmodò.

Nidulatio.

# VENATVS. INGENIVM.

Quas aues venetur, Lanarius Gallicus.

LANARIVS Gallicus, cùm moribus ſit facilibus, ac docilis, tractabilisq; ingenij tradente Bellonio, ad omne aucupij ſeu uenatus volatici genus tam aquatile quàm campeſtre apprimè idoneus eſt. Capit non ſolùm Picas, Coturnices, Perdices, Cornices, Phaſianos, ſed & Anates, imò & Grues humana ptęſertim induſtria inſtructus. Quinetiam Carcanus ipſe Gallicos Lanarios hoc nomine prędicat, & à Gallis in pretio haberi, & frequenti ac grato uſu eſſe ait, quòd eorum opera in lacuſtribus Anates capiant. Et cùm ſocietate maximè gaudeant, multos unà ſocios in Anates uenaturos emittunt. Quoniam uerò alis diutiſſimè in æthere ſupra prędam ſuſpenſi hęreant, tantoperè Anates fatigant, ut & canum opera, & fuſtibus plurimas occidant. Atq; hac ratione plures interimunt, quàm ipſorummet Lanariorum rapacitate. Hæc Carcanus aliorum fide dignorum, vt ait, relatu aſſerit, quòd Lanarios hos præſtantiſſimos euadere venatores ſibi ſimiliter affirmârint. In Italia verò hunc uenandi ſeu aucupandi per Lanarios modum vſitatum eſſe negat, fortaſſe quòd minus artis ac induſtriæ, adeoq; minus oblectamenti habeat. De Italicis verò idem Carcanus paulò aliter ſcribit in hunc ferè ſenſum, Lanarij noſtrates alarum æquilibrio in aëre ſeſe ſuſpendunt diu admodum, & frequenter. Si in agris quempiam conſpiciunt, qui Accipitris opera ſeu Speruerij aues captet, confeſtim hunc ſeq; antur ſupra canes volitantes tantiſper, donec emiſſo in auem quampiam Accipitre, magna pernicitate deuolet. Et ſi contingat Sperueriũ in capiẽda aue, nempe Coturnice, aliaue huiuſmodi quapiam pigrari, at tardiorem eſſe, eam inſequi non deſiſtent, donec prędam in ſuam poteſtatem redactam capiant, aut ex alto in terram deturbent, ac deuolare cogant. Hanc volatu delapſam in humum, aut latebris ſe abdentem, aut alia ratione effugium quærentem minimè impetunt, iciuntq; denuò, verùm in aëre ſe ſuſtinentes veluti ſtant, ac tanquam immoti pendent, & ſuo more volare pergunt. Hac obuolitantis, ac uenationem interturbantis Lanarij moleſtia ſi ſe liberare volet accipitrarius, opus eſt vt curet, quò quauis ratione Coturnicem vnam capiat. Ita enim futurum, ut hanc conſequutus abſcedat, neque amplius Accipitrario moleſtus ſit. Si fortè fortuna canes venatici gregem aliquem Perdicum deprehenſum excitârint, Lanarius inſtar fulguris deorſum ruit magno ac veloci impetu, vnamq; è grege abripit, aut in latebras ſeſe abdere cogit, ita ut aliquando eã pòſt Accipitris opera ab accipitrario capi contingat. Non poſſum hîc ſilentio præterire, quid ante annos non ita multos nobili cuidam ciui Vicentino amico meo ſummo Vincentio Brandicio euenerit, quod ad rem noſtram, & ad declarandam Lanarij naturã ea hiſtoria faciat. Hic cùm aliquando venationi intentus Accipitrem ſuum ſeu Niſum, quem vulgò Sparuerium dicimus, ad capiendam Coturnicem emiſiſſet, aduolans Lanarius hunc ſtatim unguibus arripuit, abreptumq; ad teli iactum ſecum per aëra aſportauit. Hanc rem uidens uir ille, ſtatim accurrit, opem ſuo Niſo allaturus; at tardus uenit. Iam enim Lanarius præ metu Niſum ex unguibus in terram delabi ſiuerat, ſed prius interfectum. Rei huius euentu obſtupefactus uenator, ex equo deſcendit, & quo uindictam de Lanario Niſi ſui interemptore ſumeret, rete tetendit ſuper aue ſua mortua, qua Falconem caperet, eoq; facto receſſit. Lanarius, qui non longè ab eo loco reſederat, ad Niſum à ſe necatum depaſcendum aduolans, in caſſes incidit, & comprehenſus à domino occiſi Niſi iuſta ira ſuccenſo interemptus fuit. Ego qui fortè fortuna hunc meum amicum adieram uiſurus, Falconem mortuum uidi, & Lanarium pulcherrimum eſſe, & qui iam ſenectam exuerat, corpore grandi ac ſpecioſo agnoui. Hanc rem geſtam referre uolui, ut admoniti uenatores ab hiſce Lanarijs ſibi cauere queant. Horum Lanariorum hic eſt vſus, ut ſupra canes uenatores, ſeu indagatores in aëre ſeſe aliquandiu librent, metuq; incuſſo Perdices, Coturnices, aut Phaſianos gradum ſiſtere cogant, neque diffugere. Etſi auiculam quampiam è reti euadere accidat, tum ſtatim eam deuolans Lanarius rapit. Emittuntur etiam ijdem Lanarij ad uenatũ in Perdices, Coturnices, Phaſianos. Quas aues ſi primo inſultu non prehendunt, volucres obſeruant, atq; ut uulgò loquuntur accipitrarij, ſignant, quod etiam Aſtures facere ſolent. At rarenter eas occiſas in terram præcipitant, ſed ſimulatq; deſcenderint, ſupra eaſdem in aëre aliquandiu uolantes hęrent. Ego quidem, inquit idem Carcanus, de Italicis loquens, nunquam eos ita inſtituere potui, ut frugem aliquam facerent, aut ad uolaticum uenatum idonei euaderent. In Gallia uerò magni æſtimantur, relatumq; mihi eſt, in ea regione eos inſtrui ad lacuſtrem uenatum, ac ternos uel quaternos pluresue Falcones emitti, qui ſupra aquis ſeu eo loco, ubi Anates ſunt, uolitent, eaq; ratione Anates capi, uerùm in noſtra Italia nullius ſunt uſus aut pretij. Hæc hactenus Carcanus, ex cuius uerbis intelligere eſt, multa in utroq; ſcilicet Gallico & Italico Lanario diſparia, multa etiam ſimilia reperiri. In actionibus enim, audacia, rapacitate, docilitate, & ad uenatio-

Lanariorũ Italicorum venatus.

Vt auceps ſeſe à Lanario liberet.

Lanarius Niſum abripit.

Lanari⁹ in rete ĩcidit.

Lanariorũ in venatu vſus.

nem

nem aptitudine, moribus denique admodum diffident. Omnia hæc in Gallico præstantissima etiam ab ipso Carcano Italo, alijsq; celebrantur, contrà atque in Italico. Verùm corporis habitu, ac figura non ita sunt dissimiles. Quin etiam, si Carcano hac in re, qui audita refert, vbi nimirum modum, quo Anates Lanariorum opera Galli capiunt, superiùs exponit, credendum est, volandi etiam more conuenire. Motu enim tonico, alarumq; veluti trepidantium suspensu in aëre libratos diu hærere supra Anates, Gallicos Lanarios dicit Carcanus, quod quidem cæterorum Lanariorum, minusq; generosorum Falconum, Accipitrumue, cuiusmodi sunt Buteones, Tinnunculi, Lanarii, Cyanopodes, alijque, naturam sapit. Etenim vt id verum esse pertinaciter negare nolim, sanè Gruibus capiendis eum volandi ritum (in Accipitribus sanè damnatum ac vitiosum) ineptum esse quiuis videt, in quē tamen Gallis seruiunt, & instituuntur, ut docet Tardiuus, vt paulò pòst exponemus. Taceo nullum Gallorum authorum neque Tardiuum, neque Bellonium hunc volandi morem in suo Lanario notasse, eiusq; vsquam meminisse. Hæc & aliæ rationes scrupulum mihi iniecerunt, num ijdem planè essent specie (nam in genere Lanariorum conuenire constat) num diuersi, vti patria sunt diuersa. Et ne quis miretur, rem, ut cuipiam videbitur, tantillum mihi negotium facessere, non alia quàm veritatis inquirendæ, omnisq; ex lectorum animo ambigendi occasionis, ac ut uulgò loquimur, tollendæ confusionis, quantum in me esset, causa id me facere præfatus, adducam longè me priorem, & inter neotericos satis uetustum authorem arte ac professione accipitrarium Belisarium, quem eadem difficultas torsit. Ita enim de Lanario scribit: Villanos (ita Lanarios tanquam ignobiles nominat) audiuimus in Gallia optimos reperiri. Quod an uenatorum arte, industriauè, aut ipsarum auium natura eueniat, non comperimus. Fieri enim possit, ut, quum frigida sit Galliæ regio (nam frigore fit, ut appetentiores cibi sint aues) duci, impelliuè inde possint uillani, ut sociatim magis ferire, aucupariq; aues soleant. Vnum hoc scimus, auium istarum opera proprietati nominis respondere, quum in regione nostra (de sua loquitur) nec animo uiribusq; nec volatu ita ualeant, quin reliqua Accipitrum genera à nobis descripta longè præstantiora eis ad aucupij vsum inueniantur. Hæc Belisarius.

In quibus conueniāt.

Hærere in aëre quib⁹ conueniat.

## INSTITVTIO. CVRA.

LANARIVM (inquit Tardiuus Gallus) etiam Gruibus capiēdis idoneum reddes hoc pacto. Impone eum in cauernam seu cellam subterraneam, ubi lucem, nisi quum pascitur, non uideat. Manu nō gestabis, præterquam noctu. Quum uolueris eum aucupari, ignem in loco illo excita, ut calefiat, tum igne remoto lauato auem uino mero, & in locum eundem reponito, cerebro Gallinæ pascito, & diluculò ante ortum solem uenatum prodito. Quum primùm illuxerit, eminùs eum in Grues emittito. Nihil autem capiet primo die, ni fortuitò id accidat. Reliquis uerò deinceps diebus utilis erit futurus, præcipuè quidem à medio mense Iulio, usq; ad Octobrem medium. Postquam pennas mutârit, præstantior erit. Tempore frigido, ut hyeme, inutilis est. Non opus habet delicato uictu. Crassiora alimenta, teste Bellonio, meliùs cæteris Falconibus, ac facilius conficit. Carcanus ita eos nutriri uult, ut semper famelici sient, si rectè aucupari eos quis uolet. Et cùm eiusdem cum Falcone Sacro, ut idem inquit, sint naturę, tam his quàm illis, cùm ægrè admodum stomachi excrementitios humores expurgando reijciant, non xylina aut gossipina, sed stuppea aut linea turunda in os indita expurgandus ac inaniendus est, aut si xylina turunda est, paucula stuppa obuolui debet. Huius ope futurum est, ut debito tempore excrementa reijciat, atque, ut aiunt accipitrarij, purgetur.

Vt Grues capiat.

Quàm diu vtilis futurus.

Victus.

Quomodo purgādus.

## DE FALCONIBVS LAPIDARIO & Arborario vocatis. Cap. XI.

ITSI dubitent nonnulli, neque id forsan omnino temerè, utrum duo hæc minutiorum rapacium genera, quæ Dendrofalcos & Lithofalcos uocant, reuera in Falconum censu reponi debeant, an potius Accipitribus attribui: Quoniam tamen teste Alberto, Falconum naturam magis participant, (Lithofalcū enim Peregrino quidem minus generosum, at Gibboso audacia nihilo inferiorem, imo potius superiorem, nempe mediæ inter utrumq; Falconem indolis constituit; & Dendrofalcū animi uigore inter hunc ipsum Gibbosum, & Merillū seu Aesalonem ui differre asserit) nos

nos quoque communi omnium ſententiæ, qui Falconum eos nomine dignantur, ſubſcribentes in horum familiam eos referimus, reliquisq; nondum deſcriptis anteponimus & nonum locum aſſignamus, quod à Falconũ natura minimè, ut Rubeus, Cyanopus, Hetybrides degenerent. Contrà verò, quia ob exigui corporis modicas uires, animoq; minores haud ita frequentis in venatu ſint vſus, ideo Gallorũ Lanario eos poſthabuimus. Hic enim diſciplinæ ſubſidio etiam Grues captat, ut minores aues taceam. Illis uerò etiam Monedulæ reluctantur.

## NOMENCLATVRA.

Lithofalc⁹ Falco lapidarius. Dendrofalcus. Steinfalck. Baumfalk.

LITHOFALCVM Græcè cũ Ornithologo aptè dicere poſſumus, quem vulgò Falconem Lapidarium; item Dendrofalcum, quem arborarium Falconem vocant: Simili nempe fingendi nominis ratione, ac libertate vſi, qua Latinorum & Germanorum vulgus ſolet. Illum enim hi Steinfalck, id eſt, lapidum Falconem, ſeu petrarum, quòd in præruptis ſaxis lubens degat, ſine dubio vocarũt. Hunc verò Baumfalck, id eſt, arborum Falconem, quia in arboribus nidum extruat, ac in his frequens verſetur, nũcuparunt. Nomen autem diminutiuum Baumfalckle mari potiùs conuenit, vti primitiuum fœminæ. Quæ differentia in Lithohofalco etiam & in cæteris omnibus Accipitrum, Falconumq; generibus in lingua Germanica obſeruari poteſt. Quidam Germani rerum naturaliũ periti Accipitrem Læuem interpretantur Dẽdrofalcũ. Falco Rochier apud Sabaudos dictus à rupibus, idẽ fortè cum Lithofalco fuerit.

Accipiter læuis. Rochier. Falco quis.

## FORMA.

Magnitudo.

DE Lithofalci figura nihil aliud ab authoribus, traditum habemus, quàm, pauca ab Alberto, atque in hæc verba: Laparius quidem medię quantitatis eſt, & vigoris inter Peregrinum & Gibboſum. Arborarij verò, prę terquã quòd idem Albertus quãtitate, & vigore inter Gibboſum & Merillũ medium eſſe ſcribit, pleniorem tñ è Stumpffio, pleniſſimã uerò ab Ornithologo diligentiſſimo deſcriptionẽ habemus huiuſmodi. Dendrofalcus, inquit ille, auis egregia & nobilis eſt ſpecie non admodũ diſſimilis Sparuerio, nigrior tñ alquanto & minor. Hic verò, Dendrofalcus, quem ipſe manibus tractaui, à roſtro ad finem caudæ longus erat palmos quatuor, id eſt, digitos ſedecim. Pedes erant pallidi, tanquam ex ſubflauo & viridi colore mixto. Dorſum nigrum, ſed margines infimos pennarum capitis & dorſi, præſertim inferioris, ſemicirculi ſubruffi ambiebant. Pennę alarum nigriores erant, & latus alarum illud, quod verſus auem eſt, maiuſculis maculis ex candido ruffis diſtinguebatur. Pectus albidæ & nigricantes maculę variabant, Plumæ ex albo ſubflauo retro aures, & in ceruice maculas quaſdam conſtituebant. Oculi nigricabant, roſtro color ferè cæruleus. Pennę in cauda maculis diſtinguebantur, ſicut de alijs dictum, duabus tantùm mediis exceptis. An verò Accipiter Fringillarius, de quo alibi ſcriptum, idem fortè ſit cum hoc Dendrofalco, diligentiores inquirant. Itali noſtri Falconem paruum, Falchetto nominant, quaſi Falconellum. Parui autem ſunt & duo iam dicti Falcones, nempe Lithofalcus & Dendrofalcus & Merillus noſtratibus Smerlo, ſeu Smeriglio vocitatus, & quem Germani Stoſsfelcklin, hoc eſt, Falconellum ferientem nominant. Quamuis eundem Merillum eſſe Ornithologus conijcit.

Dorſum. Alæ. Pectus. Oculi. Roſtrum. Cauda.

Falchetto.

Stoſsfelcklin.

## LOCVS.

FALCO lapidum in præruptis, inquit Albertus, petris pullificat, (vnde & ei nomen) & in alpium rupibus inuenitur. Arborarius verò in arboribus nidum extruit, quę res ſimiliter nomine proprio eum ab alijs diſtinxit.

## VENATVS. MORES.

QVANQVAM, vt aſſerit Stumpffius, propter paruitatem, infirmitatemq; virium, non admodum frequens Dẽdrofalci vſus ſit in aucupio, ſeu venatu volatico: eſt tamen auis planè placabilis & ingenio mitis, adeo vt emiſſa per ſyluas & agros ad dominum ſuum redeat. Iucundiſſimum quidem illud ſpectaculum eſt, quod conflictu ſuo cum Monedulis exhibet. In ventriculo diſſecti plumas reperiſſe ſe & cantharides ſcribit Ornithologus. Regitur Arborarius, inquit Albertus, & nutritur ſimili modo, quo Smerillus, Lapidarius verò, quo Peregrinus.

Pugna Dẽdrofalci cũ Monedulis.

DE

# DE FALCONE RVBEO. Cap. XII.

QVOD neque venatus, neq; volatus laborem diu toleret hic Falco rubeus, qui quòd & institutu difficilem admodum sese præbeat, itaque alijs Falconibus meritò cedit, licet aliqui dicant, Falcones hos minores quidem corpore esse, dociliores tamen. Cùm verò & veloci satis sit volatu, & cum animo intrepido robur corporis coniunctum habeat, quare harum dotum merito Cyanopodibus & Hybridibus, vtpotè qui apertè à Falconibus generosis degenerant, anteponi dignus est. Ordo.

## NOMINA.

FALCO rubeus à guttarum seu notularum, quibus distinguitur rubro colore, vt vult Albertus, Priscis dictus est: Italis Falcone rosso, Gallis Faulcon rouge, Germanis Roterfalck, Belgis roode Valck. Nominis ratio.

## DESCRIPTIO. TEMPERIES.

FALCO hic à [a] Petro Crescētio in numero maiorum Falconum ponitur. [b] Alberto tamen non magnus, at Peregrino minor esse dicitur: à quo etiam in hæc verba describitur. Rubeus hic Falco à priscis appellatur, nō quòd totus rubeat, sed quia guttæ in cæteris albæ, in hoc genere sint rubræ & nigræ, sicut in alijs non sunt interpositæ, nec in dorso, nec exteriore alarum parte. Non autem apparet rubere, nisi cùm alas exerit: Tunc enim fusca apparet in eis rubedo. Hoc genus Falconum perperam & absurdè quidam ex Lanario rubeo, & Falcone procreari dixerunt, cùm nulla in re, præterquam colore cum Lanario conueniat. Est autem rubedinis in eo causa, calor debilis potiùs infusus in superficiem corporis, & inflammans fumosum humidum, quod excernitur ad generationem pēnarum. Et hoc facit media inter album & nigrum temperies. Quamuis enim etiam alij colores medij sint, & in quibusdam auibus reperiantur, vt viridis, hyacinthinus, croceus, & similes, Falconum tamen generi, & audaci, rapaciq; naturæ, & volatus agilitati non congruunt. Nam viridis ferè frigiditatem arguit; hyacinthinus aëream & euanidam temperiem, & croceus bilem corrumpentem. Hic Falco etsi non magnus, & Peregrino minor, vnguibus tamen, pedibusq; & rostro fortis est. [a] *L. 10. c. 9.* [b] *L. 23. c. 12* Magnitudo. Ex Lanario nō nasci. Fortitudo.

## LOCVS.

TRADIT Tardiuus Falconem rubeum in locis planis & palustribus inueniri. Apud Moscouitas Falcones phœniceos esse refert Sigismundus Baro.

## VOLATVS.

PERQVAM agili, authore Alberto, est volatu, sed non satis diu perseuerante. Penna enim rubea, ut idē ait, mollior est, nec diù volādi impetū sustinet, quin frāgi periclitetur.

## MORES. VENATVS.

AVDAX est, & difficulter regitur, si Tardiuo credimus. Albertus verò cicurem admodum fieri ait. Quanuis & hic ipse ad aucupium non debere cogi supra modum moneat. Temperies enim, inquit, rubea facilè vincitur, & læditur labore, quamuis facilè faciat impetum à principio. Et quoniam ad leues occasiones alteratur, cautiùs cum eo agendum, ne temperamentum eius afficiatur. Melior efficitur post secundam, aut tertiam mutationem pennarum. Aetas enim accedens & humores calidos remittens, non parum iuuat temperamentum, & præcipuè per mutationem pennarum.

# ÆTAS. ENVTRITIO.

Carnes. VITAE, vt aſſerit Albertus, eſt minus lõgæ, quàm reliqui Falcones. Quamobrem nutriri debet, inquit, carnibus planè recentibus & adhùc calorem ſpirantibus, non nimijs tamen, neque ſæpius in die, ſed manè & veſperi tantùm. Et quoniam læuiſſima quauis de cauſa alteratur, offenditurq́; , cautè tractandus, ne temperamentum eius damnum patiatur. Hunc macilentum ſeruare iubet Creſcentienſis. Ita enim meliùs aucupari ſeu venari affirmans, cùm quidam mediocri habitu, alij verò cùm obeſi ſunt, alacriores ſeſe præbeant. Et Tardiuus, quod Purgatio. ægrè inſtrui ac regi ſe patiatur, licet audax ſit, vult, antequàm ad volatum & venatum emittatur, ter eum exinaniri, ſeu extenuari, purgariuè, vt vulgò aiũt, offulis è pelle Gallinacea aqua prius elota, atque ubi has dederis, ſingulis vicibus calefactum in locum opacum aliquantiſper ſeponi.

# DE DVOBVS FALCONIBVS Rubris alijs Indicis. Cap. XIII.

Alberto rubeus Falco cur dictus. LICET his duobus Falconibus exoticis, quorum hîc icones exhibemus, proprium ac peculiare caput, tanquam ſpecie, omni dubio procul à Falcone rubeo Alberti differentibus dicare iuſtè potuiſſemus. Quà verò ob colorem, quo cum rubeo dicto ſimilitudinem habent, non alio aptiori, quàm Falconis rubei (adiecto interim à patria ad diſcrimen cognomine) donari nomine videntur, itaque eos huc referendos duximus, præſertim cùm hoc nominis iuſtiùs multò, quàm Alberti Falco poſſidere debeant. Nam ille ipſomet teſte, ob guttas tãtummodò quaſdam, quibus reſpergitur rubras, id nominis inuenit. Hi parte anteriore tota, & alis internis rubent, adeo ut qui pronos inſpiciat, præter colorem rubeum ferè nihil videat.

# DESCRIPTIO.

Magnitudo. Marẽ eſſe. PRIOR horum Falconum altero multò maior eſt, eumq́; tertia plus minus parte ſuperat: vnde ſi quid coniectura aſſequi poſſum, cùm in rapacium genere fœminæ grandiores ac ſpecioſiores, venatuiq́; aptiores ſint, mares verò ob hanc ipſam cauſam Tertiarij dicãtur, quòd tertia parte ferè fœminis ſint minores, itaq; hunc fœminam, illum verò marem eſſe crediderim. Adde quòd exigua inter vtrunq; eſt diuerſitas, ea excepta, quòd ſaturatior in maſculo color eſt, ob calorẽ ſcilicet maiorem, qui & corporis argumento obicem ponit; ſed hoc clariùs ex peculiari vtriuſque deſcriptione innoteſcet. Hic itaque maior capite eſt, vertice lato, ac ferè plano, nulla occipitis vt in Color. quibuſdam videtur, eminentia. Color capiti cinereus ad fuſcum tendens, cuiuſmodi etiam eſt Roſtrum. colli, dorſi totius, necnon alarum exteriorum. Roſtrum ei admodum craſſum, quà capiti contiguum ſuperius & inferius vniuerſum luteum eſt, vnco mediocri eſt, ac cinereo, qualis coloris Oculi. & tota eſt ea anterior roſtri pars, quam nudam nulla membrana lutea inueſtit. Oculi pupilla nigerrima, iris fuſca, obſcuro bætico colore infecta. Membrana ciliorum in ambitu lutea. Ab exteriori ac minori oculorum cantho, vtrinq́; macula oblonga ducitur, eodem, quo pectus, co- Pectus. lore imbuta. Pectus vniuerſum, & alarum, ut videbatur, interiorum ſuperior pars, venter quo- Mentum. que & vropygium, necnon coxæ, femoraq́; fulua planè tota rubẽt cinnabarino remiſſo. Mentum tamen in hoc rubeo colore, macula oblonga cinerea, quæ infernè deſinit, diſtinguitur. Alæ. Pectus quoque eiuſdem coloris notulis anteriori ſterno raris reſpergitur. Latera etiam quæ à medijs alis complicatis integuntur, ſimili colore cinereo fuſco tinguntur. Alæ longiſſimæ extremis apicibus vltra mediam longè caudam porriguntur, extremo ferè dorſo ſibi mutuò de- Cauda. cuſſatim incumbentes. Cauda enim oblõga, cuius pennæ ſingulæ alternis ſpatijs, modò nigris, Crura. hemycicli forma anguſtioribus, modò cinereis amplioribus variãt. Crura, pedesq́; lutea ſunt, Pedes. craſſa ſatis robuſtaq́;. Vngues nigri, acutiſſimi.

Alter



Alter

Alter quem marem esse credimus,& secundo loco dedimus,tertia, ut diximus,prope parte exilior est,colorum varietate cum priori ferè eadem,& in eisdem partibus, nisi quòd, vt antè quoque innuimus,color rubeus in hoc saturatior est,& euidẽtior,eadem, quę in priore,membrą tingens. Eæ quoque partes, quas in priore color cinereus subfuscus imbuit, in hoc, nigro prorsus vestiũtur colore, quales sunt alæ supernæ,caput,dorsum,cauda. Quasdam tamen aduertere licet notas huic peculiares,quibus ab altero discrepat. Rostrum enim huic totum cæruleum exigua membranula,quæ nares integit,lutea excepta, oris inæqualibus veluti serratis. Mentum seu gulæ initium huic dilutiùs paulò rubet, colore ad cinereum nonnihil vergente, sed nulla macula,ut in priore insignitum est. Pennæ remiges interiores albent,notis fuscis transuersim frequẽtibus,statoq; interuallo distinctæ:reliqua,nempe superna alarum pars, seu axillæ saturrimo fuluo, ceu rubricæ rubet. Cauda quoque prona duplici macularum transuersarum varietate, nempe albarum & cinerearum,quæ ad cæruleum inclinant, alternatim ornata conspicitur. Pedes cruraq; dilutiori luteo, cereouè colore sunt.

Falconisrubri alterius descriptio. Color. Differẽtia. Rostrum. Mentum. Alæ. Cauda. Pectus. Crura.

## LOCVS.

VTRVNQVE India Orientalis dedit, vnde sub nomine Falconum Indicorum à Serenissimo Magno Hetruriæ Duce Ferdinãdo ad viuum expressos,quæ est insignis eius, ac tanto Principe digna liberalitas,dono missos accepi.

# DE FALCONE CYANOPODE. Cap. XIII.

QVATVOR equidem Falconum genera pedibus cęruleis instructa inuenio. Nam & Peregrini nonnulli, Hierofalci, Sacri, necnon Lanarij Gallorum, & Carcani pedes omnes habent cyaneos. Vni tamen soli peculiariter authorum & accipitrariorum cõsensus à pedum cęruleo colore nomen Cyanopodi indidit. Itaque nolui ego quoque eius tractationem omittere, etsi quisnam hic Falco sit, & ad quod genus referendus mihi non admodum constet. Solus Albertus,& quidem verbis admodum parcis eum describit. Quantum verò ex his ipsis, præsertim quę de natura ac moribus eius adfert,colligere est,ad Lanarium potiùs,quàm ad aliam vllam Falconum familiam pertinere videtur. Degeneris enim & à Falconum indole nonnihil deflectentis naturę,meticulosus, & alis in ęthere supra prędam instar Lanarij sese librans, eodem describitur. Quare an Lanarij quępiam sit species curiosis disquirendum relinquo. Nobis hîc, ut & alibi nonnunquam nodum indicasse sufficiat, quò solertibus ingenijs rerum naturę studiosorum ansam prębeamus,ut exactiùs obscuriora istęc,in quibus iudicium anceps est,inuestigent. Vix profectò,quicunque fuerit Falconibus apponi meretur.

Cæruleis pedib. Falcones quot. Cyanopos ad quos genus Falconum reducendus.

## NOMENCLATVRA.

HEBRAICAM vocem Peres פרס,sunt qui in [a] Leuitico,& in [b] Deuteronomio Accipitrem interpretantur,alij Haliætum; Iudęi vulgo בלאבה, Bla[e]fu[o]ſſ, id est,Falconem pedis cærulei, vt Germani appellant. Illyrij hunc Falconem nominant Raroh. Itali Zafiro (à saphirino colore pedum,vt Albertus uocat) quem magnum & paruum faciunt, nimirum pro sexus discrimine. Albertus Falconem,qui vulgò pes blauus (ita Germani cyanum uocãt) uel hyacinthinus dicatur, Circum Aristotelis facit,de quo inter Accipitres à nobis tractatum est.

Peres. Bla[e]fu[o]ſſ. Roroh. Zafiro. Pes blau[s].

## DESCRIPTIO.

FALCONVM genus hoc cæruleo pede (inquit Albertus) Falconi Peregrino magnitudine æquale,& figura simile est: sed in hoc differt,quòd dorsum eius,& exterior alarũ pars minus nigredinis,& pectus plus albedinis habet, & alæ breuiores sunt, cauda uerò longior aliquantum. Pedes eius hyacinthini,siue azurini sunt.

Qũo à Peregrino differat.

## VOX.

VOX ei acutior quàm Peregrino. Eſt enim humidior,& pituitoſior,ut ait Albertus. Vnde cùm frigidiori temperamento ſit,uocis inſtrumenta etiam anguſtiora eſſe contingit, quæ largior calor dilatare ſolet,grauioremq; uocem edere.

## VENATVS. MORES.

IN auibus inuadendis,ait Albertus,minus audax ob humidum nimirum & pituitoſum temperamentũ.Rarò enim inuadit aues Pica uel Cornice maiores, cùm Peregrini,alijq; Falcones maiores quaſuis aues aggrediantur. Hinc fit, ut Falco pedis cærulei,cùm è ſublimi deorſum ſe præcipitare & in prædam impetu ferri debet,propter metum loco maneat,& alis ſuſpendatur.Diſciplina tamen, & induſtria hominis eum iuuantis audacior fit: uerùm non ita ut nobiles Falcones, à quorum excellentia multùm declinat. Nam ut milites quandoque etſi parum robuſti,ſcientia tamen & uſu militandi,confligendiq; inſtructi,& ſociorum fiducia animati, ſæpe claras uictorias referũt.Sic Falco Cyanopus uſu deijciendi,tenendiq; aues,& Falconarij ſibi propinqui fiducia meliùs,& audaciùs ferit,quàm per naturam faceret,ut Niſus quoque ſeu Speruerius.Itaque etiam fortiores ſe inuadit,& maiores aues. Nec mirum,cùm etiam Lanarij(qui natura adeo timidi,tardiq; ſunt,ut non niſi mures, aut aues uolandi adhuc impotes,uel quæ fortè humi currunt, uel in nido iacent, captent) eodem modo ad audaciam erudiantur. Qua uerò ratione audacia in Accipitribus excitetur, explicatum eſt ſuo loco.

Quas aues capiat Cyanopus.

## DE FALCONE CYANOPODE ALIO. Cap. XV.

LONGE verò aliud, ac diuerſiſſimum ab eo,quem iam ex Alberto dedimus, Cyanopodis genus illud eſt, quod in Heluetiæ multis locis reperiri tradit Stumpfius. Ab hoc enim etiam Ornithologo Heluetо teſte,aiunt capi,nõ ſolùm Perdices,Columbas, Cornices, Arcuatas, Anates,ſed etiam Phaſianos & Tetraones. Vnde generoſiore aliqua proſapia ortum eſſe facilè liquet. Nidificat,vt ait Stumpfius,in excelſis quibuſdam petris,iuxta aquas, aut valles profundas,cùm alibi,tùm præcipuè circa oppidum,quod tribunal Cæſaris vocant. Nidis exemptus manſuefit. Bimus aucupio auctior eſt. De hoc exſtat apud Germanos prouerbiũ huiuſmodi, Ein eule hecket kein blafuoſs, hoc eſt: Vlula non generat Cyanopodem Falconem. Eundem habet ſenſum,quem illud: E Squilla roſa non naſcitur.

Quas aues capiat.

Prouerbia.

## DE FALCONIBVS PROMISCVO coitu genitis. Cap. XVI.

## ORDO. SYNONIMA.

ADVLTERINI quodammodo, & non vnius generis parentibus orti Falcones vltimo loco recenſendi veniunt, quos mixtos alij vocant: Latinè Hybridas dixeris. Itali,vt Carcanus,ex altero parente Peregrino,altero Mõtano procreatos peculiariter, Falcones trauerſos vocant.

Falcones mixti. Hybridæ. Falcones trauerſi.

## GENERA. DIFFERENTIÆ.

PRAETER modò dictum Italorum Trauerſorum Falconum genus, alia ab Alberto quaterna his enumerantur verbis. Quum quodlibet ex prædictis generibus cuilibet permiſceatur,multa fiunt Falconum genera, ex quibus ad nos peruenerant quatuor. Falco enim Peregrinus frequenter miſcetur cum illo,cui pedes cęrulei. Quod ſi Falco naſcatur ex Peregrino patre & matre pedum cæruleorum, patriſſat plerunque, parum declinat à nobilitate, licet parum coloris cærulei in pedibus

Peregrinus cũ quo Falcone miſcetur.

pedibus appareat. Si verò matre nobili, & patre ignobili natus fuerit, magis ad ignobilitatem patris, quàm maternam nobilitatem accedit. Rursus Peregrini, qui ad omnia loca frequenter solitarij volãt, aliquando commiscentur cum Lanarijs nigris, uel albis vel rubris. Et quanquam mõdò diximus quatuor huiusmodi ad nos peruenisse genera, ratio tamen postulat multa esse, & plura quotidiè fieri posse talia Falconum genera.

## GENERATIO.

QVANVIS (inquit Albertus) pro regionibus mores & colores animalium varient, tamen specierum tam dissimilium diuersitatis causa præcipua est permistio Veneris, ut etiam in generibus Anserum, Canum, & Equorũ fieri uidimus nostris temporibus. Sic & animalia ex seminibus etiam differentium specie animalium, si conueniant inter se temperamento, & natura, & impregnationis, ouorumq; ac incubationis tempus congruat, generantur. Cæterùm hæc permistio fit, quando Falcones specie diuersi, sed temperamẽto similes, tempore libidinis conueniunt, nec suæ speciei sexum, cui permisceantur, inueniunt. Et hoc non solùm probabile est fieri ex Falconum generibus inter se permistis, sed etiam ex Falconum coitu cum Asturibus & Nisis & Aquilarum generibus. Et hanc ob causam tam diuersa rapacium & Falconum genera in diuersis regionibus inueniri conijcimus. Porrò in memoratis quatuor generibus præcipuè Falconis Peregrini commixtionem fieri diximus, eò quòd Peregrini à parentibus statim expelluntur, & frequenter separantur, propter prædam & iram. Et cùm suę speciei coniuges non inueniunt, ad speciem alteram, quam sibi simillimam inuenerint, conuertuntur libidinis tempore. Hęc Albertus, quibus verbis & generationis modum, & tam diuersarum & propè infinitarum specierum, necnon iudicij in hisce dignoscendis difficilis rationem minimè inscitè exponit.

Animaliũ dissimiliũ specierum causa.

Falconum diuersitas vnde.

Falco Peregrinus cur cum alijs Falconib. coeat, magis quam alij.

## INDOLES.

VODSI cum Falcone pedis cærulei Peregrinus cõmisceatur, ferè similis Peregrino generatur auis. Si cum Lanario nigro, ignobilis Falco niger, vel nigro similis procreatur. Si cum Lanario albo, similis Falconi albo. Si denique cum Lanario rubeo, similis colore & figura rubeo Falconi gignitur. Et hi quidem mixti Falcones faciliùs arte iuuantur, quàm qui omnino ex vtroque parente sunt ignobiles, præsertim si pater nobilis fuerit. Patrissant enim, id est, paternam plerunque indolem referunt hæc spuria Falconum genera, authore eodem Alberto. Si contrà verò, inquit, mater nobilis, pater ignobilis fuerit, ignobilior quidem generabitur auis institutione tamen & disciplina proficiet, præcipuè post vnum vel alterum annum. Hæc de Falconum generibus dixerim, ex quibus reliqua etiam, si quæ sunt, poterunt cognosci. Atque hæc omnia hactenus Albertus.

Finis Libri Septimi.

VLYSSIS

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ Liber Octauus.

Qui est

## DE AVIBVS RAPACIBVS NOCTVRNIS.

## Quædam de eisdem in genere dicta. Cap. I.

Ordinis ratio.

ABSOLVTO tractatu de Rapacibus diurnis, ordinis ratio expostulat, vt deinceps de nocturnis agamus, quæ tanto illis cedunt merito, quanto lux est tenebris nobilior. Nocturnarũ verò nomine eas omnes intelligimus, quas Græci generali nomine Γλαυκῶπας indigetant, ob cæsios oculos. Adeò verò varia & particularibus nominibus confusa est istæc nocturnarum auium historia, vt certè arduum sit, & operosum, proprio singulas à veteribus attributo nomine distinctè cognoscere. Ita ut necessarium omninò esse putem, diuersa sæpenumerò nomina ad eandem rem, aut saltem ad genus vnicum redigere. Alioquin veteres sibijpsis pugnare sæpè necesse est, qui cùm decem tantùm plerique harum auium species statuant, nomina tamen multò plura recensent. Sint igitur, exempli gratia, si non idem, saltem sub eodẽ genere, Chalcis, Cymindis, Hybris, Ptynx, Cicunia, Nycticorax, Otus, & præterea Vlula, Bubo, Aluco, & Scops. Harum auium tamen singulas, aut plurimas multi diuersas esse voluerunt. Verùm hac de re suo loco fusiùs.

Aues nocturnæ.

Γλαυκῶπες

Quot Nocturnarum Auiũ spẽs, veteres statuerint.

## SYNONIMA.

Aues nocturnæ à voce dictę.

QVOD ad auium harum nocturnarum appellationem attinet, videre licet pleraque per Onomatopœiam conficta esse, vti etiam aliarum nonnullarum, quales sunt; Cuculus, Vpupa, Coruus; sed harum præcipuè, idq; non in vnius gentis, sed quàm plurimarum idiomate. Gratia exempli: Hybris Græcis & Byas: Bubo & Vlula Latinis, Hibou Gallis, Germanis Eul, Vul, Hurvv, omnia à sono auis vocabula formata sunt. Belgę vocabulum Vl, tanquam genericum omnibus propè nocturnis attribuunt.

Vl quibus competat.

## GENERA. DIFFERENTIA.

Quinq; genera nocturnarum nota.

NOTAE hodie sunt vulgò quinq; nocturnarum auium species, videlicet Bubo, Asio, Vlula, Noctua & Aluco. Sed antiqui alias præterea tradidêre, quales sunt Accipiter nocturnus, quem nos Hybridem Aristotelis esse diximus, nõ autem Cymindim, vt vulgaris est opinio, Coruus nocturnus, quem Græci Νυκτικόρακα dicunt, sed hunc Otum esse quibusdam Aristoteles scribit, Αἰγώτιλας, qui Latinis Caprimulgus est, & Capriceps, qui quorundam iudicio idem est cum Caprimulgo. Scops item & Strix. Ego apud Aristotelem quæ sequuntur præcipua nocturnarum, quæ aduncis vnguibus sunt, & ex venatu viuunt, de quibus hîc nobis agendum est, genera esse existimo, Νυκτικόρακα, γλαῦκα, βύα, ἐλεὸν, αἰγώλιον σκώπα. (nam horum simul [a] eodẽ capite meminit) & ἀιγωτάλιον, cuius alio [b] loco. Primo loco Theodorus interpres ita habet: *Nocturnarum etiã auium nonnullæ aduncis sunt vnguibus, vt Cicunia, Noctua, Bubo,*

Hybris qs. Capriceps quis.

[a] 8. *Hist. c.* 3.
[b] 9. *H. c.* 30

Hic,

Hic, pro eo, quod in contextu Græca legitur, Nycticorax, traducit Cicunia, dictionem uerò Glaux, Noctuam trãstulit, & Byas, Bubonem. Eodẽ loco ita pergit. *Species similis Noctuæ Bubo est, sed magnitudine non minor, quàm Aquila. Itẽ Aluco, Vlula, Asio.* Hîc pro dictione Græca Eleos, posuit Latinè Aluconẽ, pro Græco Aegolios, Vlulã, pro Scops Asionem. Sed mea quidem sententia perperã. Nycticorax enim Aristoteli ipsi idem est cum Oto siue Asione, vt postea suo loco probabimus, & Scops Asioni quidem similis est, sed multò minor. Distinguunt quidam totum nocturnum genus, in maius, & minus. Hoc contineri uolunt, Noctuã, Vlulam: illo, cæteras omnes magnas, & quæ magnitudinis merito cum Aquila certare possint. Recensentur & aliæ aues, quæ noctu uagantur, apud Aristotelem, de quibus suo loco dicemus: hîc de ijs tãtùm scripturi sumus, quibus ungues aduncí sunt.

Gazę error

Nycticorax est Otus siue Asio.

Scops Asione minor.

# FORMA.

MAGNITVDINE igitur ut dictum est, inter se differunt. Pennatorum *animalium*[a] (Plinio teste) *nocturna quædam tantùm, pennas velut aures gerunt, vt Otus & Bubo, cæteris cauernæ ad audiendum.* Oculos omnes magnos, amplos, & cæsios habẽt, quem colorẽ Græci glaucon uocãt, estq; is, quem nos uulgò dicimus, colore mischio fra l'bianco e uerde. Huiusmodi oculis fertur fuisse Pallas, ideo Glaucopis dicta, & Neptunus. Vncum etiam rostrum more diurnarum rapacium obtinent, & ungues hamatos, ut Noctua, Bubo, Vlula. Plurimis pedum digiti antè & retrò ęquales, bini scilicet, ut Picis: Aluconi, Noctuę, Vlulis. Pedes hirsuti ac plumosi multis. Corporis color cinereus ferrugineo uariè maculosus.

Magnitudo.

Aures.

Oculi.

Color glaucus quis.

Pallas cur Glaucopis dicta.

Rostrum.

Vngues.

Digiti.

Pedes.

Color totĩ corporis.

# VISVS. ACTIONES.

ARDVVM est rationem reddere, cur natura aues nonnullas uolare noctù, & quiescere interdiù uoluerit, nisi mutua inter se comparatione facta, idem dici possit de auibus, quod de quadrupedibus. Videmus enim animantia quædam fera noctu pasci, & interdiù certa quodã loco delitescere, cùm tamen interdiù clariùs, quàm noctù uideant. Cuius rei experimentum est uidere in Muribus, cùm maioribus, tùm minoribus, in Ceruis, in Vulpibus, in Lupis, in Leporibus, & in omni ferè serpentium genere. Hæc omnia animantia simulatq; solẽ occidere percipiunt, è latibulis & cauernis ad pastum prodeunt. Dein cùm ad horas aliquot quieuerint denuò sub auroram ad uictum indagandum redeunt. Idem contingit de auibus nocturnis, quibus ut ex manifestis signis licet conspicere, natura plus quàm quadrupedibus consuluisse videtur. Grandes enim largita illis est oculos, atque in fronte probè undiquaq; adumbratos; necnon aliquid, quòd supercilijs respondet, ita ut præterquam quòd pupillę oculorum eorum uisui sunt accommodatissimæ, scitè etiam suis instructæ sunt & congruis coloribus. Habent & supernè veluti parietes, ad quos spiritus reuerberet & coerceatur, ponè aures, quas pro arbitrio attollunt & deprimunt, quę etiam ad clariorem visionem non parum conducunt. Ad victum nõ nisi vesperi prodeunt & mane, ipso[a] Philosopho teste, ita dicente, *Noctuæ, Nycticoraces & reliqua quæ interdiu nequeunt cernere, noctu venando sibi cibum acquirunt: verùm non tota nocte id faciunt, sed vespertino & matutino.* Qui acuratiùs ipsorum visionẽ obseruabit animaduertet eam non vsque adeò insignem esse, atque vulgò existimatur. Si enim quispiam de nocte sese incluserit, vel cum ea, quæ nocturnarum omnium clarissimè cernat, loco quopiam angusto & obscurissimo, atque si tum uersus auem progrediatur, vel ei minetur, ut nec alias, ita neque hanc auem vel tantillum cernere comperiet. Quamuis itaque *hebetant harum omnium*, vt inquit Plinius, *interdiù oculi*, non tamen ideò de nocte clarè vident. Ad visionẽ enim secundũ Aristotelem requiritur mediũ illuminatum, quod aër est. Quod autem interdiu aut nihil aut ęgrè uideant, ita accidit, quòd vti *excedens sensibile* iuxta Aristotelem *lædit sensum*, etiam perfectum & sanum; ita etiam sensibile moderatum imbecillũ, & ægrum sensum offendit. Contingitq; oculos Noctuarũ infirmos & debiles lumine solari seu diurno veluti perstringi ac verberari. Cernent itaque optimè, cùm neque lumen est magnum, neq; etiam omninò nullum, sed mediocre, quale sub vtrumq; crepusculum videtur. Vnde tum potissimùm ad pastum euolare solent, alioquin de die etiam eas meliùs videre, quàm cùm in meris sunt tenebris verisimile est.

Cur noctù volent.

Animalia quæ noctù vident.

Cur oculos magnos habeant animalia noctù videntia.

[a] *Li. 9. Hi. cap. 34.*

Nocturnas aues noctù non exactè cernere.

Aër ad visũ requiritur.

Cur ĩterdiù ęgrè cernãt.

Quãdo optimè cernãt, & ad pastũ eant.

## LOCVS.

NOCTVRNAE aues non ſolùm in tenebricoſis montium & rupium cauernis, latent, ſed in cauis etiam arboribus, in ędificijs deſertis, ſub tectis domorum magnificarum, templorum, turrium, ad quæ rarò homines accedunt. Rupes profectò Noruegiæ ac ſeptemtrionalium regionum, & harum auium & Accipitrini generis, ut maximam, ita præſtantiſſimam partem habent.

## VICTVS. RAPINA.

PLEREQVAE aues nocturnæ perſequuntur lacertas, veticillos, teſte Ariſtotele, & mures, Hyrūdines quoque aliaſque auiculas item inſecta, ſcarabeos, apes, veſpas, crabones. Maiores tamen, ut Bubo, etiam lepuſculos, & cuniculos aliquando rapiunt.

# DE BVBONE. Cap. II.

## DIGNITAS.

Cur à Bubone incipiendum.

BVBO non tam proprio merito, quàm Poëtarum ſcriptis infamis, auiumq; omnium nocturnarum rapacium longè maximus, non temerè cæteris omnibus priorem hiſtoriæ locum ſibi vendicat. Quemadmodum enim Aquila inter aues diurnas, quæ ex præda viuunt, omnium conſenſu principatum obtinet; ita etiam Bubo inter nocturnas. Vnde quemadmodum Iouem Deorum ſummum in Aquilam tanquam ſe dignam auem mutatum legimus, ita & Iunonem illius cōiugem, & ſororem Deorumq; Reginam Bubonis formam induiſſe poëtarum fabulæ tradunt. Non enim decorū Iunoni erat, vt in exiguam aliquam aut vilem auem ſeſe mutaret, ſed in eam potiùs, quæ nocturno tempore omnium eſſet Regina, quæque haud ſecus noctù, atque Aquila Iouis interdiù imperaret. Imò verò Bubo neque corporis magnitudine, neque robore Aquila inferior eſt. Nam eò audaciæ ſæpè deuenit, vt non ſolùm Aquilæ reſiſtere non abnuat, ſed ancipiti etiam Marte ſecum decertet. Præterea non aliter ac Aquila interdiu lepores rapit, ita & Bubo nocturno tempore. Venatur autem tam dextrè, tamq; auidè, ut auium, minorumq; quadrupedū magnam vna nocte ſæpè prædam congerat. Quapropter eum & ſolertiſſimum eſſe manifeſtò conſtat, tum vel ex hoc etiā id ipſum prodit, quòd cùm ab Aquila aut Accipitre interdiù impeditur, tāta arte, roſtro, & vnguibus vndiquaque obiectis ſeſe muniat, vti omnium eorum impetui aditum præcludat, illæſusq; ſemper euadat. Denique tantum corporis robore valet, vt ſi cominus pugnandum ſit, præter Aquilam aut Accipitrem, nullam aliam pertimeſcat. Animal eſt adeò vigilans, vt cæteris dormientibus venatum exerceat, hoc ipſo Gallo Gallinaceo præferendum, qui horarum quidem noctù momenta notat: ſed nihil tunc, vel ſibi quærit, uel hoſtibus eripit. Ne verò fœtus ſuos iniurijs humanis exponat Bubo, & ipſe tutò prædatum exire poſſit, ideo altiſſimas quaſque ac inuias rupes pro nido deligit. Quæ eſt igitur vel ars militaris, quæ fortitudo, quę ſolertia, uel in uigilijs, uel in pugnando, uel in locis oportunis, & temporibus ad ſecuritatem conſiſtendo, quæ non ſit in Bubone excellentiſſima? Id verò, quòd infamem adeò omnibusq; inuiſum reddit, nempè quòd dirum ſemper mortalibus omen à Poëtis, & ſuperſtitioſis auguribus adferre ſcribitur, præterquam quod naturali Philoſopho pro commento vano haberi debet, ipſis etiam Bubonis aduerſarijs & vituperatoribus minimè ſemper verum compertum fuit. Imò pro auſpicatiſſima alite eum habent Tartari, qui non alteri, quàm Buboni Imperatoris ſui Changij ſalutem acceptam referunt, eumq; hac de cauſa in maxima veneratione habent. Nec alterius auis, etſi pulchrioris plumis, quàm huius, pileo affixis caput ornare geſtiunt, quòd his aduerſam fortunam omnem ſeſe amoliri exiſtiment. Huius aſpectus Agrippæ captiuo Iudeorum regnum portendiſſe traditur à minimè obſcuro authore Flauio Ioſepho; atque tandem obitum.

Quæ animalia Bubo venet.

Fortitudo Bubonis.

Tartari, cur Bubonē pro auſpicata aue habeant.

# ÆQVIVOCA.

BVBO piſcis eſt apud [a] Athenæum, qui tamen de forma eius nihil ſcribit, Citat autem hunc [b] Nicandri verſum *Aut Phager, aut Bubo melior vel Cornua in vndis.* Βεβὼ Ptolomeo Liciæ vrbs, in ea regione parte, quæ Cabalia dicitur; [c] Stephano ac [d] Plinio vocatur Bubon, propè quam Cretam Theſſalicam naſci ſcribit. Hanc Stephanus ita dictã vult à Bubone Latrone, qui eam condidiſſe putatur. Βεβὼν vocabulũ etiã Græcũ eſt, vti Bubo Latinum, quo olim abſceſſum adenum notabant, ſiue tumorem ſimplicem potiùs, maximè verò & quidem nunc circa inguina. Nam & inguina Græci Bubones vocant. Vulgò quoque collectiones ſeu inflammationes vel inflationes potiùs earum partium inguinarias appellant. Recenſentur Bubonum inflammationes inter peſtilentiæ ſigna certiſſima, adeò vt etiam peſtis nuucupatione peculiariter ſignificari ſoleant. Materiam eandem, ſed minus feruidam obtinent, atque carbunculus. Hi ſi ante febrem apparent mitiorem peſtem denuntiant, robuſtamq; cordis naturam ueneno laceſſitam, huius ſtatim nonnihil foras propulſiſſe. At poſt ortam febrem prorumpentes dominantis veneni impetu fiunt, ſuntq; quaſi fictæ naturæ pernicioſum inditium. His tumoribus nihil commune eſt cum aue noſtra, cuius nomen Latinum eſſe & à ſono dictum poſtea trademus; illud autem Græcum eſt à verbo *βαίνειν*, & particula βᾶ intendente, quaſi *ὁ μεγαλος βάινων*. Nam articulus inguinis maximè ad inceſſum neceſſarius eſt, vel tumor ipſe, ſic nominatur, eo in loco, quoniã valdè in altum attollitur, aliqui *βουβῶνα* uocant; hinc & uerbum *βουβωνιω* apud Menandrum legitur. Quid uerò per Bubonem ſignificetur apud Lycophronem, dubitãt docti. Nam ubi Bubonis tormas nũcupat poëta, interpres ipſe Peripherius exponit & addit, *Bubon* eſt *ἰνία τόπος*, id eſt, *vertebræ locus*. Quid autem poëta ipſe propriè intelligat, difficilè eſt iudicare; uel *quia*, ut [e] Cælius teſtatur, *multa barbarè profert, & nugatur, vel quia inſcitia laborat*. Nam hic quidẽ Angæi Bubonẽ percuſſum ſcribit, mox autem paulò pòſt annectit, *πηξας ἀφυκτως σφύρον*. Ego inquit Cælius *Sphyrum ſcio Aſtragolo circumiectas partes, at Bubonoſphyrum non noui*. Veriſimile tamen eſt Lycophronem per Bubona inguina ipſa uoluiſſe deſignare, in quibus tumor ille peſtilens plurimum oriri ſolet. Per uertebram uerò interpres, os ſacrum, credo intellexit, cui oſſa Iſchion, Iliũ, & pupis cõnectũtur. Eſt & Bubo ſaltationis genus Athęneo, [f] ubi *erat* inquit, *Bubo ſi gura quædã proſpicientiũ ſummãq; manũ ſupra faciẽ curuantiũ*. Hæc uerò erat una figurarũ ſaltationũ.

[a] *L.7.c.39.* Piſcis.
[b] *In Boetic.* Vrbs.
Cabalia.
[c] *L.5.c.27.* Bubon.
[d] *L.3.c.17.* Morbus.
Inguina.
Lycophrõ explicatus.
Bubo vertebræ locꝰ.
[e] *L.4.Lect. ant.cap.11.*
Saltationis genus.
[f] *L.14.c.12*

# NOMENCLATVRÆ.

KOS Bubonis nomen Hębraicum aliqui eſſe putant, ſed alij aliter interpretantur. Dauid Kimhi כוס Kos auem immundam ignotam nobis, uel auem, quæ in deſertis degat, & uocem edat ſimilem ploratui כוי: cuiuſmodi ſanè Bubonis eſt, quod & Vergilius annotauit, & Germani obſeruarunt, qui ipſi Vl nomen ab eiulatu dedêre. Rabi Salamon, פלקינ, id eſt Falconem, D.[a] Hieronymus Nyćticoracem, ut & Septuaginta; alij Bubonem, ut recentiores. Iidem in lexicis linguæ hebraicæ (Kos) inquiunt eſſe nomen uolucris ululantis & clamantis de nocte; Nyćticorax uulgò קוע Kutz, ſic Germani Noctuam uocant, & ſanè Hebraica uox pulchrè alludit ad Germanicam, quinimò de Noctuarũ genere Bubones aliæq; nocturnæ dici generaliter poſſunt: Ita Plinius *Noctuarũ* (inquit) *id eſt, genus maximũ cui plumæ auriũ modo emicãt*. Verba Pſ. ſunt; *Factus ſum ſicut Bubo* (Hebraicè Kutz) *qui eſt in ſolitudini bus*, ubi Aquila & Theodotion & quinta editio Nyćticoracẽ uertũt, alij Bubonẽ: ſexta editio noctuã, Symachus Vpupam, R.[b] Salamon, auem ait eſſe remotam ab hominum conſpectu, (Quidam ſanè Hebraicè ab abſcondendo dictam rentur) & nocte uociferantem, cui ſimilis alia ſit, quam uocant יבינ Ibin: fortè Hibou. Sic enim Galli Bubonem uocant, & ſolet Rabbi Salamon Hebraica nomina Gallicè interpretari.[c] Nominatur ſanè Kos auis inter impuras, ubi interpres Chaldæus uertit קדיא, Kadia, Arabs, Kus, Perſa חכום, Gakus (quæ uoces magis etiam, quàm Hebraica Kos ad Germanicam Kutz accedunt) Septuaginta Nyćticoracem, Hieronymus Bubonem & alibi, ubi Septuaginta & [d] Hieronymus Herodium uertunt. Chaldæus alibi habet קיפופא Kiphupha, quod Noctuam quidam interpretatur. Accedit quidem hæc uox ad nomen Cicuma, quo Gaza Nyćticoracẽ reddidit. Euſtathius Scopas eſſe ait aues, quas Romani Cucubas nominent, (quæ uox Hebraicæ Kiphupha etiam uicinior eſt) Arabs עצפור Azphur. [e] Pagninus ex R. Salomone exponit Noctuam, quæ uernacula lingua Ciuetta uti etiam Gallica nominetur ac noctu clamet. Ornithologo inter tam uarias interpretationes animus magis ad Bubonem, inclinat, Schachaph שאף, exponitur Bubo à quibuſdam recentioribus. Septuaginta & Hieronymus Larum, aut Fulicam interpretantur. Chaldæus reddit Schachefa,

Kos.
[a] *Pſal.102*
Kutz.
[b] *Leuit.11.*
[c] *Leuit.11.*
Kadia.
Kus.
Gakus.
[d] *Deut.14.*
Kiphupha.
Cucuba.
Azphur.
Schachaph
[e] *Leuit.11. & Deut.14*
Larus.
Fulica.

Schachefet morbꝰ. Scaph.

Schachefa, Perſa enim uocem eam retinet. Arabs שכף Scaph. Dauid Kimli interpretatur auem, quæ laboret morbo Schachefet, Hebręis dicto, quo corpus attenuetur & deficiat, phtiſi nimirum. Sed Rabbi Salomon ſic uocat morbum, in quo naſcuntur in carne ampullæ inſtar pomorum, Bubones fortè, apoſtemata Græcis ſic dicta: tranſlatio communis alibi pro hoc morbo uertit febrim, egeſtatem. Iudæi recentiores Cuculum auem interpretantur. Quod ſi Bubonẽ ſignificat, deriuatum inde uel ab Arabico Scaph uideri poteſt Germanicum Bubonis nomẽ Scuoffel, & Noctuæ generis Tſchafytle, Chafuus, & apud Græcos Aſcalaphi. Sed ſi auis eſt corpore macro, & tenui, tanquam pthiſi conſumpto, Larum potiùs eſſe dicemus, quæ auis admodũ tenuis, leuis & ſemper famelica eſt. Vicina huic apud Hebræos uox eſt Scanaph שנף, quam interpretantur Noctuam. אי ij, apud Hebræos aliqui Bubonem intelligunt, Septuaginta alibi Onocentauros uerterunt. Interpres Auicennæ falsò uertit dictionẽ Aduduc Bubonem & Hududub & Hudud alibi, cùm hę dictiones Nyctícoracem denotẽt, ut ſuo loco dicetur. Prima tamen nempè Aduduc ad Sabaudicam accedit, qui Bubonem ung duc uocant Vetus Gloſſographus Auicennæ Bubonem etiam Alharbe uocari ſcribit Arabibus, quam tamen uocem Chamęleontem ſignificare ſcimus.

Schuffel. Iſchafytle. Schafuus. Aſcalaphi. Scanaph. Ii. [f] *Iſa.* 13. Aduduc. Hududub. Hudud. Vng duc. Alharbe.

Nominis ratio. *βύσειν.*

ΒΥΑΣ Græcis Bubo noſter appellatur per Onomatopœiã ſcilicet, ut & apud Latinos; Βύσειν enim proprium uerbum eſt, quo Bubonis uocem exprimunt Græci, Gaza ex Ariſtotele pro Βυᾷ Bubonem reddere ſolet, uidetur autẽ nomen eſſe primę declinationis, quod ἄλφα in genitiuo & datiuo retineat, Inde nominatiuus pluralis Βύαι. Nam in lexico Varini Βυὰι oxytonum, malim paroxytonum ὤφθησαν legitur. In eodem ſolo βοίαι reperio per οι diptongum, nec probo. Butalis βυταλις in Aeſopi fabulis, non alia auis quàm Bubo uidetur, quod & noctu tantùm canat, & ſimiliter nomen, ut Byas, & Bubo, à ſono Bu, inditum habeat. Sunt ex Græcis qui Scopas Bubones interpretantur; at perperam, uti capite de Aſione mõſtrabimus, Referunt tamen hodie in Græcia Bubonem dici σκλόπα. Buffus apud Kiranidem nocturna auis, ut Gerardi Cremonenſis tranſlatio habet, Bubo eſt. Conijcio autem βᾶφος ſcriptum fuiſſe. Nam & apud Simonem Sethi βᾶφοι Noctuę ſunt, & in quibuſdã Italiæ locis Bubo uulgari lingua lo Bufo dicitur. Creſcentienſis Bubonem Gimum uocat. Recentiores quidam Nyctícoracem, id eſt, Coruum Nocturnum, eundem cum Bubone faciunt; Inter hos eſt Beroaldus, cuius argumenta peculiari de Nyctícorace capite ponemus, ſed diuerſos eſſe collatis utriuſq; hiſtorijs, facilè deprehendetur. Cõuenit tamen Nyctícoraci Aquilę magnitudo, quam Bubonitribuit Ariſtoteles, Ita enim Strabo: *Nyctícorax* inquit, *Aquilæ æqualis eſt.* Iohannes Goropius Becanus vir doctiſſimus in ea eſt ſententia, ut Cymindin & Chalcida, & Hubrida, & Ptyngem, Ariſtotelis non aliud eſſe quàm Bubonem exiſtimet. Cuius rationes, quas pro ſe adducit, nè à quopiam in dicta cauſa damnetur, ex ſuis ipſius verbis, apponere operæpretium iudico, ut clariùs intelligantur, & nocturnarum auiũ obſcuræ & caligine plenæ hiſtoriæ, tanquam adhibita face luminis aliquid adferãt. Vbi ergo uocẽ hãc Cymindin, quę eſt in illo uerſu Homerico

*βυταλις.* Σκώψ. Buffas. Bufo. Gimus.

*Chalcida Dÿ perhibent homines dixere Cymindin*

Cymindis auis.

declarandam ſuſcipit, in hæc uerba infit. Ariſtoteles tradit ab Ionibus Cymindin auem hanc vocari. Mihi nec Ariſtotelis lectio integra videtur: nec uideo quî poſſim ei mederi; Adiecta enim ſunt uerba quædam de Hubride & Ptynge, quæ tamen nec Euſtathius, nec Plinius uidẽtur legiſſe. Hic etiam λεπτὸν tenue omiſit, quod Gaza, & Euſtathius agnoſcunt, ut genuinum. Gaza quibuſdam Ptyngem uocari addidit, ſed Hubridis nullam fecit mentionem. Plinius nocturnum Accipitrem uocauit. Ariſtophanes etiam inter Accipitres enumerauit & proximũ Aquilæ recenſuit. Nobis hîc non lubet acuratiùs de Cyminde perquirere, eò, quòd nocturnarum auium, ualdè obſcura hactenus ſit hiſtoria, & nocturnæ caligini comparanda. Qui etiam Hubrida vocari voluerunt, videntur ab hub-ur voce Cymbrica ſibi nomen feciſſe, quo maximus Bubo denotatur: & certè huic maximè Homeri fabula videtur cõuenire. Nec malè item in hanc auem quadrat Comicus auium exercitus. Nec enim Bubo vel corporis magnitudine, vel viribus Aquilæ cedit, & ſi inter has pugna ineatur, ambiguum eſt in vtram partem inclinet victoria ob ancipitem Martem. Deinde, vti de die Aquila minora capit quadrupedia, ut lepuſculos, Cuniculos, ita & Bubo de nocte. Venationem autem ſuam adeò inſtituit callidè, tãtaq; peragit auiditate, vt magnam ſæpè uel vna nocte copioſamq; prædam congerat, & ſi quis nidum eius in rupibus exploratum habeat, & ad eum clanculùm pernoctare uelit, ei facillimum fuerit, prædæ partem ſubducere; quod familiarem quendam mihi venatorem non ſemel feciſſe, de ipſius didici relatu. Ipſe cum robuſto cane pugnantem uidi, & cum ſemel unguibus ei hæſiſſet, difficillimè potuiſſe auelli, nec canem pòſt aggredi auſum. Nec alibi libentiùs, quàm in altiſſimis rupibus nidulantur, adeò ut Idæon Lecton, quod altiſſimum eſt promontorium, locus ei videatur aptiſſimus. Nec veriſimile eſt Iunonẽ in exiguam aliquã ſeſe mutaſſe auem,

Ptynx.

Hubris unde dicta.

ſed in

sed in eam potiùs, quæ nocturno tempore, in cæteras obtineret principatum, quemadmodum Aquila diurno. Certè Aristoteles tenuem admodum & ieiunam Bubonis dedit historiam, vt ego verear, ne Cymindis Ionum & Phrygum non fuerit tenuis illa Vlularum forma, quam in arborum cauis non modò in montibus habitare scimus, & noctu Columbaria prædari. Hanc tamen Aristoteles depingere videtur, & hac parte ab aucupibus nostris desidere. Sed liberum sit alijs, quid velint, coniectare. Mihi Hubris & Buas eadem est auis, quæ alio nomine Ptynx, & Cumindis vocetur; Atqui hæc illa est, quæ cũ Aquila pugnare potest, & non sine causa, quando eandem prædam, licet diuerso tempore, sequuntur. Auem enim tenui corpore præditam, non uideo, quî pari Marte cum Aquila committas. Aristophanis interpres γλαῦκα κύμινδιν, κιχλίδα καὶ κικκαβᾶν eiusdem auis esse nomina prodidit & κικκαβᾶν esse Noctuæ propriã vociferationem. Callimachus κιχλίδος etiam meminit, κἀρτ' ἀγαθὴ κιχλίς. Pompeius Cicumam nocturnam auem facit, sed quęnam sit, non addit. Hesychius κιχλίδα γλᾶυκα interpretatur, & κιχλώττειν, idem esse, quod δυσβλέπειν. Itali quidam Chio uocant, nos Hubeken, id est parua Noctua. In hoc genere minima auribus est insignis, à quibus Otis quoque vocatur. Gaza Cicumam pro Nycticorace reddidit, nõ benè mea quidem sentẽtia, cùm Nocturnus Coruus, nihil simile habeat Noctuarum generi. Nos enim Nachtrauen Teutonicè diuersam ab omni Vlularum & Noctuarũ genere esse scimus, qua tamen voce, Nycticoracem ad vnguem interpretamur. In tãta igitur obscuritate, quid miri acciderit, si quispiam hallucinetur, tametsi vel ipse esset Aristoteles. Nos ergo fatis honori consulamus, & Aristophanem dicamus triarium robur postremò enumerasse, in quo cùm Vultur Aquilæ ferè magnitudine par Cumindem præcedat, & longiùs ab Aquila, quàm Cumindis recensetur; cogitemus necesse est, Cumindem Vulture maiorem esse, & validiorem. Sit ergò Aquila Iupiter, Cumindis siue Hubris Iuno, & hæc quidem noctu, ille interdiu regnet. Hinc quibusdam Duc vocatur, quòd Duces secundi sint à Regibus. Nunc igitur ad nomina. Chalcidem ab obscuro aëris colore dictam interpretor, quod nomen, quia à natura desumptum, rectã habet significationis causam, Cumindis verò Phrygium est vocabulum inditum è malo omine. Com hinder enim idem est quod aduenies damnum, siue aduentus nocumentum, siue etiam quoduis impedimentum, quod rei venturæ obstet. Quamobrem Cumindis nomen est ab hominibus factum, peruersam vocum formandarum rationem secutis. Virgilius Buboni triste omen tribuit, quem nos eandem auem cùm hac Homerica facimus.

Ptynx.

Chio.

Nachtrauen.

Duc.

Chalcis vnde dicta.

*Seraq; culminibus ferali carmine Bubo*
*Visa queri, & longas in fletum ducere voces.*

Nobis à fletu Vl vocatur, vnde Latinorũ Vlula & vlulo. Hul enim vocali lõga idem est, quod fleo cum tristi voce, siue ploro: quod ab eadem origine dicitur eiulo. Vt ergo Scamandri, ita Cumindis nomen hominibus ascribendum, eò quòd vtrumq; ab infausto omine inditum sit contrà ac ratio sapientum & Deorum postulat. Cumindis certè damnum adfert, sed Leporibus maximè & Vulpibus, & mustelis, quas noctu rapit & ad nidum congerit. Quæ enim de augurijs dicuntur vana sunt, & anilia deliramenta, & idcirco sapientibus nominum opificibus indigna. Eiusdem peccati est Ptyngem eandem auem vocare à phe-tyng, quo significatur hostilis vel inimicæ rei nuntius. Ex phe tijng per concisionẽ fit Ptyn, & addita litera Græcorum terminante Ptynx. Hubris verò è nostro Hub-urcen, Hub-uris & syncope admissa Hubris, est maximus Bubo; vti Vr-os est maximus bos, & Vr-han, maximus Gallus, & Vr-alt, maximè senex, & Mere-ur, maximus considerator, & Sat-ur, maximũ semen, siue præstantissimus sator. Hesychius Milesius nocturnam auem esse dixit, non adiecto quænam esset. Aristotelis certè contextus de Cyminde aliquid mõstri alit. Suspicor ab aliquo additum fuisse Cumindem, ab alijs Hubrim, alijs Ptyngem vocari. At is quisquis fuit, non animaduertit Aristotelem Cumindis nomen ad aliam auem detorsisse. Nobis interim clarum dedit indicium, Aristophanis, & Homeri Cumindem maximum esse Bubonem, longè quàm sit Noctua, maiorem. Verùm ne cum Noctuis & Vluis & Bubonibus, & diuersis harũ auium formis, in tenebris diu vagemur, satis habebimus indicasse & ostendisse, cur Chalcis Deorum, Cumindis hominum nomen dicatur. Hactenus Goropius. De quo hoc obiter dixisse velim, ne cuipiam mirum aut indignum videatur, eum ratione hactenus inaudita, ex Cymbricâ sua, quam barbarã quispiam dixerit, lingua vernacula origines vocum petere ac toti mundo pro veris obtrudere. Nam & Platoni quidem Deorum vocabula maximè secundum rationem imposita videbantur, quæ verò hominibus ab Homero tribuuntur, quale est Cumindis & magis quæ à mulieribus, ferè barbara esse & nullam eorum rationem aut originem Græcis constare. Phryges autem Græcis barbari erant, qui, ut Goropius idem alibi diffusè declarat. Cymbrica lingua utebantur, sed ut istæc, quod huius loci non sint missa faciamus, & curiosiùs istæc indagare cupientem ad Goropij

Hul.

Hubris.

Hermatenam amandemus; certum eſt hunc Ariſtotelis de Cymindi textum omnibus ferè doctis negotium faceſſere. Et ego quidem, vt verum fatear, non video, qua ratione, ſi de eadem aue per totum contextum Ariſtotelem loqui velimus, hæc omnia, quę ei atribuuntur, ſibi mutuò conſonent, ac non potiùs contradictionem quandam in ſe includant; Si enim verum eſt Chalcidem ab æreo colore dictam, vnde & Gaza ęricam vertit, quomodo eam Ariſtoteles nigro aſſerit colore? Præterea cùm Ariſtoteles ſcripſerit Cymindem forma eſſe tenui, neq; Accipitre Palumbario maiorem, non video, quo pacto huic tantum robur tribuere poſſimus, vt cùm Aquila decertare audeat. Quod tamen Hybridi, quem Græcus textus ſtatim poſt verſum Homericum interſerit, quamque Bubonem noſtrum vult eſſe Goropius, Ariſtoteles aſcribit, & tamen de illius quoque magnitudine nihil memoriæ tradidit, liquidò cõſtat, quantis tenebris, & planè Cymmerijs harum auium & nomina & hiſtoria inuoluta ſint. Nos quid in hac difficultate ſentimus, alibi, cùm de Accipitrum differẽtijs ageremus, diximus. Venia autem dignos nos æquus lector etiam cenſebit, ſi pro more hominum, dum lucem è tenebris eruere conamur, in his medijs nos hallucinari cõtigerit. Illos interim, qui acutiùs viderint, pręcamur vt pro communi vtilitate nos candidè moneant & rectiùs doceant; quo nomine non ſolùm nos, verùm & omnem Remp. literariam maximo beneficio ſibi obſtricturi ſunt. Quod autem Bellonius putat Pygargi ſpeciem eam eſſe, quæ Gallis l'oyſeau ſant Martin dicitur, hac tãtùm ratione motus, quòd circa veſperam & in diluculo venatum exerceat; Ariſtotelis omninò mihi refragari doctrinæ videtur. Concedendum enim eſſet Aquilam, cuius ille Pygargum ſpeciem facit, cùm Aquila pugnare, quod ille ne ſomniauit quidem, præterea ſi vtriuſque & Pygargi & Cymindis (ſic enim & Hybridem uocat) deſcriptionem conferas, toto cælo differre videbis. Adhæc venari eo tempore omnibus Aquilis commune eſſe Philoſophus alibi dixit. Idem etiam ſuſpicatur eam auem, quam Galli le grand Duc, quaſi magnum Ducem vocant, fortè Aſionem eſſe, quem pro Scops Grẹcorum ſemper vertit Gaza. Sed huic quoque opinioni, nullum video patrocinium, præterquam quòd, ut diximus, Græci hodie Bubonem σηλοπα uocant, niſi & hoc quiſpiã adferat, quod Varinus ſcribit, Scopas eſſe aues, quas Romani κῶφους, ἠγωφους appellant. Iam uerò multis Italiæ locis etiam hodie Bubonem Guuo, ut Bononiæ, nel Gufo uocari conſtat. Verùm miris modis hæc nomina in diuerſis regionibus confundi contingit. Nam alijs Italiæ locis Bubonem Duco uel Dugo vocant, quaſi Ducem fortè, tanquam à Rege Aquila ſecundum. Alibi item, teſte Nipho & Syluatico, Bufo uocatur, uoce nempè corrupta à Bubo. Vnde fortè manârit metaphora, qua geſticulatores & mimi, hyſtrionesq; nunc uulgò Buffoni dicuntur, quia ſcilicet inſtar Bubonum ſatyricos, ridiculosq; motus ac geſtus edant. Hinc etiam ſaltationis quoddam genus, ut inter æquiuoca relatum, Latinis Bubo dictum fuit, Græcis Scops. Quamuis ſcio ſatyricos hoſce motus, & ſaltantium imitationem Oto ſeu Aſioni à Plinio attribui, nõ Buboni. Quæ res etiam Bellonio nonnihil fauere uideri poteſt. Suum Gallicum Grand Duc Aſionem eſſe ſuſpicantur: Nam & Galli non minus quàm Itali mimos iſtos Buffones uocant. Vocatur & Barbaiano alibi. Nos tamen aliam auem Barbaianũ interpretamur; unde liquet hoc quoque nomen commune eſſe diuerſis auibus in diuerſis regionibus. Hic per occaſionem Italicas uoces inſeruimus. Nunc Latinas quæ præponendæ fuerant, examinemus.

Bubo itaque Latinum huius auis nomen nonnullis placet originem habere à particula Græca βῆ, quod illis magnum ſonat. Solent hãc uocem rebus grandibus præponere, quemadmodum ἵππος. Ita uocant Bulapathum uel hippolapathum ſpeciem Lapathi maioris. Sic βωλίμος apud Medicos quaſi λίμος μεγας, id eſt, magna fames. Βῆσέλινον quaſi μεγα σέλινον uocant & Hyppoſelinon. Dictio enim hęc uocibus præpoſita ſignificationem earum auget. Sic dixerunt Bucephalum Alexandri Magni equum, quòd eſſet magno capite aut Bouino. Sic Bubo, cùm ſit omnium auium nocturnarum maximus, haud iniuria à dictione Βῆ deriuari poteſt. Sunt qui uelint ita appellatum à Bouis mugitu, quem imitari uidetur, & è cornibus, quibus Bouem ęmulatur. Mihi uerò magis arridet propria ſic dictum uoce. Huic adſtipulatur, quod & Græcis βυας, & Hybris ſecundum quoſdam, Gallis quoq; Hibou, Hiſpanis Buho, Italis Bufo & Germanis inferioribus Hub, omnibus à ſimili propemodum ſono effictis nominibus uocetur. Hiſpanis ergo quibuſdam Bubo Buho appellatur, Luſitanis uerò Bufo, quemadmodum Italis vel Mocho, Gallis & Sabaudis vng Duc, id eſt, Dux, quaſi princeps auium nocturnarum, quibus dominari uideatur, ceu uiribus ſuperior & cornibus in capite ceu corona inſignis, & caſſetont, id eſt, uenatrix, quia aucupes hanc auem adiutricem aucupij habeant, & alibi (ni fallor) Lucherant. Nonnullis etiam Chat huant, uel Cha-huan dicitur, quaſi dicas catum ſeu felem boantem (felinum enim caput habere videtur) ſeu eiulatum terribilem edentem, à quo etiam alijs Hibou uocatur. Bellonius tamen has duas poſtremas appellationes alijs auibus nocturnis accommodat;

Chalcis vnde. Aerica. Cymides.

Bellonij error. Pygargi ſpecies.

Magnus Dux auis. Scops. Κῶφος. ἠγωφος. Guvo. Duco. Dugo. Buffone.

Barbaiano

Bubo vnde nomen ſumpſerit. Βωλίμος. Βῆσέλινον. Bucephal°

Etymum.

Buho. Mocho. Chaſſetõt. Venatrix. Lucherãt. Chat huãt. Cha-huã. Felis boãs. Hibou.

accommodat; illam siquidem Aluconi; hanc verò & Aluconi, & (quem Hibou cornù vocat) Asioni communem facit. Vnde pluribus conuenire videtur, & sanè vox Hibou, Latinam Bubo non malè imitatur, & Græcam Hybris, quæ Goropio Bubonem notat. Germanis Vhu vel gros Vhu, vt [h] Georg. Agricola interpretatur. Item ein Schuffans, ein Schuffell, vel Scffeul, ein Kautz, ut Turnerus, sed hoc vltimum Noctuæ magis conuenit. Nominum Schu°ffans & Schuffans, vt quidam pronunciant, & Schunffeul etimologia ad Hebræos referri potest, quod ad primam syllabam, qui Bubonem Schachaph, vt Arabes Scaph, appellant. Alijs in Saxonia, Vho, in Carinthia Steinauff, quòd in rupibus habitet. Heluetijs Huvv, Berguvv, Hüru vel Huruvv uel à sono, vel quasi orhu, quod auritus videatur, Aliquibus etiam Hertzog, quasi Dux, Anglis à Lyke foule, ut Turnerus exponit, vel Shriche oule vt Eliota, uel Lyseoule ut Iunius. Videtur Angli nomen Oule seu Vle, quòd alij Vlulæ tantùm aptãt, etiam Buboni commune facere, vti & Belgæ nonnunquam solent, qui alioquin etiam Bubonem Schuyffuut (quo nomine nebulones & nequam homines denotant) nuncupant. Illyrij VVyr. Turcæ Vgu, quæ vox Italicis Dugo & Guo nonnihil similis est.

Hibou cornù. Hybris. [h] *Lib. de subterr.* schachaph Schaph. Vho. Steinauff. Oule. Vle. Dugo. Guo.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

TRIPLICEM hactenus Bubonum obseruatam esse video differẽtiam, qui magnitudine quidem omnes sint eadem. Verùm maculis & corporis colore, vti noster, & is, quem Ornithologus exhibet, diuersis, qui præter hos, & aliud genus reperiri apud suos putat, cætera quidem illi, cuius effigiem dat, simile, sed cruribus nõ æquè hirsutis. [a] Strabo tamen memoriæ prodidit, aliud reperiri Bubonis genus in Aegypto, non maius Gracculo: At suspicio est, ne confusis nominibus Noctuam aut Vlulam quampiam dicere uoluerit. Nos tres Bubonum diuersorum icones dabimus.

A colorib°. [a] *Lib. 17.*

# DESCRIPTIO.

BVBO extra omnem controuersiam auium nocturnarum omnium maximus est, neque minor Aquila, [a] Aristotele & [b] Strabone testibus. Crura tamẽ habet, quam Aquila breuiora. Corpus breue, & ueluti decurtatum, propter caudæ breuitatem. Caput grande adeò, ut ob eius pondus & magnitudinem pullus à cauda primùm in luce prodeat. Frons orbiculata, seu teres, plumis uelut auribus eminentibus in regione auditus insignita, quemadmodum & in Oto. [c] Plinius *hisce duobus pennatorum animalium foliis, has pinnulas velut aures furrigi* scripsit. Verùm præter hos & Vlulæ eas habent. Cæteris, addit, *cauernæ ad auditum*. Imo uerò, & Bubo has cauernas non minus, quàm cæteræ, & quidem maximè patulas habet: verùm hoc plumarum ornamento fortè ob magnitudinem tectas. Collũ habet pro sua magnitudine perbreue; rostrum & ungues uti diurnis rapacibus aduncos & acutissimos, atq; hos maximos, imo quàm in quibusdam Aquilis etiam maiores. [d] Aristoteles Ascalapho, quem Bubonem aliqui esse putant, stomachi partem anteriorem seu gulam amplam tribuit, ut & alijs nocturnis, ut Noctuæ Nycticoraci &c. Rectè tradit Albertus nulli auiũ oculos esse, quàm huic, maiores, qui igneo quodam splendore & inusitata magnitudine, necnon truci quodã obtutu aspectantibus quodammodò terrorem incutiunt. Corporis tegmen plumeum ferrugineo seu fuluo, vt Naso ait, ac obscuro quodam, æris colore est. Quæ res Goropio occasionem dedit, ut crederet Chalcidem auem nocturnam esse, & cum Bubone eandem. Maculis nigris sparsim & incerto ordine respergitur, uariaq; penna est, uti in Accipitribus & Aquilis quibusdam. Falsò Albertus Buboni binos digitos antè, & totidẽ retrò, ut Picis, ascribit. Hi enim, quos nos pictos dabimus digitos, ut pleræq; aues anteriùs ternos obtinent, posteriùs unum. De Noctuis uerò & Vlulis id uerum est. Ouidius loco antè citato Buboni caput magnum, alas fuluas, grandia lumina, longos, & aduncos ungues, non minus scitè quàm uerè appingit. Bubo, quẽ priori loco dabimus ex Ornithologo à se obseruatum, magnitudine uincebat Anserẽ, aut saltem æquabat reliquo corpore. Alis magnis erat; & longis ad tres dodrantes, cùm ab initio earum ad finem usque maximæ pennę ad rectam lineam extendebantur. A supremo osse alarum ad infimam extremitatem rectà, dodrans unus, cum palmo erat. Caput cùm forma tùm magnitudine felinum. Vnde nõ temerè Chat-huant quasi felis gemebunda Gallis vocatur. Pennæ supra utramque aurem nigricantes subrigebantur, ad tres digitos: Oculi magni, plumę circa uropigium densę & molliss. mę digito extenso, seu palmo, (si benè memini) longiores. Longitudo ab extremo rostro ad vltimos pedes, siue ad ultimam quoque caudam tres quoque dodrantes cùm palmo æquabat. Iris oculorum croceo splendebeat. Rostrum breue, nigrum, & aduncum erat. Pẽnis

Magnitudo. [a] *8. H. c. 3.* [b] *Lib. 17.* Crura. Caput. Frons. [c] *L. 11. c. 17* Plinij error Collum. Rostrum. Vngues. Oculi. [d] *L. 3. H. c. 3* Chalcis. Alberti error. Digiti. Ornitholo gi Buboni Forma.

remotis aurium meatus, magni & patentes videbantur, vtrinque ad nares pili barbularum inſtar ex pennulis tegebant. Pennis per totum corpus color uarius ex albicantibus maculis nigris & ſubruffis.

Color.

Crus. Cruris longitudo dodrans cum palmo. Eius pars ſupra genu, perquam craſſa & toroſa.

Vngues. Vngues nigri, aduncí, acutiſſimi.

Bubon. no ſtri forma. Pes ad extremos vſque digitos piloſus, plumis ex albicante colore ſubruffis. Huic quod ad magnitudinem attinet per omnia reſpondet Bubo noſter, quẽ ſecundo loco exhibebimus. Verùm in multis alijs ab eo variat. Nam noſtro crura piloſa quidem ſunt, ad extremos vſque digitos, quemadmodum & illi, ſed breuiora, & graciliora, nec ita toroſa ſupra genu, neque in tibijs adeò firma ac craſſa: color noſtro per totum corpus ſuluus, ſeu ferrugineus ex cinereo, in pectore potiſſimùm, vbi etiam ſubnigris maculis in longum ductis, promiſcuè huc, illuc, nullo ordine reſpergitur. Dorſum & alæ è ferrugineo magis fuſceſcunt.

Bubo noſter in quo à priori differat. Hæc verò in vniuerſum potiſſima inter utrumq; eſt diuerſitas, quòd ille Ornithologi in ſingulis totius corporis plumis magis variegatus, & tenuibus quibuſdam lineolis trãſuerſim ductis, inſtar Perdicum & Anatum quarundam, necnon Accipitrum pulchrè minutimq; diſtinctus ſit. Præter id etiam differt, quòd vniuerſo corpore, magis verò dorſo, & capite, maculas quaſdam incerti ductus lituris nigris craſſis & quodammodo figuratis gerat. Noſter verò non ita picturatus eſt, ſed in alarum pennis maioribus, & cauda lineis ſubnigris, tranſuerſis, largiuſculis diſtinguitur, quibus ille deſtitutus eſt. Sunt autem hæ ita efformatæ præſertim in cauda, vt ſingulæ latiores ſupernè & infernè alijs ſubtilioribus claudãtur, inſtar fimbriarum triplici ordine diſpoſitæ, & certis à ſe mutuò interuallis, vt in Accipitribus, diſterminatæ.

Vngues. Cauda. Vngues huic maximi & acutiſſimi, at non nigri, vt alteri, verùm cornei. Cauda vtrique admodum breuis. Is verò cuius tertio loco iconem ſpectandam dabimus, ſecundo per omnia ſimilis apparet, hoc excepto, quòd tibias minimè hirſutas habet, ſed quemadmodũ & pedes, debiles. Quam deniq; ultimo loco ponemus, iconem, etiam pro Bubonis imagine mihi miſſa fuit.

## VISVS.

HEBETES, inquit Plinius, *Buboni, ut & cæteris nocturnis interdiu oculi*. Imò verò hunc minus, quàm Noctuam de die uidere aiunt.

## VOX.

Bubulare. BVBO grauem adeò vocem, & ingratam ędit, ut non tam canere, quam gemere eum uno omnes ore authores affirment. Vnde & nomen inueniſſe, non tam à ſono, quàm à gemitu ſeu ploratu dicitur. Quem cum ædit, bubulare Latinis dicitur. Ita author Philomelæ:

*Bubulat horrendum ferali carmine Bubo.*

Βυζειν. Græci verò βυζειν de illius uoce dixêre. Quare diſertè admodum & ſignificanter uocem eam expreſſit Vergilius, cùm dixit:

*Seraq; culminibus ferali carmine Bubo*
*Viſa queri, & longas in fletum ducere noctes.*

Etenim dum:

*Nocte ſedens tetrum canit importuna per umbras,*

vt inquit, ueluti boat, & uocem horribilem in longum protrahit gemebundus, quam etiam *Stridorem quærulum* ideò uocat Apuleius, & *gemitum* Seneca, cùm ait:

*Illic Vultures, hîc luctifer Bubo gemit.*

Et Plinius ait; *Bubo non cautu aliquo ſed gemitu vocalis eſt*. Horridè enim ſtridens (unde & raucus Ouidio dicitur hoc uerſu:

*Illa dedit turpes raucis Bubonibus vmbras*)

mœſtam uocem depromit,

*Funeroq; graues edidit ore ſonos*

Denique adagio locum dedit *Bubonis cantus: & Bubo canit Luſciniæ*. Locum habent cum rudis indoctum, & ut vulgò dicitur, *Sus Mineruam* docere tentat, quod perinde poſſibile eſt, atque *Vocalem ſuperet ſi turpis Aedona Bubo*; & ridiculum æquè ac ſi *Bubo montanus Philomenſis occinat ipſis*, ut Calphurnius, alijq; ex Theocrito uerterunt.

TEMPVS

# TEMPVS. VENATVS.

[a] *Lib.8.Hiſtor.c.3.* Bubo cum Gallo præferendus. Quãdo venat bubo.

BVBO amare vigilias dicitur: Nam interdiu non apparet: noctu enim ſibi (inquit [a] Ariſtoteles) victum quærit, hoc ipſo Gallo Gallinaceo præferendus & vigilantior, Ille enim tantummodò cantu horarum indicat ſpatia, & reliquum tempus ſomno traducit; Bubo verò non totam ſolùm noctem vigilat, verùm etiam ad prædam tunc congerendam euolat, cùm reliquę animantes omnes quieti & ſomno indulgent. Potiſſimùm verò hanc rapinam exercet ſub matutino & veſpertino crepuſculo. Quod argumento eſt, neque in denſis commodè tenebris eum venari, neque nocte intempeſta, niſi Lunæ ſplendore illuminetur; neque etiam lumine præluſtri diurno, ac ſolari, quia ſcilicet ibi uel acutiſſima quæuis viſio, niſi aër aliquantum illuminetur, nihil cernat; hic verò imbecilla viſorij organi facultas ſolis ſplendore uehementiùs perſtringatur, ac caliget; Eſt igitur ut canit doctiſſimus noſtri æui poëta:

*Subluſtri crepero gaudens in Veſpere Bubo.*

Si verò diurno tempore prodeat, ab alijs auibus, ceu viſu inſolens, atq; ob turpitudinem exoſus impugnatur, & conuellitur. Hinc parum ex rei natura artifex, ille quiſquis fuerit ornithodei illius pulcherrimi, quod in uilla Illuſtriſs. Card. Eſtenſis Tyburtina miraculi loco ipſe vidi, autor depoſuiſſe mihi videtur, in quo, ut refert [b] Stephanus Vimandus Pigius, viſuntur in arborum ramis auicularum canorarum imagunculæ plures, quæ uelut automata plaudunt alis cantillantq; concentu dulciſſimo, quaſi viuæ, per ramorũ ſecretas fiſtulas arte hydraulica ventis & aquarum motu concitatæ. Cùm autem artifice procurante prodit in conſpectum ex latibulis Bubo, ſubitò contiteſcunt omnes, & eodem ſe poſtea ſubducente cõcinunt ſuauiter. Quaſi verò aues de die Buboně pertimeſcant: debebat enim ita feciſſe, vt viſo Bubone in eum viderentur inuolare. Meritò itaq; [c] Plinio noctis monſtrum appellatur, eò enim tẽpore quod reliquarum animantium quieti deſtinatum eſt, non ſolùm volat & prædatur, & quidem ſolus, ſed reliquas omnes actiones, quas aliæ interdiu obire ſolent, exercet. Tum tanquam ſibi reſtitutus, ut aliæ exorto ſole cantu gaudiũ teſtatur, ſed mortalibus, cùm quia inuſitatus, tùm quia grauis eſt, terrifico. Hinc nocticana Politiano appoſitè nominatur. Quod autem ad rapacitatem attinet, ſecuriùs ſanè noctu graſſatur, quòd tum nullum, qui reluctetur, aut prædam eripiat, hoſtem pertimeſcat.

Ornithodeũ Card. Eſtẽſis mirabile.

[b] *In Hercule Prodicio.*

[c] *L.10.c.12*

Bubonis cantũ homines timent.

# VOLATVS.

[a] *Lib.12.Orig.c.7.*

[b] *L.5. Metamorph.*

[c] *L.10.c.12*

BVBO onuſta quidẽ plumis auis, [a] Iſidoro dicitur, ſed iners. Debilis.n.eſt ad volatum,

*Vixq; mouet natas per inertia brachia pennas,*

Vt inquit [b] Ouidius de Aſcalapho in Bubonem mutato; Volat autem, vt teſtatur [c] Plinius, nunquam quo libuit, ſed tranſuerſus.

# LOCVS.

[a] *L.10.c.12*

[b] *4. Æneid.*

NON ſolùm in tenebricoſis montium, & rupiũ cauernis latet Bubo, ſed etiam in cauis arboribus, in ędificij deſertis, ſub domorum magnificarum tectis, ſub turribus & parietũ rimis, quo rarò homines accedunt. Vnde [a] Plinius, *Deſerta, inquit, incolit, nec tantùm deſolata, ſed dira etiam, & inacceſſa.* [b] Vergilius eũ in culminibus ſedentem facit. Templa noctu potiſſimùm frequentat. Inter ſepulcra diu noctuq; verſatur. Vnde Archippe apud Sophoclem ſenem ſedens ab Athenienſi iuuentute, quæ id ægrè ferebat, Buboni cadaueri inſidenti lepidè comparata fuit.

Archippe Buboni aſſimilata.

[c] *Cant.2. Stanz.*

[c] Arioſtus in arboribus etiam nidulari facit, vbi canit.

*Hor quella pianta, hor queſta in terra mette*
*Il capo, e rompe à l'altre braccia e lombi.*
*Fuggin da nidi lor Guffi, e Ciuette,*
*Che vi ſon più, che Tortore ò Colombi.*

Solicana auis.

Dæuia auis

[d] *In Epiſtol. Phyllid.*

Conſtantius Felix Sereniſſimi Vrbini Ducis Medicus, & compater meus Bubones in monte Plumbicio in diocæſi ducis illius naſci mihi retulit. Reperitur iuxta horrea aliquãdo teſte Alberto propter mures. Cœtum aliarum uolucrum fugit, quare à Virgilio ſola ſedens culminibus fingitur, & Martiano Capellæ ſolicana auis & [d] Ouidio dæuia vocatur hoc verſu:

*Et cecinit mœſtum dæuia carmen auis.*

NIDVS

# NIDVS.

NON alibi libentiùs, quàm in altissimis rupibus nidulatur, adeo vt Idæum Lecton, quod altissimum est promontorium locus ei aptissimus videatur. Quod quidem minimè temerè facere putandus est. Nam ne fœtus suos iniurijs exponat, rupes altissimas & inuias nidis suis eligit, quò hominibus nullum patere aditum putet, securiusq; noctu ad prædam euagetur. Sed ingenio & conatui humano nihil inuium, quod non Isauri tantùm rupicolæ, sed alpini quoque damarum & ibicum venatores altissima & asperrima sua perreptantes ostendunt. Oua Bubonis aut rarò, aut nũquam visa [a] Plinius arbitratur. Cùm enim remedij cuiusdam ex ouo Bubonis meminisset subdit: *Quis quæso ouum Bubonis vnquam videre potuit, cùm tam auem ipsam vidisse prodigium sit?* At nobis, nostra hac tempestate, neque auem vidisse ampliùs prodigium est, nec oua adeò visu insolentia sunt: quum aucupes quæstus faciundi causa, quæuis etiam aditu difficillima penetrent. Illi enim iam ad nidum Bubonis etiam per inuias rupes ascendũt, cùm vt pullos in aucupij vsum abripiant, tùm etiam, vt prædæ partem, quam copiosissimam pullis cõgerit, suffurẽtur. De Bubonis partu Hylam tradere Plinius memoriæ reliquit, nempè quòd cauda ab ouo exeat, quoniam pondere capitum peruersa oua, posteriorem corporũ partem matri fouendã applicent. Verùm hoc probabile esse [b] Albertus negat. Attamen, si id verum est non aliam causam subesse posse arbitratur, quàm quæ à Plinio assignata est, nempè capitis grauitatem, propter quam (inquit) caput diu declinat, & immobile manet. Posterior pars parua est ac breuis, ac si auis ipsa decurtata appareat. Sed vt Hylæ ratio leuis est, ita de hac re parum fusiùs, vbi ad Noctuam peruentum erit.

Cur alra loca habitet Bubo.

[a] *L. 29. c. 4.*

[b] *Lib. 23.*

# VICTVS. RAPINA.

BVBO, inquit, [a] Aristoteles, *carnibus viuit* instar omnium rapacium & eorum præsertim animalium, quæ noctu vagãtur vt Vespertilionum & murium. Scribunt quidam noctu templa Bubonem frequẽtare ea de causa, vt oleo è lampadibus sese ingurigitet, verùm hoc Bubone nocturnarum generosissimo, indignum videtur, & ei fortasse competere, quem Belgę propterea Kerckuul, id est templorum Bubonem indigetant. Alioquin Bubonem haud secùs atq; Aquilam de die non omne genus tantùm auicularum in pastum rapere noctu constat, sed & cuniculos, & lepores. Quin etiam dissectus aliquando Bubo Anatem deuorasse compertus fuit. Imò verò nullum est animal, quod tantum prædæ noctu congerat, atq; Bubo, ac potissimùm, dum pullos educat, adeò vt non sibi suisq; solùm, sed venatoribus etiam, qui nidum didicerunt, satis lucri adferat. Hi enim dum ad aliam prædam euolat, quam prius depositerat, clam suffurantur, tantum tamen relinquentes, quantum ad pullos nutriendos credunt sufficere.

[a] *8. Histo. cap. 8.*

Kerckuul. Templorũ Bubo.

# ROBVR. PVGNA.

BVBO vncatis ad prælium rostro & vnguibus munitus, tanta est corporis magnitudine, tantoq; robore, vt vix Aquilæ auium principi hac in parte cedat. Nec animus deest, cùm & magnos & feroces canes visus sit abigere; ita impactis in carnem vnguibus, vt euelli vix possint, neq; canis ad pugnam redire ausus sit. Quod si fortè viribus imparem aut à numero hostium se opprimendum iri metuit, tum ingenium in suppetias adhibet, & in dorsum supinus procumbit, vnguesq; ac rostrum sic aduersum erigit, vt hostium nullus audeat accedere, & sic omnem impetũ eludit: Sed & cominùs anceps sæpè inter ipsum & Aquilam pugna committitur: Diffidij ea videtur esse causa, quòd eandem quam Aquila de die, sic Bubo de nocte prædam captet. Non igitur ita prorsus vilipendi à Sannazario nostro Bubonem oportuit, qui ei tanquam stolido temeritatem exprobrat, ridetq; quòd Aquilæ sese committere audeat, hoc Epigrammate:

Astus Bubonis in pugna.

Aquila cur Buboni pugnet.

*Nam quis te inepte Bubo tam stolidus furor*
*Adegit, importunum inire prælium,*
*Isto indecenti rostro, & alis luridis?*
*Quid bellicosæ volucri insulse asperos*
*Lacessis vngues? desine miser, dum licet.*
*Ne dormientis excites somnum tuo*
*Cum maximo (vt par est) malo, ac clade vltima*

Sed

*Sed peruenire vis in ora vulgi, & hac*
*Via cupis ſceleſtis fieri notior,*
*Non aſſequêre, nec profecto tam bono*
*Fruêre fato, an hoc pudendo ſanguine*
*Se tingat Aquila fulminum & cæli immemor?*
*Ponenda honeſtæ mortis, hæc ſpes eſt tibi.*

Indoctiores quidam, vt qui ex Arabico ſermone de animalibus ſcripta quædam trāſtulerunt, quique illorum interpretationes ſequūtur, Albertus, & alij, cùm ſæpè Bubonem pro Noctua verterint, vt apparet, qui eos cum Ariſtotele contulerit, ex quo tanquam fonte pleraq; hauſerunt. Arabes multa Buboni tribuūt, quæ Noctuæ ſunt, & inter cætera inimicitias cum Coruo. Quāquam in hoc duplex eſt error: Non enim cum Coruo Noctuam, ſed cum Cornice diſſidere [a] Ariſtoteles tradit. Similiter ubi Incēdulam auem Coruini generis pugnare cum Bubone apud Albertum legitur, fortè Monedulam ſcripſit, non Incendulam. Monedulam enim alij hoſtem Buboni citāt ex Ariſtotele, quamquàm falsò. Noctuam vt diximus pugnare cum Cornice Ariſtoteles author eſt. Sunt autem & Cornix & Monedulæ Gracculiuè Coruini generis. Incēdulæ verò nomen nuſquam legimus. [b] Plinius ſemel Incendiariæ meminit (quæ ſuo tempore ignoretur) qua viſa ſæpenumerò, vt & Bubone viſo vrbs luſtrata ſit.

Antipathia cū Coruo.
[a] *9. H. c. 1.*
Incendula auis.
[b] *L. 10. c. 13*

## VSVS AD AVCVPIVM.

BVBONIS ad aucupium idem, qui Noctuæ vſus eſt, qua de re ſimilis paulò antè recitato error, ab Arabum interpretibus cōmiſſus eſt. Cùm enim [a] Ariſtoteles ſcribat *cæteras auiculas omnes interdiù Noctuam circumuolare, camq; percutere, ideoq; aucupes ea conſtituta auicularum genera multa & varia capere*, illi eiſdē ferè uerbis de Bubone agunt: Bubo (inquiunt) ſi quādo de die apparet ab auibus in luce volantibus deplumatur, & ideo ab aucupibus ponitur iuxta retia, vt per eam cæteræ capiantur. Sed hic error benè cecidit. Nam Bubo ſimiliter, ut Noctua, ab auiculis odio habetur, ſimilisq; eius ad aucupium vſus eſt. Dum enim admiratione eius turpitudinis intentæ volucres, viſcum ramis adhærentem aut expanſa retia non animaduertunt, capiuntur. Vnde meritò Sabaudi Chaſſeront ſua lingua tanquam venatorem eum appellant. Galliæ proceres [b] Bellonio teſte ſimiliter Bubonis opera Miluos capiūt. Cùm enim volatilis ea venatio, in qua Accipitres in Miluos emiſſi, perſequūtur, ſpectatu ſit lōgè iucūdiſſima, cōſtetq; Miluum non niſi per Bubonem ad deſcendendum ab alto allici, neceſſe eſt, vt qui Miluum venari volet, Bubonem ſecum deferat. Vnde fit, vt hic Galliæ campeſtribus locis pugno optimatum & aucupum frequens adeò inſidere conſpiciatur. Alioquin nullum in uenationibus, quę regione campeſtri inſtituuntur Bubonem eſſet uidere, eò quòd ſolummodò in montanis uerſetur, agatq;, in quibus nidificat, uti in rupibus & foraminibus altiſsimarum turrium. Aucupes cùm in liberam ac patentem campi planitiem peruenerunt, Accipitres ac Falcones pugno geſtantes, ilicò uiſo Miluo, Bubonem uulpina prius adalligata cauda dimittunt. Bubo interim ſupra terram humilis & longo ſatis ſpatio uolans, tandem campo æquabili conſidet, haudquaquam in arborem euolans. Quoniam ferè Miluus nullam prorſus Buboni inferre iniuriam conſpicitur, nec aliud, quàm proximè accedere, haud immeritò quiſpiam quærat, quam ob cauſam id faciat, & tam intentè eum intueatur? Nulla profectò alia ratio eſt præter eam, quam adduxit Ariſtoteles, ubi cauſam reddit, cur cæteræ aues ita Noctuam circumuolitent. Quia nimirum ad intuitum eius obſtupeſcunt, cùm quòd die eam uidere ſunt inſuetæ, tùm quòd turpem & inſolentem eius formam, ueluti attonitæ admirantur. Nonnulli inter eos naturalem ſubeſſe inimicitiam arbitrantur, quod noctu illa minores aues deprædetur. Verùm ſic etiam oporteret aliàs rapaces diurnas à circumuolitantibus auibus ueluti ad ſpectaculum quoddam nouum confluentibus obſideri; cùm tamen è contra harum metu quàm longiſsimè poſſunt, ad primum ſtatim conſpectum aufugiant. Alia præterea ratione quæſtum hominibus adfert, uenatoribus præſertim, dum non ſibi ſolùm, ſed & alijs aucupiū noctu exercet, de quo antea diximus. Capitur uerò & ipſe uarijs modis. Ornithologus aliquando ad ſe Bubonem allatum refert captum in fouea, qualis ad capiendos lupos parari ſolet.

[a] *9. H. c. 1.*
Bubo cur Chaſſerōt vocatur.
[b] *Lib. 2. de Auib. c. 28.*
Miluorum uenatus.
Cur diurnæ aues nocturnas oderint.

DENO-

# DENOMINATA.

BVBONA Dea, licet à Bubone deriuari videatur, huc tamen non pertinet, quòd à Bobus ita dicta sit; quemadmodum à pomis Pomona, à bello Bellona, à cunis Cunissa, à segetibus Segetia. Quorum enim Deorum antiqui nomina non inueniebant, earum rerum nominibus eos appellabant, quas ab eis censebant dari, aliqua inde vocabula inflectentes. Heruli quoque populi, si Goropio credimus, à Bubonibus appellationem sortiti sunt. Significat enim ea vox, vt ipse testis est, sua, id est Cymbrica lingua, Bubonem militarem siue communem apud Gothos. E quo libet suspicari eos per hyemem, cùm in vltimo Noruegiæ termino, nullus est dies, ad Lunam in vicinos incurrisse, atque inde fortasse nomen sumpsisse, quòd veluti Bubones noctu grassarentur. *Mihi tamen* inquit idem Goropius, *verisimilius sit Herulos Alanorum finitimos fuisse, & quia hi à Gallis nomen sibi formassent, ipsos æmulatione quadam ab Vlulis & Bubonibus voluisse nominari, quasi horum symbolum nõ minus ad militarem laudem, quàm Gallinaceorum pertineret.* Dum enim communes & publicos Bubones se nominarent, non aliud profitebantur, quàm se maximas prædas coacturos, atque ad id valido corpore, & insidijs nocturnis, & cautione diurna vsuros. Quod sanè egregiè ab ipso septentrione ad mare vsque mediterraneum præstiterunt. Eadem ratione cuidam Herulorum præfecto strenuo viro, & solerti contra Persas pro Romanis suos ducenti nomen fuit Vlelago, quem nos Vlelag vocaremus, quo significantur Bubonis insidiæ: si igitur Herulorum principi Vlelago à Bubonum insidijs nomen erat, quid vetat dicere toti genti ab ijsdem fuisse appellationem ex Herulorum genere? vt ipse forsan Bellisarij armiger fuerit, qui Anconæ in hostibus à muro propellendis egregiam operam nauãs, præsidio salutem attulit. Hunc Procopius Barbarum esse dicit & in Thracia natum, sed qua gente non addit. Ex nomine tamen quis coniecturam facere possit, eò quòd Vlimut nil aliud sit, quam animus Bubonis, nobis Vlenmut vocandus: Siue verò Thrax siue Herulus fuerit, parum refert, hoc saltem ex eo nomine constat, non turpem olim fuisse appellationem à Bubone deriuatam, quoniam lingua Thracum & Gothorum eadẽ sit cum Germanica radicitùs cõcordãs. Sed miror ni Goropius omnes nationes Cymbros faciat, aut eorũ lingua vsos.

Bubona. Pomona. Bellona. Cunissa. Segetia. Heruli populi vnde dicti. Alani vnde dicti. Vlelago. Vlimut.

Bubonia Galliæ ciuitas, qua traiecit ex insula Britannia Constantinus Imperator, vt refert Sozomenus: Ortelius verò Bolonia legendum opinatur.

Bubonia. Bolonia.

Bubonium appellatur herba quædã, quoniam inguinum præsentaneum est remedium, vnde & Inguinalis dicta est, aliter Aster atticus, & Amellus.

Bubonium. Inguinalis.

# AVGVRIVM.

BVBONEM, cùm apparuit mali ominis esse, aut bellum, aut famem aut mortem prætendere, vetus persuasio fuit, ad nostrum etiam vsque seculum deriuata. Ita Plinius, *Bubo funebris*, inquit, *& maximè abominatus publicis præcipuè auspicijs, itaque in vrbibus aut omnino in luce visus dirum ostentum est.* Quod enim desolata tantùm incolere solet & tenebricosa loca affectat, noctis monstrum, urbibus solitudinem de die uisus denunciare, & Festo teste, *vastitatis causa* putabatur his locis, quę intrauerat. Si itaque Bubo uel etiam lupus sacellum Iouis aut Capitolium intrasset, propter id prodigium tædæ, aut uictimę, nonnunquam sulphuris, & aquæ lustratione urbem aut Capitolium lustrârunt. Plinius enim *Capitolij cellam*, inquit, *intrauit Sexto Papellio Istro, & L. Pedanio Coss. propter quod nonis martijs vrbs lustrata est.* Et rursus: *L. Crasso C. Mario Coss. Bubone viso vrbs lustrata est.* In columna ædis Iouis etiam sedere conspectum esse, Angellius apud Nonium Marcellinum scribit C. Claudio M. Perpenna Coss. Bubo in æde fortunæ equestris comprehensus inter manus expirauit, ut Iul. Obsequens memoriæ tradidit. Diodorus, *Bubo*, inquit, *in templum primum concordiæ, deinde in reliqua etiam ferè omnia, quæ sanctissima habebantur, delubra deuolauit, ac cùm vndique exigeretur, in æde Populi consedit, ac neque captus est, & tardè omninò auolauit.* Si cuius ædes insedisset, & uocem emisisset, mortem: si autem de busto sudem ad tectum detulisset, incendium ædibus portendere credebatur. Fenestras etiam infirmi pulsare, ac concutere quandoque uisum quidam scribunt; Tùm igitur & quandocunque aliàs uisus fuisset, calamitatem imminentem notare putabatur, unde apud historicos non rarò legitur βύας ὤφθη, id est, *Bubo apparuit seu visus est.* Silius Italicus quoque recensens prodigia belli Cannensis conspectum Bubonum in castris infausta portendisse testatur:

Belli, & famis signũ.

*Obsediq; frequens castrorum limina Bubo.*

Maximè

[a] 4. Aeneid. Maximè uerò uocem eius,& gemitum funeſtum exiſtimabant, quo formidoloſę diræq; neceſſitates & magnæ malorum moles inſtare portenderentur. Iuxta illud [a] Virgilianum:

*Seraq; culminibus ferali carmine Bubo*
*Viſa queri, & longas in fletum ducere voces.*

[b] 5. Metamorph. Hinc etiam dixit [b] Ouidius:

*Sedit in aduerſo nocturnus culmine Bubo,*
*Funereoq; ſonos edidit ore graues.*

Hic autem Bubonis fletum in longas uoces ductum ferale carmen uocat. De querulo Bubonis ſtridore meminit quoque Apuleius: *ſit Bubo Pamphile ſic edito ſtridore querulo, iam ſui periclitabunda, paulatim terra reſultat mox in altum ſublimata forinſecus lotis alis euolat.* Hinc tot infelicia huic ſimilia epitheta apud Poëtas paſſim Buboni attributa reperiuntur, quibus tanquam inauſpicatiſſima auis, dum bubulat horrendum, credita fuit

*Humano generi triſtia fata ferens.*

[c] 18. Metamorph. Hinc [c] Ouidio notatur tanquam execrabilis

*Fædaq; fit volucris venturi nuntia luctus,*
*Ignauus Bubo dirum mortalibus omen.*
*Nam diræ mortis nuntius eſſe ſolet.*

[d] In Hercule. Vnde item [d] alibi:

*Funereus Bubo lethali carmine fecit.*

Os funereum & lethale carmen Buboni tribuit, quòd funus & lethum prædicere putaretur quare & ſtygius eidem dicitur,

*Triſtia mille locis ſtygius dedit omina bubo.*

Et luctifer ſenecæ:

*Hîc Vultur, illic luctifer Bubo gemit.*

Mœſtus eidem:

*Mœſtiq; cor Bubonis & raucæ Strygis.*

Item damna canens feralia ſimili ſenſu Statio:

*Nocturnæq; gemunt Stryges, & feralia Bubo*
*Damna canens. &c.*

[e] 3. Thebai. Appellatur & ſiniſter, eo nimirum ſenſu, quo [e] Virgilio Cornix ſiniſtra dicitur, apud [f] Lucanũ:

*Et læta mirantur aues Bubone ſiniſtro.*

[f] In Bucol. Et [f] Dareti Phrygio:

*Noctiuagas vlulaſſe Stryges Bubone ſiniſtro.*

Solent enim aues ſiniſtro latere conſpectæ infauſtæ cenſeri.

[g] Lib. 5. de bell. Phryg. Trepidus ab effectu eidem [g] Lucano:

*Quod trepidus Bubo, quid Stryx nocturna queratur*

[h] Metam. 6 Profanus [h] Ouidio

*——— tectoq; profanus*
*Incubuit Bubo, thalamiq; è culmine ſedit,* quaſi execrandus

Infeſtus Claudiano.

*Protinus excitis iter irremeabile ſignis*
*Arripit, infeſtoq; iubet Bubone moueri*
*Agmina.*

Ater Quintiano.

*Vultur & infandæ Stryges omina taxus, & ater*
*Bubo.*

Feralis, Fauſto:

*Omina feralis triſtia Bubo dedit*

Ferales dies cur dicti

Hinc ferales dies apellabant, quibus feralia, hoc eſt, parentalia fierent, quare res lugubris feralis dicta eſt. Verùm ſi ut certè debemus, omnia ad ueræ tam naturalis, quàm Chriſtianæ ſophiæ trutinã examinemus, ſuperſtitioſa certè & falſa, ut in omnibus reliquis, quàm quæ à Bubone petuntur, augurijs, opinione deceptos fuiſſe ueteres, & nõ tam proprio merito, quàm Poëtarũ ſcriptis infamem Bubonem eſſe conſtabit. Nam præterquam quòd & ſolum ſedere & mœſta & lugubri uoce eiulare illi naturale eſt, diurno etiam tempore conſpici ſolet, nec ita rarò, & nullo infauſto omine. Nam & aliquando ſine prodigio interdiu uiſus eſt. At obijciat aliquis tunc potiſſimùm prodigioſum fuiſſe, aut triſte quid portẽdere exiſtimatum à Romanis, cùm in delubra Deorum uolaſſe conſpiceretur, uerùm hoc ei ſolenne eſt, quemadmodum capite de loco recenſuimus, ut ædificia alta & potiſſimùm hominibus inhabitata inhabitet, ut erant

Bubonis augurij vana eſſe.

templa

templa Romanorum & aliarum gentium, quę profanis diebus rarò frequentarent. Non mirum itaque, si Bubo ex horum culminibus, quæ affectat, in ipsa inuolare nonnunquam conspiceretur, cùm & hac tempestate circa sacras ædes, maximè quarum edita sunt fastigia, excelsæq; turres, frequentes adeò uersentur, ut ab eo Bubonis quoddam genus nomen inuenerit apud Belgas, qui eos indigete uocabulo Kerckuulen, id est, templarios Bubones, nuncupant. Vnde si quis nunc aut templorum culminibus insidere Bubonem aut interiori fornice circum uolitare conspexerit, minimè mirabitur, multò minus terrebitur, aut exitium sibi imminere credet. Sed Bubones non semper infaustò uisos, uel ipsi gentiles testantur, & in primis [1] Plinius. *Priuatorum*, inquit, *domibus insidentem plurimis scio non fuisse feralem*. Quomodo igitur bone uir Plini, in urbibus uisus, dirum fuerit ostentum, & omninò in luce; cum priuatos hoc in urbe egisse, & uisum tibi in luce Bubonem sit ueri simile? Quæ uerò est causa, ut quæ priuatim innoxia est auis, publicum damnum adferat? Adde quòd tacentem etiam non semper malum esse Bubonem affirmant. Cuius rei clarissima adduci possunt, de duobus, & quidem minimè priuatis viris; Agrippa nimirum Iudæorum Rege, & Changio Tartarorum Imperatore exempla, quæ non solùm inauspicatam, sed felicem Bubonis visionem sibi fuisse apertè demonstrãt. De illo [k] Flauius Iosephus ita narrat. Cùm imperãte Tiberio iuxta palatiũ Agrippa in vinculis ad arborem teneretur, insigni amictus veste, vt eius fortuna ferebat; Germanus augur, qui in uinculis etiam tenebatur, cùm supra Agrippæ caput in arbore, cui alligatus erat, Bubonem vidisset, ad colloquium eius admissus, affirmauit illum præsentem vinculorum inmriam euasurum, ac Iudæorum regno feliciter potiturum; item liberos, quibus regnum relinqueret, procreaturum. Sed si in posterum huiuscemodi auem capiti suo impendere vidisset, sciret morti se propinquum fore, & quidem intra quinque dies diem extremum obiturum. Quæ paulò pòst omnia, vt augur prædixerat, euenerunt. Quid Changio Tartarorum Imperatori à viso Bubone prosperè euenerit, & qua ratione seruati principis author fuerit, refert [l] Haithonus in hæc verba. Accidit aliquando, vt Changius, quem vulgò magnum Cham vocant, Tartarorum Imperator victus ab hostibus inter arbusta lateret, inter quę cùm fortè Bubo insideret, uictores, dum victos passim occultatos perquirunt, neminem latere putârunt, quasi aue illic minimè mansura, si hominum quisquam adesset. Itaque factum est, ut silentio noctis sequutæ Imperator ad suos euaserit, & salutis suæ causam exposuerit. Ab hoc igitur tempore Tartari Bubonem ceu auem felicem & sacram reuerentur, & plumas eius ceu amuletum & prosperitatis causam in capitibus gestant, & quicunque illas habere possunt, se felices existimant. Ex memoratis hisce, etsi paucis exemplis uidere licet, quàm vana fuerit auguriorum omnium apud Ethnicos obseruatio, & si non semper, crebrius saltem lætum quàm mœstum quid præsagijsse Bubonis conspectum. Istæc enim prosperæ fortunæ allatæ exempla reperio, exitij nulla, nisi omninò cõmentitia & poetica. Quare viros alioquin Christianos mirari satis superq; haud possum, qui superstitiosis eiusmodi augurijs fidem faciunt, ut fecisse uidetur Stephanus Vimandus Pigius uir alioquin probus, catholicus, doctus, qui quòd eodem ferè, quo illustrissimus Carolus sereniss. Cliuiæ ducis filius Romæ cum morbo conflictabatur, tempore, Bubo cliuis per plures dies in palatio uisus, ac auditus media luce esset, id inter alia mortis eius auguria habuit. Quinimò hoc ex naturalis Philosophiæ arcanis deprõptum præsagium, & quidem perpetuò uerum ac bonum obseruatum inuenio, ut Bubo tota nocte canens certissimam aëris serenitatem portendat. Rectiùs igitur ac uerius de Bubone Vrsinus noster in sua Prosopeia ad Angelum Suascum canit.

Bubo cur in templis degat.

KerKuulẽ.

[1] *L. 10. c. 12.*

Bubonẽ nõ semper malum portendere.

[k] *L. 18. c. 8. & lib. 9.*

Agrippæ regis auguriũ

Changi augurium. [l] *Lib. de Tart.*

Tartari Bubonẽ honorant, & cur.

Auguriorũ vanitas.

Serenitatis signum.

*Adferat an Bubo dirum mortalibus omen,*
*(Vt referunt) Bubo quem tibi mitto docet.*
*Quærito Mæcenas laudes & commoda rerum.*
*Deme, sed augurijs ominibusq; fidem.*
Bubo inquit
*Si nulli noceo, volucres si in retia duco,*
*Cur me dirum omen vulgus habere putat?*
*An quia culminibus carmen lachrymabile fingam.*
*Sic me fortunam fingere stulte putas?*
*Sortis quisque suæ faber est, cur improbe sortem.*
*Accusas? sortis si faber ipse tuæ es?*
*Adde quod ipse Deus fato meliore gubernat*
*Res hominum, fidas (si sapis) ergo Deo.*

# MORALIA.

Impij Buboni comparati.

[a] *Cap. 4.*
[b] *Luc. 6.*

DVBO tempore nocturno, præſertim mane & ueſperi & luna lucente perſpicatiùs uidere quam diurno ſcribitur, & ad ſolare lumen cęcutire. Ita impij ad patranda opera tenebrarum induſtrij ſunt, & plus iuſto nonnunquam aſtuti. & ſapiẽtes iuxta [a] Hieremiam, ut mala faciãt. *Filij* [b] *enim huius ſæculi ſapientiores ſunt filijs lucis in generatione ſua.* Verùm luce etiam meridiana ad Solem hallucinantur, & in his, quę ad ſalutem ſpectant, parùm aut nihil uident.

Libidines Veneręæ Buboni cõparatæ.

Per Bubonem etiam poſſunt intelligi execrãdę turpitudines adulteriorum, inceſtuum, aliarumq; quę contra naturam committuntur, libidinum ſpurciſſimarum. Hę enim inſtar Bubonis tenebras quęrunt & ob conſcientiam fœditatis lucem refugiunt. Quod ſi quando in publicum prodire, ſeque manifeſtare audeant, reliquæ aues diurnę, nempè uiri pij & probi uno omnes ore, diuino zelo accenſi facinora illa tam abominanda redarguere non uerentur. Aut alio ſenſu. Quemadmodum Bubones de die viſos alię aues impugnant, & plumas quibus plurimis ſunt onuſti, eis euellunt. Ita auari à Principibus alijſque ſpoliantur & opibus, quibus abundãt tanquam plumis exuuntur. Quid enim eſt auarus, niſi arca latronum, burſa principum, ſibilus omnium?

Auari Buboni ſimiles.

# VSVS IN MEDICINA.

QVAE de Bubone apud ſcriptores deſcripta ſunt remedia, quamquam aut omnia aut ſaltem pleraque vana & inutilia, ſuperſtitioſa aut certè ſuperflua iudicemus, referemus tamen, vt propoſito noſtro ſatisfiat. *Sanguis Bubonis, aut ius, aut caro eius, aſthmaticis vtiliſſima ſunt.* [a] Auicẽna. *Sanguine pulli Bubonis criſpari capillum promittunt;* [b] Plinius. *A lienis dolore liberat cinis è capite Bubonis cum vnguento.* [c] Idem eundem cinerem alibi commendat, cõtra neſcio, quod malum cum lilij radice potum, *ſi Magis* (inquit) *credimus.* Bubonis cerebrum cum adipe Anſerino mirè vulnera dicitur glutinare; Scabiem Bubonis cerebrum cum aphronitro ſedat. *Bubonis oculorum cruis collyrio mixtus claritatem oculis facere promittitur.* [d] Plinius; [e] Idem inter phrænitico-rum remedia, *Bubonis certè* (inquit) *oculorum cinerem, inter ea quibus prodigioſè vitam ludificantur, acceperim.* [f] Io. Baptiſta Porta noctiuaga animalia ad hebetes oculorum acies valere tradit, atque inter ea Bubonem etiã enumerat: necnon inter noctu vocalia, quæ valere ait, vt in ſomnis patrata narrentur, & multas alias illi facultates aſcribit. *Bubonis pedes vſti cũ plumbagine* (aliàs plãtagine, vel pulpagine) *contra ſerpẽtes auxiliantur. Eiuſdẽ ouo ad capillos remedia demonſtrãt magi. Quis quæſo ouum Bubonis vnquam videre potuit, cùm tam ipſam auem vidiſſe prodigium ſit? Quis vtique experiri & præcipuè in capillo?* Hæc [g] Plinius, qui ut rectè vana hæc remedia explodit, ita ineptè oua videri potuiſſe negat, aut auem uiſam pro prodigio habet. Non minus fabuloſa cenſenda, quæ Albertus de corde Bubonis miracula narrat in hæc verba. *Huius auis mirabiles ſunt virtutes; ſi enim cor eius cum dextro pede ſuper dormientem ponatur, ſtatim tibi dicit quicquid fecerit, & quicquid ab eo interrogaueris. Et hoc à fratribus noſtris expertum eſt moderno tempore. Et ſi hoc iterum ſibi ponat quis ſub aſcella, nullus ei canis allatrabit, ſed obmutescet & ſi coniunctio prædictorum cum anima ſua ſuſpendatur, aues congregabuntur ad arborem.* Sed dicat ſanè quicquid velit Albertus, alioquin vir doctiſſimus & ſanctiſſimus, ego vt pace eius dixerim, ne iurato quidẽ credam, eoq; maximè, cùm hæc ex Plinio tranſtuliſſe videam ita ſcribente. *Nec omittam in hac quidem aliter exemplum magicæ vanitatis. Quippè præter reliqua portentoſa mendacia, cor eius impoſitum mammæ mulieris dormientis ſiniſtræ tradunt efficere, vt omnia ſecreta pronunciet. Præterea in pugnum ferentes fortiores fieri.* Quæ ſi gentilis quidem vana iudicat, quid noſtris non faciendum eſt? Hæc verſu ita expreſſa alibi legimus:

Ad aſthma
[a] *Lib. 2. c. de ſang.*
Ad criſpos reddendos capillos.
[b] *Li. 29. c. 4.*
Ad Lienis dolorem.
[c] *L. 30. c. 7.*
Ad Vulnera.
Ad Scabiẽ.
Ad viſum.
[d] *L. 29. c. 7.*
[e] *L. 30. c. 2.*
Ad phræniticos morbos.
[f] *L. 1. Phytogn. c. 14. & 16.*
Contra ſerpentes.
[g] *L. 29. c. 4.*
Plinij error Albertus corrigitur.

*Fide Deo & noſtri vires mirare cruoris,*
*Pulmones cuius tuſſis anhela quatit.*
*Vre meos oculos, oculis cinis ille nitorem,*
*Et phreneſi requiem conciliare ſolet.*
*Accedat pedibus noſtris plantago peruſtis*
*Serpentes nocuos, hæc duo miſta necant.*
*Cor cordi admotum facit ut (mirabile dictu)*
*Quicquid commiſit, fœmina nocte canat.*

# CIBVS.

BVBONEM maiorem siue montanum cum præpinguis est à quibusdam edi, audio. Sed in veteri testamẽto hæc & nocturnæ omnes impuræ habitæ sunt. Et pleræq; gentes Bubonem à mensis arcent longissimè. Cuius verò nutrimenti sit, necdum proditum reperio.

# EMBLEMA.

Emblema Alciati sub lemmate: SENEX PVELLAM AMANS.

*Dum Sophocles (quamuis affecta ætate) puellam*
*A quæstu Archippen, ad sua vota trahit,*
*Allicit & pretio, tulit ægrè insana iuuentus*
*Ob Zelum, & tali carmine vtrumq; notat.*
*Noctua vt in tumulis super vtque cadauera Bubo,*
*Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.*

# FABVLÆ.

CERES cùm omnes peragrasset regiones, nec vllo vnquam in loco filiam inuenisset, iterum in Siciliam reuersa est, vbi ab Arethusa Siciliæ nympha Proserpinam à Plutone raptam fuisse intellexit. Tunc Ceres ad Iouem statim profecta, impetrauit, ut ad inferos descendens, ad superos illã reduceret; ea tamen conditione, ut prius nihil cibi degustaret, quàm fuisset reuersa. Cùm igitur rediisset Ceres, iamq; tota res esset à Ioue diiudicanda, Ascalaphus Acherontis ex Orphne Nympha filius Cererem septem mali punici grana gustasse ex uiridario Ditis accusauit. Hinc factum est, vt non in totum restitueretur Proserpina. Iupiter enim ex æquo diiudicans, sanxit, ut Proserpina partem anni apud virum, partem apud matrem esset. Ob hanc causam Ascalaphus ab irata Cerere in Bubonem conuersus est, auem nimirum, quæ semper mala prædicere creditur. Hanc fabulosam mutationem [a] Ouidius ita describit:

Proserpinę raptu fabula.

Ascalaphꝰ in Buboné mutatus.

[a] *Metam. 5*

*Ingenuit regina Herebi, testemq; profanum*
*Fecit auem, sparsumq; caput Phlegetontide lympha,*
*In rostrum & plumas & grandia lumina vertit,*
*Ille sibi ablatus fuluis amicitur alis,*
*Inque caput crescit, longos reflectitur vngues*
*Vixq; mouet natas per inertia brachia pennas,*
*Fædaq; fit volucris, venturi nuntia luctus*
*Ignauus Bubo dirum mortalibus omen.*

Similis fabula est apud [b] Apuleium, vbi Pamphilē puellam in Bubonem magica arte immutatam fingit, in hæc verba. *Pamphile arcula quadam recluſa pyxides pluſculas inde depromit, de quibus vnius operculo remoto, atque indidem egeſta vnguedine, diuq; palmulis ſuis adfricta, ab imis vnguibus ſeſe totam ad vſque ſummos capillos perlunit, multumq; cum lucerna ſecretò collocuta membra tremulo ſuccuſſu quatit, quis leniter fluctuantibus permicant molles plumnlæ, creſcunt & fortes pinnulæ, duratur naſus incuruus, coguntur ungues aduncì, fit Bubo Pamphile, ſic edito ſtridore querulo, iam ſui periclitabunda paulatim terra, reſultat, mox in altum ſublimata forinſecus totis alis euolat.*

[b] *Lib. 3. de aſino aureo.* Pamphile in Buboné.

# DE ASIONE SEV OTO. Cap. III.

POST Bubonem auium nocturnarũ extra omnem cõtrouersiam principem, & longè maximum non ab re facturos nos putauimus, si Asionis siue Oti historiam secundo statim loco describeremus. Etenim magnitudine Buboni, si non par, saltem proximus est. Verùm & Aluco & Vlula Asioni corporis mole fortè pares sunt. Sed Asio facie & habitu cæterisq; corporis partibus omnibus ita Buboni similis est, ita hunc ad vnguẽ exprimit, vt nisi corporis natura, quę minor est, discrimen statueret, ipse omninò Bubo esse videretur. Vnde ob figuram, quam cum eo communem habet, à multis, ut testis est [a] Albertus, Bubo uocatus est, & etiamnum apud Gallos communi cum Bubone nominis honore gaudet, minoris tantùm adiectione. Sua enim lingua Asionem

[a] *Lib. 23. de animalib.*

vng moyen, ou mineur duc, id eſt, minorem ſeu mediocrem Bubonem nuncupant. Nam & pinnulis circa aures eminentibus, vnde ei nomen & pedum conſtitutione, quæ in nocturnis alioquin uaria eſt, Buboni eſt quam ſimillimus. Ternos vterque digitos habet anticos, vnum poſticum. Quæ quidem cùm potiſſimam inter nocturnas differentiam ponant, & tam Aluco quàm Vlula aut altero aut vtroque deſtituantur, Aſioni ideo duximus poſtponendos, utpotè qui à prima & nobiliſſima ſui generis aue longiùs recederent, & multùm differrent. Vnde [b] equidem miror Aſionem Plinium non potiùs Buboni comparaſſe, quàm Noctuæ. Cùm dicat *Otus Noctuæ ſimilis eſt.* Etenim neq; in aurito capite ſimilitudo mutua illis intercedit, neque in pedum digitis. Niſi ſic exiſtimemus, Noctuæ eo ſenſu cõparatum fuiſſe, generali quadam ratione, qua omnes nocturnæ eandem, propemodum aut ſimilem admodum ab alis diſtinctam inter ſe formam obtinent. Quo pacto alibi Vlulam, Aſionem & Aluconem ſimili ſpecie conſtare dixit Ariſtoteles. Hoc enim de corporis ſpecie, id eſt, forma intelligendum eſſe liquet: cùm alioquin ſub vno genere contenti ſpeciem ſinguli diuerſam eſſentiam conſtituant. Sed neque ſic defendi Plinius poteſt: nulla enim inter genus & ſpeciem comparatio eſt, cùm quòd illius conceptus ſit confuſus, & minus notus, tùm etiam quòd diſtinctam inuicem & determinatam naturam habeant, ut ſpecies atque alterum illorum totius conferri queat. Aſſimulatum ergo Noctuæ potiùs, quàm alteri cuipiam nocturnarum crediderim Aſionem, tanquam cæteris notiori. Cæterùm duo hîc lectorem monere opportunum duco, quæ præmiſſa ad plurimas difficultates ſuperandas & ad enotanda dubia, quæ in hac hiſtoria interpretum incuria peperit, uiam ſternẽt. Prius eſt, quòd Theodorus Gaza Ariſtotelis non infimus interpres, Aſionem ubiq; pro græca τὸ σκοψ, perperam verterit, duas aues ſpecie dIfferentes confundens. Quam quidem rem eò magis miratus ſum, quod cùm alioquin Plinij in vertendo Ariſtotele affectatiſſimus ſit, & uitiorũ aliquando imitator, hîc tamen apertè illi refragetur. [c] Qui diſertis verbis teſtatur, Otum Latinis Aſionẽ vocari: Sed & Ariſtoteles ipſe, ſi attentiùs legiſſet, Scopem eſſe Aſionem non poſſe, monere eum debuerat, qui Scopem Græcis Noctuis minorẽ facit, Aſionem verò, qui Otus eſt, Noctuis maiorẽ, manifeſtiſſimo inter vtrumque diſcrimine. In eundem errorem plurimos authores etiam minimè gregarios vt Hermolaum Barb. & Scaligerũ traxit, cùm Gazæ exemplũ & authoritas, tùm auium fortè ſimilitudo, quòd nempè auritę eſſe ambæ tradantur, & ſimili colli geſticolatione mimos imitari, ac ſaltantium ſpectaculo veluti attoniti ab omnibus capi. Alterũ eſt, quòd non minus ineptè Plinius, Athenæus, alijq; claſſici ſcriptores Otum cum Otide confundunt, inſigni ſanè nec tolerãdo errore, niſi ea librariorum alicubi culpa eſt; Inter hos præter cæteros eſt [d] Oppianus, qui pro Otis, Otides inducit, hisq; cornua affingit ridiculosè, vocum nempè uicinia & ſimilitudine cum alijs deceptus. Nos verò Otum & Aſionem tanquam eandem auem eodem capite comprehendentes, hîc deſcribemus: Otidem verò ceù toto genere diuerſam & minimè rapacem, ſed Gallinaceis annumerãdam hinc longè ablegamus, atque in aliud tempus, ac locũ valere iubemus; cùm non ſolùm non rapax ſit vt dixi, ſed ne carniuora quidem, verùm frugilega.

[b] *L. 10. c. 13* Noctuam perperam à Plinio Aſioni ſimilem dici.

Gaza laps[us]

[c] *L. 10. c. 23*

Hermola[us], & Scaliger decepti.

Plinius Athenæus. Oppianus lapſi.

[d] *Lib. de Venat.*

# SYNONIMA.

[c] *L. 10. c. 23* Aſio. Otus. Origo nominis Οὖς. Aſen Oſen.

ASIO authore [a] Plinio Latinis dicitur, quem Græci Otum vocant: videtur dictus Aſio ab auribus, vti aſinus, vel à Græca voce ὦς vel Hebraica אזן Aſen vel oſſen. Sic enim Græci & Hebræi auem vocant. Seruat autem quoque hodie Aſio auritæ auis nomen apud Marſos Italos. Ous vel ὠτίον Græcis auricula eſt. Habent auriculas ſolæ quadrupedes viuiperæ, quoniam tamen in Oto aue non ſolùm plumæ vtrinq; in capite auricularum inſtar prominent, verùm etiam organi auditorij meatus ampliſſimos & cura ſolerti ſingulariq; artificio tectos, necnon intus affabrè conſtructos videre eſt. Iure merito Græci Otum quaſi auritam dixerunt, vt hodie aliqui cornutam ob pinnullas in capite ſurrectas velut cornicula. Otum etiã Tagodiam vocari à lepore, nimirum quòd pedes plumis villoſos habeat, author eſt Alexander Myndius apud Athenæum. Hunc eundem Νυκτικόρακα nonnullis appellari Ariſtoteles diſertis verbis tradit, quod Latinè Coruũ nocturnum ſonat, ut & Plinius vbiq; vertit. Vnde manifeſtiſſimi errores deprehenduntur Theodori Gazæ celebris alioquin & primarij Ariſtotelis interpretis, qui contra morem & mentem Plinij, cuius vt antè innuimus, etiam vitia tranſlationis præ imitationis ſtudio in uſum ſuum conuertit; imò verò præter ipſiuſmet Ariſtotelis ſententiam Nycticoracem quandoque Vlulam interpretatur, nonnunquam Cicumam, aliquando etiam Aſionem. Primùm enim Aſionem cum Scope eundem facit, diuerſum longè, ut ſuprà probauimus, tùm quem Nycticoracem Græci dicunt, nos verò

Tagodia Nycticorax. Gazæ lapſus.

Aſio-

Asionem aut Otum esse, (sunt enim synonima) credimus; ipse quandoque Cicumam, quandoque Vlulam, nonunquam Asionem dicit. At Asio illi Scops est, Vlula Aegolias. Quæ ergo inconstantia hominis alioquin literatissimi, quæ incogitantia? Sed utinam uel ad uerbum Aristotelis dicta interpretatus esset, & nō ex suis ea deprōsisset. Sic. n. habet [b] Aristotel. in Græcis: *Otus Noctuis similis est, & ad aures alas seu pinnulas habet, hunc aliqui Nycticoracem vocant*, E contra Gaza: *Otus Noctuæ similis est, pinnulis circiter aures eminentibus præditus, vnde nomen accepit quasi auritum dicas.* Nonnulli Vlulam eum appellant, alij Asionem. Ex his igitur, quę suprà de Theodoro diximus, sanè per se clara sunt. Patet etiam insuper, quod iam aliquoties diximus nempè Otum uel Asionem cum Nycticorace eundem esse. Otum enim, ut ait Aristoteles, alij appellant Nicticoracem, & habet easdem cum Asione aurium eminentias. Accedit quod alias perperam & mancè supra nocturnas enumerasset Aristoteles, alioquin uigilantissimus & exactissimus. Nulla enim tum Oti facta fuit mentio. Inter multos quidem & præcipuè inter Theologos lis est adhuc sub iudice, quænam auis sit Nycticorax. Etenim scriptores sacri plerique, dum eum locum [c] Dauidis interpretātur, qui iuxta versionē Græcam & vulgarem ita habet, *Factus sum sicut* (Kos Hebraicè) *Nycticorax in domicilio*, Nycticoracē exponunt Noctuā, vt Eucherius, Isidorus, Ambrosius, Hieronymus & alij hos imitati. Verùm Aristoteles has aues diuersas facit, ubi ait: *Noctuæ & Nycticoraces & cætera, quæ interdiu nequeunt cernere, noctu sibi victū acquirūt.* Alijs ineptiùs Vespertilio est putatus. Ille verò qui Germanis Nact raue, quæ vox Coruū nocturnū ad verbum sonat, appellatur, non est huius loci. Neque enim nocturna est, & ne rapax quidem, sed aquatica auis, de qua alibi oportuniùs. Quare neque de ea prophetæ locus intelligi potest. Itaq; errat Goropius, dum Gazam, quòd malè Nycticoracem verterit, Cicumā traducens corrigit. Vult enim Nycticoracē non esse ex nocturnis, sed aliam. At ipse amphibologia lapsus est. Multi, ut inquit Eucherius, Bubonem esse contendunt. Sunt etiam qui asserunt esse Oriētalem auē, quæ Coruus nocturnus appelletur. Verùm, vt suprà diximus, nos Nycticoracem cū Oto aut Asione eundem dicimus, atq; si Aristoteli credimus, satis ex ipso probauimus. Quod verò ad nuper citatum Regij Psaltis locum attinet, etsi nō rectè pro voce Greca Nycticorace Noctuam intelligant, fieri tamen potest, vt uox Hebraica Kos Noctuam significet, & ita Rabinorū plurimi exponūt. Nec multum abludit à voce Germanica Koutz. licet alios aliter interpretari non ignorem; Sed ut de Cicunia aliquid dicamus uel Cecunia (Nam vtrumque legitur) videtur vox à sono Noctuarum inflexa esse vel ab κικυμώττειν, quòd Hesychio in explicatione illius Callimachi κικυμήδα γλαῦκα, est δυσβλέπειν, vt apud [d] Goropium legimus. Facilè ergo Gaza, quod vel omnibus vel vni conueniebat, ad aliud, & ad particulare transferre potuit. Hispanis Otus dicitur Mochuelo, cuius vocabuli penultima cum Germanico omnibus nocturnis ferè communi, vt apud inferiores præsertim nomine Vuuel nonnihil conuenit. Hanc enim auem Germani Bubonis ferè nomine ob maximam similitudinem indigitant. Sed diuersitatem uocula adiecta innuit. Nam Orhuvvel, quasi auritum Bubonem dicas, vocant, & Ranzeul. Belgis Kerchvvl quasi templorum Bubonem dicas. Anglis item Hornoul, id est, cornutus Bubo. Plumas enim circa aures eminentes vocant cornua, quemadmodum & Galli, qui Asionem Hibou Cornù vocant, isdem Moyen Duc, id est, mediocri magnitudine Bubo dicitur, tanquam non alia re, quàm corporis mole à Bubone distinguatur. Aliter Cha-huant Cornù, quod idem est, ac si dicas, felis ululās, seu eiulans cornutus, cùm ob faciem, quam, vt Bubo felinæ magnitudine & figura quadam similem habet, tùm quòd noctu mures non aliter atque elurus venetur. Videtur autem Cha-huant, Gallis pluribus nocturnis communis esse, uti etiam Hibou, & Belgis nomen Vl seu Eul. Sunt enim uoces hæ omnes per onomatopœiam à sono auis factæ; Vnde Asionem, ut ad distinctionem Bubonis Moyen dicunt, ita ad Aluconis quem Bellonius eisdem nominibus appellat, cornù, id est, cornutum adijciant hoc pacto, Hibou cornù, Chat huāt cornù. Huic tamen propriè magis nomen Duc quàm Buboni, cui etiā commune id faciūt, competere videtur, quòd ut [e] Aristoteles tradit, *Cum hinc abeunt Coturnices ducibus Lingulaca, Oto & matrice proficiscuntur.* Quod in Bubone locum non habet.

[b] *8. H. c. 12.*

Nycticorax quæ auis.

[c] *Psal. 101.*

Coruus nocturnus. Nact raue.

Goropij error.

Kos.

Cicumen vel Cecunia.

[d] *9. Herm.*

Mochuelo. Vuuel.

Orhuvvel. Ranzeul. Hornoul. Cornutus bubo. Hibou Cornu. Moyē Duc. Felis Vlulans.

[e] *Li. 8. Hist. c. 1.*

# GENVS

TVM sanè seu Asionem cum Aristotele & Plinio è Noctuarum genere, si generaliùs hoc vocabulo vtamur, aut certè è nocturnis fecerim. [a] Athenęus tamen Aristotelem citans Asionem nocturnam esse negare audet, & tamē Noctuæ similem non veretur dicere. Equidem nihil simile apud Aristotelem inuenio. Et Plinius è contra Asionem maiorem Noctuis statuit. Fieri verò potest, ut quod ait Scaliger, per gradus certos natura in auibus ab Aquila ad nocturnas usque descendere potuit, atque inter has hanc vnam esse, quæ etiam diei utatur beneficio

[a] *Li. 8. c. 14.*

ficio ad uolandum, qua ratione mediæ cuiuſdam naturæ inter nocturnas & diurnas eſse uideri poſſit, uti Struthio inter auem & quadrupeda maiora, præſertim camelum, & Caſtor inter piſcem, & quadrupedem, Veſpertilio inter auiculas, ueluti Hirundinem & murem. Ita ordinatè & placidè natura omnibus agere ſolet, ut quemadmodum iuxta illud Phyſicum axioma, ipſa nunquam de extremo uno ad alterum procedit ſine medio, ita nec etiam de genere admodum diſparato ad alterum tranſit, niſi per mediam quandam & utrique communem viam gradatim ac ſenſim progrediatur. Verùm ut non iuerim pertinaciter iuſticias, & doctiſs. Scaligero credam, rem ita ſe habere, mihi tamen ſuſpitio incidit, eam opinionem ex illis Ariſtotelis uerbis naſci potuiſse, quibus Σκώπας quaſdam perennes eſse, & ſemper apparere ſcribit, præſertim uerò cùm ibi, ut alibi ſemper pro Scope Aſionem Gaza uerterit. Hoc tamen loco de anni temporibus loquitur, docetq; Scopes quaſdam quouis anni tempore, non ſolùm autumno apparere, non autẽ diu noctuq; uideri & uolare. Præterea hoc de Scope, non de Aſione dixit Philoſophus, quæ diuerſæ, ut diximus, ſpecie aues ſunt: Quod autem hæc mea ſuſpitio uana ſit, ego ſanè non uideo, ut neque quo authore hæc Scaligeri ſententia nitatur. Athenæi enim ſolius authoritas tanta non eſt, vt Ariſtoteli & Plinio grauiſſimis & ſolis penè rerum naturalium hiſtoricis, præiudicare poſſit.

Natura nõ procedit ſine medio.

Scopes.

# DIFFERENTIÆ.

ASIONIS nullam apud veteres, imo neque apud recentiores differentiam obſeruatam fuiſſe reperio. Ego tamen duas eius ſpecies agnoſco, quas mihi olim conſpectas & ad viuum coloribus expreſſas aſſeruo, & hîc delineatas exhibebo, maiorem & minorem, quarum illa albidior & cinereo magis, hæc fulua, ſeu ferrugineo diluto ſpectatur.

# DESCRIPTIO.

Magnitudo.

[a] *L. 8. c. 14.*

[b] *Li. 6. Hi. c. 3.*

[c] *Li. 10. c. 3.*

Aures.

[d] *L. 11. c. 27*

Digiti.

TVM [a] Athenæus dixit Columbæ eſſe magnitudine. Quod de maximis ſanè Columbis intelligendum, quale eſt noſtrum domeſticum ſeu cicur. Bubone itaq; Aſio, teſte [b] Ariſtotele & [c] Plinio, minor eſt, Noctuæ ſimilis, & ut nos uolumus, Buboni. Nõ enim tam figura, quàm magnitudine Bubonem magis, quàm Noctuam refert. Nam auribus plumeis eſt eminentibus, inſtar Bubonis non ſolus tamen, etſi [d] Plinius ſcribat, *Buboni tãtùm & Oto plumas velut aures haberi.* Nam & Noctuæ genus, ſaltem minimum, & Scops & Vlula quoque aurita ſint. Hinc Plinium fortaſſe ſecutus Goropius Otum etiam uocauit Noctuæ genus minimum, auritum; Digitis etiam Bubonem exprimit, & ſic à reliquis, præſertim ab Vlulis & Noctuis diſcernitur. Athenæus Aſioni formam humanam aſcribit, eiuſque Ariſtotelem authorem facit. Quod etſi quodam pacto uerum ſit, nihil tamen huiuſmodi Ariſtoteles de Aſione tradidiſſe reperitur. Quo verò ſenſu Plinius Noctuarum id genus maximum dicat, quibus pluma aurium modo micat, vt in Bubone, Aſione, Scope, Vlula, & quodam Noctuæ genere, omninò non intelligo: Si enim Noctuæ nomine tanquam quæ à nocte ita dicantur, nocturnarum auium omne genus complectitur, falſum eſt. Nam Bubo Aſione uel ipſomet Plinio iudice, longè maior eſt, & Scops Alucone, ut & ipſe, Bubone minor. Si ſtrictiùs & propriè id nomen accipit, ſanè Aſio Noctua dici nullo pacto poteſt, neque eius ſpecies. Euidentiſſimè enim & præcipuè per aures & digitos ab ea ſeparatur. Quare alibi meliùs *Otum eſſe Noctuis maiorem* dixit. Etenim ſi omnibus Noctuis maior eſt Otus, auripſe Noctua non eſt, aut ſeipſo ſanè maior, quod abſurdum eſt. Verùm nunquid Bubonem ſaltem & Aſionem Plinius auritos nouit? Sic enim quæ auritæ ſunt nocturnæ inter Noctuas maximæ erunt, & omibus nocturnis Noctuæ nomen conueniet. Hactenus quod alij de Aſionis forma dicunt, proſequuti ſumus. Nũc noſtros ſeorſim deſcribamus. Priori, qui altero maior eſt, caput rotundum eſt, ut Buboni & reliquis ferè nocturnis, auribusq; uelut cornibus plumeis inſignitum, uarium, cinereo nempè, bætico diluto & nigro ad ſupercilia uſque & nares propemodum. Facies tota anterior, quæ oculos & roſtrum complectitur è cinereo candicat minutiſſimis plumulis, veluti pilis tota obſita. Oculi ampli, pupilla nigra, iris crocea. Roſtrum è bętico nigricat, aduncum, ſed minus, quàm in Bubone. Corpus totum è cinereo ſeu leucophæo ad ferrugineum dilutum uergit, maculis vbique fuſcis conſperſum, tam maiuſculis paſſim, quàm inſtar punctorum minutiſſimis. Alarum extimæ & vẽtri proximæ aliquot plumæ, albę ſunt, apice nigricanti. Remiges alarum pennæ per æqua & magna interualla fuſcis maculis tranſuerſim latioribus diſtinguuntur. Quæ ſecundo ab his ſunt & medio ferè alarum loco ex cinereo albicant, & minutulis guttis maculatæ ſunt. Tertium denique ordinem

Aſio quomodo Noctua differat.

Aſionũ noſtrorũ primi deſcriptio.

Caput.

Oculi.

Roſtrum.

Color totius.

Alæ.

con-

conſtituentes,& dorſo proximæ,lineis tranſuerſis, uti remiges, ſed frequentioribus inſigniuntur. Per uẽtrem notæ fuſcæ in longum rectà ducuntur, & in acumen deſinũt. Alæ interiores & axillæ argenteo candeſcunt. Quæ caudam componunt pennæ ultra extremas alas ad ſemipalmum protenſæ circa oras ex cinereo ad plumbeum inclinant, medioq; per æqua ſpacia lineis frequentibus nigris,ijſque tranſuerſim contortis,& incuruo flexu,uelut pictę ſunt,vndulatis. Crura & pedum digiti ad ungues propemodum uſq; uilloſa ex fuſco ſubferrugineis pilis ueſtiuntur. Pedes grandes,robuſti,unguibus egregijs,nigris, aduncis admodum armati, tibiæ item craſsę & robuſtæ & omnia demum, quã in ſecundo grãdiora. Secundus Aſio non temerè fuluus dici ad prioris differentiam poteſt, quo ſemipalmum in longitudine etiam minor eſt. Vnde illius comparatione Otum paruum uocauerim. Anterior igitur capitis pars in illo albeſcit,in hoc flaueſcit. Oculi ſimiliter, vt plerisq; nocturnis, iridem habent ſaturo croceam, ſplendidam, pupillam nigerrimam. Plumæ in aurium regione inſtar cornuum ſurrectæ maiori ex parte,præſertim antè,nigræ. Roſtrum nigricans,aduncum, digiti craſſitudine vbi è fronte exit,ſenſim verò in acumen deſinens. Circa tertiam tamen partem euidentiùs attenuari,faſtigiariq; incipit. Maculæ fuſcæ toto propemodum anteriori corpore in longũ protenſæ, & ſingulis plumis albicantibus trãſuerſim decuſſatæ,vt crucis aut verius lilij,quale Francorum Regum inſignibus appingi ſolet, referant figuram. Sunt enim tranſuerſæ vtrinq; nonnihil vncæ,in ſuperioribus vnicæ,inferioribus binæ etiam & ternæ. At quæ in alarum remigibus,necnõ tegetibus tranſuerſim ducuntur,frequẽter ſunt vtrinq; in interſtitijs, & ſupernè & infernè lineis tenuioribus,velut perizomatis ex guttulis compluribus compoſitis cinctæ ſingulæ,ut in Bubone. Eodem modo cauda,ſed rariore & perfectiore, nec interrupta nonnũquam nota tranſuerſa,quandoque per æqualia ſpacia,quandoque per inæqualia,non tamen prorſus & ab vtroque tali latere ſibi ex aduerſis reſpondentibus lineis depingitur Bubonis more. Radices plumarum ubiq; ex fuſco plumbeæ,quæ dorſum veſtiunt ſui extremo medioq; iuxta calamum in longum nigro maculantur, cætera in albido fuſcis notulis reſperſæ. Quà alæ dorſo hærent,albas in longum ordine diſpoſitas maculas videre eſt. Crura & pẽdes ad vngues vſque hirſuti è ferrugineo flaueſcunt, vti totum corpus, ſed magis venter. Crura huic quam priori, breuiora, tenuiora, digiti exiles,neque ita vt in priore, carnoſi. Vngues acuti quidem, ſed uix adunci,penè recti,contrà,atque in illo, nigri. Cauda infra alarum eſt longitudinem ſecus atq; in altero uno ferè digito. Quem [c] Bellonius deſcribit Otum,Vlula multò maior eſt. At Otum Ariſtoteles, Aluconem,& Vlulam magnitudine pares facit. Vnde incognitam ſpeciem eam Ariſtoteli ſuſpicari licet, & Galliæ parti Aruernis mõtibus,quę ad Hiſpaniam vergit,peculiarem. Hic ut Bellonius refert,patentiores multò,& ampliores aurium meatus habet,quàm vlla auis alia. Vnde duplici ratione aurita dicenda venit, cùm quòd plumas eminentes uelut aures gerat,tùm quia harum ipſarum foramina admodum patula ſunt, & grandia. Roſtrum ei nigrum,& hamatum,vngues validi, crura item ad vngues uſque piloſa: color huic magis quàm Buboni aut Vlulę & Aluconi fuluus. Plumę magis uariegatę, quàm rapacibus diurnis. Icon quam dat,alarum caudęq; pennas omnes rranſuerſis lineis maculoſas oſtendit. Facies illi,qualis Aluconi, plumulis nẽpè in orbem diſpoſitis inſtar coronę, ſed diuerſi coloris à cęteris. Hic Bellonij Otus,ſi non idem planè eſt cum noſtro poſteriori, ſanè ei ſimillimus eſt. copioſa admodum pluma veſtitur, cornua vtrinque è fronte ſurgunt,è quaternis quiniſuè plumulis,quibus margines ruffeſcunt,medium nigreſcit, nonnullo candido permixto. Cauda longitudine alas æqueat, adinſtar rapacium diſtincta. Maculę ventrem uariegantes in lõgum plumarum mediarum,iuxta tubulos ducuntur,eęq; nigrę. At ſingularum margines fuluo albidoq; tinguntur ſecus atque in tergo,maculis admodum ſubtilibus picturato.

Venter. Alæ. Cauda. Crura. Digiti. Pedes. Aſionis fuliui forma. Oculi. Roſtrum. Color. Cauda. Crura. Pedes. Vngues. Cauda. [c] 8. *Hiſt. c. 3.* Aſionis Bellonij deſcriptio. Aures. Roſtrum. Vngues. Color. Facies. Cauda.

Verùm ut peculiariùs aliquid de Oto dicamus,& præcipuè de ijs partibus, quę ex anatomica inſpectione patent;quare quę in Oto ſingularia,quamuis pauca ſint, obſeruauimus, ea hîc alijs communicare non uerebimur. Potuit autem hęc pars in omnibus, quas damus, auibus haudquaquam excoli,& neque integra,non tam ob hominum peritorum,qui eas deſecarẽt, quàm ob corporum inopiam. Non enim omnia in uno corpore inueſtigari poſſunt, nec una auis ad tot dies incorrupta permanſura eſt. Qui diligenter admirabilem illam aurium in Oto conſtructionem intuetur,ueram ſtatim nominis originem agnoſcit, & Plinium maximè hallucinatũ eſſe. Aui huic ſupra aures cutis in longum producitur complicata,rugoſa,ſpõte concidens,& meatum eo loco occludens,inſtar membranarum,quæ tamen in ampliſſimũ, ſi uoles,ambitum facillimè deduxeris. Sunt enim laxę,implumes intus,candidę,foris uerò minutiſſimis & pulchellis plumulis conſitę,& quę orbem uenuſtum in marginum ambitu conſtituãt. Vſus harum quis ſit unuſquiſque uidet. Non alteri rei magis appoſitè haſce cutaneas ualuas, quàm piſcium brãchijs comparârim, cùm quoad figuram, tùm quia utilitatem, quamuis in

Oti auriũ anatome.

diuer-

diuerſis membris non tamen abſimilem, ſortiantur. His apertis, auditus foramen amplum ac patulum in medio apparet, multis anfractibus inſtar humani tortuoſum. Vnde non ſolùm ab auribus plumeis, Plinius alijq; uolunt, ſed ab ipſis ueris aut ueras quàm maximè imitantibus auribus auritum Aſionem & Otum uocatũ credo. Etenim meatum habet inſignem multis ſinubus & mæandris diſtinctum & valueolas illas cutaneas, quæ auicularum inſtar in animalibus viuiparis ſunt, magna certè natura prouidentia affabrefactas. Vnde natura benigna quod in viſu deficit, audiendi bonitate compenſare voluit. Certum enim eſt tot & tam amplos meatus tanta cura extructos, plurimùm ad exactiorem auditionem conferre. Ex quo denuò Plinij error colligitur, qui cæteris auibus cauernas ad audiendum, huic verò tantummodò plumeas aures datas ſcribit. Sed nouam & pulchram auris ſtructuram ſecundò examinãtibus primum occurrit reſecta cute os cranij varium ea parte qua continuum eſt & æquale ob ſubſtantiam intimam alibi denſiorem, alibi rariorem, alibi obſcuriorem, alibi pellucidiorem, ad inſtar lapidis ſelenitidis. Cranium ab auditu carnea quadam portione coniungitur cum cranio anteriori, ex qua roſtri inferna pars propendet ad extimam auditus oram, ab radice linguæ appendix quædam, portio oſſis hyoidis exporrigitur. Sub apophiſe hac muſculus eſt roſtrum diducens, & inferiori mandibulæ deprimendæ dicatus. Exoritur à cranio & ſupra auditum deſinit retro aures, principio carneo, circulari, ferturq; deorſum carnoſus, & ſi principium ſpectes velut in mucronem extenuatus & tandem in extremum roſtrum deſinit. Ad latera verò oram, co-

Aſio vnde dictus.

Os cranij.

Cranium.

Muſculus roſtrum diducens.

ſtamuè mandibulæ inferioris tranſilit. Subeſt muſculo membrana tenuis, ſed neruoſior viæ auditus partem conſtituens. Tendo inſuper aut ligamentum à tubere extremæ mandibulæ ſuperioris ortum, anguſtum, robuſtum, argentei coloris, obliquè deorſum vergẽs, ad roſtri inferioris coſtam, vt vtramque mandibulam colligat, annectitur. Muſculus alius oppoſitus ſuperiori, propè auditum inferiori parte emergit, lato principio, carneo, & in coſtam ſuperiorem inferioris roſtri oblongo fine, ſed carneo implantatus. Actio eius eſt inferiorem mandibulam adducere. Membrana, qua definit auditus, quaq; uia eius occluditur, anfractuoſa admodum, & profunda, tenuiſſima & pellucida, oualis, ad latera ſupernè, quàm infernè latior. Adnaſcitur vndiquaque interno cranij oſſi, & tympanum, quod dicitur, cõſtituit. Huic intus retrò non ſolùm adhæret, ſed velut cõnatũ eſt, eaq; quaſi obuoluitur tenue quodam & breue oſſiculum à latere cranij retrò exortũ, quod fortè malleolus eſt. Incumbit id alteri cuidam oſſiculo, quod naſcitur ab inferiori cranio ſupra palatum tuberculo quodam in medio eminẽti, quòd à priore veluti incus à malleo tunditur. Oſſiculum hoc tres anfractus ſeu ſinus diſterminat, quorum primus eſt retrò poſitus. Secundus & medię magnitudinis ad articulum roſtri inferioris & ſuperioris collocatur. Tertius omniũ maximus in cranio eſt ſuperiori. Hi omnes in capacitatem quandam cõmunem coëunt. Sub oſſe illo, quod incudem diximus poſitam ſub ſinu hoc communi penetranti altius, oſſiculum aliud occurrit tranſuerſum firmiſſimum, arcuatum, cui in medio exiguum aliud, ſed deorſum tendens & tenuiſsimum adnectitur. Quibus omnibus perruptis cerebrum ſeſe conſpectui obijcit. Cranij hæc eſt conſtructio: Perioſteo veſtitur denſiſſimo, tripliciter ad ſenſum. Prima & ſuprema ſubſtantia tenuitate inſigni firma eſt, & admodum pellucida. Altera ad cranij meditulliũ rara eſt inſtar ſpongię, ſeu pumicis, albicans & nullo negotio à ſuperiori ſeparabilis. Huic tertia ſubeſt, denſa, pellucida, at mollicula & tactui cedens lamella, ideò fortaſſis quòd in proximo eſt ipſa cerebri medulla, atq; vnicâ tantùm membranâ intecta, non ut in homine, duplici, ſed valdè craſsâ. Atque hæc pauca, quantum res & tempus paſſa ſunt, intimiùs perſcrutati ſumus. Quæ vt clariora euaderent, maximè quæ ad aures ſpectant, placuit, ea hac adiecta icone apertè demonſtrare. Id enim ſemper ſtudemus vt quò fieri poteſt, dilucidiùs omnia tradamus. Verùm cùm oculorum in nocturnis rapacibus inſolitam illam varietatem atque nigro & croceo flammeo emicantem aduertiſſem, ſumma me inuaſit voluptas hanc peculiarem naturæ fabricã rimari & quę huius rei cauſa eſſet, inſpicere. Itaq; oculũ Oti Excellentiſs. D. Marco Antonio Vlmo Patauino viro in Philoſophia & Medicina ſingulari, cui hæc & illa alia debemus, ſecandum tradidi. Inuentus itaque fuit oculus ſubſtantia quadam cartilaginea, velut capſula circumcluſus, non tamen undiq;. Nam infra in parte oculi poſteriori haudquaquam membrana hæc ſubſternebatur, ſed circumquaq; ad latera, à qua circulus ſupra totum oculũ exporrigebatur, ante quidem hæc membrana anguſta erat, intra verò & quâ magis ad poſteriora vergebat, dilatata. Oculus ipſe antè orbicularis erat retrò ſeſſilis, & compreſſus, longè quàm vel in medio latior. Reſecta cornea vueam ab illa intus plurimo nigrore tinctam, & veluti atramento perfuſam, quippè quæ etiam humores ſubiectos digitis contrectata tingeret, obſeruaui. Huic in orbem alia tenuiſſima pellicula inſtar annuli circumponebatur, crocea, ſeu aurea per totam ſubſtantiã, ita vueæ connata, vt nullo modo integra ab ea ſecerni poſſet. Huiuſmodi ſanè nullam, quod equidem ſciam, in alijs animantibus reperiri puto. Duæ igitur hæ membranæ coloribus diuerſis tinctæ, & per corneam tranſparentes, horrẽdum illum nocturnarum auium obtutum faciunt, concurrentibus ſimul è nigro & croceo ex aduerſo radijs & velut flammæ è ſilice excuſſæ micantibus. Humor cryſtallinus minimè durus aut ſolidus erat, qualem in Aquilis & alijs obſeruauimus, ſed tener & molliculus, vtpotè qui facillimè uel ſua ſpontè diſſolutus reſecta cornea ſimul cum aqueo humore efflueret.

Cranei cõſtructio.

Oculi Aſionis Anatome.

# LOCVS. NIDVS.

TVS & Bubo montes plerumq; inhabitant, locaq; edita, contrà atque Noctua & Vlula, quæ campeſtribus gaudent. Mirum quod Bellonius refert, repertum à ſe Aſionem in Ciliciæ campis de die inter Ambroſiæ plantas abditum, cùm tamen eò loci, ne ad quartũ quidem miliare arborem vllam naſcentem videre liceat. Quare, etſi vbiq; ferè locorum reperitur Otus, tamen quibuſdam regionibus & montoſis præſertim locis libentiùs degere conſpicitur. Ita Bellonius in montibus Auerniæ copioſos inueniri, & in Italia noſtra præter cæteras in monte Plumbicio paſſim obuios eſſe, Conſtantinus cognomento Felix Sereniſſimi Vrbinatium Ducis aliquando medicus præſtantiſſimus mihi author eſt. Habitant verò & nidificant plerumq; in arborum cauernis ac foraminibus

raminibus. Otum migratorium eſſe Ariſtoteles & Plinius volunt. Eum enim cum Lingulaca matrice & Cyncramo Coturnicibus hinc proficiſcentibus ducem eſſe ſcribunt. Vnde Bellonius Petit duc Gallis ſic dictum putat.

Petit duc.

## VOX.

Chat-huãr. OTVS noctu, vti Albertus etiam teſtatur, vocem horrificam eiq; ſimilem emittit, qua homo frigore affectus rigensq; exclamare ſolet hu hu. Vnde à Gallis Chat-huant non immeritò vocatur. Verùm huius vocis ſonus etiam Buboni aliisq; attribuitur Ego verò eius vocem nulla alia exactiùs perfectiùsq; exprimi poſſe puto, quam hac dictione, & ad ſoni imitationem aptiſſimè efficta, Chiù (quo nomine Italis indigetatur) quam noctu ſubindè, ſed ſingulam, aliquãto interpoſito interuallo, repetit, ſonoram admodum & claram tanquam ſi fiſtula tenui ederetur, idq; ſolis occaſu iam inſtante. Cùm à quopiam laceſſitur, ſibilum aut crepitum emittit, qualem felis ſolet.

Chiù.

## VOLATVS.

LEVI facilíq; volatu, vtpotè pennis optimè fultum, ferri teſtatur Bellonius.

## PVGNA.

EADEM arte ac ratione, qua Bubo impugnatus ſeſe defendit, roſtro ſcilicet, & pedibus aduerſum hoſtem protenſis, vt in cæteris, ita & hîc Buboni ſimilis.

## ACTIONES. INGENIVM.

[a] *Hiſt.c.12.* [b] *L.10.c.13* Plinij, & Gazę error *μύοπα*.

OTVS inquit[a] Ariſtot. *ἔστι κοβάλος καὶ μιμητὴς*, id eſt, vt[b] Plinius vertit *auis parasita & imitatrix*. At Gaza pro *κοβάλος* interpretatur blatero, nec malè, ſed pro *μιμητὴς* non rectè reddidit hallucinator, cùm ea vox Græca imitationem ſignificet. Vnde ſuſpicio eſt illum aliter in ſuo codice legiſſe, nempè *μυοπα*, aut tale aliquod vocabulum, quod vitium oculorum indicaret. Suidas vocem *Κοβάλος* per *βωμολόχος* exponit. Bomolochon autem eſſe ait, qui ludendo aliquem decipiat. Item illiberalem, malignum, quaſi *κοπίβαλον*. Cæterùm ludendo aliquem decipere, etſi accipi poteſt etiam ſimpliciter, tanquam per ludum & iocum quempiam fallere; uidetur tamen ad ludos, qui pecunia depoſita fiunt (ut in alea) propriè pertinere: ut kobalos ſit aleator improbus & aſtutus, nempè quaſi *Κακόβαλος ὁ κακὸεργος περὶ τὸ βαλλειν*. Veteres Grãmatici aliter exponũt & deriuant, *ἀπὸ τῆς κόψαι*, quòd pro blaterare accipitur; Vnde *κόπις* blatero. Ariſtoteles quidem uidetur, ut *κοβάλον* uocem interpretaturus, per epixegeſin addiderit, *καὶ μιμητὴν*. Nam blateronem dicere auem nocturni generis parum conuenit, ut fortè nec paraſitam Plinius aptè dixerit. Cæterùm *βωμόλοχοι* propriè dicebantur homines aris aſſidentes, & aſſectãdo aliquid de ſacrificijs petentes, deinde tibicines & vates, qui ſacrificijs adhibebantur; tertiò per metaphoram homines abiecti & leues & nihil non ſui lucri cauſa ludendo aſſentandoq; facere ſuſtinentes, vt Suidas teſtatur. Eo igitur nomine Otus dictus fuit, quòd inſtar mimorum ac paraſitorum ſeu etiam hiſtrionum collum contorquendo nunc in hanc, nũc in illam partem, ridiculos & mimicos geſtus edat. *Μιμητὴς* verò fuit appellatus, quòd imitatione gaudeat. Saltantes enim imitatur, ut dicit Ariſtoteles *ideoq; quodam genere ſaltatricem* vocat Plinius. Hanc autem ſaltationem commodiùs perficit, quia, vt author eſt Philoſophus, planipes confundens nempe cum vulgo Otum cum Otide, quæ tamen nec ipſa planipes eſt. *Inter ſaltandum capitur, dum ſaltantes imitatur, haud difficulter*, ait Plinius, *vt Noctuæ, intento in aliquo nempè aucupe, circumeunte alio*. Quod hoc pacto perfici Athenæus ſcribit, *In aucupio illorum, qui ſaltandi peritiſſimus fuerit, ſaltat in conſpectu eorum, & ſimul ipſos contrà aſpicientes ad ſaltationem inducit. Alius à tergo latens voluptate imitandi captas (ſaltantis enim motus & geſtus exprimere ſtudiosè conantur) comprehendit*. Quod & Scopes facere aiunt. Verùm alij iſtæc Otidi perperam tribuunt. Ita enim frequenter hæc duo vocabula confunduntur, Otus nempe & Otis, etiam in ipſo Ariſtotele, vt diximus, niſi librariorum ignorantia mendum irrepſerit. Otum ego imitatricem ſua natura eſſe planè dixerim. Nam alioquin & aliam rationem, qua ob nimium imitationis ſtudium capitur, Athenæus & Euſtathius narrant, in hæc ferè verba. *Otus ad imitationem natum animal earum præcipuè rerum, quas ab homine agi viderit, aucupes etiam imitari ſolet. Stant illi è regione & certo*

*κόπις*.

Qui *βωμόλοχοι*. Otus cur bomoloch⁹ dictus, & mimicis. *Μιμητὴς*.

*& certo quodam pharmaco oculos vngunt, & alia quædam glutinosa pharmaca parata proximè alicubi in paruis pelubus apponunt. Quibus visis, Oti postea se illinunt, & conglutinatis oculis ac palpebris mox capiuntur.* Hoc igitur aucupādi genus ad Otum potiùs, quàm ad Otidem, etsi eas veterum plurimos confundere, vt diximus, constet, pertinere videtur. Est enim Otus auis, vt & aliæ quædam Noctuis similes, (Scopes maximè) omninò ad imitationem apposita, eoq; nomine facilis decepti. Otidem verò, cùm canibus & retibus facile sit venari; hac machinatione nihil opus est, verùm vt quod res est, dicā, etiā hîc [c] Gazā lapsum esse credo, vel altero textu vsum. Græcus codex sic habet ὁ δὲ ὠτὸς &c. ὅτι δὲ κολοβὸς καὶ μιμητὴς καὶ ἀντορχούμενος ἁλίσκεται παρελθόντος θατέρου τῶν θυρευτῶν καθάπερ γλαύξ. Hoc est, *Otus autē &c. Sed quia mutilus est, & imitator, & saltator, itaq; capitur circumueniente eū altero venatorum, vt Noctua.* Hoc ergo in loco nulla mētio fit planipedis vt in Gazæ translatione legitur, quasi quòd auis ob pedū planitiē meliùs saltare queat. Quare vel alium habuisse codicem Gazam necesse est, vel hoc ex suo addidisse. Notandum tamen alijs legi κοβαλὸς pro κολοβὸς & rectè. Quid. n. mutilū esse, cum cæteris & cum nostra aue conueniunt? Cæterùm quàm benè verterit Gaza, blatero est, & hallucinator, alij videāt, quorum alterum vocis uitium est, alterum visus. At imitari ad scurras & mimos pertinet, quosuis gestus corporis per ludicrum exprimentes. Ego adulatorem potiùs dicerem, pro blaterone, quæ vna est τῶ κοβάλῳ significationum. Sic cōtraxisse videtur Gaza illa, καὶ μιμητὴς καὶ ἀντορχούμενος, dum ait, saltantes imitatur. Cæterùm paraphrastem in multis agere mihi idem videtur. Sed de his hactenus.

[c] *Hist.* 12.

# DENOMINATA.

QVI fraudibus expositi sunt, ac nullo propè negotio insita simplicitate, vel potiùs solo auditu, quodq; haud verba ipsa examinēt, decipiuntur; homines stolidi, Oti olim vocabantur Eustathio & Suida testibus. Quemadmodum & ij, qui gloriæ vanitatem affectant. Quare & Comicus Athenienses, quòd facilè quæcunque audirent, fidem habentes deciperentur, Otos vocauit. Oti qui dicebantur.

# MEDICA.

GLAVCOMATA, vt tradit Plinius, Magi dicunt curari recenti Asionis felle.

# HIEROGLYPHICA.

PER hanc auem plerique mimum atq; parasitum exprimunt. Non enim à mimica multùm distat ars parasitandi, quam ita describit Horatius. Parasiti typus.

*Alter in obsequium plus æquo pronus & imi*
*Derisor lecti, sic nutum diuitis horret,*
*Sic iterat voces, & verba cadentia tollit.*
*Vt puerum credas sæuo dictata magistro*
*Reddere, vel partes mimum tractare secundas.*

Est enim hæc auis, vt dictum fuit, omnium maximè imitatrix. Hæc in clypeo atque insigni militum Romanorum depicta, qui recentiori tempore paulò ante Imperij decrementum, sub magistro peditum merebant, ordinis eius signum fuit, qui cornuti appellabantur. Erat ales coloris prasini, in orbiculo luteo, quem cæruleus ambitus latè ductus circumplectebatur, à quo mox arctior, & ipse luteus, & circa marginem extremus ruber. Asio Romanorum insigne. Cornuti milites dicti qui.

# FABVLOSA.

OTVM & Ephialtem Aloei & Iphimediæ filios fuisse aiunt, & Martem ligasse. Maximi fratres feruntur & bellum cælo ac superis inferre ausi, vnde Apollinis sagittis confecti sunt. Alij in venatione imprudentes inuicem sese iaculis transfixisse dicunt, Dianæ consilio, & eosdem primos Musis sacra fecisse.

# EMBLEMA.

EMBLEMA Alciati inscriptum FATVITAS.

*Miraris noſtro quòd carmine diceris Otus,*
*Sit vetus à proauo cùm tibi nomen Otho?*
*Aurita eſt, ſimiles & habet ceu Noctua plumas,*
*Saltantemq; auceps mancipat aptus auem.*
*Hinc fatuos captu & faciles nos dicimus Otos,*
*Hoc tibi conuenientes tu quoque nomen habe.*

# DE SCOPE. Cap. IIII.

ETSI magnitudinis merito Scops & Vlulæ & Aluconi, quibus minor eſt, poſtponenda veniret, non vna tamen de cauſa Aſioni ſtatim ſubiungẽdam eſſe putaui. Toto enim corporis habitu Aſionem ita exprimit, vt niſi magnitudo diuerſa eſſet, inquit, Bellonius, eãdem auem diceres. Nam inter cætera inſignem illam notam cum eo communem habet, quòd cornuta ſit, moribus etiam & ingenio illi eſt quam ſimillima, nempè & ſaltandi libidine & imitatione mimica. Deniq; quoniam his ipſis proculdubiò de cauſis ab authoribus plerisq; præſertim à Theodoro Gaza cum Aſione confundatur. Quin & hoc curauimus ne cornutas ſeu auritas aues noctũrnas, vtpotè ſpecierũ quadã cognatione iunctas ſepararemus. Reliquis etiam quæ ſequũtur, aures deſunt.

# ÆQVIVOCA.

Scops piſcis.

[a] L. 14. c. 12 Sanatio.

SCOPS Athenæo genus eſt piſcis. Ex eodem [a] Athenæo apparet, quod Σκὼψ, & fortè σκωπτυμα ſaltationis quoddam genus, ſiue geſtus inter ſaltandum fuerit. *Nam* σκὼψ (inquit) *geſtus quidam eſt proſpicientium, extrema manu ſupra faciem inclinata*, ut Aeſchylus etiã teſtatur. Solent quidam manum oculis hoc modo ad frontem imam opponere, ſpectaturi aliquid, ne offendantur a luce, & vt oculorum imbecillitati conſulatur, & fortè qui Scopem ſaltant, imbecillibus ſeſe Scopum aut Noctuarum inſtar oculis eſſe hoc modo ſimulant, qui lucem apertam ferre nequeant. Quanquam ſcriptores priſci, ut Athenæus, ſaltationem quandam Scopem dictam velint, non ab hac oculorum protectione, ſed à motuum & geſticulationum varietate, quòd auis hæc imitatrix ſimiliter varijs motibus geſticulari ſoleat. Nam & Pollux, *In Scope ſaltatione* (inquit) *quæ & σκωπίας dicebatur, collum quodammodo circum agebant ad imitationem auis eiuſdem nominis, quæ, dum ſaltantes imitatur homines, capitur.* Sed decentior aptiorq; forſan hæc ſaltatio fuerit, quę cùm corporis geſtibus, tùm viſus infirmitate Scopem imitatur. Imitabãtur teſte [b] Scaligero in hac ipſa morphaſmi ſpecie etiam ętates. Itaq; ſenes exprimebant cum ſcipionibus. Iitum ſaltantes ὑπογύπονες nominabantur. Siquidem γυπάνες ſignificarunt ligna tereti, quo nomine dicebantur, qui in grallatorijs phallis ſaltabant amicti pellucida veſte Tarentina.

[b] L. 1. Poet.

Ὑπογύπονες qui.

# SYNONIMA.

[a] L. 9. c. 14.

ATHENAEVS [a] Alexandrum Mindium citat, qui apud Homerum aliquos Κῶπας legere abſq; ſigma initiali tradat, & Ariſtotelem ſic σκωπτες nominaſſe. Idem annotat Euſtathius in quintum Odyſſeæ, nec non Aelianus. Speuſippus quoq; (inquiunt) & Metrodorus Κῶπας dixerunt. Itẽ Epicharmus. Frequentius vero legitur Scops, cuius hęc nominis ratio eſt. Scopes Græcè dicuntur (inquit) Euſtathius, vel a voce inepta παρὰ τὸ σκαιὰν ὄπα ἐχὴν. Cacophoni etenim ſunt, vel quòd vocẽ noctu emittãt παρὰ τὸ ἐν σκιᾷ, ὅ ἐϛι νυκτὶ αφίεναι ὄπα, uel quòd noctu maximè cernant παρὰ τὸ ἐν σκιᾷ ὃ παγκὴν ἐνεργὸν, vel deniq; quòd uarietate geſticulationũ, quibus naturaliter utuntur homines σκώπτοντας, id eſt, qui alios deridere, & deludere ſolent, referant. Quinimò uerbum σκώπτειν deductum eſſe ab his ipſis auibus Athenæus author eſt, quod imitando irridere ſignificat. Apud Germanos quidem, Græco huic uerbo σκώπτειν ſimile ferè eſt, & eiuſdem ſignificationis ſpotten. Apud Latinos hæc auis Scops nomen nondum inuenit: quod enim Aſionem ubiq; Gaza pro Scope uertit, & alij forſan eius uerſione decepti, idem exiſtimant, toto ſanè cælo errant, quod antè etiam monuimus. Eam uerò auem, quam nos argumẽtis paulò pòſt adducendis adducti, Scopẽ eſſe putamus, Itali uulgò Chiuino Bononię

Chiuino.

ſpertim uocãt. Cum.n. Chiu ſit & nomẽ & uox Oti propria, hęc uerò auicula & ſpecie ac figura corporis, necnon uoce eundem, quam maximè repręſentet, ſola corporis magnitudine exceptа &

cepta & coloris modica diuersitate, non temerè voce à Chiù diminuta, hãc Scopem Chiuino, quasi Otum paruum aut pusillum dixerũt. Eãdem ob causam Gallis, vt testatur [b] Bellonius, vn Petit Duc, quasi paruus dux nuncupatur. Quod autem Vlulam Latinorum ex hac aue faciat, non probo. Nam Vlulam cornutam nullus veterum habet. Scops verò & Chiuino Italorum & quam ipse pingit pro Vlula, cornibus seu auribus in vertice insigniuntur. Præterea auis hęc, quam ipse Vlulam, nos Scopem putamus, Noctua minor est, vt esse debet. At verò Vlula, iuxta [c] Aristotelẽ, *Aluconi compar*, nẽpe Gallinaceo maior, aut saltem ęqualis est. Germani hanc auẽ vtpotè quæ apud ipsos rara sit inuentu, & exotica, paruam Noctuam Italicam vocant, Kleine froembd, oder Vuelsch Kutzle. Neque enim Noctuis admodum dissimilis est. Alioquin aliud genus huic simillimum, sed Italicis albidius, cauda longiore, auriculis altioribus Tschauytle uocant, quasi Asionem exiguum dicãt, simili nomenclaturę quàm apud Italos & Gallos, ratione. Itali, qui montem Plumbicium in Ducatu Vrbinate incolunt, hanc auem Alocharello uocant id est, Aluconem paruũ. Adeò uaria & promiscua cõfusaq; est apud diuersas nationes auium nocturnarum appellatio, quę plerumq; ab analogia quadam, quę inter res ipsas est, detorquetur, & ab alijs nominibus potiùs, quam à rei natura, vtpotè quæ uulgo, imò etiam doctis ignota est, petitur.

[b] *L.2. de auib. c.35.*

[c] *L.8.c.3.*

Noctuæ Italicæ.

Alocharello.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

SCOPS Aristoteli & Plinio peculiaris quędam nocturnarum species ponitur. Quare haud rectè, uel ad Otos uel ad Vlulas, uel etiam ad Noctuas reducetur. Hoc tamen ei cum Asionibus & Bubonibus commune est, quòd auritus sit. Cum Vlulis uerò, quòd pedes utrinque in æquũ digitorum numerum dispertitos habeat, uti & Alucones. Cum Noctuis autem conuenit, quòd pedum compositione, figura, colore denique & magnitudine his, quàm alijs propior est. Hinc est, quod hæc auis alijs Oti genus, ut [a] Goropio, existimatur, nõnullis Vlula, ut Bellonio, alijs deniq;, ut Ornithologo, Noctua aurita minima, omnibus uerò aliò, quàm quò oportet, referentibus. Propriam enim per se speciem sub nocturnorum genere constituit. Duplex huius reperitur diuersitas: una & quam hîc delineatã dabimus, Italiæ nostræ frequens. Altera huic similis apud Germanos extat nostrate albidior, cauda longiore, auriculis longioribus, reliqua similis. Veteribus, ut Aristoteli & [b] Alexãdro Myndio, Scops in duplici genere traditur. *Quidam enim* (inquit ille) *omnibus anni temporibus patent & eam ob rem perennes, & ἀσκωπες, id est, Semperasiones vocabulo compositio appellantur, qui esui inepti sunt propter vitium carnis. Aliqui autumno interdum apparent, nec plus vno aut altero die commorantur, qui & esui sunt apti, & valde probantur.* Differunt hi nullo ferè alio à perennibus illis, nisi corpulẽtia pingui & quòd uox his deest, illis minimè. Quidam Germani docti uiri Scopem illum, qui semper conspiciatur, Keutzl n interpretantur Germanicè, hoc est, Noctuam paruam, alterum uerò, qui in autumno tantùm apparet uno atque altero die, ein Steinũl, id est, Noctuam uel Vlulã saxatilem; illi inquiũt, ὄφοοι sunt, hi clamant sub crepusculo. Atqui auis, quam Germani Steinkutz, id est, Noctuam saxatilem nominant, auriculas nullas habet, Noctuis potiùs adnumeranda: quare Scops auritus esse non potest; nisi huius etiam generis auritæ quædã Noctuæ inueniantur: sic perennes Scopes uocales esse ex Athenæo diximus, autumnales minimè: qui tamen è contra iuxta hos uiros clamant, ut illi muti sunt.

[a] *In Hermothena.*

[b] *Apud Athen. lib. 9. cap. 14.*

Keutzlin.

Steinũl.

SteinKutz.

# DESCRIPTIO.

SCOPS ab Alexandro Myndio citante [a] Athenæo, necnon [b] Aeliano, alijsq; ueteribus, ita depingitur, ut dicatur esse minor Noctua, & in colore plumbeo albicantia puncta habere, & ab utrisque temporibus duas pinnas subrigere. Scopis alterum genus, quod autumni tantùm aliquot diebus apparet, altero illo perẽni minus corpulentum esse, & Turturi, Palumboq; simile. Sed uideamus, num auis hæc, quam Scopem esse credimus omni ex parte ueterum notis respõdeat. Quam nostrates Chiuuino uocant, omnium rapacium nocturnarum propè minima est, si unam, eamq; raram excipias, quæ Alaudam non superat. Noctua minor est, maior Turdo, Palumbo ferè par, paulò tamen minor. Dodrantem eius longitudo implet. Magnitudine tantùm corporis & colore nonnihil à Bubone differre uidetur. Caput eius teres instar globuli, plumulis uestitum, coloris ubiq; plumbei. Rostrũ ei breue, obuncũ, nigrum. Aures uel plumulæ in aurium modum surrectæ, in mortuo uix apparent, in uiuo manifestiores & ex una tantùm pinnula constantes.

[a] *L.9.c.14.*

[b] *Lib.15.c. 28.*

Chiouino & eius descriptio.

Caput.

Rostrum.

Aures.

Color. Potiſſimus totius corporis color ſuperficietenùs cinereus eſt, hinc inde nõnihil admixto plũbeo, maculis plurimis albicãtibus, & pluſquam vllius alterius rapacis nocturnę, ornatu pulcherrimo diſtinctus. In maioribus alarum & caudæ pennis tranſuerſim poſitis maculæ albæ ſpectantur; Minores reliquas omnes præter notas tranſuerſas linea in longum nigra ſecat. Ruffo præterea decore promiſcuè per totum reſpergitur, potiſſimùm circa collũ, & alarum initium. In uẽtre plumæ magis, quàm alibi candicant, quarum uti omnium etiam reliquarum radices nigræ ſunt, ſed hæ peculiariter medio ruffeſcunt, cætera albæ, notis minimis ijſq; nigris variegatæ. Oculi quales plerisq; nocturnis, ignei, crocei, ſplendidi. Tibiæ plumoſæ ex cinereo ſubruffæ: pedes habet exiguos fuſcos ad plumbi colorem obſcurum accedentes, ſquammoſos, depi es in digitos binos anticos & totidem poſticos diſpartitos, vnguibus fuſcis inſtructos. In hac itaque auicula agnoſcere eſt, auriculas in primis *à ſupercilys* (ut inquit [c] Aelianus) *ſecũdum vtraque tempora* ſingulis plumulis utrobiq; compoſitas. Deinde Noctuæ minorem eſſe, & Palumbo ferè æqualem. Denique notas plurimas habere albas in colore leucopheo. Malè igitur Gaza & Bellonij error. za Scopem Aſionem eſſe putat, cùm Aſio ſit Noctua longè maior. Neq; rectè [d] Bellonius hãc modo à nobis deſcriptam auem Vlulam eſſe arbitratur, ſola nominis Gallici coniectura ductus, quæ à ſimilitudine Latini petitur, nempè quòd ea Gallis Hulotte vocetur, aliter Huette, Poſterior tamen vox ad Bubonum & Aſionum nomen Chat-huant propius accedit, quàm Vlulæ, etſi Vlula cornibus ſeu auriculis plumeis careat. Vlula inſuper iuxta mentem [e] Ariſtotelis Gallinaceo compar eſt, at hæc auis ipſo eodem teſte nocturnarum rapacium minima.

Oculi.
Tibiæ.
Pedes.

[c] *Lib.15.de anim. c.28.*

[d] *L.2.c.36.*

[e] *L.8.H.c.4*

Nos

Nos Vlulam, qualem Ornithologus, dabimus tribus antè digitis præditam, cõtrà atque Scops, qui binos vtrinque habet. Hinc etiam perperam tradi patet ab Eustathio Scopes esse, quos Romani seu Latini Kouphous vel Goufous vocant. Hodie Guuo nostris dicitur Bubo, à Scope certè longè alienus. Kouphous. Goufus.

## VOX.

VOCALES sunt, vt docet Aristoteles, Scopes illi, quos quia semper apparent, ἀειπωπες, id est, perennes vocant. Hi forsan fuerint, quales nuper calamo delineauimus, apud nos frequentes & sub crepusculum canentes, sonumq; edentes, quem nomen vernaculum exprimit Chiuin. Alij qui rarò apparent, muti sunt. Vocem Scopum inamœnam insuauemq; esse Alexander Myndius scripsit, uti omnium ferè nocturnarum.[a] Gyllius tâquam ex Aeliano; *Scops*, inquit, *omnes oris expressione & articulata voce longè superat, & quemadmodum Psittacus & Pica sic hominum & aliarum auium voces exprimit.* Nos verba hæc non apud Aelianum, sed apud[b] Athenæum legimus. Πάντα δὲ τὰ τῶν ζωῶν εὐγλωττα καὶ διηρθρωμένα ἐξι τὴν φωνὴν, καὶ μιμῆται τὰς τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ἄλλων ὀρνίθων ἠχάς. Quo in loco, etsi Athenæus tũ prius, tũ pòst de Scope scribat: attamen verba hæc nõ mihi videntur ad Scopem pertinere, sed in genere ad aues, quarum lingua latiuscula, adeoq; liberior, & vox articulatior est, ut illas, & hominum sermonem, & aliarum auium vocem imitari dicamus. Quod quidem non solùm Scopem non facere puto, sed neque vllam aliam nocturnam auem. Scops enim gestu corporis & circumactione colli tantùm, non autem voce ad imitationem compositus videtur.

[a] *L.2. Hist. ani. c. 36.*
[b] *Lib.9.*
Scopem nõ vti voce articulata.

## INGENIVM.

SCOPES *aues* (inquit Aelianus) *quarũ*[a] *Homerus mentionem facit, cùm earum multas circum Calypsûs antrum versari scribit, viri bene saltandi periti tradunt cum saltatione comprehendi, tum genus quoddam saltationis esse, quæ (si adhibenda ijs fides sit) Scops appellatur. Nam quòd ijs auibus iucundissimum sit quosdam ridicule imitari, ex eo profectum verbum est σκώπτειν, id est, effingere & non aberrare ab eis imitandis, quos ludicra ass mutatione imitãtur.*[b] Plinius mimicos hosce motus ac gesticulationes Scopi à veteribus attributas miratur, & vix credit: ita enim inquit: *Nominantur ab Homero Scopes autũ genus, neq; harum satyricos motus cùm insident, plerisq; memoratos facilè conceperim mente: neque ipsa iam aues nascuntur.* Nos verò non semel ridiculos hosce gestus in pluribus nocturnis, præsertim in auritis obseruauimus, nec quicquam prodigiosi aut monstri subesse imaginamur. Cùm enim colla retrò agilia habeant, caput modò adducendo, modò protendendo, vertice nutando, humeros iactitando, saltitando, hystriones quodammodò imitantur.

[a] *In Odyss.*
Scops saltationis genus.
[b] *L.10.c.49*

## GENERATIO.

DE *generatione Scopum* (inquit[a] Aristoteles) *quænam sit, nihil adhuc exploratum habemus, nisi quòd Fauonijs flatibus appareant. Certum enim hoc est.* Plinius Scopes amplius nasci negat, quia scilicet imitationes illas mimicas in Scope non capiebat. Cùm verò species rerum sint sempiternæ iuxta mentem Philosophi, & reuera quamdiu saltem generationis & corruptionis rerum stante mundo, duret uicissitudo, Plinium falli manifestum est.

[a] *L.9. Hist. cap.28.*

## ANTIPATHEIA.

SCOPES, ut in Aeliano addit[a] Gyllius mali punici grano pereunt. Verùm id in textu Græco non legitur.

[a] *Lib.6. Histor. animal. cap.46.*

## DENOMINATA.

Σκωπᾶιοι Græcis à Scope fortasse denominantur, apud Timonem in Laconia non infrequenter, homunculi, scilicet parui, σκίπωνες ab alijs dicti, qualis etiam Pithon Dindaricus fuisse videtur. Pigmæi.

## VSVS IN CIBO.

9.c.15. ΑΓΕΙΣΚΟΠΕΣ teſte[a] Athenæo, eſui non ſunt propter vitium carnis. Qui verò autumno tantùm vno aut altero die apparent, ſunt edendo vtiles & valdè probantur.

## DE ALVCONE. Cap. V.

ALVCO proximum ſaltem ab Otis mærebatur locum, quòd magnitudine ipſis nihil cederet. Scops tamen ei locum præripuit, ne aues nocturnas auritas, quę ad idem genus quodammodò pertinere, vel hoc nomine videbantur, diuelleremus. Maximè verò, quia pro Aſione ſeu Oto à pleriſq; haberetur, idq; ob multa, quæ vtrique ſunt cõmunia. Diſcrimen enim ſimilium non minus, quàm contrariorum, ſi iuxtà ponantur, magis eluceſcit, & minori negotio notatur. Nunc verò reliquis non auritis Aluco vel hoc meritò pręponẽdus venit, quia magnitudine ſuperior eſt, non Noctuis tantùm, ſed & Vlulis, vtpotè qui Gallinaceo etiam maior eſt.

## ÆQVIVOCA.

Pro menſa coqui. Ἐλεὸς, quod Græcum alioquin Aluconis nomen eſt, tanquam ſignificati præcipui, ſignificat præterea menſam coqui, ſeu lanij, vt Suidas ſcribit: videtur autem acui vltima ad differentiam vocis ἔλεος quę miſericordia eſt. Ἐλαιὸς verò per α diphtongũ in penultima Accipitris genus eſſe ſcribitur Heſychio & Varino. Sed alias etiam nocturnas aues, non hanc tãtùm Grammatici quidam cum Accipitrum & Aquilarum genere ineptè confundunt. Glis etiam animal quadrupes ἐλαιὸς vocatur. Eſt & ἐλαιὸς per αι auis nomen, de qua inter Paros agemus. Item ἐλέα, aut fortè ἐλέα parua eſt auis, quæ ἔλη, id eſt, paludes inſpectat ab arundinibus.

Ἐλαιὸς Accipitris genus.

Glis.

## SYNONIMA.

ἔλεος. ἔλαιος. ΕΛΕΟΣ Græcis Aluco dicitur, & fortè ἔλεος cum aſpiratione, quaſi ἕλειος, id eſt, paluſtris dicendum. Nam Vlulæ quoddam genus à paludibus Germani etiam Maſshvv appellãt. Quod nomen alioquin etiam Buteoni tribuũt, quòd corporis ſpecie aliquatenus Vlulam aut Bubonem referat. Ἀκκάλος legitur apud[a] Ariſtotelem, vbi Gaza vertit Ciconia, quaſi legerit πελαργὸς. Sed apparet hoc nomen Italicum eſſe aui nocturnæ ab aliquo fortè aſcriptum, vt vocę Aſcalaphon interpretaretur, & à librarijs poſtea perperam inſertũ. Syluatico Ololigus eſt Luocalis auis; videtur autem Luocalẽ pro Alocho, vel Alucone dixiſſe. Ololygon quidem apud Græcos varijs modis accipitur, à nullo tamen pro aue nocturna, etſi onomatopœia ipſa ad Vlulam auem accedat. Alioquin Ariſtoteles ranarum marium vocem, qua fœminas ad coitum alliciunt, ololygona nuncupat. Vocis Aluco, qua nunc Latini vtuntur, author eſt Ariſtotelicus interpres Gaza, qui eam ab Italis mutuatus videtur. Hanc enim vulgò Alocho nominant: vnde ipſe vocem Aluco formauit, quæ apud veteres Latinos nuſquã reperitur. Quod idem aliàs ſæpius in Latinorũ vocabulorum penuria feciſſe comperitur. [b]Albertus vbi apud Ariſtotelem ἐλεὸς legitur, habet Aquila Alem, nimirum ex Auicenna, qui cum reliquis Arabibus Græcæ linguæ ignarus, ideoq; malè Ariſtotelem vertens, & peius ipſe à ſemilatinis hominibus, utpotè nec Latinè nec Arabicè callentibus traductus, omnia fœda barbarie conſpurcarunt, & tenebricoſam illam nubem naturalibus rebus obtenderunt. Cæterùm vernaculi huius vocabili originem indaganti, neque aut domi noſtræ, multò minus apud Græcos Latinoſuè eam reperienti, commodum in manus venit VVolffgangi Lazij de gentium tranſmigrationibus liber, antiquitates cùm gentis tùm linguæ Germanicæ continens, qui mihi fidem fecit; (nam ut cuique artifici in ſua arte, ita & cuilibet homini in ſuo idiomate, tanquam eius perito credendum eſt,) Alocho nomen à Germanis petitum eſſe. His enim Lochen ſeu locken allicere ſignat, & locker allectorem. Vnde addito articulo à pro ein, quo ſuperiores Germani Auſtriaci præcipuè, frequentiſſimè vtuntur, fit à Locker, & immutatum Alocho. Eo autem nomine non temerè donatus uideri poteſt, quòd ut multis alijs nocturnis, ita & ipſo aucupes retibus uiminibusq; inuiſcatis auiculas capiendas alliciant. Multis enim alitibus inſitum eſt ad aues nocturnas ubicunq; uiſas, propter formę nouitatem, tanquam ad rarum quodam ſpectaculum denſo grege confluere, ita ut Bubones, Vlulæ ac Alucones omnis illecebræ inſtar ſint. Itaque incautæ aut inuiſcantur aut irretiuntur. Pari ratione forſan ac origine noſtratibus acus frugum nimirum glumi paleæuè ac quiſquiliæ locco dicuntur, quod ijs aut Gallinas agricola conuocare,

[a] *Lib.2.Hiſ. circa fin.*

Ololigus. Luocalis.

Etymolog.

[b] *L.8.H.c.3*

Locco vnde dicatur.

conuocare, aut aream probè verſam, in qua retia expandat, ipſe poſt dumum ſedens auceps, conſpergere ſoleat, atque his auiculas allectare. Quibuſdam Italiæ locis Lucharus dicitur, teſte Nipho, quæ vox Germanicæ lucher etiam vicinior eſt, ex qua diminutiua voce facta Plombini móticulæ Oti minimum genus, quod Scopem fecimus, Alocharello nuncupāt, vel ob eam quam cum Alucone habet ſimilitudinem, vel vt veroſimilius eſt, ob eundem vſum ad aucupia; & quidem frequentiſſimum. Galli Aluconem teſte [c] Petro Bellonio Hibou (quæ tamen alijs etiam communis eſt appellatio, vt Oto, ſed cum cornuti adiecto diſcrimine) nominant, vel Chat-huant quoque, voce partim ab actione, partim è ſono petita: Chat. enim, id eſt, Catus dicitur, quòd inſtar felium noctu mures in agris uenetur, Huant quod alta ac ſonora uoce exclamet. Hoc enim Gallis verbum Huer ſignificat. Vnde etiam Huette, qua minimus Otus ſeu Scops denotatur, nomen inuenit, non autem vt Bellonius autumat, ab Vlula Latinorum. Germanis compoſita voce Schleiereul uocatur, quæ tātundem ac ſi Bubonem ſeu Vlulam flammeatam dicas, ualet. Schleier Germanicè flammeum ſeu peplum, quo mulieres faciem circumuelare ſolent, notat. Eul nomen eſt plerisq; nocturnis apud Germanos commune, non Vlulæ proprium, ut malè Ornithologus putauit. Habet enim Aluco in faciei ambitu plumarum albarum ſeriem, ea figura diſpoſitam, ut flammeum, quo in Germania & apud nos ruſticæ præſertim mulieres caput faciemq; obuelant, quodammodò referat. Qua de cauſa nonnullis Galliæ Ciſalpinæ populis Dame vocatur, id eſt, mulier ſeu matrona. Nonnullis, Germanis forſan Berchvvl, tanquam in montibus degat. Verùm hoc Caprimulgo potiùs conuenit. Belgis Ranſule, fortaſſe ab hac eadem forma plumarum orbiculata. Orbis enim Belgis Rant vocatur: Illyricè Leleck teſte Gelenio.

Lucharus.
Alocharello.
[c] *Lib. 2. de auib. c. 32.*
Aetymologia.
Huer.
Huette.
Schleiereul.
Dame.
Berchvvl.
Ranſſule.
LelecK.

# DIFFERENTIÆ.

[a] BELLONIVS duo genera Aluconum videtur agnouiſſe, vnū maius, nempè Caponis magnitudine: alterū multò minus. Vtrumq; hoc nomine Chathuant comprehendit, maioris minoriſuè duntaxat addito diſcrimine. Hoc tamen minus ſeorſim poſtea deſcribit ſub nomine Gallico Effraye & Freſaye & Caprimulgū, ſeu Aegotilan Strigemuè Ariſtotelis eſſe opinatur, hoc ſolo argumēto adductus, quod noctu formidoloſis hominibus, vt fæminis & pueris, qui laruas & ſpectra nocturna mirum in modum expaueſcunt, horribili & abſona voce incutiat. Qua de cauſa etiam Gallis altero illo nomine Effraye appelletur. Effrayer Gallis non aliud ſonat, quàm incuſſo ſubitò pauore quempiam conſternere. Sed cùm hæc auis noſtrum Aluconem, eumque verum omnibus notis exprimat, cùm quòd præcipuum eſt in Aegotila capras mulgere, nunquam comperta ſit, tùm etiam ab Alucone, quem ipſe ponit, uix alia re, quàm magnitudine & roſtro diſcrepet, denique cùm eodem cum maiori apud Gallos nomine gaudeat, nos eum non Caprimulgum, ſed Aluconem minorem & genuinum ſtatuemus.

[a] *Lib. 2. de auib. c. 32.*
Effraye.
Freſaye.

# DESCRIPTIO.

Γλαὺξ ſeu Aluco maior eſt Gallinaceo authore [a] Ariſtotele, quod de maiori teſte Bellonio è duobus uerum eſt. Maius eſt hoc genus Noctuis & Vlulis, ſed Otis minus, omnibus hoc peculiare eſt, ut palpebrā à ſummo oculo ad imum adducentes, conniueant. Auriculis ſeu cornibus caret, ſed horum loco habet ueluti coronam quandam è plumis conſtructam, quæ faciem totam obit, pinnulis nempè ſupra oculos, ſuperciliorum altorum modo, eleuatis, & utrinq; per tempora, necnon ſub mentum deſcendendo in orbem coëuntibus in flammei ſeu pepli muliebris formam, quo caput & faciem mulieres obuoluunt. In cauitatem profundam à plumulis vndiquaq; ſurrectis conſtitutam oculi immerguntur magni, atri toti, nulla colorum diuerſitate, ut in alijs auritis, diſtincti. Pars auis prona, nempè pectus & uenter albeſcit, maculis nigris reſperſa maiuſculis, Roſtrum album eſt, admodum aduncum, quemadmodum & ungues. Crura plumis conteguntur candidis. Pedes uerò pilis tantūmodò. Dorſum colore plumbeo, notulis uariegatum albidis. Cospus denſo plumarum tegmine ueſtitur, quod in cauſa eſt, ut Caponem æquet magnitudine; ſi uerò denudatur uix pullo Gallinaceo par eſt. Alæ magnæ ſunt, ita ut ultra ultimam caudam protendantur.

[a] *8. Hiſt. c. 3.*
Magnitudo.
Aures.
Oculi.
Pars prona.
Roſtrum.
Crura.
Dorſum.
Alæ.

Alter

Magnitudo. Caput. Oculi. Roſtrum. Color.

Alter Aluco, quem nos depictum exhibemus, priori in multis ſimilis, ſed minor eſt. Neque enim domeſticam Columbam magnitudine excedit. Anterior capitis pars ſimiliter plumulis candidis in formam flamei cincta videtur, quas circulus luteus vndiquaque ambiens claudit. Oculi nigerrimi verſus interiorem & maiorem canthum plumis luteis obſidentur. Roſtrum album, breue, nõ adeò aduncũ, quale ferè eſt Corui. Pectus, venter, alæ interiores, vropygium inferius, femora plumis cinereis teguntur. Venter ad latera præſertim notis exiguis veluti punctis nigris diſtinguitur. Vertex capitis, collum, dorſum, alæ ad pennas remiges vſque plumis veſtiuntur ab initio propè radicem cinereis obſcuris, ſeu plũbeis, reliqua luteis ſeu ferrugineis dilutis. Singulæ præterea pẽnæ in medio iuxta calamum ſeriem macularum ex albis & nigris ſibi mutuò ſuccedentibus conſtitutam oſtendunt. Dorſum verò promiſcuè, alæq; hinc inde denſis veluti punctis nigris reſperguntur. Quæ remiges integunt, primi & ſecundi ordinis plumæ, totæ

mæ, totæ ruffæ obſcurè, cinereo nonnihil dilutæ, circa apicem præſertim, copioſè eiuſmodi punctis nigris reſperſę. Remiges denique ipſæ lineas tranſuerſas ijſdem pũctis ordinatè compoſitas obtinent, extremis item ſimiliter denſa punctorum uelut aſpergine irroratas, cætera fuluas, fuluiſq; & nigris tranſuerſim maculis adornatas. Cauda ſimiliter ruffa lineis tranſuerſis ſeu zonis fuſcis diſtinguitur. Tibiæ & pedes villis horrentes, nonnihil rubent. Hi binis antè & totidem retrò digitis inſtructi, vnguibus armantur longis, validis, acutiſſimis, & aterrimis. Vterque tam maior quàm minor ſimili macularum diuerſitate variegatur. Minorem ſcribit [b] Bellonius pręter morẽ cæterarum nocturnarum oculis exiguis præditum eſſe. Verùm iſtam oculorum paruitatem, cùm mediocres videantur, in noſtro vix obſeruare potui.

Cauda. Pedes.

[b] *L. 2. c. 35.*

## VOX.

MINOR Aluco, quem Caprimulgũ opinatur Bellonius, vocem noctu edit admodum terribilem, adeò vt formidoloſis pueris, præſertim & fæminis, quos umbra & ſpectra nocturna terrẽt, pauorem incutiat. Quæ in cauſa res fuit, ut ipſe hãc auem Aegothilam Ariſtotelis ſuſpicatus fuerit, ſeu Strigem, quę ab horribili ſuo ſtridore etiam, quo noctu obſtrepit, ita dicta fuit.

Bellonij error.

## VOLATVS.

Aluco maior [a] Bellonio teſte trãſuerſim inter volandũ fertur, qui Ardeis etiã volandi mos eſt.

[a] *L. 2. c. 2.*

## LOCVS.

Ἔλειος minor ſeu Gallorum Effraye, vt inquit [a] Bellonius, rarior multò conſpectu eſt, quàm maior, inueniturq; in locis campeſtribus, in rimis antiquarum turrium aut quercuum etiam cauernis, quas temporis vetuſtate teredo excauauit. In ſaxis item præruptis montaniſq; non minus quàm humilibus locis habitare compertus eſt.

[a] *L. 2. c. 35.*

## VICTVS. PVGNA.

ALVCO quod fortè cepit animalculum, ſiue auicula fuerit, ſiue mus maior, minoruè, integrum deglutit. Tam ampla enim gula eſt, vt bolos ouo maiores integros tranſmittat. Neque verò aliud quidpiam cibi aſſumere aggreditur, antequam deuorati animalculi oſſa, pilos plumaſq; à reliqua carne ſecretas reijciat, ac reuomat, haud ſecus quàm Alcyon piſciculorum comeſorum pinnas & oſſicula tranſacta cibi coctione velut inutilia & nocitura ore excernit; natura id ſua ſponte machinante & peragẽte, quòd animans præ nimio edendi ardore ac feſtinatione neglexit, dum ea, quæ nutriendo non ſunt, neque à naturali calore ſubigi euinciq; queunt, à probo & molliori alimento ſegregat. Picas etiam, vt teſtatur [a] Ariſtoteles, venatur, vt Vlula. Impugnatus pari arte & aſtu, qua de auritis dictum eſt, ſe defendit, ad propugnandum potiùs, vt videtur, quàm ad offendendum compoſitus.

[a] *8. Hiſt. c. 3.*

## OBSERVATIO IN ORNITHOLOGVM.

QVAM Ornithologus Vlulam flammeatam vocat, & pingi curauit, nos prius aliam à noſtris putantes, quòd nimirum vitio pictoris, à quo iconem ipſe acceperat, inſcitè delineata, viuam auem minimè repreſentaret, ſeorſim etiam exprimi curaueramus, nè quod in hoc auiũ vniuerſali cœtu, quoad fieri poſſet deſideraretur. Poſtea tamen penitiùs rẽ introſpicientes, collatis diligenter huius & noſtri Aluconis deſcriptionibus & figuris, planè eũdem eſſe deprehẽdimus cum eo, quem nos acuratiùs delineatam dedimus, qui etiam illius vitia conſiderãti prodet facilè. Vt autem Vlulam ex hac aue faceret, ſolo nominis argumento ductus fuit, neque eo ipſo ſatis firmo. Videns enim Germanis Schleyereul dictum eſſe ob conſonantiam & alluſionem Germanici Eul cum Vlula, ſtatim Vlulam eſſe ſtatuit, ſed flammeatæ diſtinctione: cum Germanum latere non debebat, illud nomen ipſi vernaculi Eul, non Vlulæ tantùm, ſed omnibus omninò nocturnis rapacibus commune eſſe, apud vulgus potiſſimùm, quod non ita exactè ſpecies rerum diſcernit. Eniuuerò ſi Vlulas omnes putabimus eas aues, quas Germani Eul indige-

Vlula flammeata.

indigitant, iam tota noctuarum turba in Vlulas abeat neceſſe eſt. Vt uerò opinionem hanc noſtram ueram eſſe probemus, Iconem, quam Ornithologus ponit, hîc ſubijcere etiam viſum eſt.

# DE VLVLA. Cap. VI.

VLVLAM Aluconi, vtpotè Gallinaceo maiori poſtpoſuimus, quòd Gallo æqualem natura fecit & Ariſtoteles agnoſcit. Reliquis igitur nempè auritis (excepta Scope) & Alucone, præſertim maiore minor eſt, & Noctuam ſolam magnitudine ſuperat, & eo nomine illi præfertur. 50

NOMEN-

# NOMENCLATVRA.

ESAIAE[a] Vlulæ ab omni translatione אים Iim appellantur. Septuaginta tamen interpretes pro his Onocentauros in translatione posuerunt. Lilith vocem Hebraicam interpretantur lamiam, onocentaurum, & Noctuam, & fortè Vlulam significat alludente vocabulo. Ianah vlulare aliquando est Hebræis vnde est quòd quidam Ienah Vlulam interpretãtur. Et sanè Italicum nomen Barbaiano ab Hebræo Ienah & bath ienah nõ admodum dissonat. Α'ηωλιὸν Theodorus ex Aristotele Vlulam interpretatur. In Oti verò descriptione, dicente[b] Aristotele, quòd etiam supra in Oto meminimus, Otum à nonnullis Nycticoracem vocari, ipse Nycticoracem vertit Vlulam, alibi tamen Nycticoracem Cicumam transfert, vtrumq; quidem non rectè. Alibi apud Aristotelem pro Aegolios perperam legitur Aetolius. Suidas similiter *Epolios*, inquit, *genus est auis nocturnæ*. Apud quẽ hoc nomen simili modo scribitur in vocabulo ἡμερωπὰ vtrobiq; proculdubiò ἀιγωλιὸς legendũ. In Glossar. ὁ ἀλολυγὴ & ὁ ἀλολυγὼν pro Vlula etiã legitur. Vlula apud Latinos per onomatopœiam à voce nomẽ inuenit. Lugubriter enim vlulat & flebilem quendam, veluti eiulatum noctu vocem edit. Vnde & Seruius nominatam ait, ἀπὸ τῆ ἀλαλύζειν, quod est vlulare & flere. Apud Italos quoscdã nomẽ Latinum seruat, ab alijs vt etiam à nostratibus Bononiensibus Barbaiano dicitur, quia fortè senis cuiuspiam cani humanũ vultum referat. Senes vulgus nostras plerumq; barba vocat, & peculiariter auũculos aut patruos, & Iane siue Zuane siue Zane vsitatissimum nomen est, vbi aliud deficit. Alijs magis placuerit id ab Hebræo deriuare, ad quod fateor nonnihil alludere, nempè ad iaenah seu bath iaenah, Lusitanis Corusa, Gallis teste Bellonio Hulotte uel Huette. Mihi magis placet auem Gallis ita dictam Scopem esse, non Vlulam; alijs Grimauld uel Machette Auimone: Germanis Vuuel, Vl, Eul, Nachteul. Omnia à fletu conficta nomina. Vnde etiam Latinorum Vlulam & ululo Goropius deflectit. Hul enim, inquit, uocali longa idem est, quòd fleo cum tristi uoce, siue ploro, quod ab eadem origine dicitur eiulo; Eul tamen, ut antea monui, plerisq; nocturnarum rapacium commune apud Germanos nomen est, fortassè quia plures eadem lugubri uoce, à qua id effictum est, utantur. Anglis an Ouul, an hounlet, uel ut alij scribunt, an Ouuele, an oull, Illyrijs Souua, Polonis Puszyk, Belgis seu Germanis inferioribus propriè Huben uel diminutiua uoce Hubeken, teste Goropio Belga.

[a] *Cap.* 13.
Iim.
Onocentaurus.
Lilith.
Ianah.
Ienah.
[b] *L.* 8. *Hist. cap.* 3.
Barbaiano
Α'ιγωλιος
Gazæ error.
Aetolios.
Aepolios.
Aetimologia.
Corusa.
Hulotte.
Hauette.
Grimauld.
Machette.
Souua.
Hubeken.

# FORMA.

ALVCO, inquit[a] Aristoteles, *maior Gallinaceo, Vlula compar*: id est, æqualis Gallinaceo, VVottonus uocem παραπλήσιος non ad magnitudinis comparationem refert; sed ad formæ similitudinem, ueterẽ in hoc interpretem secutus. Ego quanquã Aluconem & Vlulam aues specie non dissimiles esse fateor, Aristotelem tamen hoc in loco magnitudinem utriusq; ad Gallinaceũ comparasse (cui æqualis sit Vlula, Aluco maior) non dubitarim. Quam nos Vlulam uocamus, erat huiusmodi.

[a] *Hist. c.* 3.

# DESCRIPTIO.

VLVLA, cuius hîc iconẽ dabimus à rostro ad extremam usque caudam longitudine erat duorum dodrantum. Caput, dorsum, alæ, cauda colore cinereo, maculis albicantibus, ac nigris distincta: sub uentre albicat & maculis nigricantibus uariegatur. Capite est ualdè magno, enormiter crasso, tereti, plumoso admodũ. oculis ex toto nigricantibus & plumulis albis undiquaque in orbem cinctis. In quorum item ambitu ad palpebrarum oras, lippiẽtium, instar rubescens circulus conspicitur. Superiori tantùm palpebra inter nictandum oculus contegebatur. Rostrum aduncum, subrubescens: nares patulæ: alæ maximę longitudine duorum dodrantum ad extremam usque caudam protensæ. Crura habebat pilosa ad ungues usque leucophæos, aduncos, acutissimos. Digiti quatuor, bini antè, retrò bini. Alui Vlulã hanc per timestre spatium domi meę, ac primùm Caprimulgum esse ratus, capram, cuius ubera exugeret, appingi curaueram. Rustici & aucupes, qui pullum mihi uendiderant, rogati, uix certũ nomen respondere poterant, Barbaianum tamen pleriq; uocabant, & esse credebant, quod Vlulæ nomen est. Magnitudo ab Aristotele Vlulæ data quadrabat, sed vnica Hirundo non facit uer. Quamuis à ueteribus nihil præterea signorum memoriæ proditum sit, quibus ueram Vlulam seu αἰγωλιὸν ab alijs certò dignoscere liceat. Diuinare itaque tantùm, non demonstrare nobis licet. Aluco non est. Nihil enim

Magnitudo.
Color.
Caput.
Rostrum.
Nares.
Alæ.
Crura.
Digiti.

dissimilius

dissimilius est,quàm ille,quem Italia Alocho vocat. Noctua nõ est,glaucis destituta oculis; Cæ pras mulgendi maleficij nemo eam accusat. An igitur species quædam à reliquis omnibus diuersa? Quò minus audacter Vlulam esse pronuntiem,vox obstat,quam non flebilem eiulãdo, quæ Vlularum esse dicitur, sed pullorum Gallinaceorum haud absimilem rostro frendendo edebat. Si tamen ad specierum aliquam referenda sit, non video , quò commodiùs, quàm ad Vlulam reduci possit,quod tamen & alij videant, præsertim cùm ipsi ea,quam Ornithologus suæ Vlulæ dedit,descriptio maxima ex parte conueniret, quæ quidem est huiusmodi. Vlulæ, inquit,genus,quod aliquando inspexi,huiusmodi erat.Magnitudo Gallinæ vel suprà. Color ruffus,nigro respersus. Rostrum albicans,breue,vt in genere Noctuarum,aduncum , ita vt superior pars multò sit longior . Oculi magni, nigri , pupilla obscurè ruffa: Margines palpebrarum rubicundi membrana nictanti supernè abducebantur . Pinnulæ inter oculos & rostrum multæ,densæ,cinereo ferè colore.Collum agile multùm retrò. Crura albicantia punctis consperſa liuidis,hirsuta ad pedes vsque.Pedum digiti bini antè,totidē retrò.Hæc Ornithologus.

Vox.

Vlula Gesneri.

Rostrum.

Oculi.

Collum.

Crura.

Pedes.

Cæterùm

Cæterùm descriptioni Vlulæ imago, quam exhibet, non respondet. Etenim tres antè digitos habet, retrò vnum. Quò fit, vt apud me mendi suspitione non careat. Nam præter Bubones, Asiones & alias auritas hactenus nulli nocturnarum tales pedes visi sunt. Noctuã insuper saxatilem Ornithologus ternis antè digitis instruit. Cæteræ omnes æqualiter dispertitos vtrinq; digitos obtinent. Caput præterea icon exhibet grãde, paris cum humeris, quibus sine vllo colli interstitio incumbit, crassitudinis. Rostrum breue est admodum, & instar Aquilini aduncum, ita vt ad narium regionem tuberculo quodam eleuetur, quod in nocturnarum reliquarum nulla hactenus obseruaui. Pedes. Caput. Rostrum.

# VOX.

OVATERNAS ferè auium nocturnarum in vniuersum vocis diuersitates obseruaui, quamuis plures esse non negârim. Oti cùm maiores, tùm minores & Scopes nomen suum Italicum, quod est Chioù, expressè sub crepusculum pronuntiant. Noctuæ differunt. Nec enim hanc, quam dixi, vocem edunt, nec vlulant, sed sonum emittunt, quẽ Aristophanes κικκαβᾶν nominat. Aliæ quædam, vt ea, quæ sub Vlulæ nomine etiam hoc capite comprehendimus, & descripsimus, vocem qualem pulli Gallinacei fundunt. Nonnullę, vt Caprimulgus, stridٍent. At Bubones & Vlulæ luctisonæ aues, & funebres querulum teste Apuleio, carmen eduut. Quare Vlulam à voce sua dictam scribit Varro. Nam vt author Philomelæ canit.

*——vlulant Vlulæ lugubri voce canentes*

Neque enim hic opus est vt ad Græcismum recurramus more Seruij, qui nominatam ait Vlulam ἀπὸ τῆ ὀλολύζειν, quod est vlulare ac flere. Verbũ enim quod hanc vocem exprimit, cùm sit ad imitationem naturæ effictum, apud omnes ferè gentes penè idem est, & eandem nominis Vlulę rationem obtinet. Quod enim Græcis est ὀλολύζω, id est, flebilem ac mœstum sonũ more luporum edo, hoc Latinis est vlulo & Italis, quamuis hi etiam voce nonnihil immutata vrlare dicunt, Germanis heulen, Gallis heurler, Hispanis aullar, Belgis hulen, idemmet planè significant. Vnde his postremis (vl) vel (eul) non vnum auis nocturnæ genus, sed omne ferè & præsertim id cui hæc lugubris vox communis est, designat, vt sunt Bubo, Vlula. Et ab his ratione similitudinis speciei ad alias etiam detorquetur. Dicitur verò hoc ipsum verbum vlulo etiam propriè de lupis, vt ex illo [a] Virgiliano versu liquet. Vlulo de quibus dicatur.

*Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.* [a] *Georg.* 1.

Cùm autem lupinus hic vlulatus sine aspiratione vix queat exprimi, volunt quidam hululo & hulula, præmissa aspirationis, quæ illi sono naturaliter inhæret, nota, efferri, quod etiam Galli & Germani in suo idiomate obseruant. Eiusdem originis & significationis est eiulo Latinorum, quod est mœsta ac flebili voce plango. *A plancțu* igitur, inquit, [b] Isidorus, *& luctu nominantur Vlula*: Clamans enim aut fletum imitatur aut gemitum, quas easdem etiam Buboni voces tribuit [c] Virgilius eo versu: [b] *12. Orig. cap. 7.* [c] *5. Aeneid.*

*Salaq́ culminibus ferali carmine Bubo*
*Visa queri, & longas in fletum ducere voces.*

Vnde etiam Pontanus vxoris mortem lamentis prosequens, inquit:

*Conueniant Vlulæ ad quæstus, geminentq́ querelam.*

Quin & ploratus ipse lugentium Vlula vocatur apud Varronem. Ea cantus ipsius mœstitia fecit, vt apud Germanos in ænigmate quodam sine lætitia volucris appelletur. Amusum verò & absonum ipsius carmen penè prouerbio originem dedit, quod est apud [d] Vergilium. [d] *Eglog.* 8.

*Certent & Cygnis Vlulæ, sit Tityrus Orpheus.*

cui locus est, cùm, vt aiunt, *Sus Mineruam*, aut cùm quidpiam impossibile, aut præter naturæ ordinem fieri significatur. Proprium verò gemitus eius seu ploratus potiùs, quàm cantus tempus videtur esse vespertinũ, vt [e] Apuleio placuit, qui in hæc verba scribit: *Quibusdam auibus breuem & temporarium natura cantum commodauit, Hirundinibus matutinum, Noctuis ferum, Vlulis vespertinum, Bubonibus nocturnum.* [e] *L. 2. Flor.*

# TEMPVS.

NOCTE uagatur ac pascitur, ait [a] Philosophus: die rarò apparet. Nocturna enim est, & lucifuga quare non minus eam mirantur diurnæ aues, quàm reliquas nocturnas alias, ad quod allusit [b] Arcesilaus lepido hoc dicto, vt est apud Laertium. [a] *9. His. c. 7.* [b] *Lib. 4. de vita Philos.*

*Hæc ait, & turbam dextra leuaq́ frequentem*
*Ingreditur, volucres Vlulam vt mirantur ineptæ:*
*Illa stupet stolidum:*

vbi tamen γλαῦκα habet textus Græcus, id est Noctuam.

# LOCVS. VICTVS.

COLIT *hæc etiam ſaxa, & ſpeluncas*, eodem Ariſtotele teſte. *Victus enim gemini eſt.* Difficilè eſt hoc quidem loco Philoſophi mentẽ aſſequi, primùm cùm inquit *ſaxa etiam colere*, quid ſibi velit illud(etiam): Deinde quid intelligat *per victum geminum*. Cùm nihil præcedat,è quo commodum ſenſum elicere liceat, conijcio,eum dicere velle,Vlulam(quod ad prius)non ſolùm in campeſtribus arbores cauas habitare,quod multæ aliæ nocturnæ ſolent; aut ædium antiquarum ruinas turriumuè rimas, quæ etiam illis familiaria domicilia eſſe ſolẽt,verùm rupes inacceſſas,& ſaxoſa præcipitia tuta,& ab omnium hominum conſortio remota colere. Duplicia hæc loca duplici victus generi accõmodata indicant,nempè cãpeſtria & humilioria ad fruges legendas,vt & excelſa ac ſublimia rapinis agendis carnibuſq; in cibum parandis. Atq; hoc eſſe videtur,quod ait, *Victus enim gemini eſt*, tanquam cauſam reddat,cur diuerſis locis degat. Eſt itaque in vtrumq; vitæ genus parata,neq; difficultate vlla in hoc quærendo prępedita, vtpotè ſolers. Quod confirmare videtur Philoſophus,cùm ſubiungit. *Pollet ingenio ac induſtria in vitæ muneribus.* Alioquin alibi *Vlulam Picas etiam venari, vti Alucones*, ſcribit, vtpotè carniuoram.

Ariſtoteles dilucidatus.

[a] 8.*Hiſ.c.3.*

[a] Idem alicubi: *Vlula*, inquit, *Colarem rapit, cæteriq; adunci, vnde his oritur bellum*, Verùm hîc ſuſpitio eſt,nè nomen Colarem fortè corruptum ſit, præſertim cùm nec ipſe Ariſtoteles alibi, nec alius quiſpiam eius meminerit. Cùm verò antè Vlulam & Aluconem Cittas,id eſt, picas venari ſcribat,Cittan aut Κολοιὸν malim, aut Collurionem.

# PARTVS.

[a] *L.10.c.16* [b] *6.H.c.6.*

QVI *Aegolius vocatur, quaternos ferè parit*, vt [a] Plinius habet ex [b] Ariſtotele, vbi ἀιτώλιος legitur. Ornithologus perperam pro Aegolios Aetolios ſcriptum putat,idq; Gazam non animaduertiſſe. Ego tamen hac de re dubito; Certum tamen eſt Philoſophum verbis proximè præcedentibus de Miluis tantùm agere. Itaque innuere mihi videtur, cùm plura ſint Miluorum genera,reliquos quidẽ ternos plerumq;, Aetolium verò Miluum quaternos parere, vtpotè reliquos fœcunditate præeuntem. Quem ſenſum ex vocula(ſed) colligi rectè apparet. Sed docti iudicent.

Miluus ætolius quot pariat.

# AVGVRIA.

[a] 12.*Orig.7*

ISIDORVS tradit Vlulam apud [a] Augures, ſi lamentetur, triſtitiam, ſi taceat, futuram oſtendere proſperitatem exiſtimari.

# VSVS IN MEDICINA.

VLVLA auis cocta in oleo,cui liquato admiſcetur butyrum ouillum,& mel ad ſananda vlcera valet. Eiuſdem fel prædicatur ad albugines,ſuffuſiones,caligines. Adeps ſimiliter ad claritatem,author eſt [a] Plinius.

[a] *L.29.c.6.*

# PROVERBIVM.

PROVERBII loco vſurpari poteſt illud, quod eſt apud Varronem, *Fullo Vlulam*. Cuius hic eſt ſenſus,exponẽte [a] Turnebo: Vlula vox, quam vlulantes & flentes edunt in funere,ut mulieres atratæ. Cùm autem fullones elicere maculas ſolerent albarum veſtium,neque eorum induſtria ſit opus atris veſtibus,eleganter, Varro dixit, *fullones Vlulam timere*, quòd luctus eos ad inopiam redigat. Eius verba ſunt ἐν ταρῆ μεμίπτω. *Saltem infernus tenebrio κακοδαίμων teneat atque habeat homines ſolicitos, quod eum peius formidant, quàm fullo Vlulam.*

[a] *Lib.29.ad nerſ.c.27.*

# FABVLOSA METAMORPHOSIS.

MINYIAS Orchomeni filius, filias habuit Leucippam, Arſippam & Alcathoën. Hæ operum nimio ſtudio arſerunt, plurimumq; alias mulieres reprehenderunt, quòd urbe relicta in montibus baccharẽtur. Tandem Bacchus puellæ ſumpta forma eas hortatus eſt,ne ſacra & miſteria Dei deſererent. Cùmq; animum non aduerterent, indignè ferens Bacchus è puella in taurum, leonem & pardalim eſt mutatus, fluxitq; ei ex ore

nectar

nectar & lac. His prodigijs territæ paulò pòst sortes in vrnam coniectas concusserunt, exijtq; sors Leucippæ: ea uouit Deo sacrificium, suumq; filium Hippasum adiuuantibus sororibus, dilaniauit. Inde paterna domo deserta in montibus bacchatæ sunt, pastæq; hæderam, smilacem, & laurum, donec eas Mercurius virga tactas in uolucres conuertit, Vespertilionem, Byzam, & Vlulam, & hæ tres solis radios fugiunt & Myniades dictæ sunt. Myniades

# DE NOCTVA. Cap. VII.

NISI non tam dignitatem, & naturæ præstantiam in ordine inter nocturnas statuendo considerassemus, quàm corporis magnitudinem, & alias partes, quò, quantum liceret, clarissimam inter similes adeò, & hactenus non satis benè distinctas species, diuersitatem notare possemus, iam sanè non ultimum locum, sed fortè etiam primum in suo genere Noctua uendicabat. Hæc enim apud Græcos olim, præsertim apud Athenienses, Mineruæ sacra habita, nec non indubium uictoriæ signum fuit. Erat etiam sapientiæ & prudentiæ, quam Pallas ex patris cerebro nata, daret, simulacrum, quibus administratę res optatum proculdubiò finẽ sortiuntur. Sapientia namq; nocturna contemplatione & uigilijs diuturnis paratur, quibus utr sque Noctua cęteris auibus præstare egregiè uidetur. Quare quia noctù uidet, sic in obscuro sapientes: quia uigilat ita in meditationem silentio & solitudine gaudere innuit. Vigiliarum ratione etiam Aesculapio Medicinæ Præsuli, appingi solet, quòd nihil medicum tam decere putarent antiqui, quàm vigilantiam. Noctuę dignitas, & honos. Vigilantiæ medicos decet.

# ÆQVIVOCA.

GLAVX stirps est à [a] Dioscoride descripta, Eustathius γλαὲξ habet, quasi γάλαξ. Lactis enim copiam facere dicitur. Huius, succus [b] Galeno glaucium uocatur, frequenti usu in collyrijs, & his quę moderata refrigeratione egent. Est etiam γλαὺξ numismatis quoddã apud Athenienses genus, quod Noctuã impressã habebat ab una parte, ab altera Iouem, eratq; diobolus seu diobolum. Nominatur γλαὺξ inter saltationũ genera apud Athenęum, in qua fortassè gestus, & circumactus colli Noctuæ aliquis imitabatur. Nam ipsa Noctua genere quodam saltationis capitur, teste [c] Plinio. Similem significationem obtinere diximus uocabula Bubo, Scops, & Otus ob stultam gesticulationem, quam naturaliter collo variè huc illuc acto edunt. Noctua Oppiano piscis est, Amerochita alias dictus.

*Noctua quanta gulæ fortiuntur damna voracis.*

Noctua erat etiam genus nauis apud Athenienses, quam inusserunt, hoc est, stigmate signarunt. [d] Lipsius.

[a] *L. 4. c. 136* Glaux herba. γλαὲξ. γάλαξ. Glacium quid.
[b] *Lib. 6. de simp. med.* Glaux numisma. Glaux saltatio. Amerochita piscis.
[c] *L. 14. c. 12*
[d] *In elect.*

# SYNONIMA.

HEBRAICVM nomen Kos כוס, Noctuam interpretantur, cui finitima est Germanica vox Koutz: alij Nycticoracem, alij aliter. Pro voce Ianah ינאה. [a] Septuaginta verterũt Glaux, id est, Noctua, item [b] alibi, ubi communis etiam translatio Noctuam habet; alij Nycticoracem. Ianscuph ינשוף omnes Hebræi sentiunt auẽ esse nocturnã à ianaph seu neścheph potiùs נשף, quod crepuscu lũ significat. Tum temporis enim, vt inquit Aben Esra apparet, cùm lucẽ interdiu ferre nequeat: nostri & septuaginta Ibin exponunt, alij Noctuam. Apud [c] Esaiam, vbi scriptum est *Ianscuph, & Coruus habitabunt in ea:* Hæbrei omnes per Ianscuph nocturnã auem intelligunt, alij Noctuam. Innuit Propheta desolatam iri urbem, adeò vt hæ aues inhabitaturę sint. Aues enim nocturnæ ædificijs antiquis & desertis gaudẽt. Tachmas התחמס Auis quædam impura & rapax, [d] Septuaginta Larum interpretantur. [e] Alibi γλάυκα. Hierony. item Noctuã. Alijs Tachmas est Nycticorax, sic dictus, quòd rapiat & spoliet cæteras aues. Vnde Thargum Hierosolymitanum habet Hatuphita, à rapacitate. חטף Hataph enim rapere significat. Quidam etiam alia in dictionarijs suis Noctuæ nomina ponunt, vt Kimus & Kiphupha. Syluaticus Arabibus Allakalicki aues, inquit esse noctícolas: videtur autem Noctuas intelligere. Albertus Noctuam Halatron ait Græcè dici non peritè: Videtur autem Persica vel Arabica illa vox esse ex Auicẽna. Noctua Græcè γλαὺξ nominatur à glauco oculorũ colore, Nomen hoc

Kos. Ianah.
[a] *Leuit. 11.*
[b] *Deut. 14.* Iáschuph.
Ibis.
[c] *Cap. 34.* Tachmas.
[d] *Leuit. 11.*
[e] *Deut. 14.* Hatuphita Hataph. Kimus. Kiphupha. Allakalicki. Halatron. Etimolog.

Attici circumflectunt, Doricè verò & communiter acuitur, vt Euphronio, & per onomato pœiã Cicaba & Cicymis. Vnde etiam vox κικκαβᾶν apud [f] Ariſtophanem à nominatiuo Cicymis vſurpato Callimacho fit gignendi caſus κικυμίδος. Hinc & Cycuma nomen Latinum fortè [g] Gaza finxit, quo Nycticoracem interpretatur apud Ariſtotelem. Volũt autem aliqui Nycticoracem eãdem eſſe auem cum Noctua, vt Eucherius, & [h] Iſidorus; alij diuerſam, vt Albertus, & nos, qui Otum eſſe potiùs arbitramur, vt ex Ariſtotele docuimus. Κύβλα & γλαυξ, Item Κοκκοβαρὴ Heſychio & Varino Noctuam etiam ſignificãt. Hodie etiam vulgo Græcorum, vti & Aeſopo κεκεβαγια dicitur. Βῦφοι malè apud Simeonem Sethi Noctuæ exponuntur, quod Bubones ſint potiùs, quo nomine etiamnum vulgo noſtratiũ nominantur. Τυτὼ etiam Heſychio & Varino Noctua dicitur, vt cõijcio, fortè à voce tutu, vt [i] Plautus habet. Iiſdem κρίγη Noctua eſt, vel dæmones & idola. Σίττον alij Noctuam; alij Picam, aut Accipitrem interpretantur. Nyctimene etiam pro Noctua vſurpatur, alioquin puellæ in Noctuã conuerſæ nomen. Noctua Latinis, inquit Feſtus, à tempore noctis dicta, quo canit vel volat. Quanquam verò multæ nocturnæ aues ſint, hæc vna tamẽ præ cæteris apud Latinos nomen inuenit, ut Veſpertilio apud Græcos Nycteris. Plinius tamen quodam loco, & Albertus ſæpenumerò videntur Noctuã ad omnes aues Nocturnas trãsferre. Italicè uocatur Ciuetta, ſcribũt alij Zuetta, Zueta, Ziguetta. Gimus & Gimetta apud Creſcentiẽſem non alia auis, quàm Noctua maior minoruè uidetur, quamuis Giuus & Giuuetta potiùs legendum rear. Suas enim uoces illas ille ex Italicis Latinas facere uoluit. Noctua Hiſpanis appellatur Lechuza, Luſitanis Mocho, Gallis Cheueche. Circa Lugdunũ Ciuette, alibi Chouette, Souette, Zoetta Auinione: Germanis Koutz. Alij etiam pleriq; nomen Eul Noctuæ dant, quod quidem non ipſi peculiare, ſed omnibus apud Germanos nocturnis propè commune eſſe ſæpè iam monuimus, niſi uocula differentiam inuens quædam adijciatur, ut cum dicitur Steineul, Stockeul &c. Anglis an houulet. Illyrijs Kalus uel Kalaus. Polonis Szouua. Turcis Baigus.

Cicaba. Cicymis. [f] *In Auibus.* Cycuma. [g] 8. *H.c.*3. [h] 12. *Orig. cap.*7. Κύβλα. Κοκκοβάρη. Κεκεβαγια. Βῦφοι. Τυτὼ. [i] *In Menach.* Κρίγη. Σίττον. Nictimene Ciuetta. Zuetta. Zueta. Ziguetta. Gimus. Gimettu. Lechuza. Mocho. Cheueche. Ciuette. Chouette. Souette. Zoetta. Steineul. Stoxeul. Houulet. Kalus. Kalaus. Szouua. Baigus. Steinkoutz.

# DIFFERENTIÆ.

NOSTRATES inter Noctuas duplex genus penes magnitudinem agnoſcunt, quæ differentia à ſexu petita eſt. Solent enim uncunguium fœminæ maribus maiores eſſe. Nam & ea, quã Chioù uocamus, & quæ Noctua minor eſt, ſimiliter in maiorem & minorem diſtinguunt. Noctuarum etiam generis eſt Ornithologo auis, quam Germani Steinkoutz uocant, id eſt, Noctuam ſaxatilem.

# FORMA. DESCRIPTIO.

NOCTVA Aſione minor eſt, ut Aſio Bubone. [a] Plinius enim, *Otus*, inquit, *Bubone minor eſt, Noctuis maior*. Cùm uerò Aluco Otis magnitudine non cedat, & Vlula Aluconi proxima ſit, utpotè Gallinaceo compar, ut [b] Ariſtoteles habet; concludendum erit, Noctuam nocturnarum rapacium minimam eſſe excepta Scope; quamuis & ipſa in maiorem & minorem diſtincta ſit.

[a] *L.*10.*c.*23 [b] *Hiſt. c.* 3. Noctua Ornithologia noſtra diuerſa. Noctuę noſtræ forma. Magnitudo. Caput. Oculi. Roſtrum. Color.

Ornithologus pro Noctua hanc exiguam exhibet iconem, tridus digitis antè, uno retrò, præditam: Noſtra contrà binis antè, & totidem retrò digitis inſignita eſt, un de uereor, uel aliam auem eſſe, uel pictoris mendo corruptam. Num uerò auis tam parua ſit, ut icon demonſtrat, etiam ſubdubito, cùm, ut paulò pòſt dicã, Noctuę dentur, Alaudę magnitudinẽ uix excedentes. Noctua noſtra uulgaris, cuius mox imaginẽ repręſentabimus, eiuſmodi eſt. Columbæ eſt magnitudine, dodrantem longa. Capite maiuſculo, ſupernè depreſſo. Oculis magnis & glaucis, ſi tamen hæc glaucedo dicenda eſt, quod infrà in denominatis monebimus, id eſt, pupilla oculorum nigra, inde flaua. Aliam glaucedinem in oculis aduertere non poterimus, à qua hæc auis quaſi per excellentiam uocata fuit. Roſtro eſt adunco, longiuſculo, dilutè flauo. Corpore toto plumis partim bætico, partim albo diſtinctus. Per alas extremas, præſertim remiges, lineæ tranſuerſæ, coloris caſtanei, latæ conſpiciuntur: quæ per ventrem in longum ductæ, ueluti guttæ apparent, eiuſdem coloris ſunt; Sed inuerſæ, reliquum ſpatium album. Extremæ alæ ad

50 alæ ad ultimam usque caudam protenduntur. Crura plumosa & hirsuta ad pedes usque, colore è cinereo bætico. Pedum digiti subfusci, cinerei, implumes, bini utrimque, ungues adunci, acuti, nigri. Alæ. Crura. Pedes.

Ea uerò quam Germani Steinkutz, id est, Noctuam saxatilem nominant, magnitudine est similiter Columbæ. Crura habet & digitos pedum hirsuta, plumis albidis: Imi tamen digiti ad terram nudi sunt, ungues nigri, adunci. Color ei tota parte prona fuscus, modico ruffo permistus, albicantibus maculis distinctus. Caput ad reliquam magnitudinem prægrande. Iris oculorum magna, oculi magni, rostrum breuissimum, Aquilinum, quæ pleraq; cum alijs nocturni Steinkoutz Germanorum descriptio.

generis auibus communia habet. In aue extincta rostrum superius rubebat, cùm prius in viua rubere non videbatur, inter oculos & rostrum pennulæ quædam rigent ceu pili aut barbulæ. In ventre plus albidi habet, quàm cæteris partibus. In montanis certè & saxosis locis versari puto, ideoq; ad frigus cauendum plumas cruribus digitisq; habere, (nam aliæ Noctuæ non sunt hirsutis pedibus,& colore ruffo,è fusco) sicut & Lagopodes,& aliæ quędam. Nostratibus Italicis Noctuis similes,istas saxatiles audio, sed minus alacres, interdiu ferè cæcas. Quærendum an Scopes sint minimæ in Noctuarum genere auritæ,quas Germani paruas Noctuas Italicas vocant,nostri Chius vel Zus in agro Patauino, vt apud Bononienses Chiouuinos. Suprà quidem,dum de Scope sermonem haberemus,eam inter Noctuas retulimus,eò quòd plumarum eminentias instar aurium non habeat,aut habere dicatur. Si tamen tale quid in ijs etiam inueniatur, proculdubiò ad Scopes referędæ sunt. His simile est genus apud Germanos,quod Schauytle. nominant Schauytle (ab Italico Ciuetta fortè corrupto nomine)exiguum,nostratibus Italicis albidius,cauda longiore. Sed hoc licet cætera Noctuam referat,quòd tamen auritũ sit, itaque Scopibus id suprà annumerauimus. Relatum nobis est apud Germanos Noctuam aliquando captam,ætate perfecta,magnitudine Alaudæ,drachmis vndecim venisse,diminutiuo Germanico Keutzlin dictam,id est,pumilã Noctuam. Keutzlin. [c] Bellonius similiter Noctuas duplicis generis [c] *Lib. 2. de Auib. c. 32* esse statuit, alteram quidem Oto minorem,sed Scope maiorem; alteram verò etiam eodem Scope(quem ipse Vlulam putat Gallis Hulotte dictã) Noctuarũ fortasse generis(vt nuperrimè diximus)minima minorem. His pedes assignat pilosos,caudam breuem, capitis verticem, veluti introrsum excauatum; ea verò cauitas ex plumularum ibidem positu nascitur. Reliqua ijs,quas diximus,similia. Collum Noctuis in vniuersum omnes breue,quale Bubonibus est, tribuunt; nempè si pro sua magnitudine considerentur. Gulæ partem inferiorẽ paulò latiorem, & appendices paucas quasdam,infrà vbi intestinum desinit, & lienem adeò exiguum, quod etiam Aristoteles testatur,vt propemodum sensum effugiat. Caudam breuem,cuiusmodi Buboni est, [d] Albertus, sed vngues vncos Aristotelis, Plinij & reliquorum consensus ijsdem in vniuersum concedit.

Collum, Noctuæ, Gula. Cauda, Vngues. [d] *Lib. 23.*

# VISVS.

[a] *L. 5. Hexam. c. 24.* Cur interdiù nõ cernat.

NOCTVA, inquit, [a] D. Ambrosius, *magnis & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum non sentit horrorem, & quò fuerit obscurior nox, eò contra cæterarum auium morem inoffensos volatus exercet. Die autem videre non potest, quia exorto splendore, visus eius hebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris.* Huius rei causam esse volunt nimis siccam,& tenuem humoris substantiã, quę vim luminis igneam non ferat,sed facili negotio dissipetur. Spiritu enim,qui visionis proprium est instrumentum,euanescente, actionem eius cessare necesse est. Quemadmodum verò lumen euocando spiritum disgregat,atque consumit;ita vox opaca introcogit,vnit,auget,acuit. Non tamen existimo,verum esse,quod plerosque facere video, Noctuam scilicet de die nihil prorsus videre. Primùm enim Aristoteles,vbi Noctuę cum Cornice inimicitiam enarrat, causamq; reddit,cur Noctua Cornici noctù insidias struat,*quia*, inquit, *non clarè Noctua interdiu videt.* Ex quibus verbis licet colligere,nõ prorsus Noctuam cæcam esse,sed minus interdiù clarè videre; Idem alibi sentire uidetur,illis uerbis, quibus, *Bubonem*, ait,*audio per diem nihil ferè videre, minus quàm Noctuam.* Non enim prorsus omnem omninò Buboni uisionem adimit,minorem tamen & debiliorem assignat,quàm Noctuæ: quo tacitè Noctuam aliquid, & plusculum quid,fortè reliquis nocturnis de die uidere insinuat. Verùm quid ipse sentiat de Noctuæ, ut & aliarum nocturnarum rapacium uisu,apertè prodit,& affirmat hisce uerbis: [b] *Noctuæ, Nycticoraces, & reliqua, quæ interdiu nequeunt cernere, noctu venando sibi cibum acquirunt. Verùm non tota nocte id faciunt, sed vespertino & matutino.* Ex quibus manifestò liquet,neque densas tenebras Noctuarum oculis conuenire,neque meridiani luminis splendorem,sed lucem moderatam, qualis est, sub matutino & uespertino crepusculo, utpotè quæ neque nimia neque etiam minus quàm par sit, pauca est. Illa enim pauci & tenues spiritus discutiuntur,& in auras dissipantur;hac uerò quòd aere,qui uisionis medium est,non illuminato obiectæ colorum species non exprimantur,uisio fieri nequit. Astipulatur huic opinioni experientia,teste [c] Bellonio;Si etenim profunda nocte, ad Noctuã vel ad Bubonem propiùs accesseris, haud loco sese mouere uidebis,quod nẽpe te non uisum non timeant. Secus uerò de die, aut in moderato lumine accedentem agnoscunt atque fugiunt. Nescio igitur,quàm uerò Eustathius,& Varinus scribant,Noctuarum oculis insitam vim igneam,tenebras etiam penetrare ac luna etiam silente videre. Nam meliùs sanè lucente uident. Neque rectè dixit Martialis:

[b] *8. Histor. cap. 3.*

[c] *Lib. 2. de Auib. c. 24.*

*Videasq;*

*Videasq́ quantum Noctua videt mane*,

Innuere uolens, Vetustinam prorsum cæcutire. Meliùs dixisset interdiu: Tum enim hebetibus oculis hallucinatur & conniuet splendore luminis offensa. Vnde Plautus, cùm ait.

*Quid ais propudium?*
*Tun' etiam cum Noctuinis oculis odium me vocas.*

Noctuinos oculos uocare uidetur, quos amator nimio coitu delassauerat, unde præ somnolentia conniuentes cæcutirent. Vnde noctiuidæ epitheton à Martiano Capella obtinuit eo uersu:

*An mage noctiuidæ tibi traditur aliitis vsus.*

Vespertino è contra tempore, uisus Noctuæ à lumine mediocri & minimè uehementi, non tantùm non læditur, uerùm fouetur, recreatur, augetur, tanquam si sympatheiam quandam cum eo haberet. Γλαυκιζειν Græcis idem est, quod ἀμβλύττειν, id est, hallucinari & cæcutire, idem ἐπιλλίζειν oculis conniuere, quod Varino, propriè Noctuarum est, eò quòd die non cernant.

# LOCVS.

NOCTVAM in Cræta nasci negat [a] Plinius, imò & inuectam mori tradit. Quamobrem, inquit Aelianus, Euripedes inconsideratè fingere uidetur Polyidem hanc auem in hac insula conspexisse, atque inde coniectasse, de inueniendo Glauco Minois filio defuncto. Nostra ætate Noctuas tam maiores, quàm minores in Alpinis Heluetiæ regionibus inueniri negat Stumffius; sed illuc è Gallia Cisalpina & Longobardia, necnõ è Germania inferiore ad Rhenũ, ubi frequentissimæ sunt, aduehi. Illud tamen genus quod saxatile uocant, ibi gigni constat, utpotè quod montanis & saxosis locis maximè gaudeat. Quare ad frigus arcendum plumas cruribus digitisq́ natura induisse uidetur (nam aliæ Noctuæ non sunt hirsutis pedibus) uti Lagopodi, Vulturi, alijsque nonnullis. Præter cæteras uerò regiones Noctuarum copia, maximè apud Græcos celebris est Attica, seu potiùs urbs ipsa Athenæ. In hac enim plurimas esse aiunt, & Illi regioni uelut peculiares. Vnde natum adagium *Noctuas Athenas* subaudi mittis, competens in eum, qui res quasuis eò comportat, ubi abundant, & præ copia uilescunt, quod uulgò dicimus non dissimili paræmia, *Aquam in mare portas*. Mirum uerò uideatur alicui, quomodo uerum sit, Noctuas tantoperè abundasse in urbe tam populosa, cùm alioqui ipsæ, ut pleræq́ nocturnæ, locis solitarijs desertisq́, nec admodum ab hominibus frequentatis magis gaudere uideantur, ut nemoribus, locisq́ umbrosis, & sepulchretis. Hinc Nyctimenem, quæ in Noctuam uersa fingitur agnito incæstus facinore in syluas se abdidisse & lucem fugisse fabulantur Poetæ:

[a] *L.10.c.29*

Noctuas Athenas.

Cur multæ noctuæ Athenis.

*Luci fuga obscuro latitat nam Noctua luctu.*

Vt Faustus Poeta ait: Inde est, quòd sterilitatem portendi aiunt, si Noctua nemore, quod incolere solet, deserto, in urbibus conspiciendam sese frequentior dederit. Obscura ei assignat loca Martialis hoc Epigrammate.

Sterilitatis indicium.

*Aedes emit aper, sed quas nec Noctua vellet*
*Esse suas, adeò nigra vetusq́ casa est.*

Cùm Archippe meretrix Sophocli iam capulari seni adhæreret, Smicrines, qui illã prius amauerat, a quodam interrogatus, quid ageret Archippe, respondit; *Tanquam Noctua ad sepulcrum sedet*, testante Athenæo. Scribunt, qui nauigationes noui orbis descripserunt, in Occidentalibus insulis atque in ea maximè, quam Hispaniolam uocant, Noctuas magna copia, oriri, nostratibus per omnia similes. Noctuam & Miluum ex unco auium genere paucis quibusdam diebus latere, tradit [b] Aristoteles.

[b] *8.Hi.c.16*

# VOX. PRÆSAGIVM.

DVPLICEM vocem Noctua habere uidetur, unam [a] Plautus innuit. Cùm enim mulier palla è domo subrepta, ad Menechmum, quem subripuisse suspicabatur, semel atque iterum diceret; tu tu (subripuisti scilicet) & Peniculus idem diceret, adderetq́ Erotio amicę eam detulisse, quęrit Menechmus *Egon' dedi*. Tum Peniculus, *Tu tu, inquã, vtin' afferri Noctuam quæ tutu, vsq́ dicat tibi, nam nos iam defessi sumus*. Hinc & τετω fortè nomen Noctuę apud Græcos confictum, Proferenda uerò est ea noctuę uox, ut doctè aduertit Lambinus, *Tou tou*. Nam uocalis V. sic olim à Romanis proferebatur, & sic enunciari semper debet, cùm longa est, secus si breuis. Nam tum, ut ypsilon Græcorum efferunt, ut in fuga, super, cuminum, maximus, optimus, lacruma, astupeo & similibus. Et hac quidem parte cum Vlulis, & Otis conuenire nonnihil

[a] *In Menech.*

[a] *In auibus.* Cucuba. [b] *Georg.1.*

nihil in uoce uidetur, uerùm in altero differt. Sonum enim edit, quem [a] Ariſtophanes κικαβᾶν nominauit, à quo quidem ipſam quoque Noctuam Cucubam dici eiuſdem Scholiaſtes meminit. Itaq; (ut [b] Virgilij uerbis utar)

——*Cùm ſeros exercet Noctua cantus*,

Cucabare quid.

Cucabare Latinis dicitur. Ita enim Philomelę author:

*Noctua lucifuga cucubat in tenebris*.

[c] *Lib.23.* [d] *Lib.3.de aſin. aur.* [e] *L.10.c.17* Quãdo canat. Pluuiæ præſagium.

Pollux author eſt γλαῦκας οἰζύειν [c] Albertus raucam edere uocem, dicit; [d] Apuleius ſerum & intortum Noctuę cantum uocat. Ob hanc uocum uarietatem Nigidium dixiſſe credo apud [e] Plinium Noctuam nouem habere uoces. Etſi uerò ideò Noctuam dictam uelint, quòd noctu canat, potiſſimùm tamen ante ſolem occidentem gemere auditur. Vbi itaque ſolito citiùs eam canere contingat, pluuię imminentis ſignum eſſe uolunt.

# MORES.

SALTATRIX etiam eſt Noctua & geſticulatrix, varios & ridiculos motus edens, corpus & ceruicem frequenter in orbe contorquens, nunc toruo & fixo obtutu hominem adſpiciens, nunc capite huc illuc acto ſcurras & hiſtiones imitans. Vnde lepidè poëtarum noſtriæui corypheus:

*Huic Noctua pugnum premit*
*Illa ſcurra flexicolla.*

Suidę dictũ de noctuæ ſaltu.

Suidas pueros Noctuam circumducentes quampiam captam ita dicere ſolere, ſcribit. *Vtinam eſſes mortua aut vltimùm ſaltares. Ea enim*, inquit, *interdiù non videns, veluti ſaltat, aut percuſſa & moritura ſeſe torquet ſaltantis inſtar*.

# CIBVS. VENATVS.

[a] *8.Hiſt.c.3.* [b] *L.10.c.16*

NOCTVAE *& Nyctícoraces*, inquit [a] Ariſtoteles, *& reliqua quæ interdiu nequeunt cernere noctu venando ſibi victum acquirunt. Verùm non tota nocte id faciunt, ſed veſpertino & matutino. Venantur autem mures, lacertas, verticillos, & eiuſmodi alias quaſdam beſtiolas.* Veſcuntur quibuslibet quidem carnibus, ſed muribus potiſſimùm, quas noctu capiũt, ut teſtatur [b] Cre ſcentienſis, imò inſtar felium optimè in domibus murium uenationem exercituram, ſi probè cicurari contingat; ſemel autem ſaturata Noctua, duorum poſtea aut trium dierum inediam facilè perfert, ut quidem ille ait, imò quod maius eſt, nouem dierum abſtinentia non lędit̃r.

# GENERATIO.

[a] *L.10.c.17*

NOCTVAS ſexagenis diebus hyemis cubare tradit Nigidius, referente [a] Plinio. *A cauda Noctuam & Bubonem*, vt ſuo quoque loco diximus, *de ouo exire* ex Hyla, idem alibi tradit; *quòd pondere capitum peruerſa ona, poſteriorem partem matri fouendam applicent*. Argumentum huic opinioni dedit capitis enormis & præ corporis paruitate, immoderata magnitudo. Verùm leue hoc eſt, vt in Bubone monuimus. Præterea quis non videt, non ſolùm in hoc, ſed in quouis omni auium genere, fœtus iam in ouo formari cœptos capite quàm cęteris partibus maiores eſſe, adeoq; reliquo ſine dubio corpori caput præponderare? Si itaque efficax eſſet Hylæ ratio, iam id in cunctis auibus locum haberet, nempè ut poſteriorem partem matri fouenti applicarent atque ita per caudam exirent. Quàm verè quoq; Noctuæ prærogatiuam tribuant, Euſtathius & Varinus, ut ſola inter vncungues & carniuoras pullos non cęcos pariat, equidem neſcio; ipſi uiderint. Cauſam reijciunt in igneam vim oculorum, quæ tenebras etiam penetret. Mihi ſanè nouum eſt audire reliquas rapaces cæcos pullos parere. Verùm, ut harũ pullos, ſimulatq; excluſi ſint, non ita facilè prę terquam aucupibus videre licet; ita ſanè Gallinaceos iam ouo editos rectè videre, ac ad cibos ſtatim accurrere probè noui. Ariſtoteles de canibus prodit cæcos in lucem producere catulos: Hi tamen cæci, licet improprie, ideò tantùm dicuntur, quòd palpebris occluſis oculi impediti ſint, non quòd apertis & reſeratis palpebris videre nequeant. Præterea excipiendi videbantur ſaltem Aquilarum pulli, qui, tantum abeſt, vt cæci naſcantur, quin potiùs tanquam ſpurij à parente reijciuntur, & è nido ſtatim deturbantur, niſi ſolem oppoſiti inconniuentibus oculis aſpiciant. Aut ſi cæterarum rapacium pulli cæci naſci dicendi ſunt, quòd earum viſus ſecus atque ſecundum illos Noctua in tenebris hallucinetur, aut cæcu-

Euſtathius & Varinus reprehenſi de Noctuæ partu.

ciat,

ciat, quantò magis nocturnæ oriri cæcæ dicentur, quæ clara luce nihil aut perparum vident. Non vulgarem valetudinis suorũ pullorum curã gerit Noctua, si verũ est, quod Oppianus scribit. *Noctuæ*, inquit, *cùm formicas à suis pullis abigere cupiunt, Vespertilionis cor in nido habent*, tanquã formicis etiã sua latibula deserentibus, si quis cor Vespertilionis imposuerit. Sed vel hoc anile deliramentum est, vel falsum, quod Palladius scribit: *Contrà formicas, si in horto habeant foramen, cor Noctuæ admoueri*. Si enim, vt Terentius ait, *ipsa lepus est, cur aliundè pulpamentum quærat?* Amor Noctuæ in pullos.

# RAPACITAS. ANTIPATHIA. Sympathia.

DISSIDENT Noctuæ, & cæteræ minores aues. Hę enim vt docet Aristoteles, de die omnes Noctuam circumuolant, aduolantesq; percutiunt. Quod Ouidius etiam tangit eo carmine:

*Et coëunt vt aues si quando luce vagantem*
*Noctis auem cernunt structoq; vtrimq; theatro* &c.

Et Lucianus cùm ait: *Sed & nũc vbicunq; in publicum saltẽ apparueris, certatim ab omnibus ad te curritur, veluti ad Noctuã reliquæ auiculæ Sturnatim & Graculatim circũuolitant.* Huius rei causam Aristoteles in admirationem earũ reijcit. Nam intentis in eã oculis veluti nouũ, & insolitũ spectaculũ contemplantes, admirabundæ, & attonitę illã circumquaq; obsident. Alij eas ex contemptu Noctuæ hoc facere malunt. D. [a] Chrisost. hanc causam assignare videtur. *Noctuam sanè, cùm nihilo cæteris sit sapientior neque speciosior, sed talis, qualem scimus, quando fortè vocem emittit tristificam, prorsusq; insuauem, circumsistunt aliæ aues, imo si eam tantùm videãt, partim propè assident, partim in gyro circumuolant. Hoc ego sanè eas facere puto ex contemptione vilitatis infirmitatisq;. Homines verò dicunt, aues tum admirari Noctuam.* Hęc ille, & profectò admirantium speciem quandam prębere videntur, cùm certatim aduolent, & vt commodè eam & probè contẽplari possint, ad sedendum sese componunt, neque, quàm diu eò loci persistit, illinc auolant, uel vnquam ab ea spectanda oculos auertunt, ita ut eius miraculi spectaculo exsatiare sese non possè videantur. Placere hanc quoque rationem [b] Crescentio populari nostro uideo, qui in hęc uerba scribit. *Cùm aues nocturnæ deformes sint, & rarò ab alijs animantibus videantur, admirantur eas reliquæ aues, & videre cupiunt, ceu rem nouam & insolitam, eamq; auiditate plurima intuentur.* Verùm ut omnis rei cognitę admiratio cessare solet, ita auiculę, cùm satis superq; spectârint, armisq; Accipitrinis instructam, sed imbellem, & ignauam esse animaduerterint, tum admirari eam desinunt, & admirationem in contemptum, imò in contumeliam conuertunt. Etenim, ut tradit [c] Aristoteles, aduolantes auiculę percutiunt. De hac pugna, ita tradit [d] Plinius: *Noctuarum contra aues solers dimicatio. Maiore circundatæ multitudine* (Auium nimirum quæ eas deplumare conantur) *resupinæ pedibus repugnant, collectæq; in arctũ rostro & vnguibus totæ teguntur*. Peculiariter uerò, ut idem & [e] Aelianus testãtur, Cornices & Noctua dissidẽt, & bello quidem inexpiabili. Cornix. n. quod [f] Aristoteles quoq; asserit, *meridie oua Noctuæ furripiens, absumit, cũ nũ clarè interdiù Noctua videat. Noctua contrà oua Cornicis noctù exedit, estq; altera interdiù, altera noctù potentior*: imo tanta harum Auium antipathia est, ut sanguis earum confusus coire nequeat. De Coruorum uerò cum eisdem truculentissimo odio audias uelim Pausaniam, penes quem fides eius esto: *Additum est ibidem hastam, Noctuas & cariotas, quæ in palma illa ad palmularum similitudinem ex auro factæ fuerant, eosdem Coruos abripuisse*: Quin etiam qui Rex auium appellatur *priuatas contra eandem inimicitias gerit*, teste Aristotele. Cum Orchilo quoque eandem dissidere tradit, nimirum quòd & hic eius oua exedat, non secus atque Cornix. Inter cęteras aues Picæ genus, quod Garrulum quidam, nos Glandarium uocamus, Noctuam aggredi audio. Et si Oppiano fides adhibenda est, non cum auibus solùm, sed & cum quadrupedibus dissidet. *Oues*, ut inquit ille, *eam oderunt, & infestant*. Quin & apibus & vespis, crabronibusq; & sanguisugis à [g] Plinio cõtraria esse scribitur. Verùm ut arbitror, non alia ratione quàm quòd hęc in cibum uenetur & capiat. Hoc uerò crudelitatis eius argumẽtum est, quod [h] Plutarchus de ea tradit, *viuentia etiam sui generis rostro impetere & necare*. Fabulosa planè sunt, ut multa, quę scribit Aelianus, nec citra cunctationem proferenda. Ait enim *Noctuas mira quadam ingenij solertia à Ciconijs submoueri à nido lõgius platani frondibus congestis, quarum contactu torporem contrahant Noctuæ, ita ut oblæsionis quidpiam inferre deinceps nequeant*. Quæ. n. stupefaciendi vis platano inesse potest? Non minus fabulosum esse iudico, quod paulò antè ex Oppiano diximus, nẽpe Noctuã Vespertilionis cor in nidum inferre, quo tanquã amuleto formicas à pullis abigat. Infelicissima uerò omniũ uolucrũ Noctua ui-

[a] *In Orat. de prima Dei cognitione.*
[b] *L. 10. c. 6.*
[c] *9. His. c. 1.*
[d] *L. 10. c. 17*
[e] *L. 11. c. 7.*
[f] *9. His. c. 1.* Noctuæ & Cornicis inimicitia.
Trochili inimicitia cũ Noctua.
Cum Orchilo.
Cum Pica glandaria.
Cum quadrupedib.
Cũ ouibus.
Cũ Apib.
[g] *L. 29. c. 4.*
[h] *In Romul.*

Accipiter Noctuæ inimicus.

ctua videretur, niſi naturæ prouidentia amicũ, & patronũ nacta eſſet Accipitrẽ, cuius ſubſidio cæterarum auium aduerſariarum iniuriam, ac impetum, & ſuſtinere & propulſare poſſet nullo negotio. Ille enim, ut author eſt Plinius, *collegio quodam naturæ*, id eſt occulto quodã, ac naturali conſenſu, maiore auium circundatam multitudine, eamq; infeſtantium, è præſenti periculo eripit, nec tantummodò bellum partitur, ſed Noctuæ hoſtes, partim vel ſolo viſu, præſertim timidiores in fugam vertit, partim verò, qui reluctari audeant, punit, & de ui amico illata vindictam ſumit. Quinimò vel ipſa Noctuæ ſolæ proprijs tantummodò fultę viribus, hoſtibus terrori ſunt (ne quis imbelles prorſus exiſtimet) ſi verum eſt, quod [i] Lucretius ſcribit, quũ negat Cornices vnquam volare in Athænarum mænibus, tanquam ne limites quidem eius loci attingere audeant, quo Noctuas degere ſciunt, tantum abeſt, vt nidos extruant, vbi oua ab ipſis noctù exedenda iri norunt. Præter Accipitrem, qui unus eſt inſtar omnium, non alium Noctuæ amicum, quàm Paſſerem inuenio, uerùm cui hæc ſua amicitia malè cedat. Nam, ut ſcribit Orus Apollo, Paſſer aliquãdo, dum aucupum venatione petitur, ad Noctuam accurrit, tanquam auxilium ſperans, à qua mox opprimitur. Non eſt igitur horum reciproca amicitia, malè enim tractat ad ſe confugientem, ſuæq; opi confidentem clientulum perfida Noctua, digna certè quę idem ab Accipitre patiatur. Verùm an Noctuæ potiùs crudelitatem, quàm Paſſeris temeritatem accuſem, dubito. Equidem illud genus Paſſeris, hoc facere credo, quod Vulgus noſtras Paſſer matto, id eſt, ſtultum vocat, ſilueſtre cęteris grandius, utpotè Alaudę magnitudine, ſupra modum garrulum. Ad hanc meam opinionem accedit [k] Actuarij authoritas, qui hunc Paſſerem, quem exactiſſimè deſcribit, & omnibus ſuis coloribus depingit, à Noctua maximè capi tradit. Sed & alioquin quiuis ſtolidi & fatui eſſe dixerit, eius tutelę ſeſe committere, cuius ſigna bonitatis nulla viderit.

[i] *Lib. 6. de rer. nat.*

Noctuæ cũ Paſſere amicitia.

Paſſer matto.

[k] *Lib. 2. Regal. ſerm.*

# CAPIENDI RATIO.

[a] *L. 10. c. 23*

APITVR Noctua eadem, qua Otus, ratione, ut tradit [a] Plinius, idq; *haud difficulter*, genere nempè quodam ſaltationis *intenta in alio, circumeunte alio*. Ipſa uerò capta alijs auibus capiendis maximè inſeruit, & fortè quouis Accipitre aut Falcone vtilior. Nam ut ſcribit [b] Creſcentienſis: *Homines videntes alias volucres circumuolare Noctuam, eamq; cum auiditate plurima intueri, excogitauerunt nouum aucupij modum, nempè vt his auibus ad ſpectaculum propoſitis allectas cæteras uiſco, aut retibus comprehẽdãt.* Atque id eſt, quod Ariſtoteles, poſtquam auiculas cæteras veluti attonitas Noctuam inſpectare, ac undique ad eam viſam confluere retuliſſet, inquit: [c] *Quapropter aucupes ea conſtituta auicularum genera multa, & varia capiunt.* Deſcribit hunc aucupij modum prolixè [d] Aelianus, ac diſertè his verbis: *Mulieribus veneficia, & cantiones exercentibus ſimilis eſt Noctua captioſum animal. Hæc enim capta, ſuos imprimis aucupes ſic ſuis captionibus in ſe allicit, vt eam veluti ludicrum quoddam in humeris circumgeſtent. Noctù quidem vigilat, & uoce quaſi quibuſdam præſtigijs ac illecebris, aues allicit, easq; ſibi aſſidere facit. Interdiu verò alia aucupij inductione vtitur, auibus illudit ridiculè nimirum in aliam atque aliam ſpeciem vultum conuertens, quibus aues peradoleſcentes in admirationem raptæ manere apud eam perſeuerant, maximo eorum in quæ ſe format, timore perculſæ.* Et ſanè præſtigijs ſimile quid uidetur, auiculas ſolo conſpectu, Noctuæ allici, atque adeò ueluti philtro quodam uiolenter rapi, tantoq; ardore certatim accurrere, ut retia ac uiſcũ, quæ alioquin exitium ſibi machinantur, aut non aduertant, aut contemnant, unde non immeritò Auſonius.

[b] *L. 10. c. 16*

Noctuæ vſus ad capiendas aues.

[c] *L. 9. H. c. 1*

[d] *Lib. 1. de anim. c. 29.*

*Iclinus magico cui Noctua perlita fuco*
*Allicit omne genus volucrum perimitq; tuendo.*

Dum enim ab aucupe expoſitam Noctuam tuentur, incautæ in caſſes incidunt, aut inuiſcantur. Quare longè utilius hoc per Noctuam aucupium hominibus eſt, quàm quod aliarum rapacium opera perficitur. Neque enim hîc proiecto pabulo opus eſt, aut uocũ ipſarum auium imitatione, neque denique eaſdem conſectandi gratia plurimùm laborare & defatigari contingit; Sed neque ipſa partem prędę more aliarum ſibi uendicat, aut allectam deuorat, ſed omnem, ac integrã Domino ſeruat, qui ſic inſignem ſine ullis expenſis ex ea quęſtum facit. Verùm aucupium hoc duobus potiſſimùm, ut diximus, modis exercetur. Tot enim ſunt capturę inſtrumenta. Prior eſt cùm Noctua ab aucupibus iuxta retia tenſa ponitur, ut ad eam aduolitantes auiculę imprudenter irretiantur. Alter uel amite, uel abſide peragitur. Amiti enim ſeu perticę aucupali, cui uimina quamplurima uiſco oblita affixa ſint, ſupremæ ſeu mediæ Noctua uel etiam caput felinum, ob eam forſan quam cum Noctuæ capite gerit, ſimilitudinem, imponitur, quibus dum ſpectaculi nouitate allectæ aues inſidere uolunt, uiſco oblitæ in prædam cedunt: Vel qui modus ab Oppiano proponitur: Noctua in abſide ſeu rota ærea expoſita, aucepsfuniculum

funiculum subinde attrahens, & circumpositas vndiquaque virgulas viſco illinens, aduolantes ad Noctuam Alaudas, aliasque minutas volucres intercipit. Septembri menſe amitem cęteraq; inſtrumenta capturæ idonea parare iubet Palladius, vt ad Calendas Octobris in promptu ſint. In horũ numero baculus ille eſt, in quo geſtatur Noctua ab aucupatum prodeũtibus; ſtipes rectus eſt, cui ſupremo alter trãſuerſus incũbit in Tau Hebraici ſeu crucis formã. Vnde & vulgò Gruccia & grucciola diminutiuo vocabulo, Germanis ſimiliter Creutz, Latinorum cruci viciniori nomine appellatur. Huc pertinere uidetur, quod de Noctua à veteribus proditur, ſed quàm verè, neſcio. Mihi certè ſuperſtitionem olet, quod ſcilicet, quæ viuens cæteras aues occulto quodã allectamento ad ſe licet tacitabunda conuocare cõſpicitur, mortua etiam ſtipiti ſimiliter ſuffixa, contraria planè in eaſdem, vt & funeſta ab ædibus abigat. Extat Iunij Columellæ libellus verſibus ſcriptus lepidis & eruditis, quod hoc ipſum poſteritati teſtatum reliquit: Carmen eius tale eſt.

Inſtrumẽta aucupij noctuæ.

Gruccia quid.

Creutz.

*Hinc Amythaonius docuit quem plurima Chyron,*
*Nocturnas crucibus volucres ſuſpendit, & altis*
*Culminibus vetuit feralia carmina flere.*

Quibus uerbis Poëta innuit Melampodem Amythaonis filiũ ſuffixiſſe cruci Noctuas aues nocturnas, & inauſpicatas, ut quæ colonis mala portenderant, ea in ipſas cuncta recíderent. Putauit enim ſuperſtitioſa vetuſtas mortuas amuletum eſſe earum calamitatum, quas dum viuerẽt, ominoſę pertendebant. Huic ſententię ſuccinit [c] Apuleius, ſic fermè ſcribens. *Quid quod iſtas nocturnas aues, cùm penetrauerunt larem quempiam, ſolicitè prehenſas foribus videmus affigi, vt quod infauſtis volatibus familiæ minantur exitium, ſuis luant cruciatibus.* Cui item ſuffragratur [f] Palladius, cùm inquit: *Contra grandinem Noctua pennis patentibus extenſa affigitur.*

[c] *Lib. 9. de aſino aureo.*

[f] *Lib. 1. c. 35*

Ciuettas quas Itali vocant. Koutz ſtulti dicti apud Germanos.

# COGNOMINATA.

NOCTVAM in bona Italiæ parte, & maximè in Bononienſi agro vulgò Ciuettam vocant: eodemq; vocabulo mulierem nihili, & lucifugam. Ita & Germani hominem ſtolidum & improbum plebeio conuicio appellant ein Koutz, id eſt, Noctuam. Scurræ & ganeones Italiæ nummos aureos occhi de Ciuette, id eſt, oculos Noctuæ cognominant, haud dubiè ob croceum colorem, qui in vtriſque elucet. Alia ratio erat, cur Athenienſes nummos ſuos Noctuas dicerent, nempè quòd imaginem haberent Noctuæ impreſſam, vt latiùs inter Icones referemus. Prouerbialiter etiam Cherophon philoſophus Noctua dicebatur, quòd nocturnis lucubrationibus plurimùm ſeſe extenuaret: alij tamen Veſpertilionem ſimiliter illum uocarunt, vt pòſt dicemus.

Nummi aurei occhi de Ciuette dicti. Nũmi noctuæ dicti. Glauc⁹ Anthedonius. Mare glaucum. Glauc⁹ Potineus. Glauc⁹ Hippolachi.

# DENOMINATA.

MVLTOS viros Glauci nomine donatos apud authores legimus. Euſtathius Glauci Anthedonij in Dæmonem marinum mutati (nam & mare à colore glaucũ dicitur). Item Glauci Potinei ab equis diſcerpti, & aliorũ eiuſdẽ nominis & Glauconis ſuffocati in dolio mellis, meminit. Glaucus Hippolochi filius memoratur Homero [a]. Fuit & Glaucus quidam Samius vel Libycus, à quo factum eſt prouerbium; *Glauci ars.* Glaucetes uiri proprium apud Ariſtophanem: Glauce nomen Nereidis. Anatis quoddã genus Glaucium dicitur. Eſt & Glaucus piſcis & nomen coloris adiectiuũ. Glaucus nomen fluuij Phaſin ingrediẽtis apud Euſtathiũ. Glaucia oppidulum Ioniæ. Dionyſius Afer Beryllum glaucum dixit ὑγρὰν, id eſt, humidum, quòd corpora glauca nimirum humida eſſe videantur propter perſpicuitatem (ut Laminæ cornu ſcilicet) quin etiam muris epitheton eſt glaucus. Hæc igitur indicant eum colorem, qui ad cęruleum accedit, qualis eſt plumbeus, aut marinus, glaucum dici. Verùm cùm nihilominus Noctuę, quàm aliarum plerarumq; nocturnarum auium oculi cæruleo colore prędíti ſint, vtpotè medio nigri, reliqua crocei, neſcio qui hæc ſibi conſonent, ut glauci dicantur. Ego ſanè non minimam in hac diuerſitate colorum confuſionẽ apud ſcriptores reperiri arbitror. Nam crocum glaucum dici apud [b] Plutarchum reperio, ubi ait. *Byſſi tinctura, vt pulchrior reddatur glauca miſcetur crocus, ſecundum Empedoclem.* Quid uerò croco cum cæruleo? Profectò inter hos nullam video affinitatem aut cõmunionem. Item Γλαυκώπιδων apud Homerum, qui viſu igneo, & ardẽte intuetur a verbo γλαυσσω, à quo ẽt γλαύξ. Quod uerò Minerua Γλαυκῶπις cognominabatur, in utramq; fortaſſe ſententiam trahi poteſt. Omnibus in hoc conuenit ita dictam, quòd

Glauc⁹ Samius. Glauci ars. Glaucetes. Glaucium anatis genus. Glaucus piſcis. Glauc⁹ fluuius. Glaucia oppidulum. Glauc⁹ Beryllus. Color glaucus.

[a] *Iliad. 2.*

[b] *Lib. de Oracul. defec.*

Γλαυκὸς αὴρ Minerua γλαυκῶπις.

Minerua cæsia.

quod opas, id est, oculos glaucos habeat, sed hos alij alios, quod ad colorem attinet, interpretari uidentur. Quibusdam cæruleos fuisse placet, essecq; Latinis appellatam cæsiam, ueteribus præsertim, quasi cæliam, quòd in oculis eius color cælestis, id est, cæruleus, conspicuus esset. Docet hoc Gellius. Huic consonat, quod Pausanias scribit, *Libicos Pallada ex Tritonide & Neptuno natam fabulatos, ideoq; glaucos oculos habere, ut etiam Neptunus.* Nunc verò mare glaucum dictum cõstat, quia cæruleum. Huc similiter facit, quod [c] Diodorus Siculus ea causa ab Aegyptijs glaucopin appellatam prodit, quòd aër, quem Pallada antiqui credebant, glauci sit coloris, non quia, vt Græci putant, glaucos oculos habeat. Aër verò, ut in nebuloso ac crasso præcipuè apparet, cæruleus est, aut videtur, flauum nemo somniet. Alij è contrà glaucos Mineruæ oculos fuisse flauos asserunt. His fauet, quòd Glaucopin vocatam uolunt, quia τῆς κλαύκις, id est, Noctuæ oculos haberet, quos flauos esse oculis ipsis patet. Sic multi item Mineruæ flauos oculos attribuerunt, Author Priapeiorum:

Mare cur glaucũ dictum.
[c] *Lib. 1. rer. antiq. c. 2.*

*Minerua flauo lumine est, Venus pæto.* Et [d] Naso.
*Quid si præcipiat flauæ Venus arma Mineruæ;* Item [e] alibi.
*Si pæta est Veneris similis, si flaua Mineruæ.*

[d] *In Eleg.*
[e] *De arte.*

Nec desunt, qui ineptè putent à capillorum colore flauam dictam. Has igitur de glauco colore sententias, qua ratione quis conciliare possit, non uideo. Mihi difficultatem indicasse sufficiat, quam doctioribus discutiendam relinquo. Ab vtrisque diuersi sunt, qui Glaucopin Pallade nominatam uoluere, quòd oculos terribiles haberet, vt & Leones glauci cognominãtur, & dracones glaucopes. Horum tamen est igneus aspectus. Ab eodem acri intuitu, & truculento aspectu γοργώπος dicta est, ut Grammatici obseruant, ἀπὸ τῆ γόργε ὀπος. i. à terribili aspectu, qualis est Leonum, quorum oculi aliter etiam charopi uocantur. Cùm verò charopum propriè dicant esse in quo splendori igneo viride quiddam admixtum sit, ut eo modo nonnihil ad cæruleum accedat, atque ita quispiam vtrumque nempe cùm croceum, igneumuè, tùm cæruleum, qui uiridi cognatus est, glaucum dici posse putet, quòd in leonum & aliorũ quorundam animalium oculis vteriq; commixtos quodammodo videatur.

Oculi Leonũ Caropi dicti.

Glaucopiũ arx.

Glaucopium dicta est arx Mineruę Athenis sacra.

Glaucodes aues quæ.

Aues, quę Noctuam specie, & natura referũt, Γλαυκώδεις Græcis dicũtur, & superiori palpebra conniuent. Ἐγγλαυκῶσαι ἐμβλέψαι est apud Hesichium, & Varinum. Item Γλαυκίζειν τὸ ἀμβλύττειν hallucinari, cęcutire. Item Κιχλιμώττειν à Noctua deriuatum uerbum, idem est, quod τυφλῶττειν, id est, cęcutire.

# MYSTICA.

Noctua Mineruæ sacra.

NOCTVAM noctiuolam in Mineruę tutela auem esse uolunt. Est autem occulta auis. Noctù uigilat, dormientibus cunctis uolat, quare nocturnis lucubrationibus, vigilijs, silẽtio, cõtemplatione solitaria, sapientiã parari docet.

*Nam vigil insomnes ducit solertia curas.*

In tenebris uidet. Ita & sapiẽtia etiam in maxima errorũ caligine proprium splendorem obtinet, & malum à bono, uerum à falso discernit. Nihil enim tam abditum est, tam obscurũ, quod sapientia non percipiat. Minerua Græcè etiã Ἀθηνὴ dicta uidetur ἀπὸ τῆ ἀθρεῖν, hoc est, à uidere cupiendo, ceu quæ prouideat, quæ veluti in tenebris futura sunt. Sic & γλαυκὸν nomẽ deriuatur à γλαύσσω, quod est θεωρῶ, uideo, significans id quod subalbũ, & facile uisu est. Quod si igitur γλάυσσειν, & ἀθρεῖν uerba similis significationis sunt, ea etiam quæ ab ipsis deriuantur, nomina cognationem inter se aliquam habebunt. Itaque uisus glaucus Mineruæ tanquam uisu pollenti conuenit. Nam acri ingenio esse creduntur, quibus oculi sunt glauci. Et ipsa Noctua ei consecrata est, non modò quòd noctù uideat, quemadmodum prudentia in rebus obscuris rectè præuidet, & consulit, uerùmetiam propter similitudinem deriuationis, ut diximus, cùm duo illa uerba γλαύσσω & ἀθρῶ, à quibus nomina γλαὺξ & Ἀθηνὴ deriuantur, synonima sint, ut Eustathius tradit. Olim Cornix Mineruæ sacra erat. Qua repulsa Noctuã accepit. Hoc autẽ figmento significare uoluerunt antiqui, hominẽ sapientẽ præmeditatione, quæ in obscuris sepulta sint, noscere, non aliter atque Noctua uidet in tenebris, & loquacitate repudiata, loca, tempusq; ad agendum respicere. Aesculapio pariter dicata est Medicorum Coryphæo ac numini. Innuitq; medico diù noctuq; studiosè in salutem ęgri aduigilandum esse. Quemadmodum uerò dictis Dijs cara & sacra, ita Bacho inuisa fuit, utpotè cui uitem denegasse fertur, solamq; à suis racemis abegisse, quòd mortalibus uinum criminata sit. Natam religionis opinionem ex eo autumo, quòd Noctuina oua abstemios facere, & odium uini inducere creduntur; aut quia sobrietate sapiẽtiam adipiscimur, non temulẽtia.

Minerua cur Ἀθηνὴ dicta.

Cornix cur Mineruę nõ amplius sacra.

Noctua Æsculapio sacra.

Baccho inuisa.

Oua noctuina vini odium inducere.

MORA-

# MORALIA.

NOCTVA *ipsa, inquit* [a] D. Ambrosius, *quemadmodum & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem, & quò fuerit nox obscurior eò contra vsum auium cæterarum inoffensos exercet uolatus. Exorto autem die, & circumfuso splendore solis, visus eius hebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris. Quo in iudicio sui declarat aliquos esse, qui cùm oculos habeant ad videndum, videre non soleant, & visus sui officio solis fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi, & non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum tenebrosa dæmoniorum rimantur, & cæli alta videre se credunt, describentes radio mundum, mensuram æris colligentes. Porrò autem à fide deuij perpetuæ cæcitatis tenebris implicantur, habentes in proximo diem Christi, & lumen Ecclesiæ, & nihil videntes, aperiũt os, quasi omnia scientes, acuti ad vana, hebetes ad æterna, & longæ disputationis anfractu prudentes, inscij propriæ insciticæ. Itaque dum cupiunt subtilibus euolare sermonibus, quasi Noctuæ in lumine euanuerunt.* [a] *Lib. 5. Hexam. c. 24.*

Sapientes mundi Noctuæ comparati.

Quemadmodum Noctua de die cessat ab omni actione, noctù uidet, canit, volat, uictum parat; Ita hyppocritæ quidam palam strepitum nullum, tumultum nullum, insidias nullas mouent, sed omnẽ mansuetudinis modestię benignitatisq; colorẽ prę se ferunt; clam uerò fornicationes, immunditias, crapulas, ebrietates, & multa humani generis opprobria cõsectãtur.

Hipocritæ Noctuis similes.

Simili pacto Noctuis comparare possis Anabaptistas, impium quoddam genus hominum, qui cùm communi uita summam innocentiam, simplicitatem, & sanctitatem morũ simulant, in clandestinis interim conuenticulis sese nefandis libidinibus conspurcant, atque omnia flagitiorum genera perpetrant. [b] D. Ambrosius, *nolo te*, inquit, *imitatorem esse Noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatus obscuritate, luce cæcatur. Istud animal hæreticorum figura est, atque gentilium, qui tenebras amplectuntur Diaboli, lucem saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De ijs ait Dominus: Oculos habent, & non vident, in tenebris ambulant; Sunt enim acuti ad superstitiosa, hebetes ad diuina, qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tanquam Noctuæ veri luminis splendore turbantur.* Quinetiam qui inani sapientię studet, noctuę oculis similes sunt. Illius siquidem lumina noctù aliquid cernunt, sole autem lucente obscura sunt: istorum verò mens acutissima quidem est in uanitatis cõtemplatione, ad ueri autem luminis cognitionem admodum hebes est. [c] Diuus Basilius è contra nobis Noctuæ nocturnum cantum, & uigilias in pietatis exempla & exhortationem uertit, super illis uerbis, *& volatilia volantia super terram*, ubi ita scribit: *Habes in tenebris ea volucrum genera, quæ non nisi noctu euagantur, sibiq; victum adquirunt in luce ea, quæ interdiu volitant. Vespertiliones enim, Noctuæ, Vlulæ, cæteraq; id genus nocturno tẽpore, nõ de die pabulũ sibi acquirere student, ut tibi, si vnquam te non occupat somnus, morula etiam in ipsis, & quæ peculiariter in ipsis insunt considerandis ad gloriam dicendam creatori sufficiat.* [b] *In Malac. Proph. tom. 2. 447.* [c] *In Hexam. diuin. officij hom. lib. 8.*

Annbaptistæ noctuæ comparati.

Damnantur lege Mosaica noctis ac tenebrarum amicæ aues, vt Noctua, Vespertilio &c. quòd homines lucifugas, & qui opera tenebrarum patrant, significent. [d] Tertullianus pulchram & mysticam mentis nostrę & corporis oculorum inter se comparationem, Aquilarum, & Noctuarum exẽplo instituit, inquiẽs: *Solem Noctuæ nesciunt, oculi Aquilæ ita sustinent, vt natorum suorum generositatem de pupillarum audacia iudicent, alioquin non educant, ut degenerem, quem solis radius auerterit. Est ideò alteri quid inuisibile, alteri non, quod ideò incorporale sit, quia non ex æquo uis valet. Sol enim corpus, siquidem ignis, sed quod Aquila confiteatur, neget Noctua, non tamen præiudicans Aquilæ. Tantum & animæ corpus inuisibile carni si fortè, spiritui verò inuisibile. Sic Iohãnes in spiritu Dei factus animas martyrũ cõspicit.* [d] *Lib. de an.*

Damnantur lege Mosaica noctis ac tenebrarum amicæ aues, vt Noctua, Vespertilio &c. quòd homines lucifugas, & qui opera tenebrarum patrant, significent. [e] *Omnem enim qui mala facit lucem odisse Saluator ait.* [e] *Ioh. c. 20.*

# HIEROGLIPHYCA.

PALLADI Noctuam sacram fuisse, si non ex alio, ex veterum saltem Athenienſium numismate constat, quod locum prouerbio fecit, de quo antea diximus. Noctua igitur, quoniam eo tempore, quo cęteræ aues ad pastum euolant, quiescit; & quo cæteræ quiescunt, & dormiunt, vigilat, & prædas agit, & tum maximè videt, cùm reliquæ per tenebras caligant, Mineruæ consecrata fuit. Hoc enim proprium sapientię videtur, illic, vbi totum hominum vulgus valdè occupatum est, quietem capere, & cõtrà, vbi plebs nihil vidit, quod agat, plurimùm videre. Hoc igitur sapientis est in illis veram quietẽ agere, quibus vulgus occupatur, & contrà illic sese plurimùm exercere, vbi vulgus nihil videt agendum, quod dum facit, egregiè Noctuam imitatur. Hinc plerunq;

Sapiens noctuæ comparatus.

runq; & illud ſapienti viro uſu uenit, ut ſi apud plebeios compareat, haud ſecus, ac Noctua ſiæ in admiratione, & ſolus roſtris omnium uellicetur, quod dum ipſi accidit, Noctuam rurſum imitatus, ſeſe ſupinum impeti ſinit, roſtro ſuo & unguibus reliquum corpus defendẽs. Et certè nulla auis eſt, quæ prudentiùs ſeſe cuſtodit aduerſus alias, quàm Noctua, adeo ut una ſola ſeſe contra totum exercitum poſſit tueri; qua uel ſola ingenij dote Palladi dedicari meretur. Quoniam itaque & plurimùm in tenebris uidet, & illic maximum ocium agit, ubi uulgus hominum plurimùm laborat, & ſeſe præterea ſua ſolius ope contra totum auium exercitum defendit, atque cuſtodit illæſam, quid ni dicamus uel eam eſſe, uel nullam, quæ digna ſit Deæ Mineruæ ſocietate. Non mali igitur (ut uidetur) ominis ſibi nomen ſumpſerant, qui ſeſe olim Herulos nuncupârunt, id eſt, bellicoſas uel communes Noctuas, ut ſcribit [a] Ioann: Goropius. Liquet hinc qua de cauſa Noctua Harpocrati aſtet; liquet, inquam ijs, qui ſciunt Harpocraten illic ſedere, ubi plebs diſcurrit, illic plurimum agere, ubi uulgus nihil cernit, atque hinc illud effici, ut Noctuæ quoque ſibi comparet ſecuritatem, ſoluſq; poſſet totas aduerſariorum acies propulſare. Nihil ſanè uel Palladi uel Harpocrati conuenientiùs, quàm Noctuam habere aſtantem: quòd de huius auis dotibus in eorum ducamur cognitionem, quæ nobis vel Palladis, vel Harpocratis fauore contingent. Hęc omnia de Glauce Goropius, qui ibidem alia eruditiſſimè tractat. De aure autem, quę ille fusè: nos parcè attingemus: Verè hoc ab antiquis dictum, ob id Satyris aures eſſe acutas, & rurſus erectas, ut diuina Dionyfica quàm acuratiſſimè audiant. Midæ autem quòd attentiſſimè audiret Silenum, aſininas aures affixêre. Noctuę auris vna in ſincipite erecta eſt, vt intelligamus vnam eſſe aurem, quæ ex apice mentis, & omnium ſenſuum oriatur, & ſurſum ad ipſum vnum omnium principium, & conum tendat. At nunc ad hieroglyphica tanquam in viam redeamus. Apud Aegyptios item Noctua mortis erat hierogliphycum, & vulgatiſſimo etiam apud nos, cùm Oratorum, tùm Poëtarum teſtimonio lethale aliquid, aut maximum infortunium adferre dicitur. Cauſam rei duplicem inuenio, vnam quòd cùm Cornix vitæ longioris ſymbolum habeatur, cõpertum eſt, Noctuam quadam naturæ diſcordia, nidis eius magis, quàm aliarum auium inſidiari, & clanculum per noctis tenebras, vel pullos vel oua eius inuadere, atque perdere. Nam & in manuſcriptis Hori codicibus legas ἄφωνα γὰρ ὑπάρχειν τοῖς νεοσσοῖς τῶν κορωνῶν, quod in impreſſis exemplaribus deſideratur. Altera conſideratio eſt, quòd mors furtim irrepit, & nox pro morte ponitur, vt in illo [b] Virgilij.

Heruli qui dicti.

[a] *In Gotodanicis.*

Cur noctua Harpocrati adſtet.

De aure Noctuæ.

Satyrorum aures.

Midæ aures.

Noctua pro morte picta.

Pro infortunio.

Cornix cur noctuę infeſta.

[b] *Lib. 10. Aeneid.*

——*In aternam clauduntur lumina noctem.*

[c] Item

*Sed nox atra caput triſti circumuolat vmbra.*

[c] *6. Aen.*

Aethiopes pij habiti.

Hoſtes noctua & Cornice denotati.

Ebrietatem vitans noctua deſignatus.

Quorũ noctuę virtus cõtra ebrietatem.

Puer abſtemius vini redditus.

[d] *L. 2. Hieroglyph.*

Hominis ad patronũ irritum confugium.

Noctua victoriæ ſignum.

Prudẽtiam viribus præcellere per noctuam.

Et ſimilibus paſſim. Noctua noctis domina perhibetur; vnde illi apud Latinos nomen. Hoc igitur mortis ſignum illud eſſe crediderim, quod à lictore ferebatur ad damnatum publico iudicio, præſertim apud Aethiopes, à quibus Aegyptios aiunt multos id genus ritus mutuatos fuiſſe. Pios enim Aethiopes ante omnes extitiſſe, argumenta ſunt, familiaritates eorum, commertia, & cum Dijs conuiuia, de quibus Homerus, & alij ſcripſerunt. Noctuę itaq; ſigno viſo reus ſponte ſibi mortem conſciſcebat, magno alias & ſuis, & patriæ dedecori futurus, adeò illi Regem ſuum venerabantur, imò vt numen illum vulgò adorabant. Si verò hoſtes duos, qui capitali odio inter ſe diſſidentes, & iam detrimenta & inſidias ſibi inuicem moliantur, manuſq; mutuo ſanguine commaculent, notare volebant Aegyptij, id per Noctuæ & Cornicis exemplum facere conſueuerunt, quarum vſque adeò immortales ſunt inimicitiæ, vt in mutua ſemper ſua & ſuorum damna ruant; nam præter communem earum antipathiam, de qua nos ſuprà diximus, ſunt qui exploratum ſe habere dicunt, confuſum vtriuſque ſanguinem non coaleſcere, quod profectò diuerſam omnino earum temperaturam oſtendit, & maximum naturæ diſſidium. Hominem qui ſibi ab ebrietate cauet, ſignificare volentes, Noctuam ſua oua deſugentem effingebant. Oua enim Noctuæ ea vi pollere dicuntur, vt ſi per triduum ebriosis in vino dentur, tœdium vini adducant, & abſtemios reddant. Quod etiam apud Philoſtratum cõperij, qui puerũ, donec vixerit, abſtemium, & vini oſorem reddi ſcribit, ſi prius, quàm vinum guſtauerit, Noctuina oua leuiter cocta, illi ſorbilanda propinentur. Vini enim odium inde ſub oriri, quia ſic calor natiuus fiat temperatior. His addit [d] Horus; quod Aegyptij, ſi quando hominem ad alieuius aras patrocinij vel ſalutis cauſa, euentu irrito, confugientem ſignificare vellent, Paſſerem & Noctuam figurare ſoliti ſint, ſiquidem ille, ubi aucupis infeſtas artes declinare ſtudet, ad Noctuam, cuius patrocinio periculum euitare ſperat, confugit, ab eamet ipſa longè infeſtiùs excipitur. Athænienſibus Noctua alis expanſis tanquam volans expreſſa cum ramo palmæ, ſeu lauri, victoriam ſignificabat, eò quòd eorum vrbis tutrici Palladi dicata & auſpicata crederetur. Cùm verò procumbenti leoni Noctuam ſuperuolantem exprimerẽt, vires

ceſſiſſe

ceſſiſſe prudentiæ innuere uolebant. Eſt denique Noctua uigilantiæ ſtudioſis, quàm maximè neceſſariæ ſymbolum, quam ſobrietate colere oportet, & conſeruare. Qua de re Attici ita Noctuam depingebãt, ut uas, ſeu doliũ inuerſum, & uino uacuũ pedibus premere uideretur. Pro vigilãtia.

# AVSPICIA.

TENTER oſcines aues Noctua etiã à Feſto recenſetur, ut quæ Mineruæ ſententiam hominibus teſte Porphirio denunciare putabatur. Pleruńq; autem paganis infauſta habebatur, non tam uolatu, quàm uoce, ut & cęterę fermè nocturnę. Hinc eſt quod apud Menandrum, ubi de miſeria humana conqueritur, legimus: Noctuę augurio infauſta.

*Angimur ſi ſternutauerit quis, ſi malè loquatur*
*Iraſcimur ſi quis viderit inſomnium, valdè*
*Metuimus, ſi Noctua clamauerit quæpiam timemus.*

Mortis enim præſaga putabatur, ut ex Architremio liquet, ita canente.

*Diuitibus ſupremus honos prænuntia fati*
*Noctua, præcedit properanti morte propinquos.*

Feralis item illius credebatur cantus:

*Improba nam carmen Noctua triſte canit.*

Vt Pamphilus cecinit, unde & fera dicta eſt Pacifico eo uerſu:

*Quid toties gemuit noſtris fera Noctua tectis?*

Quin & uolantem formidaſſe uidentur ueteres. Nam Aelianus: *Accedenti*, inquit, *ad ſeriam actionem homini occurrenti Noctuam inauſpicatam ſignificationem dare aiunt. Cui quidem rei teſtimonio fuit Pyrrhus Epirotarum Rex. Cùm enim in illius Argos proficiſcentis haſtæ, quam erectam ferebat, hæc auis inſedisſet, ei malum auſpicium dedit. Nam Argos ingreſſus ingloria valdè atq; ignobili morte occubuit.* Cùm enim detracto galeæ inſigni, ne internoſceretur, in Argiuos oppidanos cędem inceptaſſet, ab aniculę cuiuſdam filio haſta leuiter vulneratus fuit, in quem, dum ulturus audaciam, impetum feciſſet, Argiui mater, quę ſupernè ſpectabat, periculum intuita, tegulam ambabus manibus arreptam quanta potuit, in Regis galeam effudit, quo ictu cùm exanimatus concidiſſet, Zopyrus quidam, qui ſub Antigono militabat, Rege cognito, accurrit, detractáq; galea ferrum gutturi admouit, ſed toruis Pyrrhi oculis perterrefactus, os & mentum eius pro iugulo recîdit. Infelix ſimiliter oſtentum Maxentio præbuerunt Noctuę, quod [a] Zozymus refert. Cùm enim Maxentius ex urbe copias mouiſſet, & iam pontem, quem ipſe iunxerat, tranſiſſet, infinita quędam multitudo deuolans, muros implebat. Qua conſpecta ſuis Conſtantinus, ut aciem inſtruerent, imperabat. Cùm itaque exercitus utrinq; cornibus armatis ſtaret, equitatum Conſtantinus ſuum immiſit, & hoſtilem fudit. Quare mihi (inquit [b] Aelianus) Homerus præclarè intellexiſſe uidetur, auem hanc mali auſpicij eſſe, cùm Diomedi ad caſtra Troianorũ exploranda proficiſcenti, Mineruam facit auſpicatò mittentem Ardeam è flumine egreſſam, non Noctuam. Ex his itaque clarum eſt, quod ut canit [c] Stroza Pater:

Pyrrhi Epirotarũ Regis mortis portẽtum.

[a] *L. 2. Hiſt.* Maxentius fugatus à Cõſtãtino.

[b] *L. 10. c. 37*

[c] *Acolaſt. lib. 2.*

*Coruorumq; greges Buboq; & Noctua, necnon*
*Simia pronè uolans, omina dira ferunt.*

Hinc eſt quòd, ut Apuleius teſtatur, *olim nocturnas iſtas aues, cùm penetraſſent larẽ quempiam, ſolicitè prehenſas foribus affigerent, pagani ſuperſtitioſi homines, vt quod infauſtis volatibus familiæ minari vi debantur exitium, ſuis luerent cruciatibus.* Non ſemper tamen Noctua infortunia portendit, ſed uolans aliquando inſignem de hoſte uictoriam apportauit. Aiunt enim reuera uictorię nuntiam per exercitum Athenienſium uolaſſe, boniq; ominis ſignum dediſſe, cùm bellum eis contra barbaros eſſet, nempè ante pugnam in Salamina. Plutarchus de Temiſtocle refert, quòd cùm in tabulato nauis de pugna apud Salaminam committenda, perorans ſtetiſſet, tùm Noctua ad dextram nauis partem tranſuolârit, & in ſummitate mali conſederit, quo maximè effectum, ut ſententia ipſius approbata ad naualem pugnam Græci ſe parauerint, in qua tãdem ſuperiores extitere, cùm alioquin ſi in terra cũ hoſte cõflexiſſent, ſine dubio inferiores fuiſſẽt. Vnde cùm hãc ob cauſam, tùm quòd Mineruę ſacra crederetur, Noctuę uolatus priſcis Athenienſibus uictorię ſymbolũ exiſtimabatur. Dicebatur etenim malè conſulta Athenienſium benè fortunare Pallas, de cuius dicti origine hanc fabellam comminiſcebantur. Cùm Neptunus à Minerua uictus, nõ poſſet Attica regione potiri, iratus δυσβελίαν, id eſt, leuia ſtultaq; cõſilia illis immiſit. Hæc Minerua tamen non mutauit, ſed quod illi malè ſtatuiſſent, ipſa in bonos exitus conuertit. Cùm autem Palladis ales eius mentem hominibus aperire crederetur, hinc prouerbium natum eſt, *Noctua volauit*, quòd rebus feliciter, atque ex animi ſententia geſtis ſeu ſucceden-

Noctuę augurio felicia.

Græcorum contra Barbaros victoria ex noctuarum oſtento.

Neptunus à Minerua victꝰ Athenienſibꝰ ſtulta conſilia immiſit.

Noctua volauit, quen

ſuccedentibus dici conſueuit. Verùm auſpicia iſtæc ut ſuperſtitioſa, & dæmonis potiùs arbitrio, qui iſtis præſtigijs veſanas hominum mentes velut captiuas, vt iam ſæpè dictum eſt, ſibi detinebat, nec ulla ratione naturali innixa miſſa faciamus, atq; videamus, nũ certiora quępiam præſagia è naturæ myſterijs petita ab ea capere poſſumus. Sanè itaque uidetur, niſi longæ veterum Phyſicorum experientiæ penitus refragamur.

## PRÆSAGIA.

Pluuiæ præſagium. Serenitatis ſignum.

NOCTVA igitur lucifuga veſpertino crepuſculo de ſuis luſtris citiùs pro conſuetudine egreſſa, plurimumq; cucubãs pluuiarum præſaga haberi ſolet. Nam maturè exit, vt citò ob pluuiam (quam ut præſagit, ita ferre non poteſt) ſeſe domũ recipiat. Antiquiſſimus ille Poëta Aratus inter cætera, quæ commemorat ſerenitatis ſigna, hoc etiam ponit: *Et nocturna Noctua quietè canens, tempeſtatis tibi deficientis ſeu marceſcentis ſignum eſto*; Quod ipſum pulchrè expreſſiſſe & confirmaſſe[a] Poëta Latinus uidetur hoc ſuo carmine:

[a] *Georg. 1.*

*Solis & occaſum ſeruans de culmine ſummo,*
*Nequicquam ſeros exercet Noctua cantus.*

Innuẽs Noctuam, cùm ſilet veſpere, ſerenitatem, cùm verò poſt ſolis occaſum canit, pluuiam ſignificare. Addunt[b] Plinius & [c] Aemilianus Noctuam in imbre garrulam, ſerenitatem præſagire, at ſereno tempeſtatem. Vulgò etiam obſeruatum eſt Noctuam, ſi nemora relinquat, annum ſterilem præſagire, vt tradit Carolus Stephanus.

[b] *l. 18. c. 35*
[c] *Lib. 7. de anim. c. 7.*

## VSVS IN MEDICINA.

Noctuę ſãguis ad Orthopnœam an valeat.

CONTRA pituitam Gallinarum prodeſt cibus aqua perfuſus, in qua lauerit Noctua: Author eſt Plinius. Noctuæ ſanguinem aliqui orthopnoicis utilem dicunt, quos reprehendit[a] Galenus his uerbis: *Cùm aduerſus ſpirandi difficultatem multa parabilia pharmaca habeamus, nihil ſanguine Noctuæ indigebimus, quanquã ſunt, qui non ſanguinem bibendum propinẽt, ſed ipſam inbeant cectam ſimplici iure edi. Sanguinem verò aliqui aquæ inſtillant, aly vino miſcent: Ego cùm à quodam hunc ſanguinem mulieri frequenter anheloſa commendante interrogarem, quamnam ſpirandi difficultatem hoc remedio curatam ſciret, nullam huius affectionis differentiam agnoſcebat; & cùm mulier eo uſa eſſet, nihil profecit.*

[a] *L. 10. de ſimpl. c. 3.*

Ad pilos euellendos. Carnes ad paralyſim. Ad Melancoliam.

Aëtius Noctuæ ſanguinem numerat inter pſilothra, quæ palpebris poſt euulſos pilos adhibentur. Noctuæ carnes paralyticos curare perhibentur quibuſdam Plinij authoritatem adducentibus. Rabbi Moſes melancolicis & mente perturbatis prodeſſe tradit. Capitis doloribus remedio eſt Noctuæ cerebrum, in cibo ſumptum. Idem uel etiam *iecur cum oleo infuſum auriculæ aut parotidi vtile eſt* Plinio authore. Raſis etiam *Noctuæ maris cerebrum in collyrium adhibet nyctilopiam curaturum*. De cerebello & iecore auribus utili plures authores conſentiunt. Marcellus enim, *Noctuæ*, inquit, *iecur diligenter ſeruatum, atque ex vnguento nardino trito, auriculis ſubinde infuſum, celeriter parotidum vitium omne perſanat*; Et Plinius quoque alibi, *ad parotidas conuenire* ſcribit *Noctuæ cerebellum butyro mixtum: diſcutit enim*, inquit, *fere eas ſine dolore & moleſtia*. Oportet autem in aqua marina feruẽte nouis ſpongijs demerſis & utrimq; expreſſis uaporare eas, atq; ita deinceps hoc medicamẽto oblinire, & lana ſulphurata totam maxillã ſupertegere. *Anginis ſuccurritur cerebro Noctuæ*: Plinius. Fertur, cùm decollatur Noctua, oculũ alterũ apertum retinere, alterũ claudere, & ſi clauſus ſupponatur capiti hominis non dormientis, dormiturũ; ſi uerò apertus, uigilaturũ. Sed hanc pulchrã, ſi Dijs placet, rem Arabs nobis Raſis occinit, cui quam meretur, & quam uolet fidẽ adhibebit lector, vt & nonnullis alijs huiuſmodi, quæ animo attento iuditioq; legenda, non tanquã Sybillina oracula proponimus; ideoq; & ipſa authorũ uerba repetimus. Idem Raſis Ariſtotelem citans, iecur Noctuæ ſiccum in potu ſumptum, colicam & difficultatem ſolutionis alui, & ſtomachi frigiditatem adferre tradit. Quod ſi ita eſſet frigidiſſimam ſanè ipſius Noctuæ temperiem arguet. Si enim hepatis uiſceris alioquin, ſi reliquis partibus conferas, admodum calidi, effectus frigidi ſunt, quales quæſo à reliqua Noctua expectandos putabimus? Frigidæ interim huius auis temperaturæ etiam atteſtari uidentur ea, quæ de ouis uini odium inducentibus, ſubijciemus, paulò tamen fuſius, quàm ſuprà. Scribit enim Plinius *ebrioſis ouа Noctuæ per triduum data in vino, tædium eius adducere*. Cui rei confirmandæ Philoſtrati hiſtoriam adferre lubet, qui ita habet. *Cùm quidam apud Indorum ſapientes conqueretur, filios quidem ſibi naſci, ſed quàm primùm vinum bibere cœpiſſent, omnes mori; ſic reſpõdit Iarchias:*

Ad anginã.

Nocumẽta.

Temperies noctuæ.

[b] *In vita Apollonij.*

*Melius cum illis agi, quod moriantur, si enim superstites essent, omnes euasuros insanos, quòd ex semine, vt apparet, nimis calido procreati essent. Vino igitur abstinẽdum est filijs uestris, ita ut ne cupiditate quidem ipsius moueantur. Si qui igitur posthac filij nascentur, obseruare oportet, vbi Noctua nidum faciat, & illius oua mediocriter elixata infanti comedenda præbere. Si enim illa commederit, priusquam vinum biberit, vinum oderit, & modestius deget, quia temperatior fiet naturalis calor.* Addunt quidam infantes gustatis Noctuarum ouis non solùm in omnem vitam reddi abstemios, sed etiam temulentos & non temetum tantùm formidare. Rasis verò oua Noctuæ diuersæ esse naturæ tradit. *Nam ex meditullio seu croco primi*, inquit, *si inungatur pars aliqua, eradicantur pili, & non renascuntur, & ex altero, si ponatur in loco pilis nudo, producit pilos.* Vim tamen hanc glabritiem in partem quampiam inducendi alij sanguini tribuunt, vt ex Aëtij verbis paulò antè citatis facilè liquet. Si Noctuæ cor ponatur propè foramen formicarum, eas fugabit, authore Palladio.

Ad extrahẽdos pillos, & producẽdos.

Ad fugandas formicas.

## VSVS IN CIBIS.

PAVCVM sanè in cibis usum præbet Noctuæ caro, & non nisi à tenuioris fortunę hominibns, in defectu melioris alimenti expetitur.[a] Rabbi tamen Moses carnes pullorum Accipitris & Noctuæ boni saporis esse asserit. Sanè quam ego aliquando elixare vidi, edi, satis candida erat. Atqui candor carnis bonitatis indicio esse solet. Rasis tamen carnem Noctuæ frigidam, siccam, & crassam esse memoriæ prodidit.

[a] *In Aphorism.*

## ICONES.

MINERVAM antiquitas, plerunq; depingebat cum Noctua, quam tamen non vno semper loco collocabat; nunc enim capiti insistebat. (Solebant enim prisci aues vnicuiq; Deo sacras in capite simulacri collocare. Vnde Aristophanes. *Videbatur mihi*, inquit, *Minerua ex vrbe venire, & Noctua ei insidere,*) nunc simulacri manu tenebatur, nonnũquam etiam ad pedes ei astabat, vt & Draco. quare cùm in exilium iret Demosthenes dixisse fertur: *Mineruam tribus immanibus delectari feris, Noctua, dracone, populo.* Aliquando verò ferebat in Aegide eius picturam, vnà cum gorgona, hanc vt metuendam prudentiæ vim, illam ut consiliorum profunditatem ostenderet. In Mineruæ præterea honorem Athenienses in numismatibus tam aureis, quàm argenteis Noctuæ imaginem ab utroque latere frequenter exprimebant, vnà cum Græcis literis iuxta positis ΑΘΗΝΑ, quo nomine ipsa Dea vocabatur. Habebant & aliud nummi genus, quod tetradrachmum vocabant, Noctuę & Mineruæ capite signatum, cùm antè didrachmos fuisset bouis imagine, qua de re[a] Iulius Pollux. Atque hinc est illud frequens, quod apud Græcos emanauit: *Bos est in lingua*, in eum, qui pecunia corruptus, uel silet, vel loquitur. Sunt qui tradunt Noctuæ imaginem in nummo triobolo, id est, humidrachmio fuisse, cum Iouis effigie ab altera parte. Item & in διώβολω Aristophanis, qui à nonnullis etiam γλαῦξ fuit dictus, ut scribit Hadrianus Iunius, quemadmodum binæ Noctuæ erant in τετράβολῳ ab aduersa parte. Visuntur etiamnum aurei quidam, & argentei nummi, in quibus Noctua conspicitur expansis alis, tanquam uolans, palmam uel lauri ramum ferens, quæ icon, ut diximus erat victoriæ symbolum. Numismata hæc, quòd Noctuæ figura insignirentur, vulgò Noctuæ dicebantur, ea præsertim, quæ quatuor drachmas appendebant, seu stateræ, unde & ἀργυροστατῆρες id est, stateres argẽtei Hesychio teste uocata fuêre. Cognominabantur verò Noctuæ hę Laurioticæ. Erat enim Laurios Atticæ regio auri & argenti venis diues. De his Aristophanes Athenienſium auaritiam notans, ita canit:

Minerua tribus feris delectata.

Mineruæ scuti picturæ.

Numismata noctuæ figurę apud Athenienses.

Pallas ἀθηνᾶ dicta.

Numus tetradrachmus.

[a] *Lib. 9.*

Bos est in lingua.

Numismata quæ noctuæ dicta.

Laurioticæ noctuęque.

Γλαῦκες ὑμᾶς ἅποτ' ἐπιλείψει λαυριωτικαί
Ἀλλ' ἐν οἰκήσουσιν ἔνδον ἔντε τοῖς βαλλαντίοις
Ἐννεοττεύσει ἠκλεψεσι μικρὰ κέρματα,
*Noctuæ non nos relinquent Laureoticæ*
*Sed hæ ædibus aderunt in ipsis, inque loculis nidulos*
*Sibi parabunt, nummulosq; paruos excudent.*

Noctua sub tegulis.

Ab hoc tetradrachmo seu tetrobolo numo Noctua signato, serui illius ęnigma emanauit, qui cùm domini furtum indicaret; *Multæ*, inquit, *sub tegulis cubant Noctuæ*, hoc est, Pecuniarum ingens uis sub tegulis obtecta latet, & absconsa. Historiam scribit[b] Plutarchus, quam & nos in prouerbijs referemus. In numismatibus etiam duobus Metapontinorum Noctua signata est, quod ad templum Mineruę fortè spectare videtur, nisi in gratiam Athenienſium, quorum amicitiã Metapõtini semper coluerunt, credere percussa malis; author est Hubertus Goltzius

[b] *In Lysandro.*

Numisma Palladis capite & noctua.

Quod primo loco ponit, argenteum eſt, in cuius parte aduerſa Palladis conſpicitur galeatum caput, ab altera frumenti ſpica ariſtata cum unico tantùm folio, cui Noctua inſidet cum inſcriptione META.

In ſecundo uerò, quod aureum erat, aduerſa parte Noctua Lauri ramo inſidet: in auerſa uerò frumenti eadem ſpica, in cuius folio pariter unico caduceum ueluti inſidet, cum eiſdem literis META.

Domitiani numiſma cũ Noctua.

Sebaſtianus Erizzius tradit Domitiani numiſma paruum quoddam reperiri, cuius inuerſa pars Noctuam oſtentet, & ſatis profundè ſculpta his adiectis literis S. C. Significabat ea fortè Senatum maximè decere prudentiam & conſultationem ſilentium amare nocturnũ. [c] Guilhelmus Coulus in numiſmate Neronis, & Vitellij Noctuam Aeſculapio aſtare ſcribit, quæ ſine dubio ſummã Medico vigilantiã ac prudentiã in ęgrotis curandis opus eſſe demõſtrabat.

Gelitonum numus.

In aureo quodam Γελητων numo Palladis effigies nudo capite, capillis ad ceruicẽ ligatis conſpicitur, cum hac litera Δ in aduerſa parte: in altera verò Noctua lauri ramo inſidens cum his literis poſt tergus ΓΕΛΗ. & ante pectus Δ.

Habebant ijdem populi argenteum numiſma, in cuius pariter parte aduerſa eiuſdem Deæ imago erat, ſed galeata cum hac litera poſt ceruicem Θ. In auerſa verò parte Leo quoddam animal dilanians, ſupra cuius tergus Noctua tanquam volare videtur, cùm nequeid tangat, & alas teneat expanſas. A ſiniſtra Noctuæ parte uidetur hæc litera Φ. ab dextra I. Sub Leone ſcriptum erat ΓΕΛΗΤΩΝ.

Crotoniatarum.

Apud Crotoniatas numus erat, in quo pariter Noctua videbatur alis contractis figura erecta cum inſcriptione ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ.

Brutiorum numus.

In Brutiorum æreo quodam numo Palladis effigies eſt, ſcutum & haſtam ferentis; poſt tergus ſcriptum erat ΒΡΕΤΤΙΩΝ, antè eam Noctua alis expanſis veluti volabat: ab altero nu mi latere caput Herculis, leonina pelle velatum. Idem quoq; numus erat Syracuſis cuſus, ſed cum inſcriptione ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Quorum item aliud erat numiſma pariter æreum cum effigie Palladis, ſed Gorgona in Caſſide ferentis in aduerſa parte, in altera verò Noctua lauri ramo inſidens, cum ſupraſcriptione ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ.

Valẽtiæ numus.

Valentia magnæ Græciæ vrbs olim numiſma habuit, in quo etiam Noctua erat, & aſtrum multis micans radijs, cum inſcriptione VALENTIA, vt videtur in tabula Proſperi Pariſij. In eo verò, quod Golzius depingit æreum ſcilicet, in cuius aduerſa parte Palladis galeatæ imago eſt, non aſtrum, ſed quatuor iſtæc ſigna OOOO conſpiciuntur, ante Noctuæ pectus, poſt tergus verò VALENTIA.

Sibaritarũ numus.

In Calabria apud Sibaritas in numiſmate quodam Noctua eſt depicta intra coronam, quæ fortè laurea fuerit, cum inſcriptione ΣΙΒΕΡΗΝΗ propè Noctuæ pedes. Erat & vaſculum quoddam lauaturis manus accommodum.

Tarentinorũ numus.

In æreo quodam Tarentinorum numiſmate Neptunus Delphino inſidet, tridentem dextra vibrans, eiq; aſtat Noctua, ſub Delphino erat ſcriptum ΤΑΡΑΣ.

Neronis numus.

In minuto, eoq; æreo Neronis numo, cuius inſcriptio erat NERO CLAVD. CAE. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C. erat lauri ramus, & Noctua. Cuſus fuit An: Orbis 4016. V.C. 806. I.C. 54.

Domitiani.

Argenteo cuidam Domitiani numo, in quo Palladis imago erat, & Noctuæ, inſcriptũ erat IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. V. IMP. VIIII. COS. XI (fortè XII) CENS. POT. P. P. Numus illa cuſus eſt an: O. 4048. V.C. 838. I.C. 86. quem pariter aliquoties renouauit, vt abundè videre eſt apud Occonem.

Adriani. Aureus Græcus cũ Noctua.

Lyræ duæ & Noctua erant in aureo quodam, eoq; Græco, vt inſcriptio monſtrat, nummo, in auerſa parte, cui ita erat inſcriptũ ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. CΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΗΜ. ΕΞ ΥΠΑΤ. Β. In aduerſa verò parte, in qua laureatum caput erat cum pelle Leonis, hæc erãt verba ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ ΥΠΑΤ. Β. Numiſma hoc excuſum fuit an: O. 4062. V.C. 852. I.C. 100. Eiuſdẽ item numus, qui fortè idem fuerit, cãpite inſignitus laureato cũ pelle leonis & claua, cũ inſcriptione Latina IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GERM. ab altero latere item Noctua eſt, cum inſcriptione IMPERATOR PERPETVVS S. C.

Antonini numus.

M. Aurelij Antonini Philoſophi numiſma cuſum fuit an: O. 4117. V. C. 907. I.C. 155. in quo ab vlla parte ille conſpiciebatur iam barbeſcens: Inſcriptio iſtæc AVRELIVS CAESAR AVG. PII. F. TR. P. VIIII. COS. II. ab altera parte Pallas dextra Noctuam, ſiniſtra haſtam cum clypeo tenens.

Atheniẽſes quot locis Noctuam depingerẽt.

Athenienſes autem non in nummis ſolùm Noctuam inſculpebãt, ſed in templorum etiam foribus, in urbis portis, quin & in uexillis eiuſdem ſignum poni curabant. Quin & Phidiæ artificio apud Athenienſes digna habita eſt, qui eam cum Deæ ſimulachro ceu rem ſacram ex

populi

populi decreto propo ſuit. Et Periclis ſcuto, cui inauſpicatus Noctuæ uolatus uictoriæ ſignum dediſſe perhibetur, in ſculpſit. Samij Noctuę ſigno in Athenienſium opprobrium abuſi uidentur. Hi enim Plutarcho teſte, ut acceptę ab Athenienſibus ignominiæ talionem redderent, ſtigma captiuis in frõtem inuſêre Noctuæ figura, ſicuti Athenienſes prius ipſos Samena inuſta notauerant. Eſt autem Samæna nauigij genus, ita quidem incuruatum, ut proram habeat depreſſiorem, & concauiorem, atque ita uentricoſam, ut & maria traijcere, & celeriter agi queat, ſic dicta, quòd in Samo uiſa ſit, ibiq; à Polycrate Tyranno primùm parata. Eas notas ferunt & Ariſtophanem per ambages indicaſſe, ubi Samios literatos facetè uocat, hoc uerſu:

*Quàm literatis Sami incolæ ſunt præditi.*

Opprobriũ

Samæna quid.

Polycrates tyránus Samenæ inuẽtor.

# PROVERBIA.

Γ Λαῦκας εἰς Ἀθήνας, id eſt, *Noctuas Athenas* (Adagiorũ author non rectè tranſtulit, Vlulas Athenas) ſubaudiendum portas aut mittis. Conuenit in ſtultos negotiatores, qui merces eò comportant, vbi aliàs affluunt, vt ſi quis in Aegyptum frumentum, in Ciliciam crocum inuectet; vel in eos competere poteſt, qui potentioribus, & nullarum rerum indigis aliquid mittunt. Venuſtius fortè fiet, ſi metaphora ad res animi transferatur, vt ſi quis doceat doctiorem, carmina Poëtæ, conſilium det homini cõſultiſſimo. [a] Cicero: *Sed rurſus γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, qui hæc ad te.* Item [b] alibi. *Et tibi verſus quos rogas, hoc eſt, Noctuas Athenas mittam.* [c] Ariſtophanes. *τί φῄς; τις γλαυκ' Ἀθήναζε ἤγαγε; Quid ais? quis Noctuas Athenas duxit?*

Noctuas Athenas.

[a] *Ad Torq.* [b] *Ad Q. Fratrem.* [c] *In Auib.*

Vſurpat id item atque exponit Lucianus. Necnon & noſter [b] Arioſtus:

*Portar (come ſi dice) à Samo vaſi,*
*Nottole à Atene, & Cocodrilli à Egitto.*

Porrò paræmia inde fluxit, quòd Noctua in Attica plurima eſt, eiq; regioni quaſi peculiaris. Dæmon quidem apud Ariſtophanis interpretem exiſtimat, non ob id ſolùm dici, Noctuas Athenas, quòd Athenis Noctuarum copia ſit, ſed quòd in numis etiam cùm aureis, tùm argenteis Athenienſium Noctua inſculpi ſoleat, vnà cum Mineruæ capite. Heſychius exponit de illis, qui fruſtrà aliquid faciunt. *Noctua inter Cornices* hodie vulgò dicitur, vbi ſtupidior aliquis in homines petulantes, ac dicaces incidit; nihil autem vetat, quò minus generaliter vſurpemus, vbi quis id agit negotij, vnde ſe expedire nequeat. Simile illi apud Græcos: *Aſinus inter Simias.* Γλαὺξ ὕπτατος. *Noctua volat:* Prouerbium apud Zenodorum, & Suidam, quod rebus feliciter, atque ex animi ſententia ſuccedentibus dici conſueuit. Nam priſcis Athenienſibus omen victoriæ adferre Noctua volans credebatur, & Mineruæ, cui ſacra erat, mentem læto augurio exponere. Non illepidè dicetur uolaſſe Noctua, quoties res non viribus, ſed pecunijs confecta creditur, quòd Athenienſium numiſma Noctuam haberet inſculptam, unde & Noctua uocabatur Lauriotica, ut ſuprà retulimus. *Noctua aliud ſonat, aliud Cornix.* Ortum habet adagium à uoce Noctuæ, poteſtq; accommodati in eos, uel qui decertant cum longè ſapientioribus, uel inter quos ob morum ingenijq; pugnantiam minimè conuenit, ſiuè cùm eſt alius alio longè facundior. Quemadmodum enim auem, quamuis non uideas, tamen è cantu licet dignoſcas. Ita ſtylus diuerſus ψυδεπιγραφίαν prodit. *Noctuinum ouum.* Refertur à Nicolao Perotto prouerbij loco, nec tamen explicatur. Fortaſſis antiquitùs abſtemium, & à uino abhorrentem hoc adagio ſignificabant: rationem pete ex ſuperioribus. *Noctuæ quid commune cum Minerua?* Videtur prouerbialiter uſurpari poſſe, ſicut illud, *Mineruæ felem comparas.* Nihil enim his animalibus præter cæſios oculos cum Minerua commune eſt.

Noctua inter Cornices.

Noctua Volat.

Noctua Lauriotica.

Noctuinũ ouum.

# EMBLEMATA.

ALCIATI emblema eſt ſub Lemate, PRVDENS MAGIS, QVAM LOQVAX.

*Noctua Cecropijs inſignia præſtat Athenis*
*Inter aues ſani Noctua conſilij.*
*Armiferæ meritò obſequijs ſacrata Mineruæ eſt,*
*Garrula quo Cornix ceſſerat antè loco.*

Aliud emblema eſt apud Nicolaum Reuſnerum ſub lemmate AMA QVOD FAEMINA DEBES.

*Suppoſuit laſciua femur quod turpe parentè*
*Nyctimene, lucem, Noctua facta fugit.*

Conſcia

*Conſcia ſic culpa, celat miſeranda pudorem:*
*Et latet in tenebris fletq; gemitq; nigris.*
*Quam fugiunt & aues, & pellunt æthere toto:*
*Nec reperit tutum pulſa repulſa locum.*
*Imperat heu quoties menti furioſa libido*
*Fœmineæ: rectum neſcit habere modum.*
*Quæ ſemel amiſſi rupit ſi fræna pudoris:*
*Mente furens cæca perpetrat omne nefas.*
*Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acrius urit:*
*Semina nequitiæ frangere nemo poteſt.*

# APOLOGI.

Noctuæ cũ alijs auib⁹ fabula.

MVLTAE aues lato volatus ambitu circumdabant Noctuam ludibrij indicio: Ex quo hæc placido amicoq; ſermone eas aduenire perſuadebat, & dicebat; Accedite ad me ò amicę, nõne videtis, quàm ſim blanda? nunquid veremini Accipitrinam me exercere rapacitatem? Cui illæ fidem adhibentes, acceſſerunt; at videntes eam protinus adunco roſtro & unguibus armatam reſponderunt. Minimè verò, nam etſi Accipiter non ſis, Accipitris tamen arma habes. Sic de Principe dicendum, qui etſi bonus ſit, inſtrumenta tamen habet ad tyrannidem exercendam. Ioannes Tzetzes apologum quendam Aeſopo aſcriptum refert his verbis: *Aeſopus introduxit alicubi fabulis ſuis, louem volentem facere auibus Regem, conuentum his indicere, & diem Regi creando deſtinatam præſcribere. Itaque auibus omnibus ſeſe exornantibus, quæ erat omnium turpiſſima Gracculus pennis aliarum, quæ decidebant veſtitus, omnibus formoſior apparuit, & niſi Noctua cognouiſſet pennam quandam ex ſuis, primoq; ſuam abſtuliſſet & deinde reliquæ ſimiliter, Gracculus ſic decoratus abſque controuerſia Rex factus fuiſſet.* Fabella notat multos, qui peregrinis inſidiantur laboribus, & pro ſuis venditant, furtis ſuis diuites videri, eosq; ſuperare, qui induſtria propria virtutem acquiſiuerunt. Notatur quoque tanquam inter aues ſani conſilij Noctua, vt quę omnium prima fraudem perceperit, & detexerit. Sũt & alij apologi, quibus Noctua alijs auibus ſanum conſilium dediſſe fingitur: Vnde factum putent nonnulli, quòd aliæ aues frequentes ad viſam Noctuam aduolent, tanquam ipſa alijs prudentior ſit, & prudentię ſimbolum habeatur, qui profectò ſtultè mihi facere videntur, dum commentis hiſce veritatis aliquid ineſſe credant, & non tantùm myſteriorum, ſed & naturalium effectuum, quæ alioquin veritate aliqua inniti ſolent, cauſam è fabellis petunt, quas alijs locis ſatis ſuperq; tradidimus. Apologos eiuſdem argumenti narrat D. Chryſoſtomus in hunc modum, *Aeſopum arbitror fabulam compoſuiſſe, quòd Noctua, dum eſſet ſapiens, conſilium dederit auibus, ne quercum ab initio ſinerent creſcere, ſed eam omni ratione perderent. Fore enim vt pharmacum ex ea naſceretur ineuitabile, quo comprehendantur, nempè viſcum. Rurſus cùm homines linum ſererent, iuſſit illius ſemen erutum deuorare, neque enim ipſis ad bonum creſcere. Præterea videns quendam hominem ſagittatorem, ipſis vaticinata eſt, inquiens; Ille homo veſtris vos anteuertet pennis, pedes ipſe vobis alatas arcu excuſſas emittens ſaggittas. Illæ verò his ſermonibus non credebant, ſed fatuam exiſtimabant, dicebant malè ſanæ mentis eſſe. Poſtea verò expertæ, admirabantur, & ueuera ſapientiſſimam cenſebant. Et propterea ſimul ac apparuerit, accedunt, tanquam ad eã, quæ norit omnia, At illa nihil is amplius vnquam conſulit, ſed lamentatur.*

Gracculus Aeſopicus.

Noctuę prudentia.

# FABVLÆ.

Nyctymenes fabula.

NYCTEVS Lesbi, uel ut alij, Aethiopum Rex, felix ſi nunquam pater fuiſſet, filiam habuit Nyctimenem, quę cùm nefandùm patrem deperiret, amorem nutrici confeſſa eſt, & infandum auxilium petijt: Ea cùm mentita eſſet Domino ſuo Nycteo, quod ab extranea virgine quadam diligeretur, vt filiæ ſuæ amplexibus imprudẽs vteretur, impetrauit; quam agnitam, poſtea inter ipſos amplexus cùm uoluiſſet extinguere, ipſa Mineruę implorato auxilio, periculo excepta, & in auem uerſa eſt, quæ conſcia comiſſi facinoris diei & cæterarum auium aſpectum fugit, atque ideo ob tantum ſcelus omnibus admirationi eſt. Fabulam hanc Ouidius hiſce verbis ſcitè expreſsit:

*——Mox acta per auras*
*Euehor, & data ſum comes inculpata Mineruæ,*
*Quid tamen hoc prodeſt, ſi diro facta volucris*
*Crimine, Nyctimene noſtro ſucceſsit honori?*

*An quæ per totum res est notissima Lesbon,*
*Non audita tibi est; patrium temerasse cubile*
*Nyctimenen, auis illa quidem, sed conscia culpæ*
*Conspectum, lucemq; fugit, tenebrisq; pudorem,*
*Cælat, & à cunctis expellitur æthere toto.*

Alij Pręti fuisse filiam dicunt & uim patris timentem aufugisse, quam Minerua postea in Noctuam mutauit, & sacram habuit.

# DE STRIGE. Cap. VIII.

HAVD rectè Bellonius, alijq; nonnulli Strigem Caprimulgo eundem faciunt, cùm & specie, & figura sint diuersissimi. Nam Strix nocturnis cæteris annumeratur, & ab Ouidio, & rapax, & Noctuæ similis describitur. Caprimulgum verò Cuculo minorem esse Aristoteles tradit. Est tamen nocturnarum quoddam genus, cuius iconem, & descriptionem hîc ponemus, quod à rusticis agri Bononiensis Caprarum ubera exugere mihi relatum est, quale certè Caprimulgum dicere quis possit. Verùm cùm Ouidiana Strigis descriptio ad amussim ei competere videatur, forsam nõ malè Strigis nomine à nobis donabitur, cùm neq; aliã auem, quę id potiùs mereatur, iam habeamus. Hæc fortassè quòd suctu labiorum capras emulgeat, à contraria ratione vbera sua infantũ labris immulgere falsò putata est superstitiosæ antiquitati. Nulla enim auis vbera habet excepto Vespertilione, aut tale facere perhibetur. Cùm autẽ Strix inter nocturnas verè recensenda sit, vtpotè omni ex parte Noctuæ similis, itaque hanc Caprimulgo Aristotelis anteponendam duximus, vtpotè nocturnis maximè dissimilem. Vel si fortè & illa, quam hîc delineatam proponimus, etiam Caprimulgus est, ut suprà ex relatu rusticorum nostrorum diximus, saltem hoc ipso, quo diximus, nomine, nempè quòd nocturnas referat, alteri proponenda venit.

Bellonij error.

# ÆQVIVOCA.

STRIX frumẽti genus apud Hippocratem est, tritico leuius, & uentrem soluit. Sunt qui velint pro trago accipere. Striges Grammatici quidam recentiores apud Plautum vilia olera interpretantur; Verba [a] Plauti hæc sunt: *Et homines cænas sibi coquunt; quum condiunt, Viuis conuiuis intestina quæ exedant. Non condimentis condiunt, sed strigibus.* Sed quærendum, an hîc etiam strigis genus illud frumenti indicetur, quod strigem Hippocrati vocari diximus. Vel ut Lambino placet, innuit coquus Plautinus cõdimenta, quæ alij coqui adhibẽt, ut Striges quasdã distorquere, & discruciare intestina. Strix præterea apud [b] Vitruuiũ dicitur pars caua columnæ striatæ, quemadmodum pars eminula stria dicitur; Hinc nimirum & Strigiles dicuntur canaliculi è ligno aut ferro dentati, quibus pellis animalium perstringitur, ac abstergitur. Strix, teste [c] Isidoro, est animal in Africa erinatij simile; vocatum autem à spinarum stridore, quas tergo laxatas emittit, & canes insequentes vulnerat. Striga est ordo rerum inter sese continuatè collocatarũ, vt ait Festus, quòd vna sint cõstrictę. Similia & Germanis vocabula sunt ein Streych, ein strym; hoc est, ductus rectus, oblongus, latitudines nullius, vel modicæ plerumq;. Strigas Italicum vulgus appellat uetulas magas, quę transformari dicuntur in feles, & alias animalium species, & sanginem infantum sugere. Vulgò la strea, stria, ianara, magara, fatturea.

Strix frumẽtum. Strix olus. [a] *In Pseudolo.* [b] *Lib.* 10. Strix pro cauitate columnæ. Stria quid. Strigiles canaliculi. [c] *L.* 12. *c.* 2. Strix quid. Stria vetula dicitur Italis.

# SYNONIMA.

STRIGES, aues inauspicatæ, Græcis Syrnia nuncupantur, vt ex uerbis, quibus eas (teste Festo) auertere solent, uidere licet. Sunt uerò huiusmodi: Σύρνια πομπούειν νυκτίκομα, στρίγγα δ' τ' ὀλοὸν, ἄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόροντε πνίκα. Est autẽ sensus, ut Syrnia noctiuaga, strix perniciosa, & nefanda auis, atque uelox Pnix abigantur. Alijs tamen quibusdam placet, & non indoctis uiris, tres aues diuersas, omnesq; inauspicatas in verbis istis designari, & cum suis singulas epithetis: nempè Syrnia νυκτινομα (sic enim potiùs legendum, quàm νυκτικομα) & Strigem perniciosam, abominabilem auem, & Pnica uel Pniga ὠκυπορον, id est, velocem, uel celerem. Et fortè Pnix, auis credita fuit, quę noctu πνίγειν, id est, suffocare dormiẽtes conaretur, quemadmodum & incubus, pingalion

Syrnia. Syrnia νυκτικομα. Strix perniciosa. Pnix velox Incubus.

Græcis,

Schraetle. Nachtmãle. Mere. Pnix hyſterica. Etymolog.

Græcis, vel ephialtes dictus, eiuſdẽ maleficij monſtrũ, ſiue ſpectrum nocturnũ vulgò creditur, Germani vocãt das Schraetle, Nachtmãle. Belgæ & Angli die mare, id eſt, equã; Hollandi die nachtemerri, id eſt, equã nocturnã. Niſi quis Syrnium tantùm & Strigem pro auibus accipiat, πνίκα verò pro incubo ſpectro. Ita Medicis Pnix hyſterica ſuffocationem ex vtero ſignificat. Eſt igitur ſiue fingitur Stryx auis nocturna inauſpicata, Latinè à ſtridore, vt vult Ouidius dicta, vel vt Feſtus à ſtringendo. Illius originis rationem [a] Ouidius his reddit verſibus:

[a] 6. De Faſtis.

*Eſt illis Strigibus nomen, ſed nominis huius*
*Cauſa, quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.*

Στρίγλος. Νυκτοβόα

Huius verò cauſa eſſe poteſt, quòd noctu pueros conſtringere exiſtimentur. Heſychius & Varinus Στρίγλος habẽt pro Στρὶξ in nominatiuo, quibus etiã Strix Νυκτοβόα, & Νυκτικόραξ vocari ſcribitur. De Nycticorace quæ ſit, alibi diximus; Noctua enim à nõnullis νυκτόβας dicitur, voce à νυκτοβόα haud abſimili. Sed ab his nocturnarũ auiũ nomina confundi patet; niſi & nos Strigem vel Noctuam, aut quamuis aliam nocturnam opinari velimus. Nam & Ouidiana Strigis deſcriptio nõ vni aui cõpetere videtur; apud quoſdam Στρὶγξ pro Strige reperio, ex Feſto nimirũ, qui στρίγγα nominat in accuſatiuo. Strix inquit author libri de natura rerum ex Iſidoro vulgò Ama vocatur, ita dicta, quòd pullos amet, vel quòd ſola pullorum ori lacteum inſtillet humorem. Ridicula ſanè etymologia, quam ab amando uoce Latina deriuant, cùm tamen Amma Latina non ſit, ſed Germanica, vbi ama ſiue amma per duplex m, vt Albertus ſcribit, nutrix vocatur. Sed & nominis ratio falſa eſt. Nam ueteres Strigem non ſuis pullis, ſed infantibus lac inſtillare noctù ex uulgi opinione tradidere. Sunt qui putent Lamias & Striges idem eſſe, uana utrasq; puerorum terriculamenta. Verùm Lamia ad quadrupedes potiùs referenda eſt. Κρεκνὴς auis exponitur à nõnullis ſtridula, eademq; eſſe putatur cum Latinorũ Strige, quippe quæ & ipſa dicta ſit à ſtridendo.

Στρίγξ. Ama. Ama ſiue Amma qd Germanis. Lamia. Κρεκνὴς auis.

# DESCRIPTIO.

[a] 6. Faſtorũ.

[a] VIDIVS breui uerborum compendio Strigem hoc pacto deſcribit:

*——Strigum*
*Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,*
*Canicies pennis, vnguibus hamus ineſt.*

Quæ omnia, etſi propriè nocturnæ aui competunt, pluribus tamen communia ſunt, nec certò docent, quænam ex omnibus peculiariter hoc nomine dicta ſit. Nam grande pleriſq; totius corporis reſpectu, & teres caput eſt, & ſtantes, id eſt, fixi oculi, & roſtrum & ungues adunci, & plumis cinereis Noctuæ ſunt. Vnde ueteres quiſpiam ſuſpicetur per Strigem indifferenter quamuis auem rapacem intellexiſſe, aut quẽnam propriè eſſet ignoraſſe. Nos hoc loco auis cuiuſdam nocturni generis deſcriptionẽ ſubijciemus, cùm quòd a reliquis omnibus diuerſa ſit, tùm quòd quò aptius referri poſſit, ignoremus.

Strigis noſtræ forma. Magnitudo. Caput. Oculi. Roſtrum. Color.

Eſt hæc auis Aſionis magnitudine, dodrantem, & palmos duos cum dimidio, à capite ad ultimam uſque caudam longa. Caput habet magnum, rotundum, quale cæteris, anteriori parte plumulas exiguas, graciles, in orbem uelut flammeum poſitas. Oculi ei grandes, pupillæ maximę, atræ admodum, iris dilutè flaua, ac pallens, præter cæterarum morem, quibus intenſior ac flammantior eſt. Roſtrum aduncum colore corneo, fuſco. Pennæ uniuerſi corporis ferrugineæ, maculis fuſcis præſertim in remigibus tranſuerſim diſtinctæ. Tegetes remigum ultimæ macularum albarum ordinem ſuis finibus efficiunt. Cauda palmo ferè alis longior, ferruginea ſimiliter trãſuerſis, ut in Accipitribus, lineis picta. Crura ad digitorum ungues uſque piloſa inſtar pedis leporini. Vngues nigerrimi, non admodum adunci. Digiti pedum bini antè, totidem retrò, ut Picis, & alijs nocturnis non auritis. Bubones enim & Aſiones ternos antè, unum retrò habẽt inſtar cæterarum auium. Excipitur ſola Scops, quæ ſimul & plumeas aures obtinet, ut Aſio, & digitos ab utraq; parte binos, ut Noctua. Normanni Galliæ populi maritimi auem quandam nocturnam, quam Freſaiã uocant, ſpeciem Bubonis eſſe dicunt, non maiorẽ Vlula fuſci coloris, & pedibus ad cælum conuerſis uolare. Hæc fortè non temerè cum noſtra hac, eadem uidetur.

Cauda. Crura. Vngues. Digiti.

Freſaia.

# VOX.

STRIGIS vox propriè ſtridor Latinis dicitur, vnde κερχνὶς auis, cuius Ariſtophanes meminit, quamquè Latinè ſtridulam à κερχνὸς, quo gutturis aſperitas ſonuſq; raucus & ſtreperus ſignificatur, vel etiam à verbo κέρκειν, interpretantur, nulla alia eſſe poteſt meo iudicio, quã noſtra Strix. Verba Ariſtophanis ſunt: Ἀλλὰ γλαυκῶν λόχος εἰς αὐτὲς καὶ κερχνιδῶν ἐπιτρίψει, id eſt, *Noctuarum & ſtridularum agmen in ipſas ingruet.* Nam & Author Philomelæ inquit:

*Strix nocturna ſonans, & Veſpertilio ſtridet,*

Et Ouidius.

*Eſt illis Strigibus nomen, ſed nominis huius*
*Cauſa, quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.*

Dares Phrygius vlulare facit:

*——ſibi credula fingit*
*Noctiuagas vlulaſſe Striges.*

Seneca vocem raucam eis aſcribit:

*Mæſtiq; cor Bubonis & raucæ Strigis.*

[a] *Lib. 6.* Triſtem & querulam, qualis Buboni alijſque nonnullis nocturnis [a] Lucanus:

*Quod trepidus Bubo, quid Strix nocturna queruntur*

Et Statius ait:

*Nocturnæq; gemunt Striges, & feralia Bubo*
*Damna canens*

[b] *L. 1. Eleg.* [b] Tibullus tam abſonam vocem cantus nomine dignatur:

*Semper & è tectis Strix violenta canit.*

# NIDVS.

[c] *Lib. 1. Metamorph.* OVIDIVS [c] Strigem in arboribus nidulari, videtur innuere hoc verſu:

*Vulturis in ramis & Strigis oua tulit.*

Quãquã pro oua, alij ora legãt, quę vox ad terribile, & truculentũ auis aſpectum referri debet.

# CIBVS. RAPACITAS.

STRIGES infantibus inſidiari ſcribunt, & ſanguinem in cunis noctù exugere, imò & dilaniato vnguibus corpore mortem afferre. Fabulam hanc narrat [a] Ouidius: [a] *6. Faſt.*

*Nocte volant, puerosq; petunt nutricis egentes,*
*Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.*
*Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,*
*Et plenum poto ſanguine guttur habent.*

Alij verò non ſanguinem puellorum dilaniatorũ exorbere tradunt, ſed quod magis fabuloſum eſt, viroſa vbera ſua infantum labris immulgere; Verùm Plinius, qui alioquin fabuloſa ſæpè pro veris nobis obtrudit, rectè equidem hoc commentitium, & anile nugamentum, qualia ſanè omnia ſunt, quæ de Strige narrantur, iudicauit; quòd volucrum nulla præter Veſpertilionem mammas habeat. Alij ſtringere infantum corpora, atque ita comprimendo, offendere Striges putabant; Vnde Feſtus Striges à ſtringendo dictas eſſe conijcit. Q. Serenus vtrumq; eas facere teſtatur:

*Præterea ſi fortè premit Strix atra puellos,*
*Viroſa immulgens exertis vbera labris.*

Maleficas mulieres fabulæ occaſionem dediſſe crediderim; quæ puellos munerum & lactis oblatione faſcinare dicuntur; vnde Mantuanus:

*——Teneros ne faſcinet artus*
*Noxia Strix &c.*

[b] *12. Orig. cap. 7.* Striges [b] Iſidorus non alienis pueris, ſed proprijs pullis humorem quendam lacteum inſtillare eosq; vltra aliarum conſuetudinem amare, prodidit. Qua de cauſa amas dictas eſſe, ſed qua lingua, non addit. Sed hoc nomen Latinum non eſt, reor Hiſpanicum, ut Calepinus admonet. Atque erat Hiſpanus ipſe, & Germanos nutrices ammas vocare diximus; ita nihil certum ab authoribus de Strigum natura traditur, vt enim veritatis vna eſt via, ita mendacij multiplex. Vnde non immeritò [c] Plinius: *Eſſe in maledictis iam antiquis*, inquit, *Strigem conuenit, ſed quæ ſit auium, conſtare non arbitror.* Imò verò nunquid in rerum natura extaret, dubitare potiùs debebat Plinius. [d] Angelus Decembrius hanc quæſtionẽ agitat quidem, ſed nihil tamen concludit.

[a] *L. 11. c. 49* [d] *Lib. 6. de polit. literaria parte 68*

Verba

Verba eius hæc sunt: *Quin etiam ego de Gryphibus interdum dubitare soleo. Nam cùm à Virgilio pro inimicis equorum ponantur (ita enim communis fert opinio) & Seruius eodem loco ipsorum animalium biformem effigiem planè commemoret: à Plinio tamen ita denegari solent, ut leuissimos, & sanè phreneticos appellet, qui in rerum natura Gryphes appellentur: eodem modo de Strigibus, quas vt obscænas volucres abominamur, addita etiam superstitione, & veneficas anus earum specie inductas per nocturna silentia infantum corpuscula fascinare, spiritus etiam intercludere, vt ab* [c] *Ouidio pulcherrimè. Quod mirum est in Plinio Gryphes negari, Strigesq; magis, quàm tragelaphos, aut rhinocerotas, uel hiænas, & id genus rarissimum: cùm vnos à Marone, alteros à Plinio recitatos videamus, nisi Poëticè fortè ad vulgarem opinionem loquutos arbitremur.* Et paucis interiectis: *At ego magis nonnulla negauerim, ipso etiam Plinio asseuerante. Quanquam in cæteris omnibus longè desertissimum commentatorem inuenio, sed librariorum inscitia frequentissimè confusum.* Et paulò pòst: *Arbitror pictorum lasciuia fieri, ut de Gryphibus, & Strigibus illa referantur, nam ita Poëtæ audent canere, sicut pictoribus licet effingere.* Hæc Decembrius; sed adhuc incertus & questionis institutæ ambiguus. Nobis verò dubium non est, quin nefaria ea facinora, quę Strigibus à veteribus plus iusto superstitiosis & dæmonum artibus illusis ascribebantur, noctù incantatrices illæ & veneficæ vetulæ commitant, quæ scilicet auibus nocturnis callidus dæmon imputari voluit, nè maleficia eius detecta, in ipsum authorem reiecta, ab hominibus impedirentur. Si quæ tamen auis Strix dicenda est, ea vna ex nocturnis erit, quibus tantùm Ouidij descriptio conuenit. Quæ tamen peculiariter ea sit, incertum est. Ouidius sanè ipse pręcipuus fabularum author, nihil de earũ natura, aut veritate asserere ausus, in magicam vim earum ortum referre videtur:

[c] *In Fastis.*

Auis quæ Strix dicenda.

*Siue igitur nascuntur aues, seu carmine sunt,*
*Neniaq; in volucres falsa figurat anus.*

χερκνὴς eadem Strigi putata, Latinè stridula depasci traditur τὰς πάρνοπας, id est, apes syluestres, seu Vespæ genus, quod vuas, tam maturas, quàm immaturas exugat.

# AVGVRIA.

ESSE in maledictis, inquit [a] Plinius, *iam antiquis Strigẽ conuenit.* Vnde [b] Seneca:

*Infaustæ Strigis omen triste* vocat, & Pamphilo improba dicitur hoc versu:

*Improba Strix, Anser, Noctua, Mergus, anus.*

[c] Tibullo violenta:

*Semper & è tecto Strix violenta canit.*

[d] Dares Phrygius vocem earum mali ominis timorẽ veteribus incussisse innuit:

*——sibi credula fingit*
*Noctiuagas vlulasse Striges ——*

Quintianus infandam nuncupat eadem de causa:

*Infandæ cum carne Strigis*

Remaclus taxicolam, quia & Taxus funesta & mortifera arbor est:

*Mendosi lemures, taxicolæq; Striges.*

[a] *L. 11. c. 49*
[b] *In Hercule furente.*
[c] *In Elegijs.*
[d] *De bello Troiano.*

# DENOMINATA.

AB inauspicatis hisce auibus, nomen maleficis mulieribus inditum, quas, vt ait, Festus volaticas etiam dicebant. Et Italicum vulgus strigas vel magas vocat vetulas, quæ transformari perhibentur in feles, & alias animalium formas, & sanguinẽ infantium sugere. Strigosum animal quoddam dictum putant, quasi à Strige exhaustum.

Volaticæ mulieres quæ.
Strigosum animal quale.

# FABVLOSA.

[a] OVIDIVS Ianum tradit cum Crane Nympha concubuisse, & pro concubitu ius cardinis ei donauisse, vt à cardinibus scilicet, & foribus noxia & infausta omnia posset depellere, & eo munere ab illa Striges nocturnas aues, quæ Procam infantem infestabant, & corpore vnguibus laniato, sanguinem exorbebãt, adhibitis precibus, ceremonijs, sacrificijs & virga sacrificij & virga de spina alba abactas esse. Fabulam recitat his versibus:

*Viderat hanc (Cranem) Ianus visæq; cupidine captus,*
*Ad duram verbis mollibus vsus erat.*
*Nympha iubet quæri de more remotius antrum,*
*Vtque comes sequitur distituitq; ducem.*

[a] *6. Fast.*
Iani cum Crane concubitus.
Proca infans à Strigibus infestata.

*Stulta, videt Ianus quæ poſt ſua terga gerantur.*
*Nil agis, & latebras reſpicit ille tuas.*
*Nil agis, en dixit, nam te ſub rupe latentem*
*Occupat amplexu teque potitus, ait.*
*Ius pro concubitu noſtro tibi cardinis eſto:*
Virga Striges pellēs. *Hoc poſitæ pretium Virginitatis habe.*
*Sic fatus, virgam, qua Striges pellere poſſet,*
*A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.*
*Sunt auidæ volucres non quæ Phineia menſis*
*Guttura fraudabant, ſed genus inde trahunt;*
*Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ*
*Canietes pennis, vnguibus hamus ineſt.*
*Nocte volant, puerosq; petunt nutricis egentes,*
*Et viciant cunis corpora rapta ſuis.*
*Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,*
*Et plenum poto ſanguine guttur habent.*
*Eſt illis Strigibus nomen, ſed nominis huius*
*Cauſa, quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.*
*Siue igitur naſcuntur aues, ceu carmine fiunt*
*Nenia, quæ in volucres falſa figurat anus.*
*In thalamos venêre Procæ, Proca natus in illis*
*Præda recens auium quinque diebus erat.*
*Pectoraq; exorbent auidis infantia linguis,*
*Et puer infelix vagit, opemq; petit.*
*Territa voce ſui nutrix accurrit alumni,*
*Et rigido ſectas inuenit vngue genas.*
*Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim*
*Eſſe ſolet ſeris, quas noua læſit hyems.*
*Peruenit ad Cranem & rem docet, illa timorem*
*Pone, tuus ſoſpes, dixit, alumnus erit.*
*Venerat ad cunas, flebant materq; paterq;*
*Siſtite vos lacrymas, ipſa medebor, ait.*
*Protinus arbutea poſtes ter in ordine tangit,*
*Fronde ter arbutea limina fronde notat.*
*Spergit aquis aditus, & aquæ medicamen habebant,*
*Extaq; de porca cruda bimeſtre tenet.*
*Atque ita noctis aues extis puerilibus, inquit,*
*Parcite, pro paruo victima parua cadit;*
*Cor pro corde precor, pro fibris ſumite fibras*
*Hanc animam vobis pro meliore damus.*
*Sic vbi libauit profecta ſub æthere ponit:*
*Quique adſint ſacris reſpicere illa vetat.*
*Virgaq; Ianalis de ſpina ſumitur alba,*
*Qua lumen thalamis parua feneſtra dabat.*
*Poſt illud nec aues cunas violaſſe feruntur,*
*Et rediit puero qui fuit antè color.*

Idem Ouidius Strigis carnes enumerat inter alia medicamenta, quibus Aeſoni Iaſonis patri inuentam Medea reſtituit:

*Addidit exceptas Lunæ de nocte pruinas*
*Et Strigis infames ipſis cum carnibus, alas.*

# MEDICA.

EX ſententia C. Titinij Poëtæ, qui fabulas togatas ſcripſit Q. Serenus puero à Strigibus faſcinato, allium præcipit annecti pro amuleto:

*Præterea ſi fortè premit Strix atra puellos,*
*Viroſa immulgens exertis vbera labris.*
*Allia præcepit Titini ſententia necti,*
*Qui veteri claras expreſſit more togatas.*

Superſtitioſi

Superstitiosi mali superstitiosum remedium nugator Kiranides adfert, & fabulosus scriptor: *Si vtrumq;*, inquit, *oculum hiænæ extraxeris alligaueriscq; vtrique brachio in purpureo panno, abiges omnem timorem nocturnum, & Strix, quæ necat infantes, & partubus insidiatur, & omnis dæmon fugiet.*

# DE CAPRIMVLGO. Cap. IX.

CAPRIMVLGVM, etsi specie à reliquis admodum differat, non temerè tamen nocturnis accensuimus. Hoc enim cum illis commune habet, quòd interdiu parum clarè, aut ferè nihil videat, quæ res in nocturnis præcipuæ cõsiderationis est, & quòd potissimas suas actiones, vt volatum, rapinam, caprarum suctum, haud secùs atque illæ, nocte exercet. Natura verò & forma reliquis nocturnis dissimillimus, & Cuculo, quàm Noctuæ similior, vltimum inter has locum meretur.

# ÆQVIVOCA.

DIVERSA ab hac auis est Aegithalus, quam Latinè Parum dicimus. Aliqui tamen nominis vicinitate decepti, cum Aegothela, eum, id est, cum Caprimulgo confundunt. Nam [a] Aristophanis Scholiastes, *Aegithalus*, inquit, *Accipitris species est*, & rationem nominis, quæ Aegothelę conuenit, subiungit.

Aegithal[a]. Parus.
[a] *In auibus.*

# SYNONIMA.

CAPRIMVLGVS Græcè Αἰγοθήλης, παρὰ τὸ ἐξ αἰγὸς τεθηλακέναι, quòd capram sugat. Apud Latinos similiter Caprimulgi nomẽ à mulgẽdis capris inuenit. Nostrates eum Calcabotto indigitant, fortasse quòd bufones, quos bottos vocant, calcare seu conculcare, aut pedibus prehendere, & subigere soleat. [a] Bellonius eam auem putat, quam Galli Fresaye vel Effraye nuncupant, quàm rectè, ignoro. Alibi Aluconis quandam speciem pro Gallorum Fresaye, siue Effraye exhibet, neque vnico, aut simplici errore, cùm iam ex eadem Caprimulgum, & antea Strigem fecerit, atque ita ex triplici auium genere vnum componit. Quantum enim Strix à Caprimulgo differat, vtriusque descriptio demonstrat. Normanni, alitem eam nocturnam Fresaiam videntur vocare, quam nos capite de Strige depinximus. Videtur tamen post errorem suum Bellonius agnouisse Caprimulgũ, cùm visum eum à se in Creta veris suis notis depingat, & genuinã eius ad Ornithologum iconem aliquando miserit. Verùm non debebat vernaculas saltem voces ignorare. Si enim verum erat priorem illã nocturnam, quæ Aluconis videtur species, à Gallis suis Fresaye siue Effraye appellari, quomodo, inquit alibi, verum Caprimulgum in Creta, qui Cuculo similis est, eisdem ob horribilem vocem eodem nomine venire? At fieri potest, ut similis vtriusque vox ipsis imposuerit. Germani nomen Caprimulgo proprium non habere videntur, forsan quòd hæc auis apud eos aut rara inuentu, aut nulla sit. Turnerus tamen ex vetuli cuiusdam opilionis Helueti relatu Paphos eos, id est, Sacerdotes lingua sua vocari autumat. Verùm ridiculi nominis quænam ratio assignari possit, non video.

Αἰγοθήλης, & eius etymolog.
Calcabotto.
[a] *Lib. 2. de auib. c. 35.*
Bellonij triplex error.
Strix à Caprimulgo differt.
Fresaia Normanorũ qualis.
Paphi qd.

# DESCRIPTIO.

*APRIMVLGVS* (inquit, [a] Aristoteles) *auis mõtana est magnitudine paulò maior, quàm Merula, minor, quàm Cuculus.* [b] Plinius *grandioris Merulæ aspectu* esse tradit. [c] Bellonius tam colore, quàm magnitudine fermè Cuculum eum repræsentare etiam affirmat. Hic, cuius nos imaginem exhibemus, vndiquaq; nullis reclamantibus notis, illi, quem Aristoteles, & Plinius describunt, respondet. Est enim non tantùm reuerà Cuculo paulò minor, sed præterea ita illi similis, ut Cuculum iures, nisi inusitata pedum, crurumq; exilitas & breuitas, & diuersa constructio obstaret. Ab extremo rostro ad vltimam caudam dodrantem, & pollucem longus est. Rostro perquàm exiguo, si reliquo corpori & capiti compares, vix Passerino maiore, nigro, nihil aut modicum adunco, plumulis gracillimis, tanquam pilis quibusdam supernè ad nares, & infernè sub mento ceu barbula. Caput vertice longo est, ac compresso. Oculi grandes admodum, iris, pupilla prorsum nigrę rarissimo exemplo, nisi id ob ætatem, quæ tenerior fuisse videtur, accidat, vt in Columbis Accipitribusue fieri videmus, quorum oculi primùm nigerrimi toti, ætate

[a] *9. H. c. 30*
[b] *L. 10. c. 40*
[c] *L. 2. c. 36*
Magnitudo.
Rostrum.
Caput.
Oculi.

increſcente paulatim nigro, glauco, aliouè diſtinguuntur. Quæ totum corpus veſtiũt plumæ, medio iuxta calami ductum vtrinque nigræ, extremo apice albę, cætera leucopheæ ſunt, quare Accipitrinam ſpeciem præ ſe ferre videtur. Remiges alarum tantùm nigræ, maculis ſubluteis interſtinctæ. Tegetes in primo, aut altero ordine per tranſuerſas alas maculam albam ducunt. Gula, pectus, venterq; tota ferrugineo colore diluto, & notulis ſeu lineolis fuſcis haud continuis, tranſuerſis, uti in Accipitribus quibuſdam reſperguntur. Cauda perinde atque Accipitribus, & nocturnis nonnullis rapacibus, pari ex interuallo, nunc nigris, nunc ferrugineis maculis viciſſim exornata, quam remiges longiſſimæ binũm, aut ternorum ferè digitorum ſpatio ſuperant. Femora, cruſcula, & pedũculi adeò exigua, tenuia, breuia, vt nullam equidem norim etiam ex minoribus, cui hæc omnia minora ſint, vna excepta Hyrundine apode, non quòd pedes nõ habeat, ſed quòd admodum exiguos. [d] Ariſtoteli ſic dicta. Color tibiarum, & pedunculorum ferrugineus eſt. Digiti terni antè, retrò vnicus, contrà atque in Cuculo, cui vtrinque bini, vti Picis, Pſittacis, & nocturnis non auritis. Quod [e] Iſidorus magnam eſſe Aegothelam tradit, abſolutè verum nõ eſt, niſi comparatione ad minutiores auiculas, ut Paſſeres & ſimiles. At minimè nihil eſt, quod roſtro eum lato eſſe dicat, quod tamen non de roſtello ipſo, quod exiguum, ſi cætero corpori conferas, & vix Paſſerino maius habet, ſed de oris hiatu intelligendũ eſt, quem, reuera in maximam amplitudinem diducit. Ornithologus in appendice ſua, quam poſt edidit, pulcherrimã hanc iconẽ pro Caprimulgo exhibet; noſtræ in eo potiſſimum diſſimilem, quòd roſtrum aduncum habeat, & tibias plumis obueſtitas. Verùm nùm Caprimulgus ſit, mihi minimè conſtat.

[d] *Hiſt. 1. c. 1.*

[e] *12. Orig. cap. 7.*



## VISVS.

CAPRIMVLGVM [a] Plinius abſolutè viſu carere interdiu tradit, & nocturnum furem vocat. [b] Ariſtoteles non omninò viſione priuat, ſed clara tantùm, cùm inquit: *Parum clarè interdiu videt, ſed noctu perſpicax eſt*. Vnde tunc ad furta ſua committenda aptior & promptior eſt.

[a] *L. 10. c. 40*

[b] *9. H. c. 30.*

## VOX.

[a] *Lib. 2. de auib. c. 5.*

[a] PETRVS Bellonius Caprimulgos aſſerit à ſe in Creta viſos, noctù per vrbes volitantes, clamore adeò horribili, vt etiam audientibus pauorem incutiant. Is fortè non abſimilis erat querulæ Bubonum aut Vlularum voci. Vnde Gallos ſuos Freſayos, ſiue Effrayas eſſe iudicaſſe ait, quæ vel ipſomet authore auis nocturnæ ſpecies ſunt, & quantum figura & deſcriptio earum docent, ex Aluconum genere, & Vlula flammeata Ornithologo.

## LOCVS.

[a] *9. H. c. 30.*

AVIS, inquit [a] Ariſtoteles, montana eſt. Vetus eiuſdem interpres, ut quidam citant, etiam inter lapides eum degere interdiu ait; Bellonius nidificare inter rupes montium circa mare in Creta teſtatur. Cùm enim illic capras ſuas in montibus incolæ paſcant, & ne nocte quidem ſtabulorum ſeptis includant, itaque paratum ſemper & uicinum habent lactis caprilli pabulum. Et quem nos delineatum damus in montanis agri Bononienſis natum aſſerebant ruſtici, & in ſtabulo caprino captum. Romæ eos ſæpè à paſtoribus deprehendi Petrus Gyllius retulit. Iſidorus, & Albertus Aegothelan auem peregrinam faciunt, quæ in Oriente reperiatur, ſibi nempè incognitam. Ego equidem aut in Gallia, aut Germania eam uix inueniri credo.

## GENERATIO.

[a] *9. H. c. 30.*

AEGOTHELAS (authore [a] Ariſtotele) *parit oua duo, aut tria cùm plurima.* Nidulari nonnunquam humi perhibetur, in quo oua Columbinis paria, ut plurimùm bina, ipſe fouet, ſecus ac adulter Cuculus.

## VICTVS.

PLINIVS *fures nocturnos Caprimulgos* uocat, quia, ut idem inquit, *Intrant paſtorum ſtabula, caprarumq; uberibus aduolant, propter ſuctum lactis, qua iniuria uber emoritur caprisq; cæcitas, quas ita mulſêre, oboritur.* Quinimò non ſolùm excæcari capras, areſcentibus uberibus, ſed & ipſas extingui, quorundam opinio eſt. In Creta verò alijſque regionibus, vbi moris non eſt pecus ſtabulis noctù includere, capras etiam in montibus, quibus & ipſi hac de cauſa gaudent, de nocte emulgent.

Finis Libri Octaui.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ Liber Nonus.

Qui est

## DE AVIBVS MEDIÆ NATVRÆ, hoc est, partim quadrupedis, partim auis naturam referentibus.

## DE VESPERTILIONE. Cap. I.

TAMETSI Vespertilio uon solùm à nocturnis, verùm etiam à cæteris omnibus auibus ita discrepet, vt non immeritò cunctis rei naturalis peritis hactenus dubitatum sit, vtrũ auibus potiùs, an quadrupedibus annumerari debeat, utrorumq; etenim naturam participat. Vnde [a] Varro:

*Quid multa? factus sum Vespertilio, neque*
*In muribus planè neque in volucribus sum.*

[a] *In Agathone.*

Nos tamen cùm Ornithologi & Bellonij exemplo, tùm rationibus magis permoti, inter aues & quidem nocturnas ponendum existimauimus. Volat enim, etsi cute potiùs, quàm pennis; Volare autem solis auibus proprium est. Pennatum esse verò non; cùm pennis Vespertilio careat. Binos præterea tantummodò, qui perfecti sunt, more auium pedes habet, eosq; in posteriore corporis parte. Nam qui in medijs alarum membranis sunt, singuli digituli, unci potiùs alarum, quàm pedes dicendi sunt; Si quis tamen quatuor eum pedes habere contendat, ego vix vllum eorum vsum esse dixerim: semper enim aut obuolitat, aut ex alarum hamulis, cùm à volatu feriatur, parietibus tabulisue adhæret, aut in humum lapsus, ne repere quidem, nedum dicam, cursu fugam moliri potest: vnde nullo negotio capitur. Quare meo quidem iudicio, non tam quadrupedibus, quàm auibus annumerandus videtur. In nocturnis verò vel ideò reponendus est, quòd non aliter atque illæ noctù tantùm visu, volatu, venatu, valeat, & interdiu ocietur: Ob hoc tenebrarum commertium, etsi alioquin tetricæ, & luridæ, non defuit tamen sua, cui placeret, Dea, Proserpina scilicet, Inferni Regis vxor. Illud verò magis mirandum videtur, humanam rationem eò cæcitatis dæmonis astu adduci potuisse, vt tam impuram auem, & quæ vel ipso aspectu homines terret, adorarent; atque pro numine quodam venerarentur, quod de Indis regni Mexici incolis [b] Paulus Gryfaldus memoriæ prodidit.

Cur Vespertilio inter aues describatur.

Vespertilio Proserpinæ sacer.

[b] *Ex Hist. Ind. lib. 3.*

## SYNONIMA.

ATALEPH, עטלף Leuitici vndecimo exponitur Vespertilio, reptile alatum, vnde pluralis numerus Atelaphin apud [a] Isaiam, & capitur pro imaginibus Vespertilionum. Accedit sanè hæc vox ad Græcam Attelabus, quod reptile est alatum. Dauid Kimhi interpretatur Ataleph murem alatum, nocte volantem, id est, Vespertilionem. [b] Chaldæus alibi habet Atalæpha אטלפא, Arabs Baphas בפאש. Persa Anseb perak, אנשב פרך. Septuaginta Nycteris Νυκτερίς. Hieronymus, vt & Leuitici vndecimo, hic & illi. Sunt qui Vpupam exponunt nomen Hebraicum Ataleph, quod

Ataleph. [a] *Cap. 2.* Attelabus. Mus alatus. [b] *14. Deut.* Atalæpha. Baphas. Anseb. Perach. Nycteris.

quod non laudo. In [c] Eſaiæ tranſlatione Hebraicè pro talpis legitur peros, pro Veſpertilionibus Laatalephim. Abraham Eſra Cheporperot legit, quam vocem alij diſiungunt, & aues nocturnò volantes exponunt. [d] Auicenna Veſpertilionem Chafas nominauit. Inde corrupta eſſe puto uocabula Cafeſcis apud ueterem Auicennę gloſſographum, & apud Syluaticum Caſeckſo, utrumq; pro Veſpertilione. Sizarach eſt lac Veſpertilionis, inquit Andræas Bellunenſis, quam ego uocem Perſicam eſſe reor, quamquam [e] Perſa pro Hebraica Ataleph, id eſt, Veſpertilione uerterit Sebperack, uoce non admodum differente: Hinc corruptæ uidentur uoces Scetazirach pro Veſpertilione apud Syluaticum. Secranrach apud eundem, & Scerrazirai apud uetерem Auicennæ gloſſographum utrumque pro lacte, uel urina Veſpertilionis. Idem Syluaticus alibi Alcionetum Veſpertilionē eſſe dicit, neſcio qua lingua. Græcis priſcis Νυκτερὶς à nocte dicitur, & hodie νυκτερίδα. Græca uoce Plinius quoque alicubi utitur, quamobrem à Leoniceno notatur, quaſi auem à Veſpertilione diuerſam putârit. Dixit autem Nycterin, ut & Drepanin, ego Nycteridem malim, & Depanidem, quoniam rectus eorum oxytonus eſt. Φάλαιν Heſychio & Varino duo ſignificat, nempè ſqualorem comæ, & Veſpertilionem. Rhomphæa Kiranidi eſt Nycteris (quamuis interpres Noctuā reddidit) Νυκτάλωψ, & φιλόπτερος pro Veſpertilione leguntur apud Philen. Quidam hodie in Græcia Veſpertilionem γλαύκη, & κεκεβάγια nominari ſcripſit, quæ tamen alibi rectiùs Noctuæ attribuit. Veſpertilio *animal biforme*, inquit Nonius, *dictum quòd veſpere ſe ad volatum præparat noctis*: Vnde Ouidius:

*Nocte volat, ferocq; tenet à veſpere nomen.*

[f] Albertus paulò curioſiùs uocis rationem ad ſingulas uſque ſyllabas indagat, & Veſpertilionē dictum ait, quaſi veſpere utentem alis. Plinius, Macrobius, & alij eruditi maſculino genere efferunt, recentiores quidam, uti etiam Albertus, fœminino. Victorinus Veſpertilionem auem ſoricem appellat. Valla ſemimurem. Sereno periphraſticè dicitur auis *tremulis ſimulat quæ pellibus alas*. Item in Platonis ænigmate, Auis non auis. Veſpertilio Italicè dicitur Notula, uel Nottola, quam uocem aliqui Noctuam non rectè interpretantur, eo decepti, quòd à nocte deriuatam uiderent. Alibi Sportegliono, ut Scoppa ſcribit: alibi Ratto pēnago, quaſi mus pennatus, ſeu potiùs alatus, nempè in Lombardia, uel Barbaſtrello, ut Bononiæ: item Pipiſtrello, Vipiſtrello, Vilpiſtrello, quæ omnia à Latino Veſpertilione detorta uidentur, & Sanazarius uoce omninò Latina Veſpertillos etiā uocauit. Luſitanicè Morcego, uel Murziegalo, id eſt, mus cæcus. Gallicè Chaulue ſouris, uel Souris chauue, quaſi caluus ſorex, uel mus glaber, non quidem pilis, ſed pennis. Iiſdem etiam Ratte pennade uocatur dictione Italicæ ſimili. Aliter Ratte uolage, id eſt, mus uolans, uel uolaticus, item Ratte ſauuage, id eſt, mus ſyluaticus, ſeu ſylueſtris. Germanis dicitur Flaedermauſs, quæ uox denotat murem, qui inter uolandum tremulas alas concutiendo ſonum excitat, licet obtuſum. Hoc enim ipſis proprium uerbū Fladderen ſignificat. Vnde met aphorico ſenſu Flaedderen ſumitur pro garrire, diciturq; de his, qui nimia loquacitate importuni ſunt, præſertim apud Saxones & Vbios. Simili uocabulo utuntur Belgæ, & alij Germaniæ ſuperioris populi. Nam pladderen dicunt de Anſeribus, aut Anatibus, aquam ſubindè alis uerberantibus, atque ita ſonum edentibus. Alio nomine Veſpertilio Germanis appellatur Speckmauſs, id eſt, mus laridi, quòd laridū lubēter arrodat, Inferiores Germani Vledermuys, ſiue concisè Vlermuys pronunciant. Anglicè à Bal, à Reare mous. Polonicè Metoperſs. Illyricè Netopyrz.

[c] *Cap. 2.* Laatalephi pro Veſpertilione.
Cheporperot.
[d] *L. 2. c. 779* Chafas.
Sizarach.
[e] *Deut. 14.* Νυκτερὶς. Φάλαιν qd. Rhōphæa.
Nominis ratio.
[f] *Lib. 23. de anim.* Cuius generis ſit.
Sorex auis.
Semimus.
Auis nō auis.
Nottola.
Ratto penago.
Barbaſtrello.
Morcego.
Chaule Souris.
Flaedermauſs.
Speckmauſs.
Vlermuyſs.

# GENVS.

DE Veſpertilione ſemper authoribus dubitatum eſt uolucribuſnè, an quadrupedibus eſſet attribuendus. Quæ lis ſanè non aliunde originem duxit, quàm ab ipſa animalis natura, quæ ita utriuſq; particeps eſt, ut neque huius, neq; illius generis eſſe, ad utrumq; tamen pertinere uideatur. Expoſuit ambiguitatē hāc prolixè [a] Philoſophus: *Vituli marini, & Veſpertiliones, quoniam ambigunt, illi cum aquatilibus, & terreſtribus, hi cum volucribus & pedeſtribus, idcò participes, & vtrorūq; & neutrorum ſunt. Veſpertiliones quidem pedes, vt volucres habent, ſed vt quadrupedes non habent. Cauda etiam tam quadrupedis, quàm volucris carent; nam quia volucres ſunt, cauda quadrupedis vacant, quia pedeſtres, volucris: quod ijs neceſſariò accidit. habent enim cuteas pennas, nullam autem volatile caudam habet, niſi penna ſciſſa volatile ſit. Genus enim id caudæ ex penna eiuſmodi conſtat. Cauda verò quadrupedis generi volatili adiuncta vel impedimento eius pennis proculdubiò eſſet.* [b] Plato præterea *auem non auem* uocat. *Eſt enim*, ut ait Nonius, *mediæ cuiuſdam inter auem & murem ſpecies, vt mus alatus dici poſſit*. & Valla non illepidè ſemimurem uocat. Solus ſanè uolucrum & auriculos, & dentes, denique

Veſpertilio an auis, aut quadrupes.
[a] *4. de part. cap. 15.*
[b] *In Grypho.*

denique & mammas habet. Viuum fœtum, quem instar quadrupedis parit, statim genitũ mammis lactat. Eum quatuor etiam pedibus incedere addit Macrobius, adeò vt cõcludere audeat, Vespertilionem, etsi pellitis alis volet, inter volantia tamen habendum non esse. Mihi verò nullis ingredi pedibus videtur, imò ne posterioribus quidem, qui perfectiores sunt. Semper enim aut volat, aut toto corpore iacet, aut digitis alarum (hos enim digitos potiùs quàm pedes dixerim, quòd imperfecti sint, & singuli & veluti unci alarum) ædificijs, saxis, arboribus adhæret. Vespertilionem ergò, cùm neque quaternos reuera pedes habeat, neque his ipsis incedat (etiamsi Aristoteles contrarium asserere videatur) non tam quadrupedem, quàm uolucrem esse, quis non absurdè inferet. Volat certè, etsi cutaneis alis; itaque nescio quàm rectè à volantibus Macrobius eum excludat. Nam, ut diximus, semper aut uolat, aut vbi volando fessus est, vncis illis alarum è parietibus dependet, graditur nunquam. Quare si offensis ad gladium baculumvè de industria in aërem elatum alis, in terram decidat, iam de eo actum est, nec ulla effugij, aut salutis via supereſt, quòd pedibus illis sese humo extollere nequeat. Quod si vel tantillum quidem pedibus inniti queat, ut alis liberè agitandis daretur locus, iam nullo negotio in altũ sublatus euaderet. Verùm, ut res loquitur, pedes illi inepti sunt, & nullius penè usus, haud secùs atque Hirundinibus, quas simili de causa Apodes [c] Aristoteles dixit. Nam & pedibus ipsæ, licet eos habeant, ob breuitatem tamen, & exilitatem uti nequeunt, imò si in humum fortè decidãt, nullo pacto, aut vix subuolare possũt. His & alijs de causis uolucris mihi potiùs, quàm quadrupes existimãdus Vespertilio uidetur. Etsi enim, ut ipse Macrobius, uelut sui oblitus, alibi affirmat, incertæ sit naturæ, quod tamen ad alites propiùs accedat, communis propè omnium authorum consensus obtinuit.

[c] *Lib. 1. Hist. c. 1.*

# DESCRIPTIO.

ANTEQVAM ad particularem Vespertilionis descriptionem veniamus, paucis præmonebimus, non unum esse Vespertilionum genus. Primum enim sexu differunt, quod vel ex eo constat, quòd more quadrupedum coëant, generent, & membris genitalibus pene, & vulua apertè distinguantur. Discrepant quoque & qui eiusdem sexus sunt, constitutione nonnu latum partium diuersa, figura, numero. Quidam murinum caput obtinent, alij caninum potiùs. Sunt quibus cauda nulla est, aut saltem membrana undiquaque inuoluta, vt noſtratibus, imò Europæis penè omnibus. Alijs cauda longa, uelut muribus, ultra membranas ultimas protensa, vt in Africa, & Aegypto næoterici obseruarũt. Reperiuntur quibus quaternę aures sunt, quales à nobis in agro noſtro Bononiensi visi, & quibus binæ tantùm, ut plerisq; uulgaribus, & passim obuijs. Denique & colorum diuersitas eos distinguit. Alios enim nigros, alios fuluos, alios subalbos, & cinereos uidere est. Sed ad descriptionem singularum partium accedamus, Vespertilio, cuius cùm maris tùm fœminæ iconem damus, quem aliquando in agello Anzolæ vulgò dictæ, in Bononiensi agro à rusticis nepotum meorum Alexandri I. V. D. & Iuliani de Grifonis captũ obseruaui, erat huiusmodi. In primis quatuor auriculas habebat, quales etiam in Gallia, & alibi reperiri testatum reliquit Bellonius. Harum binæ superiores quadruplo erãt maiores inferioribus, ad similitudinem asininarum, si reliqui corporis proportionem seruemus, ita collocatę vt maiores sua capacitate interiori, minores infernè includerent, conderẽtq; parte præsertim posteriori. Caput murino simile; Sed canino quoſdam esse Albertus scripsit. Roſtrum enim omnes ab auibus admodum diuersum erat, rictu magno, amplo admodum, & nares instar vituli. In oris sinu dẽtes habebat uigintiquatuor, in singulis mandibulis duodenos, quorum quatuor medij, tàm supernè, quàm infernè cæteris murium uerorum dentibus anterioribus dissimiles erant. His enim duo antici vtrobiq; oblongi, Vespertilioni, ut in canibus. Erant autem utriusque maxillæ dentes serrati, teretes, longiusculi. Bellonius triginta quatuor, decem & octo in mandibula inferiori, in superiori sexdecim sese obseruasse tradit. Maxillas tã intus, quàm foris, pilus oblongus niger obuestiebat. Lingua longa erat, cuiusmodi animalibus, quæ carnibus uiuũt, libera, soluta. Pupillæ oculorum nigrescebant. Mammillas in pectore gerebant, ut homo & elephas, uolucrum soli, quibus mox editum fœtum lactabant. Alæ eis membranaceæ seu pellitæ, quas uix rectè ob usum, Aristoteles & Plinius pennas vocant exangues. Incipiebant autem ab armis, & per latera per axillas continuo ductu ad crura vsque ferebantur, eaq; ipsa circumambiebant. Hæ quatuor flexus habebant seu plicas, quas Bellonius articulationes vocat, quibus inter uolandum alas dilatant, & contrahunt. Medijs superiorum alarum flexibus, quos cubitos Albertus nominat, quique in plures alios deorsum flexus diuaricantur. digituli singuli, vnguiculis hamatis, acutissimis instructi, quibus parietibus sese affigunt, annectebantur.

Differentię à sexu.

A partibus.

A colore.

Aures.

Caput.

Roſtrum.

Nares.

Dentes.

Maxillæ.

Lingua.

Pupilla.

Mãmillæ.

Alæ.

ctebantur. Videbantur autem in ſupremis alis, quaſi rudimenta quædam brachiorum, eaq; neruoſa apparere, quæ in vncum commemoratum deſinebant, quam rem [a] Ouidius innuit, inquiens:

[a] *Metam.* 4

*——Paruos membrana per artus*
*Porrigitur tenuesq; includunt brachia pennæ.*

Alæ. Alarum longitudo vnà cum corpore extenſa, ſcilicet dodrantis & palmi erat, latitudo trium digitorum. Color corporis, quod totum piloſum erat inſtar muris, fuluus. Pedes qui inferiori membranæ alarum innituntur, atq; è ventre exporriguntur, ad caudæ latera, bini ſingulis in quinos digitos diſſecti, vnguiculis aduncis inſtructi, in medio ampli, ac ſi palmam efformarent, imò verò manui non abſimiles erant. Pedes igitur Veſpertilionem habere non negandum eſt, neque id [b] Ariſtoteles ipſe negat, ſi attentè eius verba legantur. *Pedes*, inquit, *auibus additi ſunt, cùm alimenti gratia, tùm vt rectè ſtarent, excepto Veſpertilione, nam huic ſoli his opus non erat, cùm ex aëre alimentum habet, nec quiete indigeat.* Etſi enim pedibus cùm ad alimentũ comparandum, tùm ad ſtandum non indigeat, non ideò tamen pedes eũ habere negat, quod etiam alibi affirmârat. Ex eodem etiam Plinius fortè ait: *Qui negant volucrem vllam ſine pedibus eſſe, confirmant & Apodas habere & Nycterin.* Cauda eum quãuis etiam [c] Ariſtoteles carere tradit; (*Nã quia*, inquit, *volucer eſt, cauda quadrupedis vacat, quia pedeſter, uolucris, quod ei neceſſariò accidit. Habet enim cutaneas pennas. Nullũ.n. volatile caudam habet, niſi penna ſciſſa volatile ſit*) præterquam quòd noſtratibus Veſpertilionibus cauda quædam medijs, atque infimis alarum membranis ſub ventre inuoluta eſt, & ad extremam earundem apicem exporrigi videatur, aut quę ſaltem caudę vicem, aut imaginem habeat, certè Philoſophi argumẽtum eludunt Veſpertiliones Africani, quibus caudam longè vltra vltimam membranam protendi [d] Bellonius oculatus teſtis, author eſt, qui in ampliſſima Aegypti pyramide plurimos ſeſe offendiſſe Veſpertiliones ſcribit, noſtris ſaltem diſſimiles, quòd caudam haberent, ut mures oblongam, & quatuor digitos extra alarum membranas prominentem.

Color.

Pedes.

[b] *Lib. de Spiritu.*

Cauda.

[c] *H.4.c.13.*

Veſpertiliones caudati.

[d] *Lib. 2. de Auib. cap. vltimo.*



Obſeruati



Obſeruati ſunt mihi alij Veſpertiliones fęmina & mas vulgaris formæ, quibus binæ tantùm auriculæ, neq; ita lõgę erãt, vt ſupioribus eæq; nigræ. Icones eorum mox ſubinde dabimus. De harũ ſitu [c] Albertus Magnus ſic ſcribit: *Quia Veſpertilio accedit ad naturã quadrupedis, ideò habet auriculas, ſicut quadrupes in ſuperiori parte capitis ſui, cùm homo, & cætera bipeda aures, vel earum meatus habeãt in inferiori parte lateris capitum ſuorum retrò articulũ maxillæ.* Huius ambæ alæ exporrectę longitudine erant duorum dodrantum. In hoc mẽbri genitalis meatus aptè cõſpiciebatur, ponè podicẽ. Marẽ ſimiliter ex pene cognoui, eoq; ſatis magno, qui uti canibus foras prominebat, atq; tum arrigebatur, & poſt hunc vnicum tantùm foramen retrò conſpexi. Pili in mare nigriores, quã in fœmina, quæ flaueſcit magis, licet ratione ætatis etiam colorem nonnihil variare putem, vt quidam, ſub aluo præſertim, fului, alij cinerei nõnulli ſubalbi appareant. Aures quoque mari nigerrimi ſunt. Interiorũ partiũ eadẽ prorſus conſtitutio eſt,

Veſpertilionis fœminæ communis deſcriptio.

[c] *Lib. 23. de animal.*

Alæ.

Vulua.

Maris Veſpertilionis forma.

Color.

Aures.

Partes internæ.

& forma



& forma in Veſpertilione, quæ in terreſtri mure, quod Bellonius ſe re ipſa comperiſſe ſcribit. Quid Plinius ſibi velit, dum inqnit, *Coxendix huic aui vna traditur*, equidem non intelligo. Cùm enim coxendix ſit femoris ſuprema articulatio, qua crura uentri coniunguntur, ſeu propriè os illud, cuius cotyledoni caput femoris inſeritur in homine, atque cùm duo crura Veſpertilio habeat, nõ video quomodo duas coxendices habere nõ ſit dicendus, ſi unã habere poteſt. Coxendix.

## VISVS.

[a] *Lib. 1. Problem. 66.*

[a] ALEXANDER Aphrodiſæus rationem reddit, cur Veſpertiliones interdiu parum, de nocte meliùs uideant, atque ita primùm quærit: *Quamobrem pleraq; animalia videre interdiu queant, noctu nequeant? Quoniam* (reſpondet) *ſpiritum viſui accomodatum habent craſſiorem, quàm ut aërem permeare ad rem vſque videndam valeat. Craſſeſcit enim per noctem, cùm ſolis abſcentia refrigeretur; extenuatur interdiu beneficio aëris, qui tenuis & calidus eſt. Feles tamen & hiana & Veſpertiliones contrà ſe habent. Cùm enim interdiu ferè nihil videant, acutè omnia per noctem conſpiciunt, Spiritum quidem illum viſorium, & tenuiſſimum, & dilucidiſſimum habent, ita ut per noctem incraſſeſcens modicè,*

*dicè, idoneus ad rerum conſpectum reddatur, per diem luce præclara ſupra modum extenuatus expandatur & euaneſcat: Quamobrem leones quoque per ſolem acriorem ingredi non patiuntur; Sunt enim acie oculorum acutiuſcula, & ignem interdiu ydem ob eam rem fugiunt; conſtat talem leonis aciem eſſe, argumento pupillæ, quæ præfulget, atque etiam partis humidæ oculorum dilucidiſſima eſt.* Quæ ſententia meo quidem iudicio vera eſt, & tanto Philoſopho digna, quamuis & alij id iudicare poſſint. Certè Veſpertilionem ſub noctem potiſſimùm, ſeu veſperi euolare conſtat, tanquam ſolis & lucis oſorem. Vnde Proſerpinæ tenebrarum Principi eam dicarunt Veteres. Leonis viſio. Veſpertilio cur Proſerpinæ ſacer.

# VOX.

VESPERTILIO exili voce gannitum & latratum canum potiùs imitatur, quàm murium ſibilum. Latini proprio vocabulo hanc vocem ſtridorem vocant, & Veſpertilionem ſtridere dicunt. Vnde author Philomelæ:

*Strix nocturna ſonans & Veſpertilio ſtridunt.*

Et Ouidius:

*——minimam pro corpore vocem*
*Emittunt peraguntq; leui ſtridore querelas.*

Et [a] Iſidorus, Veſpertiliones non tam voce reſonare, quàm ſtridore etiam teſtatur. Ita τρίζειν Græcum verbum per onomatopeiam confictum, eſt tenui voce inſtrepere, qualis eſt Veſpertilionum ſonus. Τρύζειν verò per ypſilon de Turturum voce aſperiuſcula dicitur Euſtathio & Varino teſtibus. Vtitur hoc verbo [b] Homerus, vbi canit:

Ταὶ δ' τρίζουσαι ἑπουτο,
Ὡς δ' ὅτε νυκτερίδες, id eſt,
*——hæ autem (animæ) frementes ſequebantur*
*Sicut autem quando Veſpertiliones.*

[a] *Li. 12. c. 7.* Τριζειν quid. Τρυζειν. [b] *Odiſſ. Ω.*

Eo loco Euſtathius: Conuenit (inquit) τρισμὸς, id eſt, ſtridor, & tumultuatio quędã animis, articulato ſermone iam priuatis, itaque animas in nocturnum locum abeuntes νυκτερισιν, id eſt, nocturnis auibus Veſpertilionibus Poëta conferre voluit. Deriuatur nomen τρισμὸς à verbo τρίζειν, & propriè ſtridor Veſpertilionum eſt, aut murium. Vnde Troglodytæ Aethyopes lingua nulla alteri ſimili vtentes, ſed Veſpertilionum more ſtridentes, τετριγασειν dicuntur Herodoto. Pollux quoque Νυκτερίδας τετριγέναι author eſt. Et Euſtathius τετριγέναι, inquit, dicuntur Veſpertiliones, & auium pulli, & nix quoque, cùm latis pedibus calcatur. τρίζειν etiam eſt ſtridere, vel frendere dentibus præ iracundia. Quin & iugum bilancis aliquando τρίζει, de quo Poëta aliàs κρίγειν dixit, teſte Euſtathio. Inuenitur etiam de elephanti voce verbum τρίζειν. Ab hoc non admodum recedit Germanicum verbum, quo idem planè ſignificant, nempè critzen, Germani præſertim inferiores. Τρισμὸς quid. Τρίζειν & Τρύζειν quid. Troglidytarum vox. Elephantis vox. Critzen.

# TEMPVS.

ETSI *noctiu vagari* Veſpertiliones, [a] Ariſtoteles dicat, manè & veſperi tamen potiſſimùm volare conſpiciuntur, vnde etiam Veſpertiliones dicuntur, ut author eſt [b] Iſidorus eò quòd lucem fugientes veſpertino crepuſculo circumuolent, & iuxta Ouidium:

*——Lucemq; peroſæ*
*Nocte volant, ſeroq; tenent à Veſpere nomen.*

[a] *3. Hiſt. c. 1* [b] *L. 12. c. 7*

Hinc Petrarcha

*Son animal al mondo di sì altera*
*Viſta che contra il Sol pur ſi difende*
*Altre però che'l gran lume li offende*
*Non eſcon fuor ſe non verſo la ſera.*

Non negauerim tamen etiam nocte aliquando, licet [c] Bellonius aliter ſentiat, eos tota obuolitare, & ad nocturnum hunc volatum ſub ueſperam ſeſe veluti præparare, ut inquit Nonius. Vnde etiam paraſitus adulandi ſtudio vigilans Veſpertilioni apud [d] Athenæum comparatur. *Si frigus* (inquit paraſitus) *ſub dio Merula ſum, ſi ne minimum quidem dormiendum Veſpertilio aut lepus*, innuens Veſpertiliones totam noctem inſomnes ducere.

[c] *Lib. 2. de Auib. c. ult.* [d] *Lib. 6.*

# LOCVS.

Pſeudolabyrinthus Cretæ.

TENEBRAS in primis amant Veſpertiliones, & loca obſcura habitant, vt rimas, cauernas, meatus ſubterraneos, ſpecus, in quibus, quia nullam admittant lucem, etiam de die circumuolāt, hinc in lapicidina ſeu Pſeudola byrintho Cretæ inter Gnoſum & Cortynam, in quem facibus ingredi neceſſe eſt, ducibus incolis, tot Veſpertiliones ſtabulantur, vt niſi quiſpiam ſibi diligenter ab eis caueat, crebro ingruentium eorum volatu faces extinguantur. In lapicidinæ autem centro magni ſunt excrementorum acerui, qui magnam eorum ibi degentium copiam arguunt. Stephanus Vimandus Pigius in Apennini ſpeluncis, atque cauernis, quæ propè Puteolos inſignes ſunt, aliquot Veſpertilionum millia ſtabulari ex propria inſpectione tradit, atque dum lucem diurnam fugiunt, eò ſe tanquam in tuta caſtra recipere. Pari pacto in Monaſterio quodam deſerto Miſniæ in Germania tanta Veſpertilionum multitudo eſſe dicitur, ut tot excremētorum aceruis multi carri onerari poſſint. Veſpertiliones enim etſi deſerta, nihilominus tamen & ædificia *Tectaq́, non ſiluas celebrant*, vt Ouidius canit. Albertus frigoris impatiētes eſſe, hyemeq́; latere tradit, haud ſecus, atque Vpupam, Miluum, Cuculum, aliasq́; nonnullas aues, quod ipſe dormire vocat. Tum enim intra latebras ſeſe continent, neq; prouolant, ſed loco uno, cuius tepore quodam amico fouentur, immoti manent.

Veſpertiliones in ſpecubus montium.

# VOLATVS.

VESPERTILIO, etſi pennis deſtitutus ſit, euolat tamen alis pellitis, aut, vt inquit Iſidorus, *brachiorum membranis ſuſpenſus*, quæ huic & vulpeculæ uolucrum ſolis à natura datæ ſunt. Atque hæc inexplicabilis illius ſummi opificis ſapientiæ pars eſt, qui etiam abſq; pennis uolatum exercere, & per aēra ſublimes ferri hiſce animantibus dedit, alioquin cæteris uolucribus pinnarum ope fieri ſolitum. Itaque etſi, vt canit [a] Ouidius:

[a] *Metamor. 4.*

*—— Non illas pluma leuauit,*
*Suſtinuere tamen ſe perlucentibus alis.*

Etenim, ut idem ibidem:

*—— paruos membrana per artus*
*Porrigitur, tenuesq́, includunt brachia pennæ.*

[b] *Conſt. monaſt. c. 9.*

Volatum verò, ut teſtatur D. [b] Baſilius, agunt indirectum, quippè qui rectà nunquam ferri poſſunt ob ſemper obuerſantem timorem; itaque tortuoſo & incerto maximè uolatu huc illuc temerè pererrant, ac circumuagantur, atque haud ita longè à terra. Vnde fieri uidemus, ut ad quoduis fortè obſtaculum facillimè offendant. Cùm autem longa obuolitatione feſſi ſeſe ad quietem componunt, minimè ſedere, aut ſtare inſtar aliarum auium ſolent, uerùm hamis digitulorum, quorum rudimenta in medijs alis habent, parietibus, ſaxis, arboribus, aut cauernarum fornicibus ſeſe appendunt. Vnde Homerus fingit Vlyſſem ramis arboris adhæreſcere inſtar Veſpertilionum, ſiue (ut inquit Euſtathius) ad oſtendendum robur ramorum, quibus Vlyſſes grauis alioquin corpore, uelut leuis Veſpertilio hæreſceret, ſiue quòd hæc auis non ſuper ramis ingredi, ſed ab eis pendere ſoleat: uerſus [c] Homeri ſunt:

[c] *Odyſſ. M.*

Τῶ (ἐρινεῶ) προσφὶς ἐχόμην, ὡς νυκτερὶς, οὐδέπῃ εἶχον
Οὔτε ςηρίξαι ποσὶν ἔμπεδον, οὔτ' ἐπιβῆναι.

Hos Andreas Diuus ad verbum ita transfert:

*Huic inhærens tenebar, ſicut Veſpertilio, neque alibi poteram,*
*Neque inſiſtere pedibus firmiter, neque aſcendere.*

Proprium etiam Veſpertilionum eſt, vt teſtatur Euſtathius, continuata ſerie, & veluti catena quadam inter ſe cohærere, ut [d] Homerus etiam canit, vbi animas piorum, quas Mercurium in infernum deducere ſcribit, ſibi inuicem conglobari more harum volucrum introducit:

[d] *Odyſſ. Ω.*

—— Τὰι δὲ τρίζουσαι ἕποντο
Ὡς δ' ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου δεσπεσόιοιο
Τρίζουσαι ποτέονται, ἐπεὶ κέ τις ἀποπέσησιν
Ὁρμαθοῦ ἐκ πέτρης, ἀνὰ τ' ἀλλήλῃσιν ἔχονται.
*—— Hæ autem frementes ſequebantur*
*Sicut autem quando Veſpertiliones ſeceſſu antri magni*
*Strepentes volant, poſtquam aliquis cadere fecit,*
*Multitudine è petra ſibiq́ inuicem cohærent.*

Quibus

Quibus verbis Homerus etiam Vespertiliones saxorum,& antrorum parietibus, ut antè diximus,appendere solere docet,quod cùm Bellonius Africanis solis conuenire arbitratur, vehementer fallitur. Nam & nostrates haud secus,atq; illi, cùm post longam circumuolitationem lassi quietem quærunt,statim digitulorum hamulis sese ex muro suspendunt,vt non semel data opera obseruauimus. Sed *volat etiam Vespertilio*, vt Plinij verbis vtar,*geminos implexa infantes.* Bellonij error.

# CIBVS.

VESPERTILIONI in cibatu culices (inquit Plinius) gratissimi sunt, sed & muscæ,quas sub noctem circumuolans,inquirit. Vescitur & libentissimè carnibus,& laridum,candelas,aliaq; pinguia quæuis ambit instar murium. Succidiam è laqueari suspensam,ita nonnunquam exedit, vt in excauata scrobe stabuletur proprij alimenti hospes & incola. Itaque eam ob causam quibusdam Germanis Speckmaus nuncupatur. Vt igitur non corpore solùm cùm extrà, tùm intrà mures refert, ita in hoc etiam illis similis est, quòd ijsdem cibis pinguibus scilicet omnibus cum ijs delectetur. Cur Speckmaus dicatur.

# FERITAS. MORDACITAS.

QVANQVAM Vulgarium ea quoque natura esse dicitur, vt nudam ferè corporis partem noctù instar culicum intrepidè inuadant, acri morsu impetant, & sanguinem magna auiditate ad satietatem usque exugant, longè tamen maior exoticarum,& quas in India nouiq; orbis regionibus reperiri scribunt,feritas narratur, rabiei sanè proxima. Isidorus, & Albertus scribunt Vespertiliones in regionibus calidis,nostris longè maiores, & Columbis magnitudine pares,hominum facies inuadere,ita percutiendo & vulnerando, ut interdum vel nares vel aures vel alias partes mutilent. Ita *Casiam* (inquit [a] Plinius) *fabulosa narrauit antiquitas, principesq; Herodotus colligi circa paludes,propugnante vnguibus diro Vespertilionum genere aligerisq; serpentibus, his commentis augentes rerum pretia.* [b] Petrus Martyr in Dariene noui orbis regione Hispanos noctù Vespertilionum morsibus plurimùm infestatos scribit,& exhausto sanguine in uitæ discrimen adductos,imò mortuos etiam quosdam ea tabe compertos esse. Gallum item & Gallinam non solùm noctù sub dio comprehensos,sed & canes, & catos morsu interemisse. Quin & in reliquis,& præsertim Peruanæ regionis locis, tales Vespertiliones repertos scribit, qui inusitata magnitudine, Columbas nostras adæquantes,tanquam furijs perciti, homines adorirentur sub primam noctem, ac diro, & morsu viroso ad insaniam propemodum adigerent, ita vt ab his,veluti quod de Harpyis & auibus Stymphalidibus antiquitas fabulata est, ea loca deserere incolæ coacti fuerint. Verùm haud verisimilia fortè videbantur ista, sed illud magis mirandum, quod Pompilius Azalius narrat apud Indos orientales regione quadam tam immane Vespertilionum genus grassari, vt illac transeuntes alis verberatos in terram frequenter prosternat, & multos etiam occidat: Tantæ autem atrocitatis argumenta & fastigia esse cadauerum ossa, tota valle passim iacentia. Casia quo colligatur. [a] *L.12.c.19* [b] *L.6.dec.3.* Hispani à Vespertilionibus infestati.

# GENERATIO.

VOLVCRVM (inquit [a] Plinius) *animal parit Vespertilio tantùm*. Volantia enim vniuersa ex ouis prodeunt excepto hoc, quod, vt Macrobius ait, incertæ est naturæ,& formatos pullos parit. Quod Vulturem quoque facere multi, atque inter eos Volaterranus turpiter mentiti sunt. Sunt hi,vt à me ruri obseruatum, musculis recens natis similes,glabri planè,& nudi, infantis humani instar,omnibus tamen partibus,& membris suis absoluti. Nam & integras alas habebãt, & pedes in quinque digitos dissectos, integros, haud secus atque parens ipse. Cùm autem & solus quidem volucrum,& mammillas habeat,& lac,*fœtus* (inquit Plinius) *nutrit lacte admotos vberibus*. Nidum nullum construit,sed in quamuis rimam,aut foramen,& præcipuè intra tegularum hiatus pullos eijcit,eosq; mox aut è pariete suspensos,aut mammillis adhærentes lactat. Admiratione sanè digna res,& à me obseruata,fœtus matris vberibus,cùm primùm enixa est, adeò tenaciter adhærescere,vt nunquã ab eis se dimoueri patiantur. Quinimò quod amplius est,non solùm à vulneratæ matris,sed ne à mortuæ quidem mammis auelli poterant, tantum [a] *L.10.c.61* Vespertilionum pulli. Nidus. Fœtus quo Vespertilio enutriat.

aberat,vt ſponte ſua deciderent. Mater verò vno aut altero à partu die, cùm ad paſtum euolare cogitur,fœtus ab vberibus deponit, ac ex pariete ſuſpendit. In quo duplex certè prouidę & ſagacis naturæ exemplum notare licet,alterum quidem quòd cùm duo tantùm ei,vt homini,vbera dederit,ita geminos vnico partu,ut plurimùm edere voluerit, aliquando etiã vnicum ſaltem,ne ſi plures pareret, lactare omnes non poſſet. Fœcũdioribus enim animantibus vbera multitudini fœtuum ſuffectura addidit,in neceſſarijs non deficiens, vt in ſuperfluis nunquam abundans. Alterum non minus admirandum eſt,quod matrem interim,dum proli nuper natæ ob teneritatem metuens,primo vel ſecundo die,ad paſtum euolare prohibetur, ſecundinas quas vocant, deuorare inſtruxerit,ne ſi auolaret,illi paterentur,aut ipſa dum domi manere cogitur,tot partus antea laboribus exhauſta,ob nouam inediam deficiat. Falluntur ergò,qui nudos planè,& nullis obtectos ſecundinis fœtus produci putant. [b] Bellonius enim plures vigenis omnes prægnantes in Pſeudolabyrintho Cretæ ſe ſecuiſſe tradit, quæ omnes membranis obuolutos in utero fœtus haberẽt,eaq; in re,ut & reliqua interiori corporis cõſtitutione muribus terreſtribus omni ex parte ſimillimos. [c] Ariſtoteles ſanè Veſpertilionis vuluam, dum uterum gerit,acetabula habere ſcribit.Cæterũ de generatione Veſpertilionis,apud Philoſophos quoſdam controuerſia eſt,ex partium nimirum varietate nata. Quærunt enim nunquid generatio hæc,ut vocant,vniuoca ſit,an ſecus. Huic quæſtioni ita ſatisfacere conatur [d] Ambroſius Nolanus,ſuis in Auerroem commentarijs,vbi Veſpertilionem, uti & uitulum marinum quadrupedem,ſimul ac piſcem; Struthiocamelumq; auem, ſimul & biſulcũ, non è partiũ congreſſu, verùm è ſemine oriri ſtatuit. *Ea enim*,inquit, *partes,quæ in ipſis diuerſæ apparent, omnes è ſemine, & informi corpore genitæ eſſe compertæ ſunt. Neque ratio non cogit,ea,quæ diceret vitulos marinos, Struthiones & Veſpertiliones inter diuerſa genera ambigentia eſſe, ideoq; eorum generationem ex concurſu partium fieri. Nam partibus nullis actu apparentibus in eorum generatione,in qua informe ſemen anteceſſit,habetur euidenter,hæc animalia,alia ratione,quàm partium concurſu fieri. Secus ſiunt ſtirpium inſitiones,quoniam ſubiecta planta locum terræ,& ſcrobis,in quam implantetur, ſeu infodiatur, tenet.* Vt tamen hunc ipſum Veſpertilionem, ſicut & mures ipſos terreſtres ex ſemine procreari conſtat, ita nonnunquam etiam è putri materia gigni dubium fortè eſſe non debet. Vnde ſubitò aliquando magnam vtrorumq; copiam ingruere videmus,ut plurimum ſanè, quod [e] Cornelius Gemma teſtatur,ab aëris morbida quadam excretione. Ita,idem ait, *ſingulis animalibus ſua quædam eſt propria,ſed quæ mente tractari poſſit,nec circumſcribi oratione, materies.*

Naturæ ſagacitas.

[b] *Lib. 2. de Anim.c.2.*

[c] *3.Hiſt.c.1.* Queſtio de generatione Veſpertilionis.

[d] *L.13.c.83*

[e] *Lib.1.Coſmocrit.c.8.*

# ANTIPATHIA. SYMPATHIA.

ICONIA, vt [a] Aelianus, Philes,necnon [b] Zoroaſtres ſcribunt, & Veſpertilio inimici ſunt.Huius enim cõtactu ſolo Ciconiæ ouа ſterileſcunt, ni platani folijs in nidum impoſitis ſibi cauerit,quę accedenti Veſpertilioni(ſi credimus) torporem inferunt. Plinius etiam *platanum Veſpertilionibus aduerſari* ſcribit,& Africanus, ne Veſpertiliones inuolẽt,ad ingreſſus omnes platani folia ſuſpendi iubet. Eoſdem idem cum paulò antè citato Zoroaſtre author eſt, hæderæ etiam ſuffitu & odore perimi. Plinius præterea & formicarum genus eſſe venenatum tradit, quas Solifugas Cicero,ut habet [c] Dalechampius,appellet,ſalputas Bœtica,quibus cor Veſpertilionis non ſolùm contrarium ſit,imò omnibus in vniuerſum formicis,vnde Noctuæ (ſi Oppiano fides adhibenda eſt) cùm formicas à pullis abigere cupiunt, Veſpertilionis cor in nido habent, tanquam formicæ etiam ſua latibula deſerant, ſi quis cor Veſpertilionis impoſuerit. Alis Veſpertilionum ad formicarum nidos admotis, nullam ipſarum egredi Horus teſtatur. Locuſtis quoque inimicus putatur Veſpertilio . Illas author eſt [d] Democritus, locum ſubiectum minimè tranſuolaturas, ubi quis Veſpertiliones elatioribus arboribus ſuſpenderit. Verùm ut occultę huius inimicitiæ ratio naturalis aſſignari non poteſt,ita nec è contra neceſſitudinis,quæ ei cum Columbis intercedit. Didymus enim,qui etiam Geoponica ſcripſit,perſeueraturas Columbas ait,ſi caput Veſpertilionis in peris,ſummo columbarij faſtigio ſuſpendatur. Cum lumine utrũ ſympatheiam, an antipatheian habeãt, dubium videtur. Illud experientia docet, ſi quis veſpertino crepuſculo facem, candelamuè ſcopis ſtipitiuè impoſitam, aut gladium nitidum & micantem in ſublime eleuet, Veſpertiliones ad ea aduolare, & offenſos frequenter decidere. Hac enim ratione potiſſimùm capiuntur, vel ſi fortè feneſtras in conclaue inuolarũt,fieri etiam poteſt,ut id accidat, quòd lumine clariori oculi eorum cæcuciant, hallucinenturq; ideò incerto volatu,haud difficulter in protenſum gladium, aut facem impingant, atque ita offenſi delabantur.

[a] *Lib. de ani.1.c.37.*

[b] *In Geoponicis.* Ciconia & Veſpertilio inimici.

Platanus Veſpertilioni aduerſa planta.

Cũ hedera Cum Solifugis & cũ omnib. formicis.

[c] *In Comm. in Plin.lib. 29.cap.4.* Cum locuſtis.

[d] *In Geoponicis.* Amicitia cũ Columbis.

Cum ſplendidis.

# COGNOMINATA.

OLIM multis erant nomina auium. Ita Philosophus Chærephon Socratis perfamiliaris Nycteris non ineptè dictus fuisse legitur, vel quia, uti neque hoc animal interdiu apparet, ita neque Philosophi, (latent enim & philosophantur) vel quia nigricantis erat coloris cum pallore interfuso, vnde & pyxinos, id est, buxeus cognominatus est, vel deniq; quia Philosophiæ studijs emaciatus, corpore strigoso erat, cùm etiam aliàs esset statura procera & gracilis. Vnde natum adagium: *Nihil differs à Chærephonte*, in homines pallidos, & graciles. Talis enim corporis specie erat Chærephõ, vt Suidas testatur. Meminit Aristophanes Ἴβις Λικέργῳ, χαιρεφωντι νυκτερις supple ὡς ὄρνεα, id est, *Ibis Licurgo, Chærephonti Vespertilio nomen est*. Vespertilionem viri eruditissimi explicant apud [a] Iurisconsultos, qui interdiu exiliter videt, noctù acri sit acie, ego potiùs (inquit [b] Turnebus) putem eum esse, qui interdiù more Vespertilionis latitet, noctù prodeat, quod fugitiuos quosdam fecisse olim non dubium est. Ne enim in dominum, vel in notos inciderent, interdiù se abdebant, cùm foras exirent noctù, vt Vespertiliones, alijs tamen in libris vespillo legitur. Reperi in antiquo lexico Vespertilionem esse sepulcrorum violatorem, quem Græci τυμβωρύχον, quod intelligetur per antiphrasin, quasi nõ sepeliat, sed nudet: cùm Vespillo funerare soleat. In Latinogræco Lexico reperi Vispellio & Vespello, vbi etiam exponitur ille νεκροθάπτης, hic νεκροφόρος, ita ille funerator est, hic cadauera portat.

Chærephõ philosoph⁹ Nycteris dictus & buxeus.

Nihil differs à Chærephonte Prouerbiũ.

[a] *l. qui decẽ A. de solut. & liberat.*

[b] *L. 14. Aduers. cap. 3.*

τυμβωρύχον.

Vespillo.

Vispellio.

Vespello.

νεκροθάπτης.

νεκροφόρος.

Hyctipot⁹ fluuius.

# DENOMINATA.

LVCIANVS Nyctiporum fluuiũ appellari à Vespertilionibus fingit, eumq; præterlabi insulam somni, quæ sola has aues procreat, & circa eam vndiq; circumiacere syluam cuius arbores sint papauera procera, & mandragoræ, in quibus illæ aues sedeant.

# AVGVRIA. PROGNOSTICA.

PRIMVM augurium, quod Hieroni iuniori Siciliæ tyranno obtigit, fuit hoc. Cùm adhuc adolescens de virtute belli periculum facturus esset, Aquila clypeo insedit, & Vespertilio hastæ: illa quidem ex sententia augurum robustum corpore, hic solertem animo prudentemq; ac regno dignum portendebat. Ita [a] Fazelius hoc augurium narrat. Ego verò ad Noctuam id pertinere puto, quia huic à veteribus attribuitur. Superstitiosum omninò est quòd tradit [b] Apuleius: *Cùm penetrauerint larem quempiam solicitè prehensas foribus adfigi, vt quod infaustis uolatibus familiæ minantur exitium suis luant cruciatibus.* Quod sequitur, fortè naturalem rationem habet: Vespertiliones uesperi, si citiùs & plures solito cauernis suis egrediantur, signum caloris, & serenitatis erunt, postridie futurę, vt Gratarolus fortè ex [c] Aristotele annotat. Contra verò si sese occultant, neque è latebris prodeant, tempestatem seu nubilum cælum præsagiunt.

* *L. 2. Hist. Vere.* Hieronis augurium de regno obtinẽdo.

[a] *Lib. de Sicilia.*

[b] *Lib. 3. de Asino aur.* Serenitatis prognosticon.

[c] *De Secretis.* Tempestatis signum.

# MORALIA.

NATVRAE Vespertilionis cõgruere naturam Diaboli Diuus [a] Basilius ait, hoc pacto. Die enim illa abijciet homo, abominationes suas argenteas & aureas, quas fecerunt, vt adorent uana, & Vespertiliones, & ingredientur foramina solidæ petræ, & scissuras petrarum à facie formidinis Domini, & à gloria fortitudinis eius, quum resurrexerit, percutere terram. Est autem, inquit ille, Vespertilio animal nocturnæ caliginis appetens, versans in tenebris, solis splendorem non ferens, & in desertis locis perlibenter conuersatur. Quid autem Dæmones, an non tales nempè vastitatis opifices, lucem eam auersantur, quæ est vera lux totius mundi? Vespertilio & alis præditum animal est, nec tamen pennis præteruolat, sed membranula carnea per aërem uolaturit. Istiusmodi sunt & dæmones, incorporei quidem sunt, nullo accẽsi desiderio alis prouolant, sed materialium rerũ affixi, desiderijs intabescentes carnis instar concretionis obduruerunt. Vespertilio animalculum est uolatile & quadrupes, pedum alioqui firmitate non satis tutò fulcitur, & infirmi est uolatus. Cuiusmodi sunt & dæmones. Neq; enim angeli, neque homines sunt. Illorum quidem dignitate non sunt perfruiti, non item hominum assecuti naturam. Dentes habet Vespertilio non item alites aliæ. Dæmones autem expeten-

[a] *Comment. in c. 2. Esa.* Diabolus Vespertilioni comparatus.

dæ uindictæ appetentiores sunt, non etiam angeli. Vespertilio nequaquam aliarum auium instar gignit oua, sed animalcula parit ipso partus initio. Tales sunt & dæmones, actutũ & quàm ocyssimè malignæ suæ operationi finem imponunt. Qui igitur uenerabundi procidunt dæmonibus, allegoricè dici possunt Vespertiliones. Quando autem à se unus aliquis excusserit ineptissimam uanitatem idololatriæ, ac desierit procidere Vespertilionibus, tũc uolet primum ingredi cauernas solidæ petræ, ac scissuras petrarum. Cauernæ istæ seu foramina petrarum multas illas mansiones designant, quæ meo arbitratu iuxta analogiã singulis quibusq; in Christum credentibus sunt condistinctę, & scissuræ petrarum passionẽ innuunt corporis eius, nempè eorum, qui sunt salutem consequuturi, ut ad ipsum confugiant, apprecantur, seque recondant sub eius perfectione. Item [b] alibi, sed in partem bonam Vespertilionum naturam uertit. Cõmoueat te quæso (inquit) mutuus amor Vespertilionum qui lõga ueluti catena constricti inter se cohærent, ne unquam separationem ac uitam solitariam societate atque communione prestantiorem esse existimes. Nihil enim est, quod nos ab inuicem seiungat, nisi nosmet ipsos spontè ab alijs semoueremus. [c] Hsychius de Vespertilione ita allegoricè scribit: Circa terram uolant Vespertiliones, ita ut pennis pro pedibus utantur, quando ambulant, quod indignum est eis, qui contemplationi dent operam, horum etiam contemplatio proculdubiò in terrenis occupatur. Sic Hæreticis omnibus Vespertiliones comparantur, quòd scelerum pleni, uirtutis fulgentissimum lumen aspicere, tanquam solem illę uolucres, haud possint, & Ecclesię formosissimas partes intueri & mẽte circumlustrare. [d] Hieronymus Vida timorem, atrum & ineluctabile monstrum depingẽs, egregiè ei Vespertilionis alas tribuit, quoniam timidi non aliter atque hęc auis in tenebris sese abdant. Canit autem:

[b] *Orat. 1. de amor. erga Deũ & proximum.* Vespertilionum amor.

[c] *Lib. 2 in c. 11. Leuit.* Qui Vespertilionibus cõparandi. Hæretici.

[d] *L. 5. Christiad.*

*Iussa facit, sibi nigrantes ac commodat alas*
*Nocturnarum auium, inq; atros se colligit artus,*
*Iamq; emensa uiæ tractus obscæna volucris*
*Purpurei crebra ante oculos se præsidis ecce*
*Fertq; refertq; volans circum importuna sonansq;*
*Nunc pectus nunc ora nigris euerberat alis.*

# MEDICA

Ad Scirrũ.

AVICENNA Vespertilione ad curandum lienis scirrũ hoc modo uti iubet. *Vespertilionem* (inquit) *decolla, & ar. factum tere, inde propina cum syrupo & aceto, quantum tribus digitis comprehenditur. Aut septem Vespertiliones pingues decollatos repurga, & in uase uitreato acetum forte eis superinfunde, & uas luto obstructum in furnum impone, ut decoquantur; Tum uase extracto & refrigerato, Vespertiliones in aceto digitis dissolue; inde propinabis quotidiè pondus drachmarum duarum. Remedium enim hoc experimento constat,* Ad podagram eundem [a] Galenus adhibere docet, hoc pacto: *Vespertiliones tres aquæ pluuiali incoquito, deinde hæc adycito: lini seminis triti uncias iiij. oua cruda tria, olei cyathum i. bubuli stercoris, ceræ utriusque uncias iiij. Omnia in unum corpus redacta subigito, & cubitum eunti semel atque iterum applicato.* [b] Idem psilothrum conficere docet ex Vespertilionibus, si plures eorum uiui in bitumen dimittantur, donec putrescant. Atque tùm quemcunque uelis locum inungi iubet. Auicenna oleum arthriticis doloribus utile ita parat. Accipe Vespertiliones duodecim, succi almar macor (hanc herbam esse uulgò S. Iohannis Venetis dictam, uult Bellunensis, at Monachis Mesuem commentatis melissophyllon) & olei ueteris ana lib. ß. aristolochię, castorei, ana drachmas iiij. costi drach. ij. Decoquantur simul donec consumatur aqua, seu potiùs succus herbę, & remaneat oleum. Sanguinem Vespertilionis plurimi authores psilothri uim habere tradunt. In primis affirmat id ipsum [c] Plinius, sed malis puerorum (quos imberbes esse uolumus) illitum non satis proficere monet, nisi cicutę semen, uel calchantum ut Galenus, etiam postea inducatur. Neq; enim rectè erucę semen apud Plinium eo loco legitur, quòd nihil ad psilothra ualet. *Sic enim aut in totum tolluntur*, inquit, *aut non excedunt lanuginem, Idem & cerebro eorum effici putant; est autem duplex, rubens & candidum. Aliqui sanguinem eius & iecur admiscent.* Ad trichiasin, qua oculi palpebrarum pilis infestantur, Archigenes apud [d] Galenum Vespertilionis sanguinem alijs quibusdam miscet, ut & Ant. Musa precedenti ibidem capite. Serenus quoque si te hoc uitium infestet, & pili oculis molesti sint;

Ad podagram.

[a] 3. *Euporist.* 248.

[b] 2. *Eup.* 85

Ad arthridis dolores.

Sanguinis uis.

[c] *Lib. 30. c. 1.* Plinius correctus.

Ad trichiasin.

[d] 4. *de cõp. med. secundum loca cap. 8.*

*Ergò* (inquit) *locum crinis uulsi continge cruore*
*Quem dat auis tremulis simulat quæ pellibus alas.*

[e] 3. *Eup.* 25

Idipsum Marcellus, Kiranides, alijq; recentiores ex illis, ut credo, repetunt. Quin & [e] Galenus alibi psilothrum ex cerebro Vespertilionis, & mulieris lacte componi, & locum inungi iubet.

Idem

Idem tamen è contra alibi hanc vim sanguini Vespertilionis disertè demit, in hæc verba differens: *Sanguinem Vespertilionis scribunt quidam, si Virginum uberibus illinatur, plurimo ea tempore ab extuberatirne tueri, quod falsum est, veluti & quòd enasci sub alis pilos prohibeat, id quod rectè Xenocrates, tanquam mendacium calumniatus est.* Verùm ipse censet ad hunc vsum, aut calchantun inspergendum esse, aut semen cicutæ, aitque, vbi hoc factum erit, aut prorsum pilos non prodituros, aut si prodeant, certè lanugineos fore. Leue enim alioquin & debile esset medicamentum, nisi cicutæ semen adderetur, quod nempè per sese partes, quibus impositum fuerit, haud strenuè refrigeret. Sunt qui puerorum pudendis sanguinem Vespertilionis illinunt, credentes ita diutissimè eas partes à pube immunes seruari posse. Quod forte[f] Georgius Pictorius dicere voluerit his versibus: [f] *In Pantopolio.*

*Est volucris simulat tremulis quæ pellibus alas,*
*Quæ lactat pullos uberibusq; suis.*
*Psillotrum referunt istam dare posse cruore*
*Et gratum quemuis reddere Principibus.*

Iulius Alexandrinus tamen sanguine hoc euulsos pilos, ne renascerentur, prohiberi posse sperantes, falsos se opinione sua testatur. Sanè ex refrigeratione partis vehementi tale quid posse contingere non est à ratione alienum. Vespertilionis tamen sanguis adeò frigidæ facultatis non est, ut eum id præstare credamus. Nam in totum nullus sanguis frigidus est. In[g] Auicennę translatione legitur *vnguentum Vespertilionum prohibere ortum pilorum, & incrementum mammillarum in puellis*, quod falsum est. Sed legẽdum est sanguinem Vespertilionis inunctum uel illitũ hoc pstare perhiberi. Vt ut sit, alij experiri poterunt, scio tamẽ alios uiuos Vespertiliones in vas cũ cedria infundere, & ad eundem usum reseruare. Tribuũtur etiam similes effectus, sed falsò alharbe sanguini, idest, chamæleonis, & ranunculi uiridis, quem calamiten uocãt. Aliam medicinã ex sanguine Vespertilionis proponit[h] Plinius, sed ut ipse fatetur, magicam: Etenim, *magi*, inquit, *Vespertilionis sanguine contacto vẽtre in totum annum caueri dolorem tradunt*. Et[i] paulò antè; *grauissimum vitiũ ileos appellatur, huic resisti aiunt, discerpti Vespertilionis sanguine, etiã illito ventre subuenire.* Idem Marcellus Empericus suo testimonio confirmare annititur. Auicenna cerebrum Vespertilionis, ut Kiranides sanguinem cum succo Rhamni, & melle illitum, ad suffusiones oculorum commendant, sed nondum planè cõfirmatas. Si mus araneus momorderit iumenta, fel Vespertilionis (docente Plinio) vtiliter imponitur adiecto aceto. Apud Auicennam legitur Scerrazirac (Belluensis restituit Sizarach, exponitq; lac vel vrinam Vespertilionis) abstergendi vim habere, valdè calefacere, & curare ungulam, & albuginem. Alij è contra, stercori Vespertilionis vim excæcantẽ tribuunt, & aliquando cor eius & linguam, hydrophobiam inducere testantur. Vulgò etiam urina Vespertilionis uenenosam quandam, & septicam habere facultatẽ existimatur; Ea tamen Ornithologus sine noxa quosdam aspersos esse scribit. Dicit Psellus Platonicus quod Canes, & Corui, & Galli conferunt ad vigiliam, etiam Philomela, & Vespertilio, & Noctua, atque ex his maximè caput, cor & oculi. Ideo dicunt, si quis cor Corui, uel Vespertilionis super se portauerit, non dormitabit, donec deponatur. Idem facit caput Vespertilionis aridum, alligatum in dextro brachio vigilantis. Nam si ponatur super dormientem, fertur non excitari, donec depositum fuerit. Secundum authoritatem antiquorum Vespertilionum combustorum cineres, & Noctuæ cum vino potandos dabant, si nutricum lac fuisset determinatum, uel cum aqua soluta mammis illinebant: neutrum tamen ego laudauerim: Importunitas enim hęc stomachum exterminat, & cibum corrumpit. Referunt rerum occidentalium scriptores, præsertim[k] Petrus Martyr in Vraba noui orbis amplissima prouincia maximum esse fluuiũ, ex eiusque paludibus Vespertiliones noctù prodire Turturibus non minores, & morsu lethali Hispanos infestare, idq; aliquos ex militibus, qui hosce morsus experti sint, testatos fuisse. Quinimò quosdam diem ex eo obijsse, tam diram atque atrocem uim morsus eorum esse aiunt. *Ancisus tamen*, inquit idem, *prætor etectus interroganti mihi de Vespertilionum venenato morsu, retulit se fuisse inter dormiendum à Vespertilione demorsum in talo pedis æstate ob calorem detecti; nec magis nocuisse, quàm si alterius animalis non venenosi dẽtibus læsus fuisset.* Morsus verò Vespertilionis siue uenenatus est, siue veneni omnis expers curari traditur, uel aqua marina, uel alia calente, uel cinere tantùm feruente, quantum tolerari potest, parte obluta vel oblita. Rasis, *qui commederit*, inquit, *linguam aut cor Vespertilionis, fugiet potum aquæ & morietur*; Curabit qui assumpserit eodem modo, quo morsus canis rabidi sanatur: prouocabit in primis vomitum cum butyro & aceto & funder super caput ægri lac recens: & bezuar ei sunt cancri fluuiatiles. Traduntur aliq; quãplures Vespertilionis ab authoribus facultates, sed superstitiosæ proculdubiò, ne dicam impiæ, quas etiam ipse Plinius homo Ethnicus sapere magiam dixit. Vnde admonitus lector fidem quantam uolet, his adhibebit, quæ nos tamen, ne non omnia à

[g] *L. 2. tract. 2. c. 741.* Auicennæ emẽdatus.

[h] *L. 30. c. 7.*

[i] *Eodem capite.*

Sceirazirac. Sizarach. Ad vngulã & albuginem. Stercoris vsus. Vrinæ vis.

[k] *L. 4. dec. 2*

Morsus Vespertilionis curatio.

nobis

nobis recitata quis queri poſſit, hîc ſubtexere voluimus. Huius generis, id eſt, *magicæ vanitatis* inquit[1] Plinius, *propè videri poſſunt, quod tradunt, ſi ter circumuolatus domui Veſpertilio vnus per feneſtram inuerſo capite infigatur, amuletum eſſe, præſertimq; oui libus circumlatum totes, & pedibus ſuſpenſum in ſuperliminari.* Magi præterea tradunt Veſpertilionis ſanguinem collectum flocco, & mulierum capiti impoſitum libidinem mouere, ſi ſagittarium Sol vel luna permeet, tum Veſpertilionis alas crematas, & oleo tritas febrientibus inungunt. Caput Veſpertilionis aridum adalligatum ſomnum arcet. Atque hæc omnia ex Plinio. Eiuſdem caput ex ſublimi arbore ſuſpenſum fugare tradunt locuſtas. Cor etiam exitum formicarum prohibere tradũt Cardano teſte.

[1] *L. 29. c. 4.*

Sanguis.

Caput.

Cor.

## VSVS IN CIBO.

VESPERTILIONEM, etſi impurus ſit, & non ſolùm lege Moſaica, ſed etiam aſpectu abominabilis, reperiuntur tamen, qui in cibum admittãt: Etenim [a] Strabo author eſt, *in Borſippa vrbe Babiloniæ, quæ Meſopotamiæ coniuncta eſt, inter Euphratis conuerſiones, maximam eſſe Veſpertilionum multitudinem, qui longè maiores ſint, quàm qui in cæteris locis capiuntur, eosq; in eſum condiri.* Quin etiam qui hiſtoriam Naugat. Orient. conſcripſerunt, in inſula S. Ioannis Veſpertiliones aſſerunt reperiri, non tantùm eſui aptos, verumetiam ſapore & obeſitate gratiſſimos. Eos feruente aqua expilant, fiuntq; quales apud nos pulli Gallorum deplumati, carne admodum candida. [b] Scaliger Veſpertiliones teſtatur, qui magna copia ab incolis inſulę Catigan in mari Sur ſitę, eſitantur, *Aquilæ eſſe magnitudine, Gallinæ ſapore.*

[a] *L. 16. Geog.*

[b] *Exercit. 236. 3.*

## HIEROGLYPHICA.

Nutricis typus. Imbellis & temerè audacis typ^s.

MVLIEREM lactantem ac bene nutrientem ſignificaturi Aegypij, Veſpertilionem pingebant. Sola enim inter omnes volucres hæc dentes ac mammas habet, & magna cura ſuos fœtus lactat. Iidem imbecillem hominem, & temerè audacem monſtrare volentes, Veſpertilionem effingebant, quòd hic, etſi pennas nõ habeat, volet tamen. Ala Veſpertilionis cum formica hominem ſignabat, qui ſe extra domum ſuam contineret.

## PROVERBIA.

Veſpertiliones qui dicantur.

VESPERTILIONES prouerbialiter videntur appellari, qui grauati ære alieno luce domi ſe continent, ne à creditoribus appellentur; noctù prodeunt. [a] Vlpianus: *Si quis ita ſtipulanti ſpondeat, ſanum eſſe, furem non eſſe, Veſpertilionem non eſſe &c.* Quidam hoc loco legunt pro Veſpertilione *veſpillonem*, aut *verſipellem*. [b] Alciatus inter Iureconſultos vndiquaque doctiſſimus putat Veſpertilionem dictum (vt diximus) qui metu creditorum interdiu latitat, noctù prodit. Adagium ſumptum eſſe videtur ex Apologo quodam, ſiue Aeſopi, ſiue alterius illum imitati (nam Aeſopo indignus videtur) qui narrat Veſpertilionem, Mergum, & Rubum ſocietatem iniſſe, vt conflatis ſortibus pariter negotiarentur. Veſpertilionem contuliſſe pecuniam à veneratoribus mutuò ſumptam, Mergum aliud quidpiam, Rubum ueſtem. Quum omnes è naufragio nudi enataſſent, Veſpertilionem, metu creditorum interdiu latitare, noctù volare tãtùm, Mergum obſidere littora, ac ſubinde collum demittere in fundum, ſicubi reperiat merces ſuas vel eiectas in littus, uel in fundo hærentes: Rubum prætereuntium adhærere veſtibus, ſi quam fortè ſuam reperiat. Mihi tamen videtur Veſpertilionis nomen, vt antè diximus ex Turnebo, & in fugitiuum ſeruum competere, qui noctù ab hero ſolitus ſit ſeſe ſubducere, latitatq; ubi periculum eſt, ne agnoſcatur. Nam mox proximo capite pro Veſpertilione erronem ponit, ac fugitiuum. *Quum quis*, inquit, *ſtipulatur furem non eſſe, fugitiuum non eſſe, erronem non eſſe.* Priſci tamen ea uoce ſecus uſi ſunt, uidelicet pro homine ancipitis fidei, qui nec huius ordinis ſit nec illius, cum utroque tamen colludat. Veſpertilio enim ſic eſt utrumq; ut nec inter uolucres, nec inter mures planè locum habeat. Vnde [c] Varro, *factus ſum Veſpertilio, neque in muribus planè, neque in volucribus ſum.* Veſpertilionis conuicium torqueri poterit, & in amantes, qui noctù obuaganturi: quos [d] Plautus uocat latebricolas: *Elegans*, inquit, *deſpoliator latebricolarum hominum corruptor.* Budæus in citatum paulò antè Pandectarum locum Veſpertilionem uerbum arbitratur eſſe circumforaneum, & ex formula uenalitiorum deſumptum, pro eo, quem earundem Pandectarum author paulò antè myopem dixerat, id eſt, qui interdiu exiliter uidet, & ueſperi iuſtam aciem habet, qui Latinè luſcitioſus dicitur ab auium Veſpertilionum, ut ei

[a] *Lib. Pandect. 21. tit. de Euictionibus.*

[b] *In comm. de ver. ſig.* Apologus de Mergo Veſpertilione & Rubo.

[c] *In Agathone.*

[d] *In Trinũmo.*

ut ei uidetur, similitudine. Quod ut probet, [e] Martiani locum adducit ita scribentis. *Num ergo etsi Vespertilionem, aut altàs turpem dederit hominem, idem sit?* Iurisconsulti autem (idem eodem loco inquit) aliquando eam sibi licentiam permittunt, ut uerbis triualibus & circumforaneis aut castrensibus pro legitimis & purè latinis utantur, qui fit, ut difficilior sit interdum apud eos enarratio, cùm ea uerba apud authores non reperiantur. Vt autem Vespillo legatur pro sandapilario, sensui non congruit.

[e] *In l. qui decem intra de solut.*

# EMBLEMATA.

VARIAS hasce, quas proximè de Prouerbijs attulimus significationes, easq; tropicas Alciatus artificiosè hoc emblemate complectitur.

*Vespere quæ tantùm volitat, quæ lumine lusca est,*
*Quæ cùm alas gestet, cætera muris habet,*
*Ad res diuersas trahitur, mala nomina primum*
*Signat, quæ latitant iudicium q; timent.*
*Inde & Philosophos, qui dum cælestia quærunt,*
*Cæligant oculis, falsaq; sola vident,*
*Tandem ut versutos cùm clam sectentur vtrumq;,*
*Acquirunt neutra qui sibi parte fidem.*
*Assumpsisse suum volucri ex Meneide nomen,*
*Socraticum authores Cherephoonta ferunt.*
*Fusca viro facies, & frideus vocula tali*
*Hunc hominem potuit commaculare nota.*

Apud [a] Nicolaum Reusnerum aliud est Emblema sub lemmate, MALA CAVSA SILENDA, quod tale est:

[a] *L. 3. Embl. 16.*

*Dum cultus superûm spernunt, festumq; profanant,*
*Et leuibus fallunt tempus, opusq; iocis:*
*Protinus in volucres abeunt Meneides, has, quæ*
*Asero verum Vespere nomen habent.*
*Iamq; petunt tenebras, & solis numina vitant,*
*Tecta frequentantes, humida nocte volant.*
*Mordere os hominum, quàm turpia dicere præstat*
*Luce sacra solùm mens vacet, osq; Deo.*

# ÆNIGMA.

EX incertitudine & ambiguitate naturæ Vespertilionis, qua neque auis neque quadrupes planè, utrumq; tamen quodammodo esse uidetur, natum arbitror Aenigma, quod [a] Plato facit. Vir non uir, uidens, nõ uidens, percussit, non percussit, lapide nõ lapide, auem nõ auẽ, super arbore, nõ arbore. Cuius sensus est, hic Enuchus luscus talictro excussit pumicem in Vespertilionem super sambuco. Cur enim Vespertilio iure auis non auis dicatur, abũdè à nobis suo loco est dictum, nempè quòd alas & uolatum cum auibus, reliqua ferè omnia ut dentes, mammas, pilos, pedes &c. cum quadrupedibus communia habeat, & ut inquit Alciatus:

[a] *L. de Rep.*

*Quod cùm alas gestet, cætera muris habet.*

Aenigma hoc triplici senariolo expressit [b] Petrus Crinitus:

[b] *Lib. 20. de honest. disciplcap. 8.*

*Homo, non homo; videns non videns; alitem*
*Non alitem; lapide non lapide; perculit*
*Cùm super arbore, non super arbore degeret,*

De Vespertilione aliud Sempronij ænigma legitur tribus hisce uersibus expressum:

*Nox mihi dat nomen, primo de tempore noctis,*
*Pluma mihi non est, cùm sit mihi penna volantis*
*In tenebris sedeo, nec me committo diebus.*

APOLO-

# APOLOGI.

APOLOGVM non quidem Aeſopi, ſed alterius cuiuſdam Aeſopi ſimiæ de Veſpertilione, Mergo, & Rubo, inter prouerbia tum recitauimus, quod ad ſignificationes Veſpertilionis declarandas faceret. Alius eſt huiuſmodi, & ipſe à natura ancipiti animalis petitus, vt & ænigma, quod præmiſimus. Auibus cunctis exulare iuſſis edicto, Veſpertilio dixit, ſe murem eſſe; rurſus alio ſuper exilio murium promulgato, auem ſe eſſe dixit. Perſtringit Apologus verſipelles quoſdam, qui inſtar Prothei cuiuſdam omnes pro re nata, & ex ſuo commodo vultus induunt, ſeque nunc hos, nunc illos ſimulant, tempori certè ſe accomodantes & foro, ut dicitur, uti ſcientes.

Verſipeles denotat Veſpertilio.

# FABVLOSA.

[a] ÆLIANVS Meneiades tres ſorores fuiſſe, fingit. Leucippen, Ariſtippen, & Alcithoën, quarum una in Cornicem, altera in Veſpertilionem, tertia in Noctuam à Deo Baccho mutata ſit, quòd ſcilicet hunc ipſum Deum, eiuſque orgia contempſiſſent. Ouidius uerò omnes ſimul in Veſpertiliones uerſas fuiſſe fabulatur eandem ob cauſam:

*At non Alcithoë Mineias orgia cenſet*
*Accipienda Dei* &c.

Et paulò pòſt:

*Finis erat dictis & adhuc Mineia proles*
*Vrget opus ſpernitq; Deum feſtumq; prophanat.*

Et quibuſdam interiectis:

*Iamq; dies exactus erat, tempusq; ſubibat,*
*Quod tu nec tenebras nec poſſes dicere noctem,*
*Sed cum luce tamen dubia confinia noctis,*
*Tecta repentè quati, pinguesq; ardere videntur*
*Lampades, & rutulis collucent ignibus ædes.*
*Falſaq; ſuarum ſimulachra vlulare ferarum.*
*Fumida iam dudum latitant per tecta ſorores*
*Diuerſæq; locis ignes, ac lumina vitant,*
*Dumq; petunt tenebras paruos membrana per artus*
*Porrigitur, tenuesq; includunt brachia pennæ:*
*Nec qua perdiderint veterem ratione figuram,*
*Scire ſinunt tenebræ, non illas pluma leuauit,*
*Suſtinuêre tamen ſe perlucentibus alis,*
*Conataq; loqui, minimam pro corpore vocem*
*Emittunt peraguntq; leui ſtridore querelas,*
*Tectaq; non ſiluas celebrant, lucemque peroſæ*
*Nocte volant, ſeroque tenent à veſpere nomen.*

Et paulò pòſt

*——potuit de pellice natus*
*Vertere Maonios, pelagoque immergere nautas,*
*Et laceranda ſuæ nati dare viſcera matri,*
*Et triplices operire nouis Meneidas alis.*

[a] *L. 3. Variæ Hiſt.*

# HISTORICA.

MONACHI cuiuſdam deſperato morbo laborantis atque euentu inſolenti, ac mirabili à Veſpertilione fortè ſanati, hiſtoria digna relatu mihi viſa eſt. Solent Veſpertiliones inſtar culicum noctù dormientes aggredi; & quam partem detectam repererint, auſu imperterrito mordicùs impetere, ſanguinemq; exugere. Accidit itaque, ut de vita periclitans æger decumberet cænobita pleuritide, cum febre ardentiſſima coniuncta. Quare cùm phlebotomia tanquam unico præſidio ſummoperè egeret, Chyrurgus bis teruè ſcalpello icta uena, ne tantillum quidem ſanguinis extraxit. Vnde pro iam iam morituro deſertus erat à reliquis monachis, qui extremo ei uale dicto, curaturi ſepulcrum abierunt: Ad deploratum, & quem iam è uiuis exceſſiſſe rebantur, poſtridiè manè reuertuntur, hominemq; uiuum, & alacriorem ſolitò, ac

Monachus moribundus à Veſpertilione ſanatur.

tò, ac propè incolumem offendunt. Miratis ac causam sciscitantibus, hanc refert, Vespertilionem noctù, detectum pedem mordicùs arripuisse, venam aperuisse, sanguinem ad satiem vsque & copiosum exuxisse, saturum auolasse, vena relicta aperta. Breui itaque cænobita hic sanitati restitutus ad munia consueta redijt.

# DE STRVTHIOCAMELO. Cap. II.

AVIVM omnium rapacium, cùm diurnarum, tùm nocturnarum historia iam nunc ad calcem vsque perducta, non videbor ordinem nobis hactenus obseruatum, inuertere, si Vespertilioni, quem nocturnis adneximus, Struthiocamelum, à quo [a] Plinius de auibus scripturus, exorsus est, subiunxerim, fabulosisq; cùm rapacibus, tùm non rapacibus, quæ subsequuntur, prætulerim. Struthiocamelus enim eodem modo, ut Vespertilio, partim auem, partim quadrupedem refert, quippè qui non vt quadrupes, pennas habeat: vt non auis, sublime non volitet, nec pennas ad volandum vtiles gerat, sed vt currentem adiuuent. Denique qui bipes etiam sit tanquam auis, bisulcus tanquam quadrupes, cùm digitos non habeat, vt aues, sed vngulas bipartitas, vt quadrupedes bisulci. Cùm itaque in hoc conueniant Vespertilio, & Struthiocamelus, ut semiaues sint, & semiquadrupedes, iure merito historię illius, huius adiungenda videbatur, eoque magis cùm vterque genus non habeat proprium, ad quod potiùs possint reduci.

[a] *L. 10. 8.*

# ÆQVIVOCA.

STRVTHIOCAMELVS inter struthij herbę nomenclaturas legitur apud Dioscoridem, cuius radicibus ad ciendos menses [a] Hippocrates vtitur. Hanc herbam quibusdam lanariam dici scribit [b] Isidorus. Sunt qui struthium siue struthionem dictam velint, quoniam folia eius vtrimq; lancinata pennas huiusce Auis æmulentur, nam & aliæ plantæ à pennarum similitudine nomen habent, ut Filix, πτέρις dicta, hoc est, alata, quia scilicet folia eius vtrinq; pennarum more, teste [c] Dioscoride, digesta sint. Abietis item, & Sorborum folia Theophrastus *singula* tradit, *constare ex obliquis penna modo partibus, acsi omne vnum esset, habens lobos excisos ad neruum vsque, verùm differunt*, inquit, *singula multitudine partium. Decidunt, sed totum folium pęnæ facie.* Quod verò folia plantarum similia Strutij auis pennis dicantur, idem Theophrastus testis est, qui de arboribus Indiæ loquens: *in India*, inquit, *arbor quædam gignitur, cui folium specie prælongum, simile pennis Struthiorum, quæ super galeis imponuntur longitudine duorum cubitorum.* Struthium quoque genus est mali apud [d] Athæneum. Struthium item pro obscæna parte virili in Mimis præsertim accipi solet, quandoquidem hæc corporis pars coniugium maximè promoueat, & debitis augeat incrementis. Ego verò eam partem id nominis obtinuisse putem, quoniam Struthiones insigniter sint, vt dicemus, Venerei.

Struthiocamelus herba.

[a] *Lib. 1. de mor. mul.*

[b] *Lib. 17. Orig. c. 9.*

Filix ab auium pennis dicta.

[c] *L. 4. c. 178.*

Struthium mali genus

[d] *L. 2. Deipn.*

Struthium pro mentula.

# SINONYMA.

NON uno nomine (vt Latinis ferè ac Græcis) Hebręis Struthocamelus uenit, sed pluribus, ijsq; adeò confusis, vt æquiuoca potiùs, quàm sinonima videantur. Azida iuxta Phisiologum Auis eadem est, quæ Struthio. Albertus Asida legit per ס, dicitque vocem esse Græcam, quæ ab alijs dicatur Chamæleon, sed pro Chamæleon scribendũ est Struthiocamelus. Asida verò Hebraicũ nomẽ, non Græcum esse uidetur, nõ tamen Asida ab Hebræis profertur, sed Chasida, & nominatur à [a] Iob vnà cum Neelasa Aue, quam Kimhi Pauonẽ, Chaldæus Gallum syluestrem interpretatur. R. Abraham putat esse סמרוצא Struza, id est, Struthionem בת יענה bath iaana Dauid Kimhi ponit in themate Ain עין, & exponit aues degentes in solitudine, quæ vocem lugubrem emittant. [b] Idem ait בת bath minorem esse, leanim יענים maiores. Septuaginta Sirenes transferũt, Hieronymus Struthiones. Animal esse aiunt semper solitudinis amãs, quod cùm pennas habere videatur, tamen de terra altiùs eleuari nequeat, quod Struthioni conuenit, vt & alij ferè scripturæ loci, in quibus Struthij fit mentio. Deuteron. 14 & Leuit. 11. Chaldæus interpres habet בת נעמיתא bath naamitha; Arabs נעמאת neamath: Persa prætermisit, nimirum eandem vocẽ positurus, ut per versum totum fecit. Septuaginta interpretes στρουθος, Hiero-

Azida. Asida.

Chasida.

[a] *Cap. 39.*

Struza. Bath iaana.

[b] *Esaię c. 13.*

Bath naamitha. Neamath.

Iaenath. Hieronymus Struthio. Dicitur & Hebraicè Iaenath ab vlulatu; ianath enim vlulare eſt aliquãdo Hebræis: vnde eſt, quod quidam Vlulam interpretantur. Dicitur Bath iaenath, id eſt, filia Struthionis, eò quòd homines fœmella ferè veſci ſolent, & cùm adhuc parua eſt, teſte R. Dauid Kimhi in lib. Michol. Iaanath apud [c] Iob ſecundum Abraham eſt Struthio. Iob inquit ſe eſſe factum fratrem Syrenum, & ſocium σρωθῶν. σρωθὸς autem dicit, quos nos Struthocamelos vocamus, ut inquit [d] Suidas. Habitabuntq; ibi filiæ Struthionis iaanath. Sunt qui Ranan quoque Hebraicam vocem Struthionem vertant. Thalim teſte Syluatico eſt Struthio mas: Vetus gloſſographus Auicennæ legit Thaliz, codices noſtri Auicennæ Thalium habent: Thalium, inquit, explicauimus in capite de Struthione. Vox fortè Perſica fuerit. Naã etiam apud Syluaticum Struthionem ſignificat, codex noſter Auicennæ habet Naham; Bellunenſis legit Nham, & eſt, inquit, auis Strutihio, alia lectio Nacham, quæ eſt auis magna paluſtris. Struthocamelus, uel ut alij ſcribunt, Struthiocamelus nomen Græcum eſt, quod Latini etiam receperunt, ut Plinius, multiq; alij recentiores, ut D. Hieronymus, & eo etiam poſteriores alij, ut Gaza, multiq; uiri alij doctiſſimi Struthionem uocant, non deſunt etiam qui Struthium dicant, ut Valla in tranſlatione [e] Herodoti, & apud Philoſtratum in uita Apollonij. Synonima Græca ſunt, σρωθος, ut Philoſtrato, atque etiam Ariſtoteli; σρωθοκαμηλος Heſychio; σρωθοῖοκαμηλος Oppiano, recentioribus Græcis σρωφοκαμηλος. Sunt qui auem hanc maſculini generis faciant nec deſunt qui fœminini; apud Iuliũ Capitolinum Struthiones Mauros legimus, & apud Lampridium Struthionum ſexcentorũ & σρωθὸς ὁ Ἀραβιος, & σρωθὸς καταγαιος ab Herodoto pronunciatur, & Ariſtoteles σρωθὸς ὁ ἐν λυβύη dixit, maſculino ſcilicet genere. Ariſtophanes uerò multiq; alij Græci σρωθὸν μεγαλὸν, uel λυβικὸν, ut & recentiorum etiam nonnulli fœminino genere Struthionem magnam uel Libycam dicũt. Textor Rauiſius Struthium uocat marem, & fœminam Struthionem, ſed abſque authoritate: quare nihil ego referre putem, utrum fœminini, aut maſculini generis habeatur, ſic & ipſe Gaza modò Struthionem Africã dixit, cùm & aliàs Struthionem Lybicum dixiſſet. Plautus hanc auem Paſſerem marinũ appellauit, item & Pœnam auem; Sunt qui ita dictam uelint, quòd maritimas oras inhabitet, uel, ut Turnerus ait, quòd ex Africa mari in Italiam aduehatur, Paſſerem autem quòd eius ſimilitudinem gerat. Ego uerò uocari crediderim Paſſerem, & Paſſerculum, & Græcè σρωθὸν & σρωθιον, quaſi per ironiam nomine compoſito, uelut ſi quis pygmæum gigantem diceret, uel homunculum giganteum. At Struthocameli aliud etymum eſt, nempe, quòd colli, & crurium longitudine camelum imitetur. Eſt enim ſtatura homine ipſo procerior. Cùm uerò & multæ auis partes, collum nempè, roſtrum, oculi, caput, crura, Anſeri potius quàm camelo, ſimiles ſint Chenocamelum potiùs quàm Struthiocamelum curioſus quiſpiam uocauerit. Apud Varinum λίβυσσα ὄρνις, id eſt, Lybica auis pro Struthiocamelo legitur, ut in hoc carmine:

——ἄλλα λιβυσσα
Στρωθὸς ἁλισκομένη πλαζε καὶ ἀμφοτέρας.

Sic & Afra auis uocatur Latinis, ut annotat [f] Acron: & Vaſta Auis [g] Claudiano. [h] Diodorus Siculus Aues Ceruinas appellauit, ut cõijcio. nam in tota deſcriptione cõueniũt omnia, nihilq; aduerſatur, ut poſtea monſtrabimus. Veſpertilionem auem non auem uocant, idem Struthiocamelo quoque competere poteſt, cùm ut auis non uolet, & multas etiam partes cum quadrupedibus cõmunes habet. Italis appellatur Struzzo, uel Sturzo apud Scoppam. Hiſpanis Aueſtruz. Luſitanis Ema di Gei, Ema autem ſimpliciter Gruem eis ſignificat, Gallis Autruche, uel Auſtruche. Germanis Strauſs, uel Struuſs, & quoniam pennis eius pilei, & galeæ ornantur, deducitur inde nomẽ ein Struſsle, pro quauis criſta, & uerbum ſtruſſen pro eo, quod eſt ſuperbè ſe erigere. Belgis dicitur een uogel ſtruijs. Anglis an Oiſtris, uel Oſtrige. Illyricè Pſtros, Polonicè Strus.

Pœna auis quæ. Paſſer marinus cur Struthio dictus. Etymon. Chœnocamelus. Λίβυσσα ὄρνις. Lybica auis. Afra auis. [f] *In cõmen. Horat.* Vaſta auis. [g] *Lib. 1. in Eutropium.* Auis ceruena. [h] *Lib. 4. rer. antiq. c. 3.* Auis non auis.

[c] *Cap. 39.*

[d] *In Sirenibus.* Ranan. Thalim. Thalix. Thalius. Naam. Naham. Nham. Nacham.

[e] *Lib. 4.* Σρωθος. Σρωθοκαμηλος. Σρωθοῖοκαμηλος. Σρωφοκαμηλος.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

DE Struthiocamelo, quoniam ut Veſpertilio partim auem, partim quadrupedem referat, dubium uidetur, nunquid potiùs inter quadrupedes, an inter aues reponi debeat. Palpebræ enim, quibus ſolus alicum ut homo, utriniq; præditus eſt, pedesq; biſulci ac totius corporis magnitudo quadrupedẽ eſſe arguũt, cùm magnitudo Auibus parua cõueniebat; corporis enim molem ſublimem ferri nequaquã facilè eſt, ut ſcriptũ reliquit [a] Ariſtoteles: cõtrà forma corporis, pennæ, roſtrũ, caput, collũ, cauda, pedes bini, Auem quidẽ conſtituũt, ſed quæ gibboſo corpore, pedibus in binas ungulas diuiſis, moribus, atque ouorum incubatu à reliquis auibus differat.

[a] *Lib. 2. de part. anim. c. vltimo.*

rat. Alas quidem habet uti cæteræ, sed quæ non ad uolandum, ut illis, sed ad uelociorem cursum datæ sunt. Ouat item, ut illæ, parit, sed non incubat, quæ nempè in arena sepeliat, & solis calore postmodum excludat. Alæ.

# FORMA. DESCRIPTIO.

STRVTHIOCAMELVS Anserē tota corporis sui forma refert. Quod ad magnitudinem attinet, Auium omnium maximus est. Tria enim sunt animalia, quæ ex minimis maxima euadūt, nempe ex aquatilibus, Crocodilus; ex uolucribus Struthio; ex quadrupedibus Elephantus.[a] Diodorus Siculus cameli magnitudinem Struthioni tribuit.[b] Plinius equitis equo insidentis etiam altitudinem excedere scribit, quod sanè intelligendum est, dum collum quantum potest, erigat. Nam reuera aliàs longè minor est, maximus tamen uoclucrū, ut dixi, quare ab[c] Aristophane Rheæ Deorum matri etiam comparatur. Rostrum habet, si corpori adæques, valdè exiguum, sed acutum, & robustum. Caput Anserinum, id pariter paruum, & cerebrum in eo ferè nullum, plumis haud copertum, ut neque collum, sed exiguis tantùm pilis, in fœmina pallidè lutescentibus, mari uerò in capite magis flauent, collum uerò ad rubrum colorem uergit. Oculos magnos, nigros, cameli similes. Palpebras utrimque, alitum solus, ut homo, teste Plinio:[d] Cardanus pilos habere dixit in superiore palpebra. Collum prolixum, imò longissimum, coloris qualem dixi, quod[e] Suidas asini simile dixit, sed quàm rectè, ipse uiderit. Pennæ quæ pilis haud dissimiles sunt, à cæteris auium pennis differre uidentur. Dorsi, cuius pennæ in mare nigerrimæ, in fœmina fuscæ tantùm sunt, & lanæ quandam substantiam sua mollicie efficiūt, tanta latitudo est, ut Oppianus puerum lactantem, uel ut Italicè quidam scripsit, hominem insidentem sustinere possit. Alarum pēnæ eiusdem coloris, sed in superiori parte candidissimæ. Gordianum tradunt Imperatorem, dum etiamnum iuuenis esset, trecentos Struthiocamelos Mauros miniatos habuisse, quos ego Phœnicopteros fuisse arbitror.[f] Albertus Struthionem in interioribus alarum cubitis, spicula quædam, quibus feriat eos, quibus insilit, habere scribit, & author de nat. rer. paruum ei sub alis osseum, quo se in latere purgat (pungit fortè) & agitat, cùm prouocatur ad iram. Alij in extremis alis ossa quosdam extare putant mucrones, quibus ceu calcaribus ad cursum uelociorem se incitet, infligendo eos coxis, in quibus, ut in plerisq; etiam alijs partibus corporis deplumis est. Sed eiusmodi spicula atq; ossa macrones ego obseruare non potui. Caudæ pennæ in mare subalbidæ, in fœmina subfuscę sunt & cassides maximoperè expetuntur. Coxæ sanè prægandes; eiusdem cum collo coloris plumis per quam raris ornata, ut aui non uideantur conuenire, sed quæ cum magnitudine rotunditateq; ac carnis albedine, tùm quòd in angustum sensim iuxta genu finiuntur, humanum femur potiùs imitētur. Crura carnosa cruribus camelorum similia, crebris corticibus, ceu squammis intecta usque ad geminos duros poplites. Pedes bifidi more boum, cęterorumq; quadrupedum bisulcorum in binas ungulas diuisi; itaque perperàm Suidas pedes asini, qui solipes, atque una tantummodò ungula insignitus est, Struthioni tribuit. Verùm cur bisulcum potiùs, quàm solipedem aut digitatum natura Struthionem fecerit, ego prorsus ignorare me fateor.[g] Nicolaus Leonicus Thomęus id quidem hunc in modum quērit, sed nihil uidetur concludere. *An quia*, inquit, *verè non sunt volucres, sed pedestrium generis magis, & ideò neq; à terra tolluntur altiùs, pennæq; solummodò datæ sunt ijs, vt currentes adiuuent, qui altoquin corporum mole essent tardissimi. An quod in animalium genere ambiguas quasdam, & velut promiscuas natura producit species, ut in lutris, marinisq; vitulis, quæ cùm aquatilia, tùm terrestria meritò existimari possunt. Huiusmodi autem Struthiocamelum esse, non abs re putandum est, vt auis enim bipes est, pennasq; & plumas habet, vt verò ex pedestrium est genere, & genas habet, quibus sanè carent volucres, & bifidas gerit vngulas. Huius autem causa corporis illius est moles, quæ haudquaquam auibus, sed quadrupedibus magis conueniens, aptaq; esse videtur.* Verùm nunquid hæ rationes sufficiant, alijs dijudicandum relinquo. Nos interim maris & fœminæ iconem priuatim exhibemus, etsi unica sufficeret, sed pictoris id auaritia factum est.

Magnitudo.
Animantia quæ ex minimis maxima euadant.
[a] *Lib. 3. rerum antiq. cap. 12.*
[b] *L. 10. c. 1.*
[c] *In auibus.*
Cur Rheæ dicatus.
Rostrum.
Caput.
Oculi.
[d] *Li. 10. de subtil.*
[e] *In Sircnibus.*
Pennæ.
Dorsum.
Alæ.
Struthiones miniati qui sint.
[f] *Lib. 23. de Animal.*
Cauda.
Coxæ.
Crura.
Pedes.
Suidæ error.
Cur natura bisulcum voluerit esse.
[g] *In quæst. nat.*

# LOCVS.

STRVTHIONES loca amant deserta, & ferè aquosa, vnde apud D. Hieronymũ legitur; *Filia populi mei fidelis quasi Struthio in deserto.* Tanta verò quandoq; eorum copia in desertis conspicitur, vt velut equitũ quandam aciem efforment eminus, atque à longè videntibus, totidem se equites videre existimantibus, de vitæ suæ periculo sæpissimæ timorem incutiant. Africa nobis hanc auem generat. [a] Theophrastus in ea Africæ parte Struthionem nasci tradit, in qua nunquam pluit. [b] Aristoteles Struthionem Africam nominat, & Lybicam. [c] Plinius Africam, & Aethiopicam, & Poëtæ Afram Auem κατ' ἐξοχὴν pro Struthione dixêre. [d] Philostratus Apollonio, cùm dextra Gangem, sinistra hyphasim fluuios haberet, ac ad mare descenderet in eo itinere Struthiones multos refert sibi occurrisse. Insula Dargin, Aloysio Cadamusto tradente, Struthiones fert, quorum oua non insuauiter comedit. Paulus Venetus in prouincia Abasia dicta Struthiones grandes reperiri, Asinis non minores memorat. [e] Xenophon olim in Arabia magnos Struthione agnouit, eosq; nõ paucos, quod [f] Diodorus Siculus, & [g] Strabo quoque testantur. *Supra Elephantophagos in Arabia* (inquit Strabo) *sunt Struthiophagi, gens non admodum magna, apud quos aues dicuntur esse, ceruorum magnitudine, quæ volare non possunt, sed celeriter currunt, quemadmodum Struthiocameli.* Sanè aues eas, quarum descriptio cum Struthionibus ex toto quadrat, ab his nihil differre arbitror, vt neque à Ceruinis à Diodoro Siculo descriptis, quas Aethiopiæ quandam partem mittere scripsit; nam quæ & ipse de auibus Ceruinis dixit, cum Struthionibus omnia congruunt. *Populi* [h] (inquit) *qui partes Aethyopiæ supra Aegyptum ad Hesperum pertinentes habitant, Aethiopes simi, ad meridiem spectantes Struthiophagi cognominantur. Est apud eos auium species natura terrestribus animantibus mixta, vnde & aues Ceruinæ nominatæ sunt. Hæ magnitudine sunt magni Cerui, collo oblongo, rotundis lateribus, atq; alatis, capite tenui, oblongoq;, cruribus & iuncturis firmissimis, fixo pede.* Struthiocamelos Syriam quoq; ferre [i] idem testatus est.

[a] *Lib. 4. Hist. plant. cap. 4*
[b] *4. Hist. cal.*
[c] *L. 10. c. 1.*
[d] *Lib. 3. de vita Apollonij.*
[e] *Lib. 1. Anabas.*
[f] *L. 3. c. 12.*
[g] *Lib. 18. Geog.*
Struthiophagi populi.
[h] *Lib. 4. rer. antiq. c. 3.*
[i] *L. 3. c. 12.*

# VOX.

Ianah qd.

DE voce Struthiocameli nihil memoratu dignum ab authoribus proditum est. Hebræi tamen Struthionem Iaenach appellant ab vlulatu. Ianah enim eis est vlulare. Sunt qui proprium huic aui esse dicant, vt matres semper oberrent, & pullos suos deserant; itaque hos ob cibi inopiam flere, atque vlulare, ad quod sæpè alludit sacra scriptura vt: [a] *Faciam planctum sicut Dracones, & luctum sicut filiæ Iaenah*, id est, sicut Vlulæ, uel Struthiones. Quæ si eorum uox sit, alij perscrutentur, ego uocem eorum nunquam audiui.

[a] *Micha. 1.*

# VOLATVS. GRESSVS.

STRVTHIOCAMELVS corporis mole, quę in sublime ferri nequit, vt scriptum reliquit Aristoteles, impeditus, à terra non eleuatur. alas enim habet non ad volandum, sed vt Plinianis verbis utar, *vt currentem adiuuent.* Lentè incedit, nimirùm cùm non libeat festinare, nec sit quod urgeat, qui alioquin celerrimè currat, & vtrimq; in alas ingruente uento, & tanquam uela eas extendente ad tam uelocem cursum impellitur, vt Plinius equitem equo insidentem superare & Oppianus cum alio alite uolante contendere posse dixerint.

# VICTVS. NVTRITIO.

[a] *Lib. 6.*

STRVTHIONEM carpophagum esse ex [a] Strabonis uerbis licet colligere; scribit enim, *Venatores cùm eos capere student semen spergere, quo auem alliciant*, ut postea dicemus. Sunt, qui sine delectu, quicquid obtigerit, deuorare scribãt, uerùm hęc incocta, & integra in uentriculo eius remanent, & si nimia fuerint, tandem animal ad mortem, uel ad tabem deducunt, ut in dissectis apparuit. Quare minimè equidem credendum est ferrum concoquere, ut multi crediderunt, concoctionisq; eius uim à calidissima eius natura dependere, quorum opinio Leonis exemplo facillimè conuincitur, ut qui longè, quàm Struthiocamelus calidior, ferrum tamen concoquere nequeat, ut [b] Alex. Aprodiseus testatur; Nec audiendus [c] Ioannes Langius qui in horto Ducis Ferrarię Struthionem ferrum concoxisse sese obseruasse testatur. Plinius quidem mirã Struthionibus cõcoquendi, quę sine delectu deuorârint, naturã dixit, sed ferrũ concoquere

Struthiocamelum ferrum non cõcoquere.
[b] *In probæmio Probl.*
[c] *L. epist. 12*

coquere nunquam, quod sciã. Albertus Magnus ossa in breues partes truncata & lapides auidè deuorare dixit, sed respuere, ego ferri frustula deglutire, dum Tridenti essem, obseruaui, sed quæ incocta rursus excerneret.

## NIDVS. GENERATIO. EDVCATIO.

EX sabulo nidum pedibus construit in solo, eumq; humilem atque medium concauum, labra ambientia altè exaggerãs, ac tanquam muro circũmuriens, ne pluuia eminus influat, & pullos etiãnũ teneros madefaciat. Nõ coit more aliarum auium, sed velut Camelus Bactrianus, auersus nempè. In Venerem procliuis est, eamq; pluries exercet, plurimo excremento abundans. [a] Aristoteles, & [b] Plinius *complura oua parere* dixerunt, numero non determinato. [c] Aelianus *octuaginta amplius excludere, non tamen vno eodemq; tempore ex ouis pullos enasci, sed ex his partim iam in lucem proferri, partim intra oua informari, & conglutinari, partim etiam foueri.* Alibi tamen numerum non addens: *Etsi permulta*, inquit, *oua parit non tamen omnia ad frugem perducit, sed fœcunda ab infœcundis secernit, tantumque frugiferis incubat, simul & ex ijs pullos excludit, & sterilitate affecta, eis ipsis editis pullis alimenta præbet*; Parit verò mense Iulio. Sunt autem oua maxima, vtpotè capitis infantis magnitudine plus minus quindecim libras pendentia, durissima & quasi lapidea crusta munita; quæ in arena condita, solo uisu à Struthione foueri, atque ita pullos in lucem excludi multi crediderunt, cùm quòd matrem ob corporis grauitatem incubare ijs non posse cernerent, tùm quoniam etiam fortè aliquando eam oua ceu carissima sua pignora, veluti propter custodiam intuentem reperissent. Verùm, ut ingenuè loquar, Struthio non uisu fouet oua, quo ea quandoq; obseruat, sed solis calore tãdem ex ijs pulli educuntur, vt ex multorum animalium ouis fieri quoque videmus: etsi secus ab Aeliano scriptum.

Ceitus.

[a] *Lib. 9. Hi. c. 15.*
[b] *L. 10. c. 52*
[c] *Lib. de anim. c. 15.*

## AFFECTVS CORPORIS.

PLINIVS Struthiocamelum *naturaliter caluere* dixit, quod mihi de alia alite nullubi legere vnquam contigit.

[a] *L. 11. c. 37*

## MORES. INGENIVM.

QVAMVIS Struthiocamelus deserta incolat, mitis tamen esse dicitur, & mansuetus. Sed *mira*, vt [a] Plinij verbis vtar, *eius stoliditas in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultauerit, latere sese existimantis*, quod verò de collo Plinius dixit, id alij de toto capite tradunt. Hinc Poëta:

——*si iam vestigia retro*
*Clara sonent oblita fugæ, stat limine clauso*
*Ridendum reuoluta caput, creditque latere*
*Quod non ipsa videt.*——

[a] *L. 10. c. pr.*

Diodorus Siculus uerò caput quidem inter arbusta, aut vmbrosa loca abscondere Struthiocamelum admittit, cùm scilicet venatores effugere nequit, at naturæ desidia, ne ab alijs conspiciatur, quod illi volunt, id facere negat, causamq; in hoc reijcit, quoniam corporis pars cæteris debilior, vmbram sibi pro tutela parat. Vt ut sit, ego me in hac authorum controuersia immiscere nolim, neutrum expertus. Video tamen sacras quoque literas de stoliditate auis loqui. Sic enim [a] Iob. *Struthionem Deus priuauit sapientia, non dedit illi intelligentiam.*

[a] *Cap. 39.*

## ANTIPATHIA. SYMPATHIA.

STRVTHIONEM naturaliter equum odisse tradunt, & contrà ab equo tantùm Struthionem odio haberi, qui nempè intuitum eius non sustineat. Struthio erga fœtus suos tanto amore flagrare fertur, ut etiam paracutas cuspides, easq; ferreas, quas circa nidum, pullorum potiendorum causa venatores defigunt, negligat, atque ita transfixus mortem obire non recuset. Quod tamen sacræ paginæ repugnare uidetur ubi nempè legitur apud [a] Iob. *Struthio dura est in suos pullos, quasi non sint sui, frustrà laborauit nullo timore cogente.*

Struthionis & equi odium.

[a] *Cap. 39.*

# CAPIENDI RATIO.

[a] *Lib. Anaſar 1.*

STRVTHIO viſco aut calamis more aliarum auium non capitur, propter corporis molem, ſed equis, canibus & retibus teſte Oppiano. [a] Xenophon equis & canibus propter curſus velocitatẽ, difficulter capi innuens, *Struthiũ Arabicum*, inquit, *nemo capere potuit, & equites qui perſequebantur mox deſiſtebant, aufugiens enim procul ſe abducebat*, pedibus ſcilicet & alis ad modum veli ſimul erectis ad curſus celeritatem vtens. Comprehẽditur tamen ab equitibus cùm in curſu nimia laſſitudine delaſſatur. Solet enim Srruthio in orbem currere, atque ita ab equitibus facilè curſu ſuperatur, non tamen ita facilè capitur, quippè qui obuios quoſcunque lapides, vngulis ad id aptis, arreptos retrò in hoſtes, tanquam funda eiaculatur, vt [b] Aelianus, & [c] Diodorus Siculus memorant: cùm enim animal ſit biſulcum, comprehendendis lapidibus vngulas habet accommodatas, [d] Plinio teſte; [e] Strabo author eſt apud Strutophagos in Arabia, à nõnullis Struthiones arcu venari, alios verò pellibus Struthionum, corpora ſua operientes, dextram manum pelle colli detectam more animalis, dum adhuc viuebat, mouere: ſiniſtra verò ſemen è ſuſpenſa pera eductum ſpargere, quo aues allicientes, tandem eas in conualles detrudunt, atque obtruncant. Capiuntur & hoc modo, Venator inuentum eorum nidum peracutis ex ferro cuſpidibus ſpiculorum more rectis circumdat, & in occulto ſe abdens, ex inſidijs Struthiones acerrimè obſeruat, quæ quoniam perditè pignora ſua amant, cùm ex inquiſitione paſtus reuertuntur, etſi antequam in nidum inuolent, huc illuc oculos verſent, metuentes ne ab aliquo videantur, tandem flagrantiſſimo pullorum ſtudio victi, cõtemptis ferreis ſpiculis, ita alis paſſis (tanquam velis contento fune explicatis) in eum irruentes transfiguntur, & à venatore, qui repentinus eò accedit, ſimul cum pullis capiuntur. Sed omnium facillimè in manus hominum veniunt, cùm capite in fruticibus recondito ſeſe latere totos exiſtimant. Ita enim dum *in capite* (vt Tertulliani verbis vtar) *ſecuri ſunt, nudi qua maiores ſunt, tota cum capite capiuntur*.

[b] *4. de anim. capite 47.*
[c] *Lib. 4. c. 3.*
[d] *L. 10. c. 3.*
[e] *Lib. 6.*

# ICONES.

IN libro Notitiarum Oriẽtis, & Occidentis, qui inſignia diuerſarum Romani Imperij Prouinciarum continent, animalia quædam pinguntur inter Arabiæ inſignia, ſerpentes, Struthio, & Aquila, aut Phœnix. [a] Pauſanias Arſinoæ, quam frater eius Ptolomæus duxit, imaginem in Helicone videri ſcripſit, quę illã à Struthione (σρεσθῶ) ænea, geſtari oſtẽderet. Et Iulius Capitolinus Gordiani ſyluã memorabilẽ extare memorat, pictã in domo roſtrata Cnei Pompeij: in qua pictura etiamnum contineantur Struthiones Mauri miniati trecenti, Onagri triginta &c. Sed ego, ut antè dixi, Phœnicopteros fuiſſe crediderim, cùm miniatos Struthiones nullibi legerim. In argenteo Philippi numiſmate Struthiocamelus depictus quoque cernitur, cum hac inſcriptione: IVNO CONS. AVG. Erat autem Iunoni auis iſtæc ſacra apud antiquos. Pennæ Struthiorum quoque erant in numo, cuius inſcriptio erat TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F. P. M. TR. POT. XXIIII. In eo numo pinnæ Struthij, in quodã ſerto ſitæ ſunt, ſupra frontem figilli, cui ſubiecta eſt inſcriptio IVSTITIA. nummum hunc Achillinus, & Alexander Calcinius Bononienſes habuerunt.

[a] *In Boeoticis.*

Non omittam nobiliſſimam Caſtrutiorum familiam Lucenſem, ex qua toto orbe celeberrimus ortus eſt Caſtrucius Caſtracanus rei militaris peritiſſimus, atq; dux acerrimus pro inſignibus Struthione vti. Iam verò Familia hæc Monteuici, aliàs Montiſregalis floret, eamq; non mediocriter illuſtrat F. Paulus Caſtrutius Ordin. Prædicatorum ſacræ Theologiæ Doctor, Prior Conuentus Dominicani in hac noſtra vrbe primùm, dein Vicarius Generalis contra hęreticam prauitatem, tandem Prouincialis, mihi non ſolùm familiariter notus, ſed cui propter ſingularem humanitatem plurimum me debere fateor.

# HIEROGLYPHICA.

[a] *Lib. 1. hieroglyph.* Viri iuſti typus. Elementorũ concordiæ typus.

SCRIBIT [a] Orus Apollo Aegyptiorum ſapientes, cùm eum, qui ius æqualiter omnibus impartiretur, ſignificare uellent, Struthiocameli pennam pinxiſſe, quoniam hoc animal præter cætera pennas alarum vndiquaque habet æquales.

Si quis eriam Aegyptiorum more elementorum concordiam indicare voluerit, non imperitè picturam eam proponet, quam ipſe rerum opifex per animantia id præ ſe ferentia, conſideranda propoſuit, Lutram ſcilicet, uel eius loco uitulum marinum

rinum, Struthiocamelum, & hominem eodem uinculo colligatos. Lutra siquidem & uitulus marinus media sunt animalia inter terrestria & aquatica; uinculumq; illud ostendunt, quo terræ applicitę sunt aquę, suisq; coercentur finibus: qua diuina prouidentia, cùm arenam terminum maris posuisset, leges etiam imposuit aquis, ne fines suos transgrederentur. Struthiocamelus autem ambiguus est, inter terrestria & aëria: uerè enim uolucris non est, quæ nequaquam à terra, ut uolucres, attolli potest, pennæ autem, alæq; ob id tantùm à natura datæ, ut cursum adiuuent, crura verò vti dictum bouilla propemodum, vngulasq; bisulcas habet. Denique inter elementa omnia & cælum ipsum, homo intermedius est cõstitutus. Ita per huiusmodi pi ctura tota ipsa rerum machina describitur. Adhæc genuina animalis stoliditas effecit, vt imago eius caput intra frutices abscondentes hieroglyphicum insipientiæ haberetur, vtpotè qui auium sit maximus, si tamẽ collum tantùm frutice occultauerit, latere se totum existimet, cùm reliqua magna admodum corporis moles in aperto relinquatur. Stultitiæ symbolum.

# PROVERBIA.

AFRA vel Lybica auis (λυβικον ὀρνεὸν) refertur à Suida de prægrandibus quod ex ea regione deportentur aues immani magnitudine. Horatius de prælauta vsurpauit. *Non afra auis* (Meleagridem hic vel Numidicam Gallinam non Struthionem intellexerim) *descendat in ventrem meum, Iucundior quàm lecta de pinguissimis Oliua ramis arborum.* Nam Gallinas prægrandes olim mittebat Africa, quas easdem Numidicas aues appellant, Acron videtur de Struthione sentire, quæ & ipsa auis mira mole corporis est. Adagium mea quidem sententia nõ ineptè quadrabit in hominem peregrino cultu notabilem, & Plautus alibi Pœnam auem vocat ob manicas alarum instar vtrimq; pensiles: Prouerbium extat apud [a] Aristophanem. Interpres indicat conuenire in barbaros ac meticulosos. Sunt enim homines prægrandes ferè timidiores: hinc Terentius: Afra auis quid Horatio. [a] *In auibus.*

*Hic nebulo magnus est.*

# MEDICA.

CALENVS Struthiocameli ventriculum, similiter etiam & aliarum Auium cochlearionum duorum mensura ex vino, si absit febris, si adsit verò, ex aqua, potum ventris profluuio mederi tradit. In Struthionis ventre inciso lapides inueniri, eosq; deuoratos temporis progressu ab illa concoqui (quamuis id negant alij) atque ad faciendam oculorum medicinam salutares esse author est [b] Aelianus, apud quem Græcè legitur, εἶεν δ' ἄνθρωποι καὶ αὐθρώπων ὄψεως ἀγαθόν, ubi καὶ coniunctio similitudinem aliquam cum præcedentibus insinuat, & rei ipsius natura πτῆψεως potiùs, quàm ὄψεως legendum dictat, vt Ornithologus conijcit, vt lapides in ventriculo animalis omnia concoquentis reperti, in homine etiã concoquendi vim promoueant. Nam & Kiranides quoque lapidem è ventriculo Struthionis, collo suspensum iuuare coctionem scribit. Qua ratione etiam Echinus, siue interior ventriculi Gallinarum membrana in cibo sumpta, tanquam etiam illi vis concoquendi lapillos insit, necnon & exteriores quorundam voracium animalium pelles forinsecùs cum suis plumis ac pilis applicatæ, vt Mergi, Cigni, Lupi ciborum coctionem confirmare existimantur. Quod calori forsan earum applicatione adaucto ascribendum fuerit, non occultæ proprietati, cùm similiter alijs quoq; calidis atque calfacientibus impositis augeri coctio possit. [c] Galenus tamen id de Struthiocameli ventriculo falsò credi putat. Contrà R. Moses ait corticem interioris Struthij ventris, quem cum ventriculi membrana eundem esse arbitror, sumptum conferre stomachicis, & calculum dissoluere: quam quoque vim alij interiori membranæ ventriculi Gallinarum attribuunt. Auicenna carnem nham, hoc est, Struthionis à quibusdam Medicis maximoperè laudari memorat, credidisseq; esse calidã, & pinguem, appetẽtiam excitare, confirmare corpus, & laudabilem esse, & coitum promouere, quando concoquitur; est enim difficilis admodum coctionis, & superabundantis superfluitatis, & crassior duriorq; omnibus carnibus ab Rasi statuitur, Camelinæ naturam referens. Et [d] Galenus non carnem tantùm, sed omnia etiam eius membra excrementosa, coctuq; difficillima scribit; ideoq; iure merito nobis tanquã auis immunda à sacris literis interdicitur. Plinius seuum Struthiocamelinum narrat, cùm auctio regia per Catonem Vticensem fieret, sestertijs LXXX. uæniisse, efficacioris ad omnia usus, quam sit adeps Anserinus. Hunc eundem adipem P. Aegineta miscet in emplastro diachinnabarios ad tofos, aliosq; tumores induratos, nec-

[a] *Li. 2. Eupori. c. 46.* Lapidum in Struthione inuentorum vis.
[b] *Li. 14. de Anim. c. 7.*
[c] *Lib. 3. de Alim. facult.*
Caro.
[d] *Lib. 3. de facult. nat. & lib. de cibis boni & mali succi.* Seuum.

non

non etiam acopo ex vulpe in oleo decocta, item unguento duodecimo ad arthriticos. Sunt
Vrina. qui puerorum impubium vrina ad ſolem uſta cum oui albumine illinant. Plinius efficaciorem Struthiocameli vrinam ad eadem aſſerit. Hermolaus hac eadem vrina atramenti lituras ablui
Oua. ait, quaſi uerò præter Veſpertilionem alia auis mingat. Struthiocameli oua podagricis inuncta proſunt, teſte Kiranide.

## VSVS.

ESTI Struthio carnes habeat tantoperè à Medicis interdictas, vtpotè duriſſimas difficillimasq; concoctu; Struthiophagi tamen Arabiæ populi, vt antea recitauimus, ab huius auis eſu nomẽ meruêre, & Aethyopes Bellonius refert, captis à ſe Struthionibus veſci: & Lampridius author eſt, Heliogabulum Imperatorem Struthiones, & Camelos exhibuiſſe in cænis aliquoties, præcepiſſeq; Iudæis, vt ederent; & rurſus, eundem ſexcentorum Struthionum capita
[a] *In deſcrip. Africa.* vna cæna multis exhibuiſſe ad edenda eorum cerebella. [a] Iohannes Leon Africanus Numidas carne eorum veſci quidem tradit, ſed iuuenculos capere, ſaginare, & ſeſe vnà cum illis aliquoties palato ſuo haud ingratam epulatum fuiſſe. Galenus atque ex eo Paulus alas Struthionum cæterarum auium alis deteriores eſſe negant. Africanus coxas omnium deterrimas affir-
Struthionis præparatis ad cibum. mat, viſcidas ſcilicet & fœtidas. Quod ſi ergo quiſpiam Struthiones nactus ad menſæ vſum perducere cupiat, carnis huius coquendi, condiendiq; rationem ab Apicio accipiat, qui de conditura eius hunc in modum ſcribit: *Piper, mentam, cuminum aſſum, apij ſemen, dactylos vel caryotas, mel, acetum, paſſum, liquamen, & oleum modicè, & in cacabo bulliant, amylo obligas, & ſic partes Struthionis in lance perfundes, & deſuper piper aſperges. Si autem condituram coquere volueris, alicã addes.*
Firmi Seleucij uoracitas. Capitolinus author eſt, Firmum Seleucium Struthiocamelum, quo quidem nullum volucre maius eſt, vno die comediſſe: & aliàs etiam Hippopotamum, cuius adipe delibutus inter Crocodilos impunè natauerit, eſitaſſe: quod certè inſigne heluonis exemplum eſt. Oua Struthionum, quæ ab omnibus improbantur, ab Auicenna inter ſicciora habita, Galeno deterrima,
Ouorum uſus. Tacuino craſſa & concoctu difficilia; ſi quis etiam veſci voluerit, vitellis tantùm vtatur, quos Aloyſius Cadamuſtus & Braſauolus non inſuauiter ſeſe comediſſe narrant. Sed longè alium
[b] *L. 10. c. 1.* etiam vſum præſtant, vt quæ, [b] Plinio teſte, propter amplitudinem ac capacitatem pro vaſis quibuſdam habeantur. Garamantes, qui propter ſolum arenoſum ac exuſtum argilla, qua noſtra vaſa conſtant, carent, potoria ſua vaſa ex his ouis tranſuerſim conſectis conficiunt, necnon & pileos, ſeu capitis tegumenta, quibus plurimùm ſibi applaudunt: Tanta ibi ouorum magnitudo eſt; Solent etiam hæc oua in templis ſuſpẽdi, quod quia duriſſima ſint, & humore exem-
Pennarum uſus. pto quaſi oſſea reddantur. Pennarum Srtuthionum plurimus vſus, ad conos bellicos, & galeas, pileosq; adornandos, tam apud veteres fuit (Plinio teſte) quàm iã nunc apud nos, apud quos adeò increbuit, vt vel gregarius quiſque miles pileũ eis exornet; ad quẽ ſenſum [c] Claudianus:

[c] *In ſext. Conſul. Honorij.*

*Viua dedit? gaudet metuens, & pollice monſtrat,*
*Quod picturatas galea lunonia criſtas*
*Ornet auis, vel quod rigidos vibrata per armos*
*Rubra ſub aurata criſpentur ſerica dorſo.*

[d] *Lib. 6. c. 204. 205.* Itaque [d] Polybium de Struthionis pennis loquutum fuiſſe omninò crediderim, vbi milites Romanos corona plumea coronatos fuiſſe olim tradit, pennisq; tribus puniceis aut nigris erectis longitudinis ferè cubitalis. Talem item pennam marmoream in caſſide ſtatuæ Pyrrhi Epirotarum Regis, & Mineruæ bellorum Deæ, Romę in palatio Illuſtriſſimorum Cæſiorum obſeruaui, quod ſanè noſtram opinionem non parùm confirmat. Atque hinc etiam Struthionis typo militantes denotantur; nam in eorum exequijs inter alia ſuarum virtutum monumẽta, caſſides hiſce pennis perornatæ portari ſolent. Non omitam etiam πτεροφόρους dictos fuiſſe nuntios celeres, ſeu curſores tabellarios, quòd cùm peregrè proficiſcerentur, pennas in capite geſtarent. Meminit illorum Iuuenalis:

*Tanquam de Cattis aliquid toruisq; Sicambris*
*Dicturus tanquam diuerſis partibus orbis*
*Anxia precipiti veniſſet epiſtola penna.*

Quas pennas ego etiam Struthiocamelorum fuiſſe iudico, quemadmodum Aegyptiorum ſacerdotum, quos πτεροφόρους quoque appellabant, cùm in Aegypto hæ aues non infrequentes ſint. Apud Turcas pennas Struthiorum, & Manucodiatæ niſi Ianitzeris (ita milites fortiſſimos vocãt) ferre licet, eisq; ſolis, qui in bello egregium quidpiam fortitudinis ſpecimen ediderint. Ex eiſdem in nobilibus Italiæ vrbibus ac Bononiæ potiſſimùm atque Venetijs fiunt ventilabra, quibus nobiliores matronæ æſtiuo tempore ventulum ſibi parant.

SYM-

# SYMBOLA.

STRVTHIO auis, quæ oculorum radijs foueat oua sua cum verbis: DIVERSA AB ALIIS NATVRA VALEMVS, significat eum, qui admirandum quoddam artificium inuenit. Struthio eodem modo depictus sed cum verbis LVX VITAM. Significat eum, qui vitam sese, & alimentum à radijs & splendore oculorũ mulieris, quam deperit, recipere ostendit. Nam Struthio mulierem, ouum hominem amantem significat.

Struthio deglutiens ferrum cum verbis: SPIRITVS DVRISSIMA CONCOquit. significat uirum generosum posse tandem omnem grauem iniuriam eluere.

Struthio expandens alas, ad uolatum tamen ineptus, cum uerbis: NIL PENNA SED VSVS. significat hypocritarum proprietatem, quibus splendida foris est, ac turgens religionis sanctimonia, uerùm præter simulationem nihil est pietatis, & si ultra scruteris, intus delitescunt mendacia, est enim Struthio plurimus in plumarum ostentatione, sed illis extolli nequic quam ualet.

Struthio alis ad cursum leuatis in morem ueli, cum uerbis: SI SVRSVM NON EFFEROR ALIS, CVRSV SALTEM PRAETERVEHOR OMNES. Virum denotare poterit, qui cùm ad metam, ad quam omne suum studium impendebat, pertingere nequiens, aliàm eamq; non infimæ sortis obtineat.




# STRVTHIOCAMELI SCELETI descriptio ex [a] Ambrosio Pareo.

[a] L. 24. c. 22 Caput. Ceruix.

QVAM prodigiosa sit Struthiocameli magnitudo, ex ossium eius magnitudine facilè quiuis consequetur. A. Caput igitur eius Gruis capite paulò crassius erat, palmi longitudine, à uertice ad rostrum usque planum, rostro fisso, ad mediam usque oculi regionem, in sui extremitate obrotundo. B. Ceruix tres pedes longa, septemdecim latebris coagmentata,

mẽtata,quarum ſingulæ ſingulis lateribus donatæ ſunt;apophyſi tranſuerſa deorſum ſpectante pollicari longitudine, ſi primam & ſecundam capiti promas exceperis, ut quæ his careant ginglimo coniunctæ.C Dorſum bibedali longitudine ſeptem uertebris connexum. D. Os ſacrũ bipedali eſt longitudine, in cuius ſummo apophiſis uiſitur tranſuerſa, cui magnũ ſubiacet foramen,& quod tria alia ſequũtur,ſed minora F.G.H. poſt quę ſequitur acetabulum ſeu pyxis, in quam caput oſſis femoris excipitur & conditur; id parte externa & laterali profert os perforatum , litera I notatum, perforatum,inquam,ſui initio, mox enim unitur, qua littera K. ſubeſt. Inde bifurcatur,& in duo alia oſſa funditur, quorum unum alio maius eſt, minus littera L. notatur,ambo qua littera M. affixa eſt,vniuntur,ſingula ſemipedem,& quatuor digitos longa. Cæterum ei parti,unde primùm bifurcari incipiunt, & ei in quam concurſu facto,uniuntur,medium interiacet foramen,quatuor digitos latum. Longius uerò palmo, ut littera N. notatur,quod oſſis illius reſtat, falcis uinitoriæ inſtar habet,latum tres tranſuerſos digitos,longum uerò tres pollices . Ad extremum ubi littera O. ſubeſt, ſynchondroſi iungitur. P. coccyx nouem uertebris humanis ſimilibus coagmentatur . Femoris oſſa duo ſunt, quorum quod littera Q. notatur,pedali eſt longitudine, craſſitie uerò,quæ equiui femoris craſſitiem æquet. Alterum ipſi ſubiectum ( quod fortè os cruris ſeu tibiæ poſſis dicere ) littera R. notatum,ſeſquipedem longum eſt;coniunctam habet fibulam ſeu focile minus, eiuſdem longitudinis,ſed quod tantum gracileſcat, quantum deorſum procedit. S. tibia eſt cui pes adhæret, ſeſquipedem longa,in duas ad extremum ungulas fiſſa,maiorem unam & minorem alteram, quarum ſingulę tribus conſtant oſſibus. T. octo coſtę ſunt, quę in ſternum inſeruntur,harum tres mediç oſſeam productionem habent unco ſimilem. V. ſternum eſt vnico oſſe bipedali conſtãs,ſcutulatum clypeum repræſentans. Huic aliud os iungitur, quod tribus primis coſtis ſupertenſum clanicularum loco eſt. X. primum alæ os quod ſeſquipedale eſt. Y. duo huic ſubiecta oſſa extremam alam littera Z. notatam conſtituenti . Totum id animal oſſeũ ſeptem pedes longum eſt,totidemq; & amplius à pedibus adroſtrum procedendo altum .

Dorſum.
Os ſacrum.
Coccix.
Femoris os
ſa.
Tibia.
Coſtæ.
Sternum.
Alæ.

Sed antequam huic libro finem imponam, omiſſam per incuriam Veſpertilionis ſceleti iconem exhibere placuit.



FINIS LIBRI NONI.

VLYSSIS

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ Liber Decimus.

Qui est

## DE AVIBVS FABVLOSIS.

## DE GRYPE. Cap. I.

ALITIBVS rapacibus, tam diurnis quàm nocturnis, necnon Vespertilioni & Struthiocamelo quę à fœcundissima parẽte Natura progenitæ reuerà in hoc orbe subsistunt, eas, quæ rapaces quoq; vel habentur vel tales saltẽ pinguntur, vtpotè fabulosas, Poëtarum figmẽtis proditas, vt veritati mendaciũ, iure postponimus. Pertractandas tamen duximus, vt si quid fortè his fabularũ inuolucris occultũ, & antiquitatis ignorãtia obrutũ, veri latitet, id diligẽti discussione in lucem proferatur, & quę vera sint, quiuis accipiat, quę falsa, aspernetur. Neq; enim verisimile est tot antiquis authoribus (exẽpli causa Gryphi) siue fabulã traditã, siue mauis historiã, & in hanc vsq; ætatem tã constanter hominum animis, vt euelli nequeat, infixam, omninò ex nihilò natam esse; sed vel obscuris Poëtarum & Historicorum, dum vel mystica, vel noua, admiranda scribunt, & non intellectis principijs ortam, mox verò cùm alijs ab alio perm xtam, quibus posteri, vt fit, mendacium mendacio accumulantes, & naturalis historiæ ignari, de suo semper aliquid addiderint, parum esse existimantes referre, quod ab alijs acceperint, nisi & ipsi nouum quidpiam adijciant, & eos vel mentiendo superent. Atque hanc auctorum discrepantiam non parum lucis & honoris his nostris commentarijs allaturam iudicamus. Inter cęteras verò fabulosas aues, de Grype, tanquam quę fabulosarum omnium maxima sit, & potentissima, primùm agere instituimus. Hinc enim Grypes Apollini cõsecrasse antiquitas, eiusq; currui adiunxisse, non secus atque leones videtur, quòd Deorum maximum & excellentissimum animalia etiam cæteris grandiora & præstantiora deceant. Hos igitur quadrigæ iungunt, qui Solis imaginem apud Indos pingunt, vt vult[a] Aelianus, & Claudianus innuit:

*Ac si Phœbus adest & frænis Grypha iugalem,*
*Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe.*

Galieni Imperatoris numi Grypis excussi inspiciũtur cũ inscriptione APOLL. CONS. AVG. Quod est Apollini conseruatori Augusto. Hoc Imperatorum esse indicat, quod Sol in cælo, & Gryps inter animalia. Alijs tamen vt [b] Natali Comiti magis placet, ob eximiam prę sentiendi vim, vt etiam Coruos, Apollini Grypes dicatos esse. Fures enim auro inhiantes mira solertia percipiunt. Vnde aures acutæ illis.

Cur de grype primùm inter fabulosas aues agatur.

Grypes Apollini sacri & cur.

[a] *L. 4. de Animal c. 27.*

Galieni Imperat. numi

[b] *In Mythologicis.*

AEQVI-

# ÆQVIVOCA.

Gryphi q olim dicti.

GRYPHI olim dicebantur homines aduncо naſo, quẽ aliàs Aquilinum dicimus. Tales nare curuos Perſæ, teſte [a] Plutarcho, mirè amabant, velut pulchros & admirabantur, quòd Cyrum Regem talem habuiſſe naſum crederent. Inde enim morum iudicium faciebant. Naſutos, namq; aſtutos, vt quibus quiduis facilè ſuboleat, quemadmodum è contra ſimos mites & gratioſos exiſtimabant. Sic naſo aduncо ſuſpendere alios dicuntur irriſores, quòd in naſo irriſionis ſedes eſſe putetur. Inuenies naſones aliquando (id enim nomen à naſi magnitudine eſt) Gryphos nuncupatos, quo quidem cognomento Syriæ Rex Gryphus Cleopatræ filius appellatus eſt. fuit enim is viſenda naſi magnitudine præditus. Grypho nomẽ proprium erat fratris Pipini, qui anno 748. metu fratris in Saxoniam fugit, è qua cùm anno ſequenti reuerſus eſſet, paulò pòſt à comitibus Pipini & aſſeclis trucidatus fuit. Grypho quoque quidam ex Auſtriæ Marchionibus dictus. Gryphon etiam nomen eſt Equitis, de cuius laudibus & encomijs lege Arioſtum, qui paſſim eius egregia facta celebrat. Γρύπες Varino ſunt partes de inſtrumento nauis & anchoræ. Γρῖπος idem quod γρῖφος genus retis piſcatorij. [b] Angelus Decembrius in aſſignanda huius uocis ſignificatione, niſi fortè impreſſorum culpa fit, hallucinatus mihi videtur, ita ſcribens: *Grypes animalia pennata inter quadrupedes feras. Gryps autem Vultur, & Grypes Vultures, vt in Homero.* Vultur enim Homero γὺψ, non Gryps dicitur. Quæ Græci ænigmata Latini ſcrupos appellant, Gryphi etiam dicuntur. Nam vt inquit Scaliger:

*——Oratio vel*
*Se nudam oſtendit, vel vult prætexere gryphos.*

Qui & logogryphi voce compoſita ambages nempè verborũ. Huiuſmodi gryphi, id eſt, quæſtiones iocoſæ quidem, ſed argutæ, anxiæ, ſcrupuloſæ, difficiles intellectu olim in cõuiuijs proponi ſolebant, quod cùm prophanæ probant, tùm ſacræ litteræ. [c] Athenæus inter multa alia γρυφὰς definitionem ex Clearco Solenſi affert: *Gryphus quæſtio eſt iocoſa, ſiue ludicra, quæ imperat cogitatione inuenire propoſitam rem vel honoris vel mulctæ gratia dictam.* Suidas vero: *Gryphus*, inquit, *perplexa eſt oratio, & difficilis, quæ aliquid in ſe habet reconditum*, & γρυφώδης λόγος. In Ionia pueri Homerum torſerunt huiuſmodi grypho, Muſis propitijs, contexto: Quæ cepimus, reliquimus, quæ non cepimus, ferimus. Vocantur ijdem hi ſermones impliciti, obſcuri, & nodoſi, γριπισματα; & γριφευς dicitur, qui quæſtiones huiuſmodi ænigmaticas ſoluit, à Theodecte Phaſelita, qui ſimiles gryphos ſiue ænigmata & proponendi & ſoluendi peritiſſimus fuit, μνήμονια fuerunt appellata, eò quòd ille memoriæ vi pollebat. Dicebantur etiam vulgò Ζητήματα κυλίκια teſte Polluce, hoc eſt, quæſtiones pocillatoriæ, quia inter pocula proponebantur. Horum ſeptem genera proponuntur ex Clearco, qui peculiarem de illis librum ſcripſit. Symbola quoque Phythagorica Gryphi & ænigmata appellantur apud Athenæum. Fuit porrò moris, vt idem teſtatur, vt qui Gryphum ſiue ænigma propoſitum ſoluere poterat, certa portio carnis præmij loco tribueretur: cõtrà verò ij, qui non poterant, potionem falſam vno hauſtu amyſtide, id eſt, affatim & ſine reſpiratione bibere cogebantur, quę eorum pœna erat. Gryphi Lucianus meminit: *Quid*, inquit, *ſunt homines? Dij mortales. Quid vero Dij? homines immortales. Ænigmata prefers, & Gryphos glutinas equidem, vt Loxias, apertum nihil promis.* Huiuſmodi quæſtionum intricatarum in ſacris quoque literis exempla occurrunt, quę quidem ab Hebręis Chidot appellantur, à verbo Chiddat, quod acuere ſignificat, propterea quòd acutiſſimam eſſe mentis aciem oportet, quę ad talia dictorum ſententiam penetrare poſsit, vel quòd hominum ingenia acuant. Talis gryphus ſiue ænigma fuit, quod Sampſon conuiuis ſuis quinquaginta propoſuit, ea lege atque conditione, vt ſi illud ſoluerent, intra ſeptẽ dierum ſpatium, quo conuiuium illud nuptiale durabat, triginta linteamina atque triginta veſtes mutatorias ab ſe præmij loco reciperent, ſin minus, ut ipſi Sampſoni totidem veſtes & linteamina dare tenerentur. Ænigma erat: [d] De commedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Quærit hic Diuus Ambroſius, cur Sampſon gryphum hunc propoſuerit, & eius hãc rationem adfert. Quoniam in conuiuijs homines interdum benè poti, dicaciùs loqui ſolent, & intemperantiùs alios proſcindere, quæ res in rixas & iurgia frequenter erumpit. Id ne fieret, graues homines ænigmata ſeu problemata proponere ſolebant, colloquijs periculoſis omiſſis, & animo ad propoſitarum rerum explicationem conuerſo. Quorum exemplum Sampſon ſecutus, & mercedem propoſuit, qui quæſtionẽ explicaſſet, quaſi ſcientia & mentis acumine affici debeant præmio: pœna contrà eſt conſtituta inſcitiæ & tarditati. Vnde Poëtæ fabulis ſuis prodiderunt Sphingem præmium proponere ſolitum, qui ænigma ſoluiſſet, vt liber dimitteretur; ſin modo defeciſſet, vt ex alta rupe præcipitaretur. Porrò Chriſtus quoque parabularum quarundam inuo-

lucris

[a] *In Apophtegmat.*

Pipini frater Gryphº dictus.

Gryphus Auſtriæ Marchio.

Gryphon Eques.

Grypes nauis pars.

Γρῖφος. γρῖπος. Rete piſcatorium.

[b] *Lib. 7. de polit. liter. c. 89.*

Ænigmata gryphi dicti.

Logogryphi.

[c] *L. 10. c. 17*

Gryphi quę ſtionis definitio.

γρῖπισματα γριφεως

Theodectes Phaſelita.

Μνήμονια.

Symbola Pythagorica gryphi dicta.

Chidot.

Sampſonis ænigma.

[d] *Iudic. 14.*

lucris atque integumentis præcepta multa eaq; præclara,& ad uitam communem vtilia in con uiuijs dedit, quemadmodũ [c] Lucas scribit. Nã κενοδοξίας καὶ φυλοπρωτείας vitiosum affectum parabolis quibusdam,quę Gryphis annumerari possunt,perstringit τῆς ταπεινώσεως διδάσκαλος καὶ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτης, vt Theophylactus eleganter loquitur. Huius argumẽti inter neote ricos Doctiss. quidam librum composuit,de quo canit: [c] Cap. 14.

*Hos centum gryphos quàm paucis lusimus horis.*

Sunt qui inter ænigma & Gryphum nonnihil differre tradunt, quod ænigma lusum tantùm habeat & iocum, Gryphus etiam studium curamq;. Sed multa legenti hæc inanis apparebit diligentia. Ausonius Poëta celeberrimus de ternario numero integrum conscripsit libellum, cuius titulus Gryps est. Circa Danubium in Austria quędam vorago est,Gryps porcina dicta, in qua naues facilè submerguntur. Est demum Gryps fluuius in Gallia. Gryps porcina. Gryps fluuius.

# SYNONIMA.

HEBRAICAM vocem פרס Peres aliqui Gryphem interpretantur,alij Accipitrem. In [a] Deuteronomio inter aues immundas Hebraicè Peres legitur,in translatione LXX. interpretum γρύψ, & sic Procopius quoque habet, & Hieronymus, & similiter in [b] Leuitico. Alij hanc vocem aliter interpretantur,vt suo loco capite de Accipitre in genere declaratum est copiosius. Est,& אזניה Asnyh Hebraicam nomen, apud alios atque alios Accipiter, Haliætus,Gryps. Apud Græcos Γρύψ, γρύπος. Aliqui primam circumflectunt in obliquis, quæ qui dem apud [c] Vergilium longa est. Peres. [a] Deut. 14. [b] Leuit. 11. Asnyh. [c] Eglog. 8.

*Iungentur iam Gryphes equis*

Ego vtroque modo,aliàs cum acuto aliàs cum circumflexo in vetustis Græcorum codicibus scribi reperio. Γρῦπος, uerò per aspirationem Græcè non rectè scribitur. Græci enim multa attenuant,quę à Latinis aspiratè proferuntur. Vnde multi Latinorum cùm veterum,tùm recentiorum Gryphas per ph. scripserunt. Nos utroque modo utemur,etsi absque aspiratione Grypem scribi magis placeat. Baptista Mantuanus nominatiuo Gryphis utitur: Γρυφος.

*Multicolor pardus & Gryphis naribus uncis.*

Nisi fortè Gryphus legendum est, neque enim desunt, qui Gryphum scribunt in secunda declinatione,quanquàm hos nõ admodum probârim,multò minus illos, qui Gryphones in tertia. Gryphi autem nomen Græcè impositum uidetur à rostri & unguium aduncitate, qua Aquilam referre dicitur. Grypum enim Græci aduncum uocant. Hoscè eosdem Picos ueteribus dictos uolunt,quo [d] Plautus utitur,dum seruum inuẽto thesauro loquentẽ introducit: Etymũ nominis. Pici q Græcè dicti. [d] In Aulularia.

——*Picos, qui aureos montes incolunt.*
*Ego solus supero. Nam istos reges cæteros*
*Memorare nolo, hominum mendicabula.*

Apud reliquas gentes nullum huic aui peculiare nomen reperitur, sed omnes penè usitato Græcis nomine Gryphem appellant. Huius rei causam Ornithologus esse uult, quòd res ipsa fabulosa sit,& commentitia. Cur enim,quærit,rei nusquam uisę,aut nunquam extanti,aut certè in ipsorum regionibus nusquam nomen indere homines uoluissent? Nam quod Græcorum uanitas nomen imposuerit, miram esse negat, quę centauros & Sphynges etiam & alia huiusmodi nomina confinxerint. Verùm ut hoc ita sit,nempè nomina rebus imponi, & ubi res nulla subsit,nominis fingendi causam,ut & subiectum & fundamentũ deesse (quanquam de rei ueritate proximo capite quid sit statuendum disceptabimus.) [e] Iohannes tamen Goropius Becanus hoc nomen Grypis non Græcis, utpotè qui eiusdem rationem nullam queant è suis radicibus depromere,sed suis Cymbris(ut solet) acceptum refert,& aliâ causam, cur omnibus propè gentibus eodem nomine ueniat,adfert. Verba eius sunt. *Grypes Arimaspos deterrent, quo minus frequenter ad Hyperboreos proficiscantur. Fuit enim hæc pars à feris hominibus, & immanissimis barbaris semper inhabitata,quos à rapacitate Scythæ Gryphes nominant. Nam Grypen nostra lingua idem est quod rapax & rapere. Hinc Gryps auis rapax,quam eadem voce Greci & Latini appellant,propterea quod non alibi quàm ad Septentrionem apud Scythas reperiri putaretur; ea de causa Scythicum non Græcum nomen sortita,quia res peregrinas par est peregrino quoque nomine vocare. Grypenim Scythica vox vocali longa idem notat,quod rapio.* Hęc ille. Illyrica tamẽ lingua uocabulũ uariat, licet sola, Grypem Nob appellãs. Græcis hodie uulgò dicitur γρυπίς. Italis & Gallis Gryphon uel Griffon,& à nomine Itali griffare formant pro eripere,seu unguibus auferre, Bocatius: *tu te la griffarai.* Arioste quoq; uocatur Augello quadrupede. Germanis Gryff,uel Greiff. Anglis à Grype uel Gryffon. Belgis Vogelgrijp. tanquam si auem rapacem dicant. [e] In Origin. Antuerp. Grypen quid Cymbris. Nob. Γρυπίς. Gryphon. Griffon. Gryff. Greyff. Grype. Vogelgrijp

# AN SIT, QVÆRITVR.

IPSOLENS hæc est quæstio, nec hactenus de vlla aue proposita, nedum pertractata. Illarum enim, quòd in rerum natura subsistere nulla ratione dubitantur, statim à nomenclaturis naturam & genus examinare solemus. Hîc verò in re incerta & obscura, & contrarijs hinc inde sententijs enodata, meritò quęstioni, quę omnium prima perpetuò à Philosophis, si qua de re agãt, methodo pertractari solet, primus locus datur. Ea est, num res, de qua sermonem habemus, in rerum natura extet. Hãc enim vocant, An sit, tritò in scholis termino. Quęstionem igitur hanc discussuri primùm affirmantium, inde negantium rationes adducemus, demum vtrisq; æqua lance libratis & examinatis nostram sententiam in medium proponemus, & testimonijs ac rationibus comprobabimus. Qui Gryphes esse asseuerant, non pauci sunt, nec leues. Ex veteribus & quidem Græcis, sunt Herodotus, Pausanias, Ctesias, Aelianus. Ex Latinis Pomponius Mela, Solinus, Apuleius, Seruius. Ex neotericis Iohãnes de Mõteuilla. Herodotus in primis in historijs Poëta, Gryphes, qui aurum asseruant supra Arimaspos viros vnóculos colere ait ex sententia Aristæi Proconesij Poëtæ.[a] Ctesias sit habet: *Aurum habet India, sed quod non reperitur in fluuijs & ablutis, vt fit in flumine Pactolo, sed multi & spacioſi montes id ſuggerũt, quos incolunt Gryphes, aues quadrupedes, lupi magnitudine, cruribus & vnguibus leoninis, qui pẽnas in pectore rubras; in reliquo corpore nigras habent.* Similia etiam[b] Aelianus refert cum Ctesia, *qui eos propè Bactros esse* ait, *& alas à cætero corpore diuersas*, nempè albicantes habere. Cum Herodoto consensit[c] Mela, item & Pausanias, Eundem, quem ipse Herodotus fabularũ patronum Proconesium secutus: vt & [d] Solinus confirmat, dum ait: *In Asiatica Scythia terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen. Ita tamẽ auro & gẽmis affluãt, Gryphes tenent uniuersa, alites ferociſſimæ, & vltra rabiẽ sæuientes* &c. Et paulò pòst: *Arimaſpi cum his dimicant.* Hoc tamen author hic ab Herodoto, & Mela dissentit, quod Arimaspos in Asiatica Scythia collocet, quos illi ad Europęos referunt supra Issedones ad Riphęos aut Hyperboreos montes habitare. Apuleius cum Solino conuenit, alitis speciem tantùm gerere asserens, sed de loco non item, etsi Hyperboreos appellet, mundum nouum eos generare tradens: verba eius quia pauca sunt, lubet etiam apponere *colore vario circumnotatis inſignibar animalibus, hinc dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei, quos in ſpeciem pinnatæ alitis generat mundus alter.* Hos sequitur[e] Seruius Virgilij Scholiastes. Inter Neotericos[f] Ioannes de Mandauilla, Bachariam regionem vocat, cuius incolæ truces admodum sint, immanes atque efferæ, hîc Gryphes dari affirmans, hunc ferè in modum ex Italico sermone latinè facto loquitur: Qui Gryphibus anteriorẽ corporis formam Aquilinam tribuunt, & posteriorem leoninam, vera memorant, cùm reuera talis eorum forma sit: veruntamen vnicus duntaxat Gryps & magnitudine & corporis robore octo etiam leones centumq; Aquilas superat, vtpotè qui uel equum, vnà cum insidente etiam equite, vel binos simul coniunctos boues vnguibus suis, qui boũ cornibus multò longiores sunt, & ex quibus incolæ cyathos conficiunt, abripiens è uia in nidum suum importet. Hanc formam passim quoque Grypho Poëtæ neoterici tribuunt, vt[g] Baptista Mantuanus, cuius uersus etiam hîc subijcere non piguit.

*Aſt alijs Gryphes latè bipatentibus alis,*
*Et iugulo ſeſe in roſtrum tollente recuruum,*
*Nam Gryps eſt animal duplex Aquilamq; figurat*
*Pars prior: in Lybicum tranſit poſtrema Leonem.*

Hi omnes uno ore Gryphem, eumq; auem quadrupedem maiori ex parte, & aurum Scythicum siue Indicum effossum custodire, tanquam rem veram & compertam affirmant, etsi interim diuersam magnitudinẽ ei tribuant. Hisce ex diametro sese opponunt non minus graues ex antiquis, si Dijs placet, Herodotus, Origenes, Plinius; ex recentioribus Angelus Decembrius, Matthias Michouius.[h] Plinius quidem ita Gryphos negare solet: vt non solùm fabulosos esse existimet, verùm etiam vt leuissimos & penè phreneticos appellet, qui eos in rerum natura ponant. Sic[i] Herodotus è contra, vt suprà nec ipse videtur omnem Gryphis fidem adhibere; dum ait. *Ad ſcpientrionem Europæ, quamplurimam auri vim esse conſtat, ſed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo: dicuntur tamen id à Gryphis auferre Arimaſpi, vnoculi quod nec ipſum crediderim, vt viri naſcantur vnoculi, cætera naturam habentes hominibus parem.*[k] Origenes verò Adamantius grauis Theologus ita pertinaciter Gryphem extare negat, vt etiam Mosen non satis reuerenter reprehendere ausus sit, dum, vt ipse opinatur, inter immunda animalia eum collocat. Ita enim scribit: *Gryphum, quem nullus vnquam meminit, vel audiuit humanis animis ſuccumbere manducari prohibet Moſes in*[l] *Leuitico.* Inter Neotericos fide dignos recensendus est[m] Matthias Michouius, qui non solùm Gryphes, sed & aurum in extremo Aquilone, montes deniq;

[a] *In Persicis.*
[b] *L. 14. c. 11*
[c] *Li. 2. c. 1.*
[d] *cap. 25.*
[e] *In glog. 7. Aen. 166.*
[f] *Lib. 10. c. 49*
[g] *L. 4. Agelarior.*
[h] *In Thalia.*
[i] *Lib. 4. de Princ.*
[k] *Cap. 11.*
[l] *In Serm. Aſiana.*

deniq; ipſos Hyperboreos ſeu Riphæos, quos vocant, reperiri negat. *Ad extremum Septẽtrionem Riphæos & Hyperboreos montes aliqui poſuerunt, quos illic nullos eſſe experientia conſtat. Quin etiam in Iuhra monte, & locis Septentrionis non effoditur aurum, argentum, nec alia metalla, nec inueniuntur illi Gryphi & magnæ Aues prohibentes effodere & efferre aurum. Ego ſanè contra veteres authores Gryphos nec in illa Septentrionis nec in alijs orbis partibus inueniri affirmárim.* Negat eoſdem etiam, vt dixi, [n] Angelus Decembrius, ſed modeſtè admodum, hunc in modum ſcribens: *Quin etiam ego de Gryphibus interdum dubitare ſoleo, quemadmodum tu Guarine pridem de Romana pyramide diſputabas: nam cum à Vergilio pro inimicis equorum ponantur (ita enim communis fert opinio) & Seruius eodem loco ipſorum animalium biformem effigiem planè commemoret, à Plinio tamen ita denegari ſolent, vt leuiſſimos ac penè phreneticos appellet, qui in rerum natura Gryphes appellentur. Quod mirum eſt in Plinio Gryphes negari, cùm à Marone eos recitatos videmus; niſi Poëticè fortè ad vulgarem opinionem loquutum arbitremur. Tum Nicolaus Trozza. At ego magis nõnulla negauerim, ipſo etiã Plinio maximè aſſeuerante.*

[n] *Lib. 6. de Polic. liter. cap. 68.*

Sed quid dicet quiſpiam; an ergo nullum extare Gryphum ſtatuendum eſt? Ego inter extremè diſſidentes has authorum opiniones media, vtpotè tutiſſima, via incedendum arbitror. Itaque cum maiore & ſaniore huius ętatis, vt & ſuperioris ſcriptorum parte, ita cenſeo, rectè ſentire Plinium, qui hanc auem fabuloſam eſſe credit, eumq; nos ſequi poſſe, ſed ea conditione, vt optimè decernit doctiſs. Goropius, ſi tali corpore, quali pingitur & fingitur, eſſe dicatur. Quod enim auem ex eo faciunt quadrupedem, capite Aquilino, aurito, cætera leoni ſimilem, alatam, id monſtri & Chymeræ ſimile eſt, atque à pueris ipſis, & mulierculis etiam exploſum; Sed ſi Gryphos fabuloſos credimus, cur ſacra ſcriptura inter immunda animalia eos recenſet? Verùm in textu [o] Hebraico vox Peres legitur, quæ variè, vt in Synonimis dixi, exponi poteſt, atque aut pro Haliæto ſeu Aquila marina, aut pro Accipitre ſeu rapace quapiam aue inſigni accipi. Septuaginta interpretes pro ea Grypem verterunt Græcè. Ex quo colligitur hanc ipſam vocem, tanquam quæ auem quampiam ex Aquilis rapacem deſignaret, habuiſſe eos ac poſuiſſe, cùm reuerà, etymique ratione Græcis non aliud quàm curuiroſtram, Germanis verò Scythiſuè, apud quos & res ipſa eſſe & putabatur & nomen confictum veriſimile eſt, etiã rapacẽ auem ſignificet. Vnde immeritò Origenes in Moyſen inuehitur, vtpotè qui rem nuſquam extantem Iudęis in cibum venire fruſtrà, vt ipſe autumabat, vetuerit. Non enim Moyſes, ſed LXX. interpretes tantùm Gryphem habent, vbi Moyſen rapacem quampiam, & præſertim ex maioribus, aut Aquilam aut Vulturem intellexiſſe credibile eſt. Quamobrem profectò, ſi auem vllam in rerum naturâ, quæ hoc nomine digna ſit, aut venire debeat, ponendam ducimus, eam Aquilæ aut Vulturis maximum quoddam & rarum genus eſſe iudicârim, quæ ob inuſitatam magnitudinem, ob inauditum robur, vana, multa, & abſurda de ſe fabulandi veræ naturalis hiſtoriæ ignaris occaſionem dederit. Gryphes enim quadrupedes, vt Albertus quoque aduertit, ab Hiſtoricis potiùs, & Poëtis, quàm Philoſophis, & rerum naturę peritis, memorantur. Aues verò bipedes, Aquilis ſimiles, immenſæ molis & roboris, non vna orbis plaga reperiri iam iam oſtendemus. Patrum noſtrorum memoria, imò ætate noſtra Rex Aethyopum literas Hebraicè ſcriptas ad ſummum Pontificem dedit, quarum etiam copia apud Hiſtoricos quoſdam eius temporis extat, quibus S. D. N. P. M. uniuerſæ atque adeò ſuæ Eccleſiæ caput agnoſcens ac veneratus aues refert in ſua Aethyopia tantæ magnitudinis reperiri, ut pedibus bouem, vel equum integrum abreptum cibandis pullis deferant. [p] Paulus Venetus de ſimili quadam aue, quam Ruc appellat, in hæc verba ſcribit. *Vltra Madaigaſcar maximam & ditiſſimam inſulam, aliæ quadam inſulæ ſunt, quæ propter velociſſimum maris curſum difficillimè adiri poſſunt. In his certo anni tẽpore apparet mirabilis ſpecies auis, quæ Ruc appellatur, Aquilæ quidem effigie, ſed magnitudine immenſa. Aiunt, qui illas viderunt Aues, pleraſq; alarum pennas longas eſſe paſſus duodecim, ea craſſitie, quæ longitudinis menſuræ conueniat. Auem tanti roboris eſſe, vt ſola, ſine aliquo adminiculo elephantem capiat, & in ſublime raptum rurſum ad terram labi ſinat, quo carnibus eius veſci poſſit. Ego cùm primùm hac de illa Aue audiſſem, putabam eſſe Gryphum, qui pennatus & quadrupes eſſe fertur, leoni omni ex parte ſimilis, niſi quod Aquilæ faciem haberet ſimilem. Sed hi, qui illas viderunt, conſtanter aſſerebant, nihil illis cõmune eſſe cum vlla beſtia, & quod duobus, vt reliquæ aues incederent pedibus.* Hactenus ille. His non abſimilia hac ętate, qui noui orbis res deſcribunt, tradunt & fidem rebus, etſi in primis incredibiles appareant, adhibent. Inter cęteros eſt Ioannes Boterus, qui Perù octiduo regno Vultures ea magnitudine reperiri refert, vt alis expanſis decem & octo dodrantes latitudine expleant. Quod verò ad Septentrionales orbis oras attinet, quas Gryphorum ſedes eſſe uoluit fabuloſa antiquitas, conſtat multorum fide dignorum authorum teſtimonio, inter quos ſunt Matthias Michouius, Sigiſmundus Baro, Ioannes Laurentius Ananias, apud Moſcouitas aues naſci Aquilis ſimiles, ſed maiores, Kreutzet illis, Polonis Bialozar dictas, quę auibus omnibus corporis immanitate, audacia, feritate, terrorem incutiant. Harum

[o] *Leuit. 11.*

[p] *In lib. 3. cap. 40.*

Quomodo Gryps negandus.

Origenes reprehenſus.

Quæ Auis Gryphis nomine intelligenda.

Aquilæ maximęboues abripiẽtes.

Ruc auis.

Vultures incredibili magnitudine.

Aues Aquilis ſimilis, ſed maiores.

Kretzet.

Bialozar.

immenſa moles,cùm naturalem & communem reliquarum, atque adeò cùm ipſam fidem propè ſuperet,cauſam nonnulli in aſtra reijciunt, & in genitalem vim quandam peculiarem, ac quàm in alijs locis vberiorẽ,qua fit vt pleriq; illic orta animantia,corpulentiora ſint,& grandiora. Pari pacto [9] Raſis medicus Arabum celeberrimus in oppoſita Septentrioni parte, nempe in regionibus ab æquatore meridiẽ uerſus (alij .n. in India, alij in Riphæis Grypẽ inueniri volunt) animalia omnia cùm corpore maiora,tùm ferociora, ac admiranda magis gigni tradit;exempli gratia,elephantos,rhinocerotes,auis præterea quoddam genus maximum, quod ipſe Ancham,neſcio,qua lingua vocat,ex cuius alarum pẽnis pharetras fieri condendis ſagittis perhibent,& ex vnguibus vaſa potoria. Hæc tamen nõ ideò adfero,vt omnibus fidem adhiberi velim,ſed in hunc tantummodò finem,vt lector videat, quàm aues inaudita & prodigioſa,magnitudine reuera nonnunquam in extremis & incognitis nobis orbis angulis reperiantur,quarum etſi non ſatis nobis perſpecta eſt,attamen non omnino fabuloſa, & quæ cum veritate ſtare poſſit,hiſtoria. Etenim cum doctiſſimo Becano temerarium eſſe puto,iudicare in rerum natura non eſſe,quod ætas noſtra nondum vidit. Alioquin fidei ſuſpectæ eſſe non inficior,quod Rhaſis pocula ex vnguibus auium ſuarum fieri perhibet. Refert Goropius Reginam Hungariæ Mariam Caroli V. Cæſaris ſororem,cuius ipſe Medicus fuit, inter pocula ſua habuiſſe cornu quoddam nigredine ſplendens,dodrante longius, quod aiebant vnguem eſſe Gryphis,quamuis ipſe ex cornu aliquo fictitium fuiſſe exiſtimet. Ita quoque Ornithologus ſe vidiſſe ſcribit apud aurifabrum Tiguri cornu nigrum,leue & in ſummo aduncum, ferè vt in rupicapri-, triplo fortè craſſius,cuius labris argentum introducturus erat,vt pro poculo menſis adhiberetur,dicens ſe illud pro vngue Gryphis accepiſſe. Verùm id fortè bouis alicuius peregrini,vt quem Indicum vocant, aut bubali cornu fuiſſe idem iudicat. Lutetiæ Pariſiorum in ſacello Palatij Regij videre eſt pedem ingentem ex altiſſima fornice ſuſpenſum,tanta magnitudine; vt ſi animal pro ratione eius fingeretur,facilè poſſet credi,quod dici ſolet,vel maximũ equum ab eo ſublimem rapi. Verùm eum quidem falſum eſſe ſuſpicantur, & ex ligno artificiosè confectum. Sacerdotes eius ſacelli è Rhodo allatum aſſeruut, à quodã Rhodio equite. Quod autem quadrupedem pingunt corpore poſtico leonino,id nec cũ hoc pede, nec cum rerum natura conſentit,vti nec illud, quod extremis aquilonaris oræ montibus aurum effoſſum ſumma cura obſeruare eos comminiſcũtur. Nam quotquot earum regionum hiſtoriam hodie veriorem conſcribere auſi ſunt,conſtanter uno omnes ore negant vel ullum illic loci argentum aut aurum aut pretioſorum metallorum venas reperiri, ſed uiliora tantummodò, cuiuſmodi ſunt æs,plumbum,ferrum. Mendacium inter cætera coarguit authorum diſſenſio. Alij enim leoni, alij lupo magnitudine parem faciunt. Monteuillanus uerò hyperbolicè,& enormi mendacio, enormen ei corporis molem, octo nimirum leonibus maiorem aſcribit. Quapropter hunc Gryphem monſtroſum ſtatuere, niſi à ueritate etiam deſciſcamus, omnino non poſſumus,niſi hoc uocamine uolucrem quampiam uel Aquilę, uel Vulturi ſimilem, licet inuſitata magnitudine,nuncupemus. Quod facere nos poſſe non uno ueterum exemplo, ſed & recentiorum aliquo monſtrabimus. Varinus Gryphes inter cętera, inquit genus eſſe animantis uolucris quod γυπον, id eſt, Vulturem uocant, & Γρυπας Heſychio etiam Vulturum nidi dicuntur.[r] Ariſtophanis interpres γρυπαμήτας exponit, peregrina ſcuti inſignia; *Aquilas enim*, inquit, *ſolebant in ſcutis pingere*. [s] Heliodorus memorię prodidit Perſinam boum armenta,& equorum & ouium, Coturnicum,& Grypum præmiſiſſe greges, partim ut ex unoquoq; horum hecatomben adornaret, partim ut populum inde aleret. Hos Gryphes Aquilas fuiſſe ueriſimile eſt,quas ad Hecatomben Regum & Imperatorum adhiberi ſolere in Aquilę hiſtoria prolixè oſtendimus. Conſcripſit itinerarium Iudęus quidam nomine Beniamin Tudelenſis Hiſpanus ante annos quadringentos,quod à Doctiſs. Theologo. B. Aria Montano ex Hebraico idiomate in latinum conuerſum eſt. In hoc ab inſulis Cheſil in Sinarum regionem, per fretum alioquin æſtuoſiſſimum, ita ut nauigando ſuperari interdum non poſſit, commeandi inter cętera rationem profectò miram exponit,& ſimul uaſtarum quarũdam eius loci auium, quas Grypes vocat,naturã & fortitudinẽ,quarũ ſcilicet ope & induſtria tranſportati homines mare traijciant,aperit. Verba eius ſunt. Ab inſulis Chenerag quadraginta dierum nauigatio ſuſcipitur tranſire volentibus in regionem Sin, quę pars Orientalis eſt. Sunt uerò qui dicant mare illud,quò iter ſuſcipitur, eſſe mare exciſum, ſeu fretum interdum æſtuoſiſſimum, aſtro Cheſil ſubiectum (quod Orion eſt nobis) cuius ui tantus nonnunquam excitatur uentus, ut nulli mortalium nauigando ſuperari poſſit aut effugi. Intrudit enim nauigia in ipſas maris anguſtias, unde extricari & effugere non poſſunt, herẽtq; diutius, quoad comeatu omni abſumpto homines pereant, neque uerò rarò hoc modo naues periclitantur: Verùm huic incommodo hominum induſtria proſpectum eſt,atque euadendi ratio eſt inuenta,quam agnoſcere non

[9] *Li.6o. de Anib. c.39.*

Ancha auis Vaſa ex vnguibus Anchæ auis.

Pocula ex vngue gryphis habita.

Pes gryphis creditus.

Quæ auis gryps iudicari poſſit.

Γρυπας quid.

[r] *In Ranis.*

[s] *Lib.10.* Perſinę Hecatombe.

Inſula Chenerag.

non fuerit iniucundum. Sic autem res habet. Boum coria integra quamplurima in nauibus imponunt, nauigantium hominum numero paria: qui cùm vento acti in illas anguſtias intruduntur, ſinguli ſingula ſubeunt, atq; collo introrſum complicato ita colligant, ut aquæ aditus obcludatur, tum ſeſe rotantes & mouentes in mare è nauigio deicijunt, quos cũ maximę Aquilæ illis regionibus familiares, Gryphes dictæ, proſpiciunt, boues aut animalia eſſe putantes, aduolantes eripiunt, atque in aridam aſportant, tum verò depoſitis in valle, vel monte incumbũt, vt ipſis diſruptis paſcantur. Verùm oportuna celeritate vſus, qui intra corium includitur homo, feram ipſam gladio confoſſam vulnerat, atque occidit; & hoc pacto complures euadunt. Ex hiſce, vt vt res ſeſe habeat, ſaltem hoc licet colligere, maximas certè Aquilas & his ſimiles alites Gryphes aliquando dictas eſſe & harum ratione Gryphes reuerà reperiri affirmari poſſe, ſecus verò minimè.

# FORMA.

GRYPHIS illius fabuloſi forma, quæ ipſi à vereribus affingitur, talis eſt. Magnitudinem ei tribuit [a] Philoſtratus leoni parem; Cteſias Lupo. Antica parte, capite, roſtro, alis & pedibus Aquilam referre aiunt, poſterius verò & reliquo corpore leonem. [a] *In vita Apoll. lib. 3*

*Nam Gryps eſt animal duplex Aquilamq; figurat,*

vt inquit Bapt. Mantuanus. Iohannes de Monteuilla aliorum mendacijs non contentus, corpus magni Gryphi maius eſſe octo leonibus regionum noſtrarum ſcribit. Reliquas partes [b] Aelianus ex antiquorum traditione deſcribit in hæc verba: *Gryphem Indicum animal audio ſimiliter quadrupedem vt leonem eſſe; robuſtiſſimis item exiſtere vnguibus leonum ſimilibus, tum dorſum eius pennis indui nigris anteriorem corporis partem rubris: alas verò candidis: Cteſias ait ceruicis eos pennas caruleas & floridas habere. Aquilino ore eſſe & capite, cuiuſmodi pictores pingunt, oculis autem igneis.* [c] Plinius *volucres auritas habitas* teſtatur. [d] Pauſanias *maculas inſtar Pantherarũ ineſſe ait.* In Aquilinis quidem pedibus longos habere vngues; in Leoninis verò breues, atque hinc eſſe ſcribit Albertus, quòd alij longos, alij breues Gryphis vngues inueniri putârint. [b] *L. 4. c. 27.* [c] *L. 10. c. 49* [d] *In Arcad.*

# VOLATVS.

VOLANT, vt inquit [a] Philoſtratus, *non multum, ſed quantum paruulæ aues. Non enim pennatæ ſunt. ſed rubra pellicula alarum coſta tanquam digiti* (animalium ſcilicet ſteganopodũ more) *connectuntur. Itaque in gyrũ delatæ Grypes aliquantulũ volare, & ita è ſublimi pugnare poſſint.* Verùm alas eum habere inſtar Aquilarum antè ex alijs meminimus; vnde etiam quis commentum facilè agnoſcet. Quantopere enim differant Aquilinæ alæ ab his Philoſtrati membraneis, vnuſquiſque videt, adeò vt hanc vel ſtupiditatem vel audaciam admireris, qui tam enormia & à ſe inuicem diſſidentia de vna eademq; re prodiderunt. Alij non volare Gryphum, ſed velociſſimo eſſe curſu aiunt, adeò vt homo quantumuis citatis paſſibus currens, ne vim quidem pedetentim incedentis ac perſequentis poſſit effugere. Tigridem ſolùm aſſequi poſſe negant. [a] *Lib. 3. de Apoll. vita.*

# LOCVS.

MONTES Riphæos ſeu Hyperboreos inacceſſos haud procul ab ipſo Aquilonis, vt fabulantur, exortu ſitos in Scythia Aſiatica, quam Arimaſpi habitant, terra locuplete quidem, ſed deſerta, extremoq; Septentrioni ſubiecta, Hyperborei, ſeu Riphæi montes vbi.

*Hos habitant Gryphes, pecus attingentibus aurum.*
*Infeſtum &c.*

Vnde & [a] Claudianus.

*Gryphes hyperborei pondera fulua ſoli,*

appellat. Cteſias ab [a] Aeliano citatus apud Indos & quidem Bactrianos, eos etiam reperiri comminiſcitur. Maior tamen ſcriptorum pars in Aquilone locat, vnde & [b] Apuleius hyperboreos vocat: *Hinc dracones Indici, inde Gryphes hyperborei, quos in ſpeciem pinnatæ altis generat mundus alter.* [a] *L. 4. c. 27.* [b] *Lib. 11. de Aſin. aur.*

## GENERATIO.

NIDVM conſtruere dicuntur Gryphes in altiſſimis montibus, atque ex auro, quod è terra effoderint, ſi Cteſię credamus, in commodam formam cõgeſto. [a] Nec defuit è recentioribus nugiuenda [a] Bartholomęus nomine Anglicus, qui etiam ouorum numerum & conditionem deſcribere non fuit veritus; in hæc verba. *Oua Gryphis ouis Aquilæ ſunt maiora, duriora, ſapore & odore grauiore, qualitate ſunt calidiora, & ſicciora, atque etiam numero pauciora, quia vltra duo nunquam ponit, eſt enim difficilis incubationis.* Imò hãc in rem audet Ariſtotelem citare teſtem, tanquam ſi is vnquam Gryphis meminiſſet. Aut ſi fortè ex Aquila, de qua ſimilia Ariſtoteles prodidit, Gryphem fecit, cur huius oua Aquilinis tanquam ab his diuerſis maiora prodidit?

[a] *L.19.c.94*

Oua Gryphis.

## INGENIVM. FERITAS.

[a] SOLINVS author eſt, *In Aſiatica Scythia terras eſſe locupletes, inhabitabiles tamen: nam cùm auro & gemmis affluant, Gryphes tenere vniuerſa, alites ferociſſimas & vltra omnem rabiem ſæuientes, quarum immanitate obſiſtente aduenis acceſſus difficilis ac rarus ſit. Quippè viſos diſcerpere, velut genitos ad plectendam auaritiæ temeritatem.* Nam à ſe effoſſum, & è cuniculis erutum

*——hyperboreis rutilans in montibus aurum*
*Gryphes amant auidiq; tenent, vigilesq; tenentur,*

vt ait Mantuanus. Hoc ipſum verò aurum, quod effodere dicuntur, teſte Philoſtrato, petræ ſunt aureis guttis minutiſſimis conſperſæ, quas hæ feræ roſtro diſcindũt, imò ob harum cupiditatem ſibi inuicem inſidiantur. Cum his Arimaſpos viros vnoculos dimicare, eſſeq; internecinum inter vtroſque odium ferunt, vt dum Arimaſpi ex montibus illis aurum gemmaſq; ſuffurari, Gryphes ſumma auiditate tutari, illuc contendunt. Hac de re [b] Aelianum tractantem audiamus, qui hunc in modum ſcribit: *Bactri Indis finitimi eos illic*, (nempè apud Indos, ne quis in ſolo Septentrione Gryphes & aureos montes imaginetur) *auri cuſtodes eſſe, aurum effodere aiunt, & ſimul eo ipſo nidos conſtruere; quod verò auri in terram decideriſ, Indos homines auferre. Contrà Indi eos auri, quod veri quidem ſimile videtur, cuſtodes eſſe negant, neque enim Gryphes auri egere, at contra ipſos, cùm ad colligendum aurum homines acceſſerunt; hos de pullis ſuis maiorem in modum ſolicitos ac timentes, pro eis pugnare, atque cum alijs etiam animalibus cõcertare, eaq; funditus vincere. Contra autem leones & elephantos non ſtare. Indigenæ quod ab huiuſmodi animalium robore timeãt, non interdiu, ſed ad collectionem auri noctu proficiſci, quòd ſe tum melius latere arbitrentur. Locus vbi Gryphes verſantur deſertiſſimus eſt. Quocirca aurum, quod ibi effoditur, venari ſtudentes, mille aut bis mille armati eò perueniunt, ſimulq; foſſoria & ſaccos afferunt, ſilentem Lunam obſeruantes. Quod ſi Gryphes fallant, duplex commodum aſſequuntur, quòd & eorum vita ab illorum atrocitate ſeruetur, & quòd etiam aurum Indi domum aufferunt. Sin in furto deprehenduntur, pereunt. Cùm ſemel eò profecti ſunt, domum non niſi triẽnij aut quatriẽnij interuallo reuertuntur.* Hucuſq; Aelianus: qui quidem in hoc ab alijs diſſentit, quòd Gryphes contra leones & elephantos ſtare neget. [c] Philoſtratus enim. è contrà eos *ſuperare elephantes & dracones* aſſerit, *omniaq; alia animalia præter tygridem, quæ ob velocitatem euadat.* Sæuum enim, pertinax ferarum genus & ſupra omnem rabiem ferociens alijs narratur, tanto præditum robore, vt quod Ioannes de Monteuilla ſcribit, bouem, equum cum homine etiam inſidente, quem occidit, pleno volatu auferat.

Aurum à Gryphibus effoſsũ qua le fuerit.

Arimaſporum cum Gryphibus pugna.

[b] *L.4.c.27.*

[c] *L.3.in vita Apoll.*

## ANTIPATHEIA.

GRYPHES equis præ cæteris animalibus peculiari quodam odio infeſtos eſſe rumor eſt. Vnde [a] Vergilius rem miram & naturæ conſuetudinem ſuperantẽ allaturus, inquit:

*Jungentur iam Gryphes equis, auoq; ſequenti*
*Cum canibus timidæ venient ad pabula Damæ.*

Et hunc imitatus [b] Bapt. pariter Mantuanus:

*Innoluit ſors vna omnes diſcrimine nullo,*
*Gryphes equi, damæ atque canes, cerui atque leones,*
*Agna lupus, ſimul errabant &c.*

[a] *Eglog.8.*

[b] *L.3.de calamit. temporum.*

# DENOMINATA.

DEANDER Monachus, qui Italiam descripsit, Perusium Scythica lingua Griffoniam vocatam tradit, ab insigni Gryphis, quod Scytæ eò aduenientes primùm secum attulerunt. Griffonum item familias dictas puto, uel à notis, vel ab ingenio Grypum, vel à nasi aduucitate, quemadmodum huiusmodi nare curuos Grypas olim, ut Anthiochum Syriæ Regem, teste Possidonio, & Cyrum Persarum veteres dixêre. Cuius nominis familias & noui ipse in nostra Italia multas, & extat vna, vbi hæc conscribimus, Bononiæ familia satis nobilis Pistorio oriunda, in qua in primis humanitatis ac munificentiæ plenus fuit Iosephus, qui Lucretiã Aldrouandam sororem meam uxorem habuit, & ex ea Iulianum & Alexandrũ iuris vtriusq; Doctorem procreauit. Porrò Gryphes nominantur homines barbari, chlamides, & pallia ex auium plumis induti, sed non ob vestitum tantummodò ita dicti sunt, sed ob celeritatem etiam, qua cæteras gentes longè superant. Syluestres boues epigrypos dicunt Græci, id est, rictu leniter adunco.

Griffonia vrbs.
Griffonum familiæ vnde dictæ.
Antiochus Syriæ Rex Gryps dictus.
Homines Barbari Grypes dicti.
Epigrypi boues.

# MORALIA.

DIVVS [a] Hier. *montes aurei*, inquit, *quos adire propter Gryphes, & Dracones, & immensorum corporum monstra non licet, & hominibus impossibile est, ostendunt nobis, quales custodes habeat auaritia.* Possunt sanè hac ratione auari Gryphis nõ inscitè comparari, quòd quemadmodum hi auro non utũtur, alios tamen ab eius vsu arcent, suntq; attingẽtibus infesti, ita & illi pecuniam, qua ipsi non fruuntur, alijs inuident, hoc Gryphis peiores, quòd insatiabili auri cupiditate flagrent, id solummodò & toto studio agentes, ut quod congesserint ampliori cumulo augeant. Gryphes enim tantùm ea de causa aurum sibi eripi non patiuntur, quòd eius intuitu summoperè delectentur. Vnde [b] Cassiodorus: *Gryphes aurum leguntur iugiter effodere, atque eius inspectione gaudere, quibus quoniam non est ambitus lucri, cupiditatis crimine non dicuntur accendi, scilicet quia omnis actus in qualitate propositi est, & non est vituperandum quòd nulla fuerit voluntate lasciuum.* Quæ omnia egregiè [c] Baptista Mantuanus uersibus istis complexus est in descriptione phi-largiriæ, quæ:

[a] *Epist. 4. ad Rustic. Monach. de forma viuẽdi.*
Auari Gryphis comparati.
[b] *Lib. 9. Variar. lect.*
[c] *Lib. 1. de calam. tẽp.*

——*lucri si nuntia fama*
*Surgat, & acceptus nares odor imbuat auri,*
*Elcuat ingentes alas, & lumine fixo,*
*Visa potens quicquid falcatis unguibus aufert.*
*Stulta suos nunquam venturum seruat in usus,*
*Sacra Deum, sanctas leges præclaraq; gesta*
*Scriptores rerum egregios, celebresq; Poëtas,*
*Qui procerum laudes chartis, & nomina mandant,*
*Et quicquid non auget opes, auersa repellit,*
*Sola iuuant, quæ lucra ferunt, sint cætera quanquam*
*Laudibus & pretio dignissima; cætera sordent.*
*Sicut hyperboreis rutilans in vallibus aurum*
*Gryphes amant, auidiq; tenent vigilesq; tuentur.*
*Vnde nec vtilitas operæ, præciumue laboris,*
*Sed metus & clades oritur, sic pectus anhelum*
*Peruigilis monstri grauiore cupidinis æstu*
*Feruet opus cumulans, quas olim prodigus hæres*
*Dissipet, & pingues ferat in conuiuia mensas.*

Hinc [d] Dantes currum in medio sexillorum animalium, de quibus Ezechiel, & D. Ioannes scribunt, apparuisse canit, cui Gryps succederet, eius uidelicet symbolo Iesum Christum intelligens, qui huic animali (si animal Gryps dicendus est) egregiè comparatur, quòd quemadmodum in eo binæ, auis uidelicet, & quadrupedis, formæ sunt, ita etiam Christus diuina & humana substantia constet. Versus Dantis sunt:

[d] *In Purgat. cant. 29.*
Christus cur Gryphis similis.

*Lo spatio dentr'à lor quattro contenne,*
*Vn carro in sù due rote trionfale,*
*Che al collo d'vn Grifon tirato venne.*
*Et esso tenea sù l'vna e l'altr'ale*

Tra

*T'ra la mezzana e le tre, e tre liſte;*
*Si ch'à nulla fendendo facea male,*
*Tanto ſaliuan, che non eran viſte,*
*Le membra d'oro hauea quant'era vccello,*
*Et bianche, l'altre di vermiglio miſte.*

D. Hieronymus è Gryphis forma ſummi & ſapientiſſimi creatoris laudandi anſam captat, cùm aduerſus Pelagianos hæreticos in hæc verba ſcribit: *Elephanti tantæ molis in ſua grauitate cauſentur, cur quatuor pedibus incedant, cùm muſcæ culicesq; & cætera huiuſmodi animantia ſub pennulis ſenos pedes habeant, & aliqui vermiculi ſint, qui tantis pedibus ſcateant, vt innumerabiles ſimul motus nulla acies comprehendat. Dicant equidem omnes. Omnia Domine in ſapientia feciſti.*

# MYSTICA. HIEROGLYPHICA.

Generoſitatis typus. Cur Apollini ſacer.

GRYPHES generoſi & magni animi ſimulacrum veteres exiſtimârunt, ideoq; non ineptè Apollini ſapientiæ præſidi dedicarunt, quare aures ei addebant, quòd Apollo à Lacedemonijs Τετράωπος coleretur, quamuis alij Apollini Gryphem ſacrum velint, quòd Sol præcipua generationis auri, quod Gryphes cuſtodire dicebantur, cauſa eſſet. Alij verò alias aſſignant rationes, quoniam videlicet Sol, vt reliquis in cælo micantibus ignibus imperitare videtur; ita & Gryphem animalibus cæteris præſtari ferunt. Vt vt eſt, (omnia enim fabuloſa ſunt) Apollini ſacros fuiſſe conſtat: itaque eos quadrigæ illius iungunt, qui Solis imaginem pingunt. Eſt item Gryps, ignis & æſtatis ſymbolum, quòd plerunq; ex Aquila & Leone compoſitus fingeretur. Ignita autem eſt prorſus Leonum atq; Aquilarum natura. Aquilarum pennæ, vt ſuo loco diximus, cæterarum auium plumis cómixtę, calore ſuo conſumunt. Ex Leonis oſſibus inter ſe colliſis ignem excitari teſtis eſt Aelianus: atque hinc fortè Nemeſi deæ etiam ſacros Gryphes crediderunt. Sepulcris apponebantur ab antiquis Gryphium figuræ, ut ſcilicet ea à vigilantibus cuſtodiri religiosè debere oſtenderent. Quod verò Gryphem ſub pedibus Tauri caput habere in pluribus antiquorum ſepulcris videamus, dici in primis poteſt, quod de Leone ſcriptum reperimus, vt ſcilicet ſepulti animum aut naturam talem fuiſſe opinemur, cuiuſmodi eſt illud quod apprehenſum videtur. Nempè ſi ouem vel agnum, ſepulchrum inſculptum habeat, intelligas hominem ferocitate demolita, manſuetudinem amplexatum: ſi taurum, temperantiã; ſi anguem, prudentiam, vel quid huiuſmodi, prout animalis, quod detentum fuerit, ſignificatum exiget. Verùm talem opinionem probarem, niſi huiuſmodi ſimulachra pro templorum foribus, ac in alijs etiam operibus publicis paſſim depicta videremus. Sentio itaque, vt liberè dicam quod animus fert, nihil aliud ſimulachris talibus exprimi; quàm huius animalis in feras omnes beſtias dominatum atque potentiam, eiusq; ferocia viribusq; cuncta deuinci, ſuppeditari ac puniri. Vt ſcilicet moneamur, quicunque violentas manus ad ea, quę in eius cuſtodiam tradita ſunt, inferre audeant, pœnas ſe, cuiuſuis ordinis lociuè ſint, luituros: ſuppliciaq; commiſſi vel furti, vel ſacrilegij, violatiq; ſepulchri, cui animal id præficitur, daturos, & quod de Leone vulgò dicitur, idem de Gryphe dictum opinor, cui Leoninum corpus maxima ex parte tribuunt. Viſuntur itaque eædem figurę in aris antiquorum, templorum foribus, vrnis, alijsq; non infrequenter, & ſine dubio religionem, & quæ ad pietatem ſpectant, ſumma cura & attento ſtudio cuſtodienda eſſe demonſtrãt. Auritum in primis hoc animalium genus eſſe ferunt, ut facilè fures ſentiat; alatum ad pernicitatem, cæterùm leoninis membris compactum, vt ferocia & vires in eodem eſſe videantur. Roſtrum præterea aduncum tribuunt, vt ſcilicet mordicus teneat, quæ illi commiſſa & concredita ſunt. Hæc omnia certè cuſtodes ac præſides decent. Haudquaquam enim bonus cuſtos eſſe poteſt, cui aures hebetes, qui piger, qui tardus eſt, qui languidus, & minimè tenax rerum ſui domini. Meritò igitur Gryphes cuſtodiæ præficiebantur, quibus abundè ſuppetunt omnia, quæ ad cuſtodum munus pertinere putantur. Ornant Gryphes ſacellum, quod in vrbe noſtra, iuxta Aſellorum vulgò dictam turrim medio quadriuio extructum eſt, in cuius angulis, nunc leones, nunc Gryphes ſpectantur. Quos cuſtodiæ vigilantięq; cauſa admotos putârim, vt ſcilicet uel ſacrum locum tueantur, vel homines ipſos moneãt in ſacris rebus & precibus, quæ Deo & Diuis adhibentur, vigilare, & preſentem eſſe oportere. *Athenis in Palladis arce ſimulacrum* eſſe ſcribit Pauſanias, *cuius galeæ ad partem vtramq; Gryphes additi ſunt, & in medio imago ſphingis incumbit.* Cæterùm Gryphum exemplo præpotentem tyrannis egregiè denotatur.

Gryps cur ignis & æſtatis ſymbolum.

Cur Nemeſi Deæ ſacer.

Sepulchrorum apud antiquos honos.

Gryphum figuratum vſus.

Grypis figurę ſignificatio.

Præſidum icon.

Tyrãnidis typus.

# EMBLEMA.

DE Gryphe emblema tale habet [a] Nicolaus Reuſnerus, ſub Lemmate ΞΕΝΙΩΝ ΔΕ ΤΕ ΘΥΜΟΣ ΑΡΙΣΤΟΣ. [a] *L. 2. Emble. 35.*

*Qui putet? è puro Gryps nidum conſtruit auro,*
*Occupat & celſa rupis in arce locum.*
*Solus aues vincit cunctas, qui naribus vncis:*
*Quem Leo, quem Tigris, quem pauet acer eques.*
*Cuius vt è nido ſub rupem decidit aurum,*
*Accola finitimi quod legit Indus agri.*
*Sic quos Heroas mundi rerumq; potentes*
*Sublimi magnus vult Deus eſſe loco.*
*Imperij tueantur opes ceu munera Diuûm:*
*Participes alios vt ſimul eſſe velint.*
*Præſertim ſanctæ pietatis & artis alumnos*
*Ingenuæ: per quos regna domusq; vigent.*
*Diuitis hæc auri virtus eſt vna: benigna.*
*Qui proſunt alijs, mente iuuare bonos.*

# ICONES. INSIGNIA. NVMISMATA.

APVD Xenophontem, vt citat & exponit Plutarchus, memorantur canathra, quæ imagines ſunt Grypũ ac tragelaphorum ligneæ, quibus inſidentes puellæ circumferebantur in ſpectaculis. Scyles Rex Scytharũ habuit in urbe Boriſthenitarum ædes magnificas & circa illas, è lapide candido Gryphes & Sphinges ſtantes, vt [a] Herodotus teſtatur, qui lapis Parius fortè fuerit. Gryphem marmori antiquo nobilitatis Cæſiorum inſigni monumento inſculptum ſub anteriorum pedum altero tauri caput habere videmus, quod in pluribus antiquorum monumentis, ut antè diximus, comperitur. Gryphis imagine inſignem clypeum quoq; habet nobiliſſima Gryffonum in Italia familia. Inſignia item nepotum meorum Gryps ornat. Scytharum id olim inſigne fuiſſe aſſerunt, a quo Peruſiam Gryffoniam dictam ſuprà ex Leandro diximus. Grypho aureus in campo cæruleo inſigne erat nauis Artirij antiquiſſimi Herulorum Regis, quod Vandolorum Domini etiamnum hodie vſurpant. Gryphem rubeum in campo argenteo vſurpabat electa quædam à Bononienſibus militum corona, quos vulgò la compagnia del Griffon nuncupabant. Eorum opera, vt refert Pompeius Vizanius ciuis Bononienſis, qui nuperrimè patriæ ſuæ hiſtoriam in lucem edidit, Bononienſes vſi ſunt ad expellendos ſeditioſos, anno nempe 1272. quo tẽpore vrbs multis ſcatebat hominibus, qui rebus nouis quotidie ſtudebant. Tradit pariter anno 1376. cùm hæc eadem vrbs libertatis auida à Summo Põtifice deficeret, proceres eius, leges Senatumq; immutaſſe, necnon tribunos plebis creauiſſe ſedecim, quatuor nẽpe pro quaque quarta vrbis parte, eisq; vexilla exhibuiſſe, in quorũm quatuor populi inſignia, quæ libertas eſt, depicta erãt, in reliquis verò varia ſymbola: Ex his tria fuiſſe, quæ Gryphem ferrent, vnum, quod aureum in campo cæruleo, alterum, quod album, tertium quod nigrum ferret, in campis eiuſdem coloris. Vidi item, cùm Romæ degerem, librumq; de ſtatuis antiquis conſcriberem, trophæum pulcherrimum in ædibus Illuſtris Domini Caroli de Fano, Meduſæ imagine perornatum, in cuius medio pectore Gryphes & Harpyiæ cælati erant. In ædibus Reuerendiſſimi Epiſcopi de Ruſticis inter quamplurimas alias ſtatuas, uidi in cornicibus multas ſculpturas, in quibus Gryphum icones eſſent. [b] Antonius Auguſtinus Romæ pariter in æde Diui Petri multos Gryphes in lapide, & in medio duorum ex his candelabrum, magna induſtria elaboratum conſpexiſſe, audiuiſſeq; tales ex Apollinis templo exemptos fuiſſe ſcribit. Irrigetus Martinengus Pittaci filius, & Lanfranci nepos, miles magnanimus, in bello ſtrenuus, factionis Gelphæ, cuius cæteri Martinengi acerrimi protectores erant, hoſtis adeò, vt ſpretis cæterorum familiæ ſuæ armis, quæ Aquila erat Imperialis, vt ſuo loco dictum eſt, Gryphem vſurpare voluerit, cum quodam ſymbolo. Huius ſepulchrum extra Brixiam cernitur cum hoc epithaphio. HAEC EST SEPVLTVRA NOBILIS MILITIS IRRIGETTI DE MARTINENGO. In monte Nerone dicto in diœceſi Plobici reperiuntur quamplurima arma, ac alia monumenta lapidea, in quibus Gryphes exſculpti ſunt, quos Frãciſcus Sanſouinus Brancaleonum insignia

[a] *In Melpomene.* Cæſiorum monumentum.

Artirij nauis inſigne.

[b] *Dial. 5. de numiſmatibus.*

Irrigetti Martinengi inſigne.

Brancaleonum inſignia.

[c] L. ad Reg. & Princip. Chriſtianos.

inſignia fuiſſe credit, cùm tamen Leonem illis pro inſigni fuiſſe paulò pòſt aſſerat. [c] Baptiſta Mantuanus Pannoniæ Regem Gryphem in armis ſuis ferre innuere videtur, ita canens:

*Quod trepides nihil eſt tecum Deus ibit in hoſtem,*
*Per mare, per terras quæcunque leuaueris altè*
*Sanctum inſigne crucis Gryphemq; Aquilamq; biroſtrem.*

Barrilæ familiæ inſigne.

Gryphem aureum alis expanſis cum roſtro rubro in campo cæruleo vſurpat nobilis familia Barrilla Neapolitana, quam Carolus Gallorum Rex primus magni admodum fecit, vt ex multis admodum ſepulchris conſtat. Ex qua Ioannes in primis fuit Roberto eorũdem Regi gratiſſimus, vtpotè quem legatum Romam miſerit, vt Petrarcham laurea condecoraret. Eſt & Martellorũ non ignobilis apud Florentinos familia, quæ Gryphe in armis vtitur. Gryps quoque in antiquiſſimis quibuſdam numiſmatibus depictus conſpicitur. Lilybitanorum in primis æreum numiſma Golzius depingit, quod in auerſa parte Gryphem illius figuræ, qualem pleriq; ei tribuunt, in aduerſa tripodem Apollinis repræſentat. Eiuſmodi numiſma cuſiſſe eos populos idem Golzius exiſtimat, quoniam eorum vrbs Sybillæ Cumanæ, quæ volumina de rebus arcanis & vaticiniorum plena Tarquinio Priſco regi obtuliſſe legitur, hoſpitio & ſepulcro celebris fuerit: itidem quia puteus in vrbe eorum Lilybæo idcirco commendatus fuerit, quod ij qui ex eius aqua bibiſſent, Pythio furore afflati oracula ac reſponſa darent. Non mirum itaque, inquit, ſi Apollinis capite Gryphoq; Apollini ſacro & tripode Apollinis ſymbolo ac lirâ ſua numiſmata ſignauerint. Reperiuntur item nonnulla Hyelitarum cùm aurea, tùm ærea numiſmata, vt apud eundem authorem videre eſt, in quibus Palladis galeatæ imago videtur, & in galea Gryps depictus. Inter quę vnum eſt, quod Gryphum habet poſteriore parte in caudam tortuoſam deſinente: ex quo facilè uideas & ab antiquis non vnam Grypho formã aſcriptam. Eiuſmodi etiam Gryps pariter in caſſide eiuſdem Deæ in Romanorum quodam numo depictus reperitur, necnon in multis alijs eorundem numis in caſſide Martis: in qua item Gryps ille communis conſpicitur in numiſmate Brutiorum: vnde his quoq; Dijs ſacrum fuiſſe Gryphum pronunciandum eſt.

Martellorũ inſigne. Lylibytinorum numiſma.

Hyelitarũ numiſma. Gryps cauda tortuoſa.

Prior harum iconũ Gryphem à fabuloſa antiquitate diuerſimodè depingi ſolitam etiã declarat: auribus enim caret, quas tamen, vt ſuo loco diximus, pleriq; alij ſuo Grypho addebãt. Hanc autem iconem antiquiſſimam eſſe conſtat, cùm eam Illuſtriſs. Cardin. Bembus inter alia hieroglyphica ex tabulis æreis vetuſtiſſimis excerpſerit. Dextro pede gerit quid ad inſtar veru, ſub pedibus verò ſerpens repit. Antonius Gigas vir humaniſſimus mihi eam communicauit.

Gryphis nõ auriti imago.



Auis Ruc imago.

Altera icon Ruc eſt, cuius etiam in hac hiſtoria meminimus, excerpta ex tabulis Geographicis Cornelij de Iudæis Antuerpiani, quæ, ſi vera ſunt, quę de ea tradunt, nihil planè reſpondet. Roſtrum enim Columbinum potiùs, quàm Aquilinum oſtendit. Nos, ne quid in noſtra Ornithologia deſideretur, tale, quale depictum accepimus, etiam alijs tradimus.



# DE HARPYIS. Cap. II.

HARPYIARVM historiam, etsi meram fabulam, ne tamen vllum volucre, quamuis fictitium deesset; omittere noluimus, & cùm insigni rapacitate adeò infames sint, vt ab ea nomen inuenerint, ideò rapacibus eas meritò adiunximus.

## AEQVIVOCA.

Ἁρπυία Hesychio subitam rapinam notat. Grammatici uarij, (vt Scholiastes Homeri, Suidas, Varinus, Hesychius) uario modo Harpyias interpretantur. Alij enim rapaces Deas, dæmonesue; alij dæmonis alatas fæminas; alij ventos rapidos: alij canes rapaces per eas notari uolunt. Sed quod horum significatorum quædam allegorica sint, alibi explicabuntur. Harpyia nomen est unius è canibus Actęonis apud [a] Ouidium. Est pręterea Stephano vrbs Illyrię iuxta Enchęleas. Harpyia canis Actæonis. [a] *Metam.* 3

## SYNONIMA.

Ἁρπυίαι nomen à rapacitate habent. ἁρπάζω enim Græcis rapio est. Vnde harpagones ex eadem origine instrumenta ferrea hamata, quibus naues capiũtur, & retinentur. Hinc & harpax apud [a] Plautum: Etymon. Harpagones quę instrumenta. [a] *In Pseud.*

*Venit harpax verus, res palam cognoscitur.*

Est apud eundem harpagare verbum, ut item in eadem comedia:

*Neque homines magis asinos vnquam vidi, ita plagis costæ callent*
*Quos dum ferias, tibi plus noceas, etenim ingenio hi sunt flagricidæ*
*Qui hæc habent consilia, vbi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga.*

In scribendo Harpyiæ nomine uariant librarij. Multi Seruium sequuti penultimam diphtongum ponũt impropriam, vt apud Græcos Harpyiæ, à quorum sententia longè diuersus est Caristius, qui negat I literam in diphthongum coalitam cum Y litera præcedenti, sed pro consonanti accipi debere. Syllabam enim eo etiam, inquit, modo positione longam fieri, si vocalem breuem sequatur I vice consonantis posita, vt Harpyiæ. Quare si diligentissimo Grammatico credimus in eo nomine ιαι. vltima syllaba per tres literas erit enuncianda, & iota ad vltimam syllabam referendam, quod alij cum ypsilon in vnam diphthongum abire contendunt. Dicuntur Harpyiæ alijs quoq; nominibus, nempè Canes Iouis, furiæ, diræ, & aues. Quorum omniũ rationem reddit his verbis Seruius: *Quod Canes Iouis dicerentur hæc ratio est, quia ipsæ furiæ esse dicuntur, vnde etiam epulas apud* [b] *Virgilium abripiunt, quod Furiarum est.* Canes Iouis. Diræ. Furiæ. Aues. [b] *L. 3. Aen.*

*Et manibus prohibent contingere mensas.*

Vnde & auari dicuntur Furias pati, quòd partis abstinẽt. Furias esse paulò pòst idem testatur:

*Vobis Furiarum ego maxima pando.*

Quæ verba sunt Celene. Furias autem canes dici Lucanus testatur, vt:

*Stygiasq; canes in luce superna*
*Destituunt*, &c.

[c] Virgilius: [c] *6. Aenei.*

—— *Visæq; canes vlulare per vmbram,*
*Aduentante Dea*, &c.

Sanè apud Inferos Furiæ dicuntur & canes, apud Superos diræ & aues: In medio Harpyiæ dicũtur, vnde duplex in his effigies. Has Virgilius tres dicit Aello, Ocypete, & Celæno. Aellò dicta nonnullis putatur, quasi ἕλων ἄλλο, id est, alienum tollens, quæ tamen etymologia non admodum accommodata videtur. Ocypete ab ὠκύς velox, & πέτομαι volo, quasi celeriter volans, vel vt alij, citiùs rapiens. Pari ratione [d] Sophocles Harpyias vocat catarrhactas, quòd precipites ad rapinam ferantur. Celænum verò Græcè nigrum vocant. Hac significatione Homerus vtitur, vbi αἷμα κελαινὸν id est, cruorem nigrum appellat. Inde Celæno dictam putant. Furiarũ nomina, & origo. Aellò. Ocypete. [d] *In Phin.*

## GENVS. ORTVS.

HARPYIAS quidam Neptuni filias esse produnt. Is ferè omnium prodigiorum pater est. Vnde [a] Georgius Pictorius ita canit: Neptunus cur Harpyiarũ pater creditus. [a] *In Panto-pol. de Dijs gentilium.*

*Neptunus gignit Cyclopas, & Polyphemum,*
*Vincit Harpyias vnguibus, & volucres.*
*Aellon Ocypeten nigroq; colore Celænen.*

[b] Hesio-

[b] *In Theog.* [b] Heſiodus ex Electra Oceani filia genitas fingit patre Thaumante & Iridis ſorores. Alijs Pon-
[c] *Lib. 4.* ti,& Terræ filiæ dicuntur,vnde in Inſulis habitare putantur, quæ partem terræ,& partem maris tenent. [c] Valerius Flaccus Plutonis filias videtur facere,dùm Typhonides vocat:

*Inſuper hunc Typhonides Harpyiæ ira tonantis*
*Depopulant, ipſoq; dapes prædantur ab ore.*

[d] *Aenei.3.* Nam Plutonem Typhonem vocabant. Quod fortè [d] Virgilius ſubinnuit:
Freſcia auis. *Peſtis & ira Deûm Stygijs ſeſe extulit vndis.*
Harpyreia auis. Fabulæ etiam referunt Phinæi filias Eraſcian & Harpyreian aues fuiſſe, quæ cibum ab ore ſe-
Alope. nis diripuerint. Sed Harpyias Virgilius tres fuiſſe dicit: Ocypeten, Aëllo,& Celæno. Harpyias
Acheloen. Hyginus Alopen, Acheloen,& Ocypeten appellat. Sunt qui Alopen, Nicothoen vocent. He- 10
Ocypote. ſiodus Ocypeten nuncupat Ocypodem, nonnulli Ocythoen. Apollonius duas tantùm facit,
Nicothoe. quem [e] Virgilius alibi ſequutus videtur,cùm ait:
Ocypodes. *Sunt geminæ peſtes*,&c.
Ocythoe. Sunt qui putent tribus Harpyis addi ab Homero quartam nomine Thyellam. [f] Apollonij in-
[e] 12.*Aen.* terpres Thyellam hybernos flatus,& procellas exponit,& Homerum per ſynonimiam Thyel-
Thyella. las,& Harpyias poſuiſſe vult, quæ & ipſæ ventos nonnunquam rapaces ſignificant. Harũ ma-
[f] *Argon.1.* ximam nomine Celæno Homerus Podargen nominat, fingitq; ex ea Zephyrũ Achillis equos
Podarge. Balium & Xanthum genuiſſe.

# FORMA. 20

[a] *3.Aeneid.* HARPYIAS [a] Virgilius ita depingit:

*Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla*
*Peſtis,& ira Deûm Stygij ſeſe extulit vndis.*
*Virginei volucrum vultus,fœdiſſima ventris*
*Proluuies, vncæq; manus & pallida ſemper*
*Ora fame*, &c.

Varinus

Varinus corporibus Vulturum, auribus vrſorum fuiſſe ſcribit. Hyginus diuerſas facit, nempè capitibus Gallinaceis pennatas, & alatas brachijs pedibusq; humanis, ſed vnguibus monſtroſis, pectore candido, ac fæmineo. Harpyiam Euſtathius *fingi ſecundum fabulas*, inquit, *dæmonij cuiuſdam alati equiformis figura, vt & Pegaſus equus eſt alatus, atq; eam præſertim, quam Homerus Podargem nominat.* Quare etiam etſi cæteris Harpyis fabulæ manus attribuant ad raptum idoneas ſeu monſtroſos vngues, Podarge tamen manibus prædita videri non poteſt propter equinam ſpeciem. Volucres etiam alatæ ab omnibus ſtatuuntur. Vnde [b] Virgilius:

Podargæ forma.

[b] 3. Aencid.

—— *magnis quatiunt clangoribus alas.*

Et [c] Ouidius

[c] 3. Metam.

—— *Exterruit ales Aëllo.* &c.

Sed quid propriè ſint, ſiue Deæ, ſeu diræ, ſiue obſcœnæ volucres apud Virgilium ipſum dubitatur. Icon, quam exhibuimus, cum Vergiliana deſcriptione conuenit.

# LOCVS.

LOCVM quem Harpyiæ incoluiſſe creduntur, ex his [a] Poëtæ verſibus habemus:

[a] L. 3. Aen.

*—— Strophades Graio ſtant nomine dicta*
*Inſulæ, & Ionio in magno, quas dira Celæno*
*Harpyiaq; colunt, aliæ Phineia poſtquam*
*Clauſa domus menſasq; metu liquêre priores.*

Ad eundem ſenſum [b] Naſo.

[b] Lib. Metamor. 13.

*Sauit hyems, tactatq; viros Strophadumq; receptos*
*Portibus infidis exterruit ales Aëllo.*

Feruntur enim ex Arcadia, cuius Phineus Rex erat, à Zete, & Calai Boreæ filijs pulſæ, iuxta Seruiũ. Contrà verò [c] Valerius Flaccus eum Odryſiæ Regem, nõ Arcadiæ fuiſſe narrat. Odryſia porrò in Thracia eſt, teſte [d] Plinio, & extenditur vſq; ad Boſphorum Thracium. Ex hac fugatæ ad Trophadas inſulas peruenêre, quæ Echinades quoq; olim, & Plotiæ dictæ fuêre. Nomen verò Strophadum ſibi inde acquiſiuêre, quòd Zete, & Calais iuuenes alati Harpyiarum perſequutores ab Iride moniti, vt à canibus Iouis abſtinerent, illic ſuos volatus conuerterint. Στροφὴ enim Græcis conuerſio eſt. Fugatas [e] Apollonius tradit coniecisse ſeſe in ſpecus, qui in Creta viſebantur ſub Arginunte. [f] Ludouicus Arioſtus ſedes earum in ſpecubus quidem etiam agnoſcit, ſed in inferno eas collocat, ita autem canit:

Phineꝰ Rex vbi regnauerit.
[c] Argon. 2.
[d] L. 4. c. 11.
Strophadæ Inſulæ.
Echinades.
Plotiç.
[e] Argon. 2.
[f] Cant. 34. ſtan. 4.

*Il Paladin col ſuono orribil venne*
*Le brutte Arpie cacciando in fuga, e in rotta,*
*Tanto, ch'à piè d'vn monte ſi ritenne,*
*Oue eſſe erano entrate in vna grotta;*
*L'orecchie attente à lo ſpiraglio tenne,*
*E l'aria ne ſentì percoſſa, e rotta*
*Da pianti, e d'vrli, e da lamento eterno,*
*Segno euidente quiui eſſer l'Inferno.*

Qua verò de cauſa, & quomodo fugatæ, proximo capite exponemus.

# RAPACITAS. INGLVVIES.

## Fœditas. Hiſtoria deniq; tota.

TRATI feruntur Dij Pheneo Odryſiæ Regi, quòd in nouercæ nouiter ductæ gratiam liberos ſuos excæcaſſet, aut, vt alij, quòd arcana Iouis conſilia hominibus prodidiſſet, Harpyias tanquàm Iouis miniſtras, & iniurianum vindices immiſiſſe excæcato. Hanc hiſtoriam [a] Apollodorus proſequitur hoc pacto. *Harpyiæ vbi Phineo paratam eſſe menſam intuebantur à cælo deuolantes maiorem ferculorum partem abripiebant, & reliqua perpauca, & ea quidem tam graui odore fœdata remanebant, vt perferri minimè poſſent. Hic igitur Argonautis, quæ ad nauigationem ſuã ſpectarent, iamiam præpoſituris: Commodum, inquit, de nauigatione tum mihi verbã facietis, ſimulac me ab Harpyiarum iniuria liberaueritis. Tum hi Phineo menſam ſternunt, in qua ſimulac edulia appoſita erant, en repentè Harpyiæ vaſtum clangorem fundentes deuolant, & eſculenta diripuunt. Id verò, vbi viderunt*

Phineꝰ Rex cur ab Harpyis infeſtatus.
[a] Lib. 1. de Deor. orig.

Zetes, & Calais Harpyias abigunt.

Tygris amnis cur Harpys dicatur

Strophades inſulæ vnde dictæ.

*Aquilonis filij Zetes, & Calais alati iuuenes nudatis enſibus illas per aërem inſequuntur. Caterùm planè Harpyis Boreæ filiorum manibus tum moriendum erat: ſed & Boreæ filijs iam tum quoque cùm inſectarentur, & eas adepti fuiſſent, erat pereundum. Cùm itaq; pueri perſequerentur Harpyias, earum altera ad Peloponnenſum in amnem Tygrem decidit; qui nunc ab illa nominatur Harpys. Altera Ocypete per Propontidẽ fugiens ad Echinadas vsq; inſulas peruenit. Ea nunc ab illa Strophades appellantur, quippe, quæ cùm ad eas peruenisſet, iter conuertit, quæ vbi littus attigiſſet, præ labore cum perſequenti decidit. Verùm Apollonius ad Strophadas inſulas vſq; Boreæ filios Harpyiarum inſectationem tenuiſſe refert, neq; mali quicquam paſſas fuiſſe, quòd iureiurando nihil pòſt illæ in Phineum iniuriarum amplius molituras promiſerint. Liberatus igitur Phineus Harpyiarum pœnis reliquam Argonautis nauigationem explanauit: eosq; viam in Colchos perueniendi docuit.* Hæc omnia [b] Valerius Flaccus prolixè, ac luculenter ſequentibus verſibus complexus eſt:

[b] *L. 4. Arg.*

*Poſtera non caſſæ Minyis aurora retexit*
*Noctis iter: noua cuncta vident: Thynneaq; iuxta*
*Littora fatidici pœnis horrentia Phinei*
*Dira Deûm, ſummoq; lues vrgebat in æuo.*
*Quippe neq; extorrem tantùm, nec lucis egentem*
*Inſuper hunc Tiphonides Harpyiæ ira tonantis*
*Depopulant, ipſoq; dapes prædantur ab ore,*
*Talia prodigia, & tales pro crimine pœnas*
*Perpetitur. Spes vna ſeni, quòd pellere ſæuam*
*Quondam fata luem dederant aquilone creatis.*
*Ergo vbi iam Minyas certamq; accedere Phineus*
*Sentit opem, primas baculo defertur ad vndas*
*Veſtigatq; ratem, atq; oculos attolit inanes,*
*Tunc tenuem ſpirans animam. Soluè ò mihi longum*
*Exſpectata manus noſtris ait agnita votis.*

Et quibuſdam interiectis.

*Non ego nunc magno quod cretus Agenore Phineus,*
*Aut memorem mea quod vates inſedit Apollo*
*Pectora, præſentis potiùs miſereſcite fati.*
*Nec mihi diuerſis erratum caſibus orbem*
*Amiſſas, aut flere domos, aut dulcia tempus*
*Lumina conſuetis rerum eſt ex ordine fatis*
*Ingemere, Harpyiæ ſemper mea pabula ſeruant,*
*Fallere quas nuſquam miſero locus, ilicet omnes*
*Deueniunt, niger intorto ceu turbine nimbus.*
*Iamq; alis procul & ſonitu mihi nota Celæno:*
*Diripiunt, vruntq; dapes fœdataq; turbant*
*Pocula, flagrat odor ſurgitq; miſerrima pugna,*
*Parq; mihi monſtriſq; fames, ſpreuêre quod omnes*
*Polluerunt q; manu, quodq; vnguibus excidit vncis,*
*Has mihi fert in luce moras, nec rumpere fata*
*Morte licet, trahitur victu crudelis egeſtas,*
*Sed vos obſeruate precor prædicta Deorum*
*Si non falſa mihi: vos finem imponite pœnis.*
*Nempe adſunt, qui monſtra fugent, aquilonia proles*
*Non externa mihi. nam Rex ego diuitis Hebri*
*Iunctaq; veſtra meo quondam Cleopatra cubili*
*Nomen ad Actææ Calais Zeteſque ſororis*
*Proſiliunt. Zetesq; prior: Quem cernimus, inquit,*
*Tunc ille Odryſiæ Phineus Rex inclitus oræ*
*Tu Phœbi comes, & noſtro dilecte parenti*
*O vbi nunc regni, generiſq; vbi gloria? quam te*
*Excedit labor? & miſeris feſtina ſenectus?*
*Qin age mitte preces: Namq; eſt tibi noſtra voluntas,*
*Si non ira Deûm. vel ſi placabilis vrget,*
*Suſtulit hic geminas Phineus ad ſidera palmas*
*Teq; ait, intuſti, quæ nunc premis ira Tonantis,*

Antè

*Antè precor noſtræ tandem iram parce ſenectæ:*
*Sit modus, & fore credo equidem: nam noſtra voluntas*
*Quod iuuenes ſine pace Deûm, nec credite culpam*
*Sæuitiæ, ſcelerumq; mihi nunc crimina pendi.*
*Fata loquax mentemq; Iouis, quæq; abdita ſolus*
*Conſilia & terris ſubito ventura parabat,*
*Prodideram miſerans hominum genus: nunc mihi tanto*
*Peſtis, & effuſæ media inter dicta tenebræ*
*Iam tandem ceſſêre iræ, nec auſus ab alto*
*Ipſe volens noſtris, ſed vos Deus appulit oris.*
*Sic ait: & fatis ita iam cedentibus omnes*
*Impulit, & duræ commouit imagine pœnæ.*
*Inſtituêre toros, mediſq; tapetibus ipſum*
*Accipiunt, circumq; iacent, ſimul æquora ſeruant,*
*Aſtra ſimul, * neſciq; iubent, ac mittere curas:*
*Cùm ſubitus miſero tremor, & pallentiæ primæ*
*Ora ſenis fugêre manus, nec prodita peſtis*
*Antè, ſed in mediis dapibus vidêre volucres;*
*Flagrat acerbus odor, patriſq; expirat auerni*
*Halitus, vnum omnes inceſſere planctibus, vnum*
*Infeſtare manus, inhiat cocytia nubes*
*Luxurians, ipſoq; ferens faſtidia viſu.*
*Tum ſola illuuie, atq; illuſis ſtramina menſis*
*Fœda rigant, ſtridunt alæ, prædaq; retenta*
*Sæuit, vtrimq; fames, nec ſolum horrenda Celæno*
*Phinea, ſed miſeras etiam prohibere ſorores*
*Emicat hîc ſubitò, ſeſeq; aquilonia proles*
*Cum clamore leuat, genitor ſimul impulit alas.*
*Hoſte nouo turbata lues, ipſaq; rapinæ*
*Faucibus, & primum pauidæ Phineia tecta*
*Peruolitant, mox alta petunt, ſtant littore fixi*
*Aemonidæ, atq; oculis palantia monſtra ſequuntur.*

* Fortè ne ſcire legendum.

Dein paulò pòſt:

*Iamq; & ad Ionij metas, atq; intima tendunt*
*Saxa, vocat magni Strophadas nunc incola ponti;*
*Hîc feſſæ letiq; metu propioris, anhelæ*
*Dum trepidant, humilq; graues timidoq; volatu*
*Implorant clamore patrem Typhona nefando.*
*Extulit aſſurgens noctem pater * vnaq; ſummis*
*Miſcuit, & medijs vox exaudita tenebris.*
*Iam ſatis huc pepuliſſe Deas. cur tenditis vltra*
*In famulas ſæuire Iouis? quas fulmina quanquàm*
*Aegidaq; ille gerens, magnas ſibi legit in iras.*
*Nunc quoq; Agenoreis idem decedere tectis*
*Imperat: agnoſcunt monitus, iuſſæq; recedunt.*
*Mox tamen & vobis ſimilis fuga cum premet Argos*
*Letifer, Harpyiæ nunquàm noua pabula quærent.*
*Donec erunt Diuûm meritæ mortalibus iræ*
*Hæſit vterq; polo, dubijſq; elanguit alis.*
*Mox abit, & ſociæ victor petit agmina puppis.*

* Fortè imaque legendum.

Verùm in hac fabula non omnes authores conſentiunt. Flaccus enim, & quem ſequutus eſt Apollonius, Phineum ab Apolline vaticinandi munere donatũ volunt, atq; à Ioue ideò oculorum lumine priuatum, quòd Deorum conſilia euulgaſſet, & Harpyiarum, quæ genium eius defraudarẽt, tormentum additum, quas aduentantibus Argonautis à Boreę filijs eiuſdem claſſis comitibus non cæſas, ſed fugatas eſſe tantùm aſſerunt. Heſiodus quoq;, Antiochus, alijq; conſentiunt. Apollodorus verò contrà id affirmat. At diſcrepat Orpheus, dum cauſam cæcitatis, & pœnę Phineo inflictæ recenſet. Phineum enim inſanientem philtris vxorijs abieciſſe filios duos autumat. Quare à Zete, & Calai, vt perpeteretur durius exilium à Strophadis compulſum

pulſum in Biſtoniam,& luce ab eis priuatum eſſe; vt de morte filiorum Cleopatræ, quę prior Phineo vxor fuerat,vindictam ſumerent. Verùm omiſsis fabulis,vero (ſi veritas ſub his vlla latere putãda eſt) propiora videri poſſunt,quæ [c] Diodorus Siculus retulit. Phineo duo fuerunt filij ex Cleopatra, alij Cleopanã vocant, quæ filia fuit Orithiæ ex Borea, nam & Harpalicen habuit antè, cuius ſuaſu liberos ſuos oculis priuauit, Cleopana repudiata Idæã Dardani Scytharum Regis filiam vxorem duxit. Adoleſcentes itaq; matris impulſu nouercæ ſtuprum offerunt, ob quod flagitium arrepti à patre capite damnantur. Iam tum,cùm ad triſte ſuppliciũ traherentur,ſtarentq; in littore,caſu illic Argonautæ appulerunt. Illi cùm miſerabili ſui ſpectaculo,& ſupplicij atrocitate hoſpitum in ſe oculos verſiſſent,implorato eorum auxilio,memoratoq; ſenis aduerſus ſe odio,& contumelia in matrem Cleopatram,orant, vt veluti ex improuiſo tanquàm Dij præſentes ſuo appulſu adfuiſſent, nunc ſeſe ſupplicio indigno liberent. Vetat Phineus occurrens Argonautis quidquam moliri. Nam patrem ſeſe de liberis ſumpturum minimè fuiſſe pœnam, niſi ſcelus eorum paternam charitatem ſuperaſſet. Territi Argonautę Regis præſentia,& religione littoris hoſpitalis non temerè violandi,nihil auſi fuerunt tentare. Zetes, & Calais audito ſororis nomine,& miſerabili eius apud Phineum fortuna, & filiorum, quæ multò eſſet miſerabilior, iuris gentium,& propriæ ſalutis immemores, in littus exiliunt, & adoleſcentibus uincula abrumpunt. Oritur ibi atrox pugna. At poſtremò multis barbarorum,& inter eos Rege cæſo,reliqui fugam faciunt, & capitur in ipſo tumultu regia, atq; Herculis beneficio Idæa ad patrem incolumis remittitur. Ferunt Idæam à patre poſtea occiſam, ex quo apparet,eo inuito,in Cleopanæ contemptum Phineo nupſiſſe. Nonnulli memorant filios à Phineo excæcatos ipſumq; viciſſim à Borea oculis orbatum. Itaq; adoleſcentes pericu 2
lo liberati regno matri permiſſo cum Argonautis Colchos nauigarunt. Sed de hiſtoria hactenus. Nunc ad Harpyias reuertamur,quę forſan aut pellices,aut filiæ Phinei,quæ ſcilicet vitam diſſolutiſſimam,& meretriciam viuerent,atq; ea ratione nimio luxu paternas opes omnes perderent,non malè dici poſſent. Has Boreades vlterius perſequi prohibitos fuiſſe ab Iride Apollonius, & [d] Neoptolemus, qui Naupactica conſcripſit, tradunt. Et Pherecides author eſt eas in Cretæ ſpeluncam, quæ ſub colle eſt Arginonte, fuga deletas. Maro verò à reditu Boreadũ in Strophadibus, relictas quas coluerint:

[c] *Lib.5.rer. Antiq.c.4. de Argon.*

[d] *Lib. 6.*

*—— Phineia poſtquam*
*Clauſa domus menſaſq; metu liquêre priores.*

Sed Harpyiarum rapacitatem, ingluuiem, fœditatem,pulchrè quoq; [e] Vergilius exponit, vbi Aeneam ſic loquentem inducit: 3

[e] *Aeneid.3.*

*—— Tunc littore curuo*
*Extruimusq; toros, dapibuſq; epulamur opimis.*
*At ſubitò horrifico lapſu de montibus adſunt*
*Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,*
*Diripiuntq; dapes,contactuq; omnia fœdant*
*Immundo,tum vox tetrum dira inter odorem.*
*Rurſum in ſeceſſu longo ſub rupe cauata*
*Arboribus clauſi circum,atq; horrentibus vmbris*
*Inſtruimus menſas, ariſq; reponimus ignem.*
*Rurſum ex diuerſo cæli cæciſq; latebris* 4
*Turba ſonans prædam pedibus circumuolat vncis,*
*Polluit ore dapes, ſocijs, tunc arma capeſſant,*
*Edico.*

Verùm quod alij de Phineo, Vergilius de Aenea, id [f] Ludouicus Arioſtus de Sinapo Aethiopiæ Rege canit, qui (vt verbis illius Poëtæ vtar)

[f] *Cant. 33. ſt.107.108*

*—— quantunque ricchiſſimo ſi chiame,*
*Cruciato era da perpetua fame.*
*Se per mangiar,ò ber quello infelice*
*Venia cacciato dal biſogno grande,*
*Toſto apparia l'infernal ſchiera vltrice,* 5
*Le monſtruoſe Arpie brutte, e nefande,*
*Che col grifo,e con l'vgna predatrice*
*Spargeano i vaſi, e raptan le viuande,*
*E quel che non capia lor ventre ingordo,*
*Vi rimanea contaminato, e lordo.*

Dicit autem Regem illum licet ditiſſimum, ac potentiſſimum, perpetua tamen fame cruciari; quoniam

quoniam Harpyiæ paratas in mensa dapes subitò diriperent, atq; si quas fortè relinquerent, eas fœdissimo, ac intolerabili fœtore contaminarent. Monstra quoq; istæc perquàm eleganter veterum monumenta, ac in primis Virgilium secutus, depingit, in hoc tamen ab illo differens quod septem fuisse tradat, atq; insuper longas caudas ascribat, vbi ab Astolpho Duce Britanno sono cornu sui, quem ne Plutonem quidem apud inferos ferre potuisse fingit, fugatas illas, & Regem ab ea peste liberatum tradit in hac verba:

*Dentro vna ricca sala immantinente*
*Apparecchiossi il conuito solenne,*
*Col Senapo s'assise solamente*
*Il Duca Astolfo, e la viuanda venne,*
*Ecco per l'aria lo stridor si sente,*
*Percosso intorno da l'orribil penne,*
*Ecco venir l'Arpie brutte, e nefande,*
*Tratte dal Cielo à odor de le viuande.*
*Erano sette in vna schiera, e tutte*
*Volto di donna haucan, pallide, e smorte,*
*Per longa fame attenuate, e asciutte,*
*Orribili à veder più che la morte;*
*L'alacce grandi haucan, deformi, e brutte,*
*Le man rapaci, e l'vgne incurue, e torte,*
*Grande e fetido il ventre, lunga coda,*
*Come di serpe, che s'aggira, e snoda.*
*Si sentino venir per l'aria, e quasi*
*Si veggon tutte à vn tempo in sù la mensa*
*Rapire i cibi, e riuersare i vasi,*
*E molta feccia il ventre lor dispensa;*
*Tal ch'egli è forza d'atturar i nasi,*
*Che non si può patir la puzza immensa.*

Atque ex his omnibus videre est Harpyias monstra quædam deformia pingi, & volucria, quæ horrido squalore, pallore tetro, & perpetua fame infectos vultus gererẽt, eaq; de causa semper famelicæ dapibus hominum mensis diripiendis sedulò inuigilarent, nunquam tamen famem explerent, insatiabili semper auiditate cibis inhiantes. Nam vt Donatus in nuperrimè citatum Vergilij locum refert, Harpiarum venter non retinebat cibum, sed statim effundebat, quicquid victus causa recepissẽt, vnde non tantùm non satiebantur, sed semper patiebantur famẽ, atq; ex ea pallor succedebat. Videntur scilicet eo affectu laborasse, quem in hominibus caninam appetentiam Medici vocant, vel cœliaca passione, vbi ob frigidum humorem, qui os ventriculi obsidet, cibi ingens est auiditas, quem assiduè ingerunt quidem, sed ob languentem, & penè emortuam concoctionis vim, qualia ferè assumptẽre, egerunt. Vnde fit, vt semper cibis sese repleant, nunquam verò famem expleant, & vel nulla, vel admodum exigua parte corporis nutrimentum sentiant, sed contrà vana ventris infarciendi, ac rursum exonerandi vicissitudine torqueantur, fœda fœcum semper proluuie contaminati. Pari ratione Harpyiæ eas ipsas, quas diripiebant dapes, statim non solùm vnguium orisq; spurcissimo cõtactu, sed & turpi & abominando ventris profluuio fœdabant, & intolerabili quodam putore auerni patris sedem redolente, ita inquinabant, vt quæ fortè reliquissent, aut auolantes elabi siuissent, esui tandẽ inepta essent vt, vel solo odore, imò visu nauseam mouerent. Quinimò non edulia solùm polluebant, sed vt Baptista Mantuanus canit:

Canina appetentia.

*—— ventre soluto*
*Proluuie fœda thalamos, cenacula, mensas,*
*Compita, templa, vias, agros, mare, flumina, montes*
*Infestare solent, &c.*

Vnde etiam Vergilio obscœnę volucres dicuntur, & alibi:

*—— fœdissima ventris*
*Proluuies, &c.*

Rapaces [g] Claudiano:

[g] *Lib. 1 4. de Vict. Stilic.*

*Nil veris æquale dabunt prohibere rapaces*
*Scilicet Harpyias.*

Et truces ob crudelem nempè rapacitatem:

*Harpyiasq; truces insopitusq; refusum.*

Auidæ Senecæ,

*Terretq; menſas auida Phineias auis.*

*Cant. 34. ſtan. 1.* Famelicæ [h] Arioſto, feræ, & iniquæ, vnico hoc verſu,

*O fameliche, inique, e fiere Arpie.*

[i] *Lib. 1. Itinerar.* Huc faciunt [i] Rutilij verſus qui Harpyiarum rapacitatem ſic declarant:

*Non olim ſacri iuſtiſſimus arbiter aui,*
*Circunſiſtentes reppulit Harpyias.*
*Harpyias, quarum decerpitur vnguibus orbis*
*Quæ pede glutineo quod tetigere trahunt.*

[k] *Odyſſ. Y.* Enimuerò non tantùm dapes eſurientibus ex ore eripuiſſe feruntur, quin etiam Penelope, [k] Euſtathio teſte duas Pandarei filias orbas, à Venere educatas, iam nubiles ab Harpyis raptas, & furijs traditas ait. Quo loco notandum eſt Harpyias à furijs diſtingui, cùm alij eaſdem faciant; His veterũ figmentis recentiores non contenti, plura inſuper commenti ſunt. Harpyiam (inquit author libri de nat. rerum) primum hominem, quem in deſerto viderit, occidere ferunt, & ſi poſtea fortuitò aquas inuenerit, vel iuxta mare cõſederit, faciẽq; ſuã in eis cõtẽplata fuerit, mox quòd ſui ſimilem hominem occiderit, immodicè triſtari, & omni tempore vitæ ſuæ occiſum lugere. Sed hæc (inquit Albertus) fabuloſa videntur, tradita ab Adelino, & Iorach. Idem author libri de nat. rer. ineptiſſimè mendaciſſimeq; ſcribit, Harpyiam, quamuis rationis expertem auem, aliquando tamen cicuratam, vocem humanam exprimere. Quaſi non ſatis fuiſſet Vergilium Harpyiarum vni ſermonem humanum tribuiſſe, niſi illi etiam, qui Philoſophi videri volunt, & ſani ingenij, aliorumq; iudices, huiuſmodi nugas, & pluſquam aniſia deliramenta longè inſaniores, & deliri ſimpliciter ceu vera proponerent.

# MORALIA. HIEROGLYPHICA.

[a] *Lib. 1. Chiliad. 7.* [a] IOANNES Tzetzes ex hac fabula allegoricum ſenſum eruere conatus, ſic ſcribit.

*Boreas Thrax ex Athenis, Orythryram, cùm rapuiſſet,*
*Zeten genera & Calain, admodum caſarie ornatos,*
*Et Abeſalon ipſum denſitate pilorum vincentes,*
*Quos & volare pilis dixerunt fabularum ſcriptores,*
*Tanquàm elatos pilis ſuis, & inſolentes.*
*Hos dicunt vnà nauigantes cum cæteris Argonautis*
*A Phineo ſene expuliſſe Harpyias*
*Aues ex ore eius eſcas rapientes*
*Atq; cum ipſis dicunt, & hos occubuiſſe.*
*Veram autem allegoriam, ſic ipſe mihi cogito*
*Steron iſte Phineus cæcus erat præſenecta*
*Eraſian verò Harpyiamq; habens filias*
*Vtuentes meretriciſſimam, atq; diſſolutiſſimam vitam,*
*Omni victu ab ipſis prorſus exhauriebatur,*
*Paupertate affligebatur atq; fame execranda.*
*Zetes autem, & Calais has cum rapuiſſent,*
*Inuiſi alicubi fuerunt ex partibus illis*
*Vnde in fabulas inciderunt, quæ de his omnia:*
*Apollonius autem refert hanc hiſtoriam.*

Meretrices rapaces Harpyiæ dictæ.

[b] *Lib. 13.*

[c] *Lib. 2. de Aſino aur.*

Harpyiæ ventus.

Sanè quàm plures præter Tzetzen ita ſenſiſſe videntur. In primis enim Euſtathius, qui hanc fabulam hiſtoricè interpretantur, mulieres fuiſſe Harpyias in luxum prodigas, & ſumptuoſas tradere teſtatur. [b] Athenæus Anaxilæ verſus recitans, nihil aliud, quàm ſcorta fuiſſe ſcribit. Vnde ſimiliter malis Harpyis pro nequiſſimis mulieribus veluti ex adagio vſurpaſſe videtur [c] Apuleius, cùm inquit: *Sed heus iuuenis caue diligenter principum huius ciuitatis filij cadauer à malis Harpyis probè cuſtodias.* Nec id ſanè inſcitè, quoniam peſſimæ mulieres inſtar Harpyiarum rapiebant, & raptu immundo cuncta prophanabant. Alijs verò teſte Varino, Harpyiæ per allegoriam venti intelliguntur. Ita Scholiaſtes quidam Heſiodi flatus rapaces interpretatur, qui ex aquæ exhalatione naſcantur. Vnde nimirum Heſiodus ex Electra Oceani filia natas fingit. Quemadmodum & Iris in nubibus ab exhalatione ortis apparet, cuius quidem conſpectum nemo non admiratur, vt meritò Thaumãtis fingatur filia, quemadmodum & venti, qui omnia penetrant.

penetrant. Hanc ſententiam [d] Apollonij interpres confirmat, qui in illis Poëtæ verbis: [d] *Argon. 1.*

*At Thyellæ aduerſæ raptim retro ferebant:*

ita ſcribit: *Thyellæ hyberni flatus, & procellæ: Vnde Homerus per ſynonimiam Thyellas poſuit, & Harpyias, id eſt, procelloſos flatus.* His quoque aſtipulatur Euſtathius, qui *Harpyiam* docet *eſſe genus venti. Quoniam enim,* inquit, *violenti quidam venti etiam grauia corpora infernè ſubleuant, ac tollunt, conficta ſunt Harpyiæ venti quidam craſſi forma monſtruoſa, à quibus rapta dicuntur, quæcunque quomodo euanuerint, vel quò peruenerint, ignoratur; vt Poëta etiam ſentit inquiens:* Ἁρπυίαι ἀνηρέψαντο. Hinc ortum videri poteſt, quòd [e] Homerus Achillis equos Balium, & Xanthum ex Harpyiarum Celæno maxima, quam ipſe Podargen vocat, & Zephyro vento genitos dicit. Hoc fabulosè Poëta fingit, vt ſummam equorum celeritatem, quos eapropter & ποδηνέμας, & ἀελλόποδας cognominat, demonſtraret. Naturalem quidem illius rei rationem reddere videtur Homeri Scholiaſtes, *Equæ concepta genitalibus,* inquit, *aduerſa Boreæ, aut etiam Zephyri aura pullos generoſiores pariunt, quales nimirum & Achillis equi fuerunt.* Sed nomen etiam & etymologia equi velocis, quē Græci πόδας ἀργον, ab albis nimirum pedibus vocant, ex Podarge Harpyia natum eſſe, pulchrè colludunt. Cæterùm quòd hi Achillis equi celeritate dicuntur ventos adæquaſſe, nimirum Zephyrum, aut Harpyias, parabolicè accipiendum eſt. Nimium enim audacis, & mendacis foret equos illos ſimpliciter Harpyiæ, & Zephyri ſobolem aſſerere. Maximè autem celebre illud eſt inter allegorica Harpyiarum ſignificata, qua auaritiam rapinas, & crudeles exactiones deſignare ſolent. Hoc pacto Sidonius Apollonaris pro cruentis ſanguinarijsq; raptoribus, qui pecuniæ vel immoriantur, vſurpaſſe uidetur: *In foro,* inquiens, *Scythæ, in cubiculo viperæ, in exactionibus Harpyiæ,* &c. Alphonſus Hiſpaniarū Rex fœneratores Harpyias cognominabat. Ea ſignificatione Iuuenalis particulariter Harpyiarū p̄cipua Celæno vtitur, cùm inquit:

*Nunc per conuentus, & cuncta per oppida curuis*
*Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno.*

Ita auari furias pati dicuntur, quæ ſunt Harpyiæ, quòd p̄ę nimia habendi cupidine, partis abſtinentes ſuum ipſius genium defraudant, & dum alijs inuident, & per vim auferunt, ex ijs tamen ipſimet nullum aut exiguum emolumentum percipiant. His profectò verè dici poteſt auaritiā, tanquā Harpyiā quādā epulas iam in os immittendas præripere, hoc ſupplicio quod inſtar Perilli, qui arte ſua perijt, ſibi pepererunt, non minus dignis, quàm ſunt gulones illi, quibus [f] Horatius gulam ob eaſdem Harpyias imprecatur. Ipſorum certè cùm generale nomen Harpyiarum, tùm particulatim ſingularum, à violenta rapacitate inditum eſt. Harpyiæ enim Græcis rapaces ſignificāt. Sic Aëllon quaſi aliena tollentem, Ocypeten veluti citiſſimè auferentem, Grammatici dictas volunt. Taceo quòd ea de cauſa vngues curuos, ac aduncos eis attribuerint antiquorum fabulæ, vt innatam earundem rapacitatem declararent. Sunt qui ſcribant ideò, vt [g] Cęlius teſtatur, virgines fingi, quòd omnis rapina arida ſit, ac ſterilis, ideò plumis circundatas, quòd quicquid inuaſerit rapina, cælat: volatiles autem, quòd omnis rapina ad volandum ſit celerrima. Quæ omnia id demum ſignificare poſſunt, quòd aliena concupiſcimus primò, mox expedita inuadimus, poſtremò inuncata ſemel abſcondimus, & illatebramus. Non illepidè Harpyiæ dicentur alienarum culinarum ſectatores, qui nidore epularum allecti ventrem ſemper adferunt famelicum, & quò blandiùs eos bis teruè exceperis, tantò impudentiùs menſam tuam expetunt. Quos notare uidetur Apuleius, ubi ait: *Et tamen paſtus electiles. comparere nuſquam neq; vtiq; cellā ſuam inuolare immanes mures, vel muſcas, quales olim Harpyiæ fuēre* In quos non inuenuſtum extat apopthegma Alphonſi Sicilię Regis, qui cùm audiuiſſet in inſulis quibuſdam viuere aues rapaces, vertens ſe ad familiares dixit: Credo Harpyias illas ad Principum aulas euolaſſe, atq; ibi domicilium ſuum extruxiſſe. Et ſimili quoq; ſenſu [h] Homerus Vlyſſem ab Harpyis ſublatum ait, procos intelligens qui domi ſuæ omnia conſumebant, Tales enim diuitum ——*per tecta per aulas*
*Harpyiæ funeſta lues, fluxuq; fameq;*
*Infeſtæ volitant.*

Vt Baptiſtę Mantuani verbis utar. [i] Iohannes Tzetzes plagiarios quoſdam Harpyis cōparat.

*Velut Harpyiæ,* inquit, *quondam à ſene*
*Phineo cibum rapuerunt ex ore*
*Gratis ſcripta noſtra arripere expetentes*
*Ex quibus nos alimur multis tranſcriptis.*

Appoſitè item raptores prodigos Harpyias dicemus, qui, quòd alijs uiolenter eripiunt, minimè priorī cenſui adijciunt, ſed confeſtim alea ganeauè dilapidant, ut ſcilicet malè partum peius dilabatur. Quemadmodum enim Harpyias alienæ dapes nunquam ſatiant, quòd ingeſtos cibos non contineant, ſed continuo fluxu, ſimulatq; aſſumpti ſunt, excernant; ita hos aſſidua furta

[e] *Iliad. II.* Achillis equorū ortus, & nomina.

Equus albis pedib⁹ ex Podarge natus.

Auaritia, rapinęq; Harpyiarū exēplo deſignatæ.

Perillus artifex Harpyiæ necis.

[f] *L. 2. Sat. 7* Harpyiæ Græcis rapaces.

[g] *L. 29. Lec. ant. c. 27.*

Aſſentatores Harpyis compara ti.

[h] *Odyſſ. A.*

Plagiarij Harpyis cō parati.

[i] *Chilia. 5.*

Prodigi Harpyis cō parati.

furta,aut rapinæ nunquam ditant,non,vt ſeruent,rapientes, ſed vt perdant. Atq; id Vergilius Aenęæ,& Troianorũ exemplo nobis ſignificauit. Ea enim auaritiæ vis eſt, vt etiam qui ditiſſimi ſint, fame perire, quàm vel minimam acerui partem imminuere malint. Cuins itaq; peſtis, vt pellatur, Aenea Troianisq;, hoc eſt, viris robuſtis,ac generoſi animi opus fuiſſe innuere voluit. Poſſent deniq; & Principes hiſce monſtris comparari, quibus illud tantùm in ore eſt:

*Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.*

Tales enim,quò ſua extendant pomeria,per fas & nefas nulla ciuium ſuorum habita ratione, more Harpyiarum cuncta diripiunt, atq; velut ſanguiſugæ multorum ſanguinem exugunt, in quos inuehi mihi videtur [k] Arioſtus ſic exclamans:

[k] *Cant. 34. ſt. 1.*

*O famelice, inique, e fiere Arpie,*
*Ch'à l'accecata Italia, e d'error piena,*
*Per punir forſi antiche colpe rie*
*In ogni menſa alto giuditio mena;*
*Innocenti fanciulli, e madre pie*
*Caſcan di fame, e veggon ch'vna cena*
*Di queſti monſtri rei tutto diuora*
*Ciò che del viuer lor ſoſtegno fora.*

Porrò,ſunt qui putent Harpyias fingi Thaumantis,& Electræ Oceani filias, vt innuerent diuitias ob admirationem hominum expeti, cùm tamen flexiles ſint, vt Oceani filiæ. Homines enim expetunt ea,quæ ſunt admirationi.

## ALLEGORIA.

[a] *In ſuo Hercule.*

IN gratiam Theologorum non præteribo hîc [a] Collucei Florentini allegoriam, quam in Phinei fabulam ſcribit. Ponit enim Phineum quaſi Phileũ,boni amatorem. Hic ex priori coniuge, quam rationem eſſe vult, filios probè videntes procreat,id eſt, bonos affectus. Extinguitur prima vxor,tum ille ſecũdam ducit, ſenſum nempè,cuius blandimentis allectus filios è prima vxore ſuſceptos, luminibus priuat. Hæc enim pro vero bono falſa obtrudit,& perſuadet. Iraſcitur Deus homini non apprehendenti diſciplinam, & perit è via iuſta, lumineq; rationis amiſſo excæcatur. Huic auaritia,& ambitione infeſtato Harpyiæ eſculenta eſurienti præripiunt. Verùm vbi Argonautas,id eſt, virtutes hoſpitio excipit, & veluti poſtliminio reuertentes recipit,per Zetum, & Calain, id eſt, per veri inueſtigationem,& probitatem, Harpyias,id eſt, vitia fugari contingit, reſtituitq; priſtinum mentis lumen,ac tranquillitatem, quam amiſerat, Dei omnipotentis benignitas,& agnita miſericordia, quam & nobis largiatur toto corde expetimus.

## ICONES.

[a] *In Eliacis.* Cypſeli arca.

PAVSANIAS mentionem facit pulcherrimæ, ampliſſimę,atq; elaboratiſſimæ Cypſeli Corinthiorum tyranni arcæ è cedro, aureis & eburneis emblematis variegatæ, & multis ijſq; diuerſis characteribus depictæ, ſed inter permulta Heroum monumenta,& Phineus Thracum Rex, & abigentes Harpyias Boreę filij in dextro arcæ latere exſculpti aderant. Quam iconem,in qua nempè Calais,& Zetes à Phineo Harpyias arcent,videri quoq; tradit,inter illuſtria opera,quæ Amiclis viſuntur. Idem author Polygnotum tradit Pandari filias pinxiſſe, de quibus Penelopen Homerus dicentem fecit: dum virgines etiamnum eſſent, ereptos illis Deorum ira parentes, orbas à Venere educatas. Tribuiſſe verò illis & alias Deas certa munera: Iunonem certè prudentiam,& formoſitatem, corporis proceritatem,Dianam, elargitas, iam verò à Minerua edoctas lanificium,& quicquid mulieribus didiciſſe in laude ducitur. Poſtremò Venerem in cælum aſcendiſſe, quò à Ioue puellis fauſtas nuptias conficeret, interea verò Venere abſente ab Harpyis abreptas,diris traditas fuiſſe. Hęc de illis Homerus. In Chiorum numiſmatibus Harpyiarum quoq; icones exprimebantur. [b] Antonius Auguſtinus Harpyias nõ in nũmis ſe,ſed in corneola quadam obſeruaſſe tradit. Romę in Palatio Illuſtriſſimorum Farneſiorum inter cæteras pulcherrimas ſtatuas etiam ſimulacrum naturæ conſpicitur, cui inter alia animalia Harpyiæ etiam inſident. nec non itẽ ſimulachrũ vrbis Romę cui Harpyiæ propè pedes adſtant. Vidi in eadem vrbe propè arcum Camilli Harpyiam in caſſide Pyrrhi Epirotarum Regis,in ædibus Leonardi ſculptoris, & antiquarij egregij. Vidi pariter apud Illuſtrem Carolum de Fano ſpolium,& trophæum pulcherrimum vnà cùm Meduſa, quæ in

Pandiri filię depictę, & ab Harpyis raptæ.

Chiorũ numiſmata.

[b] *Dial. 5. de Numiſ. nu. 15.*

medio

medio pectoris Gryphes, nec non Harpyiarum, & Leonum capita gestaret. De quibus omnibus mentio fit in libro meo de statuis, quem ante aliquot annos edidi.

## EMBLEMATA.

DOCTISSIMVS[a] Andreas Alciatus de Harpyis hoc habet emblema cum Lemmate BONIS A DIVITIBVS NIHIL TIMENDVM: [a] *Embl.* 32.

*Iunctus contiguo Marius mihi pariete, nec non*
*Subbardus nostri nomina nota fori.*
*Aedificant bene nummati sataguntq; vel vltro*
*Obstruere heu nostris vndiq; luminibus.*
*Me miserum geminæ, quem tanquàm Phineа raptant*
*Harpyiæ, vt propriis sedibus eijciant.*
*Integritas nostra, atq; animus quæsitor honesti,*
*His nisi sint Zetis, his nisi sint Calais.*

Sensus versuum est plerosq; viros bonos possessionibus suis extrudi per opulentos vicinos, nisi bono animo, atq; virtute vindicentur.

## DE STYMPHALIDIBVS. Cap. III.

STYMPHALIDES Aues, quęcunque tamen eæ fuerint, cùm Poëtis humanas carnes vorare tradantur, tantaq; esse feritate, vt in homines haud secus ac Leones, & Pantheræ sæuiant, nõ ad aliã commodiùs, quàm ad rapacium carniuorarum volucrum familiam conferri nobis visæ sunt.

## ÆQVIVOCA.

STYMPHALOS oppidum est Arcadiæ propè Corinthum, & Stymphalus amnis, aut etiam lacus vrbi eidem vicinus. Stymphalos oppidũ. Stymphalus amnis.

## SYNONIMA.

STYMPHALIDES dictæ sunt à Stymphala palude, cui & ipsi nomen à Stymphalo Arcadiæ oppido, prope quod sita erat. In ea aues hæ degisse feruntur, quas[a] Apollonius etiam Ploides vocauit, necnon Seleucides, & Charon, quòd scilicet in lacu isto natarent. Cæterùm apud Ouidium, & Senecam, & Martialem animaduerto in dictione Stymphalus penultimam longam esse, Ausonius tamen breuem protulit. Etymologia. [a] *In Argonauticis.* Ploides. Seleucides.

*Stymphalides pepulit volucres discrimine quarto.*

[b] Ouidius longam ponit eo versu: [b] *Metam.* 9

*Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides vndæ:*

Ratio est, quod alpha apud Græcos dichronon est, qua licentia[c] Homerus vsus est: [c] *Iliad.* Σ.

ἀρὲς ἀρὲς βροτολοίγε.

Quod & [d] Martialis insinuat, [d] *L.* 9. *Epigram.*

*Et quos Ares ares decet sonare.*

[e] Pausanias Stymphalides aues Arabicas vocat, quòd Arabia quoq; deserta eas feras exhibeat. [e] *In Arcad.*

## DIFFERENTIAE.

DVBITAT[a] Pausanias nunquid Stymphalides aues Arcadiæ cum Arabicis vti nomine inuicem non differant, ita forma etiam, & natura conueniant. [a] *In Arcad.*

*Quod si, inquit, semper genus fuit Stymphalidum, vt Accipitrum, & Aquilarum. facilè adducor indigenas esse Arabiæ. Et fieri potest, vt pars quædam ex illis in Arcadiam Stymphalum transuolárit. Arabes auem alio eas nomine principio, non Stymphalides appellauerint. Sed Herculis gloria, & qui barbaris semper fuerunt prælati Græci, in causa fuerunt, vt & illæ in Arabia deserta Stymphalides nostra ætate vocarentur.*

DESCRI-

# DESCRIPTIO.

GRAMMATICI quidam Stymphalides aues tanta fuiſſe magnitudine tradunt, vt Solis radios obumbrare dicerentur, quamuis hoc frequentię potiùs, quam magnitudini videatur tribuẽdum.[a] Pauſanias verò *magnitudine Grues æquare, nec maiores eſſe* ſcribit, *Ibibus cætera eſſe ſimillimas. roſtra tamen habere firmiora, & non vt Ibes obliqua.*[b] Plinius cirrhatas eas facere vrdetur, vbi ait. *In capite paucis animalium, nec niſi volucribus apices, Phaſianæ corniculis, Stymphalidæ cirrho.* Hinc author obſcurus, qui de natura rerum ſcripſit, Vanellum auem vulgò dictam, ſeu Capellam Ariſtotelis, Stymphalidem Plinij eſſe arbitratus eſt, non alio, vt apparet, argumento perſuaſus, quàm quòd Stymphalidi Plinius cirrhum tribuit. Nam & Vanellus quoq; cirrhatus eſt.[c] Sed eadem ratione felem Mineruam feceris, quòd cæſij vtriq; ſint oculi. Apollonius miſſiles earum pennas fuiſſe fingit, quibus tanquàm ſagittis homines vulnerârint. Quæ res fidem, & naturæ ordinem ſuperans Claudiano Poëtę credibilis reddita eſt, Hiſtricis exemplo; de quo ita canit.

[a] *In Arcad.*

[b] *L. 11. c. 37*

Vanellus Auis cut Stymphalis credita.

[c] *Argon. 2.*

*Audieram memorande tuas Stymphâle volucres*
*Spicula vulnifico quondam ſparſiſſe volatu,*
*Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ*
*Viſa diu, datur ecce fides, & cognitus hyſtrix*
*Herculeas affirmat aues,* &c.

Hyſtricis deſcriptio.

Huic enim

*ſtat corpore toto*
*Sylua minax iaculiſq; rigens in prælia creſcit*
*Picturata ſeges,* &c.
*Sed non hæc acies ritu ſyluęſtris echinni*
*Fixa manet, crebris propugnat iactibus vltrò,*
*Et longè ſua membra regit tortumq; per auras*
*Euolat excuſſum natiuo miſſile tergo,*
*Interdum fugiens Parthorum more, ſequentem*
*Vulnerat,* &c.

# LOCVS.

[a] *In Arcad.*

IN *agro Stymphalorum*, inquit[a] Pauſanius, *fons eſt, è quo Adrianus Cæſar Corinthijs aquam intra mœnia deduxit. In oppido ſtagnans hyeme fons lacum efficit, vnde Stymphalus amnis exit. Æſtate quidem lacu ſiccato amnis æquato labitur alueo, ac terram per cuniculum ſubiens in Argolico ſe demum agro profert, ibiq; nomine mutato pro Stymphalo Eraſinus vocatur.* De eadem palude idem miraculoſam hanc refert hiſtoriam, quam quia iucũda eſt, & ſcitu digna, (quamuis ea parum ſit exorbita) tamen ſubnectamus. *Cùm Stymphaliæ Dianæ, cui eo loco templum erectum erat, ſolemne ſacrum indiligentiùs omni ex parte factum eſſet, ac in primis patrij ritus prætermiſſi, lucus repentè ſuper eam cauernam corruit, quam ſubter Stymphalus amnis meat. Obſepto igitur oſtio aqua refluens latè omnem campum haud minus ſtadiorum 400. perpetuò ſtagno occupauit. Fortè ita accidit, vt venator ceruam fugientem perſequens, cùm illa ſe in eius paludis cœnum abiecißet, animi impetu concitatus per aquas natans, cùm vrgere non prius deſierit, quàm idem hiatus & feram & venatorem abſumpſerit, mox & ſtagnantem aquam amni via patefacta conſecutam, ac totam paludem vna die ſiccatam tradunt. Sacrum Dianæ apparatius, & magnificentiùs factum.* Sed Stymphalides aues[b] Iſidorus marinas eſſe dicit, & in inſulis quas Stymphalides dicunt, agere. Has tamen Authorum nemo, quod equidem ſcio, memorat. Apollonius eas circa Aretiaden inſulam collocare videtur, quam primum ab Otrera Martis filia habitatam fuiſſe ferunt. Meminit earum Timagenus, & Piſander in Scythiam eas auolaſſe tradens, vnde & primùm venerint in Arcadiam, hinc poſtea ad Aretiadas inſulas ab Hercule propulſas. Eaſdem Arabiæ quoq; deſerta præter cæteras feras volucres aluiſſe, author eſt Pauſanias, vt ſuprà etiam meminimus. Qua de re etiam Arabicas aues vocat, ſuſpicatus quaſdam ex illis Arabia relicta Stymphalum Arcadiæ tranſuolaſſe, alioquin natura eaſdem, loco tandem diuerſas eſſe.

[b] *Lib. 12. Orig. c. 7.*

VICTVS.

# VICTVS. FERITAS.

IDEM Pausanias humana carne vesci solitas refert, adeòq; fuisse feras, vt in homines non minus, quàm Leones, ac Pantheræ grassarentur. Quin & missilibus pennis armatas referunt, quibus haud aliter, quàm sagittis eiaculatis insectantes vulnerarent, seseq; defenderent. Sed & rostro plurimùm valere dictæ sunt, quo in illos, si qui ad eas capiendas accederent, ferebantur, vulneratosq; occidebant. Id tanta duritie fuisse fertur, vt vel ferrea hominum scuta perforaret. [a] Lucretius vnguibus quoq; formidabiles esse scribit:

Rostri Stymphalidũ durities.

[a] *Lib. 5. de rer. nat.*

*Thracen Bistoniasq; plagas, atq; Ismara propter*
*Tantoperè officerent vobis, vncisq; timendæ*
*Vnguibus Arcadiæ volucres Stymphála colentes.*

Insignem earũ feritatem ac sæuitiam [b] Plautus innuit, cùm amoris crudelitatẽ exaggeraret:

[b] *In Persa.*

*Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo luctari mauelim*
*Quam cum amore*, &c.

Hoc verò mirum est, quod venatores narrant, vestes sibi contexere Phloinas, quibus rostra Stymphalidum non aliter quàm minorũ auium alæ viscо detineantur. Hęc ex Pausania transferentes, Gillius corticeam vestem, [c] Leonicerus multiplicem pannosamq; tunicam, verterũt. Sed Phlus vel phleos genus est stirpis Theophrasto, ex quo Phloinæ vestes cõficiebãtur, quarum & Pollux meminit. Hasce aues easq; innumeras ex Stymphalide palude Hercules abegisse fertur. Pausanias ab eo sagittis confectas narrat. Pisander Camirensis aues ab Hercule occisas negat, sed crotalorum strepitu abactas, neq; aliter potuisse, nisi crotali seu crepitaculi ærei sonitu perterrefactas, quod à Vulcano fabrefactum Minerua acceperit, & Herculi donauerit. Hæc [d] Vergilius, vbi de laboribus Herculis agit:

Quomodo capiantur. Phloinæ vestes.

[c] *In Variis.*

Phlus, vel Phleos.

*Stymphalides pepulit volucres diserimine quinto.*

[d] *In Tragm.*

Et [e] Claudianus, vbi Herculem alloquitur:

[e] *L. 2. de raptu. Proserp.*

*Solus Amazonio cinctus Stymphalidas arcu*
*Appetis, occiduo ducis ab orbe greges.*

Item Catullus eodem sensu.

*Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta*
*Perculit, imperio deterioris heri,*

[f] Author quoq; Austriadum memorat:

[f] *Lib. 2.*

*Lethifero quondam superatum Stymphalon arcu,*
*Victaq; ad Argolicum referentem monstra tyrannum.*

[g] Papinius item Statius inter cætera Arcadiæ loca recensет

[g] *Thebai. 9.*

—— *Herculeos vulgatos robore montes*
*Monstriferum Erymanthon, & æriſonum Stymphálon.*

Aerisonum Poëta vocat, quòd, vt antè retulimus, ingenti æreorum crepitaculorum sonitu, seu, vt Pherecides tradit, æreæ tabulę collisu ab Hercule pulsas ex Arcadia fabulentur. Crotalũ seu æneam illam tabulam, quam alij Vulcani opus esse asserunt, quidam ab ipso Hercule fabricatum putant, quibus accedit Hellanicus. Mnasias huius rei propriam historiam scribit, & Stymphalides Stymphali heroicę virtutis hominis, & Ornithæ puellæ fuisse filias ait, ab Hercule extinctas, quòd hostibus Molionis intra vrbem receptis, portas ei clausissent. Pherecides verò non mulieres, sed aues fuisse ait ab Hercule interemptas. Higinus in hac fabula non parum ab alijs variat. Argonautæ, inquit, cùm ad Insulam Diam venissent, & aues pẽnis suis pro sagittis vtentes eos conficerent, cùm multitudini resistere non possent, ex Phinei monitu clypeos, & hastas sumpserunt, exq; more Curetum sonitu eas fugârunt.

# DE SIRENIBVS. Cap. IV.

SIRENES ideò inter volucres fabulosas, easq; rapaces reponi quoq; posse videntur, quòd quos cantus sui lenocinio ad se pelliciebant, deuorare fingerentur.

## AEQVIVOCA.

SIRENES, & Onocentauros [a] Esaias dæmones quosdam vocat, qui certa quadam corporis figura assumpta ad desolationem ciuitatis alicuius ira numinis missi sunt. Syri verò Cygnos interpretantur. Hi enim loti ex aqua sursum in aërem volant, & suauem quendam

[a] *Ca. 13. & 14.*

quendam cantum edunt. Vnde [b] Iob: *Frater factus ſum Sirenum, & ſocius Paſſerum.* (σειρήνων Struthiocamelorum, vt in hoc loco Suidas accipit.) hoc eſt, calamitates meas cano more Sirênũ. Neſcio quis in Lexico Græcolatino Sirenem aliam auiculam quandam dicit eſſe, quod ego apud nullum hactenus probatum authorem me legiſſe memini. Galli quidem vulgò canoram auem quandam paruam, & ſuauiſſimè argutam ſua lingua Serin appellant, ſortè quaſi Sirênem. Eſt autem illa veterum Acãthis. Sirênes etiam aſtra dicũtur, ut ſcribit author Lexici Rethorici à uerbo σειριᾶν, quod eſt fulgere, lucere; unde & Sirius (canis ſidus) priuatim, & per excellentiam ita dictus eſt. Eſt & apud [c] Ariſtotelem Siren maſculino genere animalculũ inſectum; uidetur autem illud quoque edere uocem quandam σημαίνουσαν, id eſt, futurum aliquid ſignificantem; & [d] Plinius Sirenes è fucorum genere eſſe ait, quas in apibus Nymphas appellamus, hoc eſt, Fucos imperfectos, cùm iam formã capere incipiunt. *Cætera turba*, inquit, *quum formam capere cœpit, Nymphæ vocantur: vt Fuci Sirenes, atque Cephenes.* meminit & Suidas Σειρὼ μὲν φίλον ἀγγέλλει, ξῦνον δὲ μέλισσά, hoc eſt *Siren quidem amicum nunciat, hoſpitem uerò Apis. Siren inſectum eſt cerificum Api conſimile.* Siren σειρὼ dicitur etiã genus tunicæ tenuis, & perſpicuæ, qualem ſcilicet ſub Sirio, id eſt, in magno æſtu geſtari conſueuit; videri autem poteſt talis tunica ſerica eſſe, cùm & res & nomen conueniat.

Cap. 30. Siren auicula.
Seris auis Gallis quę. Sirenes aſtra.
Sirius canis.
[c] 9. Hiſtor. c. 40.
[d] Lib. 11. c. 16.
Siren inſectum.
Siren pro tunica.

# NOMEN. ETYMVM.

SEPTVAGINTA imterpretes pro Ieanim vertunt Sirenes, de quarum etymo multa extãt apud Grammaticos. Sunt qui dictas velint ἀπὸ τῦ σείρειν, hoc eſt à trahendo: hinc Syrenes ſcribunr per ypſelon, ſed perperam, cùm Græcis σειρῆνες per ει dipthongũ ſcribatur. Alij à σειρὰ, quę uox catenam ſignificat, eò quòd libidinis uinculum Sirenes fuerint. Alij ἀπὸ τῦ εἴρειν, id eſt, connectere uel retinere, quòd prætereuntes ſuo cantu retineant. Alij à uerbo σειω, quod Heſychio quandoq; ſignificat σύκοφαντῶ, qui & addit ſumptam eſſe metaphoram ἀπὸ τῶν τὰ ἀκρόδρυα σείοντων. Sed friuolæ nimis iſtæ Grammaticorum coniecturæ ſunt. Si tamen earum una mihi recipienda foret, putãrim appellatas παρὰ τὸ σειρὰν, id eſt, à catena ſiue funę; quòd audientes ſcilicet uoce earum capti, ab ea tanquam funę perderent, & tanquam alligati traherentur, ut ab Herculis Gallici ore procedente catena uincti quidam illum ſequuntur apud Lucianum, quod ad demonſtrandam eloquentiæ uim confictum eſt. Eſt qui σειράζειν uerbum interpretatur, στρέφειν, τινάσσειν, quod ab eodem nomine σειρὰ catenam ſignificante factum conijcio. Nec mihi interim etiam diſplicuerit, ſi quis à Sar Hebraico uerbo deriuet, quod canere, & pſallere ſignificat, cùm & eiſdem Zar ligare eſt, unde σειρὰ fortè dicitur, id eſt funis, & uinculum.

Ieanim. Etymolog.
Zar Hebręis quid.

# FORMA. DESCRIPTIO.

DE forma figuraq; Sirenum, etſi non bene inter ſcriptores conueniat, omnes tamen in eo conſentiũt, ut monſtra marina fuiſſe fabulentur. Hinc Ouid. dixit:

*Monſtra maris Sirenes erant, quæ voce canora*
*Quaslibet admiſſas detinuere rates.*

Sunt qui ſuperiori ſui parte virginis formam retuliſſe, & inferiori in piſcis caudam deſiuiſſe finxerint, à quibus fortè [a] Homerus non diſſentit, facturus eas, (ſi alatas eſſe credidiſſet) ſequentes, & aduolantes ad fugientem Vlyſſis nauem: atque hinc etiam pictores noſtri æui inferius piſces eas effingunt: ſed perperam; nam veterum, quod ſciã, nemo piſcium figuram eis tribuit; quamuis enim Homerus alatas eſſe non dixerit, id ideò factum putem, quoniam de alis earum loquendi occaſio nulla ei data ſit. Finguntur itaq; à ve teribus, teſte [b] Aeliano ſpeciem à thorace ſurſum habuiſſe muliebrem, infera verò auiciam, vt & [c] Seruius annotat, item & Suidas. Contrà verò Grammatici Græci in ſuperioribus ſpeciem στρεβῶν, hoc eſt, Paſſerum; in inferioribus mulierum formam illis tribuunt: & Buccatius ex Alberio ignobili ſcriptore virgineum eis corpus umbilicotenus, pedes verò Gallinaceos aſſignat. [d] Euſtathius rurſus à Venere, cùm virgineam ſibi vitam delegiſſent, in aues tranſformatas eſſe tradit; hoc enim ſignificat ὀρνιθωθῆσαι, & Iſacius Tzetzes ὀρνιθογόνας eas appellat. [e] Ouidius eos ſecutus eſt, qui inferiorem corporis partem auitiam, ſupernam humanam fuiſſe, fabulati ſunt, vt his verſibus exponit:

*—— Vobis Acheloides vnde*
*Pluma pedeſq; auium, cùm Virginis ora geratis?*

[a] Odyſſ. M.
[b] L. 17. de anim. c. 23.
[c] Aenei. 6.
[d] In Comm. Odyſſ. M.
[e] Metam. 5

An quia

*An quia cùm legeret flores Proserpina vernos*
*In comitum numero mixtæ Sirênes eratis?*
*Quam postquam toto frustra quæsistis in orbe,*
*Protinus vt vestram sentirent æquora curam,*
*Posse super fluctus alarum insistere remis*
*Optastis, facilesq; Deos habuistis, & ortus*
*Vidistis vestros subitis flauescere pennis.*
*Nec tamen ille canor mulcendas natus ad aures*
*Tantaq; dos oris linguæ deperderet vsum,*
*Virginei vultus, & vox humana remansit.*

# QVÆ, ET QVOT FVERINT SIRENES.

HOMERVS σειρηνοῖν protulit in duali numero tanquàm binæ tantùm fuerint Sirenes, quarum nomina quibusdam putantur Aglaopheme, & Thelxiepeia, Alij verò binas fuisse quoq; putârunt, sed sine nomine, vt Eustathius annotat. Alij rursus tres, atq; hæc earum nomina faciunt, Parthenope, Leucosia, & Ligia. Scholiastes uerò alia earum nomina recenset, videlicet Thalxiope, vel Thelexinóë, Melope, & Aglaophωnos. Alia item Isacius Pisinoe, Aglaope, & Thelxiepia. Sunt qui quatuor, nec desunt, qui quinq; fuisse finxerint.

Aglaopheme. Thelxiepia Parthenope. Leucosia. Ligia. Thelxiope. Melope. Aglaophωnos. Pisinoe. Aglaope. Thelxiepia Sirenes cur Acheloides dictæ.

# ORTVS.

QVEMADMODVM de nominibus, & numero Sirenum non constat, ita etiam de ortu earum diuersa authorum opinio est, cùm alij è sanguine, qui è cornu Acheloi, cùm lucta ab Hercule uinceretur, destillauit, natas velint; alij uerò ac ferè omnes Acheloi quidem filias faciũt, ideoq; Acheloides vocârũt, sed ex congressu eius cum Musarum aliqua natas nugati sunt. Horum rursus alij cum Terpsichore seu Melpomene, alij cum Calliope, alij deniq; cum Sterope Amythaonis filia cõcubuisse illum tradidêre. Sunt præterea qui dixerint, Sirenes Iunonis impulsu cum Musis de cantus harmonia decertasse, cumq; à Musis facilè vincerentur, illas Sirenibus pennas euulsisse, sertaq; ex ijs sibi confecisse. Non desunt etiam, qui eas à Venere, quòd perpetuam sibi uirginitatem elegissent, irata, in Aues conuersas fuisse dicant. Alij tãdem Proserpinæ adhuc virginis comites fuisse produnt, & in talia monstra marina mutatas, atq; id ex Ouidio paulò antè recitauimus.

Serta ex Sirenum pennis.

# LOCVS.

SERVIVS Sirenes iuxta Pelorum primum, qui Siciliæ promontorium est Ptolomæo, & hodie Capo de la torre del Farro dicitur; postea uerò in Capræis, quę insula Tiberij Principis arce nobilis est, teste [a] Plinio, in mari Tyrrheno habitasse memorat; à quo Eustathius non dissentit in Tyrrheniam eas auolasse, quæ Italiæ pariter regio est, & Anthemusam quandam insulam in eodem mari incoluisse tradens: sed fortassis id ex Apollonio descripserit, qui Argonautas mare nauigãtes insulam Anthemoëssam (sic & Hesiodus vocat) & in ea se Sirenes uidisse scripsit. [b] Plinius verò Surrentum Campaniæ oppidum à Græcis conditum, quod alio nomine dicitur petræ Sirenum, vnà cum Promontorio Mineruę Sirenum quondam sedem fuisse tradit, De quo [c] Virgilium quoq; loquutum volunt, ubi canit:

*Iamq; adeò scopulos Sirenum aduecta subibat*
*Difficiles quondam multorumq; ossibus albos.*

Vnde Sirenes Italiæ loca incoluisse constat, quamuis Dino apud Plinium Clitarchi celebrati autoris pater in India habitasse affirmet, mulceriq; earum cantu, quos grauatos somno lacerent.

Pelorus promõtorium quale.
[a] *Lib.3.c 6.*
Anthemusa insula.
Anthemoëssa insula.
Surrentum Campaniæ oppidum.
[b] *Lib.3.c.5.*
Petræ Sirenum.
[c] *Lib.5. Aeneidos.*

# CANTVS. RAPACITAS.

CVM tres pleriq; veterum Sirenes fuisse dicerent, tria etiam illis instrumenta vocem, videlicet, tibias, atque lyram assignârunt, quibus tantam ederent harmoniam, vt non tantùm homines, sed ventos etiam (vt ex Hesiodo recitat Eustathius) demulcerent, & mare tranquillius redderent. Vnde σειρηνίον μελος apud Suidam de cantu suauissimo legimus.

Σειρηνίον μελος.

mus. Sed peſtifer omninò, ac pernitioſus præternauigantibus fuit earum cantus, utpotè quos tali dulcedine, tanquàm illicio detentos in vltimum vitæ diſcrimen, atque naufragia præcipitarent, demerſoſq; deuorarent. Quare multi Sirenes in pratis, vbi multa conſpicerentur mortuorum cadauera, depingebant. Quod verò cantu ſuo nauigantes occiderent, paſſim apud diuerſos Poëtas legere eſt, quorum loca, quoniam omnes eadem repetunt ne nauſeam una res ſæpius repetita moueat, ſponte breuitati conſulens prætereo, & ſolius Claudiani tantùm verba adduco:

*——Rapidis Acheloides alis*
*Sublatæ: Siculi latus obſidêre Pelori*
*Accenſaq; malo iam non impunè canoras*
*In peſtem vertêre lyras, vox blanda carinas*
*Alligat, auditoq; frænantur carmine remi.*

Cùm itaq; muſico illo concentu omnes interimerent, vnum Vlyſſem, quē ſors etiam illis obiecit, interficere, ac ſubmergere non potuerunt, cùm cera ſibi ſocijsq; aures obturaſſet, quod ægrè adeò tuliſſe eas fingũt, tantoq; animi dolore affectas fuiſſe, vt in mari ſe præcipitauerint, & ab undis in loca, quæ poſt ab eis nomen reſeruârunt, eiectæ fuerint. De Sirenum cum Vlyſſe colloquio, quo illum demulcere ſtudebant, carmen hocce apud [a] Ciceronem extat:

[a] *Lib. 5. de fin. bonorũ, & malorũ.*

*O decus Argolicam quin puppim flectis Vlyſſes*
*Auribus, vt noſtros poſſis cognoſcere cantus.*
*Nam nemo hæc vnquam eſt tranſuectus cærula curſu,*
*Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus,*
*Poſt variis auido ſaciatus pectore muſis*
*Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.*
*Nos graue certamen belli clademq; tenemus,*
*Gracia quam Troiæ diuino numine vexit*
*Omniaq; è latis rerum faſtigia terris.*

Meminerunt eiuſdem fabulæ, quàm multi alij, atque inter cæteros [b] Horatius, ubi ait:

[b] *Lib. 1. Epiſtol. 2.*

*Sirenum voces & Circes pocula noſti,*
*Quæ ſi cum ſocijs ſtultus cupidusq; bibiſſet,*
*Sub domina meretrice fuiſſet, turpis & excors,*
*Vixiſſet canis immundus, & amica luto ſus.*

# DENOMINATA.

Sirenuſæ inſulæ.

[a] *L. 1. Geog.* Petræ Sirenũ ſaxa.

[b] *L. 3. c. 10.*

[c] *Lib. 4.* Anthemoëſſa.

[d] *Lib. 6.* Leucoſia inſula.

[e] *Lib. 6.* Aptera vrbs. Apteria.

[f] *Lib. 4. c. 12*

[g] *In Phocicis.* Sirenei ſcopuli.

[h] *L. 6. Noct. Attic. c. 8.* Philoſophiæ contemplatiuæ typus.

SIRENVSAE σειρῆσαι Ptolomæo, [a] Straboni, & Stephano Italiæ inſulæ in ſinu Cumano. Pomponius petras; Solinus Sirenum ſaxa vocat. Hermolaus vult Sirenes quoq; à [b] Plinio Sirenuſas dictas, vbi in impreſſis codicibus vulgò Tyris, Eranuſa legitur. Sirenuſæ ab [c] Apollonio Anthemoëſſa ἀνθεμόεσσα appellatur. Duas numerat Coſenutius, & Carrafa in ſuo Chronico Neapolitano, eaſq; il Gallo, & Santo Pietro nominat. Alias Sirenarum inſulas deſcribit [d] Dyctes Cretenſis inter Calypſonem inſulam, & Charybdin. Leucoſia alia in Sirenuſis eſt inſula continenti propior apud [c] Strabonem, Pæſto tamen obiecta. Aptera ἄπτερα Luciæ vrbs Stephano, vel Apteria ἄπτερια, Cretæ inſulæ oppidum Ptolomæo, Apteron fortè Plinio, Aptera Suidæ: Marius Niger Palæocaſtro nominat, ita dictum quòd Sirenes eo in loco à muſis victæ pennis exutæ fingantur. Sic aptera animalia dicuntur, quæ alis carent. [g] Pauſanias hanc vrbem Apteræon vocat, & à Ptera appellatam tradit, homine Delpho, ſed de Sirenibus non meminit, addit tamen non à Pteri, id eſt, filice herba in montibus ibi creſcente denominari. Sireniorum ſcopulorum meminit [h] Aulus Gellius: *Tu quoq;* inquit, *in illis Dialecticæ gyris, atq; Meandris, tanquàm apud Sirenios ſcopulos conſeneſcas.*

# MORALIA.

IRENVM fabulã variè interpretantur, moraliter, hiſtoricè, & phyſicè, necnon & allegoricè. Moraliter enim ſignificare uidentur illam Philoſophiæ partem, quæ contemplationi rerum incumbit, cùm aliarum, tùm naturalium, & hiſtoriæ, & matheſeos cognitioni, quieta & ab actionibus remota. Itaq; canũt apud Homerum omnia ſe noſſe, & hiſtoriam belli Troiani, & quæcũq; in terra euenerint, & quiſquis ipſas audierit, illum tum lætiorem, ex uoluptate percepta, tum cognitione

tione ſapientiorem abire. Quanquam autem hæc Philoſophiæ pars,& uoluptatis,& eruditionis multum habeat,ita ut hominem vix à ſe dimittat,& ad officia actioneſq; humanæ vitę neceſſarias, ut circa res in familia, aut rep. gerendas progredi uix patiatur, ( vnde etiam ligatus fingitur Vlyſſes,tanquam ad omnem actionem impeditus)Philoſophum tamen,qui per Vlyſſem indicatur, non nimium his ſtudijs immorari decet, ſed contentum hanc voluptatem ſe deguſtaſſe, nec omninò talium rerum cognitionis ſe expertem eſſe,ad ea, quæ in hominum vtilitatem adminiſtranda,& prudenter gerenda ſunt,pergere, uinculis,quibus agere prohibebatur,ſolutis: vt non ſibi tãtùm,ſed alijs quoq; natus uideretur,& perfectus eſſet philoſophus, cùm parte illa, quæ contemplatur, tùm altera quę agit,ac mores,& virtutes officiaq; exercet. Vlyſſis fabula moraliter explicata.

Sunt qui Sirenes pſaltrias quaſdam & meretriculas fuiſſe conijciant, quæ tranſeuntes viaticis priuatos,non mori quidem ( hæc enim fabuloſa hyperbole eſt ) ſed miſerè in poſterum vi uere effecerint. Alij ſenſerunt fuiſſe loca caua,è quibus continuus quidam ſpiritus emitteretur, qui per fiſtulas quaſdam ab incolis appoſitas ſonum tam ſuauem ediderit, vt prætereuntes ad ſe alliceret,& in admirationem aliquandiù immorantes traheret. Et ſanè conſtat huiuſmodi veluti cantum ſponte naturæ multis in locis edi,non modò cauis ore anguſto,ſed in littoribus etiam modicè cauis, ad quæ vndæ per motus diuerſos alliſæ, ſonum non ingratum eliciunt. Athæneus coqui cuiuſdam facetè per Sirenum fabulam iocantis,hæc ferè verba recitat. *Si femèl culinam meam arte inſtituero, id planè futurum videbis,quod olim circa Sirenes cõtigit. Præſuauit ate enim nidoris nullus per proximum vicum tranſire poterit, ſed accedens quiuis hians ad fores tanquã affixus ſtabit; donec alius quiſpiam naribus obturatis adcurrens eum abſtraxerit.* Hęc omnia Euſtathius in duodecimum Odyſſeę, quæ Ornithologus latina fecit. Sirenespſaltrias,& meretriculæ.

# HIEROGLYPHICA.

SIRENES, quæ ſuauitate cantus,& mollibus quibuſdam illecebris illectos homines apud ſe,ad mortem vſq; feruntur detinuiſſe, Veneris illicium ſignificare vſitatiſſimo hieroglyphico nemo non nouit. Addunt & perniciem, quæ ſubſequitur ex nequitia per Sirenis imaginem ſignificari,eoq; tradunt nautas illos apud Homerum illectos, exitij ſui cauſam comparaſſe. Sapientiſſimũq; ideò Vlyſſem fingunt,quòd ſociorum auribus cera oblitis pereundi periculũ ſuſtulerit,ſibiq; cauerit ne illi quicquam,quod imperaret,aut nutu ſignificaret,facerẽt,ad malum ſe vinculis alligari paſſus,neq; prius diſſolui, quàm in tuta ſuperato periculo euaſiſſet. Sapientiores tamen Sirenes pro hieroglyphico eloquentiæ, feliciſſimaq; perſuadendi vi poſuerunt: vnde dictum illud de Catone Grammatico; *Cato Grammaticus, Latinus Siren.* Et Apollonius Tianeus apud [a] Philoſtratum in Apollinis templo ſuſpenſas etiam aureas Sirenum illecebras memorat in huiuſmodi ſignificatum. Veneris illicium. Eloquentię hyeroglyphicum. Cato gramaticus Siren dictus. [a] *In vita Apollonij.*

# PROVERBIA.

*SIRENAS præternauigare* Σειρῆνας παραπλέειν prouerbiali tropo dicitur, qui Philoſophiæ præceptis communitus,voluptatum illecebras deſpuit, aut quomodocumq; vitiorũ occaſionẽ declinat. Socrates apud Platonem ἐὰν δὲ ὁρῶσι διαλεγομένους καὶ παραπλέοντας σφᾶς ὥσπερ σειρῶσας ἀκηλήτους, id eſt, *Sin videant nos ſermones conferentes, & illecebris immobiles præternauigare ipſos tanquàm Sirenas quaſpiam.* Similiter [a] alibi etiã dixit Βίᾳ ἐν ὥσπερ ἀπὸ τῶν σειλώων ἐπισχόμενος τὰ ὦτα, οἴχομαι φεύγων, id eſt, *Fuga abeo, uim mihi adhibens, & tanquàm à Sirenibus aures obſtruens.* Deſumptum adagium eſt ex notiſſima fabula de Vlyſſe ſociorum aures cera obturante, vt periculum ſibi, ſuiſq; imminens effugeret. *Sirenem Pica imitans*, de inepto imitatore dictũ eſt, ἀκιττα τὼ σειρῆνα μιμεμένα. *Pica Sirenis æmula.* Sirenes ſumma dulcedine ceciniſſe finguntur,& virtutum commentatores quibuſdam ſignificant, vnde apud Italos templa habuêre, vt aliæ Deę, quæ virtutem commendarent. Adagium hoc eſt apud [b] Galenum,& Doricum videtur,quid enim conſoni habet obſtrepera Pica,cum arguta Sirẽnum voce. Sirenas prętternauigare. [a] *In Simpoſio.* Sirenẽ Pica imitans. [b] *Lib. 2. de diff. pulſ.*

# ALLEGORICA.

SIRENES exiſtimare conuenit illecebroſas,& fraudulentas eſſe voluptates,quæ delicatis, blãdis, mellitisq; præſtigijs omnes grauiter irretiunt,quicumq; præſentem vitam tanquàm mare quoddam nauigant. Has voluptates ille ſuperabit,qui exemplum Vlyſ-

Vlyſſis exẽplum.

ſis imitatus, animæ facultates,& ſenſuũ inſtrumenta connata,diuinis rationibus, actionibusq; veluti cera refarſerit, corporeos autem impetus robuſtiſſimo philoſophiæ vinculo compeſcuerit, externisq; machinis inexpugnabiles effecerit. Hoc enim pacto, licet ſentiens, non ſentire videbitur, & audiens obaudire; illæ autem fruſtra occinentes admitti conabantur. Etenim voluptates ſimpliciter expertum eſſe non ſtatim animam corrumpit,ſed per omnem vitam ipſis adhærere velle temperantiæ optimarum actionum immemorem,hoc uerò eſt, quod præſentem animæ internecionem affert. Quod verò Sirenas tres fuiſſe fingant, tribus etiam modis homines in amoris illecebras pertrahi ſignificârunt,cantu ſcilicet,viſu,& conſuetudine. Idem numerus rectè nobis ſignificat mundum,carnem,& humani generis hoſtem,quorum cantus ſuggeſtiones ſunt,Inſtrumenta præſentes deliciæ,diuitiæ,& honores. Siren quę voce caneret, Dæmonem denotat, cuius vox,omnium vitiorum ſuggeſtio eſt,quibus irretitos homines detinet, detentosq; perimit,iuxta illud [a] Eſaiæ: *Erit Tyro quaſi canticum meretricum.* Quæ tibias inflat Siren carnis ſymbolum eſt, quæ nos ad luxuriam,libidinem, & gulę illecebras adhortatur iuxta illud [b] eiuſdem: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur:* Tertia Siren mundus erit, qui propoſitis nobis diuitijs,atq; honoribus ad auaritiam, & rapinam nos impellit, hinc idem [c] Eſaias ait. *Accellera, ſpolia detrahe,feſtina prædari.* Fícti pariter,& ſimulati amici, hęretici, ambitioſi,& mulieres Sirenibus egregiè aſſimulantur. Amicus enim falſus dolis ſuis, ac fallacijs cuiq; imponit,& in eo omnem operam ſuam,atq; induſtriam collocat,ut ex tali amicitia emolumentum capiat, nihil de damno illius ſolicitus, de his loquitur [d] Apoſtolus. *Omnes quæ ſua ſunt,quærunt,non quærunt Ieſu Chriſti.* Hæretici eodem modo Sirenes dici poſſunt, cùm peſſimis ſuis impoſturis alios à vera,& Catholica fide reducere ſtudent, ſeductosq; in æternas miſerias præcipitare,de quibus ad [e] Romanos ſcriptum eſt. *Per dulces ſermones,& benedictiones decipiunt mentes innocentium.* Ambitioſi Sirenibus perquàm appoſitè etiam comparari poſſunt, illi ſcilicet,qui cum virtute non poſſunt,arte,atq; fallacijs,uel ad Eccleſiæ,uel Reip.gubernacula aſpirant,quia ſi ad ea recipiantur,alios honores ambiunt,nec priùs à tali inſtituto auellũtur,quàm cæteris à gubernaculo depulſis,ſoli rerum potiantur. Sirenes demum meretrices ſignificant, vt enim illæ tranſeuntes in naufragia deducebant; ita hæ amantes ſuo amore irretientes, omnibus ſuis facultatibus ſpoliant,& tandem Iro pauperiores reddunt. Licet enim Sirenes corporis ſui principio fæminas referrent,hoc eſt,amicas,& benignas ſe præſtarent: reliquis tamẽ partibus auitijs,vnguibus nempè,atq; alis inſignitæ,rapacitatem,atq; auaritiam inexplebilem denotãt. Quod deniq; Sirenes in pratis uiridis,in quibus hominum oſſa diſperſa iacebant, à quibuſdam depictæ conſpiciantur,id mortem ſignificat,& calamitatem extremam ab illecebris laſciuis proficiſci.

Cur Sirenes tres dicta.

Dæmonis typus.

[a] *Cap.23.*

Carnis ſymbolum.

[b] *Cap.22.*

[c] *Cap.8.*

Amicus falſus.

Hæretici typus.

[d] *Philip.2.*

[e] *Cap.6.*

Ambitioſi.

Meretrices.

# SYMBOLA.

SIREN in turbido mari natans cum his uerbis CONTEMNIT TVTA PROCELLAS, ſignificat hominem qui proprię virtuti confiſus,aduerſa omnia contemnit.

# EMBLEMA.

[a] *Emblem. 115.*

EMBLEMA eſt apud [a] Alciatum,quod meretricibus nihil cum doctis eſſe ſignificat, uel poteſt intelligi ſub allegoria de malis,& ineptis Poëtis,qui bonis infeſti ſunt,& fuêre ſemper, ſed qui demum à bonis, & doctis vincũtur.

*Abſq; alis volucres,& eruribus abſq; puellas*
*Roſtro abſq; & piſces,qui tamen ore canant,*
*Quis putet eſſe vllos? iungi hæc natura negauit*
*Sirenes fieri vel potuiſſe docent.*
*Illicitum eſt mulier,quæ in piſcem deſinit atrum*
*Plurima quod ſecum monſtra libido vehit.*
*Aſpectu,verbis,animi candore trahuntur*
*Parthenope, Ligia,Leucoſiaq; viri.*
*Has Muſæ explumant,has atq; illudit Vlyſſes,*
*Scilicet eſt doctis cum meretrice nihil.*

DE

# DE SELEVCIDIBVS AVIBVS. Cap. V.

ETSI verò Seleucides dictæ aues, de quibus modò institutus est sermo, ueteribus minimè rapaces uocentur; quia tamen, quæ de illis tradiderũt, meræ fabulæ sunt, placuit & earum historiam cæteris uolucribus fabulosis subiungere, ut nihil in hoc opere deesse uideatur, quod liberalia studia promouere possit.

## ÆQVIVOCATIO.

SELEVCIS apud Varinum, & Hesychium calceamentum muliebre quoq; significat, necnon & poculi quoddam genus quod à Seleuco Rege nomen inuenit, Seleucis dictũ est, de quò Athenæus loquens: *Pocula quædam* inquit, *vnicum fundum habent, alia duplex, vt Ooscyphia, Cantharia, Seleucides: illorum fundum vasis corpori continuum fabricatum est, in his præterea alterum, quod è figura angustiore in ampliorem extenditur, cui poculum insistit.*

Seleucis Pro calceamento. [a] Lib. 11. Deipnos. Pro poculo.

## SYNONIMA.

PLINIVS in plurali Seleucides uocat, fortè quia nunquam Iupiter unam, sed plures ad internecionem locustarum immitteret. Legitur tamen σελευκὶς pro aue locustis uescente apud Hesychium, & Varinum, quæ nunquid eadem cum Plinianis sit, alij inquirant, iudicentuè. Quiuis id facilè mihi persuaserit. De nominis etymo nihil apud authores exaratum uideo. possit tamen quispiam suspicari à Seleucia regione Seleucides dictas, quòd Zozimius Comes non uidetur negare. *Seleuciæ*, inquit, *quod est oppidum Ciliciæ templum Apollinis erat, quem Sarpedonium vocant, & in eo oraculum. De hoc quidem Deo, quæ perhibentur, & quod omnibus ab illuuie locustarũ vexatis Seleucidas dare solitus fuerit, & cũ petẽtibus eas dimittere*, &c.

## FORMA.

DE forma Seleucidum, & magnitudine nihil scripsit antiquitas. Galenus tamen auiculas vocat, unde paruas fuisse quispiam arbitretur, maximè uerò cùm locustis uesci fingerentur, qui uictus paruis potiùs, quam magnis auibus conuenit. Doctissimus Iacobus Dalechampius Elorij quoddam genus esse existimat, sed id non placet, Elorius enim ex Ardearum genere est, & piscivorus.

Dalechampij error.

## LOCVS. VICTVS. NATVRA.

VORACITATEM inexplebilem Seleucidibus fabulosa antiquitas tribuit, sed quarum tamen aduentum agricolę, quòd locustas, quę aliàs fruges suas deuastabant non deuorarent solùm, sed sola etiam umbra sua eas enecarent, ab Ioue implorabant. Quod longè aliter recenset Plinius: *Seleucides*, inquiens, *vocantur, quarum aduentum à Ioue precibus impetrant Casij montis incolæ, fruges eorum locustis vastantibus*. Quas ita deuoratas Galenus tam celeriter excreuisse scripsit, vt Suidas, ὀρνεὸν ἐυπεπτον καὶ ἀκόρεστον καὶ παν̃άργον, hoc est, *Auem benè concoquentem siue insatiabilis ventriculi, malignam, vel astutam, & locustis deuorandis maximè inhiantem vocauerit*. Quem uerò locum incolerent, unde uenerint, quouè abireant nihil prõditum reperio, & Plinius etiam id ignorari scribit, *& nunquam conspectas, nisi cùm præsidio earum indigetur*, quod quomodo ueri simile sit, ipse uiderit, sed non minus splendidum est, quod sequitur, mendacium, quod tale est, vt si quis unam ex his auibus interfeciset, reliquę à defendendis à locustarum iniuria frugibus desisterent, neq; etiam amplius reuerterentur. Atque hęc sunt quę de Selucidibus fabulati sunt ueteres.

# MORALIA.

Angeli Seleucides dicti.

SELEVCIDES Aues, quæ nisi à Ioue, hoc est, à Deo Opt. Max. in terrã missæ fingebantur ad extirpandam Locustarũ illuuiem, Angelos cælestes denotare possunt, quorũ nos conditio fugit, nescimus.n. vnde illi veniant, aut quò se recipiant, quinimò nunquã nisi à Deo missi ad nos veniunt; Vnde D.[a] Paulus. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Nos itaq; vt Seleucides aues Casij montis incolæ à Ioue impetrant, sic quoq; à Deo nostro, cùm locustæ, hoc est, vel carnis huius titillationes, vel Dæmones, vel Tyranni, vel deniq; hæretici fruges nostras, hoc est, animi nostri dotes, fidem scilicet, & charitatem, aliaq; bona opera nostra deuastant, impetrare studeamus, vt eiusmodi locustas à nobis fuget. Sæpè autem Angelos pro hominibus pugnasse, & partâ victoriâ ex eorum oculis sese eripuisse sacra Biblia testantur. 1

[a] *Ad Hebr. cap. 1.*

# SYMBOLVM.

SELEVCIDES Aues cum verbo ALIIS, significant hominem, qui semper in eo solo omnem operam collocat, vt alijs prosit.

# APPENDIX AD HISTORIAM DE GRYPHE. 2

ANTEQVAM ad vndecimum Librum me conferam, nonnullas prius Icones ex ærea quadã, at vetustissima tabula, hieroglyphicis, hoc est, sacris Aegyptiorum symbolis cælata (quam ex Torquati Bembi Musæo publicæ vtilitatis causa Imperatori Ferdinando Aeneas Vicus Parmensis publicatam dedicauit) depromptas inferere voluimus, non tanquam per incuriam in Gryphi, & Harpyiarũ historia omissas, sed quę iam modò ad manus nostras peruenêre: nam & hæ (quatenus auium fabulosarum effigies gerunt) Harpyias, & Gryphos potiùs, quàm vllas alias exprimunt. Nec obstat rudis earum pictura: nam & ipsa eo æuo rudis erat, & imperfecta. Hasce verò icones Antonio Giganti Forosempronienſi, qui, cùm diu optimè 3 de literis meritus esset, hisce diebus non sine magno bonarum literarũ dispendio hinc ereptus est, acceptas referimus, vti etiam multa præterea alia ipsi debemus: Hic inter alia, qualia in anti quariorum Musæis conspici solent, eiusmodi tabulæ, quam diximus, typum conseruabat. In qua non hasce duntaxat, quas damus, icones considerauimus, verùm etiam alia multa hieroglyphica, ibi, vt diximus, exculpta, enucleauimus, & nomina imposuimus, vti in proprijs patebit locis nostrarum historiarum. Verumtamen nos, qui cùm hæc per trãsennam tantummodò scripserimus, alios rogamus, qui naturæ arcana diligentiùs perscrutantur, vt ad hęc nostra, & quæ suprà de his fabulosis volucribus à nobis dicta sunt, si quæ habent, addant admiranda, scituq; digna. Verisimile autem est Philosophos, seu sacerdotes illos Aegyptiacos, qui per eiuscemodi animalium, ac aliarũ rerum naturalium picturas, symbola sua hieroglyphica 4 cõscribebant: per hæc etiam nonnulla indicasse mysteria. Vnde cùm publicæ studiorum vtilitatis causa, quam semper ante oculos habemus, has icones depingi curauerimus, lectorem minimè superuacaneas iudicaturum omnino existimamus, sed cum D.[a] Augustino dicturũ: *Quàm innumerabilia varijs artibus, & opificijs in vestibus, calceamentis, vasibus, & huiusmodi fabricationibus, picturis etiam, diuersisq; figmentis, atq; his vsum necessarium, & piam significationem longè trãsgredientibus.* Ex his etenim verbis picturas, maximè verò illas, quæ eiuscemodi hieroglyphica continerent, inter reliquas artes propter finem, quem respiciunt, vtilissimas esse liquidè constat. Siquidem ex ijs diuina eluescit admiratio iuxta illud[b] Aristotelis: *Nullum reperitur animal, quamuis perexiguum sit, in quo non sit diuina admiratio.* Ad hæc eiusmodi hieroglyphica per res naturales indicata non oblectant solùm homines ea contemplantes, verùm & eos, qui intimiùs 5 ea perscrutantur, ad virtutem, quæ omnium actionum finis est, perducunt. Hinc talibus picturis, quæ alta continebant mysteria, præter Aegyptios, Hebræos etiam olim delectatos fuisse sacra historia testis est. Atq; hinc in templo Salomonis palmas, mala granata, leones, boues, multaque alia mysterijs plena depicta extitisse legimus, quæ à Theologis, sacrorumq; mysteriorum interpretibus passim enucleata sunt, & dilucidata. Verùm, vt ad icones depingendas reuertamur, lectorem de picturarum, quas diximus, vtilitate plura desiderantem ad[c] Gabrielis Cardinalis Palæoti, & [d] Pinti scripta, quę abundè de ea agunt, ablegamus.

[a] *Lib. 10. cap. 34.*

[b] *Lib. 1. de partib. animal. cap. 5.*

[c] *Lib. 2. cap. 30. de pict.*

[d] *In Ezech.*

Quæ



Quæ priori loco depicta est figura, fabuloso Gryphо accedit, duplicis nimirũ naturę, partim auem, partim quadrupedem referens. Rostrũ auium simile, nullus in capite oculus, nulla auris: quas nihilominus partes suo Gryphi fabulosa vetustas attribuebat, vt in Gryphe ostendimus. Conspicitur hîc supra verticem capitis huius animalis corniculatæ Lunæ imago, & supra hanc stella; ad latus verò nescio quid semen fraxini, seu linguam auis, vel aceris semen æmulans. Habet prętera hic Gryps caudam quadrupedis, leonis fortè, vt veteres etiam Græci finxerunt. Supra anteriores eius pedes alia erat figura facie humana, sed quæ brachiorum loco alas habebat ceù in vagina reconditas, vt in insectis analitris conspicimus.

Huic iconi addimus modò aliam, quæ quoque & ipsa Gryphem quodammodo exprimit quamuis enim facies, vtpotè cum appẽdice quadã ad mẽtum capillari, humanæ similis videatur, ꝙ virilis habitus signum est, Harpyiæq; fæminæ, ideoq; imberbes fingantur, Gryphis rudiorem picturam potiùs, quam Harpyiarum iudicamus, maximè cùm alas habeat instar auis, cætera quadrupedis, vt Gryps fabulosus. Adpicta erant huic figuræ, & alia hieroglyphica, nimirum planta quædam è vasculo enascens, nonnullęq; literæ, necnon baculus erectus, qui in superiori parte sceptri instar admodum erat crassus.

Tertio loco poſita Icon ſuperiori in omnibus ferè ſimillima. Eſt autem triplicis etiam naturæ,capite nimirum barbato,eoq; ceu galea induto hominem,alis auem, cæteris partibus quadrupedem referens.

Quarta figura,& ipſa Gryphi poteſt annumerari,& Tetrapoātropos dici,quòd partim quadrupedem,partim hominem referat: Capite ſcilicet capillamētis quibuſdam tortuoſis inſignito mulierem,alis retro caput ſurſum vergentibus aues,cæteris quadrupedes.

# APPENDIX AD HARPYIAS.

NVM iſtæc priori loco poſita Icon ad fabuloſas veterum Harpyias, an verò ad Sirenes adijcere quiſpiam mauelit, per me non ſtat. Tota autem auem æmulatur excepta facie, quæ humana eſt. In fronte capillamenta quædam gerit ſurrecta, vel cincinnos in dextram, & ſiniſtram partem conglobatos.

Quæ

Quæ ſubſequitur figura effigiem mulieris, alas, & pedes more auium obtinet: aſtat ab vna parte vas, in quo conſpicitur folium, fortè palmę: prope caput inſectum papilionaceum: ab altera parte planta lilio congener, quæ in folij ſummitate aſteriſcum continet. Adpicta eſt demum planta ſpicata, cuius ſummitas deorſum pendet. Quæ omnia abſq; dubio ſua habent myſteria.



Tertio loco depictam appellare placuit Harpyiam tetrapteron, id eſt quadrialam. Eiuſmodi animal ſi in rerum natura daretur, cęterorum ſanguineorũ animalium naturę repugnaret. Siquidem cùm quatuor habeat alas, duas ſcilicet extenſas, totidemq; compreſſas, binos uerò è contrario duntaxat pedes, animalia ſanguine prędita dicẽdum foret ſex notis moueri, quod Philoſophorum Principis [a] Ariſtotelis præceptis omnino refragatur. Sex enim notis moueri exanguibus quibuſdam, ſeu inſectis tantummodo quadrat: vel contrà ſtatuendum eſſet hoc animal eſſe monſtrificum, & ex abundantia materię quatuor alas obtinuiſſe.

Harpya tetrapteros.

[a] *De inceſſu animal.*

## Libri Decimi Finis.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS ORNITHOLOGIÆ Liber Vndecimus.

Qui est

## DE PSITTACIS.

## DE EISDEM IN GENERE, Cap. I.

Ordinis ratio.

PSITTACOS Auibus rapacibus absq; vlla quidem necessitate, ob sequētes attamen rationes subiunximus. Etenim corporis habitu, & structura, quàm proximè ad rapaces accedunt. Nam & rostrum, & vngues, quibus duabus partibus rapaces à cæteris præcipuè distinguuntur, illis adunca sunt. At bini digiti, quos antè, & retrò habent, nihil obstant; nam simili pedū constitutione, & rapaces, nocturnas præsertim, vt Vlulas, & Noctuas esse videmus. Neq; item refert, quòd fructibus frugibusuè, dum feri sunt, maxima ex parte viuant, quia cicures facti, quoduis ab homine oblatum cibi genus, atq; adeò carnem ipsam deuorant, res cū rapacibus quoq; communis. Cùm verò rapaces corporis magnitudine, atq; adeò ob singulare robur animi primum locum obtinuerint, secundum sibi non immeritò Psittaci postulant, quoniam si uel corporis, uel animi dotes diligentiùs expendas, nulli alitum cedere debere, vel quiuis iudicet. Nullum enim aliud auium genus tam speciosum est, tam varium, ac Psittaci, qui aut septem, vel octo nonnunquàm colorum diuersitate pinguntur. Ingenio insuper, & moribus vel hominem ipsum, si quid aliud animal, quàm proximè æmulantur. Idq; non ratione tantùm, quam non paucis alijs brutis cum homine communem facere nonnulli Philosophi (errantes tamen) ausi sunt, sed etiam oratione, quæ sola homini peculiaris est, & propria. Vnde non mirum, si tantis apud Romanos etiam integriores, & nondum planè ingruente ex deuicti orbis spolijs, luxu eneruatos, in delitijs haberētur, vt non mediocri, imò maiori aliquādo, quàm mancipia pretio venirent, & non fœminis tantùm, sed & viris summè voluptuosi essent. Quæ res M. Portio Catoni teprehendendi molles ciuium Romanorum mores causam præbuit. Eædem cùm corporis, tùm animi dotes faciunt, vt & hodie à nostris Principibus, & magnatibus omnibus mirè expetantur. Hinc & Indis olim, quibus tamen inquilini, & quidē frequentes sunt, teste [a] Aeliano, sacri habebātur, atque ab esu eorum religione quadam abstinebant, ac si diuinum illis quippiam inesset. Hac tamen tempestate ob vsum pennarum, è quibus diuersa cùm vestium, tùm aliorum etiam vtensilium ornamenta multiplici colorum varietate interstincta contexunt, in pretio eos omnes, tam Eôi, quàm occidui Indi habent. Sed vt quidam eorum Psittacis parcere, ita alios telis eosdem petere, & in cibum assumere neotericorum historię tradunt. Atq; ita duplicem eis vtilitatem præbere constat, quod ideò fieri potest, quia ob copiam, quæ fortè nunc apud illos, quàm olim maior sit (omnia enim frequentia, etiam pretiosissima vilescere contingit) reuerentiæ, & admirationi eorum non parū detractum sit, vnde nec diuinum eis honorem, etsi adhucpagani sint, Indos illis deferre, nemo historicorum refert.

Cato cur Romanos reprehēdit.

[a] *Lib. 13. de Anim. c. 18.*

Cur nūc Indis in pretio sint.

AEQVI-

# AEQVIVOCA.

EPiſcibus quidam Turdorum generis vulgò,& Romanis præſertim, Peſce papagallo ob ſimilem colorum varietatem vocatur. Pſittace vrbs eſt iuxta Tigrim, vbi Pſittacia fructus (quos alij Piſtacia vocant) naſcuntur. Hinc Pſittacius,& Pſittacenus authore Stephano. Piſcis papagallo dict⁹. Pſittace vrbs. Pſittacia fructus. Pſittac⁹ vn de dictus.

# SYNONIMA.

PSITTACVS hæc Auis dicta eſt Græcis,ſed incertum qua origine. Quod ſi coniecturis locus eſt, à Ψιττάκη, quæ eſt iuxta Tigrin in Perſia celebris vrbs, & toti regioni Pſittacenę nomen dat, appellatus uideri poſſet, quòd illic aliquando copioſa fuerit, etſi Plinius ſolam Indiam huius auis patriam faciat. Eodem modo,& ab eadem vrbe Pſittacia fructus, aliter Piſtacia dictos nomen accepiſſe tradunt. Quid? ſi quis ab his fructibus pſittaceis, ſeu aliter piſtaceis nomen mutuatum dicat? Veteribus enim præter virides Pſittacos,nulli erant cogniti,& nunc vix vllũ Pſittacum in tanta colorum varietate videre eſt,qui nõ aliqua ſaltem parte vireat. Maxima ſua parte virent, unde & Aues uirides Poëtis dictæ ſunt. Sic viror in Pſittacio fructu, non in extimo ſolùm, ſed in intimo quoq; cortice, imò & in tota nuclei carne inſolenter admodum imbibitus conſpicitur. Vel nunquid à Sitta,quæ Auis eſt è Picorum genere,appellatur, ſpeciei vocabulo ad genus detorto? Hoc enim volucrum genus coloribus inter aues plurimis diſtinguitur, ſed alia eſt,quàm Pſittacus pedum conformatione. Adhæc loquela ei ferè cum Pſittacis communis eſt, vt & cum Picis,quos Apuleius cum Pſittacis multoties confundit, ſed p. littera præpoſita ſcrupulum mouet: Verùm & ſine p. Sittacus legitur.[a] Arrianus enim σιτταϰὸν ſcribit,& Heſychius,& Varinus Sittam à Pſittaco uix diſtinguere uidentur. Ita enim aiunt: Sittas auis quædam,aliqui Pſittacum interpretantur. Picis item omnibus colorum uarietas nomen indidit, Ποικιλὸν enim Græcis variegatum ſignificat, quæ nominis ratio cum etiam Pſittaco, vel maximè conueniat, non mirum ſi nomenclatura etiam Pici ei nonnunquam tribuatur. Verùm hæc nos conijcimus. Quid alij ſentiant, liberũ eſt. Pſittacus ſeu Ψιττακὸς, & σιτταϰὸς oxytona, & maſculina item Ψιττακὴ fœmininum paroxitonum (omnibus enim his nomini bus hæc auis dicta eſt) apud Ariſtotelem aliosq; authores Græcos per duplex τ. ſcribi reperimus. Latini tamen quidam præſertim recentiores,ut Gaza,Volaterranus, Crapaldus, Pſittacũ per τ. ſimplex ſcribunt. Poëtæ primam,ſemper producunt. Hodie Græcis παπαγὰς vocatur. Italicè Papagallo,Hiſpanicè Papagaio, Gallicè Papagaij. Plurimis linguis Papagalli nomen commune eſt. Papa lingua noſtra patrem denotat,idque nomen ſummo apud Chriſtianos ſacrorum antiſtiti tribuitur, utpotè cuius ſit alios ceu filios alimonia ſpirituali reficere. Vnde lectoribus conſiderandum propono,nunquid Papagallus ita vulgò dictus fuerit,tanquam Gallus Papa, id eſt,ſummo religionis noſtræ Principe dignus,ſeu dignum munus,ob raram,& eximiam elegantiam, ingenijq; ſolertiam. An potiùs tanquam Papa,id eſt,Princeps, ſeu primus Gallus,inter reliquas aues. Hinc Poetæ uarijs eum nominibus honeſtant,dum nunc à Statio. *Lux volucrum*, nunc *plagæ regnator Eôæ*, tanquam Orientis alitum Rex,denique

—— *aeriæ celeberrimæ gloria gentis.*

Et alijs aliter, ſed honeſtiſſimè appellatur: Quod ſi quis Hiſpanos, Gallos, Germanos ab hac appellatione diſcedere,& non Papagallo,ſed Papagaij uocari dicat, huic quoque ſatisfacere conatus, reſpondebo Gay nobis,uti & Gallis,& Germanis inferioribus alecrem, hilarem, ac uenuſtũ denotare,quę epitheta Pſittaco non malè congruunt,quòd & pulchritudine,& facũdia gratarq; garrulitate Domini animum exhilaret. Eadem erat etiã apud priſcos Latinos Gaij ſignificatio,cùm ſponſus nouę nuptę coniungendus fidemq; daturus dicere ſolet: *Tu ſis mihi Gaia, ego ero tibi Gaius*. quibus uerbis inuicem repetitis iucundam lętamq; ſibi mutuo ſocietatẽ ſponſi promittebant. Ab eadem uoce Gay, Cymbrico etymo Galli nominis ſui originem trahunt. Galli enim ſi Goropio credimus,tanquam Gayli,id eſt,homines ſeu uiri alacres, agiles, ac pulchri primitus ſua,id eſt, Cymbrica lingua nũcupati fuerunt. Pſittacus Gallicè alio quoq; uocabulo Parroquet uocatur,quãuis hoc nomen minoribus,ac uiridibus Bellonius, alij è contrà maioribus,& cæruleis peculiare faciãt. Dictus eſt hoc nomine per onomatopœiam,quòd talem uocem ſponte ſua,& proprio Marte atque exactiſſimè exprimere audiatur, vt teſtatur Bellon. Germani dicitur Sittich,uel Sickuſt uocabulo Græco Latinoq; affini. Appellatur tamen communi ab eiſdem nomine Pappengey,quo eodem & Flandris venit. Anglicè à Popiniay, uel à Popingey. Illyricè Pappauſeck. Polonicè Papuga. Turcicè Dudi. Indis uerò Occidentalibus, ſeu Americanis teſte Theueto Coſmographo Gallorũ Regis Carindi indigitatur.

Papagaij. Gay quid.

Galli vnde dicti.

[a] *In Indicis.* Σιτταϰός.

Cur Pſittacus Picus aliquando vocetur.

Παπαγὰς

Parroquet.

[b] *Lib. 6. de Auib. c. 12.*

Sittich. Sickuſt. Papengey. Popiniay. Popingey. Pappauſeck. Papuga.

DIF-

# DIFFERENTIÆ.

PRISCI vnum Pſittacorum tantùmmodo genus, idque ab India miſſum, quantum ex eorum ſcriptis licet colligere, agnouiſſe videntur. Plinius, Solinus, vbi Pſittacum depingunt, illius ſolùm meminerunt, qui miniaceo torque collum inſigne habet, viret cærera. Noſtra tempeſtate, poſteaquam Hiſpanorum induſtria ad noui orbis inſulas aditus recluſus eſt, quamplurima eorũdem genera, ſibi mutuo diſſimillima, veteribus ignota ad nos delata ſunt. Pauca tamen hæc ipſa nobis hactenus viſa ſunt, ſi cum his, quæ in dictis inſulis reperiuntur, conferamus. Qui enim nauigationes ſuas in nouum orbem nobis deſcriptas reliquêre, mira, & inaudita de multijuga eorundem varietate referunt. Tanta enim cùm magnitudinis, tùm colorum præcipuè diuerſitate eos diſtingui tradunt, vt omnes differẽtias enumerare ſit ἀδύνατον, & vt penicillo potiùs, quàm calamo, ſi quis eas exprimere ad vnum omnes volet, opus fore iudicent. Qui plurimos Pſittacos, quoad licuit hactenus obſeruârunt, ſupra centenas colore, & magnitudine ſpecies diſcrepantes ponunt, quæ illis locis reapſe reperiantur. Nobis ſanè lectione plurimas, oculo vix plures, quam hîc videntur, varietates obſeruare datum eſt. Cùm autem reliquo corporis habitu, & figura roſtri pedumq; conſtructione nihil differant, ſed magnitudine potiſſimùm, colore, voce, & ingenio: Itaque hinc eorum non malè differentias petemus. Species in primis à magnitudine non paucæ ſunt. Veſputius author eſt in regione ſupra Promontorium Bonæ ſpei à Pſittacis cognominata Pſittacos in tantam proceritatem excreſcere, vt brachium cum dimidio longitudine expleant. [a] Scaliger tãtæ magnitudinis vnum ſe vidiſſe apud mercatorem quendam affirmat, vt clathratæ feneſtræ ſpatium penè impleret. Grachana occidentalioris Indiæ regio Phaſianis multò maiores habet, & quos nos apud Sereniſſimos Mantuæ Principes olim vidimus, paulò pòſt & icone & penna exprimendos, Phaſianis nihilo fuiſſe minores certum eſt. Sunt alij frequenti ſatis numero, qui magnitudine cũ Gallinis certent. Inſula Indica Bandan Pſittacos nutrit non vnius generis, Columbo noſtrate haud maiores. Quidam deniq; Turdum, quidam Hyrundinem, nónulli Paſſerem magnitudine non excedunt, quorum primi caudam ſanè longiſſimam protendunt. Hos peculiariter Gallis Perroquets dici quidam volunt, & Germanis Sittich, vt maiores Pappengey. Sed & maximo illi Gallinaceo Indico pari, cauda prælonga eſt. Mediocribus, qui frequentes habentur, minus longa. Rerum Indicarum ſcriptores in Calecutana regione aues quaſdam Pſittacis vulgaribus, inferiores quidem magnitudine, at cantu longè ſuauiores naſci tradunt, quæ num inter Pſittacos habendæ ſint, nec ne, equidem dubito. Nam cùm in vtraq; India quamplurimæ auiculæ minutiores reperiantur, & multiplici colorum varietate haud ſecus atq; Pſittaci picturatæ, certè harum ſpecie prima fronte multos ab initio deceptos fuiſſe conſtat, quòd eas à Pſittacis minuſculis ægrè dignoſcerent. Tales ſuo loco ſub nomine Paſſerum Indicorũ aliquot deſcribentur. Colore uerò præcipuè diſtinguuntur, Sed his tam multiplex eſt, vt hactenus nemini omnes differentias minutim perſequi licuerit. In Manaſapan Hiſpaniæ nouæ, & Cunam, item in Aethiopia quidã toti albi ſunt, necnon [b] Scaligero teſte, in feruidiſſima Aethiopia, & vltima India. In Terenati Molluccarum vna, in Braſilia, in Aethiopia rubri. In regione circa Tarnaſſari Indiæ vrbem Pſittaci longè pulcherrimi ſpectantur ſeptem colorum generibus præſertim diſtincti. In Calechut alij praſſini, alij ſcutulati, alij purpurei reperiuntur. Grachana regio grandes habet, alis quidem verſicoloribus, ſed rubros cætera. Quoſdam item totos cæruleos, alios cinereos videre eſt. Badan inſula eſt ad Iauam, in qua Pſittacorum ſpecies tres. Prima rubra, roſtro luteo, altera uerſicolor, vtraq; dicitur ab ipſis Nor, id eſt, lucida, fortè quòd ſplendor quidam in pennarum coloribus emicet. Tertia candida Cachi illis, quod pretioſum ſignificat. In Aethiopiæ ſyluis plurimi uirides, alij uerſicolores, nonnulli nigri degunt, quidam leucophęi: Bellonius magnos quoſdam totos canêre, mediocres alios ex rubro uariegari, puſillos nonnullos prolixa cauda ornatos totos uirides eſſe ait. Præter magnitudinem, & colorem etiam vox eos diſtinguit. Sunt enim aliqui dociles & quidam indociles, qui nullas humanas uoces diſcunt exprimere, atq; adeò nihil præter vnicam ipſis naturalẽ uocem, Parroquet, quæ ideò apud Gallos ipſorum nomen eſt, pronunciant. Tales illi ſunt, maximi, ad duos cubitos longi, quos mutos idcircò non immeritò uocârunt. Ad Pſittacos etiam, quam ad aliud auium genus, potiùs referendæ ſunt, quas in India, teſte Ioſepho à Coſta Guacemaias vocant, aues Pſittacis maiores, ſed colorum diuerſitatis uenuſtate illis per omnia ſimiles.

Pſittacorũ copia, & diuerſitas vbi

Pſittacorũ differẽtiæ à magnitudine.

Pſittaci magni.

[a] *Exerc.236*

Pſittaci parui.

Differentię à cauda.

A colore.

Albi.

[b] *Exer.59.2*

Rubri.

Septem colorum.

Virides.

Purpurei.

Verſicolores.

Cærulei.

Cinerei.

Nor.

Cachi.

A voce, & ingenio.

Guacemaia.

DESCRI-

# DESCRIPTIO.

QVANDOQVIDEM inenarrabilis propemodum Psittacorum in specie diuersitas est, nos itaque ea primùm, quæ in genere omnibus competunt, persequemur, atq; post eas saltem, quæ hactenus cùm ab alijs, tùm à nobis cognitę sunt, sigillatim describemus. Veteres, quòd aditu ad occidui orbis insulas necdum aperto, id tantùm genus agnoscerent, quod India orientalis mittit, vnicum propterea nobis & paucis uerbis descriptum reliquêre. Eum Aristoteles, Plinius, Solinus, & alij viridem toto corpore fuisse tradunt, torque tantùm miniaceo in collo distinctum. Psittacus ueterum.

[a] Apuleius eundem scitè his verbis depingit. *Psittacus Indiæ auis est instar illi minimo minus, sed non color Columbarum. Non enim lacteus ille vel liuidus, vel vtcunque subluteus, aut sparsus est, sed color illi viridis, & intimis plumulis, & extimis palmulis, nisi quòd sola ceruice distinguatur. Enimuerò ceruicula eius circulo mineo velut aurea torqui, pari fulgoris circumactu cingitur, & coronatur.* Conspicitur tamen hac nostra ætate viredo quędam sublutea, seu luteo diluta in Indicis Psittacis, licet id ille neget. Virore tamen ceu colore præcipuo insignes erant. Vnde à potissima nota Aues Virides periphrasticè nominabantur Poetis, & à virescente splendore, tanquàm præcipua dote pulchritudinis commendabantur. Vnde [b] Statius Epicedio in Psittacum Melioris Atedij. [a] *L. 2. Flor.* Psittacorum miniaco. Auis Viridis. [b] *L. 2. Syl.*

*Psittacus ille plagæ viridis regnator Eôæ,*
*Quem non gemmatâ volucris Iunonia caudâ*
*Vinceret, aspectu gelidi non Phasidis ales.*

Et [c] Ouidius in mortem Psittaci ludens inter cętera, ita canit: [c] *Eleg. 2.*

*Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos,*
*Tincta gerens rubro punica rostra croco.*

Hinc etiam Aelianus eum, qui in India Columbam Liuiam pennas uirides habentem uiderit, primo aspectu deceptum iri, & Psittacum, non Columbam dicturum esse, ait, quòd nempè prisci nullam prętер Psittacum virentem tantummodò auem nossent. Baptista Mantuanus in delineando Psittaco veteres, & præsertim Statium æmulatus Pauoni eum comparat:

*Psittacus nostri, nituit superbo,* *Tergore Paui.*

Forma. Caput.

Similis quadantenus corporis habitu uidetur Accipitribus. Capite est prægrandi, quod Cardanus ingenij signum, & causam assignat. Capiti eadem, quę rostro durities est. Vnde cùm loqui docetur, nisi radio ferreo ictus, non sentire perhibetur. Rostrum uerò adeò est durum, vt Statius illud cornu meritò nominet:

Rostrum, & eius durities, vsusque.

*Argutumq; tuo stridentia limina cornu.*

Imo verò tantũ durissimo huic rostro robur inesse fertur, ut frustra ligneis clathris coerceatur quas omnes perfringit. Quare ferreis opus est, quæ tamẽ & ipsæ vix ab eiusdem violentia tutæ sunt, quas & præsertim tenuiores non semel perrumpere visus est. Hinc etiam *rùm deuolat*, ut inquit Plinius, *rostro se excipit, illi innititur, leuioremq; se ita pedum infirmitati facit.* Sagacissima igitur natura, vt pedum debilitatem hoc uelut fulcri cuiusdam adminiculo, partim compẽsaret, partim etiam, vt fructuum omne genus, & nucum præsertim putamina (nam hisce etiã dum in syluis degunt, victitant) confringere, nucleoq; nullo negotio potiri possent, illis adeò durum largita est. Cur autem aduncum dederit, cùm Psittacus fructiuora, & frugilega potiùs, quàm carniuora & rapax auis sit, equidem vix video, neq; aliam causam probabiliorem agnosco, quàm si descendentem per ramos aut clathras corporis pondus commodè sustinere non potuisse dicamus, nisi hamatum illud, ac curuum, ac semicirculari figura constructum fuisset, quo velut vnco quodã aut harpagine obuia quæq; prehenderet, & eò maximè, cùm pedum debilitatem supplere deberet, qui tamen & ipsi ob firmiorem etiam apprehensionem adunci facti sunt. Solus autem Psittacus cum Crocodilo mandibulam superiorem mouet, nisi ex Oppiani sententia, Thæmatopodem addamus, vt cætera animantia omnia inferiorem tantùm. Rostrum prętерea, quod nulli alij contigit, quà collo committitur, infernè sub faucibus apertũ est, vt rectè Scaliger aduertit. Sed de his omnibus pòst in capitis anatome fusiùs. Ceruix curta vt [d] Aristoteles docet. *Omnes aues vncæ breui sunt collo, & lingua lata, aptèq; ad imitandum, nam & Psittacus auis Indica talis est.* Lingua ei lata, qualis humana, multoq; latior, quàm cæteris auibus. Quod etiam Solinus, & Apuleius annotârunt, inde perfici haud temerè colligentes, vt articulata penitùs eloquatur. *Auium* enim, vt inquit Suidas, *quæcunque linguam consimilem humanæ habent, & maxillarum dispositionem, humanum aptæ sunt imitari sermonẽ.* Quo loco Suidas, nescio quid de maxillarum dispositione subodoratus videtur. Cùm enim reliquis auibus pro maxillis sit rostrum, Psittacus sanè peculiarem quandam capitis, & mandibularum præsertim superiorum constructionem, vt anatomica inspectio nos edocuit, habere compertus est. Repræsentat autem

Cur rostrũ habeat adũcum.

Mandibulam superiorem quę animantia moueant. Ceruix. [d] *8. Histor. c. 12.*

Lingua.

tem Pſittaci lingua, cucurbitæ ſeminis figuram, vt Scaliger notat. Hinc eſt, quòd ἀνεσπόγλωττος cum dicunt, quaſi humanam linguam referat. Pectus ei rotundum. Pedum ſpecies rara, & cũ Picis, lyng q; , quam Verticollam appellat Scaliger, & nocturnis quibuſdam tantùm communis. Non enim tres digitos antè habet, & vnum ponè, ſed vtrobiq; binos. Ioannes de Mandauilla tamen neſcio, quam fidus nobis teſtis eſt, in deſertis Præsbiteri Ioannis propè mare arenoſum bina reperiri Pſittacorum genera, vnum, cui ſex in pedibus digiti ſint, naturaliter ſine hominis diſciplina prætereuntes humano ſermone ſalutare, idq; genus eorum lingua Parfiſta nuncupari, alterum tribus tantùm digitis eſſe, naturâ mutum ferè, aut ſaltem longè diuerſam ab humana vocem, ſonũ ſcilicet querulum edere. Sunt autem crura breuiuſcula, infirma, & plerumq; fuſca, vnguibus interim aduncis, & magnis in pedibus armata. Quod verò ad digitorum numerum attinet, Apuleium certè, & Solinum fœdo ſeſe errori inuoluiſſe, cùm auiũ naturæ ignorantiâ, tùm in Plinio legendo oſcitantiâ videmus. Ita enim Solinus. *Inter nobiles, & Plebeios*, inquit, *diſcretionem digitorum facit numerus: qui præſtant, quinos in pede habent digitos, cæteri ternos.* Et Apuleius ita habet: *Ad diſciplinam humani ſermonis facilior eſt Pſittacus, glande qui veſcitur, & cuius in pedibus, vt hominis, quinque digituli numerantur, non enim omnibus id inſigne.* Sed hoc, quod ex Plinio perperam intellecto vterq; excerpſit, ille de Picis, non de Pſittacis prodidit. Neq; enim Pſittacus peculiaris quiſpiam eſt, ſed Pica eo nomine dicta Glandaria. Et [e] Plinius non Pſittacorum, ſed Picarum ſcribit, *facilius diſcere humanum ſermonem illas, quibus quini ſunt digiti in pedibus:* quæ tamen quatuor tantùm digitos habent. Pici uerò binos digitos antè, & totidem retrò habent, ſuntq; ad formanda verba multò illis ineptiores. Vnde conſtat eos Pſittacos cum Picis confudiſſe. Vngues aduncos habet Pſittacus, quibus eſcam inſtar rapacium complectitur, & humano more, ori admouet. Hanc enim digitis captam eleuat, & ad os non quidem introrſum, ſed extrorſum conuertit. Hoc loco ſuperuacaneũ iudicarem, & perinde ac ſi quis de lana caprina rixam inſtituat, quærere, num Pſittacus bellus potiùs, quàm deformis vocandus ſit: niſi Philoſophos, viros acres, ac graues in huiuſmodi quæſtione priores nobis ingenium exercere uoluiſſe uiderem: Cardanum dico noſtrum, & Scaligerũ. Ille enim *Pulcherrimum ait Pſittacum. Eſt namq;*, inquit, *varietas Pſittacorum in coloribus magna, vnde pulcherrimi etiam apud Indos exiſtimantur, nam præter colorum aptam varietatem illam ſplendor etiam quidam affulget.* [f] Hic verò è contrà negat pulchrum dicendum, & his uerbis, ac rationibus cum illo contendit. *Pulchrum ais Pſittacum. Speciem declaratam oportuit. Auis enim forma non admodum pulchra. Nihil, inquam, pulchri præter oculos. Caput excreuit ſupra modum indecora magnitudine. Roſtrum fœdum. Crura fœdiſſima. Lingua nihil turpius. Quin etiam fuſcis, ſiue cinereis, ſiue triſtis, nitor nullus: ne à colore genus commendes vntuerſum.* Aſturè hoc poſtremum velut tacitę occurrens obiectioni adiecit Scaliger. Subolebat enim neminem fore tam ſtolidum, qui non ſtatim ipſi reſponſurus eſſet; pulchrum eſſe Pſittacum non roſtro, aut pedibus, ſed colorum variorum decore, quę etiam proculdubiò Cardani mens erat, quam ex uerbis paulò antè allatis, facilè quiuis intelliget. Sed ludit Scaliger, non diſputat. Multa à viris etiam doctiſſimis ſępè extundit contradicendi, aut forſan exercitandi ingenij ſtudium, quæ alioquin vtpotè non undiquaq; ſatis firma proculdubiò tacituri erant. Vt enim enunciationis huius, pulcher eſt Pſittacus, ita indefinitè prolatę ueritas ſtare poſſit, non neceſſe eſt ſtatim nullum omninò Pſittacum, qui turpis ſit, reperiri. Sufficere quiuis dicet, ut in maiori parte locum habeat. Sed iſtæc de generatim hactenus deſcripto Pſittaco ſufficiant.

Pectus. Pedes.

Parfiſta Pſittaci genus.

Crura. Digiti.

Apulei, & Solini error.

[e] *Lib.* 10. c. 42.

Vngues.

An Pſittacus bellus, aut deformis dicendus quæſtio.

[f] *Exercit.* 236.

# CAPITIS PSITTACI ANATOMEN.

SED cùm in Pſittaci magis, quàm in cæterarum alitum capitis fabrica elaboraſſe ſagaciſſimam in omnibus Naturã uiderem, ac miro ſanè artificio uſam, itaque placuit facta de eo anatome ſingulas eius particulas intus etiam rimari, ſingulisq;, quantum fieri etiam licebit, ſuas functiones aſſignare. In quibus ſi forte legentibus non omninò ſatisfecero, ueniam humiliter precor, ſolùm ea alijs dijudicanda propoſuiſſe contentus: Huius itaq; capitis ſtructuram ritè intelligemus, ſi primùm qua in re maximè differant Pſittaci à cæteris dixerimus. Duæ ſunt, eæq; maximæ differentię, quarum altera eſt loquela, quę alijs auibus haudquaquàm competit, uel non tam exacta, & copioſa: altera uerò eſt, quòd roſtrum ſuperius mouent, inferiore, uel planè immoto, uel exigua motione, atq; ferè ſaltẽ ad latera prędito, ſecus atq; in alijs Auibus, quibus inferior roſtri pars mobilis, ſuperior uerò immobilis eſt. Verùm tantæ diuerſitatis cauſam quæſo primùm indagemus. Et quod ad loquelam attinet, certum eſt omnium actionum humanarum, tàm bonarum, ac malarum, quàm animæ, & corporis, per omnes animaliũ ſpecies

Pſittaci in quibus ab alijs differant.

ſpecies hinc inde imagines ab optimo, & ſapientiſſimo rerum conditore diſperſas eſſe, atque in his minus, in illis magis, quæ omnia pòſt in uno homine, uelut in archiuo quodam celeberrimo reponerentur, quorumq; ipſe complementum eſſet, & theſaurus uelut omnium uberrimus. Sic Luſcinias cantu, Elephantos memoria, prudentia, Simias geſticulatione, Canes ſagacitate, Leones animi magnitudine ad homines accedere uoluit. Idem Pſittacos ſermonẽ humanum exprimere fecit, ut & huius rudimenta in animalibus brutis reperirentur, & non haberet homo, ut uel ſolus de tam ingenti dono contenderet. Itaq; huic inſtrumẽta idonea, & quod ad uſum ſpectat humanis non multò inferiora, ut infrà uidebimus, addidit. Sed ad roſtri diuerſitatem quid dicemus? roſtrum Auibus, ut hominibus & alijs animalibus quadrupedibus, mandibula, dentes, labia, inter alios uſus ad mandendum datum eſt. Hic primus in illis uſus eſt: ſed in functione etiam diuerſitas eſt. Aues enim frugilegæ acumine roſtri ſui grana colligunt, eaque mox deglutiunt. Carnem prius in exigua fruſtula diſcerpta carnifice etiam deijciunt, nulla facta uel maſticatione, uel preparatione, ut in homine. At Pſittacus non ſolùm roſtro, quaſi dentibus quibuſdam amygdalas integras primùm diſcindit, ſed uolutando etiam inter roſtri cauitatem, & lingua ſubigendo, & terendo comminuit, atque quaſi mandit, & tandem comminutas deglutit; qua in parte mirum, quantum cum homine conuenit. Ad talem igitur roſtri functionem, non admodum laborioſam natura inferius roſtrũ Auibus mobile dedit, quo ſcilicet alimenta uel humo, uel aliundè tollerẽt, & quaſi manu quadam in os inferrent, ſecus ac in Pſittaco, qui pedibus comprehenſas nuces, poma, amygdalas, mira ſolertia ori admouet. Sed quantum ad rationem operis attinet, non uideo cur ab inſtituto ſuo in hac roſtri efformatione natura deſciſcere debuit. Aequè enim ac ſi roſtrum inferius mobile, ſuperius uerò immobile eſſet, & cibum comprehendere, & ori admouere, & commandere potuit. Vereor itaque, ne maius quoddam obſtiterit, & hanc creationis legem immutauerit. Sed quid nam illud eſt? Pſittacum, quod ex actione videmus, natura ſcanſilem, vt Picos, facere uoluit, & per arbores domorumq; parietes repentem, quod vt faceret, egregijs, & robuſtis pedibus præter alia, & obtinentibus caudæ pennis, quibus in arboris corticem defixis veſtigium figeret, vt ijſdem Picis, inſtructum eſſe conueniebat. At Pſittaci caudam habent teneram, & pedes pro mole corporis imbelles, minimèq; ſuffecturos ad opus tam arduũ, & præruptum. Itaq; aliud ſubſidium addidit, roſtrum nempè aduncum, robuſtum, quod velut hamum quendam primùm inijcerent, mox corpus ſubleuarent, tum pedes obfirmarent, denuò roſtrum, mox itidem corpus, tum etiam pedes promouent, atque ſic alternãte opere, per quãuis etiam præruptiſſimam arborem, aut parietem ſcandunt. Hæc in illis mirabilis ratio eſt, ſic ipſi ſeſe fulciunt, dum per arbores aut tale quid in rectum aſcendunt. Quod vt fieret, quis mobili roſtro ipſis opus fuiſſe non videt, quod deprimendo vehementer infigerent, & vbi firmiùs pedibus conſtiterint denuò attollerent, & gradum promouerent? Sed cur potiùs hoc in ſuperiori, quàm inferiori parte natura præſtitit? potuiſſet ſanè & hunc vncum addere, & motũ illius conſeruare. Veruntamen id maximè incongruum fuiſſet; tum enim caput totum attollendum erat, & vncus inijciendus, & collo obnitendum, quod iam ſublata vna parte ſola æquè bene, & minori negotio perficit, & caput oſſeum, & amplum pro baſi obijcit. Accedit quòd cauitas illa inſignis memorãdaq; in lingua circumuoluitur, & internus roſtri inferioris ambitus, ad quod non minùs, quàm ad dentes inferiores etiam vox alliditur, tota perijſſent. Debuiſſet enim roſtrum in medio ſubtus excauari, & in gyrum circumflecti, vnde & lingua cõprimebatur, & vox inani ſtrepitu in auram hiſcente antè roſtro euaneſcebat. Et ſi duos vncos dediſſet, vtiq; nihil plus efficiebat, quàm nũc natura, & fruſtrà facti eſſent, vtpotè minus vtiles, neq; ad commedendum, neq; ad ſcandendum, neq; ad loquelam, quę, vt iam diximus, ob compreſſionem linguæ impediebatur. Vnde ſatis fuit in ſupremum roſtrum transferre vnum, & illud mobile efficere. Accedit quòd iam roſtrum inferius ſuperiori quaſi ſubſidio ſit, dum iniecto vnco mox illud adijcit, & quaſi fulcrum quoddam immobile aduerſum ſubmittit. Atque hęc, quantum ex partium uſu conijcio, illius in Pſittacis ab alijs auibus diuerſitatis cauſa eſt: quæ quàm apta ſit, & ad antedictas operationes concinnata iam uideamus. Cranium Pſittaci, ſcilicet ea pars, quæ inter roſtrum ſuperius & primam colli uertebram interiacet, & totas oculorũ orbitas, & aurium foramina continet, oblongum eſt, vndiquaq; continuum pro magnitudine Auis, & reſpectu cæterarum Auium capaciſſimũ, & inter roſtrum, & initium ceruicis ad palmum per circumferẽtiam: Suprà inter unius, atq; alterius orbitæ extremitates latum eſt duos digitos modicè, atq; uix in medio protuberans (quam partem rectè frontem dicas) hinc leuiter depreſſum paulò denuò aſſurgit, ut facilè ingenium eius cognoſcas, & tandem ad unius digiti ſpacium circunductum ad ceruicem uehementius quidem, ſed tamen non inconcinnè retrò flectitur. Retrò ſub aurium foraminibus tuberculum hinc inde erumpit cauitate exigua

Roſtri diuerſitas & vſus.

Pſittacus Amygdalas mandit.

Pſittacus ſcãſilis eſt.

Caudæ & pedũ qualitas.

Roſtrũ cur aduncum.

Cur roſtri ſupior pars mobilis ſit.

Cranij cauitas.

Frons.

eaq; plana, in quod os quoddam diuerſum à toto cranio diuiſum, rotundum, de quo paulò
Aurium foramina. pòſt ſermonem habebimus, ſeſe inſinuat. Aurium foramina partim ea tubercula conſtituunt, partim proceſſus, qui ab illo oſſe, de quo ſermonem facturos promiſimus, ſurſum explãtatur, & in ſinulum quendam, qui inter foraminũ ſuprà flexum & alium proceſſum, quem quartũ nominamus, intercurrit, inſeritur, tam affabrè facta, & in orbem acta, quaſi integrũ in homine cranium pertuſum eſſet. Ab hinc quartus eſt hic proceſſus cum cranio continuus, rectà poſt oculi orbitam, medium digitum longus, & ferè cum primo proceſſu contiguus. Oculi or-
Oculi orbita. bita ſatis ampla eſt, media quidem ſuprà integra, at infrà in marginem aut fimbriam quãdam extenuata, adeò vt nullum os ad interiora, verſus cerebrum, vt in homine excurrat, ſed rectà ad palatum aditus pateat. Hac igitur magnitudine & partibus totum cranium conſtat. Sed
Roſtrũ ſuperius. roſtri ſuperioris mirabilis certè, & quoad loquelam maximè apta confirmatio: quo verò ad motum reuera inſolens. Roſtrum ergò à principio ad duos ferè digitos latum eſt, planum ſuprà, & mox in acumen, & velut dorſum cõſtrictum, vnde ſenſim & honeſtè ac Aquilis incuruatum in vncum acutiſſimum & robuſtiſſimum deſinit. Huic ſuprà narium foramina adiacẽt verſus cerebrum pertuſa, quorum extremitates ſuprà quaſi triangulum iacentem faciunt, cuius baſis ſit ad roſtri iuncturam cum cranio. Roſtri margines infrà haud quaquam in curuum excinduntur. Sed vbi progreſſæ vncum effecerint, tum ampliantur & deorſum protenduntur, adeò vt inter ſummum roſtri dorſum & oras haſce digitus integer & plus intercedat. Eſt autem roſtrum totum à cranio diuiſum, tribus tamen in locis, nempè in medio & in extremis angulis exiguis capitulis, quæ ibi ſeſe in cauitates minimas inſinuant, cum eo dearticulatum, circa quæ velut cardines quoſdam circumuoluitur. Sub hoc intus ſubter nares collis quidam protuberat, perpetuo dorſo ab vno latere, nempè verſus cerebrum, & ad palatum, & ad nares via patet ampliſſima, ab altera verò noua oritur cauerna, quę vſque ad extremam roſtri aciem excurrit, adeò vt totum roſtrum intus eximiè cauum ſit. Hanc tamen ab ingreſſu oſſiculum quoddam oblongum, atque ab colliculi illius medio in fundi ipſius roſtri internam extremitatem recto ductu implãtatum interſepit. Quod certè vicem gargareonis mihi obtinere videtur, ad quod alliſa vox partim frangitur, partim ad nares repulſa, & ad palatum propellitur. Verùm hæc exigua ſunt ad ea, quæ ſequuntur. Iam longè maior rerum copia emergit, & dicendi opera: Atque vtinam ego hæc pro viribus ſatis explicare queam, vereor vt ea minus, quàm concepi, aut longè rudiùs & obſcuriùs eloquar. Faciam tamen quod poſſum. Iam antè dixi Pſittaci roſtrum ſuperius mobile eſſe. Huic tamen robur adeſt, vt & duriſſima nucum & amygdalarum putamina effringat. Quo igitur & roſtri & muſculorum robore, & quàm apta inſitione opus ſit, vnuſquiſque videt. Roſtrum per ſe duriſſimum & fortiſſimum eſt, vt patet, nec minus muſculis vel corpulentia, vel fibris deficit. At implantatio eorum vt commo-
Muſculorũ roſtri implantatio. da eſſet in hac Aue vehementer laborabat. Certum eſt eos in roſtrũ ſuperius implãtari debuiſſe. A quo? nam, ſi ad capitis cum cranio iuncturam implantarentur, vix vllam vtilitatem habituri erant. Quod manifeſtè apparet, ſi quis oſtium retrò iuxta angulos comprimendo affatim & vehementer occludere velit. Vix enim atque ſenſim impellit, è contra ſi in medio comprimas, atque magis in extremo margine & citiſſima & ſumma violentia ipſum concutiens. Accedit, quòd vbi explanari tendines poſſint, haud quaquam locus eſt. Medium ergò dorſum, vt comprehendant, oportet. At quæ incommoda ſequuntur, nempè vt neq; roſtrum aut vix, neque nares promineant, neq; illi ſatis tuto loco collocentur, atque tandem vt illa inſignis hiandi copia intercidat. Quid ergo in tanta anguſtia natura molita eſt? duo oſſicula effecit trigona oſſibus pteriogidibus nõ abſimilia, at vſu diuerſiſſima, quibus quaſi vectibus duobus impelleretur ſuperius roſtrum & comprimeretur. Nam & angulum illorum anteriorem aut proceſſus, vt dicam anteriores complanauit, & in intimas cauernas circũ oſſiculum, quod gargareonem referre diximus, ſupra fundũ roſtri inſeruit & validè affixit, & muſculos ab occipite retrò explantauit, atque in latera hinc inde oſſium impoſuit, qui vbi oſſa illa attrahunt, roſtrum etiam vnà detrudunt. Verùm vt hæc pendeant in æquilibrio, itaque apices, id eſt, ſuperiores proceſſus tam aptè coniunxit, vt eorum articulatio velut ſellam cõſtituat, quæ per internam cranij ſuperficiem in ſpinam velut, aut dorſum, coeuntibus hinc inde oculorum orbitis cõſtrictam obequitet, libera, (certè veritatem dico) & nullatenus ibi cum cranio vt oſſa pterygoidia in homine coniuncta. Quo etiam factum eſt, vt ſupra baſim acuminatam fixo capite infernè duo proceſſus modò attollantur, modò deprimantur, non ſecus atque iugum in trutina, cuius parte vna ſublata, altera deprimitur & depreſſa altera illa tollitur. Verùm non hîc pedem natura fixit, ſed longè admirabiliora edidit. Nam ſi quis oſſis ſitum introſpiciat, facilè illud in medio nullo ſuffultum robore pendere videbit, atque procliue eſſe, vt è loco ſuo excitat. Imò & alia incõmoda adſunt duo. Nam dorſi illius pars, cui oſſa ſuprà inſident, acu-

minata

minata est, & hinc inde prærupta. Itaque facilè fit, vt vel retrò, vel antè ossa illa exiliant. Antè quidem id fieri nequit, quoniam tam antè ad rostri fundum infixa sunt, vt nisi ipsum rostrum excidat, illa nullum periculum adeant. Retrò quidem id licet perfacilè. Itaq; in hoc loco duo alia officula oblonga (appellamus eas secundos processus) velut antiterides obiecit, ne vel hilum retrocedant, illisq; adiecit, quæ ad inferiorem ossis cuiusdam rotundi eminentiam siue tuberculum implantantur, siue quæ potiùs ab ipso excrescunt. Atque hoc illud os est, cuius descriptionem, cùm de auium foraminibus loqueremur, suprà promisimus. Rotundum propemodum est, habetq; duo tubercula infra vnum, vnde alterum dictorum officulorum progerminat, & supra alterum rectà sub auribus ad latera exterius protensum; à quo aliud os erumpit non minoris vsus, quàm illud & admirationis. Ab hoc eodem processus ille paulò intrò post supremum tuberculum, interiecta velut vallicula exurgit, quem ex anteriore parte foraminibus aurium obiectum esse diximus, & intra flexum eorum, & cranij processum in summo reconditum, cuius vsum paulò pòst etiam non sine stupore dabimus. Formam id habet disci, à cuius ambitu tres radij emergunt. Duo ergò illa officula prima, quo minus vectes illi retrosiliant, obstant. At hæc eadem uide, quem alium usum exhibent. Diximus vectes hosce trigonos in medio pendere, & facilè delabi posse. Hos ergò eadē officula non solùm retrolabi non concedunt, sed etiam fulciunt, & ad sedem sursum compingunt. Os enim illud rotundum retrò est, & situ ad integrum digitum uectibus longè inferius, à cuius infimo tuberculo, ut diximus, hæc officula obliquè sursum ad ephippium recto ductu exporriguntur & delabenti obnituntur. Nam quia effectura erant, quo minus retrosilirent uectes, è directo ea, aut etiam per decliue obijcere sufficisset. At nunc duplici commodo quàm aptè, quàm scitè sapientissima natura unico officulo prouidit. Sed nōdum firmitati rostri satis prospectum erat. Nam ex his, quæ iam retulimus, apparet quidem uectes, neque antè labi posse, neq; retrò; sed quoniam arctè admodum cum rostro, ut diximus, connexa sunt, quid si rostrum summo nisu altè sublatū, & per musculos supremos retroactum, ea secum abripiat, atque ita ambo dislocationem una opera patiantur? uidentur quidem illi secundi processus, quoniā cum uectibus connexi sunt, eos aliquo pacto contrahere, sed ea connexio, neque tam ualida est, neque tot laboribus unam particulam grauare sapientem opificem decuit, itaque alia duo ossa à supremis ossium illorum rotundorum tuberibus explantauit (hæc quæso uel iuga clarioris doctrinæ gratiâ, uel primos processus appellemus) eaq; rectà sub oculorum orbitis delata, ad marginum superioris rostri retrò flexus hinc inde infixit, ualidisq; ligamentis connexit, ut iam uehementissimum quemuis ad superna motum elidant, nec rostrum nimis attolli sinant. Hæc tamen sapientissimæ naturæ nondum satis sunt. etenim moto, ut apparet, supremo rostro, hęc ossa omnia simul moueri necesse est. Nam ossa pterygoidia ualidè illi connectuntur, his secundi processus, his denuò ossa illa rotunda, his demum processus illi iugales, qui alia, sed tamen aduersa uia ad idem principium recurrunt, & rostro annectuntur, quo attracto hæc omnia simul ob commertij legem sequi oportet. Cui igitur innituntur? aut supra quod mouentur? omne enim quod mouetur, ut ait Aristoteles, supra aliquod stabile moueri necesse est. Sed iam suprà diximus, alium processulum post supremum illud oris rotūdi tuberculum exoriri ad anteriorem aurium partē obiectum, & inter flexum aurium supra, & cranij processum immersum. Hic est ille processus supra quem os illud rotundum & cum eo cæteri processus obaguntur, aut ut exemplo rem significemus, per quem uelut ab ansa iugum in libra, sic os illud rotundum, & cum hoc cætera suspenduuntur. Tam aptè uerò huius caput intra flexum, & processum cranij insertum est, & hinc inde supercilijs concluſum, ut ueluti in orbita aut cardine quodam moueatur, & è loco minimè excidat, eoq; magis quòd ualidis ligamentis ibidem connectitur. Atq; hæc est illa tam insignis & admirabilis machina ad unam rostri superioris motionem composita, quàm bella & scita, & qualem in alijs animantibus reperiri posse uix mihi persuadeo. Sed eæ sunt sagacis naturæ diuitię, ut partes quidem paucas numero tribuat, ad multiplicem tamen usum accommodatas. Id etiam hoc loco usu uenit. Nam tertium processum ad aurium efformationem antea adiecit: secundo uerò, & maximè primo musculos imposuit, qui si illum detrahunt, nō minimum ad superioris rostri motionem conducunt, sin minus, basim ad inferioris rostri motum (si tamen mouetur, quod ego hactenus negaui) exhibent, quod in musculis uidebimus. Sed quid ad ossa pterygoidia? ea me herclè tam appositè intrò dilatauit, atque inuicem seduxit natura, ut si carnibus interscpiantur, egregiam concamerationem efficiant. Nec satis. Sed duos illos anteriores ossium horum processus sic attenuauit, & à primo illorum exortu circumduxit, atque ubi ad rostrum peruenerunt, ita supra eius fundum ad sextuplum illud, quod gargareonem diximus, complanauit, denuò rursus ferè coniunxit, ut quod interest uacuū, figuram oualem paulò oblongiusculam ostendat, non alia, ut credo de causa, nisi ut cælum aut palatum,

Processus secundi ve luti antiterides.

Vectes trinos.

Iuga, seu primi processus.

Ossium pterygoidiorū vsus qualis.

Machina insignis, & admirabilis ad vnā superioris rostri motionē composita.

Processus tertij vsus ad aurium efformationem.

Ossiū duorū anteriorum Processus.

quod in homine dicimus ad loquelæ vſum conderet, in quam rem roſtrum concinnè intrò excauatũ eſt, & ſimul vt pituitæ in palatum aditum perrumperet. Atque hæc mihi circa capitis in Pſittaco ſtructuram, ſi oſſa ſpectes, & cõtemplatione & dictu digna viſa ſunt: quæ ſi quis irrideat, & vana & commentitia exiſtimet, ipſe velim accedat, introſpiciat, rimetur, conſideret, atque ſi videbuntur, probet; Sin minus, alios earum partium in medium vſus afferat. Oſſa illa atque ſic conſtructa & inuicem connexa adeſſe certum eſt. Non igitur fruſtra ea effecit natura. Quod ſi faciat, & nos illi condonabimus, & inſuper gratiam maximam ob communes ſtudiorum profectus habebimus; Sed inferius roſtrum haudquaquam omittendum eſt. Illud potiùs vniforme eſt, & vt in alijs auibus oblongum, intra ad inſignem digitum inter ſiniſtram partem atque dextram patulum acie obtuſa, prona & decliui, quò fit, vt ingens ſpatium, & ad linguæ circumactionem peroportunum concedat. Latera tam altè exurgunt, & tantoperè diſtant, vt totum ſuperius roſtrum, ſcilicet vbi iunguntur, circunc ludant. Vnde ſi rectè Pſittacum aſpicias, ſit vt intumeſcentias quaſdam, ac quaſi malas in eo aduertas. Huic enim ſoli peculiare eſt inter aues, at commune cum homine, vt maxillas, aut ſaltem, quod hiſce non ineptè reſpondeat, habere dici poſſit. Vnus Suidas inter vetuſtiores huiuſmodi quidpiam ſubodoratus videtur, quod ex eius verbis colligitur. *Auium*, ait, *quæcunque linguam ſimilem humanæ habent, & maxillarum diſpoſitionem, humanum aptæ ſunt imitari ſermonem, vt Pſittaci, Picæ & ſimiles*. In cæteris enim auibus impropriè maxillas ſtatuas, pro quibus ipſis omnibus eſt roſtrũ. Sunt autem hæ Pſittaci maxillæ, quò meliùs hoc nomen mereantur, muſculis quamplurimis præter aliarum auium morem veſtitæ, adeo vt ſaltem analogia quadam humanis maxillis non ſolùm oſſibus, ſed & carnea ſubſtantia veluti buccas quaſdam etiam efformãte, reſpondere non temerè dictæ ſint: cuiuſmodi oris conſtitutio cùm ad robur roſtri, tàm ad articulatam vocum pronunciationem, quantum conferat, ipſius hominis exemplo ſatis docemur. Articulatur autem roſtrum hoc retrò, & cauitatem planam ſub ſummo illius oſſis rotundi tubere occupat, & infernum eiuſdem oſſis ambitum ſua quadam cauitate profunda, velut canali excipit, atq; intrà in obuerſo latere margine includit. Hoc tamen liceat etiam addere, quod aures minimè habeat Pſittacus, vel paulò ſupra oculos, vt Noctuæ, aut ad oculum medium, vt cæteræ aues, ſed infra ad marginem infernum è directo orbitæ, neque oſſe integro, vt in oſſe pertuſo. Quæ ratio? Suprà apparuit proceſſulum illum tertium neceſſarium fuiſſe, vt ſuper hunc os rotũdum ſuis proceſſibus moueretur. Hunc igitur commodè aliquò inſerere debuit. At ex ea parte os planum & æquum eſt, itaque eò affigi nequit: nec caput illud in roſtrum circumducere & in cranij parietes infigere, atque ab ijs ſuſpendere opus erat, quod imbecilla foret articulatio, & tanti vſus os effractu facile. Præterea hic proceſſus vnicum ſaltem eo pacto vſum præbiturus erat. At natura diues, & ingenioſa, quæque non partibus functiones, ſed functionibus partes metiri ſolet, & paucis partibus munia multa obit, proceſſum hunc ad aures obiecit, & eius extremum ad fluxum foraminis, non tamen vſque longè, vt firmior eſſet, occurrere uoluit, ut manibus veluti obuijs ſeſe exciperent, vt mutuum auxilium præſtarent. Accedit quòd os illud rotundum totum liberum ab alijs munijs, præterquam ab ijs, quæ antè diximus, futurum erat. Itaq; vt alio etiam conferret, eius partem ſummam ad inferam auris partem applicauit quidem, non tamen cum cranio coniunxit, adeò vt retrò & ſupra cranium perforatum, proceſſus antè, ſubtus verò oſſis illius apex integrum foramen circumſcribant. Quare ne tot fruſtra partium commoda perirent, fieretq; maiori, quòd aliàs fiebat minori, diſpendio; itaq; & cranium ſuprà integrum reliquit, & aures ad hunc locum natura inſigni certè artificio tranſtulit. Mirũ ſanè quomodo naturæ omnia arcana inueſtigans Ariſtoteles', alijq; præſtantiſſimi Philoſophi iſtæc ſubticuerint, cùm tamen Plinium minimè omnia latuiſſe perſpicuum eſt, Pſittacis duriſſima in capite oſſa aſcribentem. Atque iſtæc hactenus de cranio Pſittaci dicta ſufficiant, quorum omnium contemplationem Ioanni Bittnero Sileſio Germano, viro doctiſſimo, Philoſophiæ & medicinæ Doctori præcipuè debemus. Quæ cùm animaduerſiſſet Clariſs. Marcus Antonius Vlmus Patauinus, vir me hercule ad omnia (non dixerim vel minima, vel mediocria, ſed potiùs eximia) eximiè natus, & cuius nunc doctiſſimæ de Barbæ humanæ fine lucubrationes ſunt ſub prælo, atque fuiſſet acriter etiam contemplatus, procul omni dubio ad Philoſophiam ſuam indiuidualem ea veluti maximè opportuna tranſtulit. Aſſerens iſtæc plurimum etiam valere ad ſenſibiliter demonſtrandum, cùm omnipotentiam Creatoris, tùm naturæ ipſius maieſtatem: quæ ambo nullis obligata materiei legibus, clariſſimè demonſtrant ſibi omnia inſeruire. Admiranda ſanè eſt, & ſolis Pſittacis, quoad nos obſeruare, hactenus potuimus à Natura conceſſa talis oſſium capitis ſtructura. Quæ vt bene intelligatur, non ab re fuerit Pſittaci capitis ſceleton cum ſuis litteris oſſa ſingula indicantibus exhibere poſteaquam prius totius Pſittaci ſceleton dederimus.

Roſtrum inferius.

Pſittacus quaſi maxillas habuit.

Pſittaci, & Picæ, cur humanum ſermonem imitari poſſint.

Cranij Pſittaci oſſa duriſſima.

Ioãnes Bittnerus. Sileſius.

M. Antoni Vlmus Patauinus.

Pſittaci capitis ſceletos.

A. Narium






A Narium foramina.
C Oculi orbita.
D Vertex & ſinciput.
E Foramina aurium.
FFFF Oſſibus pterygoidibus ſeu alaribus ſimilia oſſa, quæ trigona eſſe diximus.
G Roſtrum inferius.
HH Stilares proceſſus longiores, quos iuga, vel primos proceſſus vocauimus.
II Stilares proceſſus deſinentes ad coitum alarium proceſſuum: Suntq; illa officula, quæ ſecundos proceſſus appellauimus.
K Os baſilare dici poteſt, ſiue ſpina oſſis baſilaris.
L Os iſtud vocauimus tertium proceſſum, poſſitq; etiam dici proceſſus auricularis propter aurium vicinitatem.
MM Tubercula ſiue proceſſus, ubi primus & ſecundus ſtilares proceſſus coniunguntur.
N Vertebra ſuper quam caput mouetur.
PQ Aſpera arteria prona & ſupina.

# DE MVSCVLIS CAPITIS.

SED quoniam muſculis quoque opus erat, quibus tanquã funibus partes mouendæ attrahuntur; agitè hos etiam paucis proſequamur, & magis, ut nunquid, quæ diximus ſupra, vera ſint, appareat. Eos autem trademus muſculos, quos in capite abſciſſo obſeruauimus. Primus igitur muſculus, exiguus eſt, latus, carnoſus, exoritur à primo proceſſu, indè deorſum obliquè deſcendens in maxillam ſuperiorem non procul à roſtri initio inſeritur. Secundus huic ſubiectus & magis per interna expanſus, carnoſus eſt, qui & ipſe ab interiore ſuperficie totius proceſſus primi ortum ducit, & in ſupremam maxillæ inferioris aciem implantatur. Hi muſculi forſan non ineptè maſſiteres vocari poſſunt, quòd ſimilem, atque in homine maſſiteres uſum præbeant. Per hos enim inferius roſtrum ſuper alterum fertur, velut catillus in mola ſupra metam. Quamuis, quod etiam antè monuimus, nos dubitemus, nunquid inferius roſtrum moueatur. Supra in generali deſcriptione ſolum Crocodilum, & Pſittacum ſuperius roſtrum mouere diximus. Quod ſi uerum eſt, quod nobis ratio perſuadet, haudquaquam inferius roſtrũ ſupra ſuperius, ſed contrà ſuperius ſupra inferius uerſabitur. Hoc manifeſtè nobis oſtendit illa duorum lapidum in mola ratio, quorum ſuperior ſuper alterum mouetur: hoc etiam, quotquot ſunt animantia oſtendunt, quæ cibos ad ſuperiorem maxillam immobilem, per infernũ mobilem attritos comminuunt, atq; conterunt. Regula Phyſica eſt, quam antè habuimus: Omne quod mouetur, ſuper aliquod mouetur, alioquin firmum eſſe oportet. Itaque hi muſculi non tam ad maſticationem, quàm ad validiorem ſuperioris roſtri depreſſionem conferẽt: eritque eorum contrarius, quos diximus, exortus & finis. Tertius muſculus, qui Crotaphita appellari non temerè poteſt, à temporibus explantatur, primùm per ſinum illum, qui inter oculi orbitam, & cranij proceſſum interiacet, mox uerò ſub primo proceſſu deorſum lapſus, tandem in inferiorem angulum maxillæ inferioris propè roſtrum deſinit. Quartus muſculus internè latitat, & à proceſſibus ſecundis intrò oritur. Ambo hi carnoſi ſunt, & deorſum tendentes per totam maxillæ inferioris internam regionem immittuntur. De his duobus muſculis neſcio quid dicam quo ad motum, niſi quod de alijs diximus. Dantur autem & alij muſculi à maxilla inferiori explantati, atque in proceſſus pterygoides inſerti. Horum primus pulchro naturæ opere, ortum ducit à poſtica parte proceſſus primi, & tota poſteriori ſuperficie maxillæ inferioris, carnoſior ac corpulentior factus, obliquè deorſum tendit, ubi in tendinem deſinens, in fines proceſſuum illorum deſinit. Alter muſculus carnoſus eſt, qui & ipſe explantatur à poſteriore parte maxillæ inferioris, uerùm inferiore, & in proceſsũ nuperrimè dictum non procul à primo deſinit. Atque hoſce muſculos proceſſus illos attrahere quis non uidet? & his attractis roſtrum anterius deprimi? Rectè igitur hos roſtri illius impulſores diximus. Nullus enim muſculus eſt, qui uel exiguum ad roſtrum ſuperius excurrere uideatur, quod tamen opus fuiſſe neceſſum eſt. Sed quid dicemus ad hæc? In confeſſo eſt ſuperius roſtrum eo modo, ut diximus, deprimi. Cùm uerò & attollamus, & contrariorum motuum contrarij ſint muſculi, & contrario loco poſiti, quomodo ergo roſtrum attollemus? Nullũ quod ex his apparet huic functioni muſculum dicatum inuenimus. Indagandum itaque eſt, quomodo roſtrum ſuperius moueatur. Sentit doctiſſimus ille vir, cuius antè mentionem fecimus, muſculos hoſce à ceruice explantari, & per medium verticem ad roſtrũ rectà ferri, atque ad planam illam inter narium foramina, & iuncturam tendinibus latis implantari. Id locus, vt ait ipſe, maximè perſuadet, atque ſi quis Pſittacum manducantem uiderit, ſemper cutem in uertice motitari, & modò huc, modò illuc ferri aduertet. Poſſunt autem eſſe hi muſculi vel cutanei, vt in fronte noſtra, vel leues admodum & plani, & ſub cute perreptant non ſecus atq; tendines, qui digitos attollunt, ſub cute tenui tranſeunt: nec maximo robore opus eſt ad ſimplicem ſubleuationem, quod ijdem tendines, vtpotè exigui, & leues in hominibus oſtendunt. Sed hæc αὐτοψία ipſa facilè doceret, ſi id commoditas pateretur. Itaque non erit, quod hac in parte affirmemus. Certum tamen eſt aliquos eſſe debere muſculos, qui huic præſint officio, & ſi quid ratio ſuadet, ex oppoſito locatos. Non enim credo vectes illos ab aliquibus muſculis ſubtus impelli, (nam quis molli durum impelli credat?) aut quemadmodum lingua & foris, & intrò moueri. Verùm & alios duos muſculos conſpeximus vtrimq; in extremis mandibulæ inferioris proceſſibus retrò, exiguos, quorum alter erat exterior, alter interior. Exterior latior eſt, exilis tamen, qui à poſteriori capitis parte ortum ducens, in ſupremam aciem, & extremam maxillæ inferioris inſeritur. Internus uerò gracilis eſt, curtus, carneus, à proceſſu quodã ibidem conſpicuo exoriens, & in internam, ſupernamq; eiuſdem maxillæ implantatus. Sed

Prim⁹ muſculus.
Secundus.
Muſculi maſſiteres.
Terti⁹ muſculus.
Quartus.
Muſculi maxillæ inferioris.
Muſculi roſtri impulſores.

quem

quem vſum hi muſculi habeant, certè, vt ingenuè fatear, ego conijcere non potui, quem itaq; viris doctis indagandum propono. Atque hæc de capitis muſculis ſatis ſint.

# DE LINGVA, ARTERIA, ET GVLA.

Lingua.

LINGVA huic aui lata eſt, admodum craſſa, etiam humanâ craſſior, ſi proportionis rationem habeas, ſuperna ſuperficie ad palatum cornea, molliore tamen multò, quàm cornu, membrana obuoluta, partis uerò inferioris apex ſimilem quidem membranam habet, ſed duriorem, vngulæ aſininæ non abſimilem. Tres ſub lingua ad radicem poſiti ſunt proceſſus; duo quidem extremi oblongi, oſſei, acuti, ad latera colli inſerti: medius uerò breuior & carnoſior. Hoſce proceſſus aut uicem oſſis hyoidis, aut & oſſis huius & muſculorum linguę gerere autumo. Lingua enim auium harum ferè oſſea eſt, aut carne duriori, nec adeò ut in hominibus plicatilis & uerſatilis.

Aſpera arteria.

Principium arteriæ aſperæ non ut reliquis auibus, & homini cum reliquo canali æquale eſt, at ſuprà ſub glottide multò latius. Annuli ex quibus componitur, ubiq; integri, firmi & duriuſculi ſunt, & parum abeſt, quin continui. Arteriæ diuaricationes infrà tam breues ſunt, ubi utrimq; in pulmones diſtribuuntur, ut ſimulatq; cœperint, ſtatim terminari uideantur, ac propè nullæ eſſe, ſecus quàm reliquis auibus, quibus hi duo arteriæ rami oblongi ſunt, & ad pulmones per latera feruntur.

Gula.

Arteriæ, quod pro colophone dicamus, ad partem dextram adiacet, aut potiùs ſubijcitur gula, deorſumq; fertur, donec ſub iugulo dilatata ingluuiem conſtituat, tandem extrema parte in priſtinas anguſtias coarctata priorem locum repetit, & uerſum ſtomachum deſcendit. Hęc itaque pauca, quantum tempus, locus & commoditas paſſa eſt in uno tantùm Pſittaco obſeruauimus. Sed iam cætera proſequamur.

# LOCVS.

[a] L. 10. c. 42
[b] In Corynthiacis.
[c] L. 6. c. 29.

QVOD [a] Plinius, & [b] Pauſanias ſcribunt ſolam Indiam mittere Pſittacum, noſtra ſanè hac tempeſtate uel in primis uerum eſſe deſijt. Ego etiam ne Plinij tempore uerĳtati undiquaq; conſentaneum fuiſſe ſuſpicor, cùm idemmet [c] Plinius alibi ſcribat *inſulam eſſe Gagaudem in Aethiopia, indeq; primùm viſos eſſe Pſittacos à Neronis exploratoribus*. Credo tamen maiorem eorum partem ex India tunc apportatos fuiſſe, præſertim cùm & eam regionem, quam nos Breſiliam nunc appellamus, in qua etiam Pſittaci ſunt frequentes, Indię nomine ueteres comprehenderint. Vnde etiam ab Ouidio is, cuius deplorat interitum, dicitur:

Breſilia regio.

*Pſittacus Eois ales mihi miſſus ab Indis.*

Et Statio:

*Pſittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ.*

Qui eos apportari è regionibus ad Orientem & Meridiem ſitis ſub æquinoctiali, generalius tradiderunt, inter quos eſt Nicephorus Caliſtus, cum maiori prudentia loquuti ſunt. Et Diodorus in ultimis Syriæ etiam naſci ſcripſit. Hic tamen ut & illi, fateor, poſt Plinium floruêre. Verùm Pſittaci in Taprobana maris Eoi inſula primùm inuenti ſunt, cùm Alexãder Magnus Oneſicratem in eam inſulam miſit, qui nonnullos inde rediens ſecum attulit. Inde uerò non per Orientem ſolùm, ſed per Europæ etiam magnam partem, & maximè in urbem Romam, & tanta frequentia ſparſi ſunt, ut ea res reprehendendi Romanorum ciuium luxus M. Catoni anſam præbuerit, cùm uiros non puderet, hos tanquam delicias potiſſimas pugno per urbẽ geſtare, perinde atque nunc optimates Accipitres, ac Falcones uenatum rus prodituri pugno deferunt. Vt ut eſt, calido cùm cælo, tùm & ſolo eos maximè gaudere, naſciq; tanquam ſuæ naturæ magis familiaribus, reipſa conſtat. Non enim in Germania, aut Noruegia, alijſq; regionibus frigidis Pſittacos gigni uidemus, quia nempè ibi cælo propitio non utuntur: Imò uerò, illuc ſi importantur, obtorpeſcunt, & uigor ille natiuus languet, & uix hypocauſtis fouetur. Quare etiam hac noſtra ætate uix alibi, quàm regionibus calidis, quamuis multò quàm ueteres cognorint, pluribus & propè innumeris procreari eos uidemus. E quibus in uarias orbis partes, & in Europam ob ſpeciem & ingenium uenum exportantur. Nam præterquàm quòd in India Orientali, ut olim, ita etiam nunc frequentiſſimi ſint, præſertim circa Pegù, & Tarmaſſari urbes, in orbe tamen nouo, eiuſq; inſulis, quem etiam Indiam Occidentalem uocant, tanta eorum eſt multitudo, vt nouæ cuidam telluri ſuprà caput bonæ ſpei ſitæ, ob horum incredibilem copiam primis illorum locorum repertoribus nomen indiderint, atq; non ſolùm ob

Catonis in Romanos reprehẽſio.

Quo cælo gaudeant Pſittaci.

Pſittacorũ regio.

numerum,

numerum, verùm etiam propter eorundem proceritatem, vt qui brachium, & dimidium longitudine exceſſiſſe ſcribantur. Quin & alijs multis Indiæ Occiduæ regionibus haud minor, quàm in ea, quæ ab ipſis denominata fuit, Pſittacorum frequentia eſt. In Grachana tot eſſe dicuntur, quot apud nos cicadæ. In Cunam, & Manacapana inſulis plures ſunt Pſittaci, quàm hîc Paſſeres, ſi verum dicunt noui orbis ſcriptores. Hiſpaniola dicta regio, & Darien Pſittacis ſimiliter abundant. In regno Calechut tanta Pſittacorum eſt vbertas, vt in agris incolæ oryzæ cuſtodes adhibeantur, ne totam depaſcantur. Vnde vili adeò æſtimantur, vt ſinguli non pluris quàm gemino denario, id eſt, media ſolidi parte veneant. Regnũ quoq; Senegæ, quod Nigritæ incolunt, totum Pſittacis ſcatet, vt & Aethiopia, & eius vicinæ inſulæ.

Pſittaci vbi viles.

## VOLATVS.

PSITTACI etſi his regionibus pigri videntur, ſunt tamen ſub cælo ſuo in India nempè, vt referunt, perquàm volaces. Nunquàm verò ſoli, ſed bini ſemper volant, vtpotè mas, & fœmina. Rationem cur hîc minus volaces ſint, eandem quis aſſignare poſſit cum ea, quare hîc minus quàm in India gignantur, cæli nempè frigidioris inclementiam, qua veluti obtorpeſcunt, vt minus agiles, ac expediti ſint ad volatum. Hanc tamen, qua apud nos laborant, volatus impotentiam quocunq; modo recompenſat reptandi facilitas, qua ſurſum, deorſum, quocumq; & in maximam quamuis altitudinem, mira induſtria, & promptitudine ſcandunt, in hoc naturæ ſolertia ob congruam roſtri, & pedum conformationem adiuti. Illud enim tam inſigni robore conſtruxit, vt dum proreptando pedes promouere nituntur, eius vnco tanquam firmo adminiculo ſeſe appenſos ſuſtineant, & librẽt. Hoſce verò Picorum pedibus ad reptatum omnium appoſitiſſimis, vtpotè quibus non incommodiùs deorſum, quàm ſurſum, ac tranſuerſim etiam præruptiſſima quæq;, non arborum tantùm, ſed & parietum perrepant, ſimiles omninò facere voluit, vt ſua neceſſitati non deeſſent inſtrumenta. Pari pacto, ſi quando prouolant, ne pedes alioqui debiles ob corporis deorſum labentis pondus alliſos offendant, tum roſtri robori confidentes, hoc ipſo violentiam caſus frangentes ſeſe excipiunt, obuio quopiam adminiculo apprehenſo. Rarò admodum, tamen aliquando, & quantum, in quo agit, cubiculi ſpatium patitur, prouolant, ægrè tamen, rarius aut nunquam ſubuolant, ſed, vt diximus, reptatione facili loca ſuperiora, ac arcua quæuis petunt.

Cur hic ſint tardi volatus.

Repunt nõ volant.

## VOX.

QVANDOQVIDEM humanus ſermo Pſittaco minimè naturalis eſt, qui nempè arte in primis magiſtri, & diſciplina, tùm ſtudio, vſu, ingenio huius auis addiſcitur, ideò de eo hoc loco nihil agemus, ſed relegata eius tractatione in ſubſequens caput de ingenio, de natiua eius tantummodò voce hîc dicendum putauimus. Certum porrò eſt Pſittacos nondum cicures, cùm ſcilicet in ſyluis, & natalibus locis degunt, inconditam vocem, cuiuſmodi aues indoctæ edunt, emittere, non autem expreſſam, & explanatam habere, vt tradit Aelianus. Quin etiam experientia docet quoddam genus eſſe, quod nulla quantacumq; etiam induſtria, & diligentia hominum adhibita, aliam quàm naturalem vocem non ſecus atque Cuculus doceri poſſit. Huiuſmodi ſunt maximi illi, duos cubitos longi, quales ad viuum efformatos ſuo loco dabimus. Hi enim non ſolùm ad imitandum ſermonem humanum non habiles erant; verùm etiam aphoni penè, & muti, excepta vnica illa voce Perrochet, quæ iam tanquam ipſis peculiaris, in nomen eorum abijt. Hæc tamen vel ſola, cùm articulata ſit, & admodum expreſsè, tanquam ab homine pronuncietur, atque cùm literam caninam hominum etiam plurimis prolatu difficillimam, accuratiſſimè exprimat, aptitudinem imitandi humana verba admonuiſſe, atque ita inſtituendi ſeſe occaſionem præbuiſſe videri poſſit. Quamuis & caſu id accidere potuit. Videmus enim Pſittacos ſua ſponte nullo etiam docente, aut animalium voces, aut humanas è triuio acceptas, & quales ſæpè reiterari audiuerit, reddere. Eſt verò, vt annotat Bellonius, etiam natiuæ vocis quoddam inter eas diſcrimen, vt ſcilicet ſonum alij longè molliorem edant, & gratiorem, alij è contrario duriorem, & aſperiorem.

Pſittaci indociles ad humanã vocem exprimendá qui. Perrochet Pſittaccorũ vox natiua.

MORES.

# MORES. INGENIVM.

VT inter bruta quædam magis ad humanæ naturæ ſimilitudinem quodammodo accedunt, cuiuſmodi ſunt, exempli gratia Elephas, & Simia, ita & in auibus Pſittacus; idque non moribus tantùm ſeu affectibus quibuſdam, quos pathemata & paſſiones vocant (vtimur nunc his vocabulis tanquam ab homine ad rem noſtram ob ſimilitudinem quandam tralatitijs) in alijs præter hominem animantibus obſeruatu raris, verùm & ingenij ſagacitate, & ſermone, quæ intellectui noſtro propiora ſunt, non procul ab homine abeſſe videtur. Quę res Philoſophos etiam nonnullos animo ſuſpenſos, & ambiguos tenuit, an videlicet ſoli homini ratio tanquam propria eſſet attribuenda. Negârunt id quidam, & non ratione hominem, ſed oratione velut propria dote reliquis animantibus præcellere, & ab his differre voluerunt. Verùm ſi & auibus natura loquelam indu ſit, quid quæſo homini reſtat, aut ſupereſt, quò brutis emineat? *Sturni, Corui, & Pſittaci, quoniam loqui diſcunt, & vocis ſpiritum*, ait Plutarchus, *tam ſequacem, tam æmulum, penſandum, formandumq́, docentibus præbent, ea ipſa docilitate adeſſe, patrocinariq́, cæteris animalibus videntur, & tantùm non voce teſtari, etiam cæteris omnibus proferendi ſermonis, & vocis articulandæ vim natura conceſſam*. Quod quidem Plutarchi dictum, ſi de vlla alia aue, in Pſittaco in primis locum habet.

An homini ſoli ratio cõueniat.

[a] *L. 10. cap. 42.* *Supra omnia namq́*, (inquit [a] Plinius) *humanas voces reddit.* Et vnde author Philomelæ, vt alijs omnibus alias, & proprias voces attribuit, easq́; rudes & inconditas, ita Pſittaco humanam ſolam aſſignat, inquiens;

*Pſittacus humanas depromit voce loquelas.*

Et non tantùm Imperatores ſalutat iuxta illud Statij.

*Ille ſalutator regum, nomenq́, loquutus*
*Cæſareum.*
*Atq; ſuo domino χαῖρε, valeq; ſonat.*

(Hoc enim parum eſt, & plures aliæ hoc faciunt) ſed *quæ accipit verba*, teſte Plinio, *pronuntiat omnia, eaq; articulata penitus*, vt ait Solinus, *eloquitur*, & quidem ſermocinatur, adeò vt miro ſanè ingenio orationem quantumuis longam non interrupta ſerie pronuntiet. Narrat [b] Cælius de Pſittaco miraculum inſigne ſuis temporibus viſum. *Pſittacus*, inquit, *fuit Aſcanij Cardinalis Romæ centum aureis comparatus nummis, qui articulatiſſimè continuatis perpetuo verbis Chriſtianæ veritatis ſymbolum integrè pronuntiabat, perinde ac vir peritus enunciaret*. Quare de hac potiùs aue, & maiori iure, quàm de Pica [c] Martialis canere debebat.

[b] *L. 3. Antiq. lect. cap. 32.*

[c] *In Xenijs.*

*Pica loquax dominum certa te voce ſaluto,*
*Si me non videas eſſe negabis auem.*

Teſtatur ſanè hoc de Pſittaco diſertis verbis Apuleius, cùm inquit: *Id quòd dicit Pſittacus, ita ſimiliter nobis canit, vel potiùs eloquitur, vt vocem ſi audias, hominem putes.* Vnde iure merito à [d] Statio his epithetis, ac titulis ſalutatur.

[d] *In Epicedio.*

*Pſittace lux volucrum, domini facunda voluptas,*
*Humanæ ſolers imitator Pſittace linguæ.*

Et ab [e] Ouidio, qui abeunti hoc iuſtiſſimum, ac veriſſimum encomium celebrauit.

[e] *Eleg. 6. lib. 2.*

*Non fuit in terris vocum ſimulantior ales,*
*Reddebas blæſo tam bene verba ſono:*
*Plenus eras minimo, nec præſermonis amore*
*In multos poteras ora vacare cibos.*

Nicephoro quoque Caliſto auium loquaciſſimus, & ad æmulationem humanæ vocis accommodatiſſimus rectè notatur. Verumenimuerò non aptitudo tantùm, ſed & propenſio quædam naturalis, imò ſtudium maximum ei addiſcendi ineſt, vt ex Ouidij verbis, quæ iam diximus, etiam eſt colligere, quod tantum in ſuo Pſittaco fuiſſe dicit, vt præ ſermonis addiſcendi amore cibum ſumere neglexerit. Quin etiam, ſi Cardano noſtro credimus, non ſolùm loqui diſcunt, ſed etiam meditari, & memoria illis eſt non vulgaris. Vnde tropo quodam illud hominis proprium, nempè quòd diſciplinæ capax ſit, huic etiam accommodare licebit ob mirã docilitatem, & quòd veluti penſum diurnum verba ſibi præſcripta reddat fideliſſimè. Nam, vt inquit Aelianus, *quemadmodum pueri crudãntur, ſic Pſittaci ex pluribus Indiæ generibus omnes humanæ vocis vſum addiſcunt*. Caſtigatur etiam in ipſis diſcendi tarditas, vt in pueris; dum enim, vt inquit Plinius, *loqui diſcunt, ferreo verberantur radio* (ſeu *ferrea clauicula*, vt Apuleius, & Solinus.) *Non ſentit aliter ictus: nam capiti eadem durities, quæ roſtro.* Dum pullus eſt, atque adeò intra alterum ætatis ſuæ annum, quæ monſtrata ſunt, & faciliùs diſcit, & tenaciùs retinet. Maior paulò ſegnior eſt, & obliuioſus, & indocilis, vt ijdem Apuleius, & Solinus tradũt. Verùm [f] Plinius,

[f] *Lib. 10. c. 42.*

nius, vt id obiter dicamus, è quo istæ transtulisse videntur, de Pica non de Psittaco ea scribit, quamuis etiam de Psittaco id verum esse possit. Atque hinc certè manifestum euadit, quod antè diximus, sermocinationem, nempè qua tanquam potissima nota hominem à cæteris animantibus discrepare volunt, Psittaco etiam competere. Vnde pariter alij aliò confugientes solum hominem intelligere prolata dicunt. Sed quid si quispiam vlterius progrediatur in recensendis ingenij Psittaci donis, ijsque profectò admirandis, atque non solùm loqui eum, sed intelligere, & ad interrogata respondere, quasi quæ alij dixerint, assequutus sit, proferre audeat, ex illo præsertim genere, quod album est, Gallinę magnitudine, & quod in Bandan Indica insula Iauæ vicina nascitur, quid tum quæso homini supererit? Equidem huius rei authores habeo nauigationum noui orbis scriptorem Nicolaum Conti, & grauissimum præterea virum [5] Iulium Scaligerum. Sed vt ego hac in re neq; aliquid asserere, neq; negare, aut mendacij tantos viros insimulare ausim; ita unum tantùm exemplum, quod idem astruere uidetur, in medium adferam, liberum tamen cuique interim, quid sentire aut credere malit, per me relictum uolens. Refert Ornithologus (res maxima certè) sibi recitatam ab amico quodam iucundam historiam de Psittaco, quem aiebat Londini in Anglia è palatio Regis Henrici Octaui in præterlabentem fluuium Tamesin decidisse, & uoce consueta ijs, qui quantocunq; pretio (ut in periculo aliquo constituti, aut alij etiam ioco) portionem ex opposita ripa uocant, à bott, à bott, fortuuentye pouund, quod est, cymbam, cymbam, uel pro uiginti libris, quam sæpissimè enunciari audiuerat, & tum commodissimè meminerat, exclamasse. Exercitatum portitorem quendam, properè adnauigasse, & sustulisse auem, & Regi (ad quem pertinere agnoscebat) reddidisse, tantum mercedis sperantem, quantum auis promiserat. Rex pactus est, ut quam auis interrogata denuò mercedem dixisset, acciperet. Placuit conditio. Respondit auis, Gibe the knabe à grott, id est, da nebuloni solidum. Inde ergo quàm rectè hic periculum agnoscebat, qua uia euadebat, quam appositè quod conueniebat portitori, respondebat. Sed aliud addam colophonis uice, quod Pherecides refert, Psittacum masculum obseruare, & arguere, & nominatim denique deferre eos, qui uenena propinare moliuntur, aut in domum important. Quæ si uera sunt (equidem nec aio, nec nego, fides penes authores esto) mirari profectò subit tantam, imò pluspuam humanam penè in Psittaco uideri adesse ingenij uim, & eius causam difficilem admodum assignatu iudico. Neque enim rem acu tetigisse mihi videtur Persius, qui adeò artificiosæ huius auis loquelæ causam indagans (vt exemplo scilicet animalium brutorum honore, & præmio artes ali ostenderet) non aliam quam necessitatem ab inedia inductam adfert, quo simul, & sese lucri gratia ad poesim compulsum esse innueret, & perditis tum Romanorum moribus illuderet:

*Quis expedíuit Psittaco suum χαίρε?*
*Coruos qui olim concauum salutare?*
*Picasq; docuit verba nostra conari?*
*Magister artis, ingeníq; largitor*
*Venter, negatas artifex sequi voces,*
*Quod si dolosi spes refulserit nummi*
*Coruos Poëtas, & Poëtrias picas*
*Cantare credas Pegasæum melos?*

Quare neque assentior Horatio, qui inquit:

*Et laris & fundi paupertas impulit audax,*
*Vt versus facerem.*

Vt enim hæc etiam causa ad rem aliquid faciat, ita præcipua esse nequit. Nam prę̃ter ventrem profectò, promptitudinem quandam, & innatam, quam vocant, aptitudinem ad eas, quas miramur, actiones obeundas in hac aue agnoscere, ac statuere oportet præ cęteris peculiarem. Cuculum enim quantuncunq; inediâ domes, & assiduò instruas, vt humana formet verba, nihil vnquam præstabis. Etenim Cuculus est, non Psittacus, aut Luscinia. Innuit hoc ipsum [h] Martialis, cùm se tanquam disertum Psittaco, aduersarium verò, vtpotè illiberalis ingenij hominem Coturnici comparat.

—— *Credis hoc Prisce*
*Voce vt loquatur Psittacus Coturnicis?*

Quasi diceret præter naturę ordinem fore, si Coturnix humana uoce vtatur, quod Psittaco potius conueniret. Destituitur enim Coturnix eo docendi ingenio, ea aptitudine, quæ in Psittaco maxima est, & debito organorum numero & structura confirmata. Ea tria potissimùm esse arbitror. Primum quod in homine mentis domicilium est, caput, idque grande, quod ad ingenium facere etiam Cardano placet ita scribenti. *Psittacus inter aues ingenio, sagacitateq; præstat,*

[5] *Exer. 238*

Psittaci ad interrogata respondentis elegans historia.

Psittacus agnoscit, si quis venenum in domũ importet.

Persius reprehensus.

Cuculi habes ingenium.

Martialis se Psittaco comparat.

[h] *lib. 10. Epigram.*

Coturnicis ingeni i ser moni inoptum.

Instrumẽta aptitudinis discendi in Psittaco quæ.

Caput.

*quod grandi ſit capite, atque in India calo ſyncero naſcatur: vnde etiam didicit non ſolùm loqui, ſed & meditari: meditatur ob ſtudium gloriæ, &c.* Quod ſi Cardano præter foris conſpicuam capitis magnitudinem, rara illius compoſitio ac ſtructura, quam in eius anatome expoſuimus, cognita fuiſſet, nunquid eam tacuiſſet? quid tum dicturus erat?[i] Ariſtoteles tam articulatam pronuntiationem in linguam, quam ſecundo loco nos etiam propoſuimus, refert, vbi ſcribit. *Omnes aues vncæ breui ſunt collo, & lingua lata, aptaq; ad imitandum. Nam & Indica auis Pſittace, quam loqui aiunt* (quæ verba Pſittacum auditu ſibi, non etiam viſu notum fuiſſe indicant) *talis eſt.* Sanè linguæ figura eſt humanæ quàm ſimillima. Hinc non temerè Pſittacum ἀνδρωποφθογγον dicunt, ſiue id de forma linguæ, ſiue de loquela intelligas. Deniq; quid ſit, vt inquit Statius:

[i] 8. H. c. 12. Lingua.

ἀνδρωποφθογγον. Linguæ figura.

— *monſtrataq; reddere verba*
*Tam facilis*, & ad loquendum tam expeditus, aſperam arteriam eo, quo ſuo loco enarrauimus, modo conformatam, non poſtremam cauſam conijcio. Veruntamen non in loquutione tantùm, ingenij ſolertiam oſtentat Pſittacus, ſed in alijs etiam actionibus, quas ſua ſponte obit naturæ magiſterio. Quid enim obſecro excogitari ingenioſius, quæ prudentia ab aue expectari poteſt maior, qua in nido tam mirabiliter, vt dicemus, vt pullos à ſerpentum inſidijs inſigni atque miranda cautela tueatur, Pſittacum vti videmus? Quàm probè præterea ſibi pedum ſuorum infirmitatis conſcius, cùm deuolaturus eſt haud irrito conamine, *roſtro velut anchora*, vt Apuleius inquit, nititur? *eoq; quaſi quodam præſidio*, vt Solinus, extraordinarię firmitatis vtitur? Attamen & loquacitas in Pica reperitur, quanuis vt ad quæſtiones reſpondeat, quod de Pſittaco traditur, nemo dixerit; & nidum non minori ſolertia conſtruere, & Oriolo, & Paro, alijſque commune eſt: multa etiam ſunt præterea animalia, quæ quid ex naturæ inſtinctu prudenter agunt: itaque dicat quis, non eſt vt tanti Pſittacum admiremur. Verùm & hominum more affectibus tangitur, ſibi placet, gaudet, homines amat, odit, adulatur, geſticulatur, inebriatur, luget. Sic diſcere eos non ſolùm loqui, ſed & meditari, idque ob ſtudium gloriæ, & huius participes eſſe Cardanus ſcribit. Philautiam ipſis ineſſe, ſibiq; ſua blandiri pulchritudine, illud nos docet, quod, ut quidam teſtantur, admoto ſpeculo ob propriam formam nunc gaudentibus, nunc dolentibus ſimiles efficiantur. Caudæ præterea decorem magno ſtudio, ne quid detrimenti patiatur, cauere os, & pennas roſtro frequenter extergere videmus. De puerorũ amatore ſcribit Aboali in hęc uerba: *vidi ego Pſittacum miræ amantem pueros imberbes. Gaudent ſanè hæ aues conuerſatione puerorum, & ſermonem humanũ coram eis exprimere.* Idem ſic habet: *Nuper etiam quidam fide dignus mihi aſſeruit, nouiſſe ſe hominem adeò amatum à Pſittaco, vt ob diſceſſum eius ſemper lugeret auis, & æmulatione erga alios Pſittacos duceretur.* Atteſtatur illud de pueris[k] Albertus, cùm inquit: *Amat hæc auis loqui cum pueris, à quibus etiam cæteræ aues facilius loqui addiſcunt.* Quæ de pueris à Pſittaco amatis feruntur, uera ſe quoq; comperiſſe[l] Scaliger aſſerit. Recitat tamen idem contrarij affectus in pueros exemplum de quodam, qui torque rubra inſignitur, Pſittaco, *Hic*, inquit, *pueros à pedibus, atque eiuſdem ætatis alios tanto proſequebatur odio, vt in eorum capita de ſublimi loco non aliter impetum faceret, atq; Falco in Anatem, quam vbi nequit adipiſci, deſcenſionem inhibet, ſublatusq; ſeſe comparat ad aliam impreſſionem faciendam.* Verùm vt id ob iniuriam aliquam ipſi à puero illatam accidere potuit, & mihi veriſimile eſt, ita plerumq; puerorum pulchellorum, ut etiam uirgunculorum aſpectu delectari impensè conſtat. Quinimo & libidinoſum apud homines familiariùs conſuetum aliquando redi Scaliger teſtatur. *De moribus eius*, inquit, *hoc compertum quoq; nobis eſt. Fuſcum mediocris magnitudinis obſeruauimus, cùm ei affectata abblandiremur attrectatione, accendi libidine ſolitum, mihiq; vltro offerre oſculum, adeoq; obturbari, vt ex ingluuie cibus in os redundaret.* Hinc etiam quidam illud, quod ex Ariſtotele Plinius inquit: *In vino præcipuè laſciua*, (ita enim Græcorum uocem ἀκολαςότερος uertit) ad libidinem referunt, quamuis mihi quidem Ariſtoteles hoc uocabulo in temperantiam linguæ maximè ſignificare uidetur. Adulationis quidam eum arguunt, & [m] Petrarcha noſter adulatorem eum uocat. Verùm non auis illud uitium eſt, ſed quorum magiſterio affectatas ſalutationes, & uerba adulatoria loqui didicit, etſi[n] Martialis alicubi de eo dicat:

*Pſittacus à vobis aliorum nomina diſcam,*
*Hoc didici per me dicere Cæſar aue.*

Nequaquam credendum eſt Pſittacos ſua ſponte, aut proprio Marte, Cæſarem per adulationem, tanquam eum nouiſſent, ſaluere iuſſiſſe; Verùm quòd citiùs, quàm cæterę aues ea uerba exprimere docti, promptè adeò Imperatores ſalutarent, ut id ſponte & ſuo ingenio facere uidentur. Quo ſenſu & Perſius inquit quęrens, *Quis docuit Pſittacum ſuum χαιρε?* Quare docilitati eius id omninò aſcribendum eſt, qui ut quaſuis, nempè non humanas ſolùm, ſed aliorum etiam brutorum uoces nullo negotio imitatur, ita eas faciliùs, ac perfectiùs effingit, quas cęteris frequentiùs audierit. Ita ſi inter lugentes eum agere contingat, lamentandi formulas & ſuſpiria haud ſecus exprimit, atque ſi reuera eum mortui miſeratio tangeret. Hinc à Statio

[k] *Lib.* 23.

[l] *Exer.* 236.

[m] *L. de rem. fortunæ.*

[n] *In Xenijs.*

Pſittacus

Psittacns Melioris Atedij celebratur, *vt queruli quondam vice functus amici.* Pulcherri mum, & relatu dignissimum exemplum est, quod de asperis fortunæ casibus Imperatorio filio, Psittaci opera in melius commutatis, quia eiusdem lugubres querelas effunderet, Constantinus [o] Manasses refert. Basilius Orientis Imperator Leonem filium in carcerem compegit, Santabareni persuasu, quasi qui mortis laqueos patri texeret, etiam si ipse reuera innocentissimus esset. Hinc orti ploratus & eiulationes matris, casum filij lamentantis, & apud patrem pro eo deprecantis. Sed ipse durus erat, & nullis precibus molliebatur. Adhibebantur mulierculæ lamentatrices, quæ præficarum in morem nenias quasdam lugubriter occinerent, & calamitatem Leonis acerbè deplorarent. Domns vniuersa plangore, & luctu perstrepebat. Aderat auicula quædam canora, quæ frequenter uoces illas lamentabiles exaudita, & edocta cum mulierculis adolescentem expresso Leonis nomine, deplorabat. Quam cùm aliquàdo Basilius loquentem audiret, ac in ore nomen Leonis ferentem, simulq; videret eos, qui aderãt, acerbas lachrymas profundere, ilicò de ira non nihil remisit, & durum animum flecti passus est, veritus (vti quidem apparet) ne fortè magis expers commiserationis, quàm auicula videretur. Itaq; filium è carcere eduxit, mitiùs tractauit, & moriturus tandem hunc ipsum imperio præfecit. Digna sanè auis, cui non quernea, quæ ciuis seruatori, aut laurea, quę Imperatori, sed cui aurea corona tanquam ipsa Imperatorem seruauerit, aut cui publico sumptu in Prytaneo victus prę beatur. Quamuis autem Constantinus nomen auis non addat, ego tamen Psittacum omninò, (qui, vt diximus, in hoc cæteras vincit, vt sua sponte verba humana hauriat) fuisse existimo. Quemadmodum autem simulato luctu Imperatorem induxit, vt filij eius misereret, ita è contrà ad risum astantes aut domesticas mira sæpè agilitate permouet. Nam gesticulator est, in quam rem doctissimus Scaliger: *Nos non docilem tantùm*, inquit, *sed & gesticulatorem agnouimus, & vt ait Aristoteles de Monedula βομβόλοχον, Saltantem enim Allobrogem cantorem vidimus capitis gesta depressis agitatisq; alis imitari. Id quod Grus etiam facetissimè facit.* Denique si vllum alium, hunc certè maximè inhumanum illum hominum affectum pati scimus, ebrietatem nimirum, quæ in homine vix aliud est, quàm mentis à suo statu euersio, à vino, ceu ab equis indomitis auriga excusso. Videmus etiam ea maximè bruta, quæ maiorẽ cum hominibus, quàm reliqua, affinitatem habent, vino mirificè delectari, & ad ebrietatem expleri, quod ridiculis, & mimicis quibusdam actibus produnt. De Simia hoc experientia mihi constat, si vini semper copia suppeteret, nunquam non futura ebria. Nullius adeò Elephantes atq; vini capiũtur potu. Ad Psittacum redeamus. Hunc etiam Aristoteles, cùm vinum biberit ἀχολαςότερον reddi testatur; quod quidem alij ad libidinem, ego ad linguæ intemperantiam refero. Verùm differunt mores pro Psittacorum diuersitate. Virides enim doctrinæ aptiores, & memoria tenaciores esse quidam arbitrantur, fuscorum sermonem expressiorem. Illud vulgatum, virides clamosiores atque mordaciores; fœminas stolidiores. Insulę Badan trium generum vnum ferũt, non solùm discere, sed etiam intelligere, & ad quæstiones respondere. De viridibus illis macrouris, quibus collum torque rubra cingitur, hoc tradunt, annulo illo primum apparente; nihil eos præterea discere. Quòd falsum comperisse se experimento affirmat Scaliger. *Vnus enim*, inquit, *acceptas è via publicitus voces, aliquas haud ita multò pòst reddidit.* Ex quibus facilè colligere est Psittacum auem esse, quæ inter cæteras humanam naturam maximè sapit, vt nõ immeritò Mercurio, cui omnia animantia ingeniosa sacra erant, sacer quoque antiquitùs habitus fuerit. Fœminas Psittacos nunquam aut rarenter humanas voces reddere [p] Andreas Tiraquellus scribit, idque multorum aliorum animantium exemplis probat. [q] Plinius tamen vtriusque sexui id tribuit. Pherecides refert masculum obseruare, & arguere, & nominatim deferre eos, qui venena in domum important. Sed semel de Psittaci industria satis dictum sit, superest, vt nunc de simplicitate eiusdem aliquid dicamus, de qua [r] Petrus Martyr ab Angleria Mediolanensis ita nobis tradit: *Psittacos aiunt in insulis S. Michaelis, & Ditis insulæ sinui occidentalibus adeò simplices esse, vt ad crocitantem Psittacum ex arbore, in cuius ramis Auceps latet, multitudo ingens conuolitet, facilèq; capi se patiantur. Nil enim viso aucupe terrentur, sed vt laqueo trahantur ad collum coniecto, expectant, neq; aufugiunt alij, vno raptato, & in mantica, qua præcinctus est venator, ipsis cernentibus reposito.*

[o] *In Annal.* Leo Basilij Imp. filius Psittaci opera à morte liberat.

Psittacus gesticulator est, & risum mouet.

Psittacus ebrius ena dit.

Quæ animantia uino delectẽtur.

Simiæ ebrietas. Elephas uino gaudet.

Morum in Psittacis diuersitas.

[p] *De leg. glo. 1. part. 12.*

[q] *Lib. 10. c. 42.*

Psittacorũ simplicitas

[r] *L. 10. dec. 3. rer. Oceã.*

# VICTVS.

PSITTACI etiam num feri frugum omne genus, vt frumenta, edunt, & legumina: vnde Nigritis, apud quos copiosos esse diximus, plurimùm exosi sunt, quòd totam ferè regionem circumuolantes fruges deuastent. Imò in India noua penè vbique maximam stragem granis inferunt. Ad frumentum verò Indicum, seu Maiz tanta auiditate aduolant, vt Indi custodes aruis, suos cogantur adhibere pueros, qui eos etiam

Nigritæ cur Psittacos oderint.

magnis clamoribus arceant; quod item Calechutenſes faciunt, ſuo damno edocti, Pſittacos omnem alioquin orizam, qua potiſſimùm ea gens victitat, depopulaturos. Sed & alijs omnis generis ſeminibus ueſcuntur. Hoc uerò Pſittacis peculiare præ cæteris eſſe notatur, vt quemadmodum Helleborum Coturnices, Sturni Cicutam, ita illi cnici ſeu carthami ſemen, quod homini catharticum eſt, non innoxiè ſolùm aſſumant, ſed & eo nutriantur commodè, ac pingueſcant. Fructus quoque omnigenos, cùm molli, tùm duro cortice intectos, cuiuſmodi ſunt nuces, comedunt, imò hiſce mirè oblectantur, & eos roſtro perrumpunt, quod natura ipſis in eum etiam uſum firmiſſimum dedit, ac robuſtiſſimum: vnde Ouidius Pſittacum ſuum mortuum deplorans, ita alloquitur:

*Nux erat eſca tibi, cauſæq; papauera ſomni.*

Seminum ſanè & in primis nucleorum cibo adeò impensè capiuntur, vt viſi ſint, qui malum grande totum roſtro diſcinderent, ac terebrarent, donec ad ſeminula illa matura pericarpijs contenta penetrantes, cæteris abiectis, hiſcè ſolis paſcerentur. Qui Indorum res commentarijs conſignârunt, in inſula Banda arbores illas, quæ nucem myriſticam ferunt, fragrantiſſimam longè lateq; auram de ſe ſpirare perhibent, & quæ pro maiore, aut minore diuerſorũ fructuum maturitate admirabilem colorum varietatem oſtentent. Quædam enim uirent, aliæ phæniceo, aliæ luteo, aliæ alio colore ſunt elegantes. Ad has frequentes admodum aduolare Pſittaci, ſiue ut ueſcantur, ſiue fortè vt odore recreentur aromatis, ſiue quòd, vt illi pulchra colorum diuerſitate prædíti ſunt, ita uenuſto nucum uerſicolorum ornatu mirum in modum exhilerentur. At verò cicures redditi pamphagi ſunt, & præter iam dictum cibum carnem edunt, & panem, necnon quemuis cibum ab homine oblatum. Sacchari eſu in primis gaudẽt. Geſtu uerò inter edendum utuntur ſingulari, ac ipſis proprio. Pede enim ſublato, eſcas ori non ſecus atque homo manu admouent, & quod magis mirum eſt, cibum digitis captum nõ introrſum ad os conuertunt, ſed extrorſum, more vti inſolenti, & ridiculo, ita, vt videtur, incommodo. Quod ad potum attinet, quod Ouidius de ſuo cecinit, cui

*Pellebatq; ſitim ſimplicis humor aquæ,*

id omnibus accommodari poteſt. Attamen vinum multò bibunt libentiùs, illudq; ſummoperè appetunt, cuius etiam potu non ſolùm, vt inquit Plinius, *laſciui & ſolito loquaciores redduntur*, ſed & inebriantur humano, quamuis inhumano more. Dum autem bibunt, vt inquit Albertus Magnus, *pedibus ſuſpenſi caudam in altum, & caput deorſum ad aquam extendunt*. Id verò eos facere putat, ne caudam humectent, aut lædant. *Hanc enim*, inquit, *diligenter cuſtodiunt, & ſæpè componunt*. Alcæus Pſittacum γάστριον, id eſt, ventri deditum vocat, ſed vix video quo iure. Mendum ſubeſſe ſuſpicor, & Pittacum legendum apud Pollucem, qui Alcæum citat, vt viri edonis proprium ſit.

Carthami ſemine Pſittaci gaudent.

Nucũ myriſticarum. maturaſcẽtium diuerſitas.

Cicures quo cibo paſcantur.

Potus.

Potãdi modus.

γάστριον. Pollux cor rectus.

# NIDIFICATIO.

VI patrum nõſtrum memoriâ terras antiquis ignotas peragrârunt, vt Aloyſius Cadamuſtus, mirâ ſolertiâ nidos conſtruere Pſittacos affirmant. Etenim proceram admodum arborem inueſtigant, ramis tamen adeò tenuibus, vt præ exilitate neque minimum pondus ferant, tantum abeſt, vt graue aliquod ſuſtineant, ad quorum cacumina penſilem ſurculum alligant, & nidum ex eo nõ tam callido conſilio, quàm artificioſo factum ſuſpendunt, pilæ modo rotundum, ſanè perquam exiguo foramine. Quod quidem eos moliri aſſerunt, vt ſerpentum inſidijs viam præcludant. Neque enim tam tenuibus & gracilibus ſurculis ob molem corporis ſeſe credituros autumant, neque ſupernè nidum inuaſuros, ob caſus metum. Placuit autem eandem, quam Cadamuſtus exhibet, iconem hoc loco maioris doctrinæ gratia exhibere. Eſt autem ea, quam ſequens pagina dabit. Quod verò Teuetus eos in arborum cacuminibus nidum ſtruere aſſerit, quò ab auibus rapacibus tuti ſint, id mihi friuolum videtur, quòd quæ alijs auibus, aut animantibus ardua ſint, & inacceſſa, ea facilè Aquilæ & Accipitres ſuperent. Fœcunditatis eorum haud leue argumentum eſt ingens illa in natalibus locis copia. Vidẽtur Columbis, quibus alioquin naturæ quodam occulto inſtinctu amiciſſimi ſunt, hac in parte non eſſe abſimiles, quòd vnà cum illis caſtitatis coniugalis rigidi ſint obſeruatores. Rarò enim ſoli, ſed bini ſemper, mas nempè & fœmina volare & agere videntur. Sic Picorum quorundam, quos Oriolos nominant, in nidi ſtructura ingenium referunt. Illi enim ſimili modo nidum ex arborum ramis ſuſpendunt, vnde non tam alijs rebus, quàm etiam hac in parte Pſittacis cum Picis conuenit. Oua pro magnitudine ponunt, alij alijs maiora. Maximi enim illi & bicubitales Gallinaceis haud minora parere viſi ſunt. Mediocres Columbaceis paria, aut nõnihil maiora. Pullos è nidis rapere, quod de rapacibus fieri aſſolet, minimè conſultum eſt, quod inuolucres adhuc ſi ſuſtollantur, præ teneritudine mox pereant. Adulti tantum ſuperuiuunt.

Nidi artificium.

Teueti opinio de Pſittacorũ nido explo ſa.

Fœcundos eſſe Pſittacos.

Caſtos eſſe.

Oriolorũ nidus.

Oua Pſittacorum.

SYMPA-

# SYMPATHIA.

AD mores seu affectus animi pertinet tacita quædam & occulta Psittacorum cum alijs animantibus sympathia & antipathia. Plerisq; naturaliter cum quibusdam benè, cum alijs malè conuenit, vt nihil est ex omni parte beatum; sed Psittaco nullum hactenus inuenio inimicum, amicos plures, eosq; non infimæ sortis. Quem enim potiorem homine ipso nancisci potuit, quocum ipsi reciproca quædam nec vulgaris intercedit coniunctio? Nam non apud nos tantùm iam cicur redditus, aut caueæ septis inclusus, hominum turba ac conuersatione gaudet, sed etiam in India, cùm etiamnum ferus in syluis degit, tantoperè humano contubernio delectatur, vt relictis syluis interdiù assiduè propè Americanorum domicilia agat, & ad loca hominibus frequentata & culta studiosè aduolet sub noctem, cùm Americani in ædes suas sese recipiunt, & ipsi quoque ad syluarum latebras redeunt, postridieq; sedes easdem repetunt, ac hominum conuentus haud aliter ac Columbæ nostræ suum περιστερεῶνα, reuisunt. Habent inter quadrupedes ferocẽ inuisumq; cæteris animãtibus Lupum singulari quadam prærogatiua sibi amicum, si verũ est, quod [a] Oppianus testatur. *Psittacus & Lupus simul pascuntur. Semper enim viridem hanc Auem amant lupi.* Inter aues Turture præsertim vtuntur amico, vt Plinius est testis, necnon Ouidius eo versu:

Cum homine.

[a] *Lib. 2. de Venat.*

Cũ Lupo.

Cum Turture.

*Semper & à viridi Turtur amatur aue,*

Hoc ipsum [b] alibi:

*Psittacus Eois ales mihi missus ab Indis*
*Occidit, exequias ferte frequenter aues*
*Omnes, quæ liquido celebratis in aëre cursus,*
*Tu tamen ante alias Turtur amice dole.*

[b] *Eleg. 2. 6.*

*Plena fuit vobis omni concordia vitâ,*
*Et ſtetit ad finem longa tenaxq́; fides.*
*Quod fuit Argolico inuentis Phocæus Oreſti,*
*Hoc tibi dum licuit, Pſittace, Turtur erat.*
*Quid tamen iſta fides, &c.*

# AFFECTVS CORPORIS.

PSITTACVS diſtillationi humoris in varias corporis partes irruentis obnoxius eſt. Ita plures tuberculis è gypſea pituita cùm alibi, tùm in articulis potiſſimùm obortis, vt alios podagrico cruciatu interijſſe vidimus. [a] Albertus Magnus *aquas alias*, inquit, *quocunque modo patitur, ſed pluuia moritur. idcircò in mox tibus Gelboe nidificare fertur, in quibus rarò, vel nunquam pluit.* Nocet Pſittaco mador à pluuia, niſi ad ſolem, aut ad ignem reſiccetur. Aliqui viſi ſunt, qui ſua ſponte aquis ſeſe immergerent, aut pluuiæ data operaexponerent, pòſt tamen refrigeſcente corpore toti tremebundi facti peius proculdubiò ſe habituri erant, niſi dicta ratione, nempè ſole aut foco ſuccurſum eſſet.

[a] *Lib. 23.* Pſittacꝰ ab aqua offenditur.

# DENOMINATA.

PAPAGALLOS, hoc eſt, Pſittacos vocant Flandri folia ſtirpis cuiuſdam, quæ Symphonia [a] Plinio, tradente Iacobo Dalechampio, & Gomphrena (aliqui Cremphenam ſcribunt, alij Symphonam, alij Comphenam, alij Symphenam) exiſtimari poteſt, ab Hetruſcis hodie herba de la marauiglia, ideſt, herba mirabilis dicta, ob excellentẽ & admirãdam coloris varietatem in folijs. Non diſſimulandum tamen, inquit, Plinium ſcribere Symphoniam eſſe alternis viridibus roſeiſq́; per caulem folijs, conſiderandumq́; num velit per caulem ſic diſpoſita eſſe folia intelligere, vt vnum ſit viride prorſus, id ſequatur aliud roſeum etiam omninò, & ſic deinceps. A Lobellio inter Amaranthos recenſetur vocaturq́; Amaranthus tricolor, à Trago Geloſia: fortaſſe Theombrotum eſt Perſarum apud Plinium, inquit Pena. Non è floribus, ſed ex foliorum triplicis coloris maculis ſcitè diſtinctis venuſtas huius æſtimatur, quæ ſunt Ocimi, aut Bliti interdum luteo viridi, vel purpureo, interdum triplici viridi luteo, & ſanguineo variegata, alarum Pſittacorum ritu. Semen cnici ſeu carthami Hiſpani ſemi de Papagay hoc eſt, ſemen Pſittaci appellant, quòd hæc auis eius eſu gaudeat. Roſtrum Pſittacorum Ambroſio Paræo doctiſſimo Chirurgo inſtrumentum vocatur chirurgicum glandibus, alijſq́; corpori extrahendis idoneum.

Pſittacus herba. [a] *L. 26. c. 7.* Maraniglia herba.

Amarãtus tricolor. Geloſia. Theombrotum Plinij. Roſtrum Pſittacorũ inſtrumentum.

# VSVS IN CIBO.

ITSI Aelianus Indos olim ceu religione quadam tactos, ab eſu Pſittacorum abſtinuiſſe tradat in hæc verba: *In hortis Indiæ regijs Pſittaci aluntur, & ſurſum deorſum vltrò citroq́; circum Regem verſantur, nec Pſittacum idcircò Indorum quiſquam etſi magna illic multitudo ſit, edit, quòd eos ſacros putent & Brachmanes quidem ex auibus plurimi hunc exiſtiment, vt qui ſolus humana verba vocis conformitate conſequatur:* hodiè certè cùm minus ſint ſuperſtitioſi, frequentes, Americanis præſertim, in menſas veniunt. Author eſt Chriſtophorus Columbus incolas Grachanæ noui orbis inſulæ, etiamſi vbiq́; maximam eorum habeant copiam, Pſittacos tamen ſaginare magno ſtudio, & in ciborum delicijs habere. Vt autem id fiat, quo uiui in manus ſuas ueniant, id hac ratione curant: ſagittandi illi peritiſſimi ſunt, ita ut uix unquam aberrent. Sagittis itaq; quas prę longas habent, floccos è goſſypio pręfigunt, ne acies teli Pſittacum lædat. Retuſo itaque mucrone iſti Pſittaci uelut attoniti præcipitantur, & paulò pòſt haud ſecus ac ſi nihil perpeſſi eſſent, ad mentem & ſanitatem redeunt. Hac arte captos, ut nos Capos, Coturnices, Columbos, Anſeres, ſaginæ mancipant. benè pingues in cibatu gratiſſimos habent. Ex noſtratibus vnum lego Heliogabalum flagitioſiſſimum Imperatorem, ac tanquã in volutabro ſuem, qui vt omnis generis vitiorum cœno immerſus ac cõtaminatus erat, & in primis luxu perditiſſimus, quo maiores ſumptus faceret, & vna cæna ingentes opes abliguriret. nihil enim niſi rarum, nouum & pretioſum placebat, vſitata omnia ſordebant, ingentes dapes capitibus Pſittacorum & Phaſianorum refertas Palatinis exhibuit, & quod maius eſt, Pſittacis atque Phaſianis Leones, Pantheras & alia animalia pauit, teſte Lampridio. Apicius etiam, quo nemo Romanus popinæ coquinæuè

Indi à Pſittacis abſtinent.

Qui Pſittacos eſitent. Pſittaci ſaginati.

Pſittacos mira ſagittãdi ratio.

Heliogabali luxus & prodigalitas.

quinæuè magiſter erat famoſior, eodem Pſittacum ac Phænicopterum apparari modo iubet, quem ſuo de Phænicoptero tractatui reſeruamus.

# VSVS IN EXTERNIS.

PSITTACI etiam olim cum Gallinis ruſticis & Merulis albis in publicis teſte[a] Varrone, ornatibus poni ſolent. Vidi ego Romæ in palatio Illuſtriſſimorum Farneſiorum Pſittaci iconem celeberrimo monti illi, in quo Hercules taurum dicitur ſuperaſſe, inſculptam. Hodiè, cùm vt aſpectu ſuo, tùm vt humani ſermonis imitatione oblectent, à magnatibus & opulentis magna cura aluntur. Nam & quondam, illud articulata verba eloquendi ingenium ita, inquit Suidas, Romanæ deliciæ miratæ ſunt, vt Barbari nempè Indi mercem fecerint Pſittacos. Auguſtus Cæſar Pſittacũ, à quo ſalutatus erat, emi iuſſit, vt[b] Macrobius ſcribit. Sed hoc parum eſt totius orbis principem adulatricem auem in pretio habuiſſe, & magno pretio emiſſe, cùm multò antè eò res deuenerat, tantiſq; in delicijs Pſittacus apud Romanos fuerat, vt M. Portius Cato morum Populi Romani cenſor & norma, eo luxu offenſus aliquando in Senatu indignabundus exclamârit. *O Patres conſcripti. O Roma infauſta, neſcio in quæ incideremus tempora, cùm ea portenta Romæ videamus, vt viri Pſittacos pugno geſtent, mulieres enutriant canes.* Oblectamenti igitur multifarij, quod ex auis cùm aſpectu, tùm auditu capitur, gratia, vti olim ita & nunc caueis, eiſq; eburneis, argenteis, aut alia materia pretioſa conſtructis, includi ſolet, quæ quanti fit apud omnes, facilè declararant. Talis erat, in qua Atedij Pſittacus obijt à Statio hiſce verſibus deſcripta:

*At tibi quanta domus rutila teſtudine fulgens,*
*Connexuſq; eburi virgarum argenteus ordo,*
*Argutumq; tuo ſtridentia lumina cornu,*
*Et querulæ iam ſponte fores? vacat ille beatus*
*Carcer & exigui nuſquam conuitia tecti.*

[a] *Lib. 3. de Re. Ruſt. c. 9*

[b] *2. Saturnal. 4.*

Cato populum Rom. reprehẽdit.

Eos ſeruare docet Oppianus, vt hoc obiter addam, in ferreis caueis non ligneis, cuius clathras roſtro ſuo robuſtiſſimo confringit, vt experientia conſtat, imò vix ferreæ ab eiuſdem violentia tutæ ſunt. Beati quidem ſunt hac deliciarum parte, ſed quas conſuetudo & ſatietas plus dimidio minuit. Indi autem tam Eoi, quàm Occidentales, quibus Pſittacorum frequentiſſimus numerus eſt, & quibus vel inuitis vndiq; ſeſe ingerunt, vt & aliarum auium omne genus diſcolor, aliam cùm è Pſittacis, tùm ex eiuſcemodi diſcoloribus auibus alijs fructum nôrunt. Non enim eos ſolùm magni æſtimant, quòd ipſis ceu cupedijs quibuſdam veſcantur, ſed vel ideò potiſſimùm, quòd bis teruè quotannis eos plumis exuant, vt ex illis imagines uarias, papiliones, flores, herbaſq;, necnon pileos, & perizomata ſibi conficiant, clypeos ſuos & enſes, quos ligneos habent, exornent, ueſtes, aulæa atque tapetes contexant, aliaq; quamplurima vtenſilia conficiant, quæ ex his ſumma induſtria, & miro artificio ad omnium ſtuporem concinnare nôrunt. Sed poſteaquam in eiuſcemodi plumariorum, ſiue plumatilium operum mentionem incidimus, nõ ab re fore arbitramur, paullò fuſiùs de ijs, hoc loco agere, quamuis ea alioqui ex alijs quoque verſicolorum auium pennis conficiantur: quas inter tanquam cæteris nobiliores exiſtunt patrio nomine Tominei dictæ: Has namque Meſſicani maximi faciunt. Qui de India noua ſuas nauigationes ſcriptis publicârunt, auiculas ibi reperiri tradunt tantæ exiguitatis, vt ne apes magnitudine ſuperẽt, tam diuerſorum verò colorum pennis veſtiri, vt vel hæ ſolę operibus plumarijs ſufficiant: adduntq; eiuſcemodi auiculas rore ſolo, quem apum more ex floribus colligant, viuere, totaq; hyemè glirium inſtar obdormire. Habent præterea multa alia auiũ diuerſicolorum genera Indi: quinimò Americus Veſputius eorũ diuitias ſolùm ex auium pennis dimetitur, nõ quòd alijs rebus non abundent pretioſioribus, verùm quia, ſi his carerent, ex ſolis plumis, quæcunque ad victum neceſſaria requiruntur, ſibi comparare queãt: quare etiam multis in locis publicas de eis nundinas inſtituunt. Themiſthetani referente Teueto, qui & veſtimenta, tapetes, atque id genus vtenſilia alia è pennis contexunt, ſex ſeptemue dierum interuallo in quodam loco, tali mercaturæ deſtinato nihil præter eiuſcemodi pennas mercãtur. In nundinis Meſſicanorum omne volucrum genus vẽditur, cùm ad victum, tùm ad opera plumaria, inter quæ illud omnium mercatorum oculos in ſe conuertit, cui aurum intertextũ conſpicitur, aſpectu iucundiſſimũ: vel cuius potiſſimùm causâ multa eò confluunt nationes. Quod modo ad eiuſcemodi operum plumariorum artificium attinet, id quidem magnum eſſe videtur, ingenioſum, ac imitatu perquam arduũ: verùm quemadmodum nihil uolenti difficile eſt, atque vt ait Poëta:

Quomodo ſeruandi.

Indi multa ex Pſittacorum pẽnis conficiunt.

Tominei aues.

Auiculæ apũ magnitudine.

Aues diuerſorum colorũ in America.

Veſtimẽta, & tapetes, atque alia vtenſilia ex plumis auium.

Volucrum omne genꝰ & plumatili opere conficiẽdo apud Mexicanos uenditur.

*Labor*

1 Georg. *Labor omnia vincit*
*Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.*

Indorum diligentia in plumatili opere texendo.

Ita pariter præter Indos alius quoque præſtare queat: Sola enim patientia huiuſce artis magiſtra exiſtit, qua fortaſſis quaſcumq; nationes Indi ſuperant; quos ne fames, quam vel toto biduo tolerant, ab opere ſuo auellat: in quo alioqui, ſi quis intimiùs rimetur, exiguũ, aut penè nullum exiſtit artificium: ſiquidem plumas mortuis auiculis paruo quodam forcipe euulſas glutine peculiariter ad hanc rem præparato quàm ocyſſimè coniungunt, prout propoſitæ rei color expoſtulat. Ioſephus [c] Acoſta, qui de his populis nuperrimè hiſtoriam edidit, quoſdam autor eſt ibi reperiri, qui quicquid penicillo expreſſum viderint, etiam plumario opere imitentur, & tanta id exprimant excellentia, vt ipſammet ſuperent picturam. Equidem in meo muſæo videre eſt D. Hieronymi Saluatorem noſtrum flexo genu adorantis imaginem, ab Illuſtriſs. Card. de Burgos, Illuſtriſs. Card. Palæoto dono datam, & ab hoc poſtmodum muſæo meo dedicatam, quam ne Apelles, ſi reuiuiſcat, vel alius quiſpiam præſtantiſsimus pictor penicillo meliùs exprimat. Hanc imaginem, ceu rem pretioſiſſimam in toto muſæo, quod rectè microcoſmum, ſiue Naturæ ipſius theatrum dixeris, in quo nimirum quicumq; Naturæ partus reſeruantur, atque innumeræ penè aliæ picturæ, ſuſpiciunt omnes, mirantur, obſtupeſcunt. Sixtum V. ferunt Pont. Opt. Max. cùm aliquando eiuſcemodi opere plumario confecta tabula, in qua D. Franciſci imago ad viuum erat expreſſa, ei allata foret, diceretq; qui eam adferret, ex diuerſis auium plumis conſtare, non obſtupuiſſe duntaxat tanta operis arte, verùm etiam manu per auerſas plumas ducta, veritatem explorauiſſe. Nequibat enim adduci, vt crederet auium pennas ita ſimul coniungi poſſe, vt tam luculenter Diui illius imaginem ad viuum exprimerent. Philippo Hiſpaniarum Principi aiunt præceptorem ſuum plumariorum operum quorundam typos donauiſſe tanta induſtria factorũ, vt dum Princeps ille patri ſuo nempe Regi Catholico illos oſtendiſſet, hic admirabundus pronuntiauerit, nunquam ſibi alias tantæ exiguitatis viſas fuiſſe imagines, in quibus tanta operis excellentia conſpiceretur. Cæterùm eiuſcemodi imagines teſte, quẽ paulò antea nominauimus, Acoſta apud Meſſicanos, & Paſſarinos optimę fiunt, & quæ reliquis præferuntur. Iam verò præter imagines varia præterea alia ex pennis Indi, vt diximus, conficiunt, maximè Regum, & principum ornamenta, item templorum, & idolorum. Nam & ipſis eiuſcemodi opera in ſummo honorum gradu habentur. His nimirum ſeſe exornant, maximè Principes, & hi potiſſimùm, cùm ad bellum proficiſcuntur, vt in apponendis iconibus apparebit; quinimò gladios ſuos, clypeos, atque alia ijs arma ſua condecorant. Americanos tradit Teuetus, quando victores è prælio domum reuertuntur, pennis varijs ſeſe cohoneſtare, ſed nunquid etiam plumatilibus veſtibus ſeſe induant, non addit; at hoc ſaltem probat, eos populos, quod pariter omnes, quotquot de Indijs ſcripsêre, ſæpius repetunt, pennas alitum in ſummis habere delicijs: atque idcircò noſtratibus eò aduectis pro ſingulari munere varias pennas, atque ipſa opera plumaria obtuliſſe legimus: Sic Mazuma Rex Ferdinando Corteſio gratificaturus præter alias innumeras opes, etiam opera quædam plumaria donauit. Regi Catholico etiam memorant Regem Perſarum muneris loco pulcras diuerſarum volucrum pennas in duodecim faſciculos colligatas, quas inter nonnullæ planè erant aurei coloris, tranſmiſiſſe. Memini me, cùm Romæ eſſem, in muſæo percelebri illuſtris ac patritij ordinis viri D. Thomæ Cauallerij, cuius poſtmodum neptim magnificus D. Iulianus Griffonius Sororis meæ filius in vxorem duxit, clypeos vidiſſe elegantiſſimè eiuſcemodi plumario opere elaboratos, condecoratosq;, qualibus nempè Principes Indorum ad bellum euntes vti diximus. Ad quos vt regrediatur oratio noſtra, certo adhuc certius eſt nihil illis pretioſius, delectabilius, gratiusq;, atque in maiori æſtimatione extitiſſe, quàm eiuſmodi plumaria opera, quibus deniq; non ſe duntaxat, ſuoſq; Sacerdotes in præcipuis idolorum ſuorum feſtiuitatibus, celebrationibuſq;, verùm ipſa etiam idola inſtruebant, tanquam ornamẽto, quod omnibus alijs præcelleret. Vitzilipuztli, quod præcipuum ac honoratiſsimũ Meſſicanorum idolum eſt, teſte Ioſepho Acoſta à plumis nomen meruit: ſignificat enim Indis id nomen feneſtram reſplendentis pennæ. Erat ſiquidem pennis præcipuè adornatum. Cui ſacrificaturæ etiam virgines brachia ſua Pſittacorum pennis decorabant, Tezcatlipuca (eſt alterius Meſſicanorum idoli nomen) armillas habebat ex auium pennis mirificè fabrefactos: In huius quoque Dæmonis rogationibus, puelli puellæq; coronati incedebant, pedibus, brachijsq; plumario opere cohoneſtatis. Poſtremò ipſe ſacerdos Topilzin illis vocatus, qui nimirum viuos homines illi dæmoni mactabat, plumea corona erat coronatus: adeò vt plumas auium, operaq; inde confecta in ſummo honoris apice Indis ſemper fuiſſe iam ſatis conſtare arbitremur. At quid ſi quis eiuſcemodi dicat idolorum, templorumq; (nam & hæc plumario opere apparabant) ornamenta à Sacro Hebræorum ritu promanaſſe, & poſtmodum ab Indis,

[c] L. 4. c. 37.

D. Hieronymi imago ex plumis auium cõfecta ad mirabilis.

D. Franciſci imago, ex plumatili opere cõſtructa.

Imagines excellentiſſimæ ex auiũ plumis apud Regem Hiſpaniarum, & Indiarum Philippũ.

Plumatili opere Indi templa, & idola exornant.

Plumatilia opera multa Corteſio donata à Principibus Indorum.

Idolũ Mexicanorum plumatili opere adornatum.

Sacerdos Topilzin, corona plumea peronatus.

dis, quem Deo vero honorem tribuere debebant, ad nefaria illa ſua idola tranſtuliſſe? Deum namque Patrem [d] ſacra teſtatur hiſtoria, cortinas tabernaculi, quod ſibi exædificari præcepit, plumario opere variatas fieri voluiſſe. Sed hunc locum diui interpretes, longè aliter atque quidem optimè intelligunt. Veruntamen ſolus doctiſſimus aliàs Caietanus, D. Hieronymi verſionem carpens, & clariùs dictum fuiſſe credens, ſi opere polymitario tranſtuliſſet, non parum hallucinatur: ſiquidem polymitarium opus ab opere plumario [e] ſacra pagina diſertiſſimis verbis diſtinguit; quemadmodum hoc loco: *Fecit & velum de hyacintho & purpura, vermiculo & biſſo retorta, opere polymitario varium, atque diſtinctum.* Et paullò poſt: *Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, biſſoq́, retorta, opere plumarij:* Sed & antecedenti capite eiuſcemodi operarios diſtinguens Moſes, ait: *Ambos erudiuit ſapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho, ac purpura, coccoq́, bis tincto & byſſo, & texent omnia.* At hîc operæpretium eſt indicare, quid D. Hieronymo plumarium opus, ac polymitarium ſit, vt à pio lectore eiuſcemodi confuſio euitetur. nam ea ſacra pagina, vti diximus, clarè diſtinguit. Opus nempè polymitarium pictorum eſt, non item plumarium, at textorum, qui operantur interſerendo diuerſa filo. Pluma enim Hebræis idem ſonat, ac Latinis acus. De qua re, quia huc non pertinet, lectorem ad Alphonſi Toſtati commentaria, qui abundè de diſtinctione horum agit, amandamus. Hoc interim obiter adiungentes ex eiuſcemodi etiam plumario opere, hoc eſt, acu interſuto ſubſellium Iuſtiniani Imperatoris fuiſſe exornatum, de quo ita [f] Corippus Africanus canebat.

*Auratum ſcandens ſolium, ſedemq́, paternam,*
*Conſtructam plumis, pulcriſq́, tapetibus altam.*

Nobis enim de Indicis operibus hîc agendum erat, quibus tanquam pro epilogo cucullorum duorum, ſiue capitiorum, quæ Antonius Gigas, elegantiſſimus Poeta, vir vitæ probitate conſpicuus, rerumq́; naturalium peritiſſimus, at immatura iampridem morte nobis ereptus, in muſæo ſuo reſeruabat, deſcriptionem, necnon icones adiungemus. Prior cucullus quatuor dodrantes, & palmum erat longus; duos fermè latus: Pars ſupina, qua caput portantis tegitur, ex pennis erat mollioribus, exilioribus, quales in Pſittacorum capitibus conſpiciuntur: Quibus ceruix operitur, pennæ, videbantur eſſe è dorſo: quemadmodum quæ ſubſequebantur, ex cauda & alis. Erant autem omnes ſupra rete quoddam ex goſypinis filis caſtanei coloris intertextæ, quibus nimirum pennarum calami inferius reti alligabantur eo modo, quo ipſa pictura demonſtrat. Totus cuculli color erat coccineus elegantiſſimus. Alter longè diuerſæ erat figuræ, alteriusq́; coloris, totusq́; ex tenuioribus, minoribusq́; plumulis, necnon maiori induſtria elaboratus. Hic enim ſingulæ plumulæ ſingulis ligneis præſepiolis, vti ex icone apparet, tam conſtrictè inſeruntur, tamq́; compreſsè, vt textæ videantur. Talia verò præſepiola tam ſedulò complicantur, vt quaſi in binas partes ſecta diceres, & è media veluti ſectione ſingulas plumas tenuiſſimo filo incluſas enaſci. Omnes autem plumæ luteæ, atque quodammodo plumis, quas Rhamphaſtos ſeu Pica Breſſilica in pectore gerit, ſimiles. Tota inſuper textura in hoc, quàm in priori, longè denſior erat, æmulabaturq́; velum illud, quo matronæ noſtræ domi vtuntur. Luteis plumis purpureæ aliquot immixtæ, totam texturam pulcherrimam reddebant.

[d] *Exod. cap. 26.*

Polymitarium opus quid.

[e] *Exod. cap. 36.*

Pluma idē quod acus apud Hebræos.

[f] *Lib. 2. de laud. Iuſtin. Aug. minoris.*

Cucullor. duorū deſcriptio ex plumis factorum.

Priorem ſubſequentium iconum eſſe hominis ſyluestris plumario cucullo induti Antonius Gigas arbitrabatur, alteram quam ſecundo loco dabimus, reginæ inſulæ Floridæ.

# PROVERBIA.

Senex Psittacus negligit ferulã.

NON absimilis illi, *Senis mutare linguam*, de Psittaco paræmia vulgò iactata est, *Senex Psittacus negligit ferulam*. Diximus enim antè ex Apuleij Floridis Psittaco sermonem nostrum addiscenti, ferrea clauicula (quæ ferulæ loco sit) caput à magistro tundi ob capitis duritiem, eoq; maiorẽ, quò annosior ales est. *Discit autem*, inquit ille, *statim pullus vsque ad duos suæ ætatis annos, senex autem captus, & indoctis, & obliuiosus*. Quæ posteriora verba Apuleius, vt video, à Solino mutuatus est, hic à Plinio. Et quanquam Plinius hæc de Pica, non de Psittaco ea scribat; possunt tamen fortassis huic etiam conuenire: sin minùs, ratio saltem prouerbij non impedi- 10
tur. Vsitatum est apud Germanos quosdam prouerbium; Arbitrium seu libertas auri præferenda aiebat Psittacus caueæ inclusus. Vville gehet fur goldt sagt der Papegeye da sass er im korbe. Est & aliud eorum quibusdam in ore. Er kan klapffen vvie ein Papegaye, ideſt, Psittaco facundior est, cùm disertissimum quempiam volunt innuere. Nullum enim ex animalibus rationis expertibus articulatiùs humanas voces explicat. Vnde per eius effigiem quidam, hominem eloquentem, qualem Cicero se reperisse negat, olim significârunt. Poëtam bonum eius nomine per tropum, indicauit Martialis, cùm ait:

Prouerbia Germanica.

Psittacus pro eloquẽte positus.

——— *Credis hoc Prisce*
*Voce vt loquatur Psittacus Coturnicis.*

Vnde hoc etiam natum est adagium:

*Alia voce Psittacus, alia Coturnix loquitur.*

Coturnix p indocto posita.

Vbi Coturnix indoctum, è contra Poëtam Psittacus notat.

# HISTORICA.

Apsephas, seu Plaphõ Deũ se esse quomodo fingat.

APSEPHAS, quem alij Psaphon vocant, Rex Libiæ, cùm vir esset perditissimus, & omni scelerum obscænitate contaminatissimus, viam excogitauit, qua non modò se expurgaret infamia, sed diuinos etiam honores post mortem assequeretur. Psittacos enim magno numero in seductum penetrale inclusit, quas cicuratas, nemine conscio docuit canere Μέγας Θεὸς Ἀψεφᾶς, id est, Magnus Deus Psaphon: mandauitq; moriens, vt penetrale illud nulla interposita mora, dissectis fenestris patefieret, quo peracto, atque ita prouolitantibus vrbem totam, & totum agrum hac voce Μέγας Θεὸς Ἀψεφᾶς, complẽtibus factum est, vt Deus creditus, & templa sacra illi instituta fuerint. Simile quid legimus de Hannone Carthaginensium Duce, qui etiam aues (crediderim Psittacos aut Picas) alebat, atque hæc verba docebat: Hanno Deus est.

Hãno Carthaginẽsis Deum esse se fingit.

# EPITAPHIA ENCOMIASTICA
## Ouidij, & Statij, de Psittacis.

COLOPHONIS, & velut corollarij vice adijcere lubet Psittaci à maximis Poëtis non exiguo honore celebrata Epitaphia, quòd & scitu digna, & lectu iucunda multa de hac aue contineant. Ouidianum primum tale est.

*Lib. Eleg. 6.*

## IN MORTEM PSITTACI.

*Psittacus Eois ales mihi missus ab oris*
*Occidit, exequias fertè frequenter aues.*
*Ite piæ volucres, & plangite pectora pennis,*
*Et rigido teneras vngue notate genas.*
*Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis*
*Pro longa resonent carmina vestra tuba.*
*Quid scelus Ismarij quereris Philomela tyranni*
*Expleta est annis ista querela suis.*
*Alitis in raræ miserum diuertite funus,*
*Magna sed antiqua causa doloris Itys.*
*Omnes quæ liquido celebratis in aëre cursus,*

*Tu tamen ante alias Turtur amice dole?*
*Plena fuit vobis omni concordia vita*
*Et stetit ad finem longa tenaxq́ fides.*
*Quod fuit Argolico iuuenis Phocæus Oresti*
*Hoc tibi dum licuit Psittace Turtur erat.*
*Quid tamen ista fides? quid rari forma coloris?*
*Quid vox, mutandis ingeniosa sonis?*
*Quid iuuat, vt datus es, nostræ placuisse puellæ?*
*Infelix aurum gloria nempe iaces.*
*Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos;*
*Tincta gerens rubro punica rostra croco.*
*Non fuit in terris vocum simulantior ales*
*Reddebas blesso tam benè verba sono.*
*Raptus es inuidia, non tu fera bella mouebas*
*Garrulus, & placidæ pacis amator eras.*
*Ecce Coturnices inter sua prælia viuunt,*
*Forsitan, & fiunt inde frequenter anus.*
*Plenus eras minimo nec præsermonis amore*
*In multos poteras ora vacare cibos.*
*Nux erat esca tibi, causaq́ papanera somni.*
*Pellebatq́ sitim simplicis humor aquæ.*
*Viuit edax Vultur, ducitq́ per aëra gyros*
*Miluius, & pluuiæ Gracculus author aquæ.*
*Viuit, & armigeræ Cornix inuisa Mineruæ,*
*Illa quidem sæclis non moritura nouem.*
*Occidit illa loquax humanæ vocis imago*
*Psittacus extremo munus ab orbe datum.*
*Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris,*
*Implentur numeris deteriora suis.*
*Tristia Phylacidæ Therſites funera vidit*
*Iamq́ cinis viuis fratribus, Hector erat.*
*Quid referam timidæ pro te pia vota puellæ*
*Vota procelloso per mare rapta Noto.*
*Septima lux venit, non exhibitura sequentem,*
*Et stabat vacuo iam tibi parca colo.*
*Non tamen in tali stupuerunt verba palato,*
*Clamauit mortens lingua, Corinna vale.*
*Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet,*
*Vdaq́ perpetuo gramine terra viret.*
*Si qua fides dubijs volucrum locus ille piarum*
*Dicitur, obscænæ quo prohibentur aues,*
*Illic innocui latè pascuntur Olores,*
*Et viuax Phœnix vnica semper auis.*
*Explicat ipsa suis ales Iunonia pennas,*
*Oscula dat cupido blanda Columba viro.*
*Psittacus has inter nemorali sede receptus*
*Conuertit volucres in sua vota pias.*
*Ossa tegit tumulus, tumulus pro corpore magnus*
*Quo lapis exiguus par sibi nomen habet.*
*Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro*
*Ora fuêre mihi plus aue docta loqui.*

## In Psittacum Melioris Atedij mortuũ Statij carmen.

*PSITTACE lux volucrum, domini facunda voluptas,*
*Humanæ solers imitator Psittace linguæ,*
*Quis tua tam subito præcluſit murmura fato?*
*Hesternas miserande dapes moriturus inisti*

*Nobiscum, & gratæ carpentem munera mensæ,*
*Errantemq; toris mediæ plus tempore noctis*
*Vidimus. afflatus etiam, meditataq; verba*
*Reddideras, aut nunc æterna silentia lethes*
*Ille canorus habes, cedat Phaëtontia vulgi*
*Fabula, nec soli celebrant sua vulnera Cycni.*
*At tibi quanta domus rutila testudine fulgens*
*Connexusq; ebori virgarum argenteus ordo,*
*Argutumq; tuo stridentia limina cornu?*
*Et querulæ iam sponte fores vacat ille beatus*
*Carcer, & angusti nusquam conuitia tecti.*
*Huc doctæ stipentur aues, queis nobile fandi*
*Ius natura dedit; plangat Phœbeius ales,*
*Auditasq; memor penitus depromere voces*
*Sturnus, & Aonio versæ certamine Picæ:*
*Quiq; refert iungens iterata vocabula Perdix.*
*Et quæ Bistonio queritur soror orbe cubili.*
*Ferte simul gemitus, cognataq; ducite flammis*
*Funera, & hoc cunctæ miserandum adducite carmen.*
*Occidit aeriæ celeberrima gloria gentis*
*Psittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ,*
*Quem non gemmata volucris Iunonia cauda*
*Vincere aspectu, gelidi non Phasidis ales,*
*Nec quas humenti Numidæ rapuêre sub Austro:*
*Ille salutator regum, nomenq; loquutus*
*Cæsareum, & queruli quondam vice functus amici*
*Non conuiua leuis monstrataq; reddere verba*
*Tam facilis, quo tu melior dilecte recluso*
*Nunquam solus eras; at non inglorius vmbris*
*Mittitur, Assyrio cineres adolentur amomo.*
*Et tenues Arabum respirant germina plumæ.*
*Sicanetsq; crocis, fento nec fessus inerti*
*Scandet odoratos Phœnix felicior ignes.*

## Legitur etiam in Psittacum vocalem T. Vespasiani Strozzæ Lib. 6. Eroticon carmen non inuenustum, quod sic habet.

*PSITTACE quid frustra misero mihi nuper ademptam*
*Philloroen tanta sedulitate vocas?*
*Parce precor, parce insanos augere dolores,*
*Heu periit, quam tu viuere fortè putas.*
*Parce, meo toties animam de pectore vellis,*
*Philloroen quoties blandula lingua refert.*
*Heu periit neque eam spes amplius vlla videndi*
*Quam propter nobis viuere dulce fuit.*
*Si sensus tibi, si ratio est, vt habere videris,*
*Communi tristem te decet esse malo.*
*Non sum equidem oblitus tibi quæ responsa vocanti*
*Pascentiq; dapes sæpius illa daret.*
*Et memini aurato cùm te prodire iuberet*
*Carcere, porrectam te insiluisse manum.*
*Atque illinc dulcem memini parcente saltuam*
*Suxisse illæsis molliter è labijs.*
*Post vbi diuinæ laudaras sidera frontis*
*Non homo dicebas, sed Dea Philloroe est.*

Prisca

*Prisca salutato si paucis Cæsare verbis*
*Nigranteis ætas nobilitauit aueis,*
*Quid sibi facunda fingenti plurima voce*
*Tam benè, tam doctè Psittace laudis erit?*
*Laudo equidem, ingenium miror, debere fatemur*
*Nos tibi, nulla tuis gratia par meritis.*
*Sed ratio, & tempus fortunaq́ lubrica certant*
*Dant nostris legem, rebus, & eripiunt.*
*Hæc igitur nos causa monet desistere cœpto*
*Nonnunquam, & placitum flectere propositum.*
*Quid loquar, vnde meæ tanta inconstantia mentis?*
*Quod modo damnâram Psittace nunc cupio.*
*Fortè meis aliqua ratus es te posse mederi*
*Luctibus, hos vbi sum dictus adisse lares.*
*Quodque ita sit cum me tristi mœrore silentem*
*Vidisti, & multo rore madente genas.*
*Tu quoque commotus grauiter sociusq́ doloris*
*Ecce pijs lacrymis lumina mœsta rigas.*
*Functus es officio veri, & prudentis amici,*
*Nilq́ reliquisti, quo mala nostra leues.*
*Perge precor Dominaq́ tuæ communis vtriq́*
*Semper adorandum nomen ab ore sonet.*
*Atque vtinam in sæuo pietas tua vulnere fiat,*
*Tam dulci eloquio Pelias hasta mihi.*

# DE PSITTACORVM Speciebus.

## ET PRIMVM DE PSITTACO Maximo cyanocroceo. Cap. II.

EXPLICATIS hactenus omnibus, quæ ad generalem Psittacorum historiam pertinent, tempestiuum est, vt iam singulas eorum species, quas vel viuas nanciscì, vel ex missis nobis eorum iconibus haurire potuimus, describamus, ab eo primùm exorsi, qui extra omnem controuersiam omnium, quos hucusque vidimus, maximus est. Vidi itaque hunc Psittacum Mantuæ in aula Sereniſſimi Principis, ac Ducis Vvilhelmi anno 1572. magnitudine spectabili, vtpotè cuius corpus Caponem benè saginatum adæquaret. Longitudine erat ab extremo rostro ad extremam caudam bicubitalis. Rostrum aduncitate sua exactum hemicyclum componebat, extrinsecus in perfectam dimidij annuli rotunditatem conformatum; palmum integrum longum, quà incipit, semidigito minus crassum, si vtramq; mandibulam commetiaris. Superioris rostri longitudo duobus propè digitis inferius excedit, quod inferiore parte deorsum conuexum, ac teres est. Totum autem nigrum est. Oculi albi, & nigri. Hos ternæ lineæ nigræ à rostro ad colli initium ductæ, figuram literæ S iacentis repræsentantes in longum succingunt. Vertex capitis planus, ac viridis. Guttur veluti torquis nigra ambit. Pectus, venter, femora, uropygium, ac cauda inferior vniuersa crocea. Ceruix superna, dorsum, alæ, ac caudæ pars superior amæniſſimo colore cæruleo vestiuntur. Cauda binos plus minus dodrantes longa. Crura breuiſſima, tibiæ crassæ, fuscæ, vt & pedes, digiti longi, admodum magnis, aduncis & nigris vnguibus armati. Haud ita diu est, quod huius ipsius Psittaci imaginem, quam alioquin ante annos plurimos ad viuum per pictorem Principis Mantuæ depictam habebam, Reuer. admodum, & illustr. D. Dionysius Ratta Rom. Rotę auditor mihi pro sua humanitate dono dedit, cum succincta admodum eiusdem historia, quam ꝙ ad Psittaci naturam cognoscenda vtiliſſima sit, totam hîc apponere nõ grauabor. Pulcherrima auis ista Illustriſ. D. Sforzæ S. Floræ Comiti, exercitus Pontificij in Galliam, in subsidium Regis Caroli IX. aduersus hæreticos

Magnitudo.
Rostrum.
Oculi.
Vertex.
Guttur.
Color totius corporis.
Cauda.
Crura.
Pedes.
Dionysius Ratta mihi Psittaci iconem donauit.



reticos anno 1569. missi supremo Duci, ab aulæ regiæ quodam assecla pro munere raro atque exotico donata fuit, vt quæ paulò ante illum annum ex India occidentali à Gallis Britonibus fuisset apportata. Et quamuis Psittaco per omnia esset simillima, proq; eo ab omnibus passim haberetur, quidam tamen Coruum esse arbitrabantur, eo forsan argumento ducti, quòd vocem ederet grauem admodum, & raucam, statura præterea esset grandis, quòd rostrum adeò robustum haberet denique, vt nullo persicorum, atque amygdalorum ossa, aliaq; non minus dura confringeret, muros latericios excauaret, ligna, ossa, aliaq; similis duriciei corpora rumperet, finderet. Nullum vnquam verbum, aut vocem articulatam proferebat, præterquam hanc quæ ei apud Gallos nomẽ fecit, Parroquet, quam reddebat, si qua re opus sibi esse homines admonitos volebat. Quotidianus eius cibus erant amygdala, nuces iuglandes, panis, caro. Semel singulo die bibebat, idq; instante vespera. Quod si alius quispiam fructus, vt sunt poma omnis generis, ei obijcerentur, extemplò rostro dissectis, seminum intima loculamenta vestigabat, & his nucleos quantumuis minimos, ac seminula miro delectu, & auidè euellebat, edebatq; reliqua carne aspernata. Notis, & familiaribus adblandiebatur, rostro linguaq; contrectans; ignotos è contrà fero admodum morsu impetebat. Ante annos plus minus decem, eo ferè tempore, quo D. Franciscus Sforza Comitissæ S. Floræ, quæ hanc auem semper penes se habuit, aluitq;, filius in Cardinalium numerum cooptaretur à Pontifice Maximo Gregorio XIII. oua peperit, uix nostratum Gallinarum minora. Rarò aut nunquam ferè, atque si aliquando cogeretur, statim in arborem murumvè quempiam quieturus deuolabat, aut etiam humum ipsam. Priusquam autem in pedes sese constitueret rostri summitate descensus impetum excipiebat, quo pedum infirmitati suppetias ferret, quorum quidem, & rostri simul opera in quamcunque altitudinem tàm sursum, quàm deorsum ascendendo, & descendendo, veluti proreptabat; si modo aliquid dabatur, quo apprehensio niti, atque gradum promouere posset. Hyberno tempore loca affectabat calida, & ab hominibus frequentata, quorum societate supramodum afficiebatur: Aestiuo autem aquis se frequenter immergebat, aut pluuiæ exponebat, donec totus maderet, At à madore frigore correptus, ac tremebundus ad solem, vel focum calefacto, & exsiccato corpore meliùs habebat. Paulò antè verò, quàm moreretur, pedum ægritudine, seu podagra correptus, si fortè ingruentibus doloribus in pedes stabat, cespitabat, ac prolabebatur, & per octauam horæ partem lamentabiles, & altissima voce clamores edebat, qui vehementi ipsum per id interuallum dolore torqueri manifestò indicabant, quo etiam tandem extinctus est, mense Februario anni 1592. in atrio antè memoratæ Comitissæ, ea ipsa, nec non Illustri Cardinale suo filio præsentibus ac astantibus, qui à prandio clamore auis ob ingruentes dolores exciti, accurrentes vitam cum morte commutare viderunt. Hactenus ergo de hoc omnium maximo, quos vidimus Psittaco. Huic similem alium vidi apud Illustrem D. Ioannem de Biron Marchionẽ Puisanij Regis Gallorum Henrici IIII. ad Pontificem Maximum Sixtum Quintum, Legatum, dum Romam Bononia proficisceretur. Tertius denique huius generis mihi visus est Bononię, quem soror Illustris. Cardinalis Alexandrini habebat anno 1581. Dici potest hic Psittacus cyanocroceus, & in regno Coulan noui orbis gignitur. Allo in Mexico dicitur, & Guauamaia.

Cur coruus quibusdã putatus.
Vox.
Cibus.
Potus.
Oua.
Ascensus & scansio.
Morbꝰ quo interijt.
Ioan. de Biron March.
Allo. Guauamaia.

# DE PSITTACO MAXIMO ALTERO. Cap. III.

ALIVS reperitur Psittacus, apud eundem Serenissimum Mantuanum Principem mihi visus, superiore nihilo minor, eademq; longitudine, sed corpore, vt videtur haud ita crassio. Hunc nuperrimè mihi tanquam auem insolentem Florentia misit celeberrimus Hieronymus Mercurialis, vir incomparabilis doctrinæ, & singularis in me humanitatis. Rostrum ei, quàm superiori breuius, nec longo adeo hamo incuruum, tres propemodum digitos longum, & totidem, qua capiti committitur latum, mandibula superiore alba, inferiore nigra. Albet oculorum regio & tempora. Capitis vertex palmo longior, compressus. Dorsum, alæ incipientes, gula, pectus, venter, femora, deniq; cauda tota supernè pulcherrimo colore puniceo decorantur. Sed & remiges pennæ interiori parte simili colore rubent. Remigum tegetes secundo in alis ordine luteæ sunt, puniceis marginibus, cæruleo velut ocello prope apicem ornatæ. Remigum exterior superficies, & vropygium infernum saturo cæruleo tinguntur. Crusçula breuia ac pedes, digitis oblongis, vncis unguibus armatis composita, fusca, seu cineritio obscura.

Magnitudo.
Rostrum.
Oculi.
Vertex.
Color.
Remiges pennæ.

# DE PSITTACO ALBO CRISTATO. Cap. IIII.

Magnitudo.

SI non omnes, quos hactenus obſeruauimus Pſittacos, præter deſcriptos, hic quem iam deſcribemus, magnitudine præcellit, ſaltem nihil cedit, præterquam qui ob raram ſpetiem, & admirandam elegantiam omnium oculos in ſe conuertit. Erat olim Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Principis Alexandri Farneſij piæ & venerandæ memoriæ Cardinalis ampliſſimi. Longitudo eius dodrantis cum palmo, pullo Gallinaceo pari, ſeu Columbo domeſtico maximo. Longitudinem autem metior à ſummo roſtro ad extremas remiges. Nam ſi caudam commenſurare velimus, duos plus minus dodrantes explebit. Eſt cauda ipſi præter aliorum Pſittacorum morem non rectà in longum extenſa, ſed ſurrecta, quomodo Gallinaceis Gallis ſolet. Roſtrum habet cinereum, ad nigrum vergens, quà capiti committitur, naribus patulis peruium, ac harum medio tuberculo quodam teriti cliuoſum. Lingua lata, rubicunda. Oculi iride lutea, pupilla nigra. Corpus vniuerſum candido plumarum tegmine veſtitur. Capitis vertex plumis grandiuſculis, ſeſquipalmum altis, retrorſum nonnihil incuruis, acuto apice denuò antrorſum reflexis, candidis, denis velut criſta perornatur. Cauda pari pacto in altum ſurrecta eſt plumis dodrantalibus, quales in Gallorum Gallinaceorum caudis conſpiciuntur, frequentibus, candidis. Crura cum pedibus ſublutea ſunt. Vnguiculi exigui, vix adunci, nigri. Iconem habes præcedenti pagina.

Cauda.

Roſtrum.
Lingua.

Oculi.
Color.
Vertex.

Crura.
Vngues.

## DE PSITTACO VIRIDI, ALARVM coſta ſuperna rubente. Cap. V.

Magnitudo.
Roſtrum.

ALBO, & criſtato Pſittaco nihilo minor, ſi non maior eſt hic, quem nunc delineatum damus. Eſt enim dodrantem, & digitos penè ſex longus, Columbi domeſtici maximi, vel Pullaſtri anniculi corpulentia. Roſtrum ſuperius extremo nigrum, pòſt ſubcæruleum, reliqua rubicundum; inferius verò album.

Oculi.
Color.

Oculis iride crocea, aut potiùs rubente, pupilla nigra. Vertex luteus. Corpus reliquum totum viret, parte quidem prona flaueſcente ac diluto, alis verò, & dorſo ſaturiore virore, & qui in maxima, & extrema penna remige ad cæruleum nonnihil tendat. Coſta ſuperna alarum tantùm rubet, vti & cauda eaq; breuiuſcula, parte inferiore ad latera rubra in longum macula inſignitur, ſupernè verò flaueſcit. Tibiæ & pedes ſunt colore cinereo. Vngues non tamen ita adunci, nigricantes. Iconem proxima pagina dabit.

Alæ.
Cauda.
Tibiæ.
Vngues.

Psittacus viridis, alarum costa superna rubente.

DE

# DE PSITTACO POIKILORINCHO. Cap. VI.

PSITTACVS hic, cuius iconem proximè ſubijcimus, inter mediocres magnitudine facilè principatum obtinet. Eſt enim longus duos dodrantes, non Gallinâ minor. Dono mihi datus fuit à nobili S. Stephani equite Florentino dicto Bans, & anatomiæ ſubiectus, qui certè non vulgarium rerum, vt in generali tractatu demonſtrauimus, materiam nobis præbuit. Longus erat ab extremo roſtro ad vltimam caudam binos, vti dictum eſt, dodrantes. Roſtrum ſuperius in ſuperiori parte ex viridi ad cæruleum, ad latera colore ochræ, in cuius extremitate macula tranſuerſalis candida percurrit: inferius roſtrum circumcirca coloris plumbei, in medio luteſcentis. Vertice plumalis aureis, ſeu luteis ornatus. Cætero pleroq; corpore vireſcebat, dorſo obſcuriùs, dilutiùs pectore & ventre, interlucente luteo, radicibus vbiq; cinereis. Remiges parte exteriore, ventrem verſus, initio virides, paulatim in colorem ſubcæruleum, ſeu amethyſtinum, purpureumvè potiùs terminabantur, nigra cætera. Secundæ in ordine longiſſimæ totæ luteæ erant. Quæ medijs fermè alis conſpiciebantur, ad principium latere exteriore, quod ventrem reſpicit, primùm viridi, dehinc miniaceo obſcuro, inde viridi, poſtremùm apice ipſo partim violaceo, partim nigro viciſſim variabant. Cauda duodenis inſtructa pennis, quarum quæ è latere ſunt, vtrinq; quaternæ, qua enaſcuntur, initio ſui primùm virides erant latere exteriori, luteæ interiori, inde rubeo, coccineove colore, tertio ordine denuo viridi, poſtremo luteo variegatæ. Reliquæ quatuor mediæ totæ virides, at fine ſui nonnihil lutei habebant. Pedes plumbei, quaterni digiti, bini antè, retrò totidem, vt in Picis Martijs, interiores quidem exterioribus multò breuiores. Vngues, vt rapacibus, adunci. Tibiæ breuiſſimæ, nempe inter poplites & talos, digitum longæ, ſed craſſiuſculæ. Iconem habes pag. 671.

Magnitudo. Roſtrum. Vertex. Color corporis. Alæ. Cauda. Pedes.

# DE PSITTACO VIRIDI, Melanorincho. Cap. VII.

ALIVD reperitur Pſittacorum genus mediocris magnitudinis, quod à roſtro nigro tanquam à præcipua nota cognominare licet. Longus eſt hic dodrantem & palmum. Roſtro, vt reliqui, craſſo, at nigro toto. Ad roſtri initium in vertice, & ſub gula color cæruleus ad viridem tendit. Oculi iris croceo ſaturo, pupilla nigra. Caput reliquum & pectus lutea ſunt. Venter inter luteum, & viride ambigit, quemadmodum & cauda ſuperior. Collum, dorſumq; totum cum alis virore pleno tinguntur, adeò ut penè totus vireret, niſi coſta alæ, quà corpori adnectitur, extrema coccineo ruberet, dehinc penna in extremis alis, quà uentrem ſpectant, ſequeretur nigra, remigum deniq; ruberet extrema. Præter hæc & vropygium inferius coccineo rubore tinctum eſt. Pedes fuſci. Vngues nonnihil adunci, nigri. Hunc Pſittacum uiridem melanorinchon a roſtri nigredine appellare libet. Palmum cauda plus minus longa eſt. Huius Pſittaci Iconem habes pag. 672.

Magnitudo. Roſtrum. Oculi. Color toti corporis.

# DE PSITTACO LEVCOCEPHALO. Cap. VIII.

PSITTACVS Leucocephalus à potiſſima nota dicetur hic, quem ab Illuſtri Comite Rodulpho de Iſolanis Senatore noſtrę vrbis ampliſſimo dono accepi. Dodrantem & digitum unum longus eſt. Roſtrum duos digitos craſſum, album: & pars capitis roſtro continua item alba. Oculi pupilla nigra, iris ferruginea. Vertex & frons, quæ albent, maculis nigris variegata ſunt. Occiput, collum, dorſum, alæ, uropygium ſupernum obſcuro ac pleno uirore tinguntur. Gula & alarũ coſta ſuprema rubore cinnabarino. Pectus ac femora uirent denuò. Pars uentris inter femora & pectus interiecta fuſco ſubrubido, aut eo colore, quem pictorum uulgus terrę umbrę uocat,

Magnitudo. Roſtrum. Oculi. Color toti corporis.

Psittacus Poikilorinchos.

DE

Pſittacus viridis melanorinchos.

uocat, insignitur. Alarum latera pennas quasdam, quæ remiges tegunt, easq; extremas cærulas habent, albo tamen nonnihil admixto. Venter postremus uropygio proximus lutescit. Cauda medio rubra, ad latera rubro & luteo, inde cæruleo uariegata est. Pennæ penè omnes extremo apice nonnihil nigrescunt, cætera uirides sunt. Tibię & pedes cinerei. Posset certè hic idem ob multiplicem colorum uarietatem Psittacus ποικιλὸς, id est, uersicolor appellari. Est enim coloribus non paucioribus quàm septem distinctus, quorũ tamen præcipuus est viridis.

Alæ.
Venter.
Cauda.
Pedes.

## Psittacus Leucocephalos.

Pſittacus verſicolor, ſiue Erythrocyanos.

# DE PSITTACO VERSICOLORE, seu Erithrocyano. Cap. IX.

QVAMVIS superiori Psittaco πομπιλῷ nomen non malè conueniat, maiori tamen iure hic, quem nunc dabimus, id nominis sibi vendicare debet; quòd ijsdem & fortè non paucioribus, quàm ille coloribus, euidentioribus tamen conspergatur, sic toto vbiq; corpore permixtis, vt nullus ferè dominatũ obtineat; quamuis cæruleus & roseus, seu rubicundus cęteris collati potissimi videantur, vnde etiam erythrocyanos forsan dici potest. Est hæc auis dodrantem vnum longa, sic satis corpulenta. Rostrum haud ita vt prioribus grande, subnigrum. Caput, collum, pectus cærulea sunt. Vertex capitis summus macula lutea insignis est. Oculorum regio albicat. Pupilla nigra. Iris fusca. Ventris latera sub summis alis lutea sunt. Venter viridis. Femora è viridi albicant. Vropygium luteum est. Summum dorsum dilutè cæruleum est. Alarum tegetes viridi, luteo, roseo promiscuè cõteguntur. Sic remiges & cauda totæ roseo perfusæ sunt. Dorsi extrema pars seu lumborum regio flauescit. Caudæ denique pennæ pauculæ, eæq; virides obtegunt. Crura & pedes cinereo imbuuntur, cætera roseo. Hic fortè ille est, quem in Tarnasari vrbe Indiæ pulcherrimum ac septemplici colore distinctum reperiri Ludouicus Patritius scriptum reliquit.

Nominis ratio. Magnitudo. Rostrum. Color Oculi. Venter. Femora. Cauda. Dorsum. Alæ. Crura. Pedes.

# DE PSITTACO CINEREO, SEV subcæruleo. Cap. X.

APOTISSIMO partium colore Psittaco huic, vt & reliquis pleriſq; nomen imposuimus. Eum acceptum referimus Illustri D. Peregrino Zambeccaro Bonon. cuiusmodi omnes ex Mina ciuitate D. Georgij Indica adferri aiunt. Est dodrantis vnius & digiti longitudine, Columbæ domesticæ magnitudine. Rostrum totum nigrum: Suprema tamen pars, quam nares perforãt, & membranula, quæ rostrum capiti annectit, candidæ, cuius albedo ad oculorum regionem in ambitum, & paulò infrà extenditur. Corpus reliquum totum vniformi colore cinereo obscuro, seu potiùs æqualiter subcæruleo est, hoc excepto quòd remiges paulò saturiores sint. Vnicam tamen & insignem notam, qua ne reliquis Psittacis, qui penè omnes sunt versicolores, prorsus discreparet, à natura obtinuit, caudam scilicet totam cinnabarino colore. Oculos cingit macula candida: quorum pupilla nigra, iris lutea. Crura & pedes eodem prorsus, quo plumæ corporis colore prædita sunt. Cauda admodum breuis est, & vix vltra extremas alas protensa. Fallitur Bellonius, qui canos seu cinereos omnium maximos esse putauit. Non viderat ipse bicubitales illos aphonos, nisi forsan erythroleucon proximè sequentem dicat, sed hic non canus tantùm, verùm & ruber est.

Nominis ratio. Magnitudo. Rostrum. Color corporis. Cauda. Oculi. Crura. Pedes. Bellonij error.

# DE PSITTACO ERYTROLEVCO. Cap. XI.

MERETVR hic ob molem corporis insignem inter maximos reponi. Etenim Caponi etiam grandiusculo par est, longus dodrantem & palmos duos. Caput collumq; crassa. Corpore toto candicat, modicè tamen fuscus, vt cineritius videatur. Rostrum ei nigrum, vnco quàm in alijs longiori. Postrema tergi pars, vropygium, cauda tota, alarum remiges miniaceo tinguntur. Pedes vt reliquis subnigri. De hoc arbitror loquutum Bellonium, quum inquit è Psittacis canos omnium esse maximos. Hic enim reuera canitie quadam totus obsitus est, & magnitudine corporis, vel maximis illis aphonis non cedit, hoc solummodo illis inferior, quòd caudam breuiorem habeat.

Magnitudo. Caput. Collum. Rostrum.

Pſittacus cinereus.

Pſittacus

Psittacus Eritroleucos.

# DE PSITTACO TORQVATO MACROURO ANTIQVORUM. Cap. XII.

DESCRIPTIS delineatiſq; iam magnis, (quorum alijs cauda longa erat, alijs breuis) & mediocribus (quibus curta, vel ſaltem non ita longa, vt in ſubſequentibus) nunc minores macrouros, hoc eſt, quibus prolixa cauda eſt, enarrare tempeſtiuum eſt. Inter hos primum illi locum dedimus, qui veluti torque in collo exornatur, cætera viridis. Hic omnium Pſittacorum primus ex India in Europam allatus, antiquis longo tempore ſolus cognitus fuit, nempe à temporibus Alexandri Magni ad Neronis ætatem vſque, à cuius exploratoribus, teſte Plinio, alibi quoque, nempe in Gagaude Aethiopiæ inſula conſpecti ſunt. Quòd autem ab antiquis, quorum verba in generali deſcriptione retulimus, non exactè deſcribatur, nos viuis ſuis eum coloribus ad vnguem, & ad naturę imitationem exprimamus. Auis eſt ſeſquidodrantem longa. Roſtro toto miniaceo colore eſt, craſſiuſculo. Iris oculi lutea, pupilla nigra. Caput & corpus reliquum omne viret, ſed collum, pectus, & pars tota inferna, & prona dilutiùs, cætera pleniùs. A roſtro inferiori ſub mento linea ducitur deorſum nigra ad pectoris vſq; initium, quæ vtrimque ad colli latera abit, donec cum circulo, ſeu torque illo miniaceo, qui poſteriorem ceruicem, & collum cingit, ad latera coeat. Eſt torquis is retrò ad minimi digiti latitudinem, ad latera tamen paulatim gracileſcens. Venter adeo diluto viret, vt flaueſcere penè videatur. Alarum pennæ extimæ, ventri proximæ, obſcuro & fuſco virides, circa medium in ſuperiori parte rubra nota diſtinguuntur. Cauda binos propè palmos longa, è flauo ſimiliter vireſcit. Tibiæ & pedes cinerei ſunt. Vnde haud rectè ſola torque miniacea eum diſtingui Solinus refert, cùm & roſtro rubeat, nec Apuleius extimas virere palmulas verè dicit ob pedes cinereos, niſi aliam huius generis ab ijs deſcriptam arbitremur. De hoc intelligendum puto illud Ouidij:

*Tincta gerens rubro Punica roſtra croco.*

Qui Pſittaci, & quando in Europa portati. 1

Magnitudo. Roſtrum. Oculi. Caput. Torquis. Venter. 2

Cauda.

# DE PSITTACO MINORE MACROURO, TOTO VIRIDI. Cap. XIII. 3

LONGITVDO huius par eſt cum proximo, ſed minor corporis moles. Neque enim totus Turdo maior eſt. Roſtro rubro, parte præſertim ſuperna. Acies tamen, & inferna pars è rubro nigricant. Oculi pupilla nigra. Iris rubicunda, & crocea. Corpus reliquum herbaceo virore amœnum, venter tamen dilutiore, ſaturiore remiges. Cauda anguſta penè extremo acuminata dodrantem ferè longa. Pedes huic & tibiæ contrà atq; cæteris omnibus rubicundi, aut carnei. Hic peculiariter Scincialo dicitur in Hiſpaniola noui orbis inſula, in qua reperitur. Italis ob puſillam ſtaturam Parochino, & Gallis etiam, vt vult Bellonius Perroquet, vel potiùs, vt ego credo, petit Parroquet. Vox enim hæc, à qua vniuerſo Pſittacorum genere quidam nomen indidere, etiam maximis illis, quos bicubitales eſſe diximus, pronunciatur ſola; mutis alioquin, & nomen tantùm ſuum à natura ſonare doctis. Hoſce longioribus caudis Indos Sciaſibi indigitare aiunt.

Magnitudo. Roſtrum. Oculi. Color. Venter. Cauda. Pedes. Scincialo. Parochino Petit Parroquet. Sciaſibi. 4

# DE PSITTACO ERITROCHLORO MACROURO. Cap. XIIII.

PSITTACI huius iconem Iaponenſium reguli Gregorio decimotertio, ad quem obedientiam ſuam, ſuorumq; monſtraturi venerant, pro ſingulari munere inter alias auium illarum regionum icones obtulerunt, vti ex Illuſtriſſimo Marchione D. Cæſare Fachinetto, ampliſſimo noſtræ vrbis Senatore intellexi, qui eas à patruo ſuo Innocentio Nono Pontifice Maximo dono acceperat. Pſittacus iſte inter mediocris magnitudinis Pſittacos enumerari debet. Longitudo enim cum ſuperiori fermè par, at color diuerſiſſimus, vti ex collata vtriuſque deſcriptione 5

Psittacus torque miniaceo.

Vlyſsis Aldrouandi

Pſittacus minor viridis.

descriptione patebit. Verticem habet planum: rostrum admodum exiguum, quale in nullo altro Psittacorum genere reperias, nam inferius etiam aduncum. Tota auis quatuor tantùm coloribus prædita, quorum potiores sunt viridis & ruber. Etenim dorsum totum, ceruix, vertex, ac alarum pennæ vestitrices impensè admodum virent, præterquam ad latera superiora, ad

## Psittacus eritrochlorus macrouros.

scapulas

ſcapulas nempe, vbi pennæ ſuperiores cæruleæ ſunt. Remiges omnes duabus exterioribus, quæ virides ſunt, exceptis, intensè ſunt cæruleæ. Omnes verò alarum pennæ tam remiges, quàm veſtitrices ſcapos habent albos. Pupilla erat nigra, iris rubra. Roſtrum rubeum, leniter admodum aduncum. Mentum ferrugineum ad ſubrubrum quodammodo vergens. Retro, & ante oculos, macula cærulea eſt. Pectus totum & venter colore rubeo mineaceo, quorũ pennæ in extremitatibus lineolis per longitudinem ductis inſigniuntur. Cauda corpori comparata longiſſima, vt quæ toto corpore longior eſt. Eius autem pennæ, quæ cæteris duplo maiores ſunt, vireſcunt, & ſcapos habent albos: inferiores admodum rubræ, ſcapos nigros. Tibiæ & pedes ſunt nigerrimi.

# DE PSITTACO ERITROCHLORO Criſtato. Cap. XV.

HIC quoque Pſittacus in minoribus reponendus eſt. Alis erat, cauda ac criſta coloris rubri, cætera viridis. Criſtâ referebat Pſittacum criſtatum Illuſtriſſimi Cardinalis Farneſij, cuius antè quoque iconem exhibuimus. Oculos habebat pulcherrimos, pupillam nigram, iridem rubram. Criſta ex ſex pennis conſtabat, tribus maioribus, & minoribus totidem. Iconem hanc eidem D. Antonio Giganti, cuius paulò antè memini, acceptam refero.

# DE ALIIS QVIBVSDAM PSITTACORVM Generibus. Cap. XVI.

ORNITHOLOGVS alia præter hæc Psittacorum genera describit, quorũ vnum erythrocyanum à præcipuis, quibus conspicitur, coloribus cognominat ac huiusmodi esse tradit. Parte, inquit, supina rubet, alis superius in flauo viridibus, cæterò cæruleis, cauda partim rubra, partim cærulea. Caput cum collo vndiq; rubet, nisi quod color candidus circa oculos est. Cauda, quantum icon ab eo posita indicat, ei est longa, & duplo ferè corpore reliquo prolixior. Erythrocyanus Ornithologi. Color. Caput. Cauda.

Huic simillimum per omnia alterum ponit, in hoc tantùm discrepãtem, quòd per medium alarum plurimùm flaui coloris habeat, nonnihil etiam in cauda. Vnde eum erythroxanthum appellat. Cærulei enim multò minus quàm alter habet. Psittacis è Brasilia, idem inquit, collũ, alæ & dorsum viridis ferè sunt coloris, sed dorsum ad cæruleum inclinat. Cauda similiter, in qua longiores pennæ rubent. Caput cinereum est, venter coloris flaui. Erythroxãtus.

Bohemicum Psittacum in Germania quidam appellant eum, qui viridi, luteo, roseoq; coloribus in cinereo depictus est. Psittacus Bohemicꝰ.

Captam aliquando scribunt in Hispania, loco nuncupato Viadagola auem quandam magnitudine Fringillæ, rostro nigro, adunco: capite, collo viridi: vertice vt in Garrulo Bohemico crista insignito; alis cæruleis, extremo tamen nigricantibus: vropygio ferrugineo, extremo præsertim, vt & ventre inferiore, albis femoribus, pedibus nigris, digitis quaternis, binis antè, retrò totidem, quemadmodum Picis. Hanc cùm exactè contemplor, non alio reducere mihi, quàm ad Psittacos posse videor. Etenim si rostri aduncitatem, colorum varietatem, si pedum structuram, & reliquas eius conditiones penitiùs introspicias, Psittacum esse non temerè putabis. Neq; mihi staturæ obstat paruitas, cùm rerum Indicarum scriptores reperiri etiam Psittacos non minores Passere, vno ore atteſtantur. Atque istæc hactenus cùm in genere, tùm in specie de Psittacis à nobis obseruata, dicta sufficiant. Iam ad Coruini generis aues properamus.

Finis Libri Vndecimi.

# VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET MEDICI BONONIENSIS

# ORNITHOLOGIÆ

## Liber Duodecimus.

Qui est

DE CORVINO GENERE, ET DE ALIIS NONNVLLIS

Auibus, quibus rostrum durum, ac robustum est.

## DE CORVO. Cap. I.

Ratio cur de Coruo agatur.

QVVM Picos ob maximam, quam cum Psittacis connexionem habent, proximè subnectere meditaremur, & ad id nos accingebamus; en suo crocitatu Coruus mussitans, de haud leui iniuria sibi illata conqueritur, quòd hactenus loco eo, & honore, quem tamen naturæ quadam prærogatiua non ante Picos solùm, sed & ante Psittacos multis de causis merebatur, deiectus sit. Nam etsi 30
rostro adunco careat, rapax tamẽ est, aut saltem ad rapacium naturam quàm
Victus Coruí. proximè accedit. Vtpotè qui cõmuni cum Aquilis, & Vulturibus, nempè è cadaueribus mensa vtatur, atq; hęc auidè consectetur, cùm Psittaci è contrà frugibus potiùs, & fructibus, quàm carne gaudeant. Imò verò viuas etiam nonnunquam auiculas, vt Alaudas, & Passeres captas
Coruí docilitas. iugulat, & ad venationem sæpenumerò non minore docilitate, & vtilitate, quàm quiuis fortè
Audacia. Accipitrum, instituitur. Miluo præterea inter rapaces non infimæ classis aui, ferocia, aut robore non cedit, taurum, & asinum impugnare audet, lepori terrorem vel sola voce incutit. Tanti
Honos. verò apud Veteres fiebat Coruus, vt per eum, haud secus ac per Iouem suum iurarent, vt patet
[a] *In auibus.* ex hisce [a] Aristophanis verbis. ὅταν ὀμνύῃ τὶς τὸν κόρακα, καὶ τὸν Δία, id est, *quando iurabit aliquis Coruum, & Iouem.* Coruus itaque non dictas tantùm ob rationes, dignitate, cùm Psittacis, & Picis; tùm & alijs plerisque auibus præcellit; verumetiam quod apud veteres Ethnicos Iongè honoratior esset, ob insigne augurij priuilegium, quod tam voce, quàm volatu facere credebatur, adeoq; futura plurima prædicere, vt vati eum Apollini, & ipsum vatem consecrârint, &
Cur Apollini sacer. Phœbeum oscinem haud vulgari dignitatis testimonio appellârint. Quinetiam Coracina sacra, de quibus legimus apud [b] Diuum Ambrosium, verisimile est ea intelligenda esse, quæ in
Osce Phœbeus. Coracis honorem solita essent celebrari. Neminem enim commentitiorum illorum Paganis-
Sacra Coracina. mi Deorum Coraca vocatum fuisse, legimus. Sed nonnè hæc adorationis quædam species est,
[b] *In Epist. D. Pauli ad Romanos.* à Populo Romano orbis Domino publica funeris pompa à morte efferri, quod etiam Imperatoribus quibusdam haud contigit? An maior vnquam apud aliam gentem honor exhiberi 50
potuit? Tanti fecêre & tantoperè mirati fuêre omnes auis huius ingenium, quo tamen pollere eum quispiam vix existimet. Sunt enim qui stultum eum nominârunt, licet haud sine iniuria. Nam etsi stolida auis, & amusa videatur, reuera tamen aliter sese res habet, alij vilem vocant, vt Faustus:

Coruus iniustè stultus dictus, & vilis.

*Hoccine de vili sortitus præmia Coruo:*

Quibusdam despicatus contemnitur, vt Scaligero:

*Cui ipsa cæli comparata maiestas*
*Putetur, esse despicacior Coruo.*

Verùm

Verùm ipsi hæc epitheta ideò potissimùm attributa iudico, non ob ingenij ignauiam, aut stupiditatem, sed quòd funestus semper habitus sit, cùm quòd mortem suo augurio prædicere crederetur, vt plurimùm, tùm quia cadauera auidissimè consectari solet. Neque id ingenij dexteritati quicquam detrahit, quod [c] Plinius tradit ad tegularum similitudinem deceptos imagine aduolasse. Id enim maximam picturæ illius (loquitur de ludis Claudij Pulchri, in quibus Fenestella Elephantos primùm pugnasse author est) admirationem testatur. Corui auguria funesta. [c] *L. 35. c. 4.*

# AEQVIVOCA.

CORVVS ante omnia sidus cæleste est. Authores Astrologiæ, Aratus, Cæsar Germanicus, Tullius, Bassus, Ruffus, Hyginus tres imagines, Hydram, Craterem, & Coruum, quibus vna ratio sidereæ sublimitatis assignatur, in vnam fabulam collegêre. De his ita Aratus: *Præterea quoque*, inquit, *aliud eminus volitur sidus, id verò viuo simile longè volutatur, atque ei caput sub medium cancrum pergit, volumen verò sub corpus Leonis. Cauda autem pendet super ipso Centauro. Porro medio volumine Crater, extremo autem insidet simulachrum Corui spiram mordenti simile.* Horum postremã partem hisce [a] Cicero versibus reddidit: Coruus sydus cæleste [a] *In Frag. Arat.*

*In medioq; sinu* (nempe Hydræ) *fulgens cratera relucet,*
*Extremum nitens plumato corpore Coruus*
*Rostro tundit*, &c.

Complectitur binis omnia versibus [b] M. Manilius: [b] *Lib. 1. c. 4.*

*Squammea dispositis imitatur lumina flammis*
*Et Phœbo sacer ales & magno gratus Hiaccho*
*Crater*, &c.

Hydra verò cum Coruo & cratere 41. stellis constare dicitur. Ortus eius est chronicus 4. calendas Octobris. Sita sunt hæc signa in parte cæli Australi. Causam verò ob quam Coruum cratera tenentem in astra retulerit Apollo, hoc carmine prolixè [c] Ambros. Nouidius docet: [c] *In Fastis.*

*Postera mendacem lux promet ab æthere Coruum,*
*Qua sacer est crater, qua ferus anguis erit.*
*Fortè Dei iussu Noë deduxerat alnum*
*Mersaq; ab iratis terra madebat aquis.*
*An placata ira est, dubitat dum numinis, vnda*
*Signa refer nobis, i nigra dixit, auis.*
*Dixit & è summa patefecit puppe fenestram,*
*Illa hac egrediens iussa secuta, volat.*
*Sicca erat innumero, sed tecta cadauere tellus,*
*Fit mora, Chaonidem tunc quoque mittit aucm.*
*Protinus hæc ramum felicis gestat oliuæ.*
*Serus adest Coruus, se soluitq; mora,*
*Ver erat, & lactens pallebat in arbore ficus*
*Quum pater huic iam me fallere quæris, ait?*
*Es quod aquæ signo mihi factus perfide mendax*
*Pœna tibi, vt par sit, vere sititor ers.*
*Firmat dicta Deus, senis & dum facta procurat*
*Fama hic cum multis sit tibi Coruus ait,*
*Dixerat ille polo, qua Crater stabat & anguis*
*Fabula quo caderet sidere sculptus erat.*

Verùm sacra nostra prophanis Ethnicorum figmentis admiscere, quod Nouidius fecit, mihi non arridet. Ideò fabulosæ rei, fabulosam quoque expositionem, vt similes labra lactucas habeant, assignandum reor, quam ex [d] Thoma Radino Placentino darelibet: [d] *Cap. 4. Syderal. Abyss.*

*Numina sacrifico ritu placare tonantis*
*Phœbus amans: Coruum ferre iubebat aquas.*
*Concitus ille abijt,*
*Et fontem vitrei petens fluoris*
*Conspicit ficus, sed acerbiores,*
*Quas cupit: at mens*
*Hortatur Domini iussa modo impleat,*
*Hoc votum modo compleat.*
*Sic tandem superat fœda libido*
*Maturasq; moratur,*

*Ingluuies volucris cruciet Deum*
*Sacraq; cæpta alijs perficit vndis*
*Diſtentus aquas detulit aurea*
*Mitenti & patera.*
*Hæc omnia ſpernit,*
*Mentis Apollineæ furor ingens*
*Coctæ quoque tempore ficus.*
*(Quod ſit pœna) ſitim tradit Coruo, & lumine poſtquam*
*Sidereo induit: hinc beatnm*
*Pateram locauit: vndis*
*Suauibus implens: pocula quæ vetent,*
*Hinc ſtatuit fauces hydræ feras.*

Hanc fabulam idem Thomas moribus applicat hoc pacto:

*Sic pompas qui oderit ob ſtudium*
*Phœbo famulans; & temnat aquas*
*Quæ modeſta lætitia*
*Ingenium laſſum conſolidant*
*In ſtudijs matureſcentibus ex labore areſcit*
*Hic tamen ad cælos tollitur, tenebris*
*Pulſis flammidis ætheris ignibus*
*Amplius hic non labor*
*Non mollia, non fames*
*Non ſomnus, non impedit angor*
*Lymphigeri haud opus*
*Crateris blandæ ope amplius,*
*Iam regnans hydra polo*
*Vaſtis membris*
*In contemplatu detinet omnia*, &c.

Coruus cur cælo locat⁹

Sed vt ad fabulam reuertamur, hanc totam cælo velut inſculptam voluit Phœbus. Non enim contentus Coruum cælo locare, ſed ſitim quoque eius ſignificare voluiſſe dicitur, & ideò inter ſidera cratera conſtituit, ſuppoſuitq; hydram, quæ Coruum ſitiẽtem moraretur. Videtur enim roſtro caudam hydræ extremam tundere, quod ſe, ne bibat à cratere prohibeat. Vt autem hanc fabulam concludam quæram cum Scaligero:

*Num quæſo deliraſſe Græculum*
*Quicunque cælo aſciuit hydram, Coruum*
*Epam, capellam, clypteram, aquas, vrſas?*

Coruus ſcopuli nomẽ. Coruus Saxum.

Coruus ſcopuli nomen apud Petrarcham in itinerario, vbi ita ſcribit: *Non procul habebis contra extremos Ianuenſes fines Coruum famoſum ſcopulum, & nomen à colore ſortitum.* Saxum ſignificat [e] Plutarcho dum ſcribit: *Qui peritus eſſet aquæ inueniendæ & conducendæ (quod de Hercule & multis veteribus narratur,) is profectò non oblectaret ſe, in aliqua agri extremitate aperiendo fonte, qualis ille ſubulci eſt, ad Corui ſaxum Arethuſæ, ſed fluminis alicuius perennes fontes propagando ad vrbes caſtra agros regum cultos, atque lucos.* Corui caput Alchymiſtæ etiam vocant, qua ratione ignoro, ſuas quintas eſſentias. Fluuium item & montem Coruus notat, de quibus ita [f] Blondus. *Pontem*, inquit, *oppidum à Ponte dictum Narem ibi propè fluuium, iungentem prætergreſſi ad ſextum milliarium, inueniunt, Caſſiam noui nominis oppidum, ſed populo frequens atque libertate conſpicuum, quod fluuius attingit Coruus apud altiſſimum regionis montem, qui & ipſe Coruus appellatur, oriundus, & in Narem fluuiũ apud Tripontium caſtellum defluens, cuius caſtelli poſſeſſionis iuriſdictioniſq; cauſa Nurſini Spoletiniq; crudeliſſima inter ſe proximis temporibus prælia commiſerunt, in quibus capti ſuperatiq; concertatoris ſanguini & vitæ nullus pepercit.* Eſt item Coruus vna inſularum, quæ Terzeræ hodie nuncupantur, vt tradit [g] Ioannes Boterus. Coruus quoque piſcis eſt, quem Græci Κορακῖνον vocant, penanflexũ, cuius mentio fit apud Palladium in remedijs aduerſus arborum formicas. Non enim Coracina pix illic, vt vulgati codices habent, ſed Coracinus piſcis legendum, vt ex Geoponicis conſtat. Ex Oppiani item interprete illud eſt colligere, qui Coracinum piſcem dici ait παρὰ τὸ κόρον τὸ μέλαν, ideſt, à vocabulo nigredinem ſignificante, vnde etiam trahatur Corax, id eſt, Coruus. Quare Gaza in hoc mihi cautus fuiſſe videtur, quòd nunc Coruum, nunc Coracinum verterit, etſi Hermolaus & Volaterranus ſecus ſcribant, quòd videlicet Κορακῖνος ἀπὸ τȣ́ Κορὰς κινεῖν, id eſt, à frequenti oculorum motu, non à κόραξ dicatur. Gazæ certè aſſentior Coracinumq; puto eum, quem alij appellant Coruũ: eſt enim gibberoſus Coruus, latus proportione ſua, ſquãmoſus, quæ omnia Coracinis congruunt. Huius piſcis carnem Lucilius Poëta innuit thynno

[e] *In Lib. vt Philoſoph. Principibus conniueat.*
Coruus Alchimiſtarũ.
Coruus fluuius.
Coru⁹ mõs.
[f] *In Vmbriæ deſcript.*
Coruus inſula.
[g] *In ſuis relationibus.*
Coruus piſcis.
Palladius correctus.

thynno deteriorem. Nam *thynno*, inquit, *capto Coruum excludunt*. Hunc Nili accolæ, in quo frequens degit, Pellin vocant, & qui media ætate sunt, Milloy; Miluago [h] Plinio, & Coruus, Miluus Saluiano, saperda Athenæo; Platestachos, Coruulus, Narbonēsibus vulgò Corb. Auis item est Coruus marinus Aristoteli à Phalacocorace diuersa, estq; genus, vt videtur, Mergi maius, Magone & Mergone Italis, Cormorunt Gallis. Corax & Coruus multorum olim hominum nomina fuere. Orthopolidis filiam Chrysorthen, vt putant, Apollo compressit, & ex ea natus puer Coronus appellatus. Coroni filius Corax fuit, sine liberis mortuus, vt [i] Pausanias refert. Coracis Aurigæ cuiusdam meminit [k] Ammianus Marcellinus. Corax Ithacus quidam fuit, à quo denominata est Coracos petra, cuius meminit [l] Homerus, qui Vlyssis bibulcum ibi porcos pauisse refert. Corax, & Tisias Siculi dicendi præcepta condiderunt. Ille Rhetoricæ initia propagauit, vt Suidas testatur, summa authoritate apud Tyrannum Hieronem pollebat, quo uita functo, quum eandem requireret potentiam Corax, videretq; populum tyrannidem amplius pati nolle pro concione orationis artificiosæ rudimenta tum deprompsit. Discipulus huius Tisias fuit. Ab hoc natum ferunt adagium. Mali Corui malum ouum. Corui Rhetoris stupidi meminit [m] Seneca. *Hic est Coruus*, inquit, *qui cùm tentaret scholam Romæ, summo illi, qui Iudæos subegerat, declamauit controuersiam, de eaq; apud matronas disserebat, liberos non esse tollendos.* Archilochum Poëtam à quodam cui Corax nomen erat, interfectum aiunt. Corax dictus fuit frater Tyburti, à quo oppidum Volscorum cognominatum est. Hic enim cum fratre Catillo oppidum Tybur in Italia constituit, authore Seruio in illud [n] Virgilij.

*Tum gemini fratres Tyburtia, &c.*

Coruus oculi morbum Medicis significat, teste [o] Manardo ita scribente: *Habent & oculorum anguli sua mala. Horum non leue est ægylops à Græcis vocatum, ab Auicenna Garab. Est autem abscessus inter magnum angulum, & nares medius, qui si rumpatur, & indiligentius tractetur in fistulam vertitur, quæ ad os vsque protenditur. Haliabas Coruum nominauit.* [p] Plinius *epinyctides* vocari dicit *vlcus aciem hebetans, & in angulo oculi perpetim humore manans.* [q] Vitruuius machinæ genus Coruum recensет. *Præterea terebram, & ascendentem machinam, qua ad murum plano pede transitus esse possit, & etiam Coruum demolitorem, quem nonnulli Gruem appellant.* Coruus autem hic uidetur illud instrumentū nauticum esse, cuius meminit [r] Athenæus. *In Hieronis naui ferreum quoque vallum naui circumiectum fuit, quod ascendere conantes arceret cùm ferreis Coruis per totum ambitum, qui instrumentis proiecti hostium naues correptas propè admouerent, vt faciliùs læderentur, ac ferirentur.* Hos primùm apud Romanos à C. Duillio Imperatore non excogitatos quidem, sed ad vsum adhibitos legimus, eo conflictu, quo ad Ciparas submersa, & fugata Pœnorum classe, prosperè pugnauit. Apud Græcos enim multò antè ab Anacharsi inuentos harpagines, manus verò ferreas à Peride Athenienſi, author nobis est, [s] inquit Plinius, [t] Nepos Cornelius. Has autem manus ferreas Coruos aliter uocant. Ita Diodorus Siculus de gestis Alexandri, *Coruis, & manibus ferreis*, inquit, *hostes arripiebant ex propugnaculis*. Nominatur, & apud Appianum Corax cùm ferreis manibus, inter instrumenta pugnæ naualis. Verùm aliud naualis instrumenti genus est, meo iudicio, quod Polybius habet, nomine saltem cum illo conueniens. Eius descriptio talis est. *Lignea columna proris inerat longitudinis quatuor vlnarum, latitudinis palmorum trium. In eius apice rotam constituerant, huic præterea tabulæ inhærentes scalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo sex vlnæ, foramen autem tabulati erat oblongum, & circumambibat columnam, post primas statim scalæ duas vlnas. Habebat autem veluti sepem ad vtrumque oblongum latus genu tenus altam. In ligni extremo ferrum erat instar mallei peracutum, præterea annulus fune alligatus ita, vt hæc machina, machinis frumentarijs simillima videretur. Igitur simul, ac nouis hostium aduentabat laxato fune scalæ demittebantur. ferrum pondere, ac vi ligni super hostium nauim delapsum figebatur, si aduersa prora erat bini milites per scalas descendebant, duo primi præferentes scuta, reliqui latera scutis protecta; si verò obliqua erat hostium nauis, in eam ex tota pariter naui desiliebat.* Hactenus Polybius interprete Nicolao Perotto. Corax locus erat in Thessalia supplicijs destinatus, ex quo noxij agebantur in præceps, vnde frequens apud Aristophaneni ἔσω κόρακας. Abi ad Coruos. Alijs Coraces in Arcadia carceres erant caui, & obscuri, quemadmodum Athenis barathrum, in quo fontes detinebantur. Κόραξ etiam supplicij genus est apud [u] Lucianum teste Budæo. Corax, & Coruus dicitur annulus ferreus, quo fores pulsantur, & attrahuntur, qui & rhoptrum. Dictus ab aue Coruo, cui collum flexile, per translationem teste Eustathio. Mulieres quasdam Hispanicas Artemidorus monilia ferrea collo circundata gestare refert, quæ κόρακας. Coruos supra verticem incuruatos habeant, & ante frontem longiùs se extendant, & ad hos velum, cùm velint attrahere, ut extentum faciei præbeant umbraculum hosque magnum ducere ornamentum, vt author est [x] Strabo. Coracas, id est, Coruos, vocant quidam vncinos illos, in quibus instrumenta coquinaria suspenduntur. Est

Pellin. Milloy. Miluago. Miluus.

[h] *Lib.32.2.* coruus marinus. Phalocorax.

Chrysorthes ab Apolline compressa.

coronus.

[i] *In Corinthiacis.*

corax auriga.

[k] *Lib.14.*

[l] *Odyss.3.*

corax Orator.

[m] *In secunda suas.*

Archilochus Poeta à quo interfectus.

corax Tyburti frater.

Volscorum oppidum à quo denominatum.

[n] *Aeneid.7.*

coruus morbi genus, & quale.

[o] *In epistol.*

[p] *Li.19.c.6.*

[q] *L.10. Architect.c.19.*

coruus machinæ gēs.

[r] *Lib.5.c.8. Dipnos.*

c. Duellius primus coruis machinis usus.

[s] *Li.7.c.56.*

[t] *In uiris Ill.*

corax Polybij.

corax Thessalię locus.

corax carcer.

[u] *In Menip.* corax, & coruus annulus ferreus ostij.

coruus monile.

[x] *Lib.3.*

Corax vncinus. Paſtilli genus Corax dictum.

item Corax paſtilli nomen apud [y] Aetium, fortaſsè eius, qui Galeno Κοράκινη σφραγὶς dicitur. Galli Coruum (Corbeau) appellant partem lapidis è muro prominentis ſuſtinendæ trabis gratia. Latini mutulum. Scapum in botro, ſeu vua, ramoſum illud, à quo acini dependent, quidam Germanorum appellant Rapp, quod eiſdem Coruum alioqui ſignificat: Lombardis graſpa dicuntur uuarum reliquiæ, uuæ uerò unà cum acinis grappo. Vnde ab ijſdem ſecundarium uinum, quod dolio infuſis, ut generoſius fiat, acinis aſſeruatur, graſpia uocatum eſt.

[y] *Tetrab. 4. ſerm. 2. c. 50*

Mutulum quid Latini vocent. Rapp quid Germanis.

# SYNONIMA.

Oreb. Vreba. Gerabib. Calak. Gorab.

HEBRAEIS Coruus עורב, Oreb. dicitur: pro qua voce Deuteronomij Chaldæus vertit עורבא, vreba: Arabs גראבי, Gerabib; Perſa כלך, Calak. Videtur autem (vt vir quidam doctus conijcit) omne genus Coruinum hoc vocabulo indicari, vt præter Coruum, Cornix, Gracculus, Pyrrhocorax &c. Nam Deuteronomij 14. legitur *Omnis Coruus iuxta genus ſuum*. & Orebin, id eſt, Corui numero plurali Leuit. 11. Pſal. etiam 147. & Eſaiæ 34. pro Oreb, Coruus à Græcis, & Latinis redditur. Gorab interim apud Auicennam Bellunenſis Cornicem, Syluaticus verò Coruum interpretatur. Sed conciliantur, ſi Gorab vel Oreb nomen generis eſſe dicamus. Coruus apud veteres Græcos κόραξ, hodie κόρακας dicitur. Dicitur autem à colore nigro (κορὸς enim nigrum eſt) vel παρὰ τὸ κόραν μεγαλὴν ἔχειν, à capitis magnitudine. Hîc verò in κορὸν [a] Cælius vltimam acuit, quod placet, vt differat à ſubſtantiuo κόρον, quod non nigrum, ſed ſatiem ſignificat. Γονεὺς Corui Heſychio, & Varino. Forſan κόραξ Græcis auis dicta eſt, à voce ſua coras, ſeu cras. Suidas ſanè à verbo κράζειν Coruorum voce Corax nomen deducit. Idem Κορβᾶς, inquit, Romani vocant, quos Græci κόρακας. Coruus Latinis tam mas quàm fœmina teſte [b] Varrone, à Græcorum κόραξ (ſi Perotto credimus) deriuatur. [c] Iſidorus verò à cordis voce Coruos dictos vult, quia ſcilicet grunniant pectore, ſuaq; voce prodiri rapiantur. Ouidio Phœbeus ales, & Auſonio Phœbeus oſcen per Antonomaſian, & Oſcen ſimpliciter [d] Horatio dicitur. Coruum Satyram auem dixit [e] L. Florus, cuius nominis cauſam ſunt, qui ad fellationem referant, de qua [f] Martialis.

1

Etymologia.

[a] *L. 12. Antiq. lect. c. 5.*

Γονεύς. Κορβᾶς.

[b] *Lib. 9. de ling. Lat.*

[c] *Lib. 12. Orig. c. 7.*

Phœbeus Ales.

[d] *3. Carm.*

[e] *In hiſt. Valerij Coruini.*

Satyria auis cur dictus Coruus.

[f] *In xenijs.*

*Corue ſalutator quare fellator haberis,*
*In caput intrauit mentula nulla tuum.*

2

Et [g] Plinius Coruos, inquit, *ore parere vulgus credit*. Vnde quemadmodum Semidei, & ſemicapræ, Fauniq; ſylueſtres Satyri dicti ſunt, quòd ad libidinem ſemper proni ſint, à virili membro, quod veteres Græci σάτυρον appellabant, ita & Coruus ob eam, quam ipſi ineſſe vulgò exiſtimabant, ſalacitatem ſatyriam auem fortaſsè dixêre. [h] Ariſtoteles tamen vel ore coire, aut parere Coruos diſertè negat. *Quid ſi*, inquit [i] Cælius, *ad Satyram paludem ſeu ſaturam relatum malis? ea verò Pontina eſt viginti quatuor olim eapax vrbium locus, cuius meminit* [k] *Virgilius. In agro autem Pontino rem geſtam auctor idem Florus eſt, necnon A. Gellius, & T. Liuius, etiamſi apud hunc Pomptino legitur*. Alij apud Florum non Satyram, ſed ſatyriam quatuor ſyllabis auem legunt. Itali, Hiſpani, Galli, à Latino ſua vocabula detorſerunt. Italicè enim Coruus, Coruo vel Corbo uocatur. Hiſpanicè Cuerup. Gallicè Corbeau. Germanicè Rapp, uel Rab, quæ uox aut ab Hebraico Orab, uel Gorab facta uideri poteſt per aphæreſin, uel potiùs à uernaculo Rauben, quod illis prædari & diripere ſonat. Auis enim omnium furaciſſima Coruus eſt, & Monedula Coruini generis à moneta rapienda nomen inuenit. Quinimò qui ab Hebræo Orab dedu ctum eſſe uolet, eâdem prorſus uocis Rab ſignificationem & etymi rationem inueniat. Quippe ut teſtis quoque eſt [l] Druſius Hebræis Orab ab Arab dictum uideri poteſt, quòd Arabes populi latrocinijs dediti & rapinis, hanc ipſam ob cauſam ab Arab nomen acceperunt. Rappen ſeu rapen Germanis inferioribus eſt conquirere, colligere, diſperſa congregare; unde forte Latinorum (ſi Becano credendum eſt) rapio. Et Raffen Tungris eſt per uim extorquere, unde eum, qui per fas & nefas opes parare ſtudet, & undiquaque corrodit, roffraff ludere dicunt. Et Raffa apud Italos, Bononienſes maximè luſus genus eſt, quod tribus aleis peragitur: in quo ſi cui fortè aleæ ſimul omnes eundem numerum repræſentent, uictor euadit, unde apud eoſdem prouerbium eſt: raffa gaffa, hoc eſt, cui talis numerus obtigit, ocyus cũ auiditate nummos abripit. Ab hoc Raff fortè Raue deſcendit, quæ uox ijſdem Germanis inferioribus & Anglis Coruum denotat. Corui propriè dicti & maiores teſte Encelio, Saxonibus dicuntur Kolkraben, nempè à ſono uocis. Hæc uerò uox Kolc Perſicæ Kalak non eſt abſimilis, quam & ipſam per Onomatopœiam à ſono cõfictam ueriſimile eſt. Aliam ſpeciem Corui ijſdẽ uocari tradit Corraken, quæ uox ad Græcã nomenclaturam ueterũ Corax quàm proximè accedit, & longè propriùs ad hodiernã Græcorum appellationem κοράκας. Ita Kalah Perſarũ, & Kolch Saxonum,

[g] *L. 10. c. 12*

[h] *3. de Gen. Anim. c. 6.*

[i] *L. 29. Antiq. lec. c. 25*

[k] *Aen. 7.*

Corui & Monedulæ furacitas.

[l] *Lib. 10. ob ſeruat. c. 18.*

Arabes ària pacitate dicti.

Rapio Latinorũ unde.

Raffaluſus aleæ.

Raue unde.

Kolkrabẽ. Corrakẽ.

3

4

5

Saxonum, Corak Græcorum, & Corrak Saxonum, omnes haud admodum dissimili vocabulo ab eodem propè sono efficta videri possunt. Illyricè Coruus dicitur Havvram. Coruum [m] Bellonius admodum expeditè & distinctè hanc vocem Colas pronunciare ait, ideoq; Gallis vulgò etiam eo vocabulo dici. Hanc autem nullo negotio Coruũ addiscere credo, quòd ipsi propè naturalis sit, & voci Græcæ Corax, Persicæ Calack, Saxonicæ Kolch multùm affinis. Vulgò Coruum vocem Cras, cùm crocitat efferre aiunt. Havvram. [m] *L. 1. Obs. cap. 6.*

# GENVS. ET DIFFERENTIÆ.

INTER Coruini generis aues, quæ Græcis dicuntur ὄρνεα κορακοειδῆ, Coruus ita propriè dictus omnium maximus est, & huic magnitudine proxima Cornix spermologus, dein nigra & varia, præterea Gracculus, Monedula, Pyrrhocorax.

Hisce omnibus tamen communia quędam ex Aristotele & Plinio prœmittemus, antequam particularem Corui propriè dicti descriptionem in medium adferamus. Pòst aliquot nugas ex alijs recensebimus. *Coruini generis auibus*, inquit [a] Aristoteles, *robustum & prædurum rostrum est. Minus Venere valent, & rarò solent coire. Ex his Corui, & Cornices coniugia seruant. Gregatim deguut ferè.* Secundum Plinium verò Corui, & cæteræ omnes Coruini generis, præter Cornices pullos nidis depellunt, & volare cogunt. Albertus in adducta Aristotelis loca: *Curant pullos diu etiam postquam euolauerint è nidis; comitantur enim volantes & pascũt, præcipuè Cornix, deinde* Cocix (sic ipse ineptè genus quoddam Cornicis graniuoræ vocat) *quod rostro est albicante, maior Cornice, vulgò Germanicè Ein Ruch; & Monedula, & plura auium genera his similia.* Iosephus [b] Acosta apud Indos quoddam auis genus illorum idiomate Aure vocatum, & Galinazze Coruis congener facit, & admodum agile esse tradit, visus acie pollere, oppida viasq; à morticinis, alijsq; spurcitiebus purgare, noctù extra vrbes in arboribus, & altis scopulis considere, mane ad vrbes reuerti, & ex ædificijs prædam obseruare, pullos edere candidissimos, qui postmodum nigrescant. Sed nunquid istæc omnia Coruini generis aui competant, viris doctis diiudicandum relinquo. In vltimis Septentrionalibus, vt Bothnia, Liuonia, Coruorum quædam genera esse tradunt, à nostris longè diuersa; inter quæ vnum, quod marinum nuncupant pisciuorum quidem, sed cui rostrum dentium ferè instar serratum sit, quo arreptos pisces ac anguillas, quarũ esu maximè delectatur, integros deglutit, & sæpè viuas etiamnum per anũ reijcit. Alterum iam dicto minus esse, septem dierum interuallo sobolis propagationi studere, & septem alijs incubare, & pullos excludere, & pòst breuissimè eos enutrire. Quæ omnia nunquid veritatis limites egrediantur, alij indicent; mihi, saltem quæ de primo tradunt, non persuaserint.

[a] *Lib. 3. de Gen. c. 6.*

[b] *Lib. 4. de nat. & mor. Indor. c. 37.*

Aure. Galinazze. Coruorum genera à nostris longè diuersa.

# FORMA.

CORVVS propemodum Aquilæ æqualis est magnitudine. paulò tamen minor, Cornice maior, colore totus ater, adeò saturo, vt nemo nigredinem cuiuspiam rei exactissimam satis pro dignitate commẽdare se, & extollere posse putet, nisi eam Coruinæ, vtpotè omnium exactissimæ & plenissimæ comparet. Ita in sacris Canticorum libris sponsa sui sponsi cæsariem à Coruina nigredine commendat. Hinc extat item Martialis venustum de Lentino capillos tingente, vt canitiem tegeret epigramma:

*Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis*
*Tam subito Coruus, qui modo Cygnus eras.*
*Non omnes fallis, scit te Proserpina canum,*
*Personam capiti detrahet illa tuo.*

Magnitudo. Color.

Lẽtinus capillos tingens.

Est autem atror Corui adeò intẽsus, vt præ nimia nigredine cærulus quodammodo appareat, Apuleio teste. Hic omnium animalium colore esse tenacissimo ab Arist. traditur, quod reliqua omnia colorem ab aquis mutent, præter Coruum, vt citat [b] Scaliger. Alibi tamen albi reddũtur vtroq; teste. Oculi Coruis lucidi. Vnde qui tales habent, homines, Coruos hac parte referre, & libidinosos esse [c] Aristot. tradit. Rostrũ ei robustũ, prædurum, crassum, acutum, nonnihil aduncum, aterrimũ, vtrisq; marginibus incidens, aptissimũ non solùm ad cadauera dilaniãda, aliaq; duriora, vt nuces, iuglandes & similia rũpenda, verùm ad pugnandũ etiam, secus tamen atq; Aquilis & Accipitribus aduncum. Huic. n. aduncitas statim à rostro incipit, illis non item.

[a] *Cant. 8.*
[b] *Lib. 2. de caus. plant. cap. 17.*

Albi Coruii. Oculi. Rostrum.

[c] *In Physiogn.*

Imprudentium Phyſiognomia. Lingua Corui.

Quare Coruis comparantur ab Ariſtotele, qui naſum ſtatim à fronte aduncum obtinent, (ἐπιγυπτόν) ac imprudentes habentur. Linguam ei natura largita eſt nigram, craſſam, latam in apice, ad radicem verò probè rotundam. Vnde cùm iuxta [a] Ariſtotelem aues, quibus lingua eſt lata, ad imitandum ſermonẽ humanum, cæteris ſint aptiores, non mirum ſi & Coruus, quæ doctus eſt, verba facilè pronunciet. Hoc habitu, ac forma præditum, multi, vt video, dubitant, pulchernè, an deformis vocandus ſit. Apud Apuleium à callida vulpe aſtutè tanquam ſpecioſus laudatur, his verbis: *Quantum ad decorem, pluma mollis, caput argutum, roſtrum validum. Iam ipſe ocalis perſpicax, vnguibus tenax; Nam de colore quid dicam? Enimuerò cùm duo colores præſtabiles forent, piceus, & niueus, quibus inter ſe mox cum die differunt. Vtrumq; colorem Apollo ſuis alitibus condonauit, candidum Olori, nigrum Coruo.* E contrario verò apud [c] Martialem.

*Sic niger in ripis errat cum forte Cayſtri,*
*Inter Ledæos ridetur Coruus Olores.*

[a] 8. *Hiſtor cap.* 12.

Diſputatur an Coruus pulcher an deformis ſit dicẽd[a].

[c] *Lib.* 1. *Epigrammat.*

Sic in ea parœmia, qua dicitur, *Coruus abſente Gracculo pulcher*, tanquam abſolutè deformis perſtringi videtur, & etiam Gracculo, qui tamen ipſi eſt congener, poſtponi. Verùm ego hac in parte nil iudico, hoc tamen aſſero, ijs, qui Coruum ingenij exercitandi cauſa prædicare, tanquam ſpecioſam auem volent, non defutura ſua argumenta, vel ab eo, quæ maximè in Coruo ridetur, ſaturrimæ nigredinis ſplendore, à quo non puduit ſponſam ſui ſponſi in ſacris illis Canticis comam commendare, vbi ait: *Cincinni eius condenſi, & nigri velut Coruus.* Poſſent in hanc rem plurimæ coloris nigri laudes in medium adferri, ſed eas, quibus otium erit, relinquimus. Hoc obiter dicimus, ſi Coruum nigredo ſua deformem faciat, omnia nigra pari ratione pro turpibus reijcienda eſſe. Atque ita maiorem auium partem. Si verò color is cuipiam adeò exoſus eſt, haudquaquam ille deformes Coruorum pullos iudicare cogetur, qui initio ætatis minùs nigri eſſe dicuntur, adeò vt ob id à parentibus tãquam ſibi diſſimiles dereliẽti, tantiſper alimonia deſtituantur, donec proprium ipſis atrorem induiſſe viderint. Quinetiam adultos Coruos albos videre eſt, olim quidem raros, iuxta illud Iuuenalis.

Coruus abſente Gracculo pulcher.

Corui pulli quamdiu, & quare à parentibus deſerãtur.

*—— Coruo quoque rarior albo.*

Corui albi.

[f] *Li.* 19. *c.* 8.

At nunc noſtro ſæculo frequentiores. Scribit [f] Olaus Magnus in regionibus Septentrionalibus quibuſdam Coruos albos abundè cõſpici, & Gybertus Longolius *Coruum album*, inquit; *in Noruegia videre raritas nulla eſt*: vt & in inſulis Oceani Deucaleonei, quæ Daniæ Regi parẽt, vt tradit Boterus. Ioannes Carus, qui cum Hiſpanis in nouum orbem nauigauit, albas Merulas, & Coruos frequentes illic ſe vidiſſe aſſerit. Eoſdem in Anglia quoque reperiri fidem mihi fecit Regis Gallorum Henrici III. ad Summum Pontificem Sixtum V. Legatus D. Ioann. de Vulcob, qui vnum apud Regem ali aiebat, ipſiq; à Regina Angliæ muneris loco miſſum, ſermonis & venatus peritum, aſpectu pulcherrimum. Viſum ſibi ſimilem vndiquaque candidiſſimum in aula Sereniſſimi Cliuiæ Ducis optimi D. Ioannis Vvilhelmi, coniugi eius Illuſtriſſimæ Principi Iacobæ Marchioniſſæ Badenſi Heroinæ pientiſſimæ, ac fidei catholicæ propugnatrici fortiſſimæ, dono datum, fandi gnarum, mihi aſſeruit piæ memoriæ Leonardus Canſarts Haſſelenſis Tungrus Medicinæ Doctor, meus diſcipulus, cuius opera in hoc opere plurimùm vſus ſum. Similiter patrum noſtrorum memoria apud Alphonſum Sicilię Regem Perottus, dum Neapoli ſub Calliſto Pontifice eſſet, Coruum miro candore ſe vidiſſe ſcribit, & à Rege Britanniæ illi miſſum. Albertus, qui ante trecentos annos vixit. *Monedulas*, inquit, *iam vidimus propter frigus regionis naſci albas, & ſimiliter Coruos; figura quidem indicante eas verè eſſe de ſpecie Coruorum, & Monedularum.* [g] Ptolomæus refert Leſtorum Indiæ regionem extra Gangem, cuius incolæ ſylueſtres, ac feri in cauernis, ac ſpeluncis degunt, Coruos & Pſittacos candidos ferrè Quinimò ipſe [h] Ariſtoteles Corui albi ſua tempeſtate viſi, oculatum ſeſe teſtem præbet. Alioquin *vnicolora*, qualis Coruus eſt, *nunquam mutari, niſi per effectum*, ait, *idq; raro*. Multi ſunt, qui affirmant ob aſpectum niuium niuoſis in locis fieri, vt animalia multa candida naſcantur. Videmus in Scythia, in Pyrenæis, in Alpibus Vultures, Aquilas, Accipitres, Miluos, Vulpes, Vrſos, Coruos albos. An verò eiuſdem aquę alimentum, an ſolum loci frigus id efficere queat, conſiderandum id eſſet accuratiùs; Sed hæc res alterius loci eſt, & inſtituti. Imò verò ſi quæ fabularum eſt authoritas.

Coruus albus apud Regẽ Galliæ, & ducẽ Cliuiæ.

[g] *Lib.* 7.

[h] 5. *de Generat. ca.* 6.

Animalia quare alba euadant.

*Albus erat quondam volucris Phœbeia Coruus*
*Nunc importunæ præmia vocis habet.*

Coruus vt albus fiat.

[i] *Li.* 2. *Erot.*

Vt inquit [i] Strozza; nempè ab Apolline ob linguæ intemperãtiam in nigram auem mutatus, qua de re pluribus ex Ouidio in fabuloſis agemus. Non deſunt, qui arte nigredinem, quam inſeparabilem facit Ariſtoteles, à Coruo tolli poſſe nugantur. Quidam enim dealbatum iri Coruum affirmant, ſi ouum eius pinguedine, vel cerebro felis illitum, Gallinæ albæ loco frigido incubandum ſupponatur. Alij vrtica minori ouum ſæpius confricari volunt. Sed hæc triuola

ũola ego,& nugis similia existimo. Quod autem ad albos Coruos attinet, cùm nigredo Aristoteli in Coruo accidens sit inseparabile, quod nempè à subiecto citra illius corruptionem nequeat auferri,dubitauerit quispiam,num eiusdem reuera cum nigris vulgaribus sint specie, an verò discrepent, præsertim cùm [k] Galenus in Lycum inuectus, in hæc verba scribat: *Lycus dum palam est eum,neque vera loqui,neque eadem cum Erasistrato, similis videtur Coruo albo,qui nec Coruis alijs admisceri possit ob colorem, nec Columbis ob magnitudinem.* Verùm cùm color omnis, neq; specificam aliquam differentiam constituat, aut rei naturam mutet, præterea cùm in cæteris omnibus,cùm externis,tùm internis actionibus,vt sunt magnitudo, figura, vox, ingenium, ac mores ijsdem omninò vterque Coruus albus scilicet, & niger conueniant, statuendum planè est,eas essentia haudquaquam differre, teste Philosopho haud vulgari Alberto Magno, cuius hæc verba sunt. *Coruos iam vidimus propter frigus regionis nasci albos, figura quidem indicante eas verè esse de specie Coruorum.* Hæc autem extrinseca Corui constitutio est. *Coruus*, inquit, Aristoteles, *pro ingluuie gulam habet patentiorem propè ventriculum*, ideſt,œsophagum quà desinit in ventriculi orificium,latum obtinet. Hoc ipsum ex Aristotele Plinius transferens tradit: *Aues quædam carent sinu illo, in quem ex gutture demittunt, concoctione maturata, sed gula patentiore vtuntur, vt Gracculi, Corui.* Coruis, ideſt, Coruini generis auibus,alijs ventri, alijs intestino fel iungitur [l] Aristoteli. Fel renibus, & parte tantùm altera iungitur intestino in Coruis &c. Plinio. Fęces seu excrementa Coruorum alba esse Horatius testatur eo versu:

*Mentior, at si quid merdis caput inquiner albis*
*Coruorum.*

Coruus albus an diuersæ speciei à nigro.

[k] *Lib. 1. de facult. nat.*

Color non constituit differẽtiã.

Coruus albus nõ differt specie à nigro.

Gula Corui.

[l] *2. Histor. cap. 15.*

Fel Corui.

Fæces.

# LOCVS.

CORVI, quantum ex eorum natura, victu, & authorum scriptis colligimus, non vno aliquo loco degunt,sed cum polyphagi,& penè pamphagi siue omnivori sint, modò humidis locis, quo piscibus in littus eiectis, ac mortuis pascantur,modò agris cultis,ut insecta,& vermes insectentur,modò locis desolatis,ut cadaueribus se expleant, uiuere comperiuntur. sæpe etiam in medijs urbibus, & in celsis ædificijs,turribus,arboribus, ubi fructus & fruges congerere solent in hyemem, nidificant. Aquis insigniter oblectantur in primis, ut Theon Arati interpres scribit, cùm ut retorrida sua corpora humectent,tùm ut humidum inde cibum, scilicet

*Quos freta destituunt nudos in littore pisces,*

nanciscantur. Hoc argumento [a] Cęlius Rhodiginus Coruum à Floro historico Satyriam auem à Satyra palude dictam conijcit, tanquam paludosa loca amantem. A Coruorum frequentia apud Artemidorum lacus ad oram Gallici Oceani Coruorum nomen fortasse inuenit, cuius [b] Strabo meminit. In agro item uberrimo gregatim feruntur, cuius bonitatem frequenti suo numero prodere solent,nosq; , ut monet Cato, docere, *dum recens vomere proscissam exquirunt,aratoris vestigia insequentes.* Contra uerò *per sterilem agrum, & infructuosum*, ut inquit [c] Aelianus, *bini volare solent.* Locis item arctioribus, & ubi non satis cibi pluribus,duo tantùm teste [d] Aristotele incolunt. Vnde in Cranone Thessaliæ oppido iuxta Tempe,nunquam plures duobus reperiri Coruos,Hæcateus,[e] Aristoteles,& Plinius memorant. Quin & solitudinẽ amare eos commune hoc prouerbium, Βάλλ' ἐς κόρακας, innuit.Cùm enim cadaueribus delectentur,fit,ut in locis solitarijs, & quę ob cadauerum putorem,& horrorem homines fugiant, ut sunt ea,in quibus de sontibus supplicium sumitur,aut ubi iumenta,aut alia bruta morbo extincta à deglubitoribus excoriãtur,coire plerumq; ac conspici solent. Vnde Horatius dicebat.

*Non pasces in cruce Coruos.*

Coruum solitudinem affectare etiam sacrę literę testantur. [f] Esaias Propheta, cùm urbem desolaturam iri significat,& habitatoribus desertam,inquit: *Ibin, & Coruum habitaturos in ea* tanquam aues solitudinis amicas. Summa etiam nonnunquam arborum cacumina incolere uisitur. Nihilominus tamen ab [g] Aristotele Coruus etiam inter eas aues recensetur, quę in urbibus præcipuè uiuant. In his ipsis uerò loca maximè edita habitat,ut turres. Refert Albertus Magnus Coruos in Gallię quadam ciuitate, quę Coruatum uocetur, annos plus quam centenos continuos in turri quadam egisse,nec locum unquam mutasse,etiamsi subtractis pullis iniuria afficerentur; ex quo & constantes & loci,cui semel assueuerunt, amatores esse intelligimus. Regionem etiam nunquam mutant,aut in latibula se abscondunt, ut multę aues ingruẽte hyeme. Semper apparent,ut præter experientiam Aristoteles quoque docet. Natura igitur seu temperies eorum cuiusuis aeris mutationem facilè tolerat,& quemadmodum ob diuersissimum

Victus coruorum.

Aquis gaudent corui.

[a] *L. 19. c. 15 Lect. antiq.*

Lacus coruus dictus.

Satyria auis.

[b] *L. 4. Geog.*

Fertilitatis agrorũ signum, itẽ & sterilitatis.

[c] *L. 2. de anim. al. c. 48.*

[d] *9. Histor. cap. 31.*

Cranonem duo corui incolunt.

[e] *In mirabilibus.*

cur solitudinẽ amẽt.

[f] *Cap. 34.*

[g] *9. Hist. c. 34.*

Coruatum gallię vrbs

Cur loca non mutẽt & cur quędam loca incolant.

ſimum victum non hunc, aut illum peculiariter ſibi locum deligant, ſed dummodo alimẽtum ſuppetat, degere facilè ſuſtinent, ita etiam non vna aliqua orbis plaga, aut regione, ſed vbiq; ferè terrarum abundant. Theophraſtus tantùm citante Plinio in Aſia non naſci, ſed inuectitios Coruos eſſe aſſerit.

# VOX.

Vocum numerus.

CORVVS maximè omnium auium, inquit Aelianus, multos clangores, & varias voces fundit. Quarum multitudinem Fulgentius certo numero determinare auſus eſt, vt author libri de natura rerum citat, ſexaginta videlicet quatuor. Hanc varietatem [a] Porphyrius in diuerſos alitum affectus, nec malè referre videtur. Huic ſuffragabatur [b] Virgil.

[a] *Lib. 3. de abſtinendo ab anim.*
[b] *Georg. 1.*

*Verſuntur ſpecies animorum, & pectora motus*
*Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat*
*Concipiunt.*

[c] *Lib. 4. de rer. natur.*

Item [c] Lucretius:

*Longè alias alio iaciunt in tempore voces*
*Et cùm de victu certant prædaq; repugnant.*
*Et partum mutant.*

Et alibi.

*——Mutant cum tempeſtatibus vna*
*Rauciſonos cantus Cornicum ſæcla veteſta*
*Coruorumq; greges*, &c.

Itaque cùm Serenitas aduentura eſt,

*Tum* (vt ait Virgilius) *liquidas Corui preſſo ter gutture voces,*
*Aut quater ingeminant.*

Pluuiarum præſagiũ.

E contrà cùm imbres imminent, grauem vocem ſubinde repetunt, aut magnæ pluuiæ ſtillas voce imitantur & ſubinde proferunt κλαξ, vel confuſam inſtar ſtillarum pluuiæ vocem edũt, vt Aratus docet, vel, vt inquit Plinius, *veluti ſingultiendo latrantes* carptim vocem reſorbent.

Venti. Crocitus quid.

Quod ſi ventoſa inſtet tempeſtas, eum latratum continuant. Alioquin propriam, & naturalem vocem teſte Nonio, crocitum veteres eſſe voluêre, quem nullo pathemate, aut aëris tempeſtate immutatus occinat, vt ex [d] Plauto conſtat de Coruo loquente:

[d] *In Aulularia.*

*Simul radebat pedibus terram, & voce crocibat ſua.*

Ita legit Nonius, vt à crocio verbo quartæ coniugationis, crocitus nomen quartæ item declinationis deriuetur. Alij tamen, & plerig; pro crocibat legere malunt crocitabat. A Corui enim voce, à qua iuxta Varronem haud ſecus atque Cuculus, aliq; multę, Coruus nominatus fuit, fit factitium verbum croco & crocio, à quo crocito. Inde verò crocatio, & crocitatio, & crocitus deducuntur, quæ ſunt, inquit [e] Pompeius, Coruorum vocis appellationes. Etſi igitur crocitus ſit Coruorum, [f] Plautus tamen eos cantare dixit, vt Nonius refert. Mihi ſanè admodum impropria videtur iſtæc cantatio, ingrata certè & obſtrepera. Allegoria eſt quod [g] Symmachus habet. *Quid tibi*, inquit, *inter rauca cornua Coruorum ſtrepitus blandiatur*. Cùm enim hic locus aliter aliquando lectus fuerit, nempe hoc modo. *Quid tibi inter rauca cornua eorum blandiatur ſtrepitus?* Franciſcus Iuretus omni pignore contendere audere ſe ait, reſtituendum eſſe locum, eo quo diximus, modo. Vt videlicet hic ſit ſenſus. Quid tibi inter media cornua & caſtra verſanti, lenocinari poſſit oratio mea tam in concinna, tam illepida, quam Coruorum crocitantiũ ſtrepitus? Nam ſanè per rauca cornua tubas intelligit, quarum frequens vſus eſt in exercitu. Inelegantem verò ſcriptorem Coruo comparari non nouum eſt, cùm Perſius in anteloquio Satyrarum ceu rem nouam & inſolentem proponens, dicat *Poëtas Coruos, & poëtridas Picas cantaturas pegaſeum melos, ſi modo illis ſpes nummi refulſerit*. inſinuans Coruos nihil minus quàm canere ſolere, ideoq; multò minus dulce melos perſonare. Vnde Lucretius, etſi & ipſe cantum Coruis attribuere videtur, dictionis tamen improprietatem appoſito admodum epitheto minuit, cùm ait:

[e] *Lib. 3.*
[f] *In Aululari.*
[g] *Epiſt. 74. Symmac. correctus.*

Scriptor inelegãs Coruo comparatus.

*Mutant cum tempeſtatibus vnà rauciſonos cantus, &c.*

Auis clamoſa.

Hinc & alij quouis potiùs, quàm cantus nomine vocem eius exprimunt. Albertus auem, valdè clamoſam vocat. Eodem ſenſu Coruum vocalem Cæſar Germanicus dicit eo verſu:

Coruus vocalis.

*Vocalis roſtro Corui ſuper hydraq; lucet.*

Latrans.

Plinius *latrare* dixit. Vergilianus patria, & cantu Baptiſta ille *increpitare*:

Increpitãs.

*Increpitans Coruus volucresq; ferasq; fugaret.*

Quod quidem epitheton ex ſuo Virgilio deſumpſiſſe videtur:

*Et è paſtu*

*—— Et è paſtu deſcendens agmine magno*
*Coruorum increpuit denſis exercitus alis.*

Auienus Aratum transferens ſtridentes Coruos facit. Stridens.

*—— Et tenui dum ſtridunt gutture Corui.*

Ex his intelligimus Coruo vocem minimè ſonoram eſſe, ſed raucedine, & ſtridore quodam aures offendentem, ac veluti aſperitate quadam radentem. Quam quidem Græci verbo quodam proprio, quod aſperæ ſit pronunciationis, expreſsêre. Κράζειν enim, aut Κρώζειν, vt docet Varinus, verba apud Græcos dicuntur de voce Cornicis, aut Corui per onomatopœiam, propter aſperitatem, & vocis veluti ſcabritiem. Audio Germanis vocẽ ſuã Cymbricã Kratzen idem eſſe quod ſcabere. Sanè vox illa cras, tàm eruditis, quàm idiotis cùm olim, tùm nunc Coruino, ideſt, Coruo propria perhibetur. Author libri de natura rerum, *Coruus*, inquit, *auis clamoſa, nihil aliud ſonare nouit, quam cras cras.* Huc non incõcinnè adducere licebit, quod D. Athanaſio acciderit [h] Sozomenus inter ſcriptores Eccleſiaſticos non infimus tradit, è quo interpretationem huius Coruini cras, diſcere poterimus. Inter cæteras, quibus virum hunc diuinum cùm pagani, tùm Arriani affecêre, contumelias: in crimen ab ijſdem falsò vocatus eſt, quòd quædam per præſtigias magicas faceret. Nam fama eſt, quodam tempore, cùm per plateas ciuitatis incederet, fortè fortuna Coruum verſus eum volitantem crocitaſſe, turbamq; Gentiliũ caſu aſtantem eum, tanquam præſtigiatorem irriſiſſe, atque adeò poſtulaſſe, vt quid dixiſſet Coruus eis memoraret; Illum autem leniter ſubridentem dixiſſe, cras; quod Latino ſermone diem proximè ſequentem ſignificat. Quare cùm iſtam vocem emiſerit, obnuntiat vobis diem craſtinum vobis peracerbum fore, præmonſtrat enim vobis mandato Imperatoris prohibitũ iri, ne veſtrum diem feſtum, qui proximè ſequitur, celebretis. Quæ Athanaſij prædictio, licet ipſis videretur ridicula, vera tamen extitit. Hinc ortum eſt, vt homines differre paratos, & procraſtinatores Coruos imitari vulgò dicamus, & Coruinum cras canere. Qua de re [i] D. Auguſtinus ita ſcribit. *Cras cras Corui vox eſt; ipſa res eſt, quæ multos occidit, cùm dicitur cras cras, & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cùm voce Coruina, quia non habuit gemitum Columbinum.* Quare rectè monet Poëta:

*Tolle moras, nocuit ſemper differre paratis.*

Et antiquus ille rythmus incerti authoris.

*Linque coax ranis, cras Coruis, vanaq; vanis.*

[k] Iſidorus vocem hanc ſuam naturalem è profundis haurire præcordijs Coruum, ac è pectore velut grunniendo educere, vnde Coruos à cordis voce neſcio, quàm rectè dictos eſſe conijcit. Quæ verò hactenus de Corui voce à nobis expoſita ſunt, de natiua ſaltem, & quam ſua ſponte, nullam etiamnum hominum arte aliam edoctus edit, intelligẽda veniunt. Alioquin & brutorum, quàm plurium, & hominum voces ſolertiſſimè imitatur. Quæ ratio eſt, vt præter ſuperiùs enumerata alia ipſi epitheta, quæ nimirum ad vocem pertinent, ab authoribus attribuantur, dum nunc loquacem, nunc garrulum, nunc alio ſimili nomine appellant. Qua de re infrà pluribus agemus.

Kratzen.

Cras vox Corui.

D. Athanaſij præſagium à voce Corui.

[h] *Lib. 4. hiſt.*

Procraſtinatores corui dicti.

[i] *In Euang. Matt. c. 17.*

Procraſtinatio nocet.

[k] *Lib. 12. Orig. cap. 7.* Iſidori error.

Coruus alias voces imitatur.

# ODORATVS, VOLATVS.

CORVORVM odoratus ſagaciſſimus ſanè eſt, & Vulturum fortaſſis haud impar, de quo abundè cùm loquuti ſimus, ſuperuacaneum iudico. Lucretius Coruos quietẽ odiſſe, & frequenti obuolitatione gaudere innuit, dum ait; Volatus.

*Conueniebat enim Coruos quoque ſæpè volantes*
*Ex albis album pennis iactare colorem.*

Simili ratione, & Baptiſta Pius mobilitatem ijs attribuit:

*Mobilior Coruis, ſatyriſq; fugacibus.*

Volatum tamen grauiorem, & tardiorem eos exercere quis coniecerit ex hac [a] Plutarchi hiſtoria. Titus Imperator cùm in Iſthmijs aliquot Græcorum ciuitatibus libertatem donaſſet, ea per Pręconem promulgata præ immenſa vocis gaudentium multitudine, ac magnitudine accidit, vt Corui, qui fortè ſuperuolabant deciderẽt in ſtadium, aëre diuiſo. Nam cùm vox permagna, inquit, editur, ipſius vi diſiunctus aër nullam volantibus firmitatem exhibet. Vnde aues clamoris ictu tanquam ſagitta quadam ſauciatæ, exanimes concidunt. Poteſt etiam quidam aëris vortex, ſicut & pelagi eſſe qui violento impetu circumagat. Idem Dion teſtatur in Pompei rebus, ſcribens populi clamore diſſono ſuperuolantem Coruum grauiùs ictum decidiſſe ὥσπερ ἐμβρόντητον tanquam attonitum. Verùm, vt uidetur, ſi Corui aut tam pernici, agiliq;

[a] *In Flaminio.*

Corui ex aere decidunt.

CORVI ICON, QVAE PONI DEBEBAT Pag. 690

agiliq; tamq; vegeto, ac vehementi impetu in volatu suo vterentur, more Accipitrũ, aut aliarum etiam auicularum, non ita facilè uocum ictu uelut deturbati in humum delapsi fuissent. Sed cùm (ut Fausti uersu utar) Corui cur ita deciderint.

*Non regeret volucris nigrantes Delphica pennas,*

aut ob corporis pondus, aut ob imbecillitatem, seu impotentiam quandam uolandi, hinc factum uerisimile est, ut aeris uerberationi resistere nequiuerint, quemadmodum & pisces in procelloso mari difficiliùs multò nare consueuerunt, quàm in tranquillo; alij tamen alijs ægriùs, uel commodiùs pro innata uelocitate, & agilitate, sic Delphini impetum non ita quidquis remoratur, ut alium quempiam piscem cętumuè. Volatui sanè natatus ualde similis est. Baptista Mantuanus natare Coruos dixit his uerbis. Pisces quãdo minus, vel magis natent. Volatus, & natatus similes.

*Et nemorum densas crocitans natat agmen ad vmbras.*

Et Miluus caudæ suæ flexu in aere, gubernandæ puppis in aqua rationem videtur docuisse.

# CIBVS, POTVS.

CORVI uoracitas multis authorum locis famosa est, alioqui re ipsa notissima. Hinc Lucano famelicus appellatus fuit: Voracitas.

*Vultur edax, auido Coruus famelicus ore.*

Prudentio vorax.

*Nam si ferina immanitas*
*Mansuescit, & clementia*
*Coruos voraces mitigat.*

Et alibi:

*Quod canibus donet Coruisq; edacibus vltrò.*

Similiter Lucianus, *Parasitos quosdam* Coruis comparat, qui nusquam nisi in mensa adsint: *Salue here*, inquit, *fac vt istos adulatores sacrilegos obserues, qui nusquam adsunt, nisi in mensa, praterea à Coruis nihil differunt*. Coruus autem, si quæ alia auis, unde uel maximè uoracitatem eius liceat colligere, polyphagos est, uel pamphagos. Hinc Macrobius. *Corui, & Cornices*, inquit, *multiplici cibo vtuntur, omnibus cadaueribus inhiant, vniuersisq; seminibus insidiantur, fructus arborum persequuntur*. Reuera profectò instar rapacium, carniuori sunt; instar Gallinaceorum, frugilegi; instar Picorum uermiuori; instar Steganopodum piscivori, deniq; multarum aliarum carpophagarũ more seminibus, & fructibus uescuntur. Carnem appetunt cùm crudam, qua Ornithologus Coruinos pullos aliquandiu se nutrisse testatur, (nos auiculas uiuas eos corripuisse Accipitrum instar, easq; & deuorasse uidimus.) tùm uel maximè morticinam, idest, animalis cuiuspiam non recens mactati, sed per se nulla ui externa, at morbo extincti, quàm auidissimè haud secus, atque Vultures prosequuntur. Parasiti Coruis cõparari. Corui omniuori. Cadauera prosequitur Coruus.

*Nigrantesq; petunt protecta cadauera Corui.*

Hinc Prouerbium Βαλλ' ἐς κόρακας: & illud [a] Horatij. [a] *Epist. 7.*

—— *Non pasces in cruce Coruos.*

ideſt, non suspenderis, quod suspendio extinctorum cadauera Coruis gratissima sint. Vnde Mantuanus inquit:

*Corne vorax inuade istud mortale cadauer.*

Et Beroaldus inter fęda animalia ipsum enumerat:

*Intestina canes, omentum, & viscera Corui*
*Discerpant, rabidæ cætera membra lupæ.*

Item [b] Scaliger. [b] *In hymnis*

*Ast illi caput, atque rotantia pectora circum,*
*Funduntur Picæ ignauæ Coruiq; seguaces,*
*Sollicitataq; Vulturij gens improba odore.*

Et Latinos sequuti Hetrusci. [c] Ariostus: [c] *Cant. 4. in Addit.*

*D'ogni salute hor desperato Gano*
*Di Corui, & Auoltor ben si vede esca,*

Et [d] iterum: [d] *Cant. 18. stan. 168.*

*Io non ti posso dir, quanto m'incresca*
*Del mio Signor che sia rimaso al piano*
*Per Lupi, e Corui, oime troppo degna esca.*

Et rursus

Et rurſus vbi Orlandum Gabrinæ Comites occidentem introducit:

*Et quelli attacca per viuanda al Corbo*

[e] *Canti. 27. Stan. 34.* ad ſorbum arborem ſcilicet, vt ſuperiores eius verſus indicant. Item [e] alibi:

*E gli fecion veder come il fidele*
*Populpreda de Lupi era, e di Corbi.*

[f] *Cantic. 29. Hierolymæ liberatæ.* Item [f] Torquatus Taſſus, quem doctiſſimũ Poëtam, Homerum Hetruſcum nominare ſoleo, ita Tancredim inducit loquentem:

*——Adunque reſta*
*Il valoroſo Argante à i Corui in preda?*
*Ah per Dio non ſi laſci, e non ſi frodi,*
*O de la ſepoltura, ò de le lodi.*

[g] *Cant. 9.* Et [g] alibi ſimpliciter de Auibus, quas ego vel Coruos, vel Vultures interpretor, dixerat apud eũdem Argillanus Ariodinum moribundum alloquens:

*——Hor tu quì mori in tanto*
*D'augei paſto, e de Canì, indi lui preme*
*Col piede, e ne trahe l'alma, e'l ferro inſieme.*

Item rurſus alibi Argantem inducit iurantem, iuramentiq; Hieroſolymam & cælum ipſum teſtes citantem, ſeſe nũquam enſem à latere depoſiturum, priuſquam Tancredim occiderit, Coruisq; cadauer eis expoſuerit:

*Odi Gieruſalem ciò che prometta*
*Argante, odil tu Cielo, e ſe in ciò manco*
*Fulmina ſu'l mio capo, io la vendetta*
*Giuro di far ne l'homicida Franco,*
*Che per la coſtei morte à me s'aſpetta,*
*Ne queſta ſpada mai depor dal fianco*
*Inſin ch'ella à Tancredi il cor non paſſi,*
*E'l cadauero infame à i Corui laſſi:*

Diogenis dictum de Parasitis. Non iniuria ergo Diogenes dicere ſolet multò præſtare in Coruos, quam aſſentatores incidere. Illos quippè mortuos, hos viuentes deuorare. Ioannes Boterus refert Azzanegos populos Coruorum volatum ſequi, vbi iter per ſuas regiones facere inſtituunt. Corui enim rectà ibi ad loca cadaueribus plena, quorũ ibi ingens copia eſt, feruntur. Quinimò pro peſſimo ſolet haberi ſigno, ſi Corui à cadauerũ eſu, abſtinere uiſi fuiſſent, utpotè quibus maximè delectarentur. Thucydides refert in ſæuiſſima illa Atheniẽſiũ peſtilentia, cadauera paſſim inſepulta, & ab omnibus animalibus intacta iacuiſſe, aut ſi fortè ea guſtaſſent, protinus interempta fuiſſe. Hinc & Corui circa cadauera obſeruari minimè conſpiciebantur, ita vt vel illud alimentum, quod naturali quadam propenſione (quantumuis putidum ac putridum) ſummaq; auiditate, ceu gratas admodum cupedias alioquin expetunt, auerſarentur. Licet verò morticinijs veſcantur omnium lubentiſſimè, nonnunquam tamen frugibus victitant, ſi illa deſint. Ornithologus refert ſe pullum Coruinum pane aqua madido aliquãdiu aluiſſe. Quod præter naturam eius minimè videri debet: cùm aliæ Coruini generis aues frugibus atque cibo potiſſimùm veſcantur, adeò vt Monedula, & Cornix ſpermologa carnes omninò non guſtent, ideoq; Spermologi Ariſtoteli, ideſt, frugilegæ à frugum eſu dicantur. Piſces etiam edunt cùm viuos ſi fortè nacti fuerint, tùm mortuos maximè. Ita Delphini cùm pompylum guſtarint, inefficaces & ſtupidi redditi, fluctuſq; in littora eiecti, à Coruis, Gauijsq; & cæteris maritimis auibus exeduntur, vt Aelianus tradit. Hinc apud Anglos lege cautum eſt, ſub graui mulcta, ne quis vim Coruis inferat, eò, quòd non ſolùm cadauera eius inſulæ, ſed & piſces à mari in littore deſtitutos abſumant, quorũ alioquin putrilaginoſus ac fœtidus habitus aërem inficeret, vt author eſt [h] Petrus Bellonius. Vermiuori præterea ſunt, vnde fit, vt in agro recens vomere proſciſſo frequentes ac gregatim obuolitantes conſpiciantur, nempè vt Lumbricos, aliaq; inſecta, quæ antè tellus occulebat, nunc verò aratro aperta magna copia promit, depaſcantur. Docet hinc terræ bonitatem cognoſcere Cato, quem Plinius citans, in hæc verba ſcribit: *Terra tenera eſt* (vt Cato vocat) *colore ſulla, temperatæ vbertatis, mollis facilisq; culturæ*, &c. *quam recentem exquirunt, improbæ alites vomerem comitantes, Coruiq; aratoris veſtigia ipſa rodentes.* Quin & hydrum ab [i] Ouidio cepiſſe fingitur, quod etiam ſerpentibus fortè ueſcatur. Fructuum quoque omne genus cibum ipſi præbet; cùm poma, tùm nuces, & in primis ficus, vt Archilochi apud [k] Athenæum hoc docet diſtichon:

*Ficus, quæ paſcit Cornos, petroſa videtur,*
*Quæ capit externos blandula Paſiphile.*

Spermologi Ariſtor. Piſces edũtur à Coruo

Anglorum lex de Coruicæde.

[h] *Lib. 6. de Auib. c. 1.* Vermes edit Coruus.

Coruus cur hydrum cepiſſe dicatur.

[i] *2. de Faſt.* Fructibus Coruus paſcitur.

[k] *Lib. 13.*

Occaſio

Occasio hinc data fabulæ, qua Ouidius comminiscitur Coruum ficus edendæ cupidine illectum, neglecto Apollinis mandato, qua aquam è fonte hausta adferre erat iussus, sub arbore expectasse, donec ficus matureſcerent, vt ijs potiri posset, quod hi versus indicant.

*Stabat adhuc ficus duris densissima pomis,*
*Tentat eam rostro, non erat apta legi.*
*Immemor imperij, sedisse sub arbore fertur,*
*Dum fierent tarda dulcia poma mora.*
*Iamq; satur*, &c.

Aelianus aliter rem narrat, & à segete moram Coruo iniectam fabulatur, inquiens; *Coruus ma-*
*gna segete inuenta adhuc viridi inuestigare volens granum frumenti, expectans donec maturuisset, manda-*
*tum Domini neglexit.* Verùm quamuis hæc fabulosa sint, neutrum tamen Coruorum naturæ repugnat, non minus enim frumento, quàm pomis eos vesci paulò antè docuimus. Neque à Cerasorum esu quoque abstinent, imò verò tam auidè ea appetunt, vt cum pediculis suis simul ea deglutiant, tantum abest, vt intus recluſa officula respuant. Verùm hoc loco obiter Iulij Cæsaris Moderati Ariminensis viri fide dignissimi, & in arcanis naturæ indagandis indefessi obseruantiunculam super hac re, cùm quòd mira sit, & auditu insolens, tùm quòd nemò quid tale de eo memoriæ mandauerit, adijcere placuit. Est autem istæc: Cùm vir ille Coruum fortè domi suæ aleret, carnemq;, panem, necnon & fructus exhiberet, fortè in Cerasa incidens, ea quoque illi manducanda tradidit, quæ Coruus auidissimè arrepta vnà cũ ossiculis, necnon & adhærentibus pediculis deglutiebat, & cùm mox à binis horis pulpam per sedem reijceret, eodem tempore pediculos & ossa per os reuomebat. Tum vir ille rei insolentiã miratus, pedes agnorum in frusta concisos, Columbaceos verò & Gallinaceos integros, exhibere cœpit, & horum quoque ossa per os eodem tempore regurgitasse uidit. Nunc ut Corui pastum abundè omnifario eduliorum genere splendidum explicuimus, superest, ut etiam quo genere potus & quando utatur, uideamus. Fons aquæ gelidæ siticulosum Coruũ recreat, reliquo quidem anni tempore, uerùm æstate immensa siti torqueri fertur. Idcircò anthori Priapeæ siticulosus dicitur:

*——aut Coruus nouit siticulosus.*

Huius rei causam ex recentioribus Leonicus Thomæus indagans ita disputat Cur Corui æstate, sex agenis (ut aiunt) diebus ægrotare dicuntur? id autem siti maximè contingere credunt, unde & siticulosi sunt appellati? An quòd alui profluuio tunc maximè tentãtur hæ uolucres & malè habent? Ne igitur cõgenito naturaliq; morbo humiditas extrinsecus addita incrementa suggerat, ab omnimodo se abdicat potu. Non igitur, quia sitiũnt, laborant, idcircò sitire naturaliter cupiunt. Solutio huius problematis petita est ex [l] Aeliano ita scribente: *Coruus quòd æstiuo tempore alui relaxatione se laborare sciat, idcircò ab humidis cibis se continet.* At Simocatus non ab humidis cibis, sed à potu Coruum abstinere tradit, propter uẽtris profluuium. Hyginus aliã adfert causam, negans eum, quamdiu ficus coquuntur, bibere posse, quia tunc guttur habeat pertusum, quo quicquid hauritur, denuò effluat. Alij causam in fabulam referunt, & Coruum ab Apolline, quòd ad aquam puram è fonte hauriendum missus, diutiùs hæsisset, hac cessationis pœna mulctatum, ut quamdiu ficus matureſcunt, id est, ante autumnũ siti ægreſceret, quia uidelicet harum edendarum desiderio sacrificaturo Phœbo in mora fuisset aquam expectanti. Namque apud Ouidium Coruo hoc pacto minatur:

*At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus,*
*De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.*

Quæ sanè pœna, sic satis grauis ipsi inflicta haud leuiter ipsum cruciat, cùm natura sua potus admodum sit appetens, & sitis impatiens. Quod quidem uel ex eo colligere licet, quod [k] Plinius, uti rem gestam narrat. *Tradendum*, inquit, *putauêre memoriæ quidam, visum Coruum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuiæ aqua durabat, sed quæ attingi non posset, ita descendere pauentem expressisse tali congerie quantum poturo sufficeret.* Verisimile sanè est intollerabilem eam sitim hoc à Coruo extorsisse ingenium, iuxta illud Virgilianum;

*——Labor omnia vincit*
*Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.*

Et illud Persianum:

*Paupertas inuenit artes;*

Coruus cerasis vescitur.

Iulij Cæsaris Moderati obseruatio.

De Potu Corui.

Coruꝰ quãdo siti torqueatur.

Cur æstate ægrotat q̃stio.

[l] *Lib. 1. de Anim. c. 47.*

Quàm dũ non bibat

[k] *L. 10. c. 47* Corui æstus

# RAPACITAS. PVGNA.

Corvus rapaces æmulatur.

RAPACIVM sanè naturam etiam Coruus æmulatur, quòd non mortua tantùm, sed viua etiam animalia impugnet, rapiat, deuoret. Albertus Alaudam aliquando à Coruo deuoratam se obseruasse scribit. Ego sanè media hyeme Passerem super tectum assedentem ex insperato à Coruo correptum, & ne quicquam aliorum Passerculorum, vel querelis, vel strepitu moto dilaniatum, vidi. Sed hoc parum est, si cum eo comparetur, quod [a] Aelianus scribit, nempè pullos Coruinos parentem alimonia destitutos ipsum inuadere, ac deuorare, tum præsertim cùm senio confectus, neque victum quærere, neque aggredientibus reluctari potest. Quod an inimia fame an sponte faciant, dubitare quis possit. At cùm Coruum etiam ad venationem instar Accipitrum, institui, aliasq; aues capere experientia, necnon veterum authoritas testentur, verisimile videtur rapacitatem impiam hanc ipsis innatam esse. Nam & lepus Corui, vel vocem haud secus, atque Aquilæ teste [b] Aeliano formidare dicitur. Quod si verum est, ideò fieri probabile est, quod à Coruo lepus capi metuat, aut aliquando captus fuerit. *Quinimò Coruus*, (verba sunt [c] Aeliani) *Aquila nihil de animo concedit, quò minus, quàm hæc audax sit, Non enim contra pusilla tantùm animalia venire audet, sed & contra asinos, & boues pugnat. quorum in ceruicibus considens eos percutit, ac multorum effodit oculos.* Sic [d] Aristoteles aduolantem Tauros, & Asinos ferire, & eorum oculos lacerare tradit. Verùm istæc animalia non tam cibi, quàm vindictæ, aut inimicitiæ cuiuspiam occultæ causa inuadi à Coruis constat. De quibus in capite de Antipatheia latiùs.

Alauda à Coruo capta.

Passer captus.

[a] *Lib. 3. de anim. c. 43.*

Coruus à pullis deuoratus.

Coruus ad venationem institutus.

Lepus vocem Corui timet.

[b] *L. de anim. 13. cap. 11.*

[c] *L. 2. c. 51.*

Corui audacia ad Aquilã accedit.

[d] *9. Hist. c. 1.*

# NIDVS. GENERATIO. Educatio.

GENERATIONI operam daturus Coruus, nidũ aut in celsarum turrium foraminibus, aut altissimarum arborum cacuminibus plerumq; construit, in quibus authore [a] Aristotele, non bina modo, vt aliqui volunt, parit, verumetiã plura, quatuor nempè, aut quinque. Parit autem, fouetq; oua, coit, & nidificat mense Martio, vt asserit [b] Oppianus, idque, vt volunt eruditi & experti, timidus tonitruum facit, à quibus oua eius perdi aiunt. Verùm de coitu Coruorum, qua ratione fiat, non parum inter se authores concertant. Docet nos in primis [c] Aristoteles, cuius authoritate standum nobis meritò putamus, Coruinæ speciei aues minus valere Venere, & rarò coire, *Non coeunt autem Corui mares cum fœminis*, inquit Oppianus, *priusquam cantu quodam velut hymenæo eas demulserint. Hæ verò maribus ita conciliatæ admittunt.* Hinc natus vulgi error, quod vt [d] Plinius scribit *Coruum ore coire, & parere arbitrantur, ideoq; grauidas, si ederint Coruinum ouum, per os partum reddere, atque in totum difficulter parere si tecto inferantur.* Aristoteles negat, sed exosculationem illam in ijs esse, qualem in Columbis sæpè cernimus. Sed [e] eundem ipsum audiamus, qui hac de re ita scribit. *Sunt qui Coruos, & Ibin ore coire opinentur, inter quadrupedes etiam Mustelam ore parere. Hæc enim, & Anaxagoras, & alij quidam naturales authores scribunt, simpliciter valdè, & inconsideratè, qui in animum genere ratiocinatione ista fallantur, quòd rarò Coruorum coitus cernatur, rostrorum coniunctio sæpenumerò, quæ omnibus id genus auibus solita est, quod in Monedulis, quas mansuetas alimus, planum est. Genus etiam Columbinum hoc idem facit. Verum hæc quoniam coire visuntur, ea fama caruerunt. Coruinum genus libidinosum non est, quippe quòd parum fœcundum sit, coire tamen id quoque visum est. Sed enim non cogitasse quemadmodum semen per vuluam deueniat ad ventriculum, qui semper quod ingestum est concoquat, vt patet in cibo perficiendo, absurdum omninò est. Vuluas autem id quoque auium genus, & oua habere cernitur iuxta septum.* Hæc Aristoteles. Albertus hunc locum enarrans *Auicenna*, inquit, *diligentiùs considerans scribit se vidisse duos Coruos coire, non aliter, quàm aliæ aues coeunt, rarò autem in hominum conspectu coeunt. Itaque multi, cùm vident cos oscula inter se conferre, coire putant. Mihi verò videtur has aues fortè ante lucem, & in crepusculo coire, quo tempore ab hominibus non videntur, nec obseruatur eorum coitus.* Sic ille. Christophorus tamẽ Encelius in tam clara luce cum vulgo potiùs ineptire, quã cum Arist. vt Philosophum decebat, bene sentire maluit, etsi anceps eius sit sententia, verba eius hæc sunt. *Multæ aues ore concipiunt, & coeunt, vt Corui ex osculatione facta, vt fit in Columbis, licet hoc negat Arist. nec ego multũ adfirmo, quia non vidi coeuntes, coëũt. n. Corui circa æquinoctium vernũ, loquor nũc de veris, & magnis Coruis, quæ à sono vocis Saxonibus Kolckraben dicũtur, & per quadragesimã excludit pullos, & fouet.*

[a] *9. Hist. c. 31*

Quot pariat.

[b] *Lib. 1. de Aucupio.*

Coruus timet tonitrũ

De coitu coruorum cõtrouersia

[c] *3. de gener. cap. 6.*

[d] *L. 10. c. 12*

[e] *De Gener. Anim. 3. c. 6*

Corui rarò cernuntur coire.

Non per os parere.

Encelij error.

Kolckrabẽ

Nam

*Nam ipſe aliquoties in Saxonia circa feſtum Paſchatis illorũ pullos vidi, & habui. Altera verò ſpecies Corui, quæ dicitur à Saxonibus Korracken æſtate circa ſolſtitiũ excludit pullos, de quibus loquitur hoc carmen.* Korracken

*Coruus maturis frugibus oua refert.*

*Et poteſt fieri, vt Corui iſti veri ore coeant in frigore, nam ſi vulgari modo auium coirent, frigus ſemen vnà incidens in matriculam, corrumperet, & profectò ea ſpecies, quæ templa incolit, Monedula dicta, ore coit tempore verno.* Sic Encelius, qui item & Bonoſas, & Vrogallos (vt in illarum auium hiſtoria recitabimus, & omnes ferè Gallinas ſylueſtres ore coire ex vulgi opinione ſcribit. Cui, qui volet, fidem habeat, mihi ſanè non perſuaſerit. Et friuola eſt ratio, quod Coruos in frigore ore coire ſentit, ne cum ſemine irrumpens in matriculam frigus id corrumpat. Cur enim non eandem ob cauſam cæteræ etiam animantes, quæcunque hyeme coeunt, id ore faciunt? uel quomodo frigus non etiam per os irrumpere æquè, ac in matricem poſſet per meatum multò quàm vulua ampliorem? Sed in quibus rebus an ſit affirmare non poſſumus, cur ſint inquirere ſtultum eſt. Meritò igitur inepta hæc vulgi opinio, quod Coruos ore ori admoto Veneri indulgere, & fœtus in lucem edere exiſtiment, à Martiale reprehenditur, hoc argumento, quòd cùm coitus omnium animantum membris genitalibus ſibi mutuo inſertis perficiatur, Coruo nunquam membrum in os à mare inſertum viſum fuerit. Adde quòd hic locus ad generationem ſemini minimè idoneus eſt, vt ex Philoſophi verbis liquet. Quare etiam iniuriam fieri Coruo inſinuat ab his, qui fellatorem eum vocant, & turpis illius voluptatis accuſant, quod tamen falſiſſimum eſt. Itaque [f] Poeta Epigrammatarius ita ſcriptum reliquit. Coruus iniuſtè fellator dictus. [f] *In Apophoretis.*

*Corue ſalutator quare fellator haberis,*
*In caput intrauit mentula nulla tuum.*

Putandum igitur Coruum coire, parere oua more aliarum auium, è quibus poſtmodum vigenum dierum ſpatio incubatu fotis pulli nempè ad ſummam quini excludantur. Narrat verò author libri de natura rerum, ſed quo authore neſcio, fœminas incubare oua ſolas, mares verò operi intentis cibum adminiſtrare. *Pullos excluſos*, inquit [g] Ariſtoteles, *nido expellit*. Quod item, & aliæ volucres faciunt. Quibus enim partus numeroſior eſt ipſæ vnum ſæpè ejiciunt. Sed & eos ipſos, quos nido relinquunt, deſerunt omni alimonia deſtitutos. Cuius facti alij aliam rationem aſſignare conantur. Sunt qui à parentibus agnoſci negent, quòd recens natis color non ita ſit planè ater, ſed albicantior. Vnde tanquam alienos relinquant. Ita ſentire videtur Diuus [h] Gregorius vbi ait: *Coruus editis pullis, vt fertur, eſcam plenè prabere diſſimulat, priuſquam plumeſcendo nigreſcant, coſq; inedia aſſici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinẽ ſua ſimilitudo videatur, qui huc illucq; vagantur in nido & ciborum expetunt aperto ore ſubſidium: vnde etiam ſcriptum eſt in* [i] *Iob: Quis præparat Coruo eſcam? & in Pſalmo: Qui dat iumentis eſcam, & pullis Coruorum inuocantibus eum*, &c. Sed cùm nigreſcere cœperint, tantò eis alimenta ardentiùs requirit, quantò illos alere diutiùs diſtulerat. Author libri de natura rerum, ſeptimo id à natali die fieri putat, vt plumæ in pullis omni ex parte ſimiles parentum euadunt. Sunt qui non à matribus pullos Coruorum nuper natos, ſed à muſcis præteruolantibus ali putent. Plinius Coruos obliuioſos eſſe dicit (ita [l] Seruius ſcribit) & plerunq; minimè ad nidos ſuos reuerti; ſed quodam naturæ inſtinctu quæ vermes procreârant, ad nidos congerere, ex quibus pulli relicti alantur interdum. Horum obliuionem etiam ex rebus probat, quas cùm abſconderint, derelinquunt. Huiuſmodi ſunt nuces, alijq; fructus, quos ſæpenumerò ruſtici in ſubterraneos ſpecus à Coruis in hyemem reconditos quidem, at pòſt obliuione, vt veriſimile eſt, neglectos, inuenire ſolent. Caſſiodorus cæleſti rore Coruinos pullos initio ætatis, quum minùs nigricant, paſci credit Prophetici Pſalmi antè adducti authoritate perſuaſus, illo nempè: *Qui* (de ſummo ac benigniſſimo omnium rerum largitore Deo loquitur) *dat eſcam iumentis, & pullis Coruorum inuocantibus eum*. Agnitos denique ab atrore Coruus reuerſus eousq; paſcit, donec firmas vires nacti volandi potentes fuerint. Quo tempore primùm nido eos expellit, poſtea fugat longiùs, atque tota regione exterminat, vt [m] Ariſtoteles, & Plinius tradunt, idq; proculdubiò nutriendi tædio. Summæ enim eorum voracitati, præſertim ſi plures ſunt, locus exiguus non ſufficit. Vnde, vt idem Ariſtoteles inquit: *Locis arctioribus, & vbi non ſatis cibi pluribus ſit, duo tantùm incolunt, & in paruis vicis* (vt Plinius) *non plus bina coniugia ſunt. Quamobrem* inquit [n] Aelianus: *pulli deinde ea, quæ ſunt ad viuendum neceſſaria, inquirunt, genitoresq; ſuos minimè alunt*, nempè quodam talionis iure, iuxta illud par pari. Cùm enim quod parentibus quis fecerit, idem à filijs expectare iubeatur: itaque Coruus, qui ſimili impietate in parentes vſus eſt, & ſenio confectos non aluerit, hac animaduerſione iure percutitur, vt & ipſe ætatis grauitate quærendo victui factus inutilis à prole ſua deſeratur, omnique cibo deſtituatur. Verùm illud omnem impietatem ſuperat, quòd inaudita crudelitate pulli genitoribus ſuis etiam præ nimia, & inſatiabili vorandi libidine minimè parcere dicantur,

Partus ver. Incubatus.

[g] *9. hiſt. c. 31*

Corui pullos in nido deſerunt, & cur.

[h] *In moralibus lib. 30. c. 8. in ca. 30. Iob.*

[i] *Cap. 38.*

[k] *Pſal. 146.*

[l] *In lib. 1. Georg. Virg.*

Nuces Coruorum à ruſticis inuenti.

[m] *9. hiſt. c. 32*

[n] *Lib. 2. de Anim. c. 49.* Corui parẽtes nõ alũt.

Impietas in parentes.

Corui culeo digni cur.

vnde grauiſſimi parricidij ſceleris nulla ratione tolerandi pœna, ſeu culeo omnium ſuffragio digni iudicari deberent. Quare & illud prouerbium haud temerè natum eſſe putandum eſt: *Mali Corui, malum ouum.* Cuius tamen ēt ſuprà aliam originem tradidimus. Etenim iuxta illud.

Filius patri ſimilis.

*Sæpè ſolet ſimilis filius eſſe patris.*

His tamen, & præcipuè, quòd prolem fugari, & ab eo loco, vbi parentes ſint, exterminari ex Ariſtotele tradidimus, his inquam nonnihil repugnat, quod circa Cranonen Theſſaliæ oppidum ſingula perpetuò paria degere, & genitores ſoboli loco cedere Plinius aſſerit. Sed hoc aliquid peculiare eſt, & forſan illi loco ſaltem commune. Atque id Philes fortè etiam dicere voluit, licet tamen nullius oppidi, vel loci mentione facta id omnibus Coruis peculiare faciat. Ait autem:*

* *De propr. animal.*

Κόραξ δὲ κακῶς τοὺς κακοὺς τόκους τρέφων
Οὓς αὐτὸς ἐξέλεψε τοῦ γένους χάριν,
Ὅταν ἐπιστῇ καὶ βραχὺς πείνης χρόνος
Βορὰν ἑαυτὸν ταῖς γονᾶις ἀντεισφέρει.

Id eſt, verbo ad verbum reddito:

*Coruus autem malè malos fœtus alens*
*Quos ipſe* (ex ouis) *excuſſit* (propagandi) *generis cauſa*
*Cùm vrget, vel breue famis tempus*
*Cibum ſeſe fœtibus alimenti loco infert.*

# MORES.

Oſcula Coruorum caſti amoris indicia. Coruorum caſtitas.

QVOD igitur ad mores Corui attinet, ſcire licet, vti ex proximo præcedenti capite, etiam ex Ariſtotele quiuis colligat, Coruum minimè libidinoſum eſſe. Oſcula verò illa, quibus crebrò columbatim ante coitum inter ſe miſceri conſpiciuntur, non ad libidinem aliquam fœdam, vt alij putabant, ſed ad caſtum amorem, ac coniugalem, quem inter aues præcipuè colere dicitur, referenda ſunt. Tradunt enim Coruos ad trigeſimum, quandoque ad quadringeſimum ætatis annum vnà viuentes iura coniugij inuiolata vtrimq; conſtantiſſimè ſeruare. Ariſtoteles ſanè coniugium inter eos mutuum, atque fidum celebrari ſcribit. Hanc fidem non ſolùm ad mortem vſque durare Athenæus inquit, verumetiam defuncto altero coniugem alterum per omne vitæ tempus viduum permanere, neque alteri nunquam marito copulari. Meritò igitur à Scaligero in D. Lucretiæ Gonzagæ encomio Coruus his verſibus laudatur.

*Corue loquax, caſtiq; thori ſeruator honeſte,*
*Cui nihil ad Veneris fœdiſſima gaudia notum eſt.*
*Inſtrue quo caſtos Ocnus ſectetur honores,*
*Et viridis nitidum vitæ ſeruabis honorem.*

Verùm quandoquidem.

*A vitijs vacuum viuit in orbe nihil.*

vt cuiq; aliti ſuæ dotes, ita etiam ſua inſunt vitia, non aliter ac in hominibus. Sunt igitur, qui furti Coruum accuſent.[a] Albertus multum furari ſcribit. Author quidam anonymos Coruum à natura ad furta committenda procliuem hoc experimento comprobat. Erfordiæ Saxonię ciuitate, inquit, Coruus cicur paulatim de menſa, in qua pecuniæ iacere conſueuerant in hortum vicinum ſub lapidem nummos aliquot, qui pretio quinque, vel ſex florenorum æquabāt, abdidit. Ita ille. Edulia ſi aliquando in locum quendam ſecretum congeri viſus ſit, prouidentiæ tribuo; ſed quod nummos ſuſtuliſſe dicitur, non habeo, quid dicam, aut in excuſationem eius afferam. Nulla hîc equidem auaritiæ culpa eſt; verùm aut ſpecie æris, aut argenti, vt credo captum, aut alia quadam nobis ignota cauſa ſanè naturæ inſtinctu adductum hoc facere autumo. Hinc non omninò temerè Opontio cuidam, vt Ariſtophanis annotat Scholiaſtes, Coraci nomen inditum fuit, homini nimirùm rapaci & furi, vt qui hac parte Corui naturam exprimeret. Sed & Coruo ipſi apud Hebræos Gorab, & Germanos Rab à raptu, & furto appoſitiſſimo ad rei naturam vocabulo appellatio impoſita fuit. Nam *Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.* Huc referre licet, quod[b] Aelianus tradit. Coruos quod precibus non impetrarūt, per vim veluti extorquere velle latronum more in recuſantes iniurios. Verba eius hæc ſunt. *Aegyptij Corui Nilo accolentes nauigantibus quaſi ſupplices eſſe videntur, ſibi quippiam largiri efflagitantes, quòd eis, ſi quid eis dono detur, ceſſantes, nihil amplius moleſti ſunt; ſin autem horum, quæ poſtularunt nihil impetrauerint, in nauis roſtro inſidentes, inſequuntur nautas, funes arrodunt, ac vincula conſcindunt.* Hæc Aelianus, qui mihi quidem fabulam obtrudere videtur.

Corui furacitas.

[a] *Lib.* 23. Coruus nūmos celās. Corui prudentia.

Opontius Corax dictus, & quare.

Coru⁹ Germanis à rapacitate dictus.

[b] *Lib.* 2. *de Anim. c.* 48 Corui nauigātibus ſupplices.

INGE-

# INGENIVM.

CORVVS non in victu solùm acquirendo, aut incolumitate sua conseruanda, aut in hoste oppugnando, uerumetiam docilitate insigni, qua & uenandi ritum, & loquendi artem, mira facilitate ab homine addiscit, deniq; sagacitate, & memoria egregia, haud exiguam ingenij sui uim nobis declarat. Quod ad uictum attinet, in eo parando cura non uulgaris est, dum non nisi ea loca, quæ & sibi, & suis, quantum sufficit, subministrare queant, incolat. *Nam*, ut ait[a] Aelianus, *quantum cum sterili ferax ager differat, planè noscunt Corui, in uberrimo enim gregatim feruntur, per sterilem agrum, & infructuosum bini uolare assolent. Diuersas verò hasce locorum naturas innata quadam sagacitate cognoscunt.* Vnde Plinius *eos agros pro fœcundis habendos esse* monet, *in quibus, dum arantur Cornuorum ubuolitare conspiciatur frequentia.* Similiter, inquit [b] Aristoteles locis arctioribus, & ubi non satis cibi pluribus sit, plures degere minimè solent, sed bini tantùm. Vnde forsan non tam impietatis, quàm prudentiæ cuiusdam uideri possit, etsi prima fronte secus appareat, quòd pullos suos nido expellant. Neque enim eos nisi iam uolaces, & sibi suo Marte uictum quærere aptos (nam in eam usque ætatem à septimo die agnitos liberaliter admodum educant) eijciunt, aut potiùs ad nouas veluti colonias emittunt, & sic cùm sibi, tùm proli prospiciunt, alioquin utrisq; defuturum alimentum non ignorantes. An non idem in humana uita sepius usu uenisse, nos docent tot gentium historiæ, ac Germanorum præsertim, qui cùm ob innumerabilem sobolis multitudinem proprijs limitibus sese uix contineri posse uiderent, & multò minus uictum omnibus suppeditari, sæpè torrentis rapidissimi instar, effuso alueo in campos circumiacentes longè, lateq; exundantis, non proximas tantùm, sed & lõgissimo interuallo dissitas terras inuaserunt, sedes nouas collocârunt, & uarijs regionibus uaria nomina obliteratis priscis indiderunt. Exempla huius rei eaq; innumera, tam manifesta sunt, ut ea recensere superuacaneum existimem. Nonne etiam in apum Republica huius rei quotannis uidere exemplum licet, quæ iam auctę, & unum, & idem alueare posthac haud sufficturum non ignaræ, numeroso cætu relictis auitis sedibus, proximo loco, aut qui primo pascêdis omnibus idoneus uisus est, considentes, nouam ueluti coloniam constituunt. Sed in auium etiam, uel omnium dignissimo genere, nonne idem obseruare licet? [c] Aristoteles sanè hoc ipsum de Aquilis scribit, eas nempè prolem iam uolandi potentem nido exigere, neque uerò in tota eadem pati regione. Non est igitur, quod Coruum solùm, tanquam in prolem suam impium conuitijs incessamus, aut inhumanitati uertamus mores suos, quos etiam homines sine crimine imitantur. Hac igitur in quærenda alimonia utuntur solertia. Sed non minùs in quæsiti iam examine sagacitate pollent. Nam quantumuis natura uoraces, & alioquin famelici, si fortè cadauer, cuius nihilominus pastu impensè delectantur, inuenerunt, atq; pestilenti infectum lue senserint, id haudquaquam contingunt, non emendam sibi tantilla gulæ uoluptate mortem putantes, rectè in hoc hominum plerisq; temperantiores, ac sapientiores. Obseruatum hoc in famosa illa Athenienſium peste scribit Thucydides. Quod si fortè per imprudentiam, aut urgentem famem Chamæleontem Coruus occiderit, & deguſtarit, itaque noxias huic inesse uires probè gnarus, & alioqui uictori etiam nociturum, *lauro* teste [d] Plinio, *infestum virus extinguit* ipse sibi Esculapius. Basiliſci quoque serpentis, tanquam si animantibus omnibus extremum uenenum agnoscat, esu summa prudentia abstinet, ut Nicander testatur:

*—— Pluuiæ quoque nuntius aurę*
*Coruus, nec quæcunque ferę per deuia lustra*
*Degunt, è tali capiunt sibi pabula carne.*

Iam uerò in siti, qua naturaliter maxima sæpè affligitur, sedanda, quàm ingenioso sibi subuenit inuento? Refertur rei gestæ exemplum à [e] Plinio, cuius uerba iam supra notauimus. Item [f] Aelianus paulò latiùs describit: *Corui Lybici sese inclinantes roštrorum aduncitatem, quoad possunt in uasa intrudunt, atque inserunt, quæ homines sitis metu aqua compleuerant, ac supra tecta, ad seruandam aëris beneficio aquam posuerant, itaque potione fruuntur. Cùm aquam desicere uident, calculos ore, & unguibus apportantes, in uasa inferunt: Atque calculi quidem in uasis fundum detrudunt, ac desident, aqua verò ex uasis fundo ex subsidentium occupatione calculorum elenata, superiorem uasis uacuitatem replet, qua solerti machinatione Corui aquam contingentes potione referciuntur; non ignorantes, quæ penitius in media philosophia recondita sunt, atque abdita, unum-*

Ingenium Corui in quibus consistat.

Prudẽtia in comparãdo victu.

[a] *Lib. 49.* corui agros fertiles agnoscunt.

Agrorũ fertilitatis dignotio.

[b] *9. hist. c. 3* Cur pullos pellant.

Germani cur sæpè sedes mutarint.

Apes cur aluearia mutent.

[c] *9. hist. c. 34*

Excusatur Corui impietas in pullos.

Prudẽtia in esu.

Coruꝰ Chamæleonteſo sibi lauro medetur

[d] *Lib. 8. c. 27*

Vt sitim sedet.

[e] *L. 10. c. 43.*

[f] *Lib. 2. de Anim. c. 48.*

*& eundem locum duo corpora capere non poſſe.* Hæc Aelianus. Idem Ariſtotimus Coruos ſibi in Africa facientes viſos refert apud [5] Plutarchum. Neque tamen adeò intemperantes ſunt; vt ſe vel ab ingenti ſiti vinci ſinant, eo tempore, quo potũ citra valetudinis diſpendium ſumi non poſſe cognoſcunt. Qua de re Michael Glyca ita ſcribit. *De Coruis non ab re hoc quoque quis miretur, quod hactenus indicatum non eſt inferius. In æſtiuo quoque tempore Corui quodam modo laborãt, is morbus ventris eſt profluuium, quamobrem fontes, flumina, ſtagna per æſtatem Coruis nulli ſunt vſui, ne per humorem ventris illa fluxio magis adaugeatur. De quo ſcilicet etiam intelligitur diætæ rationem ſibi conuenientem Coruos non ignorare, quanquam nec Hippocratis, nec Chyronis, nec Machaonis remedia, aut præcepta teneant. Idcirco fluuios quidem intuentur, ſed de his minimè hauriunt.* Abſtinentiam hanc alij in alias, ſed fabuloſas cauſas reijciunt, quod & ſupra diximus, Higino quamdiu ficus concoquuntur, bibere poſſe negatur ideò, quòd guttur eo tempore pertuſum habeat. At ſi tunc ei guttur pertuſum eſt, cur non & reliquo quoque anni tempore eadem res potationem impedit? An igitur ſingulo quoque anno nouæ quædam cuticulæ fauces occluſuræ generatio ſtatuenda eſt, & rurſus eiuſdem corruptio? Profectò vt illa commentitia, ita vana, & friuola hæc ratio exiſtimanda eſt. Reuera auium vni Pſittaco roſtrum, quà collo coniungitur, infernè ſub faucibus apertum eſt, quod nulli alij contingere [h] Iulius Scaliger etiam teſtatur, qui hoc quoque annotauit, & nos in eiuſdem auis anatome obſeruauimus. Quare ingenitæ ſagacitati id, quicquid eſt potius tribuerim. Neque minus prudenter in generationis, & educationis negotio, quàm in victu ſeſe gerere videtur. Etenim ne à tonitru percuſſa oua corrumpantur, magno ſtudio ea parere, incubare, & pullos excludere feſtinat, antequã vis tonitruum præterlapſo iam vere ingruat. Quod item editos pullos paſcere differat, id Aquilina potiùs ingenij perſpicacia, ac generoſitate quadam, quã odio id facere, vel inde probari poteſt, quòd ſtatim, nempè à ſeptimo, vt volunt, die, agnitos pro ſuis maxima cura deinceps enutriat, donec volandi facultatem, ac robur plenum adepti fuerint. Relinquunt verò eos tantiſper paterno auxilio deſtitutos, quòd ob colorem diuerſum à ſuo, quem ſibi proprium, & inſeparabilem eſſe, tanquam ſi Ariſtotelicam philoſophiam edocti eſſent, rectè norunt, ſpurios, & adulterinos ſuſpicentur. Tum enim albi potiùs, quàm nigri videntur pulli, vt è contrario Cygnorum pullos fuſceſſere videmus. Imitatur ſanè in hoc Aquilæ alitis nobiliſſimæ indolem, quæ fœtus ſuos non prius enutrit, quàm legitimos eſſe ſolis trutina cognouerit. Non parùm quoque ad ingenij felicitatem in Coruo facere videtur ea, quę ſe hominibus ad venatum docilem præbet facilitas haud multò fortaſsè, quàm vel in Aquilis minor, vel Accipitribus. Citiſſimè in primis manſueſcit, quamuis id Cardanus neget. Aues cicur factus homini capit, & præſertim cõgeneres, quod mirum eſt, & præter reliquarum rapacium morem. In Bothnia, Lapponia, alijſq; ijs circumiacentibus regionibus Coruos referũt noſtratibus maiores eſſe, adeoq; noxios, vt non cuniculos duntaxat, & lepores in campis interimant, ſed agnorum etiam, & arietum maximam ſtragem edant, indeq; lege cautum eſſe, vt qui eos occiderint, conſtitutum è publico præmium referant. Hinc edocti quidam, captos eos Coruos alunt, inſtituunt, & feliciter illis in venatione vtuntur. Coruum venatilem referente Baldo Angelo Abbatio Ludouicum Gallorum Regem primum inſtituiſſe affirmat Iulius Scaliger. Albertus teſtatur vidiſſe ſe Coruum venaticum, qui Perdices caperet, aliosq; Coruos feros, ſi auxilio hominis præſentis, aut propinqui confideret. Alij tamen hoc proprio eum Marte etiam tradunt facere. Perottus refert viſum ſibi Neapoli apud Alphonſum Siciliæ Regem Coruum, & quod magis mirũ eſt, candidiſſimum, miſſum à Rege Britanniæ, qui aucupio mirabilis eſſet, vtpotè cuius opera, & alios Coruos, & Phaſianos etiam venaretur. Apud Indos Coruorum haud ſecus, atq; Miluorum pullos cicurari, & inſtitui ad prædam ſolere Aelianus author eſt, vti ex hoc in Aquilæ hiſtoria retulimus. [i] Plinius quoque hoc ipſum teſtatur. *Recens*, inquit, *eſt fama Craterꝛ Monocerotis cognomine in Eriẓena regione Aſiæ Coruorum opera venantis, eò quòd deuehebat in ſyluas eos conſidẽtes Corniculis humeriſq;, illi veſtigabant, agebantq; eò perducta conſuetudine, vt exeuntẽ ſic comitarentur, & feri.* Perottus hunc locum aliter legit. *In Troccena regione Aſiæ Craterus Coruorum opera venari ſolitus, proditur, quos deuehebat in ſyluas inſidentes humeris, illi verò Corniculos veſtigabant agebantq; &c.* Quod ſi ita legamus, erit ea lectio ſuperioribus conformis, quibus Coruum Corniculos alios capere ſolere diximus. Sin verò priorem lectionem quis retinere magis volet, vocem Corniculis ad Monocerotem fortè non malè referet, vt qui ab illis nomen adeptus videatur. In ea denique, ad quam, tanquam ad ſummam metam, auibus ingenio pertingere datum eſt, loquutionis diſciplina, tanta eſt Corui docilitas, vt hoc in cenſu Cardanus à Pſittaco ſecundum Coruum conſtituerit. Exprimit enim cùm auium aliarum, tùm maximè humanã vocem miro modo. [k] Varro Corui verba, non verba eſſe ait ex Chryſippo, quòd is illi loqui tantùm dicatur, qui ſuo loco, quod ſ verbum ſciens, ponit, Coruus in pronuntiando *gutture*, &

[5] *Lib. de ſolert. anim. d.*

Corui profluuio laborant.

Cur ab aquis abſtineant.

Pſittacus ſolus roſtrũ infernè apertum habet.

[h] *Exercit. 236.*

Prudentia Corui in generatione, & educatione.

Cur pullos deſerant.

Coruus Aquilam imitatur.

Corui inſtitutio ad venatum.

Coruus cõgeneres capit.

Corui noſtratib⁹ maiores quas ſtrages edant.

Præmiũ in Coruorum occiſores.

Ludouicus Galliæ rex Cornũ venatilem habuit.

Alphõſi Siciliæ regis Coruus venatilis.

Indi Coruos inſtituũt ad prædam.

[i] *L. 10. c. 43.*

Plinius explicatus.

Corui docilitas in addiſcẽdo humano ſermone.

[k] *Lib. 5. de ling. Lat.*

*& linguæ potissimùm*, inquit [l] Scaliger, *vtitur. Itaque difficillimum elementum optimè exprimit. Illud, inquam, quod Demosthenes sero pronunciauit, mihi raro fit vt siccè enuntietur. Vnum alebant Monachi vicini nostri, qui coquum Conradum nominatim in fame implorabat, adeò expressè, vt ab homine vocatum arbitraremur. Ridiculum adscribam inuentum librum musicum, quasi notas legeret passim perludit. Hæc ille.* Aelianus nugari mihi videtur, more suo, dum Coruum humanam vocem edoctum aliter cùm ludit, aliter cùm seriò agit, loqui asserit. Verùm loquentis, & salutantis Corui veriora ex [m] Macrobio exempla hîc subnectimus. *Cùm ex Actiaca Victoria reuerteretur Augustus occurrit ei inter gratulanteis, quidam Coruum tenens, quem instituerat proferre hæc verba. Aue Cæsar victor Imperator. Miratus Cæsar tam officiosam auem viginti millibus eam emit (hoc est quingentis aureis solatis. Multas prætereo similes comparauit. Quo exemplo motus pauper Sutor instituere quoque ipse aggressus est Coruum ad parem salutationem, sed impendio exhaustus ad auem non respondentem dicere solebat. Opera & impensa periit. Cæpit tamen aliquando Coruus optatam salutationem exprimere, ac fortè audita, dum transiret Augustus, respondissetq́, Satis talium salutatorum habeo domi, superfuit Coruo memoria, vt & illa quibus dominum querentem solet audire, verba subiungeret, Opera & impensa periit. Ad quod subridens Cæsar emi auem iussit, quanti nullam aliam emerat.* Hæc Macrobius. Quantoperè Corui ingenium admiratus, quantoq; honore prosecutus sit populus Romanus [n] Plinius hac historia testatur. *Reddatur*, inquit, *& Coruis sua gratia, indignatione quoque populi Romani testata, non solùm conscientia. Tiberio Principe ex fœtu supra Castorum ædem genitus pullus in oppositam sutrinam euolauit, etiam religione commendatus Sutrinæ domino. Is maturè sermoni assuefactus omnibus matutinis euolans in rostra, in forum versus, Tiberium, deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem Populum Romanum salutabat, postea ad tabernam remeans plurium annorum officio mirus. Hunc siue æmulatione incitatus manceps proximæ Sutrinæ, siue iracundia subita, vt voluit videri, excrementis eius impositæ calceis macula, exanimauit, tanta plebis consternatione, vt primo pulsus ea regione, mox & interemptus sit, funusq́ innumeris aliti celebratum exequijs. constratum lectum super æthyopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum vsque, qui constructus dextra viæ Appiæ ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato fuit. Adeò satis iusta causa populo Romano visa est exequiarum ingenium auis, aut supplicij de ciue Romano in ea vrbe, in qua multorum Principum nemo duxerat funus. Scipionis verò Æmiliani post Carthaginem Numantiamq́ deletas ab eo, nemo vindicauerat mortem. Hoc gestum M. Seruilio, & C. Sestio Coss. ad 5. Kalendas Aprilis.* Hactenus Plinius. O ineffabilis populorum semper insania in ea vrbe fletum, & sepultum Coruum, & eius interfectorem Romanum ciuem morte mulctatum, in qua nec Africanus maior sepulchrum habuit, nec minor vltorem, quia si Dijs placet, Coruus hic populum salutabat, vt diximus: Illi autem non salutabant, sed salutem gloriamq́; populo contulerant: adeò gratior vox Coruorum, quàm Virorum virtus illustrium. Neget nunc aliquis tutum sese populi consensisse iudicio, quanquam uiris æstimatoribus non sit mirus publicus hic uirorum fortium contemptus, cùm ab his Coruorum uolucrumq́; loquacium miratoribus, & diuinæ uoces, & cęlestia spernantur oracula. Sed hoc obiter dictum esto. Coruus uerò eũ ob ingens, & ad tædium usque auditorum loquendi studium, ingratum nonnunquam se præberet, loquacis & garruli cognomen meruit. Loquax in primis dicitur [o] Ouidio.

*Corue loquax subito nigrantes versus in alas.*

*Garrulus* Pamphilo.

*Picam nomine, garrulumq́, Coruum.*

Item & Pindaro. *Vehementes garrulitate, velut Corui nati clamitant.* Hoc tamen ad feri etiamnum naturalem, ac molestum strepitum, ob quem alioquin, & uocalis, & querulus dicitur, pertinere potest. Atq; ita prorsus inconcinnam eius uocem fecisse uidetur Martialis, talem ei attribuens, qualem Maro obstrepero Anseri, cuius etiam uersum imitatus uidetur, ait autem:

*Inter Lædæos ridetur Coruus Olores.*

Et alibi.

*Tam subito Coruus, qui modo Cygnus eras?*

Liceret hîc maiora longè ingenij Coruini monumenta in medium adferre, qualia sunt præsagia, quæ diurnam quandam uaticinandi uim aliti inesse ostendere uidentur, nisi id potiùs ad naturalem aliquam, atque extrinsecam causam, quam ad præscientiam, quæ solius intellectus est, & uix humani pertinere, uel ipse [p] Virgilius moneret, dum ait.

*Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis,*
(id est animalibus)
*Ingenium; aut rerum fato prudentia maior.*

D. sanè [q] Chrysostomus dogmata quorundam Philosophorum improbat, & ridet, qui animalibus brutis, ut Coruis, non solùm ratiocinationem, uerùm & futurorum præsensionem addunt,

[l] *Exercit. 237.*

Aeliani nugæ.

[m] *Lib. 2. Saturn. c. 4.*

Augustus à Coruo salutatus.

Sutor Coruum instituens.

Corui honor apud Romanos.

[n] *L. 10. c. 43.*

Corui mira salutatio.

Coruus à Sutore occisus, Sutor à plebe.

Corui funus Romæ celebratum.

Romanorũ dementia.

Corui loquacitas improbata.

[o] *Metamorph. 2.*

Anser obstreper[o] dictus.

[p] *Georgic. 1.*

[q] *Homil. 5. in Act. Apost. cap. 2.*

Bruta animalia ratione carere.

addunt, & religionem apud illa eſſe prædicant. Poteſt tamen Coruis rerum præteritarum memoria concedi, quam & Porphyrius ipſis tribuit, & ſine qua uix audita longo antè tempore retinere poſſent, & eloqui. Sed hoc ei cum multis alijs loquacibus commune eſt. Vnum hoc Corollarij uice ponam, Coruum ob egregiam, qua pollet, docilitatem Phœbo dicatum, eiúſq; ceu ſcientiarum diſciplinarumq; omnium, imò Muſarum ipſarum Præſidi, etſi ἀμέσως natura ſua appareat, ſacrum putatum, & Phœbeiam paſſim à Poëtis alitem appellatum eſſe.

Corvus cur Phœbo dicatus.

# SYMPATHEIA. ANTIPATHEIA.

QVOD Coruus, ut dictum eſt præcedenti capite, depaſto Chamæleonte uirus infeſtum lauro extinguit; quod azaro, & aro pro remedio in quibuſdam morbis, teſte[a] Ruellio, utatur; quòd ſalice Amerina, ſeu Vitice tanquam amuleto quodam contra faſcinationem nidum muniat, quòd œnutta ſe exhilaret, & coracio herba uim toxici deguſtati frangat, vt Ariſtoteles, Aelianus, & authores diuerſi tradunt, id omne, ſi iuſtiori trutina examinare uolumus, non tam ingenio, (alioquin enim ratiocinandi uim, qualis in homine eſt, tribuere ipſi neceſſe eſt,) quàm naturali cuidam, & occultæ (nempè cuius cauſſa tam nos, quàm Coruum ipſum lateat) conſenſui, quem ſympatheiam uocant, adſcribendum putabimus. An uerò ſponte ſua herbam œnuttã ceu gratam deuorent, ambigo. Certum tamen eſt eam, utcunque, ſiue ſponte, ſiue hominum dolo aſſumptam Coruos ueluti inebriare, haud aliter, quàm ſi temetum bibiſſent, atq; inde ita perturbatos capi. Habet enim œnuta uinoſum quiddam, quo Coruis cerebrum facilè percellat, ita ut neque pedes, neque alæ amplius ſuum officium faciant. Teſtatur hoc[b] Athenæus ex Ariſtotele. De coracio herba, cui Coruus, ſeu amicæ ſibi nomen dedit, ita[c] Ariſtoteles ſcriptum reliquit. *Apud Celtas, aiunt pharmacum, id eſt herbam venenoſam eſſe xenicum dictam, quo citiſſima mors inferatur, eo ſagittas inficiunt, aduerſus hoc inuentum ferunt remedium corticem quercus; alij herbam quandam diuerſam, quam κοράκιον Coraciam nominent, eò quòd Corax, id eſt, Coruus ab eis obſeruatus ſit, qui cum xenico guſtato periclitaretur, quæſito hoc folio deuoratoq; conualuerit.* Videtur autem xenicum illud, non aliud eſſe, quã uenenoſiſſima herba, Tora hodie dicta, & Coracion, quæ antithora, tanquam thoræ antidotum, nominatur. Quod uerò quidam referunt cadente fulmine Coruos ex ſua natura ignem, ſeu lumen ore ferre, id profectò in primis mihi admirãdum uidetur, & cuius rei rationem haud ita facilè aſſignari poſſit, ſi modò res uera eſt. Quid enim, dicat aliquis Coruis cum igne? Quia tamen uir grauis, & doctus Hermolaus Barbarus, alijq; Philoſophi id ex profeſſo litterarum monumentis conſignârunt, non uolui ſilentio inuoluere. Cauſam inueſtigare conatur author libri, qui Scala naturalis inſcribitur, in hæc uerba. Inter uarios effectus, qui, dum fulmina tempeſtatum tẽpore fiunt, uidentur; conſpicitur quid mirabile, Coruos per aërem hac, & illac circumuolantes roſtro ignem deferre. Cauſam autem cur hoc tempore huiuſmodi effectus conſpiciatur, aſſerunt Philoſophi quidam, quòd quo tempore fulmina gignuntur, atque deorſum emittuntur, multæ fauillæ ignis, exhalationesq; accenſæ, deſcendant, & oculi tunc temporis Coruorum obſcurentur, & quia eo tẽpore Corui per aerem igneas res, atque rubras uident, credentes eſſe carnis fragmenta occurrunt, ut commedant. Vnde oculis noſtris apparet, Coruos ignem roſtro ferre. Atque ex tali etiam deceptione papiliones ad lumen lucernæ accurrunt. Hactenus Scala naturalis. Ego ſanè apparere potiùs iſtæc aſpectui noſtro, quacunque tandem ratione, quàm reuera ita fieri exiſtimo. Rationem verò eam, & longum, & præter inſtitutum forſan eſſet hîc examinare. Si tamen ignẽ fulmineum ore gerere verum eſt, quod ipſum pertinaciùs negare, aut ea de re cum quopiam nolim contendere, fortaſsè cauſam à naturali quadam, at latente Coruorum cum igne ſympatheia petere poterimus. Vt vt res ſe habeat, ego effectum rei nondum vidi, neque ab alijs audiui, itaque quid ſentiant alij, facilè patior. Dicitur tandem, & cum vulpe amicitiam quandam, velut ab ipſis incunabulis natam colere. *Coruus*, inquit[d] Ariſtoteles, *vulpi amicus eſt, puta enim cum Aeſalone. Vnde fit vt huic, cùm ab illo percutitur, auxilietur.* nempè ea adductus amicitia, quæ illi cum vulpe intercedit. Pro vno vero, atque altero amico, quàm plures Coruus inimicos habet, utpotè cui uoracitate, atque rapacitate pauci pares ſint, huiuſmodi Ariſtoteli memorantur Miluus, Percnopterus, Aeſalo, aſinus, taurus. Aeliano accipiter Pelagius & Turtur, Alijs Falcones. Imò verò ne cum vulpe quidem, quod tamen Ariſtoteles exiſtimauit, vera ipſi amicitia intercedit, ſi Auicennæ potiùs credẽdum putamus, ſed talis tantummodo quę præſenti utilitate nitatur, qua uulgus amicitias probare ſoiet. Alioquin ſi res aliter ferat, acerrimè manus conſerunt. *Ego vidi*, ait[e] Auicenna *regem Eſcenbubo, & accepit ille rex Coruum, & vulpem*,

[a] *Lib. 1. de nat. ſtip. c. 2.*

Cũ œnuta herba Corui ſympathia.

Coruus ebrius redditur.

[b] *L. de ebrietate.*

cũ coracio herba.

[c] *In Mirabilibus.*

coracion herba quę. Tora herba.

cum fulmine.

corui ignẽ per aerem deferunt.

cum vulpe amicus.

[d] *9. hiſt. c. 1.*

corui inimici.

coruo cum vulpe ficta amicitia.

[e] *Lib. 8. c. 3.*

*pẽ, & posuit eos simul, & pugnauerũt fortiter adinuicẽ, & Vulpes momordit caput Corui, & exiuit sanguis. Coruus pedibus suis strinxit labra Vulpis, & non potuit Vulpes aperire os, & pupugit ipsum cum Pica.* Hæc Auicennæ interpres. Præterea capitales esse hostes Coruum & Miluum Cicero, Aristoteles & Plinius testantur. *Miluo est quoddam bellum*, inquit [f] Cicero, *quasi naturale cum Coruis*. Belli causam addit [g] Aristoteles, dum ait: *Coruum Miluus impugnat, eripit enim Miluus à Coruo quicquid tenet, vt qui & vnguibus sit præstantior, & volatu, ita fit, vt eos quoque victus ratio faciat inimicos*. Plinius sensum Aristotelis inuertit, dicit enim: *Coruus, & Miluus dissident, illo præripiente huic cibos*. Perinde ac si Coruus Miluo præripiat, vt Perottus etiam scripsit his verbis: *Coruus Miluo volanti præripit esca*s. Audet & Percnopterum verberare, Aquilam quidem, sed degenerem, vt [h] Arist. & Plinius tradunt; forsan non alia, quàm victus causa. *Aesalon quoque parua auis*, inquit [i] Plinius, *oua Corui frangit, cuius pulli infestantur à Vulpibus. Inuicem hæc catulos eius ipsamq; vellit, quod vbi viderint Corui contra auxiliantur, velut aduersus communem hostem*. Vnde etiam Aesalonem hostem habere infensissimum constat. Mutuo etiam vterque in alterum odio Pelagius Accipiter, & Coruus flagrant, Aeliano teste. Plinius insuper aliam Coruo inimicam auem ponere videtur, cùm ait: *Pugnant Coruus, & Chlorio noctu inuicem oua inquirentes*. Verùm Arist. eo ex quo Plinius hæc transtulit loco, nempè 9. de Histor. Anim. Corui non meminit, sed ita habet: πίπρα καὶ χλωρεὺς. Pipram autem alibi Dryocolapten, id est, Picum nominat. Cum Turture, inquit [k] Aelianus, Coruus & Circus insitas inimicitias gerunt, & vtrumq; vicissim Turtur odit. Inter quadrupedes haud contemnendos sanè, nec tantillæ aui opponendos habet, Aristotele authore, aduersarios, nempè asinum, & taurum, quorum tamen vastitate, ac robore nihil territus, sed ingenij astu fretus, alis aduersos ferit, vnguibus oculos lacerat, & sic irritas eorum vires reddit. In oculos potissimum inuolare, eosq; lacerare dicit Aristoteles, ex quo Coruum peculiari quodam erga oculos nobilissimi instrumenta sensus, odio laborare conijciemus. Vtpotè quos [l] Isidoro etiam vel in cadauere primùm lacessere, & magna contẽtione effodere dicitur. Vnde apud * Aristophanem legitur:

Corui inimicitia cũ Miluo.
[f] *Lib. 1. de nat. Deorũ.*
[g] *9. Hist. c. 1.*
Cũ Percnoptero.
[h] *9. Hist. c. 1.*
[i] *L. 10. c. 74.*
Cum Accipitre Pelagio.
Cum Chlorione.
[k] *Lib. 6. de anim. c. 46.*
Cum Turture.
Quadrupedes Coruo inimici q.
Coruũ oculos petere.
[l] *12. Ori. c. 7*
* *In Auib.*

Ὁ Κόραξ παρελθὼν τοὺπιορκοῦντος λάθρα
Γροιττάμενος ἐκκόψει τὸν ὀφθαλμὸν θύνων, id est,
*Coruus adueniens peierante clam*
*Aduolans, ejiciet oculum verberans*.

Et Catullus:

*Effossos oculos vorat atro gutture Coruus,*
*Intestina Canes, cætera membra Lupi*.

Probare hoc ipsum licet grauissimo sacrarum literarum testimonio, quę parentum irrisoribus & contemptoribus tale exilium minantur: [m] *Oculum qui subsanat patrem, & vilipendit doctrinam matris, hunc eruent Corui torrentis deuorabuntq; ipsum pulli Aquilæ*. Isidorus etiam loca ipsum mortuorum occulta peculiariter petere scribit. Chamæleontem quamuis hostili odio prosequitur, non tamen impunè impugnat. Nocet enim venenatum animal contactum etiam victo, quanto magis esum. Sed periculum propulsat lauri folio. Mirum quod [n] Aelianus & Philes referunt, erucæ semine Coruum interire. Sed hæc ipsi authores videant. Quod si verum est, oculcæ insigne peculiaris inimicitiæ exemplum est. Neque enim ratio reddi posse videtur, cur eruca homini non solùm innoxia, sed & proficua interdum, soli inter animanteis Coruo lethalis existimetur.

[m] *Prou. 30.*
Cum Chamæleonte.
[n] *L. de anim. 6. cap. 46.*
cum erucæ semine.

# AFFECTVS CORPORIS.

CORVVS, inquit [a] Plinius, *ab æstate in autumnum morbo conflictari dicitur*, alui scilicet profluuio. Vnde tunc tanquam dicæticæ medicinæ partis gnarus à potu omni sibi temperat, vt perhibent, ne malum ingraueſcat *. Philes verò sitim illam morbosam esse credidit, tantum abest, vt profluuij eam medelam vocauerit, verba eius sunt:

[a] *L. 29. c. 3.*
* *De anim. propriet.*

Διψῶν δὲ τὸν κόρακα φασὶν ἐκτόπως
Θέρος ἐν ἀκμῇ δυσυχῶς πεφρυγμένον
Ὡς καὶ τραγῳδεῖν ἐξ ἀνάγκης τὸν πόνον, id est,
*Sitire autem Coruum aiunt præter modum*
*Aestate adulta miserè torrefactum*.
*Vt & tragice canat* (vel flebiliter canat) *necessitate* (adactus) *ærumnam illam*.

Coruum non mutari [b] Aristoteles indicat, vbi quærit: *Cur animalia quædam mutantur, alia non? vt Coruus qui semper incommutabilis persistit. An quorum natura vincere perdomareq; humorem non potest, vt*

[b] *Sect. 10. Prob. 8.*

Corui mutatio. *test, vt auium quæ vesicam quoque nullam ob eam rem obtinent, hæc nusquam mutari possunt?* Ita Aristoteles. Albertus autem Coruum, & Picam pennas suas paulatim mutare, contrà atque Accipitres, qui eodem pariter tempore deplumescunt, asserit.

# AETAS.

Coruina viuacitas. [a] *L.7.c.48.*

CORVINAM viuacitatem omnes passim celebrant ex Hesiodo, antiquissimo authore. Fabulosam tamen cum Plinio, & Scaligero meritò suspicor, maximè, si, vt vulgus ait, tot annorum sæcula viuere dicitur. *Hesiodus*, inquit [a] Plinius, *qui primus aliqua de hoc prodidit fabulosè vereor, multa de hominum æuo referens, Cornici nouem hominis attribuit ætates, quadruplam eius Ceruis, id triplicatum Coruis, ac reliqua fabulosiùs in Phœnice, ac Nymphis.* Coruos verò, vt canit Hesiodus, nouies excedit Phœnix, Phœnicem decies Nymphæ. Quam Hesiodi sententiam his versibus reddidit, & expressit [b] Ausonius.

Phœnicis ætas. [b] *In Acdyllio.*

*Ter binos deciesq; nouem superexit in annos*
*Iusta senescentum quos complet vita virorum.*
*Hos nouies superat viuendo garrula Cornix*
*Et quater ægreditur Cornicis sæcula Ceruus,*
*Alipedem Ceruum ter vincit Coruus, & illum*
*Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales.*

γενεὰ apud Hesiodum quid. [c] *In lib. de Oracu. defectu.*

Videmus hic Ausonium γενεὰν Hesiodi interpretatum esse sæculum, vt Plinium ætatem. Sed quid per γενεὰν Plinius intellexerit, annũne tantùm, vt Cleombroto Lacedemonio placet apud [c] Plutarchum, an vt Heraclitus vult, annos triginta, an octo & centum, vt alij quidam; an nonaginta sex, vt vetus Hesiodi carminum interpres, ambigitur; vt Plutarchus pluribus differit. Sed magis inclinat animus, γενεὰν pro uno anno accipi, quod intra id spatium generentur & perficiantur non omnia tantùm, quæ terra profert, sed etiam homo in vtero, & vt annus vnus dicatur γενεὰ, id est, ætas, qua tota deinceps hominis uita & ætas mensuratur, ita ut unitas etiã numerus appellatur, qui numerus propriè non est, sed aliorum numerorum principium, & mensura prima. Quod si ætatem pro anno vno accipias, Cornicis vitam nouem annorum faciemus: Cerui triginta sex; Corui centũ & octo; Phœnicis nongentorum & septuaginta duorum; nympharum denique nouies mille septingentorum, & viginti. Iam verò si quis pro γενεὰ centum annos, vt plerique faciunt, esse contendat, quiuis sanæ mentis videbit, quàm in immensum huiusmodi supputatio progrediatur, & quàm nugax ac friuola ea opinio futura sit. Posset autem denuò contra probatam à nobis vocis γενεὰ interpretationem obijcere, Cornici ab Hesiodo, vt author est Plinius, nouem hominum ætates tribui, & ita Coruo, & reliquis plures similiter. Huic ea ratione, qua paulò antè dictum est, respondemus annum vnum hoc sensu, hominis ætatem dici posse, quòd intra huius terminum tota hominis generatio perficiatur, quodq; sit totius humanæ vitæ mensura. Sed quocunque modo ætatem seu γενεὰν interpretari placebit Coruum certè longæuum esse constabit. Vnde Vlysses à Lycophrone Corax dictus est, id est, Coruus διὰ τὸν πολυχρονιον, quoniam ætate iam fessus interierat ab Telegono interemptus, quem ex Circe susceperat. Cuius rei Oppianus commeminit, vt ex Tzetze Lycophronis Scoliaste tradit Cælius. Viuidum igitur uocat Palladius Soranus hoc uersu:

Vlysses cur Corax dictus.

Coruus viuidus dict⁹

*Viuidus à dextra Coruus habebat iter.*

Theophrastus naturã cui pat. [d] *In Aristot. 9. Hist. c. 20*

Hinc est quòd Theophrastus moriens naturam accusasse dicitur, referente Laërtio, quæ Ceruis, & Coruis longæuam uitam dedisset, hominibus non item, qui uita longa maximè digni essent. [d] Albertus Magnus exemplo quodam rei gestæ de hac uiuacitate ita tradit: *Retulit mihi quidam fide dignus, quòd Corui à temporibus, quorum non est memoria, hoc est plusquam per centum annos, in turri quadam manserunt apud Ciuitatem Galliæ, quæ Coruatũ appellatur, & quotannis pullos nutriuisse, & quanquã subtraherentur illi, locum eam ob causam non mutasse. Vnde eosdẽ semper fuisse appareat.* Sic certè, si Alberto in his fides adhibenda est, cõueniet cum prælata à nobis in Hesiodum expositione, ueritas huius historiæ. Illi.n. anni centum & octo, si supputaueris ad vitã Corui dantur.

Coruatũ ciuitas.

# CAPIENDI RATIO.

[a] *L.10.c.27*

CRESCENTIENSIS ciuis & Senator Bononiensis rusticarum rerum in primis egregiè peritus, sed quas infelici illo ac barbaro sæculo natus, haud ita eleganti stylo consignare potuit, inter cætera agriculturæ utilissima dogmata (res enim hîc, non uerba aucupari est animus) Coruos capiendi artem his uerbis exponit: Multæ magnæ aues

capiuntur

capiuntur magnis uirgulis inuiscatis, præcipuè Corui, & Cornices cum auxilio Gimmi (ego scriberem Giuui, id est Asionis, quem Giù, aut potiùs Chiù hac tempestate Bononienses uocant) hoc modo. In ijs locis, quæ frequentare solent aues, truncatur ramis aliqua arbor, quæ ab alijs arboribus multum distet, sed aliqui rami frondibus nudati relinquuntur in ea, uel pertice aliquæ super eam ponuntur; his leuiter infiguntur uirgulæ uisco illitæ. Gimmus, uel Giuuus in terra ponitur, in loco parum eminente, vt facilius ab auibus volantibus uideatur, quem cùm aues viderint, circũuolitant, & uolando fessæ in arborem viscо illitam se recipiunt, unde in terram decidunt. Eas auceps pertica persequatur, & occidat. Nam si manibus persequeretur, aut caperet, læderetur ab eis. Hactenus Crescentienses: Eosdem & retibus capiendos [b] idem docet, sed ne longiores simus, eò curiosum aucupem remittimus. Narrat Brasauolus Coruos deuorata carne nucis vomicæ puluere conspersa post breuem uolatum in terram decidere. Herba etiam œnuta comesa inebriatos capi Aristoteles, & ex eo [c] Athenæus refert. Sic præclarum scilicet uoracitatis, aut ebrietatis suæ, & dignum quidem præmium ferunt, vt prius sensu, ac motu capti, mox toto corpore capiantur, non sine eleganti ebriosorum exemplo, quorum mentes cùm uinum cepit, ipsis à proprijs sæpenumerò uerbis irretiuntur, & capiuntur. Sic enim:

*Arcanum demens detegit ebrietas.*

In Anglia uerò Coruum capere, aut quacunque ratione lędere lege uetitum est, cuius causam antea assignauimus. Quidam ne à Coruis, Cornicibus alijsq; id genus auibus, pomum punicum lacerarentur, nam & pomis, nucibus alijsq; fructibus eos uesci suo loco diximus, sparteis restibus, ut docet [d] Io. Baptista Porta arborem circumcirca obsepiunt.

Gimmi. Giuui. Giù. Chiù.

[b] *L. 10. c. 20*
[c] *Lde ebrietate.*

Corui in Anglia non occidũtur, & cur.

Ne Corui mala punica rapiant.

[d] *In Pomario.*

# DENOMINATA.

PARS Tauri montis iuxta quosdam Coraxis appellatur [a] Plinio Coraxicus, alijs Coracesium. Est etiam Coracesium locus in Cilicia, cuius incolarum improbitas notatur ab Eustathio. Strabo primum Ciliciæ castellum esse in prærupta petra positum tradit. Coraxis apud alios memoratur mons, qui à Septentrione Colchidem claudit, Ptolomæo Corax dictus, & in Sarmatia Europæa quoq; collocatus, è quo & fluuius Corax dictus oriatur. Stephano mons eodem nomine est inter Callipolim, & Naupactum, cuius meminerit [b] Polybius, à quo gentile Coracius. Coracij regio [c] Straboni appellatur in mediterraneis Arabiæ, ubi maxima Indicarum arundinum copia nascitur. Κόραπος πάγος mons Europæ in Nicandri Theriacis. Coraconnesus, insula quædam Stephano, cuius meminisse ait [d] Alexandrum. Locus item, ubi Ladon Arcadiæ fluuius prorumpit in Alpheam, Coruorum insula appellatur Pausaniæ, Παρ Κορακοσπέτρη apud [e] Homerum, ut Scholiastes innominatus docet, locus est in Ithaca, sic dictus, quòd ibi Corax inter uenandum à petra delapsus, obierit; propter quem casum mater eius Arethusa seipsam strangulârit, & fonti in Ithaca nomen dederit, ut filius saxo. Sed huius nominis fontes etiam alibi sunt in Smyrna, in Chalcide, & Argis. Coracinus color memoratur [f] Vitruuio his uerbis: *Ex potu fluminum quorundam pecora, quamuis sint alba, procreant alijs locis leucophæa, alijs pulla; alijs coracino colore.* Hunc locum enarrans Guil. Philander, [g] Strabo, inquit de Laodicensium pecoribus loquens τλῶ κορακῆν χρόαν uocat, cuiusmodi scilicet in Coruis conspicitur, id est, nigerrimum. (Hermolaus uertit coracino colore) Eum locum Georgius Tifernas non rectè interpretatus est. Talis color si quid intelligo, ferici uillosi est, quod uulgò uelutum dicitur. Coraxorum Lanicium omnium pulcherrimum ex Turditania Hispaniæ uenit, ut tradit [h] Strabo. [i] Plutarchus Coryban lapidem quendam colore Κοραξόν, id est, saturata nigredine splendẽtem in Inacho fluuio nasci scribit. Idem in Strymone fluuio. Λίθοι κορακοὶ (inquit) τλῶ χρόαν, ubi similiter fortè κοραξοὶ legendum, ut & apud Strabonem loco iam citato à Philandro. Considerandum nunquid rectiùs τὴν κορακῆν χροὰν legeretur quàm κοραξιν per iota in ultima. Κοράκινον emplastrum describitur à Galeno, Paulo, & Nicolao Mirepso, à colore atro, ut apparet. Recipit enim gallas, & chalcitidem. Κορακῖνος penanflexum nomen piscis est, cuius fit mentio apud Palladium in remedijs aduersus arborum formicas. Non enim Coracina pix illic, ut uulgati codices habent, sed Coracinus piscis legendum, ut constat ex Geoponicis Græcis. Idem Coruus marinus, seu Niloticus dicitur à colore haud dubio, nigro. Romæ item quoddam macellum à Coruis nomẽ obtinuit. Coronopus, inquit Hesychius, id est Cornicis pes herba est, quam & κορακόποδα uocant. [k] Auicenna uocat Regiel Algerab, ideſt, pedẽ Coruinum, ut interpres reddit. Est autem Gerab Arabicæ nomen commune ad Coruum, &

Coraxis.
[a] *Lib. 5. c. 27*
Coraxicus.
Coracesiũ.
Coraxis.
Corax mõs & fluuius.
[b] *Lib. 10.*
Coracius.
[c] *Libro 16. Geogr.*
Arũdinum Indicarum copia vbi.
Κόραπος πάγος
Coraconnesus.
[d] *3. Lybicor.*
*In Arcadicis.*
[e] *Odyss. N. in fine.*
Coracis Ithaci mons.
Coracinus color.
[f] *Lib. 8. c. 3.*
[g] *Libro 12. Geogr.*
Velutum vulgò.
[h] *Libro 3. Geogr.*
[i] *Lib. de fluuijs.*
Coryba lapis.
Κοράκινον emplastrũ.
Κορακῖνος piscis.
Coronopus
[k] *L. 2. c. 566*
Regiel Algerab.
Gerab.

Cornicem.

Cornicem. Est & ranunculi species eiusdem nominis, quæ spumea dicitur, quibusdam falsò fardonia herba. Coracion nomen est folij, siue herbæ [l] Aristoteli, de qua suprà fusiùs dictum est. Coronopodem Fuchsius Germanicè Kraenfuss, id est, Cornicis pedem interpretatur. Hippoglosson in monte Atho frequentem herbam, vt tradit Bellonius, vulgò nominant Coracobatano, hoc est, Corui herbam. Rostrum Coruinum, inquit Syluaticus, herba est, quam multi consolidæ speciem faciunt, sed falsò. Est enim herba modicè pilosa, odore boraginis, vi conglutinandi pollens. Hæc Syluatici herba fortè pulmonaria Plinij fuerit, quæ consolidæ species dici potest, & boraginem redolet, folijs hirsutis. Rostrum Coruinum dici potest, propter folia, præsertim minora, vt conijcio. Chirurgis quoque quoddam instrumẽtum rostrum Coruinum vocatur, quo globulos ex vulneribus sclopeto iniectos eximunt. Corui oculum alij vocant nucem vomicam. Κορώνος ficus arboris species [m] Aristophani, vbi Scholiastes docet Coracion etiam dici, quòd fructus eius colore Coruum referat. Κορακοῦ σύκου meminit Hermippus hoc versu:

Φιβαλέων μαλις' ἂν ἢ τῶν κορακίων.

Citatur versus ab Athenæo. Inter plurima ceraforum genera quędam Plinio Actia, & Cecilliana dicuntur. Hęc doctissimus Iacobus Dalechampius Gallis vulgò Corbine, id est, Coruina appellari scribit, quod coruorum modo nigricent. Quæ, inquit, cùm sint duriuscula, & dulcia gustui non sunt iniucunda, sed quia manus labrasq; atro colore inficiunt, mensis rerò apponuntur. Rhęti Alpini gentianam omnium minimam, sed flore maximo calathiformi in altissimis montibus nascentem sua lingua rischcorff, id est, radicem Corui appellant. Hanc alij Gentianellam vocant. Phalacrocorax, Pyrrhocorax, & Nycticorax omnes à Coruo denominatæ aues suis quæq; locis describentur. Coracias Aristoteli Gracculus est, vt Theodorus vertit è Monedularum genere ab atro corui colore dictus, de quo Hesychius: Κορακίας ὁ μέλας καὶ κολοιός. & Suidas Κορακίας μέλας. Ornithologus vtrumque locum corruptum arbitratur, & legit Κορακίας ὁ μέλας κολοιός, vt sit sensus, Coracius est Gracculus niger. Koraconios genus auis Hesychio, & Varino. Κορακῖνος genus piscis ijsdem, fortè idem cũ Coracino, cui ẽt & quẽadmodum Coraci ab eo diuersi pisci à Coruo, vel nigro colore nomen. Ego coruũ Niloticum aterrimũ seruo in musæo lineis aureis squammas intersecantibus, à nemine depictũ. Et si Coracinum quidam dictũ existimẽt ab assiduo pupillarum motu, διὰ τὸ διηνεκὸς τας κόρας κινεῖν. Theodorus modò Coruulum, modò Gracculum vertit. Speusippus Κόρακον inter malacostraca numerat apud [n] Athenęum. Os Acromij, id est, scapulę processum ad summum humerum Galenus Κορακοειδῆ nominat. Arabes pi haoreb, vel pi algorab, id est, Rostrum Coruinũ, non autem porcinum, vt quidam perperam verterunt. Κόρακες ἐν, ἢ κοράξαι est improbè, & pertinaciter quidpiam flagitare, ducta translatione à Coruis, fores circumuolitantibus, nec discedentibus. Importunitatem etiam testatur, quod [o] Aelianus de coruis, qui Nilum accolunt, scribit, si à nautis prętern auigantibus, nihil eorum quæ importunè flagitarunt, impetrauerint, insequentes nauium funes arrodere, ac vincula rostro conscindere. Coruinus nomen proprium viri apud [p] Horatium:

*Quocunque Lectum nomine Massicum*
*Seruas, moueri digna bono die,*
*Descende, Coruino iubente*
*Promere languidiora vina.*

Cranitæ montes sunt à Coruorum frequentia sic dicti apud Samnites, vt scribit Zonaras, referente Abrahamo Ortelio.

Coracion. [l] *In Mirabilibus.* Hippoglosson. Coracobatano. Rostrum coruinum. Pulmonaria Plinij. Rostrum coruinũ in strumẽtum chyrurgicum. Nux vomica corui oculus dicta. [m] *In Pace.* Κορώνος ficus. Gentiana minima. Rischcorff. Coracias Gracculus. κορακόνυσος auis. Κορακῖνος piscis. [n] *Lib. 3. Deipnos.* Os Acromij. κορακοειδῆ Haoreb. corui importuniras. [o] *Lib. 2. de anim. c. 48.* coruinus viri nomẽ. [p] *3. Carm. 21.* cranitę mõtes.

# COGNOMINATA.

L. Valerius coruin° cur ita dictus. [a] *In Laudibus Inachi Mendocij.*

CORVO cognomen debet L. Valerius ille Romanorum Historicorum monumentis tantoperè decantatus, qui quòd in monomachia aduersus Gallum prouocatorem corui auxilio vsus esset, eiusq; beneficio victor extitisset, ab euẽtu Coruini cognomen adeptus est, qua de re ita [a] Baptista Mantuanus.

*Cedite Coruini, quibus hæc cognomina Coruus*
*Tradidit, hæc vestras superant præconia laudes.*

[b] *Lib. 1.* Et [b] Manilius:

*Et cum militia volucris Coruinus adeptus*
*Et spolia, & nomen qui gestat in alite Phœbum.*

Massala Coruinus orator.

Ex hac familia Massala Coruinus orator nobilis ortum habuit, qui cũ prouectior ætate esset, gerer

ante biennium quàm moreretur, adeò memoriæ sensum amisit, vt vix paucula verba coniungeret, & nominis quoque sui immemor esset, de quo consule [c] Crinitum. Ex eiusdem Valerij familia, & genus, & cognomen traxisse se Matthias Hungariæ Rex Coruinus dictus gloriabatur, vti [d] Cælius Calcagninus, alijq; testantur. aliud tamen in hanc vsque ætatem etiam ipsis Hungaris testibus de ipso percrebuit. [e] Aristophanes Opũtium Coruum dictum fuisse scribit, qui oculo vno carebat, ea fortè ratione, quòd Coruus, vt diximus, oculos primò impetat.

[c] *Li. 1. c. 12.* Matthias Hungariæ Rex, Coruini dict⁹.

[d] *In orat. funeb. Beat. Pannon Reginæ.*

[e] *In Auibus.* Coruus oscen est.

# AVSPICIA. AVGVRIA.

INTER oscines aues Coruus Festo, & Porphyrio numeratur. *Auium*, inquit hic, *voces vsque adeò variæ sunt pro diuersis eorum affectibus, vt varietatis differentias omnes obseruare difficillimum foret. Itaque Cornicis, & Corui vocum differentias aliquot augures obseruárunt. reliquas tanquam supra hominis captum reliquerunt.* Si ab ortu clara voce occinuissent, præsentem felicitatem, vt è contrario ab occasu, exitium superstitiosæ gentilitati apportare putabãtur, ut Acron scribit in illud [a] Horatij:

[a] *L. 3. carm. 27.* Corui augurij quando felix, & quãdo nõ.

*Oscinem Coruum prece suscitabo*
*Solis ab ortu,*

vt. s. cantu suo iter instítutum amici dirimat. Plaga. n. mundi Orientalis Romanis læua erat. A dextra item Coruus spem non dubiam, & lętum auspicium sæpius fecit. Contra verò a sinistra irritum faciebat, vt [b] Cicero non semel scribit, & [c] Plautus etiã docet; *Picus*, inquit hic, *& Cornix est ab læua. Coruus & Parra ab dextra suadẽt.* Quos versus Petrarcha ita traduxit ad suum sensum:

[b] *Lib. 1. de Diuinat.*

[c] *In Aulularia.*

*Qual destro Coruo, ò qual mancha Cornice*
*Canti il mio Fato, ò qual Parca l'inaspi.*

Item Plautus alibi:

*Ni subuenisset Coruus perissem miser.*
*Non temerè est, quod cantat Coruus mihi nunc ab læua manu,*
*Simul radebat pedibus terram, & voce crocitabat sua.*

Pessimam verò Coruorum significationem Plinius notauit, *cùm glutiunt vocem, veluti strangulati.* Augures item Coruorum agmen, si in unum locum congregarentur, in futurum excidiũ retulerunt; ut & aliarũ auium, quæ cadaueribus inhiant, ut Vulturum, Aquilarum, Miluorum, Cornicum. Nec enim uoce tantùm, sed & gestu, & uolatu auspicia dare credebantur, & ea quidem ut plurimùm infelicia. Vnde & inauspicati habiti. Plurima sanè aduersitatis ab eo exempla apud ueteres reperio: prosperæ fortunæ uix ulla, aut perquam pauciſſima. Infaustum augurium est, quod Niphus refert. *Apud Indos regionem quandam esse, quæ dicatur nunc Pharcelos, vbi Coruorum magnus perijt numerus, ad quam cùm postea rediisset longè maior multitudo, desolationem regionis, & incolarum interitum inde significatum.* Ponit aliud simile exemplum [d] Albertus in hæc uerba: *Retulerunt quidem nobis multi fide digni aliquando multos Coruos apparuisse in castro superioris Sueuiæ, quod Ruffum castrum vocatur* (credo esse Roteburgum Germanis, nunc Illustrissimorum Marchionum Badensium dominatui parens) *ita vt numerus Coruorum muros & tecta compleret, ac domus omnes operire videretur: & subitò mortuum fuisse Comitem, qui Princeps castri erat, Coruosq; recessisse. Vnde vulgò dicebatur Coruos animam eius abduxisse.* Et sanè etiamnum plebeculę imperitæ uana, & superstitiosa mentibus inhæret opinio, quæ Coruos suo crocitatu, earum ædium domini, quibus frequentes insederint, exitium præ foribus esse denuntiare autumat. Multi Cacodęmonem plerunque harum auium effigie apparere credunt. Sed ut illud ex ueteris paganismi erroribus manasse, ita hoc non omninò à ueritate alienum esse paulò pòst ostendemus. fieri uerò potest, ut eo, quo strages edenda est, aut potiùs edita est loco, frequentes conueniant, odore cadauerum allecti. Sunt enim instar Vulturum olfactu apprimè sagaci. Cũ uerò ita confestim ante stragẽ uix editam, & inopinatò appareant, uolatusq; sui pernicitate immẽsa aëris spatia tam breui temporis interuallo emetiantur; fit ut cędem factam præuidisse credãtur. Atq; ita fortè acciderit apud Pharsalem, ubi [e] Aristoteles, & [f] Plinius tradunt ξένας, i. milites Medię (ut rectè mihi interpretari uidetur [g] Petrus Victorius, si. n. tantùm hospites, ut cõis lectio habet, interfecti fuissent, non potuisset tantus odor ex ipsorum corpore excitari, ut Corui remoti etiam non magno spatio terrarum eò se conferrent, prętерquam cp sepulti fuissent: Quis enim pateretur hospitum suorum corpora inhumata manere?) *perijsse, & eo tempore, quo illi occisi sunt, Coruos locis Athenarum Peloponnesiq; defuisse, sed cò omnes auolasse:* Non autem credẽdum existimo *eos in auspicijs intellectum aliquem habuisse* (ut Plinij uerbis utar) *significationũ suarũ*, aut sibi mutuò futura prędixisse, ut Arist. & Plin. stolidi, ac superstitiosi Ethnici credebant. Cũ itẽ aurũ corrosissent, dirũ & portẽti instar habitũ fuit. Sic. n. [h] Liuius ait: *Aurum in Capitolio Corui non laceraſſe tantùm roſtris creditur, ſed etiam ediſſe.* Ita Clitodemũ in Attica historia scribentẽ citat [i] Pausanias, cũ Athenienses classem iam Siciliã uersus instituissent, infinita Coruorũ multitudo

Exeidij indicium.

coruus auis inauspicata

Pharcelos regio.

[d] *In 9. Hist. Arist. ca. 36.* Roteburgũ

Badẽsiũ comitis mors.

Cacadęmõ in Coruum mutari creditus.

Corui cur appareant vbi strages sunt.

[e] *9. hist. c. 31.*

[f] *L. 10. c. 12*

[g] *L. 37. Var. Lect. cap. 2.* Mediæ militum mors.

Corui aurũ rodentes.

[h] *Lib. 10. decis. 3.*

[i] *In Phocicis*

Corui Delphos prouolant. Haſtã frangunt.

prouolauit Delphos,& mutilauit quaſdam ſimulachri Mineruæ aurati partes,aurumq; roſtris ab eodem detraxit. Addit idem haſtam fregiſſe Coruos, & Noctuas, & quicquid ad imitationem fructuum autumnalium erat, ad palmam æneam ab Athenienſibus Palladi dedicatam, cuius ſimulachrum ei ſuperpoſitum erat, quod Attici pro re bene, ac feliciter geſta conſtituerant.Id ipſum quoq; [k] Plutarchus teſtatur,addẽs Coruos fructus palmæ,qui ex auro fabricati erant partim deuoraſſe,partim vi conuulſos deieciſſe,atq; hoc pacto cladem,quam Athenienſes à Siculis erãt accepturi,præſagiſſe.Fabuloſum videtur,quod Artemidorus,teſte [l] Strabone narrat, *portum quendam in Oceani Britannici littoribus eſſe, quem duorum Coruorum vulgò cognominent. In eo quidem duos apparere Goruos dextris albicantibus alis. Qui igitur vlla de re controuerſantur illuc accedere,in ſublimi loco poſita tabella,vtrinq; ſeorſim in ipſa lagana collocare, pſas debinc aduolantes alites partim commanducare, partim diſſipare. Cuius autem Lagana diſſipentur, illium victorem euadere.*

[k] *In Nicia.*

Corui fructus palmę aureos deuorant.

[l] *L.4.Geogr.*

Alexander Magnus,vt refert in eius vita Plutarchus,Babylonem ingreſſurus contemptis Chaldæorum monitis propinquus iam vrbi,complures altercantes ſeq; mutuo ferientes Coruos cõſpexit; ex quibus nonnulli penes ipſum delapſi ſunt, ipſe verò paulò poſt in eadem vrbe vita defunctus eſt.Simile prodigium narrat de Mario,qui,cùm Romæ pernitioſiſſimam ſeditionẽ moliretur(qua plurimo ſanguine inter ipſum,& Syllam pugnatum eſt) inter cętera diuinitùs, vt opinabantur,tres Corui pullos in viam productos,deuorârunt,eorumq; reliquias intra nidũ retulerunt.Marco quoq; Ciceroni,vt author eſt [m] Valerius Maximus,mors imminens auſpicio Corui prædicta eſt.*Cùm enim in villa Caietana eſſet,Coruus in conſpectu eius horologij ferrum loco motum excutiens, protinus ad ipſum tetendit,ac lacinitam togæ eousq; morſu tenuit,donec ſeruus ad occidendũ cum milites veniſſe nuntiaret.* Sed hæc aliter Plutarchus narrat: *Hîc Apollinis erat ſacellum mari imminens,ex quo cùm Cicero adremigaret littori,Corui elati pennis magno clangore nauiculam impetunt, deinde ſuper vtriſq; cornibus antennarum inſidentes partim clamore ſtrepere, partim capita funium exagitare. Tum omnibus id infauſtum oſtentum viſum eſt; verùm deſcendit è puppi Cicero, & in diuerſorio veluti quietem captaturus accubuit,Hinc Corui ſuper poſtes ſedentes magis tumultuoſo clangore perſtrepunt.Horum vnus deſcendens in cubiculum Ciceronis, pallium,quo cubans erat opertus,roſtro ab eius fronte deduxit.*

Mors Ciceronis.

[m] *L.1. ca.4.*

[n] *Lib. 4. de bell.ciuil.*

[n] Appianus quoque eadem ferè referens,dicit: *Tacitè accedentibus his,qui Ciceronem inquirebant,Corni aduolantes obſtrepere caperunt, eundem è ſomno excitantes, veſtem quoq; roſtris eousq; attraxêre è quieſcentis corpore,quoad ſerui ad ſignum à Deo miſſum arbitrati lectica impoſitum,iterum ad mare per profundam ſyluam occulto calle detulêre.* L. Sylla Q. Pompeio Coſſ. Stratopedo,vbi Senatus haberi ſolet, Corui Vulturem tundendo roſtris occiderunt,vt refert Iulius Obſequens. A Plutarcho Sibillinum iſtoc oraculum de futura Græcorum maxima clade adducitur:

Corui Vulturem occidunt.

*Corue operire niger, dum Thermodontis ad vndas*
*Funeſta armata miſcebunt prælia gentes,*
*Tunc multa humanæ carnis ſatiabere præda.*

Aquila Coruos duos affligens.

Contractis ad Bononiam triumuirorum copijs, Aquila tentorio Auguſti ſuperſedens duos Coruos hinc inde infeſtantes afflixit,& ad terram dedit notante omni exercitu futuram quãdoque futuram inter collegas diſcordiam talem, qualis ſecuta eſt, ac exitium præſagiente: [o] Author eſt Suetonius.Rarò proſperi euentus ſignum dedêre,aliquando tamẽ,ſi antiquorum ſuperſtitionibus fidem adhibẽdam putamus.Tradit [p] Plutarchus Alexandrum Magnum,quũ Hammonis oraculum per deſerta loca, & arenoſa adiret,iamq; ductores errare cępiſſent, diſperſis exignorantia Comitibus,Coruos duos itineris habuiſſe præmonſtratores,qui & euntes ducerent,& tardiùs ſubſequentes præſtolarentur.Quod verò lõgè mirabilius eſt,tradit Callifthenes,noctù palantes cantu,ac vocibus ad ſequenda hominũ veſtigia reuocaſſe. Pari pacto cùm Metellus Pontif.Max.vt narrat Valerius,Tuſculanũ peteret, Corui duo in os eius aduerſum,veluti iter impedientes aduolârunt,vixq; extuderunt,vt domũ rediret. Inſequente nocte, ædes Veſtæ arſit, quo incendio Metellus inter ipſos ignes raptum Palladium incolume ſeruauit. Sed illud longè alio modo narrat [q] Plutarchus, Metellum nempè ſuburbanum ſuum petentem vidiſſe cædentes ſe inuicem Coruos,augurijque religione deterritum,Romam redijſſe, vbi cùm Veſtæ templum incenſum ſuſpicatus eſſet,Palladiumq; eripuiſſet, oculis captum fuiſſe,& poſtmodum viſum recuperaſſe. Feliciter etiam Corui auſpicio vſum fuiſſe L.Papyrium Curſorem hunc in modum [r] Liuius refert: Tertia vigilia noctis iam relatis literis à Collega Papyrius ſilentio ſurgit,& pullarium in auſpicium mittit. Nullum erat genus hominum in caſtris intactum cupiditate pugnæ, ſummi infimiquè æquè intenti erant, Dux militum; miles Ducis ardorem ſpectabat. Is ardor etiam omnium apud eos, qui auſpicio intererant, peruenit. nam cùm pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſoliſtimum Cos.nuntiauit.Cos.lętus auſpicium egregium eſſe, & Deis authoribus rem geſturos pronunciat,ſignumq; pugnæ proponit.Exeunti iam in aciem nũciat perfuga, viginti cohortes

Aquilæ Corui duo ſuperſedentes.

Collegarũ diſſidij præſagium.

[o] *In Auguſto.*

[p] *In Alex. Magno.*

Corui Alexan.Magni exercit[i] comites.

Metell[i] ab incẽdio ſeruatus.

Ædis Veſtę incendiũ.

[q] *In Tiberio, & Parallelis.*

[r] *Lib.10.*

Papyri[i] pugnę auidus

Auſpicium pullari[i] mẽtitus.

Samnitum

Samnitum (quadrigenariæ fermè erant) Cominium profectas; quod ne ignoraret collega, extemplò nuntium mittit. Ipse signa ocyus proferri iubet, subsidiaq; suis quæque locis, & præfectos subsidijs attribuerat. Dextro cornu L. Volumnium: sinistro L. Scipionem; equitibus legatos alios, C. Ceditium, & Trebonium præfecit. Sp. Nautium mulos detractis clitellis cum cohortibus alaribus in tumulum conspectum properè circumducere iubet, atq; inde inter ipsam dimicationem quanto maximè posset moto puluere ostendere. Dum his intentus Imperator esset, altercatio inter pullarios orta eius diei, exauditamq; ab Equitibus Romanis, qui rem haud spernendã rati Sp. Papyrio fratris filio Consulis ambigi de auspicio renuntiauerũt. Iuuenis ante do&trinam Deos spernentem natus, rem inquisitam, ne quid incompertum deferret ad Consulem, detulit, cui ille. Tu quidem macte virtute diligentiaq; esto; cæterùm qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, in semetipsum religionem recipit, mihi quidem tripudium solistimum nuntiatum populo Romano exercituiq; egregium auspicium est. Centurionibus deinde imperauit, vt pullarios inter prima signa constituerent. Promouẽt & Samnites signa, insequitur acies ornata armataq; vt hostibus quoque magnificum spectaculum esset. Priusquam clamor tolleretur, concurrereturq;, emisso temerè pilo pullarius ante signa cecidit, quod vbi Cos. nuntiatum est, Dij in prælio sunt, inquit, habet pœnam noxium caput. Ante Cos. hæc dicentẽ Coruus voce clara occinuit, quo lætus augurio Cos. affirmans nunquam humanis rebus magis præsentes interfuisse Deos, signa canere, & clamorem extollere iussit. Prælium commissum atrox, cæterùm longè disparibus animis. Romanos ira, spes, ardor certaminis, auidos hostium sanguinis in prælium rapit. Samnitium magnam partem necessitas ac religio inuitos magis resistere quàm inferre pugnam cogit, nec sustinuissent primum clamorem atq; impetum Romanorũ per aliquot iam annos vinci assueti, ni potẽtior alius metus infidẽs pectoribus à fuga retineret. Quippè in oculis erat omnis occulti paratus sacri, & armati sacerdotes, ac promiscua hominũ pecudumq; clades, & respersæ fando nefandoq; sanguine aræ, & dira execratio, ac furiale carmen detestandæ familiæ stirpiq; compositum. His vinculis fugæ obstricti stabãt, ciuem magis, quàm hostẽ timentes. Instare Romanus à cornu utroq; & media acie, ac cædere, Deorumq; hominumq; attonitos metu. Repugnatur segniter, vt ab ijs, quos timor moraretur à fuga. Iam propè ad signa cædes peruenerunt; cùm ex trãsuerso puluis, velut ingentis agminis accessu motus apparuit. Sp. Nautius (Octauium Metium quidam eum tradunt) Dux alaribus cohortibus erat, puluerem maiorem, quàm pro numero excitabant, insidẽtes mulis calones, frondosos ramos per terram trahebant, armaq; signaq; per turbidam lucem in primo apparebant, pòst altior densiorq; puluis equitum speciem cogẽtium agmen dabat, fefellitq; non Samnites modo, sed etiam Romanos, & Consul affirmauit errorem, clamitans inter prima signa ita ut uox eius ad hostes accederet, captum Cominium victorem collegam adesse, anniteretur uincere prius quàm gloria alterius exercitus fieret. Hæc insidens equo. Inde tribunis Centurionibusq; imperat, vt vias equitibus patefaciãt. Ipse Trebonio Ceditioq; prædixerat, vt vbi se cuspidem erectã quatientem vidissent, quanta maxima ui possent, cõcitarent equites in hostem. Ad nutum omnia, vt ex ante præparato fiunt; panduntur inter ordines uiæ, prouolat eques, atq; infestis cuspidibus in medium ruit, perrumpitq; ordines, quacunq; impetum dedit, instant Volumnius, & Scipio, & perculsos sternunt. Tum iam Deorũ hominumq; uicta ui, funduntur linteatę cohortes, pariter iurati, iniuratiq; fugiunt, nec quemquam præter hostes metuũt. Peditum turba, quæ superfuit pugnæ in castra ad Aquiloniam compulsa est, nobilitas equitesq; Bauianum perfugerũt, equites eques insequitur, peditem pedes ac diuersa cornua dextrum ad castrum Samnitiũ, læuum ad urbem tendit. Prior aliquando Volumnius castra cæpit, Ad vrbem Scipioni maiori resistitur ui, non quia plus animi uictis est, sed meliùs muri quàm vallum armatos arcent. Inde lapidibus propulsant hostem. Scipio nisi in primo pauore priusquam colligerentur animi, tran sacta res esset, lentiorem fore munitæ vrbis oppugnationẽ ratus, interrogat milites. Satin' æquo animo paterentur ab altero cornu castra capta esse, se victores pelli à portis vrbis? Reclamantibus vniuersis, primus ipse scuto super caput elato, pergit ad portam; secuti alij testudine facta in vrbem prorumpũt deturbatisq; Samnitibus, qui pauci circa portã erant, muros occupauêre, penetrare interiora vrbis, quia pauci erant, non audent. Hæc primũ ignorare Consul, & intentus recipiendo exercitui esse, iam enim præceps in occasum Sol erat, appetens nox periculosa, & suspecta omnia etiam victoribus faciebat, progressus longiùs, ab dextra castra capta uidet, à læua clamorem in vrbe mistum pugnantium ac pauentium gemitu esse, & tum fortè certamẽ ad portam erat, aduectus deinde equo propius, vt suos in muris videt nec iam integri quicquã esse, quoniã temeritate paucorũ magnæ rei parta occasio esset, acciri quas receperat copias, signaq; in vrbẽ ferri iussit, ingressi proxima ex parte, quia nox appropinquabat, quieuêre, nocte oppidũ ab hostibus desertũ est, Cæsa illa die ad Aquiloniã millia triginta trecenti 40. capti tria

Altercatio pullariorũ.

Papyri° auspicia contemnit.

Pullarius miro modo interit.

Coruus Papyrio occinit.

Prælium inter Samnites & Romanos.

Samnitũ religio.

Pulluis numero militum impar.

Samnitum fuga.

Scipionis audacia.

millia,octingenti,& ſeptuaginta,ſigna militaria nonaginta ſeptem. Cæterùm illud memoriæ traditur,nullum ferè alium Ducem in acie lætiorem viſum; ſeu ſuaptè ingenio, ſeu fiducia rei bene gerendæ. Ab eodem robore animi, neq; controuerſo auſpicio reuocari à prælio potuit, & in ipſo diſcrimine, quo templa Dijs immortalibus voueri mos erat, vouerat Ioui Victori ſi legiones hoſtium fudiſſet,pocillum mulſi priuſquam temetum biberet, ſeſe facturum: id votũ Dijs cordi fuit;& auſpicia in bonum verterunt. Hęc omnia itaque Liuius. Ambiguæ ſignificationis,in bonum tamen omen tractum fuit augurium à [f] Clitophone memoratum, & à [t] Plutarcho repetitum huiuſmodi. *Iuxta Ararim fluuium ſitus eſt mons Lugdunus,in eo Momorus & Atepomarus imperio pulſi à Seſironeo,ciuitatem condituri,dum fundamenta fodiunt, derepentè Corui apparuerunt,& circumuolitando arbores circumquaq; repleuerunt. Quamobrem Momorus auſpiciorum peritus urbem Lugdolum nominauit.* Lûgos enim Celtica lingua Coruum ſonat Dûlon uerò excellentẽ,ſed fortè Dunũ,quæ vox aliarũ etiam ciuitatũ quarundam nomina ingreditur, præſertim maritimarum aut quæ iuxta fluuiũ inſignem ſitæ ſunt,legendum eſt. Dunen enim Celtis ac Cymbris arenarios colles in maris littore longo ordine diſpoſitos, atq; fortè ab æſtu excitari ſolitos, ſed per translationem quoſuis monticulos ſignificat. Quæ lectio illis verbis congruentior erit,quibus paulò antè dixerat. *Lugdunus eſt mons iuxta Ararim ſitus*, Aut ſi voces haſcè, nempè Lugos & Dulon retinere volumus,equidem non video,quomodo verum ſit Lugos Coruum, aut Dulon excellentem Celtis ſignificari. Interrogatus enim Celta,id eſt, Gallus,num, cùm Lugos audit,ea voce Coruum intelligat,proculdubio id conſtanter negabit. Quod ſi antiquam Celtarũ linguam,non autem,qua nunc vtuntur,conſulendam quis dicat,adibo Germanum. Nam Germanica, ſeu Cymbrica lingua olim etiam Celtas vſos mihi videtur perſuadere rationibus ſatis firmis Doctiſs. Goropius, qui quiduis aliud,quàm auium ullam, nedum Coruum notare aſſeuerabit. Similiter neque Dulon excellentem ſignificare admittet, ſed inſanum potiùs. Quam rem Doctiſs. viros,vt Turnebum aliosq; Gallos miror non aduertiſſe, ſed errorem Clitophontis potiùs approbaſſe. Quinimò dictiones haſce,ſi penitiùs conſiderentur, id penè, quod dixit Clitophon,ſignificare quidem audio. Sed ordinem dictionum, quarum fortè ſignificatum à Cymbro ſeu Celta quopiam edoctus erat,eum tãquam linguæ ignarum, aut alioquin obliuioſum inuertiſſe. Germanis enim etiamnum communi ipſorum teſtimonio nõ Lugos Coruum, ſed Dule Monedulam auem Coruini generis deſignat,quæ ſiue indigete vocabulo,ſiue Latino Monedula detrũcato ita dicitur,Coruus certè generali nomine dici poteſt,uti etiam Hebræis Gerab,ad omnes Coruini generis aues extenditur. Non igitur excellentem,ſed Coruinã auem Dulen,& ad Græcam terminationem effictum uocabulum Dulon denotabit. Contraria verò ratione Lug,quod Græcus Lugos pronuntiat, non Coruum aut Monedulam, aut aliam Coruini generis auem ſignificat,ſed proſperitatem,& magis propriè,quàm excellentiam. Quamuis omnia proſpera, fauſta, & fortunata aliquando excellant. Pronunciant autem Germani eam uocem paulò duriùs,& pro Lug adiecta Kappa Lugk efferũt. Vnde profectò Momorus non ſolùm auſpiciorum,ſed & Celticæ linguæ mihi peritiſſimus fuiſſe videtur (ſi modo Græculus,& non potiùs Celta quiſpiam ei loco nomen indidiſſe putandus eſt) qui ſanè aptiori & ſignificantiore Celtico vocabulo auſpicij omen exprimere non potuit,& ab eo ciuitati, quam ſtatuebat,nomen imponere, quàm uocabulo Lugdulen, quod ad verbum felices ſeu auſpicatos Coruos,aut Monedulas,aut proſperitatis nuntios Germanus interpretetur. Quanquã mihi quidem hæc fabella ab audace Græculo conficta videatur, occaſione à Cymbro quopiam accepta,qui ei uocabuli uim explicare conatus fuit; arbitrerq; Lugdunũ Galliæ urbem potiùs à collibus,qui confluentibus ibidem Rhodano.& Arari imminent,denominatam fuiſſe, & urbis conditorem boni ominis captandi gratia felicis appellationem adieciſſe, ita ut Lugdunum nihil aliud quàm fortunatos colles deſignet. Ab ijſdem collibus & pari pacto plures alias urbes appellationem ſimilẽ ſortitas uideo,nempe Lugdunum Anglorum, item Lugdunũ Batauorum,quarum vrbium illa ad Tameſis ripam,hæc ad colles illos ſabuloſos marino littori propinquos ſita eſt,omnes profectò meritò etiamnunc, vtpotè emporia celeberrima felicium nomine digniſſimę. Ab huiuſmodi collibus nomen etiam ſumpsêre Nouiodunum in Gallia tanquam nouos colles dicas,& Dunckercken in Comitatu Flandriæ, quæ vox collium eccleſiam Belgis ſonat,quòd haud lõgè ab iſtis collibus in littore marino poſita ſit,quam ante annos paucos fortiſſimus heros Alexander Farneſius Parmæ ac Placentiæ Dux æterna memoria digniſſimus,acerrimè oppugnando cepit,ex qua nunc hæreticis maxima damna inferũtur. Sed hæc obiter tanquam parerga interiecta ſunto. Nunc ad auſpicia,& auguria Coruorũ,vnde digreſſi eramus,reuertamur. Quæ cùm attenta mente mecũ reuoluo,maximã humani generis infenſiſſimi hoſtis Satanę inquã,uafritiẽ ac fraudẽ agnoſcere mihi uideor,qui ſuperſtitioſo paganiſmo ſuis impoſturis illuſiſſe non contẽtus nobis ẽt poſt exortã ęterni ſolis Chriſti Saluat. lucẽ, exhibitis

[s] *L 13.Criſcon.*
[t] *Lib.de fluuijs.*
Lugdunus mons.
Lugdolũ oppidũ cur ſic dictum.
Plutarchus emẽdatus.
Danũ Celtis quid.
Lugos non ſignificare Coruum.
Dule Monedulam ſignificat.
Lugos qd ſignificet.
Momori peritia.
Lugdunũ Anglorum & Batauorum.

exhibitis ſubinde huiuſmodi prodigijs ceu præſtigijs quibuſdam imponere, ac fidem aliquam diuinitatis apud rudem plebeculam impetrare conatus eſt, futurosq; nonnunquam Corui perſonam indutus rerum exitus monſtrauit. Qua re ſanè hoc effecit, vt Corui quicunque tandem illi, ſiue veri, ac naturales ſint, ſiue ipſemet ille ſub Coruorum effigie futuros multò ante bellorum euentus crederetur prædixiſſe, hoc interim agens, vt ſibi tanquam futurorum præſcio cùm in his, tùm in alijs etiam fides adhiberetur, ipſeq; adeò in rebus dubijs, aduerſisq; conſuleretur, quæ idololatriæ ſpecies eſt. [a] Lambertus Schafnaburgenſis Peregrinum quendam refert, qui celebrandæ feſtiuitatis ergò Coloniam eo anno aduenerat, per ſomnum vidiſſe Coruum quendam horrendæ magnitudinis per totam volitare Coloniam, & terribiliter crocitando, populum verò tali ſpectaculo attonitum, huc & illuc ſe agitaſſe, ſuperueniſſe poſt hæc virum, tàm veſte, quàm forma præcellentem, qui & Coruum horrifico ſonitu perſtrepentem vrbe expelleret, & populum mente conſternatum, iamque extrema omnia formidantem caſſa formidine abſolueret. Cumq; ſomnians ille à circunſtantibus interpretationem ſomnij horrore concuſſus quæreret, audiuiſſe ciuitatē propter peccata populi diabolo in poteſtatem traditam fuiſſe, at interuentu Georgij martyris liberatam, inſtantis interitus neceſſitatem euaſiſſe. Rectè autem dixit populum in diaboli poteſtatem veniſſe, cùm hunc loricatum, galeatū, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec vlli quam ſibi ſimiliorem pro populo illo cōtra Archiepiſcopum Colonienſem dimicaſſe dixiſſet, eumq; ad D. Petri templum vſque proſecutum ibi euanuiſſe. [x] Saxo Grāmaticus author eſt in exercitu Vualdemari tam crebros interuolaſſe Coruorū greges, vt complures ſeſe erectis militū haſtis feriendos obijcerent. Baptiſta item Mantuanus geſta canens, & trophæa Ferrantis Gonzagæ Coruinū quoddā prodigiū, quòd Regis Andegauenſiū filio Renato prælio in Auelanos meditāti accidit hiſce verſibus deſcribit.

[a] *In Hiſtor. Germ.*

[x] *L. 14. Hiſtor. Danicæ.* Vualdemari exercit°.

*Sed mirum quo nam pacto multò antè fuiſſet*
*Illa grauis pugnæ clades monſtrata volucrum*
*Prodigijs, noſtri annales teſtantur, & ipſe*
*Sic ſolitus narrare pater Troiana per arua*
*Qua fuit huc nobis nuper via, dicitur aër*
*Caligaſſe anium turmis in bella volantum*
*Et prius à Miluis quod roſtro atq; vngue recuruo*
*Præualeant, captentq; alis maioribus auras*
*Profligata ferunt Coruorum ingentia caſtra.*
*Sed paucis poſt bella iterum renouata diebus,*
*Atque vtrumq; genus volucrum quaſi fœdere facto*
*Concurriſſe ferunt tam atrociter, vt loca paſſim*
*Omnia cædis odor toto mæſtauerit anno;*
*Plumæ ipſæ rapiente Noto venêre per auras*
*Vſque ſuper pelagi fluctus vtriusq; ſonanteis*
*Vſque ſuper latium, nec adhuc obliuia tempus*
*Fecit, adhuc ſuperant, qui tum ſub rege merentes*
*Alituum vidêre prius poſt bella virorum*
*Et tandem Coruis Miluos victoribus iſſe*
*Præcipites, laceris alis & tergore vulſo.*

Miluorum cum Coruis pugna.

Simile hoc illi eſt, quod referente [y] Aenea Siluio in Gallia Belgica haud procul à Leodio vrbe amæna, & ampla conſtanti fama geſtum ferunt. *Nidum*, inquit, *ſiuè in arbore, ſiuè in rupe Falco ſibi parauerat, ouaque fouens pullos auidus expectabat; hunc Corui ſuperuenientes loco turbauêre, ouis eius effractis ac deuoratis. Spectauerunt id è proximo ſubulci fugientemq; trepidum Falconem annotauêre. Poſtridiè (mirabile dictu) Falcones, Coruiq; quaſi ex toto orbe ad pugnam vocati, iſti ſeptentrionalem, illi meridionalem partem tenentes, ordinatis aciebus, & tanquam rationis capaces; alijs qui cornua obſeruarent; alijs qui media ducerent agmina, diſpoſitis, atrox, & ferociſſimum prælium in aëre commiſerunt. In quo, cùm modò Corui, modò Falcones cederent, & iterum reſumptis viribus certamen inſtaurauerunt. totus vndiq; ſubiectus ager, & pennis & cadaueribus obtectus eſt. Ad extremum victoria penes Falcones fuit, qui non ſolùm roſtro, ſed etiam vnguibus accerrimè decertantes Coruos omnes ad internecionem dedêre. Exin paruo tempore interiecto, cùm duo de Leodienſi Eccleſia contendentes alter à Gregorio Tertiodecimo, alter à Benedicto duodecimo* (legendum arbitror à Gregorio duodecimo, & Benedicto decimo tertio, nam poſt Gregorium decimum tertium nullus Benedictus ex Pontificibus dictus eſt) *in Epiſcopum electus (erant enim inter illos de Romano Pontifice diſceptantes) ambo cum copijs pugnaturi in eundem locum venerunt. Ioannes Dux Burgundiæ, alterum armis iuuit, alterum populus Leodienſis perſequebatur. Pugnatū eſt collatis ſignis ſumma vtrimq; cōtētione, horrendū cruentūq; prælium factū.*

[y] *In Hiſtor. Europę cap. 53.* Corui Falconis generationē turbant. Falconum, & Coruorū pugna mira. Corui à Falconibus victi. Epiſc. Leodienſes propter Epiſcopatum decertant.

*In quo tandem victor Ioannes Dux triginta millia hoſtium cecidit. Memorabile eius rei fanum conditum eſt, quod nos poſtea illac tranſeuntes cæſorum oſſibus plenum vidimus. Sed de hoc Falconum, atq; Coruorum certamine, ſuam cuique opinionem relinquimus, veri periculo penes famam relicto.* Hæc ille. Equidem hæc ita geſta eſſe non negem, at ſine dæmonum impoſtura peracta nunquam mihi perſuadebo. Vnde quemadmodum veterum illa paganorum auguria Coruis attributa, diaboli haud dubiè opera fiebant; ita & hæc poſtrema apud Chriſtianos ad eundem authorem referenda ſunt. Quid enim ſtultius, Chriſtianoq; homine indignius, quàm credere Coruis, cæterisq; rationis expertibus animantibus, vim præuidendi futura ineſſe, quæ hominibus denegata eſt? Impio ſanè apoſtata Porphirio digna tantùm hæc eſt ſententia. *Qui animaliũ vaticinorum animas ſibi aſciſcere volunt, præcipuas illorum partes verant, vt corda Coruorum, aut Accipitrum, & ſic animam eorundem in ſe recipiunt, quæ Dei inſtar futura eis præſagit.* O philoſophum ſtupidum, qui exiſtimet non viua tantùm, ſed & extincta animalia diuinandi facultate, quam etiam præterea in hominum animos transfundant, pollêre. Ridet & meritò huiuſmodi Philoſophorũ impia dogmata D. [z] Ioannes Chryſoſtomus, eaque grauiter, & ſeuerè reprehendit, dum ait. *Semper per illos hoc egit diabolus, vt oſtenderet noſtrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam peregrinam, & abſurdam venerunt, vt animalia rationis expertia dixerint rationalia. Vides verò quàm multipliciter debacchatus eſt in illis mentibus, poſteaquam qui ſunt inter illos primi; docuerunt animam noſtram in muſcas, canes, & animantia bruta tranſmigrare. Caterùm his ſucceſſerunt, qui hoc veriti dicere, in aliam abſurditatem delapſi ſunt, omnem rationalem ſcientiam brutis cum homine communem facientes, ac demonſtrantes ea, quæ per nos facta ſunt, meliora eſſe, quàm nos ipſos. Non ſolum autem hoc, ſed & futurorum præſenſionem, & religionem apud illa eſſe prædicant. Coruus, inquit, nouit Deum, & Cornix, & prophetiæ donum habent, futuraq; prædicunt; quin & iuſtitia adeſt illis, & reſpublica & leges, & apud illa canis habet inuidiam ſecundum Platonis ſententiam.* Hæc ille. Veriſimile itaque eſt imò veriſſimum, Dæmonem ſæpè in Coruum transformatum, ea portenta, vt dixi-mus, edidiſſe. Qui igitur Corui haſtam, Noctuam & fructus palmæ palladio appoſita roſtris diffregêre apud Athenienſes, ante eorundem in Siculos expeditionem, dæmones fuerunt, nigram ſeſe dignam Corui ſpeciem induti, quo vel ſolo ſigno ſuam vafritiem, & improbitatem, quam in nigris ab Horatio cauere iubemur, ſatis prodere ſtolidis debebant. Ita qui Alexandro Magno ad Iouis Hammonis templum ituro, Duces fuêre, qui Metellum Pontificem domum regredi, quo Palladium ſeruaretur, coëgere, dæmones mali fuêre, qui huiuſmodi prodigijs, & oſtentis idolorum, id eſt, ſui cultum confirmare nitebantur. Pari pacto qui triumuirorum futuram diſcordiam, qui Ciceroni mortem propinquam præſagire viſi ſunt, dæmones fuêre, qui licet futura non cogno ſcant, diſpoſitiones tamen noſcũt præſentes, qui Coruorum ſpecie hominum oculos, & animos ludificabant, atque hac via falſis illis Dijs, atque adeò ſibi opinionem diuinitatis, & futurorum non minùs ac præſentium ſcientiã, non apud imperitam plebem tantùm, ſed apud mundi totius ſapientiſſimos, & potentiſſimos aſtutiſſimo concilio conciliabant. Quod ad eos Coruos attinet, qui inſtãte Phocenſium clade omnes Peloponeſo Atheniſque deſertis ad excidij locum certatim conuolârunt, horum factum forſan ad naturalem cauſam quàm cæterorum multò citiùs ac meliùs referri poſſit, iuxta illam Chriſti ſententiam, *Vbi cadauer, illuc congregantur & Aquilæ*, ſeu Vultures; contrà prorſus Ariſtoteles & Plinius arbitrati ſunt, qui eam ob rem euentorum, imò ſui ipſorummet augurij intellectum illis tribuere conantur. Quis ille fuerit Coruus, qui Valerio proſperum augurium, victoriã, cognomen deniq; dedit, agite paucis, audiamus quid ſentiat Stephanus Forcatulus Gallus in eo libello, in quo Regiam Valeſiorum ſtirpem extinctam nuper, abuſque Moritaſgo Senonum quodam Regulo deducit, quem ob deuictum L. Valerium Præconium ab eodem Valerio Coruino oriundum, ſingulari certamine, & patriæ Valeſiorum nomen dediſſe, & genti ſuę aſſerit, grauiore ſaltem litera R in molliorem S commutata, eodem planè cum Valerio Coruino exemplo & facinore. Hic enim, ne quis nos ſolos in hac eſſe ſententia opinetur, non aliud Coruum illum, quàm malum Genium fuiſſe, ſic ferè declarat. E Gallis, qui ad pontem Anienis, & tertium ab Vrbe lapidem caſtra metati ſunt, vnus proceſſit vltra præſidia, & vociferans quem nunc, inquit, Roma fortiſſimum habet, agedum prodeat, vt noſter duorum euentus oſtendat, vtra gens bello ſit melior. Tum Titus Manlius Tribunus militum à Dictatore pugnandi venia impetrata, Gallum vno atque altero ictu in pectore ac humeris ſauciatum, tandemq; ſuperatum aureo torque, ſanguine reſperſo ſpoliauit, eundemq; ſibi circumdedit, vnde Torquati cognomento, & aurea corona, ac laudatione palam donatus eſt, etſi non tam propria virtute, quàm Corui opera victor, nempè haud dubiè ſuperandus, niſi Coruus repentè aduolans os atque oculos Galli ſtrenuè dimicãtis tamdiu lancinaſſet, quoad perterritus oſtento necaretur, & Valerio Coruini titulum relinqueret, eius familiæ in poſterum perẽnem. Porrò Coruum

Animantia bruta nihil futurũ prę-uident.

Porphyrij impia opinio.

[z] *Homil. 5. in act. Apoſtol. c. 2.*

Dæmonem ſæpè in Coruum mutatum.

Coruorum ex ſolito loco diſceſſus, naturalis eſt.

Valerij Coruus qs.

Valeſiorũ ſtirps, & origo.

Titus Mãlius Corui opera Gallum vncit.

Torquati vnde dicti. Coruꝰ Gallis oculos vellicat.

rò Coruum illum auxiliarem,& tantoperè Manlij ſtudioſum, citiùs Salomonis Regis murmure abactum iri puto,quàm alicuius Galli viribus. Rex enim ille edocuit dæmones populſandi, & abigendi ſolemnia. Nec dubito quin eiuſmodi Coruus potiùs genius malus, quàm Coruus fuerit; vtpotè cùm dæmon variorum animalium imagines accipiat, interdum Leonis,ac tum, vt Proclus notat, euanuiſſe, cùm ipſi Gallus auis obijceretur. In ſumma Manlius fateatur neceſſe eſt, Gallum, quocum depugnauit, niſi præſtigijs ſuperari non potuiſſe. Hactenus itaq; Forcatulus ceu in compendium contractus, qui, quantum ad Coruum attinet, & rem rectè narrat,& explicat, at duas monomachias Romanorum cum Gallis,& gentem Valeriam cum Manliana confundit, imò ipſum Manlium Torquatum cum Valerio Coruino eundem facit, quos diuerſos eſſe,& diuerſimodè pugnaſſe, atque diuerſis euentis diuerſa nomina ſumpſiſſe, vel vnus [a] Valerius Maximus locupletiſſimus teſtis eſt, neque deniq; verum eſt, gentem Valeſiam primò Valeriam dictam fuiſſe, at contrà vel ipſo Quintiliano teſte Valerij prius Valeſij dicti ſunt, ſicut etiam Fuſij, deinde Furij. Cæterùm, vt vnde digreſſa eſt oratio,demum reuertatur, in ſpeciem Coruinam ſæpè transformari Dæmones [b] Baptiſta quoque Mantuanus ſentire videtur,cùm D. Catarinæ acta & laudes canens,Perſephonem miſſum à Ioue,vt animum Maxentij in odium Chriſti anorum concitaret, Corui formam induiſſe fingit.

Salamon docuit dæmones fugare.

Stephani Forcatuli lapſus.

[a] *Lib.3.cap. de fortitud.*

[b] *Lib.1.Parthen.*

Dæmõ Corui imagine Maxentiũ incitat contra Chriſtianos.

*Perſiphone mandata facit Coruiq; figuram*
*Induit,& tranans auram pernicibus alis*
*Præterit Ammonis templum admirabile quondam*
*Dum Iouis imperium maieſtatemq; colebant*
*Terrigenæ, &c.*

Et poſt pauca interiecta.

*Intrat ad vrbanos ſtrepitus, celſaq; reſedit*
*Tarpeij ſuper arce Iouis, populumq; patresq;*
*Et tria deſpiciens fora, poſt delubra tonantis*
*Solis ad exortum Romæ decora alta ſuperbæ*
*O caput, ò florens terreni gloria mundi*
*Dixit, vt excelſo tetigiſti vertice cœlum*
*Indigetes oblita tuos, geniosq; lareſq;*
*Atque Iouem & natos, demens ad inania Chriſti,*
*Tam citò degeneras documenta fidemq; nefandam:*
*Sic ait,& Petrum quater execrata, columnam*
*Inuolat,& Coruus tam deſinit eſſe, breuemq;*
*Se trahit in nebulam & Maxentia tecta ſubintrat.*

Sed nonnè Herodotus,Plutarchus, Suidas, Strabo, ad vnum omnes Græci,& Plinius quoque, è Latinis teſtantur Ariſtæi animam ex ore in Proconneſo Corui effigie euolaſſe viſam? Quis verò dubitare poterit, qui Herodotum aut alios legerit de Ariſtæo hoc Proconneſio, quin inſignis magus fuerit, & magicis artibus, miranda ea, quæ de ipſo referuntur, perfecerit, atque ideò à Metapontinis admiratus ac diuino affectus honore fuerit. Ego quidem potiùs crediderim,ſi vera illa ſunt,hunc Proconneſium dæmonẽ fuiſſe,qui vt hominibus imponeret, nunc aſſumpta forma humana, nunc denuò,ubi uidebatur,ea depoſita, Coruinam indueret,aut ſaltem hominem nefarium, qui Diaboli opera in uarias ſpecies ſeſe transformaret, aut animo tantùm, aut animo & corpore ſimul uno momento de loco ad locum tranſportaretur, & rediuiui apud imperitam plebem ſibi famam, atque gloriam concitaret, utpotè, cuius corpus, cùm in officina fullonis uiſum eſſet examine,nihilominus tamen quidam è Cyzico ueniens, ſe eum ibi conueniſſe aſſerebat, unde mox in fullonia officina quæſitus, ab amicis, & cognatis nuſquam neque cadauer apparuit. Quæ omnia, ut ſatis authorem ſuum detegunt, hoc tamen præter cætera ad aſſertam à nobis ueritatem confirmandam etiam facit, quòd Apollo conſultus, cui tanquam fatidico præcipua ſemper inter dæmones fides habebatur, diuinos honores Ariſtæo,quos affectabat, conſulentibus Metapontinis deferendos eſſe reſponderit, hac ratione, aut diſcipuli,aut ſocij cultu,proprium ſui cultum augere ſtudens. Sed de Ariſteo, qui Coruum ſeſe fuiſſe,antequam homo eſſet, ipſe Metapontinis aſſeruit, hæc dicta ſufficiãt. Qui plura uolet, authores adductos adeat. Sacras quoque litteras Corui nomine malum genium nonnunquam intelligere Theologi teſtantur, & in primis eo loco [c] Salomonis: *Oculum qui ſubſannat patrem & vilipendit doctrinam matris, hunc eruent Corui torrentis,&c.* Neque mirum id uideatur ei, qui cùm ea, quæ à nobis dicta ſunt, tùm etiam hoc conſiderabit, in tantum dæmonem in idololatrico ſui cultu hac aue ſibi placuiſſe, vt non ex alia materia, quàm ex arbore, in qua Coruus poſtabreptas ſacrificij carnes primùm conſediſſet, ſimulachrum ſibi fabri-

Ariſtæi animã Corui effigie euolaſſe.

Ariſtæum Proconneſiũ Magũ fuiſſe.

Ariſtæi varia forma, & facinora.

Apollinis de Ariſtæo iudicium.

Coruus malum geniũ ſignificat.

[c] *Prou. 30.*

Corui torrentis qui.

cari

Dæmonis ſi mulachrũ, apud Platæenſes.

carí apud Platæenſes olim voluerit. Refert hanc rem [d] Pauſanias his verbis. *Lucus eſt in Bœotiæ omnium maximus, non longè ab Alalcomenis, ibi perueteres quercus quamplurimæ. In eum lucum venientes Platæenſes carnium frusta elixarum exponunt. Et ſanè cum auibus alijs minùs eſt eis negotij, Coruorũ verò turbam, quod ij omnium maximè in exta inuolant, quàm diligentiſſimè arcent: Obſeruant autem ſi qua earum alitum carnem abripuerit, in qua conſederit arbore. Nam ex ea ſola materia cædunt ad Dædalum fabricandum. Hoc enim nomine ſignum vocant.* Fore ſcilicet ſtulti credebant illi, vt ſtatuæ illi ſingularis quædam vaticinandi vis ab Coruo Apollinis nuntio infunderetur, qua reſpondente futuros quoſuis cùm publicos, tùm priuatos rerum ſuarum euentus reſciſcerent. Verùm vt finem confutandæ vanæ huic gentilium in vana auguria fiduciæ imponam, vnius M. Varronis vel de ipſo Coruo verba iſtæc adducam, qui *Deos dixit ocioſos, & feriatos fore, ſi ſua conſilia Corniculæ crederent aut Coruo hominibus indicando.*

[d] *In Bœotic.*

# TEMPESTATVM A CORVIS PRAESAGIA.

Coruos cæli ſtatus præſagire, non autem præliorũ euentus.

SED forſan poſſit quiſpiam, de horum, quæ diximus, veritate ſubdubitare, nec omninò vana dicere, quæ de Coruis vaticinantibus veteres tradidere. Videmus enim totam ferè claſſem optimorum authorum, & Philoſophorum, & Coruum mutationis aëris ſcientiſſimum aſtruere, & aliter crocitare cùm ſerenitatem, aliter cùm tempeſtatem præſagit. Cui equidem fatebor teſtimonia, quot voluerit, è grauiſſimis authoribus minimè defutura: Dico tamen longè aliud eſſe cæli ſtatum, aliud præliorum exitus, regnorum aut durationes, aut mutationes & fortunæ denique priuatæ caſus Coruum prædicere. Hæc enim cùm à naturalibus cauſis nõ pendeant, non alia, quàm à diuina prouidentia præſciri poſſunt; quæ tamen malignus ille ſpiritus hoſtis humani generis capitalis mira, qua eſt, naturæ mobilitate, & ſagacitate certis quibuſdam indicijs, coniecturiſuè præuidet aliquando etiam diuino permiſſu, quo impios ſuos ſequaces iam ſemel captos, aut quos diuina ſapientia inconſtantes, & rebus ſuperſtitioſis & impijs deditos cognôrit, auxilio detracto irretiat. Aeris verò mutationes cùm ſenſibus exterioribus maximè percipiantur quò animantium, quæque mentis minùs, & perfectionis habent, & ſenſibus maximè ſunt exactis, & eximijs, vtpotè quorum anima tota eſt, moli corporeæ immerſa & tota corpori deſeruit, eò faciliùs cuicumq; aëris mutationi ſubijciuntur. Vnde haud mirum ſi vt [a] Lucretius canit:

Cur bruta aëris ſtatũ præſagiant.

[a] *Lib. 5. de rer. nat.*

—— *Mutant cum tempeſtatibus vnà*
*Rauciſonos canius Cornicum ſæcla vetuſta*
*Coruorumq; greges, vbi aquam dicuntur & imbres*
*Poſcere, & interdum ventos auraſq; vocare.*

Hoc verò nulla ratione quæ naturam ſuperet, ab illis fieri; neque eorum, quæ indicant, quicquam ab ipſis; intelligi, neque ingenio eorum tanquàm diuinitatis participi aſcribendum eſſe, [b] Verg lius Poëta vt diſertiſſimus, ita doctiſſimus rectè docet, dum ait:

[b] *Geor. 1.*

*Haud equidem credo, quia ſit diuinitùs illis*
*Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.*
*Verùm vbi tempeſtas, & cæli mobilis humor*
*Mutauêre vias, & Iuppiter humidus Auſtris*
*Denſet, erant, quæ rara modò & quæ denſa relaxat.*
*Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus*
*Nunc alios alios dum nubila ventus agebat*
*Concipiunt, hinc ille auium concentus in agris,*
*Et lætæ pecudes, & ouantes gutture Corui.*

Pluuiæ præſagium.

Hæc itaque ratio eſt, hæc diuinitas, qua ducti Corui, Cornices, atque aliæ præſagæ aues, aut tempeſtates futuras, aut ſerenitates nuntiant. Cæterùm vel hoc, vel illud fore Corui hoc pacto ſignificant. *Corui*, inquit antiquiſſimus Poëta Aratus, *& Gracculi, cùm gregatim apparent, & ſimilem Accipitribus vocem edunt*, id eſt, acuta voce clamitant (talis enim Accipitrum vox eſt) *pluuiam prædicunt*, nempè vt Auienus eum locum Arati transfert:

*Agmine cùm denſo circumuolitare videntur*
*Gracculus & tenui cùm ſtridunt gutture Corui.*

Corui præterea imminente pluuia vocem, quæ magnas pluuię ſtillas imitetur, & ſubinde γλαῦξ proferunt, vel confuſam eam inſtar ſtillarum, vel grauem ingeminant. Rurſus *ſi Cornus*, inquit

[c] Aelianus

[c]Aelianus, *crepusculo vespertino vocalis est, tempestatem annunciat.* Corui de arbore penduli, & alas sæpenumerò motitantes humidæ tempestatis nuntij antiquis existimati sunt. Quemadmodum etiam, vbi vt ait [d] Virgilius,

[c] *Lib. 7. de Anim. c. 7.*

[d] *Georg. 1.*

*—— E pastu discedens agmine magno*
*Coruorum increpuit densis si exercitus alis,*

pluuias denunciant. Corui raucum crocitantes, & vocem identidem resorbentes, vel vt habet [e] Plinius, *cum singultu quodam diù multumq; latrantes:* denique, vt Aelianus, *excitato, & volubili sono crocitantes tempestatem, aut pluuiam hariolantur*, aut, vt inquit Plinius, *ventosum imbrem præsagiunt.*

[e] *L. 18. c. 39.*

At difficultatem hoc loco Seruius Grammaticus mouet, cur sit, quòd Corui plures, simul pascentes, & tenue quid, & purissimum præter naturam clamitantes, cùm scilicet

Seruij dubitatio de corui præsagio

*—— Liquidas presso ter gutture voces*
*Aut quater ingeminant.*

pluuiam significent, cùm è contra Cornices magna voce, & solæ scilicet, vt Virgilius habet:

*Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce,*
*Et sola in sicca secum spatiatur arena.*

Sed quod ad Virgilij locum attinet, & ad Seruij dubitationem, ipse Virgilius non pluuiam, sed serenitatem ijs Corui gestibus indicari scribit. Post enim multa serenitatis signa, quæ à Stellis, ab Halcyonibus, ab nebulis, ab Noctua, ab Alauda, & alijs desumpserat, tandem subiungit:

*Tum liquidas Corui presso ter gutture voces,*
*Aut quater ingeminant, & sæpe cubilibus altis*
*Nescio, qua prater solitum dulcedine læti*
*Inter se foliis strepitant, iuuat imbribus actis*
*Progeniem paruam dulcesq; reuisere nidos.*

Sunt tamen qui Seruium sequantur, & causam rei in siccam volueris naturam conijciant, itaque ipsum aduentante pluuia voce exili, & frequenti volitatione ab vno ad alterum ramum, alijsq; gestibus quoddam lætitiæ signum edere. Ita sanè Theon Arati Scholiastes sentire videtur: *Cornix, & Coruus eiusdem generis aues cùm corpore admodum sicco sint, plurimùm gaudent humectantibus.* Alij Vergilij partes sectantur, & ab aëre nubiloso, & crasso grauatum corpus aiunt fieri inertius, vnde densitate ob instantem serenitatem remota, & exhalante paulatim eos alacriores reddi, & hanc alacritatem voce prius singulas seorsim, deinde vniuersas simul repetita frequentiq; ab vno ramo ad alterum obuolitatione velut ludibundos attestari. Sic tempestate cessante è latebris prodeunt, atque per aera liberiùs volitant, & tum

*—— Iuuat imbribus actis*
*Progeniem paruam dulcesq; reuisere nidos.*

Verùm hanc Coruorum siue lætitiam, siue gesticulationem, non ad particolares tempestates, sed ad vniuersales temporum mutationes refert Theon Arati Scholiastes, cùm inquit: *Coruos, & Cornices per initia tempestatis gaudent, in progressu verò crescente frigore non amplius gaudent: incipiente deinde æstate rursus gaudent, excessus enim temporum non ferunt.* Sed, vt ad prognostica redeamus; Corui cùm placida, & varia voce lætitiam testantur, sudum ac serenum cælum significant, sic priuatim primo crocitantes, mox turmatim congressi liberiùs vociferantes, aut si sub noctu rnum crepusculum gregatim versentur, & dum separantur summè crociendo ad nidos aduolent, idem quod antè, præsagiunt. Quod etiam facient, si contra solem hiantes manè per arborum ramos plumas, & alas expanderint.

Serenitatis præsagium.

# MYSTICA.

CORVVS in nostra pietate sua etiam habet mysteria, quę prius dicemus, dein quæ paganismi impietas agnouit, exposituri. Huius alitis non vno loco, sed tribus, aut quatuor ad minus mentionem faciunt sacræ literæ, nusquam non sub literæ Cortice, allegoriæ subtilis nucleum contegentes. Primus locus est in libro [a] Genesios, vbi Coruus à Noe diluuij explorandi gratia arca quidē emissus, at non reuersus scribitur. Hìc igitur D. [b] Cyrillus per Coruum infideles intelligit, dum ait: *Quod nonnullis temporibus aliqui ex Israelitico sanguine à fide discessuri essent, Coruus ille, quem Noe ex arca emisit, planè significat. Misit enim,* inquit, *Coruum ex arca, vt videret, si cessauerit aqua, qui non reuersus est. Demersus est enim, vt opinor, cùm nullum sibi quietis locum inuenisset. Ergo qui à fide recedunt, seq; à Christo seiungunt, morti se prorsus obnoxios reddunt.* Et paulò infra: *Sed aspice quomodo ex immundis volucribus Coruus quoque defecerit. Erant namque nonnulli ex Iudæis*

[a] *Cap. 8.*

[b] *Lib. 3. in Genes.*

coruus à Noe emissus quid significet.

coruū cur Noe emisit

[c] 1. Ioan. 2. *Iudæis qui cum in Chriſtum crediderint, ad legis vtique vmbram rurſus ſe conuerterunt. De quibus* [c] *Ioannes vir ſanctiſſimus ita refert: Ex noſtris diſceſſerunt, ſed non erant de noſtris. Nam ſi de noſtris eſſent, nobiſcum vtiq; permanſiſſent, &c.* D. [d] Auguſtinus hunc Noachi Coruum homines ſui commodi ſtudioſos ac prauos ſignificari innuit. *Coruus à Noe iure fuit de arca miſſus, & non eſt reuerſus. Miſſa eſt Columba, & eſt reuerſa. Illas duas aues miſit Noe; habebat ibi Coruum, habebat & Columbam, vtrumque hoc genus arca continebat, & ſi arca figurabat Eccleſiam, videtis vtiq; quia neceſſe eſt, vt in illo diluuio ſæculi vtrinque genus contineat Eccleſia, & Coruum & Coluxbam. Qui ſunt Corui? qui ſua quærunt. Quæ Columbæ? Qui ea, quæ Chriſti ſunt.* Et alibi: [e] *Quod poſt quadraginta dies emiſſus Coruus, non eſt reuerſus, aut aquis vtique interceptus, aut aliquo ſupernatante cadauere illectus, ſignificat homines in immunditia cupiditatis teterrimos, & ab hoc ad ea, quæ foris ſunt in hoc mundo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his, quos præter arcam,* id eſt, *præter Eccleſiam baptiſmus occidit, ſeduci atque teneri.* Et [f] rurſus: *Coruus à Noe emiſſus eſt antequam ſiccaretur aqua rebaptizatus redire noluit, mortuus eſt in his aquis. Auertat Deus huius Corui mortem. Nam quare non eſt reuerſus, niſi quia aqua interceptus eſt,* &c. D. autem [g] Ioanni Chryſoſtomo Coruus eo loco *Diabolus eſt, qui ex arca Eccleſiæ eliminatus, verè niger & tenebroſus eſt, ſuffocatus in aquis baptiſmatis.* Ceterùm vt notat præter cæteros [h] Glyca, narrationi Moſis de Coruo, quem Noe, vt exploraret, num aqua ſuper terra defeciſſet, ex arca emiſit, [i] Ioſephus apertè refragatur. Huius verba hæc ſunt: *Poſt paucos dies magis recedente aqua, emiſit Noa Coruum, cupiens cognoſcere ſi qua alia parte terrarum aquæ diſceſſiſſent, vt tutò extendere poſſit. At ille comperto totam adhuc ſtagnare ad eum eſt reuerſus.* Idem habet Latina uerſio cum Hebraica coniuncta. *Dimiſit Coruum qui egrediebatur & reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* His ad vnguem etiam Chaldaica conſentiunt. Vnde quis non malè colliget, & ſunt qui exiſtimẽt, Moyſen aliter, quàm textus Latinus habet, ſcripſiſſe, vltrò citroq; meaſſe & reuertiſſe denuò, & ſic Ioſephum Hebræum ſacerdotem & patriorum arcanorum ſcientiſſimum ſenſiſſe. [k] Auguſtinus Eugubinus Epiſcopus Chiſamenſis deprauatam eſſe hoc loco editionem vulgatã ait, delendamq; eſſe ex illa, particulam, *Non:* codices verò Hebræos veritatem continere. Vulgatam etiam editionem ſeptuaginta interpretes præcedunt, qui ſic habent. καὶ ἀπέστειλε τὸν κόρακα ἰδεῖν, εἰ κεκόπακε τὸ ὕδωρ, καὶ ἐξελθὼν ἔκ ἀνέστρεψεν, ἕως τῆ ξηρανθῆναι τὸ ὕδωρ ἀπὸ προσώπε τῆς γῆς, id eſt, *emiſit Coruum, vt videlicet videret nunquid aqua defeciſſet, qui cùm egreſſus eſſet non reuerſus eſt, donec ſiccaretur aqua ſuper faciem terræ.* Ego facilè affirmem tempore Diui Hieronymi codices Hebræos hoc loco negationem habuiſſe, imò tempore etiam ſeptuaginta interpretum, & ita Moſen deſcripſiſſe. Sed Hebræos poſtea, aut negligentia, aut malitia, vt verſionẽ noſtram calumniarentur, negationem ex contextu abſtuliſſe. [l] Hierony. ex Hebræo ſic legit. *Dimiſit Coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Et [m] alibi: *emittitur,* inquit, *Coruus de arca, & non redit, & poſtea pacem terræ Columba nuntiat.* Et [n] alibi: *Statimq; Columba Spiritus ſancti expulſo teterrimo alite deuolat ad eum.* Ibi per teterrimum alitem Coruum ſignificat. D. Auguſtinus item ubiq; negatiuè, vt ex præmiſſis intelligi poteſt, eam propoſitionem intelligit. Sic Gloſſa Græca aſſerit, & per Coruum Iudaicum populum, qui extra aream, hoc eſt, extra Eccleſiam manſit; per Columbam verò populum gentilem, qui ad Eccleſiam confugit, intelligit. Cùm igitur tot patres tanta vetuſtate, ſanctitate & eruditione præditi, ita legerint & explanauerint, vt noſtra habet vulgaris editio, itaque eam veriſſimam eſſe, Hebræã uerò hoc loco deprauatam credendum: nec mirum cùm videamus, ut Elias etiam fatetur doctus inter Iudæos, Hebræos codices huius temporis longè à priſcis illis ueteris Synagogæ uariare, id quod perſpicuè profitetur Bruno Amerbachius trium linguarum cognitione celebris, in præfatione in Pſalterium Diui Hieronymi, vbi aſſerit uetera Pſalterij exemplaria Hebræa manu ſcripta, à Pſalterio Venetijs impreſſo multis in locis diſcrepare. Sed quid nomino recentiores, cùm [o] Iuſtinus martyr antiquiſſimus in libro, quem edidit aduerſus Iudæos apertè oſtendat, iam tunc Iudæos aliquibus in locis diuinam Scripturam deprauaſſe. Poſtea verò, ut [p] Lindanus Dordracenus Hollãdus tradit, multa commutata eſſe conſtat. Quare iam nunc ſolida & pura ſcripturarum ueritas potiùs à vulgata editione, quàm à codicibus Hebraicis petenda eſt. Communem noſtram editionem Eccleſia Catholica meritò approbauit, vt uetuſtiſſimam, grauiſſimam, integerrimam ideoq; veriſſimam, de cuius laudibus nulla unquam poſteritas conticeſcet, quam ipſa perpetuitas ſemper intuebitur. Gloſſa quidem aliquid ad huius loci concordantiam uidetur afferre, at quàm rectè, Theologi iudicent. Ea ſic habet: *Quia translatio, quam habemus de emiſſione Corui, videtur contraria Hebraicæ literæ, ideò ſic poteſt concordari. Qui egrediebatur, & non reuertebatur, vt per hoc exponatur intentio Noe. Ad hoc enim eum mittebat, vt per ſuum reditum haberet aliquod ſignum de ſicatione aquarum. Sed quia non iuit ſecundum intentionem Noe, ſed magis reuerſus eſt, ſtatim nullo ſigno apportato, ideò litera Hebraica factum Corui exprimit, cùm dicit: Qui egrediebatur exiens, & reuertens. Sed ſecundum hoc dictum non remanſit apud cadauera, ſed quia aquæ adhuc erant ſuper terram vniuerſam,* *ſaltem*

[d] *Tract. 6. in Euang. Ioã. cap. 1.*

Qui Corui, qui Columbæ.

[e] *Lib. 12. cõtra Fauſtum Manichæũ.*

[f] *Tract. 6. in Euang. c. 1.*

[g] *Homil. de Spirit. ſanct.*

[h] *Amal. part. 2.*

[i] *Lib. 1. Antiq. Iud. c. 4.*

[k] *In Annotationibus.*

[l] *Homil. 26. in c. 8. Gen.*

[m] *Aduerſus Luciferianos.*

[n] *In Epiſ. ad Occanum.*

Coruus terterrimus ales dictus.

Coruus Iudaicum populũ ſignificat, Columba gentilem.

Hebræos codices à noſtris diuerſos fuiſſe.

Pſalm. Hebræos manu ſcriptos diuerſos eſſe ab impreſſis.

[o] *In colloquio cũ Tryphone Iudæo.*

[p] *In lib. de apt. interpr. ſcript. genere.*

*saltem planam, vt dicitur infra reuersus est in arcam, vt haberet pastum.* Verùm ne ea pars, quę Hebraicam literam, ut nunc habet desertam se quęratur (quamuis prętер rationes allatas frustra Columba à Noë emissa uideri possit, si Coruus ad arcam reuersus esset) itaque mysticum sensum, quem ijdem ex affirmatiua propositione eruunt, hîc apponemus. Quidam igitur Neotericorum Theologorum non contemnendus sic interrogat. *Cur Noë emisit primo Coruum? Nonne cognouerat tribunal diuinæ iustitiæ efferbuisse in sceleſtos illos, qui in nocte peccatorum erant immersi, voluit emittere Coruum, auem nempè rapacem, & furem, inde prouenientem, vnde & diuina iustitia & cum ipsa symbolum habentem. Hinc scriptum quòd ipse Coruus exibat, & redibat (vt habet Veritas Hebraica) exultans in eo feruore iustitiæ, cum qua habebat symbolum, & gaudens vespere illo seueritatis, vt & nomen vtriusq; conueniens indicat. Iisdem enim literis apud Hebræos scribitur Coruus, quibus & vesper. Nam Coruus* עוֹב *horeb dicitur, vesper autem hereb* עֶרֶב *mutatis tantummodo punctis. Vnde cùm adhuc Noe videret iustitiam Dei sæuientem super terram exire nequaquam voluit. Cur verò Coruus ibat, & reuertebatur, quousq; exsiccarentur aquæ? Nonne quia, etsi ex latere sinistro, & diuinæ iustitiæ erat, sidus tamen minister mittenti esse voluit, & non inuidus, vt iret, & non reuerteretur, quærens cibum à cadaueribus animantium sicut vulgares dicunt, Reuertebatur autem, quasi referens rerum successum: Vnde minimè spernendus est Coruus*; de quo scriptum est. *Qui præparat Coruo escam.* Et alibi: *Qui dat escam pullis Coruorum inuocantibus eum. Qui, & (iubente Deo) Heliam pauit, cui etiam in Canticis assimulantur comæ dilecti, cùm dicitur: comæ eius sicuti elatæ palmarum, nigræ sicut Coruus*, &c. Coruus cur primò emissus.

Verùm quamuis ex patrum sententia, atq; adeò ex vnanimi totius Ecclesię consensu Coruum ad Noa minimè reuertisse dicamus, tamen sciolus quispiam id mordicus forsan nobis, & vi volet exprimere, dum ait sacra scriptura, donec siccarentur aquę super terram, non enim particula donec omne futurum tempus excludit, sed id quod dicitur aliquando, ferè scilicet, quando talis res, aut tempus, aut occasio accesserit. Sic [q] Terentius: *Nunquam destitit orare, vsq; adeo donec pepulit*, id est, orauit diu, sed destitit etiam aliquando, scilicet vbi exorasset. His tamen egregiè occurrit Glossa, & simul quasdam Hæbreorum ineptias reuellit, dum ait: *Quod secundum communem expositionem Coruus dicitur non redijsse donec siccarentur aquæ non ita est intelligendum quasi reuersus sit ad Noe aquis resiccatis, sed remansit apud cadauera, vt communiter dicitur. Et est similis modus loquendi in Matthæo primo de Ioseph, & Maria dicente. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primo genitum, non quid postea cognouerit.* In Hebræo dicitur: *Qui egrediebatur extens, & reuertens.* [q] *In Andria.*

Testatur hoc D. [r] Hieronymus. *Quod exponunt Hebræi dicentes, quod Coruus emissus de arca non fecit legationem suam prout Noe inteadebat, sed magis extra aquam volitabat, quærens reingredi in arcã. Causam autem huius assignant aliqui Hebræi, quod Coruus habebat suspicionem de fœmella sua. Ex quo patet in eis cæcitas magna, qui tam absurda dicunt, & credunt. imo etiam in hoc sibi contradicunt. Dicunt enim, & satis apparet in Textu quod coitus fuit simpliciter interdictus à Deo intra arcam.* Hactenus igitur Glossa. Secundus sacræ [s] scripturæ locus est, de Helia Propheta, cui Corui detulisse panem scribuntur, & carnes manè, & vesperi, idq; diuino iussu. Quem D. [t] Aurelius Augustinus doctissimè, vt omnia historicè interpretatur. *In tempore siccitatis*, inquit, *à Domino Heliæ dicitur, vt in spelunca torrentis Carith se absconderet, vbi Coruis ministrantibus pane, & carnibus, & aqua torrentis illum satiaret, duplici scilicet occasione, quatenus & tempore famis haberet alimoniam, & persequutorum auidè se quærentium turbidam effugeret iram. A Coruis verò ministrari Prophetæ præcipitur, vt scilicet culpam, quam in diluuio commiserat, in terra purgare auis illa videretur; dum vt fidelis minister èfficitur Heliæ, qui negligens & fallax erat antea Noe. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium nunc ministerijs vteretur. Vnde verò eos panes, & carnes ille Coruus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat. In quo tamen intuendum est, quod si ex aliquorum hominum scientium, aut nescientium industria Corui hæc acciperent, qui cœtos panes, & carnes quaslibet qualitercunq; præparabant.* [u] Idem mysticum Corui huius significatũ exponit, & gentes eo figurari docet, inquiens. *Helias enim abijt, & Christus venit in mundum. Helias in deserto Coruis ministrantibus pascebatur, & Christus in deserto mundi huius gentium fide reficitur. Corui enim illi, qui Beato Heliæ inbente Domino ministrabant, gentium populum figurabant. Propterea & de gentium Ecclesia dicitur. Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.* D. verò [x] Chrysostomus paulò aliter sacræ huius historiæ mysterium rimatus, Iudaicum populum per Corui pullos intelligere videtur, per Coruum verò non dissimili allegoria Heliam ipsum in gentem suam plus iusto duriusculum, ut ex hisce eiusdem uerbis apparet. *Odit*, inquit, *Coruus prolem suam, & natam non educat. Id quod* [y] *Propheta insinuans dixit, & pullis Coruorum inuocantibus eum. Quoniam enim pulli Coruorum imò omnes auium pulli recens nati infirmiores sunt, quàm vt ipsi cibum sibi parent. Vnde adhuc implumes à parentibus suis enutriuntur. Sed ab ea parentum cura Coruorum pulli destituti, attamen ab illis etiam non curatum permanet Coruorum genus. Vnde Dauid diuinam nobis misericordiam subinde commonstrans eorum educationem Deo ascribit. Expositis enim ad ærem vtpotè à parentibus neglectis*

[r] *Lib. de Hebraic. quæst.*

[s] *3. Reg. 17.* Helias à Coruis nutritus.

[t] *Lib. 2. de mirabilib. sacræ scripturæ.* Heliæ cur à coruis ministratum.

[u] *Serm. de tempe. 201. c. de Helia.*

[x] *Serm. in Heliã Prophetam.*

[y] *Psal. 146.*

*glectis obuolitant animalcula quædam diuina prouidentia ſuppeditata, quæ captantes illi creſcunt, & aluntur. Vnde dicit, & pullis Coruorum inuocantibus eum. Proinde per patres illos filiorum ſuorum oſores apud Heliam, qui Iudæis, vt filijs malæ frugis ſuccenſebat, Deus intercedit, quaſi ad eum ſilenter ita diceret. Ne tanto Iudæorum filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos ſuos Corui, & ecce illi nunc conuerſi ſint, vide vel eorum miſericordiam, qui natura ſunt immiſericordes, & inhumani, illi ipſi vt hoſpites tibi ſeruiunt. Abſurdum eſt ô Helia, quod apud te miſericordiæ meæ patrocinantur Corui, tu autem pro Iudæis, in quos ſæuio, non intercedis. Erubeſce, & vel Coruorum exemplo Iudæis eſto clementior. Ego enim vt tuæ ſententiæ honorem do, ita & illorum qui affliguntur, miſereri velim. At Helias cùm Deo nondum cederet, reuocatur alumni Corui beneficium, & alia reconciliandi via quæritur, nempè vt fame victus ſententiam ipſe ſoluere cogatur. Verùm ipſe Coruorum miniſterio deſtitutus, nihilò mitior, inediam etiam ipſe ſuſtinuit, & inquit. Non ingratum eſt, vt fame crucior, tantum vt impios puniri videam, percat etiam corpus meum cum his, qui fame afficiuntur. Itaque cùm deficiente per Coruos alimonia tranſiret multum temporis, iterum corripitur Helias, & in alium locum tranſire iubetur, vt famelicus ipſe famelicæ viduæ, quæ & Ethnica erat, ſupplex eſſet &c.* Hæc D. Chryſoſtomus. S.[z] Iſidorus Peluſiotes myſticè per Coruum ſacerdotem malum, diuinæ nihilominus gratiæ adminiſtrũ interpretatur, vbi inquit: *Quod ſi quid etiam, quod magis mirandum ſit, intelligere cupis per Coruum, hoc eſt immundam auem, quæ cælipetam illum Heliam paſcebat. Quocirca ne dubites, quin per flagitioſos quoſdam ſacerdotes, (neque enim omnes contemnere oportet, neque æquum eſt) diuina, & natura ſublimiora beneficia tribuuntur.*

Helias iubetur Coruum imitari.

[z] *Li. 2. epiſt. 37. ad Hermium Comitem.*

Ita D. Iſidorus hoc Corui exemplo appoſito certè Deum quandoq; indignis ad bonas operas vti oſtendit, quemadmodum, vt Coruus impura ales Heliam Prophetam aluit. Eundem locũ hoc modo interpretatur Iacobus de Vitriaco Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis: Legimus autem, quod Elias paſtus eſt pane ſubcinericio, & ambulauit vſque ad montem Dei in fortitudine cibi illius, quadraginta noctibus, & quadraginta diebus. Panis autem ille figura fuit panis Euchariſtiæ, & panis doctrinæ. Si igitur tanta fuit virtus, & efficacia in vmbra, & figura, quanta & quàm mirabilis eſt virtus in re ipſa, in ipſo ſcilicet pane vero corporis Chriſti, quo reficiuntur animæ populi Chriſtiani? De quo paſtu legimus in libro Regum, quod Coruus paſcebat Eliam, id eſt, Chriſtus fidelem animam, de quo Coruo Dominus in Iob ait: *Quis præparat Coruis eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Dominum:* Coruus dicitur Chriſtus propter ſimilitudinem carnis peccati, qui cùm ſit candor lucis æternæ, quaſi niger factus, dum vidimus eum non habentem ſpeciem, neque decorem. Vnde & Eccleſia nigra fit propter ipſum mundo deſpecta, & varijs tribulationibus afflicta, ſicut ipſa ait in Canticis: *Nigra ſum, ſed formoſa.* Vox autẽ Chriſti dicitur Coruina, quia ſemper in craſtinum ſonat, cùm bona futura promittat. Hæc enim vita quaſi hodierna dies eſt in promiſſione, craſtina autem dies erit in exhibitione. Cras enim reſpondebit nobis iuſtitia noſtra, id eſt Chriſtus, qui factus eſt nobis à Deo Patre ſapientia, virtus, & iuſtitia. Eſca autem huius Corui, non quia paſcitur, ſed quia paſcit nos pullos ſuos, eſt caro eius. Hanc eſcam Spiritus Sanctus in vtero D. Virginis præparauit. Mater autem in præſepio nobilem eſcam in paupere ſcutella poſuit. Chriſtus autem hanc eſcam in cruce coctam eſibilem reddidit, quia pullos ſuos paſcit, dum eos nigreſcere cernit deſpectu ſcilicet mundi, & carnis purificatione. Tertius ſacræ ſcripturæ locus de Coruo habetur in [a] Canticis, vbi ſponſa capillitium dilecti ſui Coruorum pennis præ atrore ſplendentibus comparat, dum ait: *Cincinni eius condenſi ſunt, vt elatæ, & nigri ſicut Corui.* Quæ verba verſibus ſapphicis quidam recentiorum ſic expreſſit:

Chriſt⁹ Coruus dictus.

Vox Chriſti cur Coruina.

[a] *Cant. 8.*

Capilli ſpõſæ Coruo ſimile quid.

*Eius eſt aurum caput, & comantis*
*Vertici palmæ ſimilis capillus*
*Nigraq; omnis Cæſaries ſenis iam*
*Æmula Corui.*

*Caput autem,* vt inquit idem ipſe, *comparatur auro tanquam inter omnia metalla perfectiſſimo. Sed capillorum pulchritudo in ordine non abs re palmæ, ſeu cerebro ipſius palmæ, quam Græci elaten vocãt, æquatur, videlicet ad denotandam virtutem capillorum, quibus cuulſis Samſon perdidit robur, haud ſecus atque palma cerebro cuulſo emori dicitur. In colore verò Coruo aſſimulatur, qui eſt, vt ſequamur theologiam Hebræorum inter præcipuas aues à menſura roboris excelſi prouenicns, vt non ſine cauſa in* [b] *Pſalmo, & Euangelio pullos Coruorum eum inuocantes paſcere dicatur.* Quartus locus eſt [c] Salomonis: *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Hîc pro Coruis intelligendos eſſe volunt dæmones huius elementaris mundi, qui veluti Corui nigerrimi, ac teterrimi vt plurimùm apparent. Hi lumen mentis tollunt, quibus vniuerſalium, & naturæ legum obſeruatio haudquaquam curæ eſt, qui Sacroſanctæ Eccleſiæ, quæ nos in Chriſto veluti mater ſpiritualiter genuit, præcepta & monita procaciter aſpernantur. Quintus locus eſt apud D. Iobum, qui de Coruis hunc in modum quærit: *Quis præparat*

[b] *Pſal. 146.*

[c] *Prouer. 30.*

Corui dæmones qui.

*Coruo*

*Coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagientes eò quòd non habeant cibum.* Hoc ipso conspirat, quinimò ad D. Iobi interrogationem respondet Regius [d] Psaltes, dum summam Dei clementiam mirificè extollit: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis Coruorum inuocantibus eum* &c. Hunc locum commentans Cornelius Iansenius Gandauensis Episcopus. Coruorum (inquit) hîc ob id fit mentio ad notandam magis Dei erga homines prouidentiam, & benignitatem. Si enim Deus etiam rapacissimos, & odiosos Coruos benignè pascit, quantò magis homines ab ipso pendentes. Deinde idcircò etiam Coruorum meminit, quòd voracissimi sint, multo egentes cibo, ob quod fugant longiùs pullos suos iam robustos, vt scribunt Plinius, & Aristoteles suis locis. Atqui ob has easdem rationes Coruorum singulariter mentionem facit [e] Dominus, volens ex prouidentia Dei erga eos, eiusdem prouidentiam erga homines arguere. Considerate, inquit, Coruos, qui non seminant, neq; metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos, quantò magis vos plures estis illis? Pulchrè autem pullos Coruorum, Deum dicit inuocare, nam cæteræ aues suo cantu magis videntur laudare Deum, & lætitiam testari; Corui verò sua crocitatione non nisi famem testari, & penuriam. Simul & Dei eximiam notat benignitatem, & clementiam, qui illorum crocitationem veluti precem ad se fusam suscipit, ac proinde etiam solum gemitũ hominum illi esse pro oratione. In eũdem locũ D. Augustinus sic commẽtatur. Hoc fortè putabimus, inquit, quia Corui Deum inuocant, nec hoc cogitetis irrationabilem animam inuocare Deum. Non nouit anima inuocare Deum, nisi sola rationalis. In figura accipiente dictũ, nec putetis sicut impij quidam dicũt, reuolui animas humanas ad canes, ad porcos, ad Coruos. Anima humana facta est ad imaginem Dei, non dabit imaginem suam cani, & porco. Quid ergo pulli inuocantes eum, qui sunt pulli Coruorum? Israelitæ se solos iustos esse dicebant, quia legem acceperant, cęteros omnes omnium gentium homines peccatores dicebant. Et ferè omnes gentes, in peccato, in idololatria, in adoratione lapidum, & lignorum erant. Sed nunquid sic remanserunt? Et quid ipsi? Etsi non nisi Corui patres nostri, tamen pulli Coruorum nos ipsi inuocamus Deum. Dat pecoribus escam ipsorum, & pullis Coruorum, qui inuocant eum. Ipsi sunt pulli Coruorũ, quibus dicit Petrus. Quia non corruptibili auro, & argẽto redempti estis de superuacanea vestra consuetudine à parentibus vestris tradita. Proficientes enim pulli Coruorum, qui simulachra colere videbantur parentum suorum, conuersi sunt ad Deum. Et audis modò pullum Corui inuocantem vnum Deum. Quid ergo dimisisti parentem tuum dicis pullo Corui. Dimisi planè, ille enim Coruus non inuocans Deum, ego pullus inuoco Deum &c. Hæc Diuus Augustinus. In eundem etiam Diui Iobi locum Diuus [f] Gregorius ita scribit. Quis præparat Coruo escam suam quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes eò quòd non habeant cibos? quid enim Corui pullorumque eius nomine nisi peccatis nigra gentilitas designatur? De qua per [g] Prophetam dicitur: Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis Coruorum inuocantibus eum. Iumenta quippè escam accipiunt, dum sacræ scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis verò Coruorum filijs scilicet gentium esca datur, cùm eorum desiderium nostra conuersatione reficitur. Iste Coruus esca fuit, dum ipsum Sancta Ecclesia quæreret. Sed nunc escam accipit, quia ipse ad conuersionem alios exquirit. Cuius videlicet pulli, id est, prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt. Sed in viribus redemptoris sui. Vnde benè dicitur. Quando pulli eius ad Deum clamant. Nihil enim sua virtute se posse sciunt. Et quamuis animarum lucra pijs votis esuriant, ab illo tamen, qui cuncta intrinsecus operatur hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehẽdunt, quia neq; qui plantat est aliquid neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus. Quod verò dictum est, vagantes, eò quòd nõ habeant cibos in hac vagatione nil aliud, quàm æstuantium prædicatorum vota signantur, qui dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succensi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos desideriũ mittunt. Quasi quædam quippè vagatio est, ipsa cogitationis æstuatio, & velut ad loca varia mutatis nutibus transeunt, dum pro adunandis animabus in modos innumeros, ac in partes diuersas esuriente mente discurrunt. Hanc vagationẽ pulli Coruorum, i. filij gentilium ab ipso gentium magistro didicerunt. Ipse quippè quã valida charitate flagrat, tã nimia ex locis ad loca se vagatione permutat, trãsire ad alia ex alijs appetit, quia ipsa eũ, quę implet charitas impellit. Longè namq; à [h] Romanis positus scribit, memoriã vestri facio sẽper in orationibus meis, obsecrãs si quomodo tandem aliquando prosperũ iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos, desidero. n. videre vos. Retentus Ephesi Corinthijs scribit: Ecce tertio paratus sum venire ad vos. Ephesi commorans Galatis loquitur, dicens: Vellem modo esse apud vos, & mutare vocem meam. Romæ quoq; custodia carceris clausus, quia ire ad Philippenses per semetipsum nõ permittitur transmittere se discipulum pollicetur, dicens: Spero in Domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim cognitis, quæ circa vos sunt. Constrictus etiam vinculis,

[d] *Psal.* 146.

[e] *Lucæ* 12.

Coruos deum inuocare quid significet.

[f] *Lib.* 30. *expos. moral. cap.* 8.

[g] *Psal.* 146.

[h] *Rom.* 1.

atque Epheſi retentus Coloſſenſibus ſcribit. Nam ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum. Ecce quomodo ſancto deſiderio quaſi vagatur: hîc corpore tenetur, illuc ſpiritu ducitur, & paterni amoris affectum iſtis præſentibus exhibet, illis abſentibus oſtendit, coram poſitis impendit opera, audientibus exprimit vota, efficaciter præſens eis cum quibus erat, nec tamen illis abſens, cum quibus non erat. Cuius vagationem melius cognoſcimus, ſi eius adhuc ad Corinthios verba penſamus: ait enim, Veniam ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero. Nam Macedoniam pertranſibo; apud vos autem forſan manebo, vel etiam hyemabo. Perpendamus quæſo, quæ ſit iſta vagatio: Ecce aliò interim manet, aliò ſe iturum perhibet, atque aliò deflexurum promittit. Quid eſt, quod tã anxiè per tot loca patitur, niſi quod circa omnes vna charitate conſtringitur? Charitas enim diuiſa vnire conſueuit, vnum cor Pauli per multa diuidi cõpellit. Quod tamen tantò arctiùs in Deo colligit, quantò latiùs per ſancta deſideria ſpargit. Predicando igitur Paulus vult ſimul omnia dicere, amando vult ſimul omnes videre; quia & in carcere permanendo vult omnibus viuere, & de carne tranſeundo per ſacrificium fidei vult omnibus prodeſſe. Vagentur itaq; pulli Coruorum, id eſt, magiſtrum ſuum imitentur filij gentium, torporem mentis excutiant, & cùm animarum lucrum, id eſt, cibum ſuum minimè reperiunt, non quieſcant, ad profectum ſe ex profectibus extendant, & æſtuantes in vtilitate multorum, refectionem ſuam quaſi vagantes eſuriant. Quia verò per prædicationem opera diſcurrendo, refectione fidei gentilitatem ſatiare non ceſſant, dicatur rectè. Quis præparat Coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes eò quòd cibum non habeant?

Plebs Iudaica per Coruũ deſignata.

Poteſt etiam Corui nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Iudaica deſignari. Nam pulli eius ad Deum clamare referuntur, vt eidem Coruo à Domino eſca præparetur: quia nimirum Sancti Apoſtoli plebis Iſraeliticæ carne generati, dum pro gẽte ſua preces ad Dominum funderent, quaſi pulli Coruorum eũ, de quo carnaliter editi ſunt ſpirituali intelligentia parentem populum pauerunt. Igitur dum pulli eius clamant Coruo eſca præparatur. Illud tamen in hoc verſu debemus ſolerter intueri, quòd huic Coruo eſca dicitur primùm pullis clamantibus, & poſtmodum vagantibus præparari. Clamantibus namque pullis Coruo eſca præparata eſt, cùm prædicantibus Apoſtolis verbum Dei Iudæa modò in tribus millibus, modò in quinque millibus ſpirituali eſt intelligentia ſaciata. Sed cùm reproborum multitudo crudelitatem ſuam contra prædicantes exerceret, & quaſi pullorum vitam necaret, ijdem pulli in vniuerſa mundi ſpatia diſperſi ſunt. Vnde & ijſdem patribus ſpirituali prędicationi reſiſtentibus, dicunt:

[i] *Act. 3.* [i] Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, ſcientes profectò quòd poſtquam gẽtilitas etiam

[k] *Rom. 11.* Iudæa ad fidem veniret. Vnde eſt [k] ſcriptum: Donec plenitudo gentium introiret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Quia igitur ſummoperè Sancti Apoſtoli, & ſtuduerunt prius audientibus prædicare, & poſtmodum reſiſtentibus exempla conuerſæ gentilitatis oſtenderet: quaſi eſurientes pulli huic Coruo eſcam ſuam prius clamando, & poſtmodum vagando quæſierũt. Vnde enim uagantur pulli; inde eſcam Coruus inuenit; quia dum per laborem prædicãtium conuerſam ad Deum gentilitatem Iudaicus populus reſpicit, ad extremum quandoque ſtultitiam ſuæ infidelitatis, & tunc ſcripturæ ſacrę ſententias intelligit, cùm priuſquam ſibi gentibus innotuiſſe cognoſcit, atque expleta vagatione pullorum ad perſpicienda ſacra eloquia os cordis aperit, quia peractis in mundum curſibus Apoſtolorum, ſerò ea ſpiritualiter percipit, à quibus diu ſe perfidia aſtringente ieiunauit. Quæ quia omnia ſolius diuinæ potentiæ virtus operatur, rectè dicitur. Quis præparat Coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant, uagantes eò quòd non habeant cibos? Subaudis niſi ego, qui infidelem populum filijs ſuis, & exorantibus tolero, & prædicantibus, atque ad alia uagantibus conuertendum quandoque in fine ſuſtineo. Eſt adhuc aliud quod de Coruo moraliter poſſit intelligi. Editis namque pullis, ut fertur, eſcam plenè præbere diſſimulat, priuſquam plumeſcendo nigreſcant, eosq; inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem ſua ſimilitudo appareat. Qui huc illucq; uagantur in nido, & ciborum expetunt aperto ore ſubſidium. At cùm nigreſcere cęperint, tantò eis prębenda alimenta ardentiùs requirit, quantò illos alere diutius diſtulit. Coruus

Prædicator doct⁹ Coruus eſt.

profectò eſt doctus quiſque prędicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum ſuorum memoriam, atque cognitionem infirmitatis propriæ, quaſi quandam coloris nigredinem portat. Cui quidem naſcuntur in fide diſcipuli, ſed fortaſsè à peccatis pręteritis memoriam auertunt, & per hoc eam, quam aſſumi oportet contra huius mundi gloriam humilitatis nigredinem, non oſtendunt. Hi velut ad accipiendas eſcas os aperiunt, cùm doceri de ſecretis ſublimibus quęrunt. Sed eis Doctor ſuus alimenta prędicamentorum ſublimium tantò minùs tribuit, quanto illos peccata præterita minus dignè deflere cognoſcit. Expectat quippè, atque admonet, vt à nitore uitæ præſentis prius per pœnitentiæ

nitentiæ lamenta nigreſcant, & tum demum congrua prædicationis ſubtiliſſimæ nutrimenta percipiant. Coruus in pullis ora inhiantia reſpicit, ſed antè in eis pennarum nigredine indui corpora quærit. Sic & diſcretus Doctor interna myſteria eorum ſenſibus non miniſtrat, quos adhuc ab hoc ſæculo nequaquam ſe abieciſſe conſiderat. Quantò igitur diſcipuli exteriùs per cultum vitæ præſentis minùs quaſi nigri ſunt, tantò per cibum verbi interius minùs replentur: & quo ſe à corporali gloria non euacuant, eò à ſpirituali refectione ieiunant. Si verò in confeſſione vitæ præteritæ lamenti ſui gemitus velut nigreſcentes plumas proferant, ilicò in contemplationem Doctor ad eſcam de ſublimibus deferendam quaſi pullorum refectionem cogitans Coruus volat: eisq; hiantibus in ore cibum reuocat, dum ex ea intelligentia, quam ceperit, eſurientibus diſcipulis alimenta vitæ loquendo ſubminiſtrat. Quos tantò ardentiùs de ſupernis reficit, quantò veriùs à mundi nitore nigreſcere pœnitentiæ lamentatione cognoſcit. Pulli autem dum nigro ſe pennarum colore veſtiunt, de ſe etiam volatū promittunt, quia quò magis diſcipuli abiecta de ſe ſentiunt, quò magis ſeſe deſpicientes affligunt, eò amplius ſpem profectus ſui in altiora pollicētur. Vnde & curat Doctor feſtinantiùs alere, quos iam per quædam indicia prouidet poſſe, & alijs prodeſſe. Hinc enim Timotheum Paulus velut plumeſcētes pullos ſollicitius alere, dum dicit quæ audiſti à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. Quæ doctrinæ diſcretio dum cautè à prædicatore cuſtoditur, ei diuinitus largior copia prædicationis datur. Dum enim per caritatem compati afflictis diſcipulis nouit, tum per diſcretionem congruum doctrinę tempus intelligit, ipſe non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro eis, quibus laboris ſui ſtudia impendit, maiora intelligentiæ munera præcipit. Vnde hîc quoque aptè dicitur: Quis præparat Coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant vagantes eò quòd non habeant cibos? Cùm enim pulli vt ſatientur clamant, Coruo eſca præparatur, quia dum verbum Dei boni Auditores eſuriunt, proficiendis eis maiora Doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. Hactenus itaq; D. Gregorius.

[1] Iacobus de Vitriaco S.R.E. Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus: Quis præparat (inquit) Coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum? eſca Corui, qua paſcit nos, caro eius eſt: hanc eſcam in vtero virginali præparauit Dominus, qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis Coruorum inuocantibus eum. Reclinatus in præſepio factus eſt fœnum iumentis, factus eſt caro, pullos Coruorum carnibus pauit, id eſt, filios peccatorum, ſcilicet Eccleſiam de gentibus congregatam, vel Iudæos filios Patriarcharum, vt Coruus ſumatur in bonum, iuxta illud: Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalem. Vnde, & Chriſtus Coruus dicitur, qui in veſpere mundi carnes nobis obtulit, non quia peccator ſit, ſed propter ſimilitudinem carnis peccati, & quia pullos non paſcit, niſi quando incipiunt nigreſcere mundo mortui, & deſpectui. Cùm.n. eſſet candor lucis humiliauit ſe, vſque ad mortis nigredinem, cuius vox Coruina eſt ad futura bona nos inuitans, & bona futura promittens. Coruus etiam ille, quem populus Romanus ſolenni adeo funeris pompa mortuum proſequutus eſſe, ac honoraſſe legitur apud authores profanos, apud nos tamen myſterio non caret, quippè qui ſine vllo garritu, volatu, alioue augurio Chriſtum iam aduenisſe certo ſignificauit, & breui omnem dæmonum poteſtatem, præcipuè verò Roma, quę ipſa arx Idolomonię erat, proſternendam, exterminandam, & perpetuo obliuionis ſepulchro condendam fore. Teſtatur hoc doctiſſimus Theologus [m] Gilbertus Genebrardus ita ſcribens: *Anno vno ante paſſum Dominum M. Seruilio, & C. Seſtio Coſſ. funus Corui celebribus exequijs omnium generum coronis nouo & inuſitato facinore curatum à Pop. Romano, authore Plinio; ſignificante ſpiritu Sancto Coruum, id eſt, atrum illum Sathanam mox extinctum iri Romæ, vbi præcipua eius poteſtas cultusq; erat, & garritus.* Quod ad Ethnicas ſuperſtitiones attinet, apud has quoque Coruū videmus ſua habuiſſe myſteria. Eum enim ſacrum, & Apollinis pediſſequum teſte Plutarcho, & [n] Aeliano eſſe dixerunt, cùm quia futura cantu, & volatu prædicere, & Apollinis ſententiam teſte Porphyrio, vnà cum Accipitre nuntiare credebatur, tùm quia niger eſt, & tenebroſæ nocti (vt Cycnus ob candorem diei) apprimè cōuenit, quorum vtriuſq; Phœbus dominus eſt. Itaque non ſolùm Coruum, ſed & Cycnum ei conſecrârunt. His aſtipulatur Apuleius, qui vbi de Socratis dæmonio agit, ita inquit: *Cùm duo præſtabiles colores piceus, ac niueus forent, quibus inter ſe nox cum die differrent, vtrumq; colorem Apollo ſuis alitibus condonauit Coruo nigrum, Cycno album.* Hinc Auſonio *Phœbeius oſcen.* [o] Silio Italico *Phœbea ales* nuncupatur. Tertiam etiam rationem quidam adferunt, quòd Apollo, cùm gigantes Dijs bellum inferrent, in Coruum mutari voluit. Phornutus tamen è contra Coruo a Phœbo alienum ait, quòd vel ipſo colore prophanus, ac impurus habeatur, id eſt, *μιαρος*. Vnde illi Cycnum potiùs attribuit, quòd is auium maximè muſicus ſit, & candidiſſimus.

[1] *In die Natiu. Domini.*

Chriſtus Coruus dicitur.

Corui à Romanis ſepulti myſterium.

[m] *In Chronologia.*

Coruus ſepultus Dęmonis exitium adeſſe ſignificat.

Coruus Apollinis pediſſequus, & ſacer, quare.

[n] *Lib. 7. de Anim. c. 18.*

[o] *Lib. 5.* cygnus cur Phœbo ſacer.

# MORALIA.

MYSTICIS moralia æqualia ſunt, aut ſubnexa. Corui Noe hiſtoriam D. [a] Ambroſius ethicè exponit: *Per feneſtram*, inquit, *Coruum primùm iuſtus emiſit. Quærenda cauſa nec tamen latet, quantum ad literam attinet, quia plerique quaſi annuncium futurorum Coruum exiſtimant, & voces eius obſeruant, volatuſq; rimantur. Senſus autem altior ſignat, quòd omnis iuſtus, quando mundare ſe incipit, quæ tenebroſa ſunt, & immunda, & temeraria, primò à ſe repellit. Siquidem omnis impudentia, atque culpa tenebroſa, & mortuis paſcitur, ſicut Coruus. Lumini autem vicina virtus puritate, & ſimplicitate reſplendet. Et idcò tanquam emittitur, atque fugatur culpa, & ſuperatur ab innocentia, vt & nihil remaneat in viri iuſti mente tenebroſum. Denique egreſſus Coruus non reuertitur ad iuſtum, quia fugitans omnis culpa eſt æquitatis, nec probitati videtur, & iuſtitiæ conuenire. Denique euaſiſſe ſe credit iniuſtus, tanquam de vinculis, cùm iuſtus ab eius conſortio ſe ſeparauerit diluuij cuiuſdam, & corruptelæ familiaris, vt Coruus, qui cùm ſiccitatem terræ nuſquam inuenerit, non reuerſus eſt, ſed remanſit, donec ſiccarentur aquæ. Conſiderandum etiam quare non regreſſum dixerit Coruum, donec ſiccaretur aqua à facie terræ, quaſi verò poſtea ſit regreſſus. Sed hæc loquutio familiaris eſt ſcripturæ diuinæ. Siquidem, & in Euangelio habes ſcriptum de Sancta Maria quòd non cognouerit eam Ioſeph, donec pepererit filium, cùm vtique nec poſt cognouerit. Deinde quæ eſt loquutio iſta, vt diceret, donec ſiccaretur aqua à terra, non terra ab aqua. Et quidem vſus loquendi hoc etiam habere conſueuit. Tamen nonnulli ante nos exiſtimárunt, quòd immoderata quædam vis paſſionum videatur exponi hac locutione verborum, quia turbidis paſſionibus, & procelloſis conſumatur anima. Deficientibus autem & velut areſcentibus virtutem reſumat. Non redit igitur culpæ ſpecies in animam iuſti, quaſi ſiccam, & mortuam derelinquens, & cui iam amplius nocere non poſſet.* Hactenus ille. D. Thomas *per animalia Coruini generis*, inquit, *ſignificantur illi, qui ſunt voluptatibus dediti, vel qui ſunt expertes bonæ affectionis, quia Coruus ſemel emiſſus ab arca non eſt reuerſus.*

[a] *Li. de Noe, et arca, c. 17*

Voluptatibus deditos Corui ſignant.

# HIEROGLYPHICA.

CORVVS vetegibus hieroglyphicum erat patris liberos ſuos exhæredantis. Coruus enim pullos ſuos iam adultos expellit nido, imò & tota regione interdicit. Emanſorem, & deſertorem eodem ſignificari, tam diuinæ, quàm humanæ literæ docuerunt, quippè qui vel diutius, quàm conceſſum erat, à ſtatione abeſſent, vel eaſdem perditè deſererent. Et vt Phœbi apud Poëtas, ita apud noſtros (ſi tamen licet prophana miſſere Diuinis, quod inconueniens maximum puto). Noe ex arca emiſſus deſertor fuit. Hic Coruus eos deſignat, qui ab Eccleſiæ gremio diſcedentes, & puritatis, ac ſanctimoniæ decreta abiurantes ad nefanda, & obſcæna hæreticorum dogmata deſcedunt. Has volucres Abrahã frumenta depaſcentes abegiſſe dicitur: vnde nomen meruit abactoris, indicans nimirum futurum aliquando, vt liberatoris aſſertorisq; nomẽ aſſequeretur, qui impios tolleret, de ſacris literis animorum paſtu malè ſentientes. Per hominẽ Coruis obiectum intelligimus, qui ignominiosè repulſam paſſus eſt, aut è conſpectu heri ſui, & domini ſummotus. Et quoniam dæmone malo nihil magis abominabile, nihil contemptius, nihil abiectius; itaq; Eucherius eum ipſum in diuinis literis monet per Coruum intelligi, eo Salomonis loco: *Effodiant eum Corui de torrente:* Atq; hinc prouerbium apud Græcos comicos vſitatum, ὡς κόρακας. In ijſdem diuinis [a] literis legitur apud Græcos μὴ ἀποσκορακίσῃς μὲ, quod nonnulli ad hoc prouerbium trahunt, verbumq; ἀποσκορακίζομαι Suidæ agnitum dicunt, eo ipſo Dauidico citato verſu, & mẽtione ignominiosè repulſæ facta, Latini ſimpliciter *Ne repellas me*, reddidere. Sed n. Euthymius id verbum etiam è ſcoria deſumi poſſe innuit, quæ ſpurcitia eſt in omni metallo, & tanquam fex inutilis proijcitur, indeq; fieri ἀποσκορακίζειν contemnere. Sic & à Coruo Rhetore hieroglyphicum deſumitur, qui poſt Hieronis obitum primus Rethoricam Syracuſis docuit, quo celebritate motus Metellus Diodorum Rhetorem, quo magiſtro vſus fuerat, iam defunctum honoraturus, Coruum lapideum ſepulchro impoſuit, quaſi quod antiquiſſimo illi Coruo ſimilẽ indicare vellet. Cæterũ Cicero rem aliò detorſit cauillatus in Metellũ, rectè eum ſ. feciſſe, propterea quòd diſcipulũ non dicere, ſed volare docuiſſet, inconſtantiã Metelli, qua malè audiebat, hoc dicterio perſtringens. Quod verò Coruus Apollinis hieroglyphicũ haberetur, nonnulli ea de cauſa factum exiſtimant, qua caprum Baccho, Sileno aſinum ſtulta antiquitas dicauit inauſpicatiſſimũ aiunt animal auſpicatiſſimo oraculorũ authori immolari meruit. aliud eſt hãc, vel ipſam Deo cuipiã facere hoſtiã, aliud ſpecie Deũ ipſum explicare. Hoc modo animaliũ figuras huius, vel illius hieroglyphicõ eſſe dicimus. vtpotè qua poſita Deus ſtatim ſuus cognoſcat. Igitur alij dicũt quòd medijs æſtatis feruoribꝰ pullos excludat,

[a] *Pſal. 26.*

Coruus

Hæreticorũ typus. Abraham. Abactor dictus, & quare.

Homo Coruus obiectꝰ quid ſignificet.

Coruus Rhetor.

Apollinis hieroglyphicum.

Coruus ideò præter aliorum animalium naturam aliquid Coruo peculiare datum esse, in quo cum sole caloris authore conueniat. Vnde legitur apud Petronium: Arbitrum.

*Si contra rerum naturæ munera nota*
*Coruus naturæ frugibus oua refert.*

Sed enim cùm [b] Porphyrius dicat: *Colorem nigrum Soli dicatum, quòd eius calore corpora humana etiam fusciora nigriora, reddantur:* & cùm Coruus inter aues maximè niger sit, itaq; manifesta causa est, cur is Apollini sacer habeatur. Porrò Brachmanæ colorem atrum in primis venerantur propter Solem omnia denigrantem. Nam & Salomon rem egregiè nigram ostensurus Canticorum Cantico: *Crines*, ait, *eius vt abietes, nigri sicut Corui.* Auem autem Apollini familiarem fuisse, atq; insigni candore præditã, ipsius verò mox indignatione, quòd ab se dilectę Coronidis crimen detulisset, in eam nigredinem demutatam, fabularum scriptores Hesiodum sequuti meminêre. Sed Artemo Pindarum commendat, qui Apollinẽ ipsum nulla Corui mẽtione facta per se Isios, & Coronidis furtum deprehendisse ait: Coruũ siti damnatum ab Apolline, quòd sacrificantem aqua moratus esset, iam antè diximus, ideoq; sitis hieroglyphicum est. Quare & Nicander scripsit frequentiores eius alitis crocitatus venturæ pluuiæ indicium esse. Sed quoniam ob ventris profluuium, quo per æstatem sexagenos dies laborat, Coruus à potu abstinet, sobrietatem conuenientiùs, quàm sitim hanc vocabimus. Impostorem significare Coruum insistentem vrnæ, & saxum ore tenentem non immerito quis dicet. Vt enim iam antè meminimus, quæ auis huius sagacitas est, si quando aquam in vrna submissam adeò, vt eam rostro nequeat attingere, repererit, tum verò lapillis vnà congestis, & immersis aquam subleuat, & siti consulit. Idem de cane Plutarchus scribit, qui lapillos in amphoram olearam conijciebat, donec oleo redundante lambere posset arbitratu suo. At vel argutum physicum, aut subtilem mathameticum quis Coruum arbitretur, qui rerum omnium plenitudinem esse, & mutuam corporum pugnam, eaq; inuicem sibi cedere, alterum in alterius locum succedere, grauia imum, læuia summum petere apprimè cognoscat: aut quasi eam Archimedis rationẽ intelligat, qua coronæ sacoma quam mirè cęlatam ob insigne artificium Hiero Syracus. Tyrannus fraudem subolfaciens cùm refundere nollet, fraudem tamen percipi maximè auebat, ipse Archimedes callido certè consilio deprehendit. Veruntamen non ea Corui mens est, vt vel miras naturæ affectiones, vel subtiles Geometrarum speculationes rimetur. Vna in corpore conseruando cura est, hæc vna mentem acuit, hæc callidum facit. Sycophantam reuerà, & impostorem eius imago, ut suprà annotauimus, referet. Qua in re historiam Valeriani, ex quo multa huc retulimus, narrare lubet, qui non absimilem Coruinæ impostura famulum habuit, & in eo uitæ alendæ genere apprimè callidum, sed verba eius ipsa ascribamus. Fuit mihi Romæ famulus, ait, natione Gallus, patria Verdunensis, nomine Rolandinus, facetulus, & morio non sanè illepidus, & cùm primis officij sui memor. Allatus ad me fuerat Venetijs uini Cretici cadus, generosi admodùm, atque suauissimi. Iussi, uti mos est, talia non credere famulis, sed diligentiùs asseruari, amicis aduenientibus potiùs, quàm mihi vsui futurum. Interdum tamen vnciatim minimum quid hauriebatur. Intermonebat famulus subinde futurum, vt nectar (sic enim ipse vinum appellabat) si ita asseruare pergerem, in massam obduraretur, atque etiam lapidesceret. Putabam ego de firmitate dici, quam vinum indies veterascens acquirebat, atque benè sanè respondebam. Quid autem? Venit æstas, visumque est cadum, ne conciperet æstum, loco dimouere. Cumque in commodiorem cuppam transferre vellem, vix duobus inde sextarijs effusis nihil amplius effluebat, ipso tamen pondere permanente. Quid sit miror. Operculum supernè tollo, introspicio, rem immisso digito peruestigo, atque ecce vim ibi glareæ ingentem, quanta nux iuglans est, magnitudine ad summum, usque cadum aggestam, quam non in cuppam, sed in vimineum corbem transfundere necesse fuit. Ita astutulus ille veterator quotidiè aliquid subducebat, & ne tubulus, qui paulò infra cadi medium immissus erat, aliquando rem proderet ad exhausti vini modum lapillos eos amoto supernè operculo, quâ liquor infundi solet, immittebat, oppletoque ita calculis cado, ut nullum iam amplius infarcire posset, satis iam colluctatus non exspectato, vt res propalam fieret, domo emigrauerat. Hæc Pierius. Quibusdam etiam proditoris signum est Coruus, quippè qui Phœbo Coronidem Nympham à iuuene vitiatam fuisse reuelauerit, ut fabulæ habent. Vndè ob loquacitatem ab Apolline indignabundo ex albo in nigrum uersus, dignum suæ alios deferendi libidinis præmium tulit. Quod pleruńq; proditoribus accidere solet, ut peius cum ipsis postea, quàm quos detulerint, agatur. Est etiam rei uagæ, & inconstantis symbolum iuxta illud Horatij:

*Est aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum*
*An passim sequeris Coruos testaq; lutoq;?*

[b] *Lib. de abstinen. carnium.*

Brachmanæ coloris atri cultores.

Sitis Hieroglyphicũ.

Sobrietas Corui.

Impostoris typus.

Archimedis ingeniũ

Coruus sycophantæ imago.

Famuli cuiusdã astus lepidus.

Coruus proditoris signum.

Proditores puniendos.

Incõstantię symbolum

Iuſtitiæ ſignum.

A Noe ex arca ablegatus Coruus, iuxta Theologos diuinæ iuſtitiæ ſymbolum gerebat, aliàs hominis improbi nota eſt, in quo ſenſu etiam Iuuenalis dixit:

*Dat veniam Coruis, vexat cenſura Columbas.*

Et Prudentius.

*Coruos mutare Columbis.*

# PROVERBIA.

Mali Corui malũ ouũ.

MALI *Corui malum ouum* Κακῆ κόρακος, κακὸν ὠόν. Aptè vſurpabitur, quoties à malo præceptore diſcipulus malus proficiſcitur. ex improbo patre improbus filius, ex patria illaudata, vir illaudatus, deniq; facinus ſceleſtum ab homine ſceleſto. Metaphoram alij ad naturam animantis referunt, quæ nec ipſa idonea eſt humanis cibis, nec ouum parit ad quicquam vtile. Sunt qui fieri dicant, vt Coruorum pulli parentes ipſos deuorent, ſi fortè eos ad ſatietatem minimè pauerint. Alij, vt Suidas, & Varinus, ad huiuſmodi fabulam referunt. Corax quidam Syracuſis poſt mortem Hieronis inſtituit rhetoricen mercede profiteri. Cum hoc adoleſcens quidam Tiſias hac lege pactus eſt, vt tum demum mercedem perſolueret, vbi iam artẽ perdidiciſſet. Dein vbi iam arte cognita præmium reddere cunctaretur, Corax in ius diſcipulum vocauit. Vbi iuuenis huiuſmodi dilemma proponit. Percontanti quis eſſet artis finis, vbi Corax reſpondiſſet, perſuadere dicendo. Age, inquit, ſi perſuadeo iudicibus me nihil debere, non reddam, quia vici cauſam: ſin minus perſuadeo, non reddam, quia non perdidici artem. At Corax Tiſiæ dilemma tanquam vitioſum, & antiſtrephon in diſcipulum retorſit ad hunc modum: Immò, inquit, ſi perſuades, dabis, quia tenes artem, & debes ex pacto: ſin minus dabis, quia ſententia iudicum damnatus es. Quod commentum tam vafrum, tamq; callidum, vbi iudices audiſſent admirati verſutiam adoleſcentis, ſucclamarunt, Κακῆ κόρακος κακὸν ὠόν. Sunt qui narrant, hoc ſucclamatum à Corona circumſtantium, cùm alter alteri litem intenderet. Huiuſmodi fermè leguntur in Prolegomenis in Hermogenis Rhetoricen.

Corax rhetoricen docuit.

Coruus aquat.

*Coruus aquat.* dici ſolitum, vbi quis non citra negotium, citraq; ingenium, quæ cuperet, conſequeretur: Aut vbi quis rem nouis artibus efficere tentaret. Ductum adagium à Coruo ſitienti, & lapillos in vrnam congerente, quod [a] Plinius vt rem geſtam memorat.

[a] *L.10.c.43.*

Corui Luſcinijs honoratiores.

*Corui Luſcinijs honoratiores*: Κόρακες ἀνδρῶν ἀιδεστιμωτέροι Cùm indocti doctis præferuntur, improbi probis, blaterones eloquentibus, rapaces ac furaces cordatis viris, & integris. Illud apud Martialem: *Inter Lædæos ridetur Coruus Olores*. æquiualet ei, quod eſt apud [b] Virgilium: *Interſtrepere Anſer Olores*. *Coruus abſente Gracculo pulcher.* Adagium in Theophilacti epiſtolis legitur κολοιῶ μὴ φανέντος καὶ κόραξ ὑπρεπέσι καταλογιαθήσεται ὄρνισιν. id eſt, *non apparente Gracculo inter ſpecioſas aues numerabitur Coruus*. Non inuenuſtè eo vtemur, cùm duos ſimiles propè deformitate comparamus. Elegantius ſonabit, ſi ad ingenium transferatur, vt ſi dicamus, Saluſtij immanem illam in Ciceronem dicacitatem luſum eſſe præ effræni illa Caleni Furij apud Dionem in eundem virulentiam. *Coruum deluſit hiantem*, dictum eſt ab [c] Horatio in eum, qui captatorem ſuum arte fruſtratus fuerat.

[b] *In Bucolicis Eglog.8.*

Coruus abſente gracculo pulcher.

[c] *2. Serm. Sat.5.*

*Plerumq; recoctus*
*Scriba ex quinqueuiro Coruum deluſit hiantem.*

Corani teſtamentum

Loquitur de Corano, qui Naſicæ ſocero ſpe teſtamenti oſtentata per dolum moriens nihil præter plorare reliquit. Videtur autem hoc adagiũ effictum ad illud Græcorum λύκος ἔχανεν, id eſt, *Lupus inhiabat*. Vt itidem dicere liceat, Lupum deluſit hiantem, & Κόραξ ἔχανεν, id eſt, *Coruus inhiabat. Coruus nuncius*. Adagium eſt apud Polydorum Virgilium, de eo, qui liquo terrarum miſſus, non reuertitur. Alluſum eſt ad Coruum illum, quem legimus Noe miſiſſe viſum an vſpiam terra appareret, quæ diluuio obruebatur, qui minimè redijt. Si breuis apologus authore Fabio parœmiæ genus eſt, cur non illud etiam Prouerbijs, annumeremus, quod ſcripſit Horatius:

*Sed tacitus paſci ſi poſſet Coruus, haberet*
*Plus dapis, & rixæ multò minus inuidiæq;.*

[d] *Li. de Deo Socratis.*

Coruus ſerpentem.

Quidam ſumptum exiſtimant ex apologo, quem [d] Apuleius de Coruo prædam nacto refert, quam Vulpes ita intercepit, dum ab ipſa perſuaſus, quaſi egregiè, & ſuauiter caneret, ad cãtum iam linguam, & roſtrum applicaret; Quadrat in eos, qui ſi quid boni, aut incurioſitate, aut aliorum blanditijs deliniti, id ſinunt elabi. *Coruus ſerpentem.* Κόραξ τον ὄφιν, vbi quis ſuo ipſius inuento perit, ſumptum ex Apologo Aeſopi. Coruus eſuriens ſerpentem in aprico dormien-

tem

tem conſpicatus rapuit, à quo morſus perijt. Cognatum eſt ei, quod alibi referemus, *Cornix ſcorpium*. Torquetur id in hominem ob edacitatem periclitantem, veluti Diogenes Cynicus co meſo polypo crudo perijt. *AD CORVOS* Βαλλ' ἐς κόρακας, id eſt. *Abi ad Coruos*, perinde ac ſi dicas, Abi in malam rem. Abi in malam crucem. Frequens eſt apud [c] Ariſtophanem, & item ſimpliciter ἐς κορακας, ſeu ad Coruos. [f] Plutarchus Herodotum taxat, quòd Iſagoram ad Cares, veluti ad Coruos relegârit, id eſt, quòd eum Carem fecerit. Zenodotus ſcribit in Theſſalia locum eſſe, cui nomen inditum Coruis, in quem nocentes præcipites dabantur, atq; huius adagij Menandrum etiam meminiſſe. Quoſdam autem originem adagij ad talem hiſtoriam referre. Bœotijs quondam Arnam incolentibus oraculo prædictum eſt, futurum vt è finibus expellerentur, ſimulatq; Corui albi apparuiſſent, euenit deinde vt adoleſcentes aliquot per laſciuiam, & temulentiam Coruos, quos ceperant, gypſo oblitos rurſum emitterent. Quos vbi vidiſſent volantes Bœotij, recordantes oraculum, arbitrati adeſſe tempus, quo forent ſuis è ſedibus eijciendi, ſummoperè perturbati ſunt. Cæterùm adoleſcentes territi, & ipſi tumultu profugerunt, ac locum quendam ſibi mercati ſunt, cui nomen Coracon, id eſt, Coruorum. Contigit aliquantò pòſt, vt Aeoles eiectis Bœotijs Arnam occuparent, apud quos hic deinde mos obſeruatus, vt maleficos in eum locum, ſcilicet κόρακων relegarent. Ariſtophanis interpres paulò diuerſiùs rem enarrat, nempè Bœotijs aliquando à Thracibus ſubuerſis, ac profligatis reſpondiſſe Deum, vt ibi ſedem figerent, vbi Coruos albos reſpexiſſent, conſpexiſſe autem in Theſſalia iuxta ſinum Pagæaticum circumuolantes Coruos quoſdam Soli ſacros, quos pueri per luſum gypſatos dimiſerant. Bœotij verò rati, iam perfectum oraculi ſymbolum, inibi ſedem conſtituerunt. Sunt qui Paræmiam ad Coruorum volatum referant, quòd in deſertis ferè locis volitare conſueuerint, & cadauera obſeruare, vt prouerbium conueniat cum illo, in extremas ſolitudines publicitùs deportandum. Stratonicus citharædus detorquet in pſalten quendam apud [g] Athenæum. Is cùm ei neſcio quid moleſtus eſſet, ψάλλε, inquit, ἐς κόρακας, deprauata per iocum voce ψάλλε pro βάλλε. Malum id etiam Germani imprecantur per Coruos, vt te Corui depaſcantur. Vtitur huiuſmodi imprecandi formula Strozza Pater:

*Deq; tuo impactis ſit rixa cadauere Coruis.*

Elegantèr dictum eſt à Diogene Cynico ſatius eſſe ad Coruos deuenire, quàm ad adulatores, quòd hi & viuos etiam, & bonos viros deuorarent, illi malos tantùm, & ſupplicio pro ſcelere affectos. Porrò apud [h] Iuuenalem verſus iſte:

*Dat ventam Coruis vexat cenſura Columbas.*

prouerbialiter dicitur, quaſi diceret pœna legum exercetur in humiles quoſpiam, & à quibus ob ingenij manſuetudinem aliquid emolumenti poteſt auferri, rapacibus ignoſcitur. Prouerbium ſumptum videtur ex apophthegmate Anacharſidis, qui hoc dicto eluſit ſtudium Solonis in conſcribendis legibus, quemadmodum refert [i] Plutarchus. Leges aranearum telis ſimiles dicebat, proterea quòd in illas, ſi quid leuius, aut imbecillum incurrit, hæret: ſin maius aliquid, diſſecat, ac fugit. Ad eandem ſententiam pertinet, quod ait [k] Terentius:

*Quia non rete Accipitri tenditur, neque Miluio*
*Qui malè faciunt nobis, illis qui nihil faciunt, tenditur.*
*Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.*

Idem adagium tribus duntaxat verbis expreſſit Polydorus Virgilius: *Hic Coruus eſt.*

[c] *In Nubib.*
[f] *In Comen. aduers⁹ Herodotum.*
Coruus Theſſaliæ locus.
Bœotiorum augurium.
Corui gypſo obliti.
Coracon locus.
[g] *Lib. 8.*
Adulatores Coruis peiores.
[h] *Sat. 2.*
[i] *In Solone.*
Leges aranearum telis ſimiles.
[k] *In Phormione.*

# MEDICA.

MEDICVS quidam ætate Plinij, vt ipſe tradit, celebris, Coruos duos menſe Martio ſublatos è nido, combuſtos, & in læuiſſimum pollinem redactos, epilepticis propinabat bis, vel ter in die drachmæ pondere cum aqua decoctionis caſtorei. Aliqui Coruum excoquunt, & nocte concubia in plumbeum vas condunt ad denigrandos capillos. Quam vim Philes ouis eius aſcribit dicens:

Πλὴν τῆτο πιϛὸν ὡς μελάνει τας τρίχας
Κόρακος ὢον συντεθὲν τῃ μυρσίνῃ. id eſt,
*At hoc credi dignum nempè pilos reddere atros*
*Corui ouum commiſtum myrto.*

Corui puluis ad epilepſiam.
Ouа ad denigrandos capillos.

Verùm, vt iſthæc veroſimilia ſunt, ita quæ ſubit, eius cancellos mihi videntur excedere, ſed penes alios iudicium, penes ipſum fides eſto, ait autem:

Χρὴ γοῦν βασιλῆ τὸν δολοῦντα τὴν κόμην
Μύσαντα τῷ σώματι συνέχειν ϛεαρ

Μὴ κὶ τὸ λευκὸν τῶν ὀδόντων ἀυτικα
Τραπὲν μελανθῇ τῆς βαρῆς προσγμένης. id eſt:
*Oportet igitur, ô Imperator cùm qui fucet comam*
*Compreſſo ore fermentaceam offam continere*
*Ne candor dentium repente*
*Vertatur in atrum ob præcedentem infecturam*

Sanguis. Sunt qui ſanguine & cerebro Corui vtantur, cum vino nigro ad eundem vſum. Platearius ſumantur, inquit, ſcrupuli tres ſanguinis à ſpatulis per ſcarificationem extracti, & cum ouo Corui dentur in fine acceſſionis, ægro adhuc ſtupido. Rhaſis ſanguine Coruorum ſubtiles reddi

Seuum. pilos tradit. Seuum verò Corui & rutam recentem cum oleo miſceri iubet, quo inuncti capilli nigreſcant. Cerebrum Corui cum ſtillaticio liquore verbenacæ epilepticis prodeſſe ab amico quodam ſuo tanquam experimentis comprobatum remedium ſibi perſcriptum Ornithologus ſcribit. Tradit Rhaſis *fel Corui mixtum oleo de aliuiule* (quod equidem quale ſit ignoro) *& corpori toti illitum ſoluere Veneris vincula:* Videtur autem Rhaſis ſeſaminum oleum velle

Fel. [a] dicere, quod ex [a] Conſtantino colligitur, vbi ſententiam Rhaſis confirmat. Verba eius ſunt.

[a] *Lib. de incantat.* *Oportet aliquando hominum cogitationes fallere medicum, & eorum perſuaſioni etiam falſæ ſe accommodare, & remedia quædam etiam contra rationem permittere, quibus illis confidant. Memini ego quendam virum nobiliſſimum iurare ſe eſſe ligatum, ne cum mulieribus coiret, quem cùm ab hac perſuaſione nulla arte reuocare poſſem, finxi me quoque credere ipſum omninò eſſe ligatum, ne cum mulieribus rem habere poſſet, & remedium oſtendi ex Cleopatra de informanda mulierum ſpecioſitate, in quo promittitur ſi ita legatus fel Coruinum cùm ſeſamclao miſceat, ac totum corpus inungat adiutum iri. Hoc ille audiens confiſus eſt libri verbis, & cùm id feciſſet, liberatus coeundi poteſtatem recepit.* Quidam, vt author eſt Rhaſis ſuffie-

Fellis vſus. bat ſe felle Coruino, vt redderet capillos albos, quod quidem conſecutus eſt. Mirum ſanè eſt, ſi verum eſt, tam contrarias partibus Corui diuerſis ineſſe facultates, vt cerebrum Corui nigros,

Cor. fel verò albos capillos reddat. Pſellus Platonicus author eſt Coruum etiam ad uigilias conferre. Hinc dicunt, ſi quis Corui cor ſuper ſe portauerit, non dormitaturum, donec depoſuerit. Idem pede Coruino à collo tuſſi laborantis pueri ſuſpenſum eum curari tradit. Dentium do-

Fimus. lorem ſtatim abire ſcribunt fimo Corui, lana adalligato, vt docet Plinius: *Imo verò*, ſi Marcello credimus, *fimus Corui lanula obuolutus denti cauo infulcitur minutatim, ac ſine dolore eum diſſutiet.* Sextus, *Cauo denti*, inquit, *fimum Corui ſi impoſueris, dentem rumpit & dolorem tollit.* Eundem Corui *fimum, lana adalligatum infantium tuſſi mederi* Plinius ſcribit. *Suffitum* autem *lepram etiam albam, &*

Ouum. *alphos curare* Kiranides ait. *Ouum Corui grauidis cauendum conſtat, quoniam tranſgreſſus abortus aſperos facit* Plinius. Oua eius *denigrant capillos, ſi pilis raſis capiti illinantur*, teſte Rhaſe. Huic ſuccinunt, Plinius, Marcellus, & Sextus, qui modum utendi talem præſcribunt. Corui ouũ in æreo, ſeu cyprio uaſe permixtum, & diù agitatum, donec mutet colorem, illitumq; deraſo capite, in vmbra per peniculum pictoris, donec ouum conſumatur, nigritiam capillis affert. Sed donec inareſcat, & ficcetur infectio, oleum in ore habendum eſt, ne dentes ſimul nigreſcant, tãta eius in inficiendo vis eſſe ſolet. Et ſeuo Coruino faciem perungi oportet, ne diſtillãtibus guttis maculetur. Vel ut inquit Sextus, *medicamento illicito caput ligabis, nec ante quartum diem ſolues*; & hoc facit, ut ne cani unquã exeãt: *quarto die*, inquit Marcellus, *caput lauari oportet poſt medicamen impoſitum.* Oua coruorum ab Arnoldo Villanouano ad Epilepſiam commendantur, dum ait: *Cùm epilepſia ſit ex melancholia, ſtercus Columbinum tritum, cum ouis Coruorum miſce, & ceu cataplaſma ſplenì impoſitum iuuabit, appoſitis prius ſanguiſugis; hoc enim cataplaſma materiam trahit à capite ad ſplenem, & generat febrim, & ſic epilepticum liberat, & maximè ſi fiat in autumno. Tres guttæ*, inquit idem, *ſanguinis de ſpatulis patientis epilepticì per ſcarificationem extractæ, cum ouo Corui, patiente adhuc exiſtente ſtupido, in potu dare multum proſunt.*

# ICONES.

NEMESIN Deam, quæ putabatur facinoroſos & delinquentes punire (quidam fortunam dici credunt) coronam geſtare in capite Pauſanias refert, qua Corui & fortunæ parua inſignia contineantur, ſicut in manu altera Fraxini ramus erat, & in dextra

[a] *Saturn. 1.* phiala. Dea hæc, vt ſcribit [a] Macrobius, propter ſuperbiam colebatur.

# VSVS IN CIBIS.

ABDICANTVR Corui in cibis omninò ob pabula, quæ magna ex parte ſunt vel ex hominum, vel aliarum animantium cadaueribus. Quare immunda velut auis, & quæcunque ſunt è Coruino genere in ſacris literis Hebræorum menſis arcebantur. Vnde Prudentius:

*Hæc*

*Hæc auibus, quia nuda patent passimq; vorantur,*
*Immundisq; iacent fœda ad ludibria Coruis.*

Interdicitur autem, vt inquit Procopius Gazæus, quòd tenebrosi, & maligni ingenij homines his auibus indicentur. Auaritia quoque ex Coruo prohibito, prohibetur, vt [a] Clemens docet. Corui carnem tanquam valdè noxiam Accipitri dare vetant Accipitrarij.

[a] *Stromat.* Corui cut in cibo prohibiti.

# EMBLEMATA.

ALCIATI Emblema quod inscribitur. *IVSTA VLTIO.*

*Raptabat volucris captum pede Coruus in auras*
*Scorpion audaci præmia parta gulæ.*
*Ast ille infuso sensim per membra veneno*
*Raptorem in Stygias compulit vltor aquas.*
*O risu res digna, alijs qui fata parabat,*
*Ipse perit proprijs succubuitq; dolis.*

Aliud siue emblema, siue symbolum est apud Claudium Paradinum, quod inscriptum est INGENII LARGITOR. Vbi Coruus, vt antè ex Plinio, & Aeliano recitauimus, extrema siti laborans, dum bibiturus, vasculum aqua altiùs residente, quàm ut exorbere posset, lapillis ordine callidus tantisper implet, donec quæ in imo fuerat, sursum supernataret, vt ita sitim leuaret, præcipuo sanè quærendæ subtilitatis, & artis remedium necassitatem esse nobis argumento. Idem emblema inter alia multa pulcherrima in suburbano meo depictum est. Sed cum hoc lemmate: INGENIVM INTENDENS VALET.

# FABVLOSA.

CVM saturrimæ in Coruo nigredinis, & sitis acerrimæ, qua in æstate torquetur, causam frustra antiqui quærerent, in fabulas eas reiecerunt. Asserebant autem album antè fuisse Coruum, sed ob loquacitatem & accusandi libidinem ab Apolline in atrum commutatum, quam fabulam [a] M. Antonius Tritonius prolixè & exactè persequitur in hæc verba: Coruus Coronida Coronei Phocidos Regis filiam, Apollinis amicam in adulterio deprehẽdens, ad Phœbum crimen delaturus aduolauit, quem tamen garrula Cornix, quæ ipsa erat Coronis, huiusmodi uerbis insequebatur. Respice, amabo, ô Corue, respice vt ego etiam sim uolucer atque audi, quæ fuerim, & quonam pacto in tantam inciderim calamitatem. Nam cùm Minerua Erichtonium Vulcani filium, qui in terram ex amplexu deciderat, sustulisset, illumq; Pandroso Herse, & Aglauro Cecropis filiabus cistula inclusum custodiendum tradidisset, vetuissetque ne illum cuiq; ostenderent. Aglauros cistulam cùm aperuisset, puerum mihi vnà cum serpente iacentem ostendit, quod ego imprudens Deæ statim nunciaui. Illa verò iram in me conuertens, ne in uirginum suarum societate ampliùs essem, prohibuit, sicq; cùm in littore infelix diuagarer, Neptunus me procul conspectam adamauit, iamq; uim mihi erat allaturus, cùm ab eadem Dea in Cornicem fui commutata. Vides igitur ô Corue, ut meum hoc crimen uenia potius, quàm ulla sit dignum culpa. Maior enim fuit error Nyctimenis Nyctei filiæ, quæ effrenata libidine concitata unà cum patre cõcubuit: quo scelere Dij immortales commoti, in Nuctuam illam transmutârunt, quæ cæteris uolucribus inuisa nefandum scelus nocturno tempore occultat. Plura erat dictura Coronis, vt Coruum ab huiusmodi abduceret accusatione. Ille uerò celeriter aduolans ad Phœbum peruenit, nunciauitq; uidisse se Coronida iacentem cum iuuene. Apollo indignatus telo puellam traiecit, quæ adhuc puerum ipsius Apollinis filium gestabat in utero. Idq; cùm uidisset Phœbus, statim illum facti penituit sui, cumq; illius rei, Coruus in causa fuisset, auem posthac odio prosequens ex candido illum in nigrum conuertit. Hanc fabulam [b] Ouidius ita prosequitur:

Coruus albus in atrũ murat⁹ cur.

[a] *Lib. 2. Epitom. Metamorph. Ouid.*

Corui, & Coronidis fabula.

Coronis in Cornicem.

Nyctimene in Noctuam.

Coruus ex albo fit niger.

[b] *L. 2. Metamorph.*

*Quam tu nuper eras, cùm candidus antè fuisses,*
*Corue loquax subitò nigrantes versus in alas,*
*Nam fuit hæc quondam niueis argentea pennis*
*Ales; vt aquaret totas sine labe Columbas:*
*Nec seruaturis vigili Capitolia voce*
*Cederet Anseribus: nec amanti flumina Cycno.*
*Lingua fuit damno, lingua faciente loquaci*
*Qui color albus erat, nunc est contrarius albo,*

*Pulchrior*

*Pulchrior in tota, quàm Lariſſæa Coronis*
*Non fuit Aemonia: placuit tibi Delphice certè,*
*Vel dum caſta fuit, vel inobſeruata: ſed ales*
*Senſit adulterium Phœbeius, vtq; labentem*
*Detegeret culpam, non exorabilis index*
*Ad dominum tendebat iter: &c.*

Igitur, vt ait Strozza pater:

*Albus erat quondam volucris Phœbeia Coruus,*
*Nunc importuna præmia vocis habet.*

c.2.Faſt. Alteram verò de Coruo ob ceſſationis peccatum ſiti mulctato fabulam [c] Ouidius ſic narrat:

*Fortè Ioui Phœbus feſtum ſolenne parabat,*
*Non faciet longa fabula noſtra moras,*
*I mea, dixit auis, ne quid pia ſacra moretur,*
*Et tenuem viuis fontibus adfer aquam.*
*Coruus inauratam pedibus cratera recuruis*
*Tollit, & aëreum peruolat altus iter,*
*Stabat adhuc ficus duris denſiſſima pomis,*
*Tentat eam legi, nec erat apta legi.*
*Immemor imperij ſedeſſe ſub arbore fertur,*
*Dum fierent tardâ dulcia poma morâ.*
*Iamq; ſatur, nigris longum capit vnguibus hydrum*
*Ad Dominumq; redit, fictaq; verba refert.*
*Hic mihi cauſa moræ viuarum obſeſſor aquarum*
*Hic tenuit fonteis officiumq; meum.*
*Addis ait culpæ mendacia Phœbus, & audes*
*Fatidicum verbis fallere velle Deum?*
*At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus*
*De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.*

# APOLOGI.

Corui, & Vulpis fabula.

ACCIDISSE fingit Aeſopus, vt Coruus pinguem nactus caſeum, ad ſyluam reuerſus in ſumma exultabundus ſederet quercu. Hunc conſpicata eminùs Vulpes, ac prædam ſua eſurie dignam, caſeum ratus, propiùs ſub arborem con ceſſit, auemq; his verbis compellauit. Equidem, ò Corue, nullam ſcio auem, cui tu pulchritudinis merito cedere debeas. Nam etſi Cycnus te candore, tu ſanè ipſum ſplendore ſuperas. Quantum ad decorem, pluma mollis, caput argutũ, roſtrum validum. Iam ipſe oculis perſpicax, vnguibus tenax &c. Taceo, quòd Apollo te ſibi miniſtrum inter tot volucres elegit. Quod ſi vox tibi, quantum raucam eſſe dicunt, tantum ſuauis eſſet, & ſonora, iam ſylua ſanè hæc tota tibi ſimilem alitem nullam haberet. His verbis, quibus aſtutè præconium eius decantauit Vulpes, allectus & ſupramodum delectatus Coruus, neque tamen hiſcè contentus, ſed ampliores laudes promereri volens, ne id quidem, quod omnes ſibi denegant, ſibi deeſſe oſtentare cupiens, ſe ad crocitationẽ componit, & canere cœpturus, roſtrum aperit. Caſeum itaque excidere laxatum ſinens à Vulpe hoc ipſum expectante in humum delapſum confeſtim ante oculos obripi uidet, & ipſe ſuæ miſeriæ inſpector dolet.

Adulatores per Vulpé deſignati.

Fabula hac graphicè admodum Clodoueus adulatorum mores depingi aſſerit, quibus nil antiquius eſt, quàm commodum ſuum etiam cum alterius detrimento augere, quam lepidis ſanè vèrſiculis expreſsit.

*Vulpe gerente famem, Coruum gerit arbor, & eſcam*
*Ore gerens Coruus Vulpe loquente ſilet.*
*Corue decore decens Cygnum candore parentas,*
*Si cantu placeas, plus aue quoque places*
*Credit auis pictaq; placent præludia linguæ*
*Dum canit vt placeat, caſcus ore cadit.*
*Hoc fruitur Vulpes, inſurgunt tædia Coruo.*
*Aſperat in medio damna dolore pudor.*

Coruus Serpentem rapiens.

Alius apud eundem apologus talis eſt: Coruus cibi indigens, vt ſerpentem in aprico quodam loco dormientem vidit, hunc deuolãdo rapuit. Hic cùm ſe vertiſset, atq; momordiſſet ipſum,

Coruus

Coruus moriturus dixit; Me miserum, qui tale reperi lucrum, quo etiam pereo. Virum significat, qui ob thesaurorum inuentionem de salute periclitatur. Item alius sic habet: Coruus ægrotans ait matri, mater precare Deum, nec lamentare. Ea verò suscipiens, ait; Quis Deus, ò fili miserebitur tui, cuius enim tu carnes non comedisti? in illos, qui in vita multos inimicos habent, amicum in necessitate inuenturos neminem.

# HISTORICA.

HISTORIAS de Coruo, tàm sacras, quàm profanas in mysticis & augurijs aliquot descripsimus, ideoq; plerasq; hîc minimè repetendas duximus, sed eas tantùm, quarum aut nulla, aut obiter & velut per transennã facta est mentio. Ex his ea est, quæ de Coruino Romano ab historicis refertur, quam [a] A. Gellius accuratè complectitur his verbis: *De maximo Valerio, qui Coruinus appellatus est, ob auxilium propugnationemq; Corui alitis, haud quispiam est nobilium scriptorum, qui secus dixerit. Ea res prorsus admiranda sic profectò est in libris annalibus memorata. Adolescẽs Italo tali genere editus, L. Furio, Claud. Appio Coss. fit tribunus militaris. Atque in eo tempore copiæ Gallorum ingentes agrum Pontinum insederant, instruebanturq; acies à Consulibus, de vi, ac multitudine hostium satagentibus. Dux interea Gallorum vasta & ardua proceritate armisq; auro præfulgentibus gratia dimicandi ingrediens, & manu telum reciprocans, incedebat, perq; contemptum, & superbiam circumspiciens, desiciensq; omnia, venire iubet & congredi, si quis pugnare secum ex omni Romano exercitu auderet. Tum Valerius Tribunus cæteris inter metum, pudoremq; ambiguis, impetrato prius à Consulibus, vt in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare sese permitteret, progreditur intrepidè modestèq; obuiam, & congrediuntur, & consistunt, & conferebantur iam manus, atque ibi vis quædam diuina fit. Coruus repentè improuisus aduolat, & super galeæ Tribuni insistit, atque in aduersarij os, atque oculos pugnare incipit, insibilat, obturbat, vnguibus manum laniabat, & prospectum alis arcebat, Atque vbi satis fecerat, reuolabat in galeam Tribuni. Sic Tribunus spectante vtroque exercitu, & sua virtute nixus, & opera alitis propugnantis Ducem hostium ferocissimum vicit, interfecitq;. Atque ob eam causam cognomen habuit Coruinus. Id factum est annis 405. post Romam conditam. Statuam Coruino isti D. Augustus in foro suo statuendum curauit. In eius statuæ capite Corui simulachrum est, reiq; pugnæq;, quam diximus, monumentum.* Hactenus A. Gellius. Ex hac familia erat Coruinus augur, qui Flaminium vetuisse fertur, ne repugnantibus auspicijs pugnaret, quemadmodum his versibus meminit [b] Silius Italicus:

[a] *Lib. 9. c. 11. Noct. Atticar.* Valerij Coruini hist.

Coruus Valeriũ iuuat contra Gallum.

[b] *Lib. 5. de bello Punic.*

*Atque hic egregius linguæ, nomenq; superbum*
*Coruinus phœbea sedet, cui cassida fulua*
*Ostentans ales proauitæ insignia pugnæ*
*Plenus & ipse Deum socium terrente pauore*
*Immiscet precibus monita, atq; his vocibus infit:*
*Iliacas te per flammas tarpeiaq; saxa*
*Per patrios consul muros suspensaq; nostræ*
*Euentu pugnæ natorum pignora, cedas*
*Oramus superis, tempusq; ad prælia dextrum*
*Opperiare, dabunt ijdem tempusq; diemq;*
*Pugnandi tantum ne dedignare secundos*
*Expectare Deos, cum fulserit ore cruentam*
*Quæ stragem Lybiæ poscet: tum signa sequentur*
*Nulla vulsa manu vesciq; interitus ales*
*Gaudebit, nullosq; vomet pia terra cruores.*

Heliam Prophetam [c] sacræ literæ tradunt in summa annonæ caritate à Coruo panem & carnem, quod satis esset, manè & vesperi iussu diuino accepisse, cùm iuxta torrentem Carith, qui potum suppeditabat, profugus lateret. Vnde Prudentius:

Helias à Coruo cibatus. [c] *3. Reg. 17.*

*Nam Coruus Heliæ datus*
*Olim ciborum portitor.*

Pari pacto D. Paulus primus Anachoreta ministros sibi & familiares Coruos habuit. Hic Decij, & Valeriani sæuitiam fugiens sedecim annos natus, mox solitudinem petens, septem & nonaginta annos in Eremo exegit, quantum aliorum nemo. Speluncam habuit in regione Thebaide, palmarum fructus ab initio esitauit, annos dein sexaginta dimidium panem illi præbuit Coruus, atque ministrauit, aquam bibit, nudum alioquin corpus palmacea texit tunica, nunquam post discessum hominem vidit præter Sanctum Antonium, qui supremo vitæ die illi affuit, prouidentia, vt credere par est, diuina. Inter itaque SS. Antonij & Pauli sermocinationes, vt inquit

S. Paulus Anachoreta à Coruis pascitur.

[d] *In vita S. Pauli Eremitæ.* vt inquit [d] D. Hieronymus, ſuſpiciunt alitem Coruum in ramo arboris conſediſſe, qui inde leniter ſubuolans integrum panem ante mirantium ora depoſuit. Poſt cuius abſceſſum, Eia, inquit Paulus, dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors, ſexaginta iam anni ſunt quod accipio dimidij panis ſemper fragmentum: verùm ſub aduentum tuum militibus ſuis Chriſtus duplicauit alimoniam. Hanc de Paulo Eremita hiſtoriam [e] Baptiſta Mantuanus ſic deſcribit:

*In vita Pauli.*

*Tum ſolitus Paulo Cererem deferre per auras*
*Quotidiè, victus inopis plus attulit ergò*
*Hoſpitis Antoni, poſuitq; in limine Coruus,*
*Coruus enim, vel fortè aliquis ſub imagine Corui*
*Angelus, vt naſci ſtellas vidiſſet ab ortu,*
*Ignotis epulas homini portabat ab oris.*

Meginradus Eremita à latronibus occiſus.

Meginradum quendã Eremitam apud Heluetios, vt Ornithologus ait, duo latrones circa Caroli Magni tempora occiderunt, quos cùm Tigurum vſque Corui inſequerentur infeſtarentq; argumento fuêre populo, vt deprehenſi, pœnam tanti ſceleris luerent, cuius rei adhuc inſigne domus eſt, in quam diuerterant. [f] Beda cognomento Venerabilis de S. Cuthberto Confeſſore Anglo huiuſmodi recenſet hiſtoriã. Libet, inquit, etiam quoddam B. Cuthberti in exemplum præfati P. Benedicti factum narrare miraculum, in quo auium obedientia & humilitate palam ſuperbia & contumacia condamnatur humana. Erant ſiquidem Corui multo ex tempore eiuſdem inſulæ ſedibus aſſueti, quos cùm die quadam vir Dei nidificantes hoſpitiolum fratrum roſtro lacerare, ablatosq; culmos, quibus tectum fuerat, ad fabricam nidi ore ferre conſpiceret, coercuit eos leui protenſione dexteræ, atque à læſione fratrum iam ceſſare præcepit. Sed illis imperium ſpernentibus, In nomine, inquit, Ieſu Chriſti abite quantocyus, neque in loco, quem læditis, vlterius manere præſumatis. Vix verba compleuerat, & confeſtim triſtes abiêre; peracto autem triduo vnus è duobus redijt & fodientem reperiens famulum Chriſti, ſparſis lamentabiliter pennis, & ſubmiſſo ad eius pedes capite, atque humiliata uoce, quibus valebat indicijs, ueniam precabatur. Quod intelligens Venerabilis Pater, dedit facultatem remeandi. At ille impetrata eundi licentia mox ſodalem adducturus abijt. Nec mora, redeunt ambo, & ſecum digna munera ferunt, dimidiam videlicet axungiam porcinam, quam Vir Domini aduentantibus poſtea fratribus ſæpiùs oſtendere, atque ad ungendas caligas præbere ſolebat, conteſtans eis, quanta ſit cura humilitatis habenda, cùm auis ſuperbiſſima, iniuriam, quam uiro Dei intulerat, precibus, lamentis, & muneribus feſtinârit abluere. Denique ad dãdum hominibus exemplum correctionis multos deinceps annos in ipſa inſula manebant, & nidificabant, neque aliquid moleſtiæ cuiquam irrogare audebant. Nulli autem uideatur abſurdũ à uolatilibus diſcere formam uirtutis, cùm Salomon dicat, Vade ad formicam ô piger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam. Hæc Bæda, qui etiam de Sancto Columbano Abbate hęc refert: Alia uice cùm ad cibum capiendum ueniret Beatus Columbanus in cœnobio Luxouio, tegumenta manuum, quæ Galli Vuantos, ideſt, chirotecas vocant, quos ad operis laborem ſolitus erat habere, ſupra lapidem, qui ante fores refectorij erat, depoſuit. Moxq; quiete reddita, Coruus ales rapax aduolauit, vnumq; ex eis roſtro ferens abſtulit. Peracta autem refectionis hora, foris vir Dei rediens, tegumenta manuum requirit. Cumq; omnes inter ſe conquirerent, quis inter ſe abſtuliſſet; vir ſanctus ait, nullum alium eſſe, qui ſine comeatu aliquid præſumeret contingere, niſi alitem, qui à Noe dimiſſus ad arcam non remeauiſſet: additq; ſe nullo modo ſuos pullos aliturum, ſi rapax furtum celeri volatu non referret. Expectantibus autem omnibus fratribus in medio eorum, Coruus aduolat, malè ſublatum furtum roſtro reportat, nec ſe pennigera conatur eripere fuga: ſed mitis ante omnium conſpectum, oblitus ferocitatis, vltionem expectat. Quem vir ſanctus abire imperat. O mira æterni iudicis uirtus, qui tanta tuis famulis præſtas, vt non ſolùm hominum honoribus, ſed & auium obedientia clareſcant. Non abſimilem hiſtoriam [g] Laurentius Surius de Sancto Benedicto Abbate recenſet hunc ferè in modum: Vicinæ Eccleſiæ presbyter Laurẽtius nomine huius noſtri Subdiaconi Florentij auus antiqui hoſtis militia percuſſus ſancti viri ſtudijs cępit æmulari, eiusq; conuerſationi derogare, quoſque etiam poſſet ab illius viſitatione compeſcere. Cumq; iam ſe cõſpiceret eius profectibus obuiare non poſſe, & conuerſationis illius opinionem creſcere, atque multos ad ſtatum vitæ melioris ipſo quoque eius opinionis præconio indeſinenter vocari, inuidiæ facibus magis ac magis ſuccenſus deterior fiebat, quia conuerſionis illius appetebat habere laudem, ſed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiuſdem inuidiæ tenebris cæcatus ad hoc uſque perductus eſt, vt ſeruo omnipotentis Dei infectum ueneno panem, quaſi pro benedictione tranſmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione ſuſcepit, ſed eum quæ peſtis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refe-

Corui Sancto Cuthberto obediunt.

Coruus chirothecã S. Columbani rapit.

[g] *Tom. 2. in vita S. Benedicti Abbatis.*

Florentius presbyter necem machinatur S. Viro.

rò refectionis illius ex vicina silua Coruus venire cõsueuerat,& panem de manu eius accipere. Qui cùm more solito venisset,panem,quem presbyter transmiserat,vir Dei ante Coruũ proiecit,eiq; præcepit,dicens: In nomine Iesu Christi Domini nostri tolle hunc panẽ, & talem eum in locum proijce,vbi à nullo hominum possit inueniri. Tunc Coruus aperto ore, expansis alis circa eundem panẽ cœpit discurrere, crocitare, ac si apertè diceret,& obedire se velle, & tamẽ iussa implere non posse. Cui Vir Domini,præcipiebat iterum atq; iterum,dicens: Leua,leua securus atque ibi proijce,vbi inueniri non possit. Quem diu demoratus quandoque Coruus momordit,leuauit,& recessit.Post trium verò horarum spatiũ abiecto pane redijt,& de manu hominis Dei annonam,quam consueuerat,accepit.[i] Idem author aliud miraculum recenset,quo Charini cuiusdam imminentem mortem D. Epiphanius per Coruum in aëre uolitãtem expo nebat,his verbis. Cùm aliquando esset ad prandium in Episcopatu Epiphanius Episcopus om nes clericos in mensa habebat. Mos autem erat Epiphanio nocte, & die habere in manibus S. Euangelia,& docere uerbum diuinum, cùmq; in mensa doceret prandentes Epiphanius, auis, quæ dicitur Coruus,intensè vocem emisit.Dixit autem Charinus prandentibus. Quis nam ex vobis nouit,quid locutus sit Coruus? Verbum autem diuinum exponebat Epiphanius; eãdem vocem rursus emittit Coruus; dixit autẽ rursus Charinus.Quis est ex vobis,qui nouit, quid dicat Coruus? Epiphanius verò omnes rursus docebat in prãdio. Porrò autem rursus quoq; ter tiam vocem emittit Coruus. dixitq; rursus Charinus.Dixi vobis,quisnam vestrum nouit, quid Coruus dicat. dixit quoque Charinus Epiphanio: annuncia mihi, & eris omnium meorũ dominus.Cui respondit Epiphanius.Dixit Coruus te non amplius futurum Diaconum,post orationem autem tremor inuasit Charinum,nec locutus est amplius,aut comedit,aut bibit, sed eũ portantes eius pueri tulerunt in domum suam,& posuerunt in lecto, manè verò mortuus est. Habebat autem uxorem fidelissimam,nec erat eis filius, ea obtulit omnia Epiphanio. Laborauerunt autem eius manus paralysi tempore decem annorum, postquam ergo eam tenuit Epiphanius,ut eam signaret,statim conualuit,& liberata fuit à doloribus. Etsi fabulam aut superstitionem fortè cuipiam sapere videbitur,quod nunc relaturus sum,cùm tamen à uiro sanctitate & doctrina graui nempè à B. Antonio literis mandatum sit, neque nos illud commemorare pigebit, maximè quòd sentẽtiam nostram de solita dæmonis in Corui figura apparitione etiã comprobat,narratio huiusmodi est. *Fertur in regione Puteolorum in Apulia inter aquas nigras & fœtidas saxosum esse promontorium & scrupeũ. Ex quibus aquis exhalantibus consueto more teterrimæ videntur auiculæ repentè consurgere, & à Vespertina Sabbathi hora vsque ad ortum secundæ feriæ humanis aspectibus apparere,& veluti solutæ à vinculis liberè spatiari,alas extendere,plumas depectere.Nec vnquam videntur vesci,nec quolibet aucupis ingenio possunt capi. In matutino secundæ feriæ ingens Coruus,instar Vulturis eas sequitur,& post eas crociat,quæ protinùs aquis immerguntur, nec vlterius apparent, vsque ad vesperam sequentis sabbathi. Has verò nonnulli perhibent animas esse hominum gehennæ deputatas.Sed dominico die cum adiacentibus noctibus pro gloria resurrectionis Dominicæ refrigerio potiri. Cuius assertionis Prudentius adstipulator esse videtur in hymnis ita canens:*

*Sunt & Spiritibus sæpè nocentibus*
*Pœnarum celebres sub stygе feriæ*
*Illa nocte sacra qua redijt Deus,*
*Stagnis ad superos ex Acheronticis.*

*Sed Desiderius Cassinensis Abbas rem se sic habere funditus abnegabat.Vmbertus tamen Archiepiscopus præsente Desiderio retulit se hoc audiuisse ab incolis Apuliæ. Nota lector primùm esse non posse, quia in inferno nulla est redemptio, non solum liberationis, sed nec interpolationis, nec diminutionis, nec refrigerationis ab illis, aut in illis pœnis secundum D. Thomam & alios. Vtrum autem illud sic se habeat, necne, & quid causæ sit,nouit Deus.* Hæc D. Antonius.Sed quod post diuini illius viri determinationẽ pius lector animaduertẽdus est,haudquaquã à nostra Catholica fide,aut pietate absonum esse, si quis non inferni,sed purgatorij pœnis animas eas addictas, diuina item indulgente clementia dominicę resurrectioni sacro die,acerbis igniũ supplicijs ad tempus exemptas relaxari dicat, quo elapso mox à tenebrarum angelo, sub atra Corui,immensi instar Vulturis,specie, denuò ad consueta tormenta compelli, vsquequò diuinæ misericordiæ uisum fuerit eas omni prorsus calamitate, ac mœrore solutos clarissimo,ac iucundissimo suo aspectu frui,permittere.Quod nobis etiam ardentibus votis Christus, patris sapientia & uerbum,Lux de lumine,sol æternus omnia uiuificans,est orandus,vt omni errorum ac vitiorum caligine,quam quotidiè summo studio ater ille Coruus tenebrarũ princeps mentibus nostris offundit, tandẽ diuini sui vultus glorioſa fruitione,ac ineffabili æterni gaudij fructu nos beare dignetur. Amen. Cęterùm hîc obiter etiam antequam ad Cornices nos accingamus,inferere lubet, quod [k] Hector Boëthius Deidonanus scriptum reliquit in Scotia ex Caractonio quodam eiusdem insulę Rege puerum natum esse Coruino capite,alioqui in nullo fœdum aspectu,ac postmodum in triumphũ à Rom.ductum.

[i] *Tom. 3. in vita Sancti Epiphanij.* Charini mors per Coruum indicata.

In Chronicis Antonini.

Aues animæ hominum creditæ.

[k] *Lib. 3. Hist. Scot.* Puer Coruini facie.

# DE CORNICE. Cap. II.

Ordinis ratio.

DVO ſunt potiſsimùm, quæ me mouent, vt inter Coruini generis volucres Cornicem Coruo proximam faciam, corporis ſcilicet magnitudo, atque in omnibus ferè cum eodem ſimilitudo. Vnde non immeritò quibuſdam Gallis, vt Bellonius teſtatur, petit Corbin vocata, quaſi paruus Coruus, ſeu Coruulus. Imò, vt Perottus refert, etiam Cornicem Latinis a Coruo quidam appellatam putant. Sic Gracculos Cornicibus longè minores eſſe res infrà dicet, atque ideò vltimo loco collocandos.

## ÆQVIVOCA.

Coronæ oppidũ eiusq; ſynonima.

Κορώνη, Corone Meſſeniæ oppidum eſt in Peloponneſo, Ptolomæo teſte. Coron Sophiano, Niſi Nigro dicitur: Pedaſum Πήδασον ab Homero dici putant, vt tradit Strabo. Sed Αἴπεια Aepea vocatum ſcribunt Pauſanias, & Stephanus, qui tamen illud in Laconia vicina regione ponit. Corone item Bithiniæ vrbs Stephano. Hęc ex Ortelio. Aliam in Pelopponeſo ad Pamiſi fluuij dextram, ad mare ſub monte Temathia, [a] Pauſanias Coronem ciuitatem fuiſſe dicit à Bœotiæ Coronia, (ex qua conditor eius oriundus fuit) ſic appellatam, quòd mænium fundamenta defodientibus ænea Cornix inuenta ſit. Huius fortè rei argumento in Acropoli æneæ Palladis ſimulachrum, ſub Dio ſtabat, manu Cornicem tenens. Corone Κορώνη mulier eſt, quæ natalem Delij locum Apollinis oſtendit, vt refert [b] Plutarchus. Meretrix item, cui mater Κορώνη fuerit, apud Athenæum memoratur. Coronem, id eſt Cornicem, filiam Apollinis legimus in Coroniſmatis carminibus apud [c] eundem. Sed qui hæc cantillabant per iocum fortè Cornicem Apollinis filiam fecerunt. Coronem etiã dicimus in arcu, hoc eſt, ſummum cornu, & inciſionem, vbi neruus ſedet. Vnde inquit Euſtathius bonum rerum finem, auream coronen dicimus. Et Suidas πλήρωσιν hoc eſt, perfectionem metaphoricè interpretatur. Sed de hoc plura in prouerbijs. Κορώνη etiam coronæ ſpeciem ſignificat figura rotunda Euſtathio, ſic vt hæc uox Latinorum Corona, etiam Græcæ poſsit originis videri. Coronæ præterea (inquit Budæus) ſunt prominentiæ & ueluti ſupercilia quædam parietum arcendis ſtillicidijs inuenta vulgò la Cornice ſimiliter dictæ. Summam quoque penis partem, quam Galen. balanum, Latini glandem vocant, Coronem dixerunt. De his quoque in denominatis plura. Luſcinia δαυλία Κορώνη periphraſticè Heſychio, Varino & Suidæ dicta eſt. Turcę Gallinas nigras Cornices uocant teſte [d] Ornithologo, quòd proprium nomen non habeant.

Aeneæ Palladis ſimulachrum.

[a] *In Miſenicis.*

Coronemulier.

[b] *Lib. de defect. Orac.*

Corone meretrix.

[c] *Lib. 13.*

Corone arcus pars.

Finis bonꝰ

Corone dictus.

Coronę ſpecies.

Cornice.

## SYNONIMA.

Oreb. Algorab. Kurka.

OREB Hebraicè Coruus eſt, quę uox & Cornices & genus omne Coruinũ cõprehendi: Bellunẽſis Monchar Algorab roſtrum Cornicis interpretatur. In trilingui cuiuſdã dictionario קורקא Kurka, Chaldaica, ut uidetur, uox pro Cornice ſcribitur. קאת Kauth Septuaginta Pelecanum uertũt: Vulgata editio Onocratulũ. In Thalmud hęc auis (teſte Rabbi Dauid Kimhi) alio nomine קיק Kik uocatur ſolitaria & loca maritima incolẽs: eã Iudęi Germani uulgò Kra, id eſt, Cornicem interpretantur teſte Germano quodã Hebręarum literarũ perito. [a] Albertus alicubi pro Cornice Gaudes, nimirũ ex Auicennę interprete, reddit. Cornix etiã Kokis dicitur: Alberto hacha, Kiranidi Boroſitis, Syluatico Xercula. Gręcũ nomẽ Κορώνη eſt, & uulgare hodie Κουρωνυα, uel κερακα. Dicitur uerò Κορώνη quaſi κρώνη à uerbo κρώζω, ἢ παρὰ τὸ καυρον, ἢ γαῦρον ὅπερ σημαίνει τὸ κανὸν ut habet Etymologus. Polyrrhenijs Crætæ populis Cornix κόμβα dicitur teſte Heſychio. Eidem & Varino κεραίς alio nomine, cui proximum eſt Germanum Krae. Græcos Cornicem κορὶ uocare author eſt Horus. Latini Cornicem appellant: quod quidem à Coruu deriuãt, alij à Græco, Aut forſan utraque per onomatopœiã dicta, aut à uerbo κρώζω. Diminutiuum à Cornice eſt Cornicula, qua [b] Horatius utitur: ——*Moueat Cornicula riſum, &c.* Pro hac Varinus & Heſych. apud Græcos κορωνία ſubſtituũt, cùm inquiũt: κολοιὸι μικραὶ κορωνίαι, quaſi diminutiuũ ſit à κορώνη. Verùm κορωνὴς potiùs dicẽdũ uidetur. Et ſic legitur apud Tretzen κολοιὸς ἢ μικρότερα κορωνὶς. Itẽ κορωνίδευς Heſyc. & Varino pullũ Cornicis ſignificat, hinc pluralis numerus κορωνιδῶν apud Euſtathiũ. Italis dicitur Cornice, Cornacchia, Cornacchio, Grachia Hiſpanis Corneia. Gallis petit Corbin, quaſi paruus Coruulus, Corneille, Graille, Graillat. Pullũ Galli Corneilleau nũcupãt. Germani Crae, Krah, Heuskrae, Schvvartzkrahe, quæ domeſticã & atrã Cornicẽ ſonant, nimirũ ad diſtinctionẽ Cornicis variæ. Malè igitur ab Ornithol. VVinterkrae, hoc eſt, hiberna vocatur, cùm hoc variæ propriũ ſit. Quod ſi verũ dicit Etymol. Gręcis Κορώνη dictã à verbo Κρωζῶ, qđ vocẽ Cornicis exprimit, pari pacto Krae German. per

Kra.

[a] *L. de nat. rer.*

Gaudes.

Kokis.

Hacha.

Boroſitis.

Xercula.

Κορωνη.

Κουρώνυα.

Κερακα.

Etymolog. Cornix eiusque etymologia.

[b] *L. 1. Epi. 3.*

Onoma-

onomatopeiam confictum videri potest. Similem enim Coruo vocem edit, quæ est Κραξ, à qua non admodum dissonat Krae. Non dissimilis originis videntur Gallorum Graille, & Italorum Gracchia, in quibus primæ syllabæ non multùm variant terminationibus, vt in idiomatum varietate accidit, solùm diuersis. Hinc & Κραὶς, quo nomine Hesychius Cornicem vocat, originem agnoscere videtur. Hos igitur Krayen dicunt Germani, in quibus garrulitatem nimiã notare volunt, quod item Latini cornicari aiũt. Ideò garrulam Ouidius Cornicem vocat. Anglicum à Crouu. Illyricum vvrana. Anglis etiam Craye à Germanis Saxonibus, vt pleraq; acceptum nomen vsitatum est, è quo Gallos quoſdam, qui Cornicem etiam Graie vocant, id vocabuli mutuatos asserit Bellonius, contra eos, qui vocum allusione decepti Graye Gracculum esse Latinorum planè existimârunt. Krayen qui Germanis. Cornicari quid.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

CORNIX Coruini generis auis est, & perinde atque Coruus Græca appellatione οἰωνῶν continetur, qua non Aquilę tãtùm, Vultures, Milui, & Accipitres, sed & hoc non aduncо rostro, immundum & carniuorum alitum genus comprehendi volunt. Est Cornix non vnius generis: præter hanc enim, quę per excellentiã eo nomine dicitur, alia est Cornix frugiuora dicta, alia varia, alia marina seu aquatica, sed hæc vltima, etsi cõmuni cũ Cornicibus nomine gaudet, genere diuersa tamen est, utpotè palmipes. Hunc itaque in alium locũ ablegabimus. Illas uerò Cornici propriè & absolutè dictæ, quam omnium primo describemus, demum subnectemus. Οἰωνοὶ quę aues dicantur.

## FORMA.

PRIMVM Cornicis genus omnes Gracculos uincit magnitudine (quamuis contrà icon quam damus ex Bellonio minorem ostendat) minus tamen est Cornice spermologo, & multò minus Coruo. Rostro, cruribus, & toto corpore undiquaq; nigerrimis, ita ut præ nigredine splendeat, & ad lucem obuersa quasi Indicum colorem, id est, nigrum subcæruleum referat. Rostrum tamen propè caput albicat, durissimum, firmissimum adinstar cornu, oblongũ, haud aduncum, uerùm acutissimum, quo nuces & alia dura etiam pertundit. Reliqua corporis habitudo Coruo admodum similis est. Superior rostri parte barbulas quasdam ueluti setas habet circa palpebras, aliquando etiam inferius nigra quædam ueluti granula, eaq; minima. Pro ingluuie gulam ei patentiorem propius uentriculum natura dedit. Quamuis uerò naturaliter, ut Coruus, ita & Cornix nigra sit, uisa tamen nonnunquam alba, sed ob raritatem miraculi loco habita, & naturæ ueluti monstrum. Vnde, *Rhodigini mei* (inquit [a] Ludouicus Cælius) *perlegans vsurpare prouerbium, vbi rarenter quid admodum & ferè nunquam obtingere volunt significare. Dicunt enim perinde esse infrequens, ac sit alba Cornix, ceu ferè non visatur id auitij genus albicans. Cæterùm scitu condignum est, visam temporibus meis, dum ista proderem duorum ferè stadiorum spatio à patriæ* (Rhodigij) *mœnibus Cornicem albam, capite nigricante, sicuti cæteris alarum apicibus in rubedinem vergentibus. Nec erat expressus candor, sed liuens aliquomodo. Fuit ea mẽsibus aliquot omnibus conspicua, non parum multis ad insolentem speciem, ad spectaculum confluentibus. Quia & nonnullis abijt ea res in prodigium, quod post eam visam nunquam loci fuisset pax, tumentibus tunc perniciosissimis bellorum procellis ac latius grassante ferri licentia.* Hæc ille. In domo Ludouici Patauini Cardinalis Cornicem albam sibi uisam Niphus scribit: Talem Perottus quoque alibi se uidisse testatur. Illud uerò ut minimè mirum, ita neque uerum est, quod [b] Strabo refert ex Posidonio, *peculiare esse Hispaniæ, vt nigræ ibi sint Cornices.* Vbiq; enim gentium nigras esse nemo nescit. Similiter & quid [c] Plinius sibi uelit ignoro, dum dicit, *fuisse in vrbe Roma*, dum naturalem historiam conderet, *equitis Romani Cornicem è Bætica colore mira admodum nigro*, cùm non uideam quomodo nostris istis uulgaribus nigriores reperiri possint. Album fuisse certè mirũ erat. Huc fortè pertinere aues Memnonias Ouidij, Aeliani, Oppiani, aliorumq; Poetarũ fabulis celebratas uult [d] Dalechampius. Ait enim earum formam à Cornicis descriptione non multùm abhorrere, ideoq; Corniculariũ genus existimat. Sed cùm Aelianus, ut ipsemet testatur, figura corporis & forma Accipitribus similes esse uelit, atq; unguibus aduncis, nigras totas, semina edere, non carnẽ: hæc omnia præter uictum & colorem Cornici minimè meo iudicio congruunt. Verùm de hisce latiùs suo loco. Cornicibus [e] Lucianus ridiculosè Eunuchos comparat, quòd scilicet, ut illæ, nec inter Coruos nec Columbas; Sic neque inter fæminas, neq; uiros hi numerari possint; quemadmodum enim Cornix cum Columbis colore, cum Coruis magnitudine dissidet, ita etiam Eunuchus animal quoddam uarium est, & neutrius sexus particeps. Pari penè pacto de Coruo albo à [f] Galeno dictum fuit, neque Coruis eum ob colorem alienum, neque Columbis ob magnitudinem ritè accenseri posse. Magnitudo. Color. Rostrum. Cornix alba.

[a] *L. 17. lect. antiq. c. 11.*

[b] *Lib. 3.*

[c] *L. 10. c. 43*

Memnoniæ aues.

[d] *In comm. lib. 10. c. 26. Plin.*

[e] *In Eunucho.* Cornici Eunuchus cõparatus.

[f] *Lib. 1. de nat. fac. c. 17*

# CORNIX NIGRA BELLONII.

## LOCVS.

CORNICES circa vrbes præcipuè verſantur, itẽ circa domos, & ſterquilinia. Circa maris item littora, & fluminum ripas frequentes ſunt, vt piſces vnda eiectos deuorent. Vnde, etſi vbiq; ferè inueniuntur, in Britannia tamen priuatim ingẽs Cornicũ copia Cardano, & Turnero eſſe dicitur, cũ quia mari vndiquaq; alluitur, tũ quoniam in pabulo humido eius ſoli vermes abũdant. *Vbi enim pabulum*, inquit [a] Cardanus, *ibidem animalia ſunt, quæ eo veſcuntur, atque immodicè tunc multiplicantur, cùm vbique abundauerit.*

Britannia cur multas Cornices alat.

[a] *Lib. 10. de Subtil.*

## VOX.

VARINVS κρωζειν de Coruis, de Cornicibus verò κραζειν dici ſcribit. Alij contrà legendum putant. Nã Pollux τὰς κορώνας κρώζειν ſcribit, & Euphorion apud Athenæum Υετόμαντις ὅτε κρωξείε κορώνη, & Aratus παχέα κρώζεσα de Cornice dixit, & Heſiodus.

Κρωζειν.

Κράζειν.

Μήτοι ἐφεζομένη κρωζῃ λακέρυζα κορώνη, hoc eſt.

*Ne fortè inſideat cornicans garrula Cornix.*

Idem [a] Ariſtophanes facit. Vt vt eſt, non malè fortè, vt idem Varinus teſtatur, vocabulo in Ἐκλαγζα, indifferenter Cornix, vel Coruus κράζων, vel κρώζων dicentur, ab ſimilem nempè vocis aſperitatem, vnde & crocitum Latini non minus Cornici, quàm Coruo tribuunt, vt [b] Politianus, dum de Cornice loquitur:

[a] *In equitib.*

[b] *In Ruſtico.*

*Crocitúq; graucm pluuiam increpat vſq; morantem.*

Sic non ſecus, atque Coruum raucum vocant, vt [c] Pontanus:

[c] *Lib. 1. amor.*

*Rancaq;*

*Raucaq; cùm Cornix, & benè cantet Olor.*

*Stridulam* Prudentius:

*Nec ſago clangore loquax, nec ſtridula Cornix.*

Vnde quia vocem Coruo ſimilem edit Cras cras, itaque ſpei ſymbolum Cornicem nonnulli pronuntiant. Huic conſonat Græcum κράζειν Cornici, vt diximus à Varino propriè tributũ. Vnde Germanum kraë non temerè à voce impoſitum videri debet. Kratzen enim Germanis radere, ſeu ſcabere ſignificat. Aſpera enim vox, & ſcabra ingrata eſt, & aures veluti radit. Canentem Cornicem Latini propriè cornicari aiunt, vt Coruum crocitare. Vtitur hac voce tranſlatitiè Perſius:

*Neſcio quid tecum graue cornicaris ineptè.*

id eſt, Cornicum more fruſtra garris. Hoc Itali gracchiare, & gracchiuolare dicunt: Arioſtus.

*Sol dentro in van ſe li beſtemmia, e gracchia.*

Galli gazouiller, Germani kraeyen vocant. Crocitum verò impropriè à Pontano Cornici attributum, Coruo malim relinquere, cum quo & κρώζειν Græcorum, & Latinorum crocire magis conuenit. Vnde non omninò reprobanda Varini videtur ſententia, qui vel κρωζειν de Coruo, vel κράζειν de Cornice tantùm, vel vtrumq; de vtrolibet promiſcuè dici vult. In ſumma garrulitatis ob ſtreperi cantus aſſiduitatem ab [d] Ouidio Cornix arguitur:

—— *Quem garrula motis*
*Conſequitur pennis, ſcitetur vt omnia Cornix.*

quare & loquacem [e] alibi eam vocat:

*Et ſine lite loquax cum Pallidis alite Cornix.*

Hinc Agathocles Siciliæ Rex ob loquacitatem Cornix dictus fuit. imò ob nimium garrulitatis ſtudium, & importunitatem [f] Virgilio improbitatis inceſſitur:

*Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce.*

Hic tamen Seruius per plenam uocem, raucam intelligit, quam fortè craſſam, ſeu grauem meliùs dixiſſet, cùm & Aratus dicat παχεια κρώζουσα. Alibi uerò ubi [g] Virgilij uerſum exponit.

*Sæpè ſiniſtra caua prædixit ab ilice Cornix,*

Clamore eam, & rixis lætari tradit, ideoq; ſua garrulitate damnum ſignificare, præſertim ab mi litibus, qui maximè clamoſi ſunt, & rixarum cupidi. Quare Græci Poëtæ etiam λαλόυσαν, id eſt uociferatricem, & clamatricem, & tranſpoſitis primis ſyllabis κακάρυζαν uocârunt. Demùm & ipſa humanas uoces imitari nonnullis creditur, hunc [h] Papinij uerſum citantibus:

*Qua refert iungens iterata vocabula Cornix.*

Omnes tamen ferè Codices (Perdix) habent, atq; ita legendum eſſe ex ijs, quæ de Perdicis docilitate ſuo loco dicturi ſumus, liquebit. Adde, quod Serenus garrulã appellat Perdicem, id eſt, canoram. Cornicem uerò & ipſam uocalem, & humani ſermonis capacem inueniri, liquidò ſcimus, & [i] Plinius locupletiſſimus teſtis accedit, ſic ſcribens: *Nunc quoque erat in vrbe Roma hæc prodente me, equitis Romani Cornix è Bætica primùm colore mira admodum nigro, deinde plura contexta verba exprimens, & alia atq; alia crebrò addiſcens.* Quamuis Cornices ταυυγλώσσας [k] Homerus uocet, id eſt, lingua longa, & extenſa, ideoq; ad humanam uocem uix habiles. Etenim tales latiore lingua præditas eſſe Ariſtoteles author eſt, ut ſuprà ex Pſittacorum hiſtoria latè patet.

Cornix cur ſpei ſymbolum.

Krae cur Germanis Cornix dicta.

Cornicari.

Crocitus Corui proprius.

[d] *Metamorph.2.*

[e] *Faſt.2.*

Agathocles Cornix dictus.

[f] *Georg.2.*

[g] *Bucol.1.*

Cornix humanos ſermones diſcit.

[h] *In Siluis.*

[i] *L.10.c.43.*

[k] *Odyſſ.E.*

# MOTVS.

CORNIX è genere earum auium eſt, quę celeriter uolant. Hinc [a] Ouidius:

*Huc leuiter Cornix pennis delapſa per auras*
*Venit.* &c.

[a] *In Epigrã.*

Ab incerto uolatu, ut credibile eſt, Vaga Horatio dicitur. Quod ad greſſum attinet, ijs annumeratur quæ ambulant aues, non currunt, aut ſaliunt. Hoc [b] Virgilius ſpatiari uocat:

*Sola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.*

Et Claudianus gradi:

—— *Graditur ſi littore Cornix.*

id eſt, ut Politianus exponit:

*Luſca gradu Cornix lento metitur arenas.*

Idque præſertim inſtante pluuia. Cùm uerò pullos paſcit, aſſiduè currere dicitur.

Cornicis greſſus.

[b] *Georg.1.*

# VICTVS.

[a] 8. Hist. c. 3. Phiromachꝰ Cornici comparatus quare.

CORNICES [a] Aristoteles annumerat pamphagis, id est, omniuoris. Quare non inconuenienter Phiromachum Possidippus, cuius venter omne ciborum genus auidissimè admittebat, Cornici comparabat hoc epigrammate.

*Phiromachum veluti Cornicem multa vorantem,*
*Nocturnam tumuli fossa profunda tenet.*

Carnes enim, pisces, & fruges vorant promiscuè, & littora, vt idem testatur, petunt, & quæ unda abiecerat, depascuntur: Sic vermes, & quoduis insecti genus. Vnde locis humidis, & quæ terræ vermibus scateant, frequentes habitant. Præterea nucibus, vt Plinius testatur, in cibo gaudent, quarum duritiem rostro repugnantem, volantes in altum in saxa tegulasq; iaciunt, do nec quassatam perfringere queant, eaq; ratione nucleo frui. Baccis etiam cùm aliarum arborum, tùm oliuarum præsertim vescuntur. Vnde velut olearum vastatrices Mineruæ inuisas fabulantur Poëtæ. Si quid verò [b] Seruio Grammatico credimus, etiam alias aues inuadunt, non alia, quâ cibi gratia illectæ, qua in re & Coruum imitãtur, & sui generis ingenium exprimunt.

Cur Mineruæ inuisæ.

[b] In Bucol.

# GENERATIO. EDVCATIO.

Nidus.

NIDVLANTVR Cornices in summis arborũ frondibus. Vnde falsum est, quod vti Coruos, sic Cornices fellando ore concipere quidam existiment. Quod enim in naturæ modum inuicem permisceantur præter Orum, qui tamen nonnulla ad fabulam potiùs, quàm ad rei veritatem recitat, ipsa etiam quotidiana experientia testis est, quamuis minimè propalam, vt ait [a] Aelianus: *Cornices non temerè, nec impudenter misceri videas.* imò quod maius est, amanter mutuam inter se fidem seruant Cornices, cùm semel societatem inter se inierunt, quod si alterutra moriatur, alteram, quæ ei supersit, vsque ad extremum vitæ diem viduam permanere referunt. Quæ res illis cum Coruis, vt suprà audiuimus, communis est. Fœtus earum, authore Plinio post solstitium accidit. Oua pariunt gemina, eaq; (si Alberto credimus) picta, vt Picæ, & Passeres, ex quibus mas, & fœmina plerumq; gignuntur, rariùs ex vtroque vel hoc, vel illud, vt Orus scribit. Nam pauciparæ sunt, & infœcundæ, cuius rei causam [b] Alexander Aphrodisiensis sic explicat. *Cur animantium alia parere plura, alia pauciora consueuerunt? Censendum naturam sic statuisse, ut quæ breui tempore viuerent, hæc partu essent numerosiori, videlicet ea de causa, ut vitæ breuitas partus copiâ compensaretur. Quæ autem diu viuerent hæc pauca procrearent, quippe cùm temporis ampliudo posset rei, quam natura spectaret, satisfacere. Sunt hoc in genere elephanti, Cornices, Cerui. Quæ verò mediocriter viuerent, hæc etiam partu essent mediocri. Stirpes quoque eodem illo modo fructificant.* Hactenus Alexander. At fœminæ tantùm incubant & assiduò, mares verò cibum suggerunt, & incubantes pascunt, ut inquit Aristoteles. Albertus id Coruos etiam facere ait, quod quidem verum est, atque ita toti generi potiùs, quàm vni speciei conuenire. De pullorum enixu simile quid, atque de Bubonibus memoriæ prodiderunt Plinius ex Hyla, & Oppianus; quorum hic, *Cornicum pulli*, inquit, *ouis non ad caput ruptis, vt cæterarum auium, sed retrorsum, pedibus primùm prolatis, excluduntur.* ille vero, *Hilas, ait, Cornices à cauda exire de ouo tradit, quoniam ponderе capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouendam matri applicent.* Sed quid hac in re statuendum sit, id de Bubonis generatione iam satis diximus. Verùm vti illis fidem hac in parte non adhibemus, ita cæcos nasci libentiùs multò [c] Aristoteli veridico Philosopho credimus, cuius hæc sunt verba: *Aues nonnullæ imperfectos, & cæcos pariunt pullos, vt quæ paruo corpore multos progenerant, vt sunt Cornix, Pica, Passer, Hirundo, & quæ in pauciparo genere copiam alimenti parere vnà cum prole non solent, vt Palumbes, Turtur, Columba.* Verùm quod hîc multiparam vocet Cornicem Aristoteles, Alberto, & Alexandro apertè refragatur, & forsan non immeritò. Nolim tamen affirmare, cùm nunquam mihi eius nidum videre contigerit. Itaq; id à peritis petẽdum est. Pullos quidem, vt audio, non prius pascunt, quàm plumis vestiri incipiant, quod etiam de Coruis traditur, & alijs plerisq; volacibus magis, quàm pulueratricibus. Hæ enim confestim editæ per se comedunt. Fœtum etiam iam volandi potentem summa pietate diu prosequuntur, & auolantem subinde diu comitantur, vt [d] Aristoteles scribit. Vnde eas pietatis ergò non immeritò [e] Isidorus prædicat. *Eximia*, inquit, *in illis circa filios pietas. Nam adeò nidos impensè fouent, vt assiduo incubitu plumas exuant. Quare iusta naturæ talione, & decreto, quantum temporis impenderint in fœtibus educandis, tantum & ipsæ senio confectæ à pullis suis aluntur.* Et D. Basilius, *laudandus est sanè*, inquit, *Cornicis erga suam prolem amor: laudanda est diligentia: Hæc suos pullos iam volantes comitatur, suppeditansq; alimentum aliquandiu enutrit.* Hæc igitur Cornicum, & generatio, & educatio est.

[a] L. 3. c. 9. de Animal. Cornicum castitas.

[b] L. 2. Probl. 64.

Cornices à cauda exeunt.

Cornices nascuntur cæcæ.

[c] 4. de Generat. cap. 6.

[d] 6. de Hist. cap. 8.

[e] 12. Orig. cap. 7.

SYMPA-

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

CORNICIBVS cum Ciconijs amicitiã quandã intercedere ex eo constat, quòd hisce maria transuolantibus, & in Asiam collecto agmine pergentibus duces sese præbeant. Quam amicitiam summo istoc encomio quidam persequitur. Mores verò Ciconiarum haud longè dixeris à prudentia ratione; distare. Ita vno tempore omnes in nostras prouincias veniunt: ita sub vno signo, quasi militari quapiam tessera hinc à nobis auolant. Cornices autem nostrates, veluti lictores ipsas, satellites; comitantur, atque deducunt. Quin, vt mihi videtur & socias sese offerunt auxiliares; aduersus aues ipsis aduersarias, atq; hostes. Cuius rei argumento sunt, primum quòd nostris in prouincijs illo tempore nulla prorsus Cornix conspicitur. Deinde cũ vulneribus, apertè præstitæ tutelæ, & suppetiarum indicia nobis afferunt. Quis apud ipsas hospitalitatis quæso iura præscripsit? Quis ipsis deserti exercitus pœnam minatus est, vt nulla prorsus deducendis sese subtrahat copijs? Audiant hæc homines ij, qui hospitio neminem acceptant, ianuasq; suas occludunt, & neque hyeme, neque noctu solo tegmine peregrinos aduenas; suscipiunt. Cornix quoque & Ardeola amicæ sunt, vt quarum vtraque contra Vulpẽ pugnet hostem communem, quod [a] Arist. [b] Plinius testantur, & alij. Quod verò Simiæ ridiculi animalis miram speciem, non aliter, ac paruæ Aues Noctuam, tam fedulò miratur, videndum est, nunquid id velut amicitiæ, quam cum ea colere cupiat, signum sit, vel num potiùs stoliditati eius ascribendum. Hostes verò, vt malorum copia semper bonis præponderat, longè plures habet, & in primis Mustelam inter quadrupedes. Hęc enim *Cornicis oua, & pullos*, vt inquit Aristoteles, *violat, & nidos sæpè diripit*. Eadem etiam ouis Columbæ vt quę dissipet, & exugat, ab authore libri de natura rerum insidiari traditur. Cum Noctua pluscquã vatiniano odio diffidet. Nam, vt [c] Philosophus & ex hoc [d] Aelianus refert: *Cornix meridie oua surripiens Noctuæ absumit, cùm non clarè interdiù Noctua videat. Noctua contrà oua Cornicis noctù excedit, estq; altera interdiù, altera noctù velut partito inuicem imperio potentior*. Quinimò eò etiam potentiæ & feritatis deuenit, vt auem Tympanum nomine Aristotele authore non vexet solùm, sed & occidat. Atque hanc crudelitatem non fert impunè. Nam & ipsa ab alijs rapacibus deuoratur, & tam procax est, & petulans, vt Aquilas tanquam hostes suos impugnare audeat, vnde illæ vbi cum lacescentibus certare multùm distulerint, tãdem impatientia victæ importunas lacerant. Et hæc quidem fortè inimicitię Cornicis causa est cum Circo, vt [e] Aelianus testatur, quòd videlicet Circus ex Accipitrũ genere capere eas, & dilaniare conetur. Fit tamen nonnunquam, quod idem docet, vt Aquilas elud ant, & deplument etiam, forsan aut Aquilis cõniuentibus, aut Cornicibus dexteritate quadam velociter, cùm opus est, se subducentibus. Ex eo etiam, quod quemadmodum Mizaldus tradit, si in reliquias inciderint à Lupo semesas, moriantur Cornices, forsan quis non absurdè quandam inter hosce antipathiam colliget.

Amicitia Corniciscũ Ciconia.

Cum Ardeola.

[a] *9. H. c. 1.*
[b] *L. 10. c. 74*

Cornix Simiam miratur.

Inimicitia cũ Mustela

Cũ Noctua

[c] *9. H. c. 1.*
[d] *3. de anim. cap. 9.*

Cum Tympano aue.

Cũ Aquila.

Cum Circo Accipitre.

[e] *6. de anim. cap. 45.*

# INGENIVM. MORES.

INgenij sanè cuiusdam est, & solertiæ, quod [a] Plinius tradidit, nimirùm si nucem ex arbore lectam rostro duro alioqui & robusto pertuso cortice Cornix perfringere nequeat, tum ad astum conuersa in altum volat, eamq; in saxa ac tegulas iterum, ac sæpiùs tam diu deijcit, donec quassata perrumpatur. Callidæ huic aui sese comparat Thranias Seruus, apud Plautum, Simonem verò, & Theuropidem Vulturios nuncupat, ideſt, vafros senes, quos tamen ipse astu longè superet:

*Viden pictum*, inquit, *vbi ludificatur Cornix vna Vulturius duos?*
*Cornix astat, ea Vulturios duos vicissim vellicat?*
*Quaso huc ad me specta Cornicem, vt conspicere possies.*
*Iam vides? T H. profectò nullam equidem ibi Cornicem intueor.*
*T H. At tu istas aduersam obtuere, quoniam Cornicem nequis*
*Conspicari; si Vulturios fortè possis contui.*

Cornix quoq; herbarum vires ignorare non videtur, dum, vt author est [b] Zoroastres, uerbenacam supinam nidis imponit, ut ab eisdem blattas, aliasq; bestiolas abigat. Quin etiam quod uel maximè ipsarum declarat ingenium, sermonem quoque humanum imitentur, ut antea, dũ de Psittacis uerba fecimus, admonuimus. Imò uerò tam iuduſtria Cornix est, ut Merthes Aegyptiorum Rex unam habuerit tam egregiè cicuratam atque instructam, ut litteras quocunque ille iuberet, eò perduceret. Quod ad mores attinet, pia in primis & benigna est erga suos pullos. Auium enim omnium, si uerum dicunt [c] Plinius & [d] Aristoteles, sola Cornix uolantes pullos ali-

[a] *L. 10. c. 12.*

Astus in frangendis nucibus.

Thranias Seruus Cornici comparatus.

[b] *In Geopon.*

Amor in pullos.

Merthis Regis Cornix.

Pietas.

[c] *10. c. 12.*
[d] *6. H. c. 6.*

los aliquandiu comitatur, & adultis nihilominus ad quoddam tempus proſpicit, cùm pleræq; aliæ ſimul, atq; uolare poſſint, non ſolùm pullos non curent, imò uerò abigant, & cum nido è tota regione etiam expellant, vt Aquilæ, & Corui. Iam verò quanta prudentia, & induſtria
œconomia. œconomiam inſtituunt, dum operas ſuas ita partiuntur, vt fœmina de rebus domeſticis tantùm ſollicita, ſola fouendis ouis, & aſſiduò incumbat, mas verò ea, quæ foris ſunt, curans, &
Amoris mutui ſpecimen. coniugi antè, & pullis vbi nati ſunt, cibi quod ſatis eſt, indefeſſo labore ſuppeditet. Amoris ſanè, & fidei coniugalis rarum certè de ſe præbent ſpecimen. Etenim, vt ex [c] Aeliano ſcribit
[c] Philolog. lib. 25. Volaterranus, *Cornices inter ſe fidiſſimæ ſunt, miraq; his caſtitatis, & matrimonij cura, nec minor modeſtiæ haud palam coeuntibus. Extincta conſorte alteri viduitas impolluta, quare & inter hymenæos pro concordiæ pudicitiæq; felici auſpicio inuocantur. In augurijs quoque vna ex his viſa fortunatiſſimum præ-* 10
*tant.* Hæc ille. Verùm vt obiter dicam, ego fortunatum hoc auſpicium eſſe non legi apud
[f] Lib. 1. Hieroglyph. Aelianum: & ſi legeretur, non approbarem: Nam [f] Orus ita ſcribit: *Cùm vni Cornici occurrerent homines, augurantur præſagium ſibi hoc eſſe viduæ vitæ, quod ſcilicet animali viduam agenti vi-*
[g] Lib. 29. Lect. Antiq. cap. 18. *tam obuiam facti fuerint.* [g] Cœlius hunc locum transferens ſimpliciter reddit: *Cornix ſolitaria viſa oſtentum veteribus faciebat.* Sed melius Politianus: *Qui ſedes auium,* inquit, *& volatus obſeruant inauſpicatum eſſe captantibus auguria dicunt, vnius tantùm Cornicis obſequium.* Sed de his plura
in augurijs. Hanc Cornicum inuiolatam etiam à morte coniugij fidem & Orus teſtatur. *Cornix gemina,* ait, *ſolet oua parere, ex quibus mas & fœmina gignuntur, vbi verò, quod rarò tamen euenit, duo maſcula, vel duo fœminina oua pepererit, mares fœminis connubio iuncti, nunquam ad alterum diuertunt coniugem, ac ne ipſa quidem fœmina, quoad viuit, ad alterum marem, ſed diſiuncti ſemper degunt.* 2
Ita quidem Orus, ſed magis conueniret, ſi cum ex duobus ouis alter mas, altera fœmina gignitur, ipſæ genitę Cornices connubio inter ſe iungantur, quam quando, vel vterq; mas, uel vtraq; fœmina generantur. Sed Græcus etiam codex ſic habet, vt Mercerus interpres Latinus tranſtulit. Græci ſanè (inquit idem Orus) in hunc uſque diem ob tãtam harum auium concordiam
Ἐκκορὶ. in nuptijs ignorantes, uerbum illud ἐκκορὶ vſurpare ſolent, nimirum Cornicem κορὶ appellantes. Verùm nemo Græcorum, quod ſciam, Cornicem κορὶ uocauit, præter Orum. Germanis certè, atque inferioribus potiſſimùm, ut audio Kori vox, ſeu interiectio blandientis eſt, & ſuauiori cupientis nuptijs ſanè perquàm accommodata. Ab amico quodam ruri habitante audiſſe ſe refert Ornithologus per decennium continuum, & amplius, Cornicem marem, & fœminam certo anni tempore quotidiè ad domum eius, vt cibum ſibi expoſitum caperent ad- 3
uolare ſolitas, inſigni profectò coniugalis fidei intemeratæ argumento. Meritò igitur à Baptiſta Mantuano Concordis epitheto celebratur eo carmine:

*Concors Nyctimene, Cornix cum coniuge Progne.*

# Æ T A S.

[a] Saty. 10. CORNICIS uita longiſſima eſt, utpotè cui nouem noſtras ętates dedit Heſiodus. Hinc [a] Iuuenalis de Neſtore longæuo:

*Exemplum vitæ fuit à Cornice ſecundæ.*

Quare ἐννεαγηρα κορώνη apud Aratum, quòd nouem ętatum annos uiuat: uel nouẽ pro multis accipiendũ poëticè, ut ſit πολύγηρα, uti Tbeon interpretatur. 4
*Et Cornicibus omnibus ſuperſtes.*

[b] 3. & 4. carmin. Hyperbole eſt prouerbialis apud Martialem de uehementer annoſis. Ideò annoſa [b] Horatio dicitur, & uetula.

*Seruatura diu parem*
*Cornicis vetulæ temporibus Lycen.*

Verùm in aſſignanda hac prodigioſa Cornicis ętate parùm conuenire authores uideo. Heſio-
[c] Li. 7. c. 48. dus enim teſte [c] Plinio Cornici nouem ætates tribuit, quas γενέας nominat. Quid uerò per has intelligendum, ſuprà de Corui ætate abundè explicuimus. Ariſtophanes quinque tantùm
ἐκ οἵᾳ ὅτι πεντὲ γενέας ἀνδρῶν ξυὸς λακέρυσα κορώνη; *Non ſcis quod quinque generationes viro-*
Ægyptiorũ annus. *rum viuat garrula Cornix?* Centum uerò Aegyptios annos Cornices uiuere Orus tradit. Conſtat 5
autem Aegyptius annus (ut idem ait) quatuor noſtris communibus. Nobis uerò probabilius eſt, per γενέαν apud Heſiodum annum unum ſolarem deſignari. Heſiodum tamen maior ſcriptorum pars ſequuta eſt, eiuſque ſententiam uarij uarijs poetæ poematis expreſsêre, & in primis Ouidius:

*Viuit, & annifera Cornix inuiſa Mineruæ*
*Illa quidem fœlix non peritura nouem.*
[d] Lib. de defect. Oracul. *Quanta homini eſt ætas vegeto dum corpore durat*

[d] Plutarchus:

Ter

*Ter tres ætates humanas garrula Cornix*
*Vincit. &c.* Item:
*Ter tria sæcla hominis transmittit garrula Cornix.*

Et Ausonius:

*Et toties trino Cornix viuacior æuo.*

# AFFECTVS CORPORIS.

CORVI, vt suo loco dictum est, ęgrotant sexagenis diebus, siti maximè afflicti antequam fici per autumnum coquantur, sic Cornici ab eo tempore malè est, nempè à solstitio æstiuo, si authori libri de natura rerum credimus. Scabie verò, & lepra eam affici scribit [a] Porphyrius. Sic quemadmodum Philes, & [b] Aelianus scribunt, si carnes à Lupo semesas comederit, extinguitur. An fortasse halitus ille lupinus, quo carnes perfusa sunt, occulto quodam naturæ dissidio Cornici potiùs, quàm alijs animantibus perniciem adfert? An potiùs Cornicem ob degustatas eas carnium reliquias acri illa lupi saliua conspersas, & quod in semiputridas interisse quispiam fortuitò obseruauit, quique ignoraret causam inconsideratiùs solam Cornicem earum pastu interire credidit?

[a] *Lib. de abstinendo ab Animatis.*
[b] *Lib. 8. de Animal. c. 46.*

# RATIO CAPIENDI.

EA, quam in superiori historia docuimus ex [a] Petro Crescentio, Coruos capiendi ratio ad Cornices etiam transferri poterit; etenim vtrisq; accommodata est. Ponit tamen idem prętera aliam, & Cornici peculiarem his verbis: *Capitur Cornix delectabili quodam modo. Cornix capta duobus perbreuibus lignis, seu bacillis ad principium alarum annexis, suprema in terram firmatur. Clamat illa, & fugere nititur, aduolant aliæ iuuandi animo, ex quibus illa proximam rostro, & vnguibus correptam, detinet; quæ sic detenta facilè capitur.* Quem aucupandi modum P. Angelius Bargæus clarissimus nostri sæculi poeta hisce doctissimis versibus doctissimè complexus est. [a] *L. 10. c. 28*

*Quid? qui Cornicem, si quam cepere, supinam*
*Exponunt agro in medio, quem durus arator*
*Proscidit, & solidas inuertit vomere glebas?*
*Namq;, & dum queritur, vocesq; integrat amaras,*
*Accurrunt aliæ, & sortem execrantur acerbam;*
*Ac partim circumuolitant, partim eminus adstant,*
*Hortantes se tollit humo, celeresq; per auras*
*Auolet, & tristes terras festina relinquat.*
*Ac dum omnes clamant, dum se versantq; feruntq;,*
*Est aliqua interdum, quæ sic miserata iacentem*
*Accedit propius: nodosq; vt rumpat iniquos,*
*Constrictam quibus esse videt, super insilit audax*
*Nec sese vana pietatis imagine falli*
*Aspicit incautam: nam mox religata tenaci*
*Illius amplexu clamoribus omnia rumpit:*
*Et scelus incusans sociæ oblectatur, & omni*
*Quæ pote vi tantos conata euadere casus*
*Poscit opem, & frustra volucres implorat amicas.*

[b] *L. 1. Ixeut.*

Eodem modo, aiunt, Picas capi posse. Cardanus memorat se aliquando Cornices manu cepisse, cùm inter carnes nucem vomicam miscuisset. Sunt qui ad alliciendas Cornices, & Graculos, cùm viuis allectatricibus careant, fictitias proponant pellibus occisorum tomento quodam farctis, ita vt viuentium speciem referant.

DENO-

# DENOMINATA.

Corone arcus pars qualis.

Crena qd.

Corone, id eſt, Cornice aue, cuius incuruum ferè, vt inquit Etymologus, & flexibile collum eſt, res alias diuerſas inflexas, aut inflecti faciles eodem nomine appellari ſcribit Euſtathius, vt coronen in ianua, & in arcu, & coronidem in naui. Eſt autem corone in arcu extremitas, ſeu inciſio in extremitate, in quam neruus immittitur, quamque crenam aliàs vocamus, voce fortaſſe deducta à corone per ſyncopem. Hanc Germanos ſimiliter crinem vocare author eſt Ornithologus. Et Etymologus Coronem interpretatur inciſionem in ſummo cornu arcus, & ſummitatem arcus inflexam. Coronen etiam Cælio Rhodigino teſte apicem vocant ligni in aratro ad iugum vſque protenſum, inter vtrumq; bouem, Hiſtoboë Græcis dicti. A corone fortaſſe etiam naues κορώνιδες dicuntur, non ſolùm quòd Cornicis inſtar nigræ ſint, ſed etiam quòd ἄφλαστα, id eſt, ligna, ſeu tabulas, in prora, & puppi curuatas habeant, uti & Cornicis collum flexum eſt. Videntur autem naues nigræ κορωνίδες dici ad differentiam τῶν μιλτοπαρίων, id eſt, minio rubentium, quarum in Bœotia [a] Homerus meminit, vt Euſtathius teſtatur. Idem alibi coronem partem puppis interpretatur. In ianuis quoque κορώνη per translationem ab hac aue dicta eſt, eodem Euſtathio teſte, quæ & Corax, ſiue Coracion à Coruo appellatur; eſt ea pars, qua ianua attracta clauditur: aliàs & rhoptron uocatur. Quidam Lexicographus κορώνην annotauit annulum, quo oſtium, & pulſatur, & clauditur, ita vel ob figuram, uel ob garrulitatẽ fuiſſe dictum. Coronis κορωνὶς idem uidetur eſſe cum κορωνη primitiuo, & coronam ſummam rei perfectionem, felicem finem ſignificare. Κορωνίδες Varino propriè dicuntur ἔλαφήματα, id eſt, germina, ut coronæ pro ſumma & extrema parte in alijs rebus accipitur. Sunt enim germina partes ſummæ, & quibus ſtirpes uelut coronantur. Ita κορωνὶς peculiariter ſignificat, quod ſupremum, & ultimum ædificio imponitur. Propriè uerò eſſe cacumen montis Suidas, & Varinus uolunt. Vnde, inquit [b] Cælius, coronida impoſuiſſe adagium eſt, ſignificãs ultimam rei manum admotam, nec effectum opus, ſed prorſus completum finitumq; ſiquidem coronis eſt quandoque montis uertex, aut ſtructuræ ſummum, quandoque uerò quod in fine libri ponitur, unde eſt adagionis origo. Quod manifeſtum [c] Plutarchus facit. *Dionyſius*, inquit, *Philoxenum Poetam in Latomias coniecit, quòd cùm illi Tragœdiam à ſe concinnatam recoquendam emendandamque tradidiſſet, totam is ab initio ad coronidem uſque circumſcripſit, quod eſt, expunxit, deleuitque.* Coronis uerò in calce libri poni ſolita, ut docet idem Cælius ferè hanc figuram præfert ⨽. Ornithologus autem non erectam, ſed iacentem lineam pingendam putat, cũ unco deorſum ũergente ⊃. Ariſtophanis enim interpres lineam breuem utiq; eſſe ſcribunt, ſed ab inferiori parte flexam. Ex ijs [d] Martialis carmen illuſtratur.

*Si nimius videor ſeraq; coronide longus,*
*Eſſe liber legito pauca; libellus ero.*

Ceterùm quod Græci coronida impingere dicunt; id Latini non minùs eleganter uocant, ad umbilicum perducere. Nam Poetæ quum exactum opus ſignificant, ad umbilicos ſe ueniſſe ſcribunt. Ita [e] Horatius:

*Promiſſum carmen Iambos*
*Ad umbilicum adducere.*

Quem locum, dum exponit Porphyrio, ita ſcribit: *Ad umbilicum adducere pro finire, & conſummare opus poſuit Horatius, quia in libri fine ex ligno, aut oſſe umbilici ſolent apponi.* Plura de umbilicis libris addi ſolitis Cælius congeſſit, quæ nos conſultò prætermimus. Lexicographus quidam coronidam notam eſſe ait corniculatæ lunæ, & in fine librorum pingi ſolitam, ſed, ut uidetur, parũ rectè. Etenim teſte Hephæſtione coronis hac nota ⨽ in fine cuiuſq; Epodi ponitur apud Pindarum, ut in fine totius carminis aſteriſcus. Eſt autem quaſi zeta paruum, cuius apex ſupremùs in rectam lineam extenditur longiuſculè ſiniſtrorſum. Hoc idem ſignum eſt, quod in uetere Comædia, ut paſſim apud Ariſtophanem, habetur, de quo Ariſtophanis Scholiaſtes in Pluto. *Cùm carmina diuerſi generis non ſunt, ſed ijſdem verſibus, quibus ab initio authores vtuntur, coronis vocatur, quoniam ijs finitis coronidis ſignum adijci ſoleat, id verò eſt linea breuis deorſim inflexa.* Quando autem hæ coronides in carminibus appingi ſoleant, pluribus ex Hephæſtione docet [f] Cælius, & Varinus in Κο. Κόρωνος proparoxytonum montem, oxytonum uerò κορωνὸς angulum ſignificat Cyrillo. Κορωνὸς item oxytonum ſuperbus elatus Heſychio, & Varino. Rurſus Κόρωνος proparoxytonum ſuperbus, & taurus cornibus excelſis, ſeu erectis ijſdem. Et alibi: Κορωνίος bos cornua lunata habens. Ceruus τετρακόρωνος Heſiodo, & Oppiano nominatur, quod Cornicis uitam quater ſuperet. Coronopus, ſiue pes Cornicis, inquit [g] Ioannes Baptiſta Porta, uulgò dicitur herba ſtella, folijs eſt craſſis, pinguibus, hirſutis, utrinq; fiſſis, & laciniatis

[a] *Iliad. A.*

Corone pars nauis.

Κορώνη pro parte qua ianua clauditur.

Rhoptron quid.

Coronis quid.

[b] *L. 15. Antiq. Lect. ca. 20.*

Coronida imponere prouerbiũ.

[c] *In de fort. Alex.*

[d] *Lib. 10.*

Ad umbilicum perducere.

[e] *In Epodo.*

[f] *L. 15. c. 20.*

Κόρωνος.

Κορωνὸς.

Κορώνιος.

Ceruus τετρακόρωνος.

Coronopus

[g] *In Phytognom. lib. 4. cap. 23.*

niatis coruinos ungues referentibus, unde ſuam fœneratur nomenclaturam: Alij Coronopoda uocant, Coronopodion dicitur à Tarentino ad ineſcationē piſciū. Dioſcorid. cęliacis prodeſſe dixit. Ad idē cōferre poteſt poſt Cornicis fimū, quū dyſentericos iuuet. Pes Coruinus dicitur à Columella eadēmet herba, etſi eā nullis lineamētis deſignārit, cū extremū folij in auicułę, aut Milui pedē articuletur, & cruda edatur in acetarijs, & cocta cū aceto, & ſale. Nec edēdi nobis ratio exoleuit, nā portułacę modo cōdita ſeruatur. Eſt autem natura calenti, ſapore acri, atq; erucis affini. Vnde Scaliger *noſtrū cornu ceruinū, ſeu herbam ſtellam omnino Coronopoda* Theophraſti eſſe colligit, hic.n. analogiā ponit *Coronopodis, & ſalis, & coronopoda propè cichoracea ſatā, eorum mitigare amaritudinem* aſſerit, ſua ſcilicet acrimonia. Placet quidem hæc Scaligeri ſententia, ſed obſtat, quod coronopus inter aculeatas à Theophraſto ponitur, niſi dicamus uillos, aut hirſutiem in ipſo aculeos appellatos. Sunt Arabes, inquit Hermolaus, qui hanc Coruinum pedem nominant, nec prohibeo, dum res conſtat, quibus cuiq; lubet, uocibus utatur. Illud monendi ſunt herbam, quæ modo pes Coruinus ab officinis, & herbicidis appellatur, non tam coronopoda videri, quàm ranunculi genus, quod polyanthemum cognominatur: quandoquidem aculeata, & oblonga eſſe coronopus herba traditur, & aluinis prodeſſe; pes autem Coruinus, auis eius, & ranunculi ſimilitudine, conſpicitur plurimis foliorum diuiſuris, cuius uel tactu ſolo puſtulæ, vt in ambuſtis, attolluntur, flore aureo, copioſoq;, quibus notis ramunculum polianthemum uocatum conijciunt. Κορωνεὸς item ficus arbor eſt fructus nigros proferens apud Ariſtophanem, quem Scholiaſtes docet κοράκιον etiam dici, quod Suidas etiam, & Varinus repetunt. Et Pollux: *Ichades*, id eſt, *ficus*, inquit, *quædam vocantur βασιλέως*, aliæ κορωνέως. Hæc tamen interim obiter dicamus. [h] Heſiodus nauigationem vernam prohibet, cùm folia ſumma, ficus tantùm apparent, quantùm Cornicis veſtigium terræ imprimitur. Verſus Heſiodi hi ſunt.

Coronopodion. Pes Coruinus. Cornu ceruinum. Pes Coruinus officinarum. Ranūculus Polyanthemon. Κορακιος. [h] *L.2. Oper.*

Ἄλλος δ' ἐαρινὸς πέλεται πλόος ἀνθρώποισιν
Ἧμος δὴ τὸ πρῶτον ὅσον τ' ἐπιβῆσα κορώνη
Ἴχνος ἐποιήσῃ τοσσον πέταλ' ἀνδρὶ φανέντα
Ἐν κράδῃ ἀκροτάτῃ τότε δ' ἀμβατός ἐσι θάλασσα.

ideſt,

*Sed alia verna eſt nauigatio hominibus*
*Nempè cùm primùm quantum incedens Cornix*
*Veſtigium fecit, tantum folia homini appareant*
*Summa in ficu, tum ſanè imperuium eſt mare.*

Videtur autem hæc comparatio folij ficulni ad Cornicis turgentis veſtigium, quò ad magnitudinem eò elegantior, quoniam etiam eadem ipſa inter ſe figura comparantur, vt Proclus ibidem in Scholijs teſtatur. De fico hoc modo ſcribit allato antè loco Io. Baptiſta Porta: *Fico*, inquit, *ſunt folia lacinioſa, & cruciformia, hoc eſt* (vt Theophraſtus inquit) σκολοποειδῆ, *niſi quis* κορωνοποειδῆ *magis legendum putat. Nam & fico Hippocrates donat folia Cornicis pedibus ſimilia. Ficus ſiccæ ex Dioſcoride valent ijs, quos longa valetudo decoloravit, & Cornicis carnes in longis morbis vtiliſſimas putat Plinius.* Coronion ſeſamoides paruum inter nomenclaturas Dioſcoridi adiectum eſt. Huic quidem Dioſcorides folia coronopodis tribuit. Armeria ſecunda, ſiue ſyluęſtris vetonicæ ſpecies, Germanis gauchblum, id eſt, flos cuculi, Belgis crayenbloemkens, id eſt, cornicis flores dicitur. Κορωνῆ pars eſt cubiti, inquit Euſtathius, vt [i] Philoxenum aiunt ſcripſiſſe per metaphorā à flexibili Cornicis collo: nimirum quòd circa exortum illum ſiue proceſſum in vlna rotundum, quē κορώνλω, & κορωνον vocari legimus, brachij inflexus fiat. Radij, & cubiti in brachio exceſſus ambos quidem coronas à rotunditate nominant, priuatim uerò magnum illum poſteriorem Attici olecranon, Hippocrates anconem. Κορώναι dicuntur duæ eminentiæ in imo occipitio, vel ſub parencephalide, quę in duabus cauitatibus laterum primi ſpondili inſident, authore Polluce. Cornicis roſtrum vocatur proceſſus omoplatæ, & coracoeides aliàs dictus à roſtri Cornicis ſimilitudine. Coroniſtas appellabant antiqui, vt [k] Cælius ex Dioniſij Romanis antiquitatibus probat, adoleſcentes puberes, quibus iam tenera lanugo malis obducere incipit. Idem tradit apud Rhodios feſtum, ſiue ludum celebrari ſolitum, in quo Cornici aggregatio quędam hordei, & id genus rerum aliarum fiebat. Vnde id καὶ τῇ κορωνῃ παρθένος φέρει σῦκα, id eſt, & Cornici virgo fert ficos. Qui verò eiuſmodi curæ præeſſent, dicebantur coroniſtæ, ſicuti in libro de nominibus Alexandrinus Pamphilus meminit. Quæ ab ijſdem præcinerentur, vel, vt alij volunt, quæ dabantur coroniſmata uocabant, vt præter alios Athenęus tradit. Corniſcarum ait Feſtus de verborum ſignificationibus, locus erat trans Tyberim Cornicibus dicatus, quòd in Iunonis tutela eſſe credebantur. Cornicula chyrurgica inſtrumenta, quæ ſine igne ſola ſpiritus per foramen ſummū reuocatione ex ſubiecta parte attrahūt, huius loci non ſunt quòd à cornu, non à cornice nomen habeant, ut neque cornicularius, qui corniculo

Coronion. Κορωνη cubiti pars. [i] *Lib. de Dialect. Rom.* Olecranos. Anco. Cornicis roſtrū proceſſus omoplatę. Coroniſtæ qui dicantur. [k] *L.4.c.11.* Coroniſmata. Corniſcarum. Cornicula inſtrumenta.

Tribuni

Tribuni militum præeſt. Cornicula verò etiam nomen Fabulæ Plautinę eſt, vt tradit Petrus Victorius, quę perijt.

*Li.16. Var. Lect.ca.17.*

# MYSTICA.

Cornix Iunoni ſacra.

CORNICES olim Iunoni Dearum Reginę ſacras, ijſq; locum quendam peculiariter, tanquam numen habentibus dicatum fuiſſe, ut antè diximus, Feſtus author eſt. Iunonis igitur patrocinio confiſa, ne flocci quidem facit (credo) Mineruę odium. Nam quod [a] Plinius tradit, *ab arcturi ſidere ad Hirundinum aduentum notari in Mineruæ lucis, templiſq; rarò, alicubi omninò non conſpici, ſicut Athenis,* non ideò fit, quòd Mineruam iratam fugiat, ſed ea loci natura eſt, quam Cornices auerſentur. Cuius rei locuples teſtis eſt ipſe Lucretius ita canens:

[a] *L.10.c.12.*

*Eſt & Athenais in moutibus arcis in ipſo*
*Vertice, Palladis ad templum Tritonidis almæ,*
*Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ*
*Cornices, non cùm fumant altaria donis,*
*Vſque adèo fugitant, non iras Palladis acres*
*Peruigili cauſa, Graiûm, vt cecinêre Poëtæ,*
*Sed natura loci hoc opus efficit ipſa ſuapte.*

Quę verò ſit cauſa, cur Cornici Pallas infenſa eſſe dicatur, Iohannes Vrſinus hoc ſuo carmine quærit, & exponit:

*Cùm ſim Dux auium, ſi lecti fœdera ſeruo,*
*Cur me Bellonæ non placuiſſe putant?*
*An quia garritu pluuioſæ nuntia lucis*
*Dicar, & infelix omen habere puter?*
*Siue quòd excerpam baccas pallentis oliuæ*
*Ohe quid proſunt arma reperta Deæ?*
*Siue quod Hercæi quod vis ſit nata cerebro*
*Nil capiti, cerebro, nil quoque præſtet opis?*
*Mande meum cerebrum cerebro plus Pallade cruda*
*Succurret querulum, nec ſinit eſſe caput.*

Cur Mineruæ inuiſa.

[b] *Li.2. Metamorph.*

Noctua cur Mineruæ ſacra, & cur Cornix reiecta.

[c] *In Meſſenicis.*

[d] *9.Hiſt.c.1*

[e] *L.10.c.12*

Corniculis quis honor apud Catechutēſes exhibeatur

Mineruæ Cornicem [b] Ouidius ideò inuiſam fingit, quòd tres Cecropis filias mandati tranſgreſſores prodiderat, quibus Erichthonium Vulcani filium in ciſta incluſum ſeruandum dederat, & ne inſpicerent, prohibuerat. Antè enim, ut Græcorum habent fabulę, Cornix in Mineruæ tutela erat, cuius rei locupletiſſimum monimentum erat in Corone urbe æneum illius in arce ſub Diuo ſimulachrum, Cornicem manu tenens, quod ſe uidiſſe ſcribit [c] Pauſanias, ſed Cornici pòſt abdicatę Noctua ſucceſſit, utpotè quòd hęc nocturnis lucubrationibus amica ſit. Cornix uerò meditationum peruigilio infeſta mentis agitationem turbet, & ſua garrulitate interpellat, cuius etiam ſymbolum gerere ſcribitur. An potiùs hinc fabuloſę inimicitię data eſt occaſio inter Palladem, & Cornicem, quòd [d] Ariſtoteles, & [e] Plinius internecinum Cornici cum Noctua bellum eſſe ſcribant? Cornices ſicuti olim apud Iunonis cultores, ita, & nunc apud gentem, quæ Chriſtum nedum agnouit haud paruo in honore eſt, & diuinitatis quandam opinionem obtinet. Nam ut noſtri temporis hiſtoriographus Ludouicus Romanus narrat, Calechutenſibus Indis religionis ergò nefas eſt his uolucribus iniuriam inferre, ideoq; tutò vbiuis ibi apparere. Imo Regem ipſum peculiari eas in ueneratione habere. Nam ubi cibum ſumere deſierit, mox ſacerdotes quicquid dapum ſuperfuit, in locum quendam transferunt, & in nuda humo collocant, quo facto rurſus & iterum manibus compoſis excitant Corniculas, quę ad hoc vnum aluntur, & ſigno huiuſmodi aſſueuêre, propterea velut teſſerâ datâ ilicò aduolant, regias reliquias depaſcuntur. Sed quantum à diuino honore abeſſe putanda eſt illa Cornix Marthis Regis, de qua apud [f] Aelianum ſic legitur. *Ad lacum Meridis in Aegypto, vbi Crocodilorum oppidum eſt, Cornicis ſepulchrum oſtenditur. Cuius cauſam Aegyptij eam adferunt, quòd cùm eorum Rex, cui Marthes nomen eſſet, Cornicem valdè cicurem haberet, quæ poſtquam audiuiſſet, quò volatus dirigendus, & quænam regio tranſeunda, & vbi terrarum requieſcendum eſſet, eò regis literas ocyus quàm quiuis nuntius perferret, mortuam & ſepulchri honore affecit, & cippo ornauit.* Ego ſanè litteras perferre longo vſu edoctam fuiſſe arbitror, ſin minus ſub illius ſpecie malum quępiam genium latitaſſe, qui hac arte, & uafritie diuinos, ut propemodum contigerunt, ſibi honores quereret. Quis enim ſanę mentis Cornici rationis experti mentem eam ineſſe credat, ut

Marthes Rex Ægypti.

[f] *Li.6. de anim. cap.7.*

Crocodilorum oppidum.

quo

quò eundum, vbi sistendum, quid deniq; agendum, & intelligat accuratè, & ritè exequatur? Placeat fabella alijs, mihi sanè non fit verisimilis.

# AVGVRIA. PRÆSAGIA.

INter Oscines aues Appius Claudius, & Festus Cornicem reponunt. Et [a] Porphyrius etiã, vbi ait: *Auium voces vsq; adeò variæ sunt pro diuersis earum affectibus, vt varietatis differentias omnes obseruare difficillimum sit.* Cornicis, & Corui varietatem augures aliquatenus obseruasse asserit cæteris differentijs, vt etiam suprà de Coruo annotauimus, quasi supra hominis captum relictis. Cæterùm huius alitis inauspicatum augurium vulgò habetur, vt & aliarum nigrarum. Nigrum enim pro malo vsurpant antiqui. Ita Horatius:

*Hic niger est, hunc tu Romane caueto.*

Et [b] Plinio Cornix auis est inauspicatæ garrulitatis. Et forsan Horatius eo loco garrulum

—— *commissa tacere Qui nescit, &c.*

Ad garrulam Cornicem nigram respiciens; nigrum dixit, id est, improbum. Inauspicatissima verò Plinio dicitur à solstitio, fœtus scilicet tempore. Infausta item est læua, vt ex illo [c] Virgilij liquet: *Sæpè sinistra cana prædixit ab ilice Cornix.*

Vbi Seruius, *Augures*, inquit, *designant spatia lituo, & eis dant nomina, vt primæ pars dicatur antica, posterior postica, item dextra, & sinistra. Modo ergò Cornicem ab antica ad sinistram partem volasse dicit, & in caua ilice consedisse, quæres agrorum damnum significabat permilites clamore gaudentes, & litibus, sicut Cornix etiam. Nam hæc auis, & clamore lætatur, & alias sæpè inuadit.* Sic ille. Hinc illud est apud [d] Horatium *Teq; nec læuus vetet ire Picus, Nec vaga Cornix.*

[e] Prudentius Cornicis cantum inauspicatum fuisse scribit:

*Cur Cremeræ in campis Cornice vel oscine Parræ.*
*Nemo Deum monuit perituros Marte sinistro*
*Tercentum Fabios, &c.*

Infelix quoque reputabatur solitariæ Cornicis occursus, vt ex [f] Ori hisce verbis constat. *Cùm vni Cornici occurrerint, augurantur præsagium sibi hoc esse viduæ vitæ, quòd scilicet animali viduam agenti vitam obuij facti fuerint.* Et Politianus ex Aeliano. *Qui sedes auium*, inquit, *& volatus obseruant inauspicatum esse captantibus, auguria dicunt, vntus tantum Cornicis obsequium.* Quin & hodie in belli publicis negotijs apud Indos Cornicis in aere volitantis supra exercitum conspectus, pauorem eis, & metum infelicis exitus incutit. Vnde si Cornicem per aera fortè transuolantẽ viderit corrigerit, dum Rex Narsingæ exercitum aut ducit, aut educere parat, quiescit, nec progreditur, donec denuò augures consuluerit. Obseruatum tamen est, vt [g] Alexander ab Alexãdro commeminit minora auspicia, licet priora sint, semper maioribus cedere. Siquidem Cornicis aut Columbarum auspicia Aquila superueniente irrita fieri iuxta augurum traditiones legimus. Mirum tamen videri debet in hisce suis superstitionibus adeò ambiguos, & incertos, vt vnam, & eandem auem modò prosperam, modò sinistram fuisse scripserint. Nam & Cornicis cãtum faustum, & auspicatum aliquando fuisse apud eosdem reperimus. Hinc illud à Plinio proditum. *Cornix inauspicatæ garrulitatis à quibusdam tamen laudata.* Sic Cornix apud [h] Plautum secundi auspicij est non tam cantu, quàm loco, dum ait: *Picus, & Cornix est ab læua, Cornus, Parra, ab dextera consuadent.* [i] Cicero quoq; auspicanti aliquid felicem à parte læua contra aliorum opinionem Cornicem apparere scribit: *Quid habeat augur, cur à dextra Cornus, à sinistra Cornix faciat ratum?* Aurelius Victor Vlpiani Traiani imperium pluribus prodigijs denuntiatum refert, in queis præcipuum illud est, quod Cornix è fastigio Capitolij Attico sermone καλῶς ἐραι effata fuerit. [k] Suetonius item Cornicem ante paucos menses, quàm occideretur Domitianus, elocutam esse tradit hæc verba: ἐραι παντα καλῶς, nec defuisse, qui ostentum sic interpretaretur.

*Nuper Tarpeio quæ sedit culmine Cornix,*
*Est bene non potuit dicere, dixit erit.*

Cornicis per Iunonem immissæ augurium, cùm Iasone, & Medea amantes conuenturi essent, [l] Appollonius describit. Hesiodi sepulchrum à Cornice ostensum [m] Pausanias narrat. Quid verò Cornix crocitans, vel quæuis aues inauspicatrices Luna in quouis duodecim signorum existente significent, [n] Augustinus Niphus docet. Sed vt [o] Isidori verbis hanc auguriorum tractationẽ claudamus, *Cornicẽ aiunt augures hominum curas significationibus agere, insidiarũ vias monstrare, futura prædicere. Magnũ nefas hoc credere, Deũ consilia sua Cornicibus mandare.* Anno orbis 1484. Cornices, & Corui in medio aere in maximo numero sibi inuicẽ pugnârũt. At verò dubiũ nõ est, vti & de aliarũ alitũ augurijs dictũ est, eas nõ aliud, quàm dæmonũ præstigias fuisse, quib[o] homines superstitiosos illuderet. Referũt qui Iaponẽsiũ res nobis describũt, a Cornice

[a] *L. 3. de abstinendo ab animatis.*

Nigercolor [p] malo augurio habitus.

[b] *Lib. 10. c. 12.*

[c] *Bucol. 1. Eglo. 1.*

[d] *3. Car. 27.*

[e] *Lib. 2. contra Symma.*

[f] *L. 1. Hieroglyph.*

Narsingæ Regis superstitio in cõsulendis augurijs.

[g] *Lib. 5. Genial. dier. c. 13.*

[h] *In Asinaria.*

[i] *L. 1. de Diuin.*

[k] *In Domitiano c. 23.*

[l] *L. 3. Arg.*

Hesiodi sepulchrum à Cornice ostensum.

[m] *In Bœot.*

[n] *L. de Aug. tab. 6.*

[o] *12. Orig. cap. 7.*

eum populum auguria ſumpſiſſe, & derepentè malum genium eum, qui cæperat, inuaſiſſe. Quare his relictis, quæ naturę quodam inſtinctu ab hac aue eduntur tempeſtatum præſagia proſequamur. Cornix peculiariter primùm Euphorioni apud Scholiaſten Nicandri pluuiæ vates κατ' ἐξοχὴν nominatur, ubi ait:

Præſagia tempeſtatũ

*Cùm pluuiæ vates Cornix crocitauerit.*

[p] *L. 3. Carm. 27.* Et [p] Horatio deinde ſimpliciter *auis imbrium diuina*, id eſt, præſcia.

*Antequam ſtantes repetunt paludes*
*Imbrium diuina auis imminentum.*

Tribus autem potiſſimùm modis pluuiam prædici ab ea comperio, nempè uoce, deambulatione circa littus, & capitis in aquã immerſione. Voce quidem, ut ex [q] Lucretio cõſtat, dũ ait:

[q] *Lib. 5. de nat. rer.*

*—— Mutant cum tempeſtatibus vnà*
*Rauciſonos cantus Cornicum ſæcla vetuſta,*
*Coruorumq́ greges, vbi aquam dicuntur, & imbres*
*Poſcere, & interdum ventos, aurasq́ vocare.*

Et iuxta antiquiſſimum Aratum, magnum tempeſtatis ſignum Cornix noctù canens, quòd [r] Aelianus ex eo repetit, dicens: *Si Cornix, Coruus, Gracculus crepuſculo veſpertino vocales ſint, tempeſtatis aduentum prædicant*, & Auienus Arati interpres:

[r] *Lib. 7. de Anim. c. 7.*

*Cùm veſpertinum Cornix longæua reſultat.*

Et alibi. *Si nocturna tibi Cornix canit, &c.*

De modulo uocis ſcriptores uariare uideo. Sunt qui acuta, dum pluuiam præſagit, ſunt qui craſſa uoce uti aſſeuerant. Theon Scholiaſtes Arati, & Plinius acutam dicunt. *Quum terreſtres*, inquit hic, *volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes ſe, ſed maximè Cornix, ſignum eſt hyemis.* Nam clangor non tàm craſſa, quàm acuta, & clara uox eſt. Eam tamen Aratus ipſemet craſſa uoce crocitare dixit. Huius etiam mentem propius aſſequutum eſſe uidemus Virgiliũ.

*Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce.*

Licet enim Seruius Grammaticus plenam vocem, raucam hîc interpretetur, ego potiùs craſſam, & grauem ita à Poëta uocari credo, cùm & Aratus dicat παχέα κρώζουσα. Veſperi autem non craſſa, ſed placida, & uaria uoce utens Cornix, ab eodem inter ſerenitatis ſigna ponitur, ne quis procellas tantùm, & imbres eam prænunciare putet, quamuis id potiſſimùm faciat, ut præter antè memoratas authoritates etiam illa Horatiana oſtendit, qua Cornicem aquæ augurem appellat.

Quando ſerenitatem prædicat.

*Aquæ niſi fallit augur*
*Annoxa Cornix.*

Heſiodus vocis proprietatem non determinat, ſed imbrem prædicere abſolutè eo prouerbio (ſi modo ita rectè exponitur) innuere videtur. *Domum ædificans imperfectam ne relinquito, ne inſidens illi garrula Cornix crocitet.* Hoc eſt, vt quidam volunt, ne tempeſtas, & pluuia ingruens imperfectæ noceat. Vox enim Cornicis (inquit Moſchopulus) ſignum eſt tempeſtatis. Sed alij aliter hoc prouerbium interpretantur, vt ſuo loco docebimus. Ariſtoteles in ſecretis ſecretorum (ſi modo is eſt author) iteratæ vocis numero augurij ſignificationem metitur, dicit enim, *Cornix ſi velociter bis clamet, & tertiò tempeſtas erit.* Item de temporis diuerſitate, *Si manè clamauerit*, inquit, *ſerenitatem, ſi veſperi quietè canit, tempeſtatem.* At matutini cantus reliquorum nemo facit mentionem. In hoc quoque ab Arato alijſq; diſſidet, quòd quietè canentem imbrem faciat prædicere. Reliqui geſtus tempeſtatis inditia sũt, vt iuxta mare obambulatio, & capitis colliq; ſubinde in aquas immerſio. Illud [f] Virgilius eo verſu docet:

[f] *Lib. 1. Georg.*

*Et ſecum in ſicca ſola ſpatiatur arena.*

Et Claudianus. *Si reuolant Mergi, graditur ſi littore Cornix.*

Vtrũq; Cicero ex Arato. *Fuſcaq́ nonnumquam curſans per littora Cornix*
*Demerſit caput, & fluctum ceruice recepit.*

[t] *Lib. 5.* Item [t] Lucanus. *Quodq́ caput ſpargens vndis velut occupet imbrem*
*Inſtabili greſſu metitur littora Cornix.*

Aratus author huius rei præcipuus, hæc præſagia ita declarat: *Garrula Cornix terreſtris ſub initium tempeſtatis littus eminens ſubit, & iuxta mare, vt quæ aquis gaudeat, apparet, aliquando, & in fluuij aquam à capite vſque ad ſummos humeros ſe immergit, aut etiam tota innatat, aut ſaltem frequenter verſatur circa aquam fluuiorum, aut maris craſſa voce crocitans.* Cæterùm huius rei cauſam aſſignare nixus Theon eius interpres in hæc verba ſcribit. *Cornix, & Coruus* (ſunt enim eiuſdem generis) *cùm corpore admodum ſint ſicco, plurimum gaudent humectantibus. Cùm igitur initium hyemis, ſeu tempeſtatis ſenſerint, & aër corpora earum humectárit, tunc etiam innatant aquis, ceu quibus valdè gaudeant. Cæterùm aqua ipſa fluuiatilis, aut marina parum eas iuuat, niſi aër quoq́ humidus fuerit.* Et rurſus. *Immergit*, inquit, *ſe Cornix refrigerandi gratia, ſiue quòd aëre ambiente*

*ambiente refrigerato, animalia ipsa calore intus collecto magis caleant, siue propter externum calorem, vt plurimùm enim ante pluuias aër terra m ambiens, calidior fit. Vel illud πωλλὴ φρέφεται apud Aratum accipi potest, quasi multum gaudeat Cornix, & saliat, frigiditatis amans, est enim ipsius natura calida.*

Verùm, & hanc rationem suprà in Coruo tetigimus.

## MEDICA.

APolychronia Cornicis viuacitate emanasse autumno; quòd in morbis chronicis, & longissimis, vt tradit Plinius, non carnes eius solùm esu vtilissimas putarent antiqui, sed & ad nidum eandem vim extenderent, dum & hunc corpori feliciter ad prolongãdos vitæ dies illini crederent. Huius cerebrum coctũ, & in cibo sumptũ doloribus capitis grauibus, & inueteratis remedio esse[a] Plinius quoque, & Marcellus testantur. Et in cibo sumptum palpebras gignere Plinio dicitur. Kiranides fimum in vino potum dysenteriam sanare tradit. Albos reddendi pilos talem Elluchasem rationem docet. Ventres Cornicum seu Coruorum iugulatorum, & posítorum sub fimo recenti tribus diebus imponantur cacabo, & affuso oleo bulliant, & percoquantur, donec quodammodò liquescant, & resoluantur. His pilos quater inungito. Mures araneos fugandi modum Ornithologus recitat huiusmodi. *Cornicem*, inquit, *occisam tam diu relinquens, donec puteat. Cadauer iam fœtidum expones in locum, vbi mures aranei sunt, conuenient illi ad hanc escam consumendam, qui in domo fuerint, omnes, & ita congregati, vel scopis, vel aliter occidi poterunt, aut capi, vt nuper ex homine quodam polyhistore intellexi.* Alia etiam plura de Cornicis facultatibus adfert Kiranides, quæ vt superstitiosa consultò relinquimus.

Carnis vsus.

Cerebrum.

[a] *L. 20. c. 6.*

Fimus.

## VSVS IN CIBO.

COrnicis carnibus vesci, vt & cæteris Coruini generis auibus lex diuina prohibebat, nunc tamen in pauperiorum nonnunquàm mensas veniunt, præsertim in Italia. Verùm his qui sanitati suæ consultum cupiunt, è culina procul ablegãda est. Nam præterquàm, quòd immunda, ac funesta auis est, certè cadaueribus pasta succi praui est, bilioſi, & putidi. Hinc Demetrius Constantinopolitanus Corui, aut Cornicis carnem Accipitri dari prohibet. Et rursus *Accipiter*, inquit, *edat de Coruo cor, & cerebrum, & iecur, & perparùm de pectoris pulpa, sanguine verò omninò abstineat. Est enim salsus, & pernitiosus Accipitri, vt omnia salsa. Idem in Cornice cauendus est. Vtriusque etiam ossa, & interiora vitabit. Vrunt enim, ac nimiam sitim, & noxam inducunt.*

## HIEROGLYPHICA.

AEgyptiorum disciplinâ traditur, in Cornicem vnam incidere inauspicatũ mortalibus omen putari. Quod[a] Aelianus etiam memorat, viduato nempè animali obuiam factis, cælibem solitariamq; hoc est, tristem, ac necessarijs destitutam adminiculis vitam degendam esse. Hinc etiam Zezes apud Hesiodum, vbi Poeta vxorem auspicatò ducendam monet, si ait: *Cornices duas obseruaueris.* Eodem argumento congressum maritalis copulæ legitimum iudicabant, quòd eas inuicem naturali modo quemadmodum homines copulari aiunt. Præterea omne Coruinum genus, rarò coire solet, identidemq; sacrum matrimonij fœdus nulla petulantia, vel improbioris lasciuiæ nequitia labefactare, vti multos legimus, non nisi liberorum quærendorum causa coniunctos à coitu sibi temperasse. Qui quidem modus, & tenor sobriè, ac honestè seruatus in causa fuit, vt per Cornices duas nuptiarũm fieret hieroglyphicum. Cæterùm quia in nullo vnquàm vitæ genere concordia magis expetitur, quàm in maritali commercio: Itaq; hinc Cornix ipsa concordiæ symbolum habetur, cuius rei quamplurima extant veterum numismata, & vulgò Græci, vt Hori interpres Philippus obseruauit, nuptialibus festis ἐκκορικορώνη clamitare consueuerant, cùm tamen ignorarent, & instituto veteri Cornicem in nuptijs auspicatissimo omine nominari solitã. Animaduertẽdũ autẽ in Græcanica illa succlamatione aliquid desiderari, vt rectè Pierius Valerianus monet, videndumq; apud Aeschylũ, Danaidibus ita scribi σὺν κόροισι καὶ κόραις πᾶν τῷ βίῳ ἐκκορεῖ, vbi pro κόραις κορώναις, fortè reponendũ. Id verò nõnulli hortãdi modo pro nuntiandum asserunt ἐκκορεῖ κορας κορώνας, quod nescio quid esse volebant, quòd cantillatum verecundiam ijs, qui liberi operam dabant, auferret. At hæc si quis vberiùs sibi declarari cupiat ad commentaria Pindari se conferat; Sed vt ad concordiæ hieroglyphicum reuertamur, alitis huius simulachrum sæpè se vidisse Valerianus asserit in Faustinæ Augustæ nummis cum

[a] *L. 3. c. 9.*

Nuptiarũ hieroglyphicum.

Concordiæ symbolum.

inſcriptione: CONCORDIA. Eò nimirum Iuuenalis reſpexit, cùm veterem concordiam dixit nido increpitare. Quamuis ſuperiore ætate fuerunt, qui Ciconiam ab hoc ſignari arbitrati ſunt. Sed, quæ in nummis conſpicitur, nihil habet, quòd ad Ciconiæ effigiem referri poſſit. Sed præter hæc, quæ apud Crocolidorum vrbem ſupra ſepulchrum quoddam Cornix in columna ſublata erat, fidelem operam in tabellario munere præſtitam indicabat, Huiuſmodi enim & ſepulchri honos, & columnæ habitus eſt olim Cornici à Marrhe Aegyptiorum rege, vt paulò antè diximus. IVSTVM vitæ ſpatium ab homine feliciter decurſum Aegyptij ſacerdotes hieroglyphicè tunc intelligendum proponebant, cùm Cornicem vita functam figuraſſent. Viuere enim Cornices dicuntur in multos annos, & [b] Lucretius *Cornicum ſæcla vetuſta* dixit. Quòd autem tradiderunt Aegyptij centum eas annos ſuperare, animaduertendum eſt, vt ſuo loco etiam monuimus, de anni huius duratione varias eſſe opiniones, & annos Aegyptiorum quatuor noſtros circumplecti, ratione â Sotheos ortu ſupputata, quatenus ſcil. cet, ſuper antibus vnoquoq; anno ſolari ſex horis, integer demum dies vnus, qui apud nos intercalaris habetur, ſingulis quatuor annis apud nos, apud illos integrum, & perfectum annum abſoluit. Quare qui annos ea ferè quingentos viuere dixerunt, haud ita multũ diſcedunt ab Aegyptijs. Neque me præterit Ariſtotelem arbitratum, nullum animal homine diutius viuere præter Elephantum. Quod ſi verum eſt, breuiſſima admodum erit (ſi vt iam viuitur, ſpectes) viuaciſſimorum animalium vita. Cæterùm Aegyptijs ſubſcribũt plerique autores minimè contemnendi. Theon tamen in Aratum nouem ætates pro multis accipiendas cẽſet, & eam nouenarij vim eſſe, vt pro multitudine accipiatur. Verùm quocumq; modo ætates illæ intelligendæ ſunt: Illud ad hanc materiam facit, quòd huius viuacitatis ergò prouerbium factum aiunt: *Cornici oculos configere.* quo Cicero, Macrobius, & D. etiam Hieronymus vſi ſũt, volentes antiquitati vel ſublatam, vel diminutam authoritatem nouo iuniorum inuento commonſtrare. Porrò Ciceronianum illud: *Inuentus eſt ſcriba quidam Gn. Flauius, qui Cornicum oculos confixerit*, eò ſpectat, vt adinueniſſe Flauium rationem oſtendat, qua legum, ſacrorumq; interpretibus auctoritatem, & exiſtimationem imminueret, cùm eo præcipuè nomine coleretur à rudi populo, quòd faſti penè ſingulis diebus ab eis petendi eſſent, vt ex eius arcanis peritia, cognitioneq; creſcerent, ſuamq; illam ſcientiam magis ac magis populo venditarent. Is ue rò cum ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuiſſet, ac publicaſſet, re iam diuulgata peruicit, ut in minori deinceps pretio ſacrorum interpretes haberentur, atque ita conſilia eorum de tuenda exiſtimatione prorſus euertit, Cornicumq; demum oculos confixit, fama per magnam ſibi inuidiam comparata. Sed de hoc prouerbio plura in ſequentibus. Id uerò ad mentis prauitatem attinet, quòd Propertius tangit, ubi cùm de lenæ cuiuſdam uafritie, & impoſturis multa enumeraſſet, tum ut rem omnem uno uerbo concludat, ita ait.

*Poſſet & attentos aſtu cæcare maritos*
*Cornicum immeritas eruit vngue genas.*

Id ſumptum eſt ab Ariopago, ubi puer quidam damnatus eſt, quòd Cornicum oculos ſtudioſiùs erueret, pernicioſiſſimæ mentis id ſignum eſſe iudices æſtimantes, quæ multis, ſi adoleuiſſet, malo futura eſſet. Hominem Horus in aſſiduo motu, mentisq; agitatione uerſantẽ, ita, ut neque dum cibum capit, interquieſcat, per Cornicis pullos ſignificari tradit. At rectiùs per Cornicem, & duos illos pullos ſuos dixerimus. Hęc enim uolans uolantes item pullos aliquã diù paſcit. Nil uerò magis negotioſum hominem ſignat, quàm & rerum aliarum ſatagere, & nihilo ſerius interim aliquid corporis neceſſitati tribuere. Spei uerò in primis ſymbolum Cornicem gerere uoluerunt, eaque ſignificatione Deæ Spei imaginem ſupra dolium ſedentem finxêre, cauſam eſſe ſuſpicor, quòd Cornix cras ſemper ingeminat, uocem procraſtinantium, & futura ſemper deuorantium.

Vitæ ſpatij hieroglyphicum.

Anni Aegyptiorum.

Elephantorum vitæ diuturnitas.

Nouenarij numerus.

Orat. pro L. Murẽna.

Inquieti hierogly.

Spei ſymbolum.

[b] *Lib. 5. de nat. rerum.*

# PROVERBIA.

Cornix candida.

*Ornix candida* adagij loco dicitur de re rara admodum, ac uiſu inſolita. Cornices enim omnes atras natura fecit. Vtitur hoc lepidè [a] Petrarcha, ubi hominia ctanti ſe uxorem duxiſſe nobilem, caſtam, manſuetam, humilem, obſequioſam, piam, candidam, Ratio reſpondet: Mirus auceps, Cornicem candidam reperiſti, uix eſt tamen, qui inueniſſe ſe fuſcã putet. Meminit item [b] Ariſtoph.

Αλλ' ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιαίτας κορώνας
Ἐν ταυτῷ τὸ μεταξὺ κορίνθῳ καὶ σικυῶνος.

Id eſt, *Sed quando habitabunt lupi, albæq; Cornices*
*In eodem in medio Corinthi, & Sicyonis.*

Prouerbij item uim habet illud [c] Heſiodi.

[a] *Dial. 65.*

[b] *In Auib.*

[c] *In operib.*

Mu-

*Μηδὲ δόμον τοιῶν ἀνεπίξεσον καταλείπειν*
*Μήτοι ἐφεζομένην κρώζῃ λαπέρυζα κορώνη,* ideſt,
*Neque ſi domum feceris, relinquas imperfectam.*
*Ne fortè inſidens crocitet ſtridula Cornix.*

Quem locum bifariam accipi poſſe Proclus interpres admonet. Quibuſdam enim videtur admonere Poëta, vti quiſque domicilium ante hyemem abſoluendum curet, ne tum nō habeat, quo frigoris moleſtiam depellat. hyemem enim Cornicis ſymbolo, videlicet auis hybernæ indicari. Alij verò ædificium ſemel inſtitutum, non oportere putant imperfectum relinquere, ne vulgo riſui ſis, & qui præterierint, obloquantur, carpantq; leuitatem tuam, qui quod cœperis, non abſoluas. Eam autem obtrectantium petulantiam per Cornicem voluit indicare Poëta, nempè per auem garrulam, & obſtreperam, vt hinc etiam prouerbium Græcis κρώζειν ductum ſit, Latinis Cornicari. At ipſi Proclo magis probatur, vt καθολικῶς accipiamus, vnicuiq; negotio, quòd ſemel inſtituerimus, finem idoneum imponendum, vt nihil omninò deſideretur, & vbiq; ad perfectionem contendendum eſſe. Id quò longiùs vocabitur à ſimplici ſermone, hoc venuſtiùs fiet, & magis prouerbiale. Veluti ſi quis adhortetur aliquem, ne ſtudia litterarum deſerat, ſed laudabiliter incœptis ſummā imponat manū, ne vulgo ludibrio ſit, quòd à bene cœptis deſtiterit. *Cornicum oculos configere*, prouerbium nuperrimè in hieroglyphicis ex occaſione partim à nobis expoſitum eſt, ſed de quo non ſatis conſtat, vnde natum ſit, an ex apologo quopiam, nunquid ex rei euentu, num ex metaphora. Videtur autem perinde valere, quaſi dicas nouo quodam inuento veterum eruditionem obſcurari, effici vt ſuperiores nihil ſciſſe, nihil vidiſſe videantur. Effertur autem per ironiam. Fieri quidem poteſt, ut Cornicū uiuacitas & concordia huic adagio locum fecerit, vt is videatur Cornicum oculos velle configere, quiſquis ea, quæ antiquitas magno conſenſu approbauit, damnare ac conſcindere conetur. Nec admodū abſurdum eſt, ſi quis in hūc modum accipiat, ut dicatur oculos Cornicum configere, qui perſpicaciſſimis oculatisq; viſum adimat, offundatq; tenebras, aut qui rem ipſiſſimam acu, quod aiūt, tangat, tantus videlicet artifex, vt non ſolùm ſcopum, aut auem; verùm & ipſos oculos iaculo feriat. Nec admodum diuersè uſurpauit [d] Macrobius, his uerbis: *Et quia his loquendi labyrinthis nos impares fatemur, age Vecti, hortemur Euſtathium, vt recepta contraria diſpoſitione, quidquid pro vario cibo dici poteſt, velit cōmunicare nobiſcū, vt ſuis telis lingua vrolenta ſuccūbat. & Græcus Græco eripiat hūc plauſum, tanquam Cornix Cornici oculos effodiat. Cornix ſcorpium*, ſubaudi, rapuit. Quadrat in hos, qui eos, unde tantundem mali uiciſſim accepturi ſint, ut Cornix arrepto ſcorpio, ab eodem icta perijt, de qua re extat Epigramma Archiæ. Atque in rebus humanis frequenter vſu uenire ſolet, ut qui cepiſſe uideatur, ipſe captus ſit. Quemadmodum & apud Horatium: *Græcia capta ferum Victorem cepit*. Ita Cælius ex Suida & Heſychio, Cornix ſcorpium. *Paræmia*, inquit, *eſt in eos, qui tum grauia, tum nocumenti inferentia plurimum toto petunt conatu. Ad Coronidem uſque*, Prouerbiū, quum rei finem ſignificamus. A nauibus translatum putāt, quibus aliquid roſtri ſpeciē gerēs addi ſolet. Corone Græcis uocatur, quicquid ueluti ornamēti gratia rebus perfectis additur. Plutarchus aduerſos Stoicos. Ab initio, & ingreſſu uſque ad Coronidem. Ducta metaphora apparet à chori parodo, id eſt, ab ingreſſu in fabulis. Iucundius erit, quoties transfertur ad animum, ueluti ſi quis ſtudiorum coronidem dicat; aut ut egregiè cœptis auream addat coronidem: aut uitæ laudabiliter actæ auream iubeat imponi coronidem, hoc eſt, mortem piam. Effertur & hoc modo prouerbium *Coronida imponere*, ſignificatq; ultimam rei admouere manum, nec affectum opus, ſed prorſus perfectum, & completum eſſe. Siquidem coronis, præter ea, quæ dicta ſunt, etiam notam eam ſignificat, ut alibi oſtenſum eſt, quæ in fine libri ponebāt antiqui, unde & adagionis origo eſſe poteſt. Hinc illud eſt Plutarchi elegātiſſimum in ſermone, qui eſt. An ſeni adminiſtranda republica. *Qui verò*, inquit, *ciuilibus actionibus, & certaminibus innutritum non ſinit ad facem, & Coronidem vitæ progredi, prorſum ingratus*. Poſſet & illud prouerbij loco uſurpari non illepidi, quod Athenæus ex Machone recitat. *Sus Cornicem increpat*. Quod quò melius intelligatur, eius hic originem ex ipſo Machone referre lubet.

Hyemis Symbolū.

Cornicari.

Cornicum oculos configere.

Qui dicatur Cornicū oculos configere.

[d] *Lib. 7. Saturnal.*

Cornix Scorpium.

Ad Coronidé uſq;

Coronida imponere.

Sus Cornicem increpat.

*Aliquando Caliſto cognomine Sus*
*Probris ac iurgijs rixabatur*
*Cum ſua matre, quam appellabant Cornicem:*
*Litem eam diremit Gnathæna, quæ interrogata*
*Quid nam illud eſſet diſſidij, quid aliud dixit, quàm quod*
*Altera Cornix eſt, eam vero Sus increpat?*

Salsè innuens Cornicem loquacem nempè garrulam & clamoſam à Sue ſordida & grunnitū moleſta reprehendi, quod ridiculum ſit, & indignum, ab eo quempiam uitij cuiuſpiam inſimulari, quo ipſe omni ſcelerum genere ſit inquinatiſſimus, & perditiſſimus.

# EMBLEMATA.

EMBLEMA Alciati, quod inſcribitur *IN SIMVLACHRVM SPEI.*

*Quæ tibi adeſt volucris? Cornix fidiſſimus oſcen,*
*Eſt bene cùm nequeat dicere, dixit erit.*

Nimirum quia effert hanc vocem Cras, quæ ſpem in futurum differri ſignificat. Aliud eiuſdem ſub titulo: PRVDENS MAGIS, QVAM LOQVAX.

*Noctua Cecropijs inſignia præſtat Athenis,*
*Inter aues ſani Noctua conſilij.*
*Armiferæ meritò obſequijs ſacrata Mineruæ eſt*
*Garrula quo Cornix ceſſerat antè loco.*

Aliud: CONCORDIA inſcriptum, vel CONCORDIAE SYMBOLVM:

*Cornicum mira inter ſe concordia vitæ eſt,*
*Inq; vicem nunquam contaminata fides.*
*Hinc volucres hæc ſceptra gerunt, quòd ſcilicet omnes*
*Conſenſu populi ſtantq; caduntq; Duces:*
*Quem ſi de medio tollas, diſcordia præceps*
*Aduolat, & ſecum regia fata trahit.*

# APOLOGI.

Corui, & Cornicis apologus.

CORNIX, inquit Aeſopus, Coruo inuidens, quòd is per auguria hominibus vaticinaretur, & ob id futura prædicere crederetur, conſpicata viatores quoſdam prætereuntes, in arborem volauit, ſtansq; valdè crocitauit. Illis verò ad vocem conuerſis, & admirantibus, re cognita, quidam inquit: Abeamus heus vos, Cornix enim eſt, quę crocitauit, & augurium non habet. Fabula ſignificat eodem modo, & homines cum præſtantioribus certantes, præterquam quòd non ad æqua perueniunt, riſum quoque alijs de ſe excitare. Videtur autem Aeſopus præter aliorum plurium cùm Græcorum, tùm Latinorum ſententiam augurij vim Cornici adimere, quòd his, quæ à nobis in capite de Augurio allata ſunt, penitus auerſatur. Verùm & huic difficultati duplici ratione ſatisfacimus, & primùm ſi antiquiores augures Cornicem oſcinem cognouiſſe negemus, ſecus ac Latini, ac Romani fecerint. Nam quæ ex Hæſiodo, & Arato adferuntur, non ad auſpicia, ſed ad prognoſtica, & tempeſtatum præſagia, quæ quidem naturalia minimeq; ſuperſtitioſa eſſe conſtat; referenda ſunt. Vnde conijcere licet à Romanis primũ auguribus oſcinum auium numerum augentibus Cornicem additam, augurumq; alitum collegio inauguratam eſſe, ut quibus nullum ſuperſtitionis genus, quod excogitare vlla vnquam ratione potuerunt, omiſſum fuerit. Altera reſponſio è fabula petenda eſt, quæ Cornicem antè quidem auguria hominibus facientem, ob nimiam garrulitatem ab omni Mineruæ offenſæ, & infenſæ Deæ tutela abdicatam, augurandi ſimul dotem, aut ſaltem augurij fidem perdidiſſe, narrat. Quæ quidem huic apologo conformis eſt opinio, qui ſic habet. Cornix Mineruæ ſacrificans, canem inuitauit ad epulas, ille verò ad eam dixit, quid fruſtra ſacrificia abſumis. Dea enim adeò te odit, ut ex peculiaribus quoque tibi augurijs fidem ſuſtulerit. Cui Cornix, ob id magis ei ſacrificabo, vt reconcilietur mihi. Fabula ſignificat plerosq; ob lucrum non vereri inimicos beneficijs proſequi. Columba in Columbario enutrita fęcunditate ſuperbiebat. Cornix verò ea audita, ait. Sed heus tu, deſine hac re gloriari, nam quò plures paris, eò plus męroris accumulas. Fabula, vt ipſe Aeſopus exponit, ſignificat, ex famulis quoque eos eſſe infeliciſſimos, qui in ſeruitute multos filios faciunt. Apologo autem origo eſt, ex Cornicis ſterilitate, quam ſuo loco declarauimus. Eſt & alius, & quidem celebris de Cornicula, & alijs auibus apud Gabriam apologus, qui ſic habet:

cornici cur Aeſopus augurij ademerit.

Cornix, & Canis.

Cornix, & Columba.

*Alienis pennis induta*
*Gloriabatur Cornicula præſtare auibus:*
*Primum donum Hirundo rapuit,*
*Poſt eam omnes, hinc nuda inuenta eſt.*

Confictus eſt in eos, qui aliorum bonis ſeſe venditant, eaque pro ſuis impudenter obtrudunt; quod

quod ne faciamus ſapienter monet Horatius eodem planè Cornicis exemplo :

*Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim*
*Rex auium plumas, moueat Cornicula riſum*
*Furtiuis nudata coloribus, &c.*

Alius apologus eſt de Cornice cum Hirundine de pulchritudine contendente. Cui nempè pertinaciùs ſpeciem ſuam laudanti, reſpondens Cornix dixit. Sed tua pulchritudo verno tempore floret, meum verò corpus etiam hyeme durat. Fabula ſignificat durationem corporis, decore meliorem eſſe.

## FABVLOSA.

CORONIS, alio nomine Arſinoe, Nympha fuit Phlegyæ, vel vt alij tradunt Leucippi filia; quę ex Apolline Aeſculapium peperit, eam Coruus ſacra Apollini auis quum deprehendiſſet cum iuuene quodam Aemonio Elati filio, cui Ischydi nomen erat, rem habentem, negotium ad Apollinem detulit. Quare Apollo iratus eam maturo iam partu ſagittis interemit. factiq; tandem pœnitẽs, quum illam ab inferis nequiret reuocare, diſſecto vtero conceptum ex ſe infantem eduxit, eumq; Aeſculapium appellauit, & Chironi Centauro educandum tradidit. Vnde Coronides Aeſculapius à matre dicitur, cuius etiam Homerus meminit. Fabulam hanc ex Ouidio poſuimus in Coruo, quare eò lectorem ablegamus. Aemeleſagoras Athenienſis, referente[a] Antigono Liberali, qui Atticæ deſcriptionem condidit, negat ad arcem Athenienſium aduolare Cornicem; neque eſſe ait vllum, qui dicere poſſet, ſe id vidiſſe. Cauſam verò fabuloſam refert. Mineruam Vulcano in matrimonio traditam, cùm eundem cum ipſo intraſſet lectum euanuiſſe, Vulcanum in terram concidiſſe, ac ſemen profudiſſe, terram deinde Erichtonium edidiſſe: huncq; à Minerua enutritum, in ciſtam incluſum, traditumq; Cecropis filiabus Aglauro, Pandroſo, & Herſæ, ut aſſeruarent, mandatumq; ne ciſtam ante ſuum aduentum aperirent, ipſam ad Pellenem abiiſſe montis apportandi cauſa, quem propugnaculi loco, ante arcem collocaret. Interim Aglauron, & Pandroſon ciſtam aperuiſſe, & conſpexiſſe circa Erichtonium duos ſerpentes. Mineruæ montem ferenti, cui nunc Lycabettus nomen, obuiam factam Cornicem, & renuntiaſſe detectum eſſe Erichtonium. Deam hoc audito, mœrem eo loci, ubi nunc eſt ſitus, abieciſſe, Cornici autem ob malum nuntium dixiſſe, nefas eſſe eam in arce intrare. Hanc fabulam[b] Ouidius quoque his uerſibus expreſſit.

Coronidis fabula.

Æſculapi Coronides dictus.

[a] *L. de cong. mir. nar.*

[b] *2. Metamorphoſ.*

*Quid fuerim, quid ſimq; vide, meritumq; require,*
*Inuenies nocuiſſe fidem. Nam tempore quodam*
*Pallas Erichtonium prolem ſine matre creatam*
*Clauſerat Actæo tecta de vimine ciſta,*
*Virginibusq; tribus gemino de Cecrope natis*
*Seruandam dederat, ſua ne ſecreta viderent,*
*Abdita fronde leui denſa ſpeculatur ab vlmo,*
*Quid facerent: commiſſa duæ ſine fraude tuentur*
*Pandroſos, atque Herſæ timidas vocat vna ſorores*
*Aglauros, nodoſq; manu diducit, & intus*
*Infantemq; vident, apporrectumq; Draconem,*
*Acta Deæ refero, pro quo mihi gratia talis*
*Redditur, vt dicar tutela pulſa Mineruæ*
*Et ponar poſt noctis auem, mea pœna volucres*
*Admonuiſſe poteſt, ne voce pericula quærant.*

## DE CORNICE FRVGIVORA. CAP. III.

CORNICVM ſpecies deſcripturi Frugiuoram primùm in manus ſumpſimus, quòd hæc Cornici ita propriè, & abſolutè dictæ vndiquaque ſimilis ſit, prętęrquam roſtro: prętęrea quia Cornicem uariam, vt & illam ueram antiquorum magnitudine ſuperet. Ordo.

SYNO-

# SYNONIMA.

IANC Cornicis ſpeciem Ariſtoteles Σπερμολόγον ab eſu frugum, alij Σπερματολόγον appellârunt. Latini Græcam vocem vertentes, Cornicem frugiuoram, & Frugilegam dicunt, eò quòd præter aliarum morem frugum tantùm ſeminio victitet. Graniuoram vocat Longolius. Gallis Freux, detorto vt videtur Bellonio à Latina nomenclatura Frugilega, vocabulo. Quæ verò alia Gallica nomina adfert [a] Bellonius, minimè huic Frugilegæ competunt, ſed Gracculo, quem perperàm cum Frugilega confundit, vti pòſt faciemus palàm. Ea ſunt Graye, & Grolle, quas res ipſa à Latina voce (Gracculus) formatas loquitur, præſertim poſteriorem. Nam Graye, quod etiam Cornici propriè dictæ commune vocamen eſt, Germanicæ potiùs appellationi, quæ eſt Craey videtur debere originem. Hanc auem Albertus quoq; cum Graculo confundit, hunc in modum, ſed ſine authore ſcribens: *Cocix* (quæ vox duplicata litera c, Cuculum ſonat) *Latinè appellatur auis, Cornice maior, roſtro magno, & albo iuxta caput, vbi nares ſunt, & à quibuſdam Gracculus appellatur, Germanicè Touch*, pro qua voce Ornithologus Rouch rectè legit: ſed facilè agnoſcitur de Cornice hac illum loqui. Nam & hanc eodem Bellonio teſte Gallicum vulgus Corneille, id eſt, Cornicem vocat, haud omnino, vt ipſe opinatur, malè, generico nimirum nomine, cùm reuera ſit ex Cornicum familia, cui voci vniuerſali, qui (Sauluage id eſt, ſyluatica, aut ſylueſtris potiùs) addunt, meliùs faciunt, & proprio additamento eam ab alijs diſtinguunt, quòd hæc in agris potiſſimùm degat, neque in vrbibus circa ædes, aut ſterquilinia, cloacaſque more Cornicum propriè dictarum verſari conſpiciatur. Apud Germanos Rouch nominatur, fortè, vt Ornithologus non ineptè coniectat, à roſtri ſcabrioris aſperitate, quod huic generi peculiare eſt. Omne autem ſcabrum Germani Rouch, vel rauch vocant. Belgæ paulò ſecus Een Roeck; Angli hiſce acceptum ferentes Roock nomen ei indiderunt. Hollandis priuatim dicitur een Koorekraey, quaſi Cornix frumentiuora: quoniam in eiuſmodi agris degat plurimùm.

[a] *Lib. 6. de Auib. c. 3.* Bellonij error.

Alberti error.

Rouch.

# GENVS. DIFFERENTIAE.

CORNICVM indubiè genere eſt, ſed hoc à vulgaribus differens, quòd maior ſit, & roſtrum non, vt illæ, vndiquaq; atrum, ſed albicans obtinuerit, immundis, aut morticinis prorſus contra aliarum morem ſibi temperet, frugibus potiſſimùm contenta: cæteroquin Cornicibus veris ſimilis. Non eſſe verò Graculum, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd Gracculum [a] Ariſtoteles κολοιὸν vocat, hãc verò ſeparatim Σπερμολόγον. Præterea Gracculus Cornice minor eſt: Frugilega uerò media inter Coruum, & Cornicem magnitudine. Gracculus totus niger eſt, Frugiuoræ uel roſtrũ ſaltem albeſcit. Vnde, vt cætera diſcrimina omittam, apertiſſimè hallucinatus Bellonius conuincitur, qui has aues eaſdem ratus non diſtinxerit, Frugilegam pro Gracculo pictam nobis obtrudens.

[a] *Lib. 9. Hiſtor. ca. 24.* Spermologi, & Gracculi differentiæ.

# FORMA. DESCRIPTIO.

DE magnitudine iam dictum eſt. Color uerò totus excepto roſtro, quod albicat, planè niger eſt, Icon ex Bellonio deſumpta eſt. Nam eiuſmodi Cornicem Italia, quod ſciam non alit. Iconem habes in ſequenti pagina.

# VICTVS.

FRVGIBVS maximè inhiat, neque terræ interim lumbricos aſpernatur. [a] Polydorus Virgilius hoc auium genus Angliæ maleficum eſſe tradit, & tamen eò conſeruari, quoniam lumbricos, quibus terra illa, quò humidior eſt, eò magis abundat, deuoret: alioquin quòd ex altera parte multò plus noceat, non modo maturas fruges deuorans, ſed cùm naſcuntur, roſtro ſemen euellens, ſic ut agricolæ neceſſe habeant per idem tempus,

[a] *Lib. 1. Hiſtor. Angl.*

CORNIX FRVGILEGA.



tempus, locare pueros per arua cum arcubus, quando voce non deterrentur, qui eas abigant. Et quia Ardea ſolet in earum nidis poſtea nidulari, itaque eiuſmodi infelices aues circa villas nobilium, qui Ardearum aucupatu delectantur, in ſummis arboribus, quibus villæ ipſæ ventorum flatus vehementiores vitandi cauſa, circumſeptæ ſunt, impunè nidos faciunt: atque ita genus durat cum magno agricolarum damno. Quare memoria noſtra in principum concilio ſancitum eſt, vt eiuſmodi Cornices modis omnibus funditus extinguerentur, conſtituto etiam pretio illis, qui eas necarent. Hæc ſcribenti Ioannes Cornelius VVteruuerus Batauus M. D. cuius opera in hac noſtra Ornithologia plurimùm uſus ſum, Cornices haſce narrabat in ſua Batauia maximũ ſimiliter damnum agricolis inferre, adeo vt non minus, quàm Angli, ſumma diligentia, uoce nempe primùm, dein ærei uel ferrei ad hoc munus duntaxat concinnati crepitaculi moleſto atque obſtrepero ſonitu, poſtremùm coniectis in illas lapidibus fugare eas cogantur.

Batani quo modo Cornices abigant.

gantur. Plurimos etiam agricolas, quibus vel famuli, vel pueri desint, alio astu ad pellendam eiusmodi pestem vti dicebat: quosdam nempe alatas molas, quæ vento perpetuò circumagũtur, insigni artificio fabricare, quarum continuo, eoq; molesto sonitu pauorẽ auibus incutiant, accessumque earum ad agros prohibeant: alios verò laruas, seu terriculamenta, μορμολυκῖα, Græci uocant, Itali Sporacchios, per agros vbiq; collocare, & rustico habitu induere: quas illæ rusticos esse suspicantes, ab agris eorum abstinent.

# DE CORNICE CINEREA. Cap. IIII.

## SYNONIMA.

QVAM pro tertia Cornicum specie describimus, Σποδόειδης κορώνη rectè à quibusdam Germanis Grecè dicitur, quasi visu cinerea, vt Plinius loquitur, seu cineris speciem gerens: quo sensu alibi cinericeam terram, vel rufam, id est, cinerei coloris appellat; & Aristoteli σποδόειδες χρῶμα color est uisu cinereus, seu color cinereus, vt Plinius habet, vel vt alijs placet, color ex cinereo albicans. Eodem modo istæc auis Cornix cinerea Latinè uocari potest. Turnerus meo quidem iudicio parum rectè marinam appellat. Quamuis enim circa littora quandoque degat, non potuit tamen ex tam leui ratione marinam uocare; quoniam & primum genus eadem loca incolit, quã nemo tamen idcirco marinam dixerit: uerùm rectè quibusdam hybernam dici addidit. Galli tamen indifferenter, sed sine ratione, & ulla authoritate teste Bellonio, marinam Cornicem etiam nominant: cùm alioqui Cornix marina, ut suo loco, Deo dante, patebit aliquando, ab hac toto, quod aiunt, cęlo discrepet. Qui uerò Cornicem uariam nuncupant, ij à Belgis, quibus Bontekraey dicitur, nomenclaturam mihi detorsisse uidentur; si quidem bont, ut audio, Belgis uarium, & Craey Cornicem significat: quod sanè nomen aui à coloris uarietate, qua potissimùm ab alijs Cornicibus distinguitur, inditum est, partim uidelicet cinereæ, partim nigræ. In superiori Germania Schiltkrae, & Nabelkrae dicitur; Italis Mulacchia, & Munacchia, sed rectiùs fortè Monacchia ab æmulo monachicæ uestis colore, albo scilicet, & nigro: Gallis Corneille Emantelee, non autem Corneille Sauage, ut Ornithologus existimat. Belgis item een Vvinterkraey, hoc est, Cornix hyemalis, seu hyemis nuncia: vnde apud eos, vti etiam apud Vvestphalos tritum sermone prouerbium est, vna Cornix non facit hyemem: cui illud Græcorum respondet, *vna Hirundo non facit ver.*

An marina dicenda.

Bontecraey

Schiltkrae.

## GENVS. DIFFERENTIAE.

HANC Cornicem tertium Cornicum genus facimus, cùm ob uocem cum alijs communem, tùm quia in eisdem locis, in quibus primum genus hyemali tempore degat, ac uelut semper socia sit, eisdemq; quibus illa uictitet. Spermologo minor est, & coloris uarietate à nigra facillimè dignoscitur.

## FORMA.

MAGNITVDO huic Cornici cum nigra Cornice æqualis est. Caput, collum inferius, mentum, rostrum, alæ, cauda, crura, admodum nigra, qui tamen color in mento, rostro, atque illa parte, quæ supra stomachum est, tanquam setis quibusdam tecta multò intensior est. Dorsum totum, collum superius, alarum latera, nates & totus ferè uenter cinerea, unde Emantelee Gallis teste Bellonio, qui optimè eam descripsit, appellatur. Ornithologus totum collum, & alarum latera perperam nigra esse scripsit. Icon proximâ paginâ sequitur.

Magnitudo. Color.

LOCVS.

## LOCVS.

ALTOS Montes tempore æſtiuo incolit, in quibus ſoboli qropagandæ incũbere ex eo colligi poteſt, quòd nullibi in planis nidulari reperiatur. Numeratur verò inter migratorias volucres, quæ ſcilicet ſub autumni finem ad plana deſcendit, ibiq; totam pòſt hyemem propè oppida, & pagos velut inter homines degit. Albertus in ſuperiori Germania meridiem verſus hanc Cornicem nullo anni tempore recedere teſtatur, & cauſam in puriorem aërem reijcit, & in altiora loca: verùm quamuis in Germania inferiori vtpotè apud Belgas loca aquis omnia ſcateant, quorum vaporibus per hyemem temperari eorum aërem (cuius cauſa ad eos aduolare credit) & in ſuperiori Germania aërem puriſſimum, locaq; peralta concedamus: ideone ibi perennent? Quin potiùs Italiæ locis, quæ ea Germaniæ parte multò altiora ſunt, aëreq; fruuntur longè temperatiori, atque puriori, degunt? Cùm itaque neque hîc reperiantur, aliam planè rationem aſſignare Albertus debebat. Quare doctiſſimi Bellonij opinio potior mihi, ac verior videtur, qui ad plana deſcendere eas aues voluit, quoniam ob intolerabilem frigoris ſæuitiam, quæ hyemali tempore haud dubiò in eiuſmodi locis viget, ea deſerere cogantur. Cui ſi placet, rupium aſperitates, & continuas ferè niues adde. Præterea in Heluetia nunquam, vt audio, nidulari, ſed aliò migrare conſpiciuntur.

Alberti error.

Cur ad plana deſcendant.

## VICTVS.

CORNIX cinerea eadem qua Cornix nigra, victus ratione vtitur. Eſt enim etiam pamphaga. Quadrupedum, hominum infeliciter mortuorũ, & in crucem ſublatorum, demique & piſcium carnes affectat: neque à lacticinijs etiã abſtinet, quorum cauſa caſas agricolarum quandoq; inuadit. In fruges pariter, vermeſque, & omne inſectorum genus ſæuit. Ornithologus in diſſectæ auis ventre quaſdas quiſquilias, cortices granorum, ſubſtantiamq; quandam albam pinguem, ex eiſdem fortè granis concretam, & lapillos inuenit.

## VSVS.

IN nido huiuſce Cornicis herbam, vel radicem inueniri tradunt, quæ geſtantem reddat inuiſibilem: ſed penes illos fides eſto; mihi id nũquàm perſuaſerint. Ornithologus auem hanc in inferiori Germania in cibum admitti ait, ſed id de plebecula ac ruſticis, vt ab ipſis Batauis habeo, intelligendum eſt. Bononiæ etiam in foro venditur. Quid verò de carne dicam, non habeo, niſi quòd tetrum odorem ſpiret.

# DE CORNICE CAERVLEA. Cap. V.

FANC auem, cuius picturam hoc loco exhibemus, quoniam Cornix appelletur, Cornicibus, quamuis planè ignoremus, num ex harum genere ſit, adiunximus. Ornithologus, ex quo & deſcriptionem, & iconẽ mutuati ſumus, de hac aue in hæc verba ſcribit. Cornix cærulea, cuius iconem Io. Kentmannus, hiſtoriam verò Ge. Fabritius miſerunt è Miſnia, auis eſt planè ſylueſtris, & immanſueta, à Miſenis ein Vvilde Holzkrae, ab alijs Galgenregel, vel Halckregel appellatur. Trans Albim in ſaltu Luchouiano, & in ſyluis finitimis reperitur: verſatur in locis non frequentatis. Nidum, vt Vpupa ex oleto conſtruit: & præter cætera à proiectis cadaueribus victitat. A calore quidam nominant ein Teutſchen Pappagey, id eſt, Pſittacum Germanicum. Deportatur hinc in alias nationes, nulla alia commendatione quàm coloris. Hæc G. Fabritius. Roſtrum, vt pictura oſtendit, nigrum eſt: crura fuſca, & proportione corporis parua. Cæruleo colore paſſim nitet, in capite, alis, cauda, circa orrhopygium, & tota parte ſupina: alibi ſyncriore, alibi admixto viridi. Dorſi, & colli proni color fuſcus eſt: maiores alarum pennæ nigræ. Quærendum ad hæc ſit Pica illa ſylueſtris, quam Eberus, & Peucerus Germanicè vocant Hei denelſter; Krigelſter. Hæc itaquè Ornithologus. Iconem ſubſequenti pagina habebis.

In Paralip. Galgẽregel

Roſtrũ color.

CORNIX CERVLEA ORNITHOLOGI.

# DE GRACCVLIS IN GENERE. Cap. VI.

POST Cornices nobis ſeſe Gracculi offerunt, idque merito iure, eùm ſub Coruino genere eos Ariſtoteles enumeret. Vnde Creſcentienſis Coruum,& Gracculum eiuſdem generis eſſe dixit. Verùm cùm de voce (Gracculus) inter recẽtiores minimè conueniat, nunquid generalis, an potiùs particularis ſit, itaq; ante omnia eiuſmodi altercationem firmis, ac validis rationibus conciliandã, quantũ materia permittet, iudicamus.

Recentioribus antiqui dubiò procul errandi occaſionē præbuerunt, quòd in deſcribendis rebus paſſim obuijs negligētiores tempus perdere nollent. Sic Theophraſtus,& Dioſcor. in deſcriptione plantarū, quæ ſuo tēpore vulgares erant, breuiores quàm par erat, in cauſa fuerunt, quòd in multarū cognitionem deuenire nequeamus. Credebant enim antiqui ſatisfeciſſe ſeſe poſteritati, ſi ſingularia tātummodò quædam, ac peculiaria de eiuſmodi rerum tritarū natura memoriæ conſecrarent. Idē certè vſu venit in Gracculis, quos κολοιάς. [a] Ariſtot. generali voce appellauit. Siquidē Theodorus Gaza vir alioquin doctiſs. & illius interpres pro κολοιος Monedulā vertens,& Gracculum Monedulæ ſpeciem primam faciens, inſigniter lapſus eſt: Nàm contrà Monedulam Gracculi ſpeciem, eamque ſecundam facere debebat, vt rectè meo iudicio Ornithologus, alijque viri eruditiſſimi [b] Plinium, vbi de Iynge loquitur, ex Ariſtotele Gracculos pro κολοιος traducentem ſequuti faciunt: Plinij autem verba ſunt: *immenſa alioqui finitimo Inſubrium tractu examina Gracculorum, Monedularumq́, cui ſoli aui furacitas auri, argentiq́ præcipuè mira eſt.* Quis obſecro non videat Plinium hîc Gracculos,& Monedulas ſpecie diſtinguere? Genere verò quis dicat, cùm nominatis primùm vtriſq; ſimul, mox ſubiungat in ſingulari, *cui auium ſoli*, &c.? Examinauit quidem iſtæc verba doctiſſimus [c] Bellonius: ſed quàm benè ex ijs Gracculum,& Monedulam planè diuerſas aues eſſe concludat, ipſe viderit. Etſi enim Plinius eas, vt dixi, ſpecie primùm diſtinguat, non ergo Gracculum à Monedula diuerſum facit, ſed alias quoq; Gracculorum ſpecies in ea plaga dari dicere voluit. Quodſi itaque exactiùs, & ad trutinam ea examinaſſet Bellonius, non nobis Spermologum Cornicem pro Gracculo obtruſiſſet. Sed iam alias æquiuocationes proſequamur:

[a] *Li. 9. Hi. c. 24.*

Gazæ error.

[b] *Lib. 10. c. 29.*

Bellonij error.

[c] *L. 6. de Auib. c. 3.*

Puſilli Graculi dicti.

Puſillos homines κολοιους dici cōſueuiſſe in Ariſtophane ſeſe obſeruaſſe Cælius tradit, illius hanc rationem aſſignās, quia auis hæc minutula ſit, & pennis fermè tantummodò conſtet. Heſychius Spermologum κολοιῶδες ζῶον interpretatur, quem fortè Bellonius ſequutus fuerit; ſed de hac re ſuprà. Rurſus apud Tzetzen legimus, κολοιος ἐστὶ μικροτέρα κορωνὶς. Auienus Arati interpres κολοιους Coruos alibi interpretatur,& apud Albertum legitur Coruus, vbi Ariſtoteles habet κόλοιος. Heſychius pro σκῶπτες Gracculos interpretatur, vel genus ſaltationis: Sed Scops auis nocturna eſt ridicula ad imitationem nata, vt ſuo loco docuimus,& ſaltationem ſignificat, Gracculum minimè, qui alioquin ludicra etiam auis eſt. Κολιὸς etiam apud Ariſtotelem auis eſt, pro qua κολεὸς, alibi κολεὸς habent eius exemplaria, Gaza, vt ſuo loco dicemus, perperam Galgulum vertit. Alibi apud Ariſtotelem κολεάς, & κολιους legi pro eadem aue tradunt, verùm haud ſcio, quàm verè. Porrò [d] Iulius Scaliger Picum varium ridiculè Gracculū dici ſcribit. Κολιὸς item Heſychio piſcis eſt marinus,& Cælius Colias piſces Theodoro Monedulas dici ait. Hinc Bellonius Κολίας, inquit, piſcis ab eiuſdem nominis aue dictus eſt, quam Galli vocant vn Gay, quòd latera Coliæ auis multis coloribus variegata conſpiciatur. Verùm bene perſpicio Bellonium per Coliam auem genus illud Picæ intelligere, quòd nos Garrulū ſuo pòſt loco appellabimus, cùm tamen, quod ſciam, nulla auis Græcè κολιας dicatur, κολοιος verò Gracculus ſit, Pica neutiquam. Vbicumq; autem, quod obiter dictum eſto, Gracculum piſcem Galeni interpretes verterunt, Coracinus dici,& intelligi debet, vt Bellonius etiam admonet. Habet deniq; Gracculus in artificialibus ſua ſignificata. Laërtius enim Gracculum enumerat inter Diogenis Cynici ſcripta: & Heſychius Colophonem Gracculum quandoq; dici author eſt, quoniam, vt arbitror, ſummis ædium faſtigijs iſtæc auis imponi ſoleat, veluti admonens iuxta Heſiodum Cornicem, vt homines ſibi nidos componant; neque enim ſemper æſtatem fore.

[d] *Exer. 132*

Gracculus ſcriptum Diog.

## SYNONIMA.

Anapha. Orab.

EBRAICAM vocem אנאפה anapha Gracculum nonnulli interpretātur. Orab omni Corūino generi competit. Κολοιὸς generatim Gracculum, vt diximus, ſignificat: Apud Syluaticum Celes, aliàs Celtos, vt Ornithologus conijcit, id eſt, Strigulus auis. Gracculos vulgò Ciagulas dici Niphus Italus tradit; alioquin Tatula dicitur, ſeu Taccola, quod tamen poſtremum nomen Coraciæ peculiare eſt: quibuſdam Cutta,& Pola, fortè à pullo, ſeu nigro colore, vt Ornithologus exiſtimat: Hiſpanis Graio, vel Graia: Gallis Chucas, vel Choca, Chouette, & Gay, vt habet Bellonius, ſed cùm latera huius auis multis coloribus variegata eſſe dicat, nomen id non Gracculis, ſed Picæ Glandariæ conuenire poteſt: Sabaudis Chue, ni fallor, à voce: Germani Tul, Dole: Saxonibus Aelke, vel Kaeyke: Hollandis, & Zelandis, necnon & Friſijs à voce Ka, vel Kauu, vel Chau: circa Roſtochium Vuachtel, quod nomen alij omnes Coturnici propriè tribuunt: quibuſdam Tahe, Talche Dale, Dol: Flandris Gaey, & Hanneken: Illyrijs Kauuka, Turcis Tſchauka; Polonis Zegzolka: Anglis à Caddo, à Chogh, à Ka.

Verùm

Verùm annotandum est pleraq; istæc synonima secundæ Gracculorum speciei potissimùm conuenire, etsi tamen omnibus aliquo pacto communia dici possint, quoniam nempè à voce omnibus communi detorta sint. Cæterùm Gracculi primitiuum Gracchus est: & quanquàm multi per c simplex vtramq; vocem scribant, multi tamen ex eruditis c duplicant, quos sequi placuit, cùm quia ab hac aue Graccho cognomen factum cognoscerem, vt pòst dicetur, tum etiam, vt produci primam semper syllabam, ita certiùs sit, etsi tamen per simplex c etiam producatur, vt ex his Martialis versibus constat, modò impressoris non sit mendum: ait autem:

*Quædam me cupit inuide Procille*
*Toto candidior puella Cycno,*
*Argento, niue, lilio, ligustro.*
*Sed quandam volo nocte nigriorem,*
*Formica, pice, Gracculo, cicada.*

Festus Gracculos ab oris sono vocatos uoluit, cuius uerbis Grapaldus subscribens, primæ nominis syllabæ vocem correspondentem edere addidit. Alibi tamen idem Festus Gracculos à gerendo dici scripsit, quoniam iacta segetum semina plurimum gerant, uel quòd ex oliuetis cubitum sese recipientes binas baccas pedibus, ore uerò tertiam ferant.[a] Varro uerò dictos conijcit, quòd gregatim uolent; sed hæc etymologia[b] Quintiliano improbatur, cùm ait: *Cui non post Varronem sit venia qui Gracculos, quia gregatim volent, dictos Ciceroni persuadere voluit, cùm manifestum sit ex vocibus auium duci.* Alij deniq;, teste Perotto, etymum à corporis gracilitate, neque fortè absq; ratione deducunt, cùm tota ferè auis plumis constare tantummodò videatur.

[a] *L. 4. de lin gua lat.*
[b] *L. 1. instit. Orat.*

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

COMMVNIS Alberti, & Gazæ interpretatio uerborum Aristotelis de Gracculorum generibus, tria duntaxat constituit, duo nempè fissipeda, tertium palmipes: cùm tamen Aristoteles disertissimis uerbis quatuor genera reperiri scripserit, tria uidelicet, quibus pedes fissi sint, quartum palmipes. Verba eius, fidei conciliandę causa huc adijcimus. Κολοιὸν δέ, inquit, ἐς ἐν ἀδηπρια; ἐν μὲν ὁ κορακιας, οὗτος ὅσον κορωνὴ, φαιπόρυγχος. ἄλλος ὁ λύκος καλούμενος. ἔτι δὲ μικρος, ὁ βωμολόχος. ἔτι δὲ καὶ ἄλλοτι γένος κολοιῶν περὶ τὴν Λυδίαν καὶ Φρυγίαν, ὁ σκαιόπτιν ἐστι. Hoc est, *Gracculorum sunt tria genera: vnum quod Coracias vocatur, magnitudine quanta Cornix, rostro pumiceo: alterum lupus cognominatum: Est & paruum, scurra dictum. Est verò & aliud genus Gracculorum, Lydiæ, & Phrygiæ familiare, idq; palmipes.* Ibi enim Albertus, & Gaza hæc uerba ἔτι δὲ omiserunt: quæ si legamus, ut certè debemus, Gracculus ille paruus ὁ βωμολοχος nempe, alius fuerit quàm λύκος, cum quo ab illis confunditur. Sed fortè ridiculus cuipiam uidear, cùm quatuor genera ego assignem, Aristoteles tria tantùm apertè esse dicat. Verùm huic respondetur esto; Aristotelem quartum illud genus, quod pòst subiungit, palmipes nempè, ceu toto genere à tribus prioribus diuersissimum, inter ea neutiquam enumerasse, ideoq; traditis illis postmodũ subiunxisse, ne quis auem palmipedem eiusdem nominis cum ijs confunderet. Constabit igitur quatuor genera Gracculorum Aristoteli cognita fuisse, primùm, quod Coracias uocetur, alterum Lupus, tertium Scurra, quartum Palmipes, Lydiæ, & Phrygiæ familiare. Quare dupliciter hallucinatus fuisse Gaza conuincitur, primùm, quòd uerba illa ἔτι δὲ præterierit, secundùm quia Monedulam genus faciat, & Gracculum primam eius speciem, ut suprà diximus, cùm contrà Monedulam speciem, eamq; secundam, eandem nempè cum Lupo facere debuerat, quam si κατ' ἐξοχὴν Gracculum uocare placet, non improbabo. Quæ enim de Gracculis in genere ab antiquis traduntur, huic potiùs, quàm Coraciæ, seu Gracculo Gazæ, & quàm Scurræ conueniunt: & Græci etiam κολοιὸν nonnunquam pro secunda specie priuatim ponunt, ut apud Constantinum Cæsarem in primis uidere est. Cæterùm in assignandis singularum specierum differentijs negligẽtior Aristoteles, Coraciam Cornicis magnitudine esse, & rostro puniceo dixit, quòd rutilum, & rotundum perperam Gaza trãstulit. Lupo peculiares notas nullas ascripsit, quòd fortè ideò fecerit, quoniam hæc species omnium notissima est, & ubiuis obuia. Omnes enim eruditiores uno ore Monedulam esse consentiunt. Tertium genus ab Lupo distinguit corporis breuitate, utpotè quòd Gracculorum omnium minimum sit: sed hocce genus conspicere mihi nec dum contigit: apud Ornithologũ tamen tria in Rhœtia Gracculorum genera agnosci lego, quorum nullum palmipes sit: unum nempè Tulla uoce apud Germanos omnibus Gracculis communi capite cæruleo; alterum Beena à Rhœtis Germanicè loquẽtibus dictum, hoc Monedulam esse; Tertium deniq; Germanicè Taha, Italico uerò sermone, quo Rhœti uturtur, Zorl pedibus, & rostris rutilis, in locis syluestribus: hoc Ornithologus cum eo, quòd in Bauaria

Gazæ error.

Tria Gracculorũ genera in Rhœtia. Tulla. Beena. Taha. Zorl.

Steintahen. ria Steintahen uocatur, id est, Gracculus saxatilis, idem esse existimat: id meo iudicio cũ Coracia Aristotelis idem fuerit, quæ altissimas pariter alpes in Italia, maximè Florentiam uersus incolit. Nec alia fortè auis Cornix Cornubiæ Anglorum ab ista fuerit. Quod si modò Rhætorum Tulla Beenâ & Tahâ minor sit, quam notam tertio generi Aristoteles assignauit, tria ibi Gracculorum genera ab Aristotele recensita reperiri concludendum esset. Quartum genus, quòd Aristoteli anonimon est & palpimes, Turnerus & sequuti eum alij Phalacrocoracẽ Plinij esse suspicantur, sed meo iudicio pluri mùm hallucinantur. Phalacrocorax enim Coruus est, & Gracculis multò maior: uerùm super hac re suo aliquando loco, Deo dante, disceptabimus. Cæterùm aliud quoddam Gracculorum genus à quatuor iam dictis generibus lõgè diuersum reperitur, cuius iconem pòst pro Monedula altera exhibebimus, torquatum nempe. Hoc fortè illud fuerit, quòd Ornithologus in quibusdam Heluetiæ locis dari refert, ac maximè circa Tugium, albo circulo ceù torque collum ambiente distinctum, cętera alijs simillimũ: sed se nihil de eo certi habere: An idem id etiam fuerit cum eo, quòd Hesychius, & Varinus στεφάνιον uocant? Ornithologus Caryocatacten, seu Nucifragam Gracculorum potiùs, quàm Merularum speciem esse iudicat; mihi inter has numeranda rationibus suo loco adducendis innixo uidetur.

Cornix Cornubiæ.

Gracculus palmipes quis. Turneri error.

# VOX.

[a] *L.5.c.15.*

GRACCVLI suam etiam propriam vocem obtinent. [a] Pollux enim Cornices κρώζειν, Gracculos κολοιᾶν, & κλώζειν dixit: sed postremam hanc vocem alij Gallinaceo generi etiam tribuunt, cui tamen teste Plutarcho κλώσμος potiùs cõpetit. Κλώζειν verò Hesychio est τὸ ἐκβαλλεῖν ἐκ τῶν θεάτρων, id est, explodere ex theatro, sono scilicet quodam, qui fit lingua ad palatum allisa. Varinus verò κλώζειν, sono aliquo illudere significare scribit, à Gracculorum scilicet voce. Itaque frigulare Gracculos à Philomelæ authore ineptè fortè scriptum fuerit. Κοκγεται apud Pindarum Gracculorum epitheton est, & à voce eorum detortum creditur; verùm haud scio, quàm rectè. Optimè enim Cornicis uoci, quæ per onomathopœiam Belgis Craey dicitur, respondet. Nam Gracculi ab [b] Homero quoque dicuntur ἔλλοι κεκληγοντες.

[b] *Iliad. P.*

# VICTVS. COITVS.

[a] *Lib.10.c.29.*
[b] *Lib.3.de Ani.c.12.*

PRAETER segetes locustis etiam Gracculos vesci cùm ex [a] Plinio, tùm ex [b] Aeliano colligitur, qui à Lemni insulæ incolis has aues coli solitas tradunt, quoniam aduerso volatu occurrerent locustarum exitio. Albertus Gracculos à cadaueribus abstinere scribit. Hieronymus Tragus carnem, & glandes amare dixit: sed ego nihil tale vnquam intellexi.

Verno tempore ad coitum excitantur. Christophorus Encelius inter alias aues, quas ore coire, idque verno tempore nugatur, Gracculos etiam enumerat, sed hãc amentiam aliàs refutauimus.

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

[a] *L.9.Hist.c.1.*

AELIANVS Gracculum cum Gauia amicitias exercere prodidit, & [a] Aristoteles Noctuam, & Cornicem inuicem pugnare: sed hîc indocti eius interpretes, & qui eos sequuti sunt, aliàs Noctuam, & Monedulam, aliàs Monedulam, & Bubonem, aliàs Nicedulam, vel Incendulam, & Bubonem dissidere scribentes, Gracculum, seu Monedulam cum Cornice confundunt è Græco, vel Arabico transferẽtes, vt cum Noctua Bubonem. Librarij etiam Monedulam in Nicedulam peruertere facilè potuerunt. *Pugnant* etiam teste eodem Aristotele *cum Aquila Monedula, Pica, Cornix, & eiusmodi Aues alia. Aquila enim deuorat eas.* Homerus sub Hectoris, & Aeneæ fortissimorũ Heroum, & Græcos naturali odio prosequentium exemplo Accipitres Gracculis infensissimos hostes esse innuit; cùm canit:

Τῶν δ' ὥς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεται, ἢ κολοιῶν
Οὐλων κεκλήγοντες ὅτε προϊδωσιν ἰόντα
Κίρκον, ὁ τε σμικρῆσι φονον φερει ὀρνιθεσσιν, id est,
*Horum autem sicut Sturnorum, aut Gracculorum agmen venit,*
*Acutè vociferantes, quando vident accedentem*
*Circum (Accipitrem) qui paruis cædem adfert auibus.*

MORES

# MORES. INGENIVM.

GRACCVLOS minimè solitarias, sed gregales aues esse ex vulgari hacce paræmia manifestum est, *semper Gracculus assidet Gracculo*: Quam societatem in singularem quendam inter se amorem authores reijciunt, quem magnum adeò esse volunt, vt in vitæ discrimen, vt pòst dicetur, eos quandoq; deducat. *Non sunt*, inquit [a] Varro, *solitaria natura, vt Aquilæ, sed vt homines & apes: at non idem faciunt Gracculi, & Apes, quod hîc societas operis, & ædificiorum, quod illic non est*: quasi diceret Gracculos esse ἀγελαῖους, non autem πολιτικοὺς, ut sunt apes. Ἄγελαια verò animalia [b] Cicero congregata, & congregabilia appellat: Gaza gregatilia, & gregalia interpretatur, & D. [c] Augustinus Gracculos aues congreges nominat: Ad hunc sensum à [d] Plutarcho ἡ φιλία dicitur συννομον ζῶον esse οὐκ ἄγελαῖον, οὐδὲ κολοιωδες. Varronis locum alibi etiam [e] Cicero periphrasticè exponere videtur, cùm ait: *quod si etiam bestiæ multa faciunt duce sua quæq; natura, partim indulgenter, vel cum labore, vt in gignendo, vel educando: vt perfacilè appareat, illud quiddam ijs propositum, non voluptatem? partim cursu, & peragratione lætantur? congregatione aliæ cœtum quodammodo ciuitatis imitantur.* Verùm gregalia animalia non tantùm Gracculi suut, sed moribus placidis etiam, vt vel ex solo corporis colore doctissimus quidam nostri æui poëta colligit, inquiens:

*Dignoscitur de tergoris coloribus,*
*Quodcumq; viuit mite, seu ferum pecus,*
*Candore Cygnus, atritate Gracculus*
*Leo fluentem barbarus crispat tubam.*

De maribus Gracculis tradit ex Aristotele [f] Athenæus, mortis potiùs subire discrimina, quàm coniuges suas derelinquant: quinimò coniugum altero mortuo, alterum, dolorem mortis perpetua viduitate testari: sed nos in ijs, quæ extant, Aristotelis nihil tale licet diù quæsitũ reperimus. Contrà Gracculorũ nimia loquacitas, ob quam passim apud quoslibet scriptores pessimè audiunt, hanc laudẽ turpiter contaminat: *Loquacissimum enim genus est, & vocibus importunum*, inquit [g] Isidorus, quorũ vox videlicet nihil habeat oblectationis, sed veluti Cuculi perpetuò eadem repetita audientium aures planè offendat, & nauseã moueat. Sunt verò ita maximè obstreperi coitus tempore, & dum pullos enutriunt, necnon etiam à vini potu, teste Plinio, in quo ipsis mira lasciuia est. Verùm nunquid quòd iam dicturus sum, Gracculis vitio, an potiùs laudi vertendum sit, alij iudicent, mihi id dixisse tantùm sufficiet. Est autem illud, quod cùm auiũ genus omne manu retentum oculos petere soleat, gregatilibus maximè, ac inter illas Gracculis id peculiare sit, cuius causam inquirens Nicolaus Leonicus ita scribit. *Cur pleraq; alitum è manibus hominum oculos potissimùm appetere solent? An quòd clari perfulgentesq; existunt oculi, & benè mobiles; huiusmodi autem aues res ad se trahere, & allicere natæ sunt. Nam & commotum etiam circà rostra frequenter digitum appetere, & scalpere solent volucres? An magis, quia oculis absoluta adest speculorum vis, adeò vt tàm parua pupilla totam ex aduerso stantis reddat imaginem? Alites igitur, quia effigiem in ijs cernunt suam, velut ad cognita desideria tendere cupientes illos appetere verisimile est.* Quod verò ad ingenium Gracculorum attinet, nõ videntur planè disciplinæ expertes, quinimò, præterquàm quod facilè domantur, & cicurantur, adeò vt è caueis emissi sponte sua eas repetãt, sermonem humanum, si pulli adhuc doceantur, imitari referunt. Cuius rei [h] Ioan. Bruyerus Campegius Gallus testis est, qui in Gallia à tonstrinis Gracculos in caueis educari, & humanas voces reddere edoceri tradit. Tempus verò, quò non Gracculi tantùm, sed reliquæ aues omnes, eiusmodi disciplinæ aptæ, edoceri debeant, Albertus, & author, quisquis ille sit, de natura rerum matutinum, suboriente scilicet Sole commendant, quòd tunc citius verba capiant, & tenaciùs memoriæ mandent. Dicuntur præterea quibusdam Gracculi aues vafræ, & callidæ: vnde fortè non ita mirum videri debeat, quòd sermoni humano assuescant, maximè verò cùm linguam habeant latiusculam. Sed fortè eiusmodi Gracculorum institutio veteribus etiam ex vsu fuerit. Cur enim paxillos ipsis in parietibus domi suæ faciebant, quibus insisterent? quod [i] Aristophanes etiam meminit, cùm ait; ὁ δ' ὥσπερ κολοιὸς αὐτῷ πατταλους, ἐνέκρουειν εἰς τὸν τοῖχον εἶτ' ἐξίλλετο.

[a] *L. 3. de re rust.*
[b] *L. 5. quæst. Tuscul. & 2. Offic.*
[c] *Lib. 2. de Ciuit. Dei.*
[d] *Lib. περὶ πολυφ.*
[e] *Lib. 2. de Finib.*
[f] *Lib. 9.*
Garrulitas.
[g] *Lib. 12. Orig. c. 7.*
Ingenium.
[h] *Lib. 15. c. 78. de re cibar.*
[i] *In Vespis.*

# CAPIENDI, ET FVGANDI RATIO.

Aſtus.

GRACCVLI cùm aues ſint peraſtutæ, difficulter admodum capiuntur. Hinc Clearchus apud Athenæum non ſimpliciter aſtutos, ſed Coturnicibus etiam aſtutiores dixit. Capiuntur tamen, atque uarijs modis. Oppianus talem aduerſus eos venationem inſtitui tradit. *Virga oblonga*, inquit, *terræ infigitur, cui laqueus ad funiculum additur, & in medio ὕσπληγξ, quæ circumactu ſuo vimina vtrimq; ſita cõtegat. In ſumma virga bacca imponitur, cui è regione laqueus pendet, quem vbi cõtigêre Gracculi, ὕσπληγξ delabitur. & virga erecta laqueus ita attrahitur, vt auium ceruices inhæreant.* Eodem modo Picas capere poſſimus. Idem Oppianus alium dolum, quì Gracculos capias, docuit, qui talis eſt; Vas (ἄγγος, κρατηρ habet Athenæus) *oleo plenum eo in loco exponitur, vbi cõſpiciatur à Gracculis. Illi enim ſuas imagines in vaſe intuiti, aliosq; Gracculos eſſe rati in oleum deuolant, & licet ſtatim etiam reſiliant, madidi tamen oleo ita pennis & membris omnibus grauantur, vt auolare nequeant, coq; ſtatim in loco comprehenduntur.* Penè eadem legere eſt apud [a] Athenæum, & [b] Aelianum, quorum uerba breuitatis cauſa ſponte prætereo, & lectorem ad ea remitto, hoc tantùmmodò obiter admonens Gracculos tàm perditè ſeſe mutuò amare, vt amor eos ita capiendos præbeat, vt Ioãnes Tzetzes hiſce verſibus etiam innuit, inquiens.

[a] *L.9.Deip.*
[b] *L.4.de Anim.c.30.*

Οἱ κολοιοὶ φιλαλληλοι, καὶ τῶν ψαρῶν τό γένος,
Ὥς εἴπερ εχέεις ἔλαιον ἐν τινι λεκανισκη,
Πρὸς τὴν σκιαν τὴν ἑαυτῶν τὲς κολοιὲς κρατησης
Ναρκίσσὲς λακωνας ὄντας, των φιλοσκίων. id eſt.
*Gracculi ſe mutuò amant, atque Pſarorum genus,*
*Vt ſiquidem fundas oleum in aliqua ollula,*
*Ad vmbram ſuam Gracculos detinebis,*
*Seu narciſſos alios Laconas exiſtentes, quòd ament vmbras.*

Alij verò ad decipiendos Gracculos longè alio aſtu vtuntur. Quoſdam enim eorum pelle exuunt, pelles verò ſtramine implent, & ita concinnant, vt viui Gracculi appareant. His alios alliciunt, qui cùm ſuum genus ardentiùs æquo ament, ad mortuos illos ſtudiosè accurrentes, in manus aucupum incidunt. Qui verò fugare Gracculos ex agris duntaxat cupiunt, ne ſegetes eorum populentur, vnum ſuſpendant. Illum enim ſuſpenſum cæteri conſpicientes aufugient, illic nimirum paratas retium inſidias ſuſpicaturi. Gracculos demum, ac præterea volucria omnia fugabis, ſi veratrum nigrum in vino maceratum ſimul cum hordeo, diſſeminaueris: ſed commodiùs fortè perterrefacies, ſi priuſquam in arua deſcendant, ſtrepitum, atque fragorem aliquem obſtreperum edideris, qualem in Spermologo diximus.

# MORBVS.

[a] *In comm. in Plin.Lib. 3.c.22.*

BRodæus, vt annotat [a] Iacobus Dalechampius, Gracculos & Accipitres morbo epileptico infeſtari author eſt, idque vulgò paſſim ex eo creditur, quoniam velut extincti ex arborum tectorumuè culminibus in terram decidant. Idem de Picis quoque perhibetur. Plinius etiam, *Gracculos, & Merulas annuum faſtidium lauri folio purgare* prodidit.

# DENOMINATA.

KOλῶον & κολώϊον ſiue κολωὸς dicitur teſte Heſychio θόρυβος ἢ ταραχὴ, id eſt, tumultus, metaphoricè ἀπο τῶν κολοιῶν, qui nempè ὄρνεα ſunt θορυβώδη καὶ κραυγαστικα, id eſt, aues tumultuoſæ, & clamoſæ, vt Scholiaſtes ait, ò breui ſcilicet in longum conuerſo, & i ſubſcripto, vel adſcripto. Gregatim enim, & maximo cum garritu, ſtrepituq; volant, vt antè dictum eſt. Philoxenas verò deriuat à κλω, quòd eſt κλαζω per paragogen, neque adſcribit iota. Vtitur hoc nomine [a] Homerus, vbi à Vulcano Iunonem, & Iouem reprehendi ait, quòd ἕνεκα τινητῶν ἐριδανετον ὧδε, ἐν δε θεοῖσι κολωὸν ἐλαυνετον, tumultum & ſtrepitum inter Deos cient. Vtitur [b] idem uerbo κολωᾷν, quod tumultuari, turbas dare, uel etiam uociferando perſtrepere & garrire Gracculorum more ſignificat:

[a] *Iliad.A.*
[b] *Iliad.B.*

Θερσίτης δ' ἔτι μονῦος ἀμετροεπὴς ἐκολώα,
Ὁς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ἦσαν ἄκοσματε πολλατε ἤδη, id eſt,
*Therſites autem adhuc ſolus immoderatè verboſus crocitabat,*
*Qui verba mentibus ſuis, inornataq;, multaq; ciebat.*

Ita

Ita sanè de futilibus [c] Gellius & importunis loquutoribus, seu de morbo loquendi & stulta loquacitate uerba illa Homeri accipit. Neque immeritò hic unum ex omnibus Thersitem ἀμετροεπῆ & ἀκριτόμυθον appellabat, & uerba illius multa & inornata, strepentium siue Gracculorum instar esse dicit. Tales etiam fortè [d] Aristophanes κολοιοὺς ἄρχας, id est, Gracculos Principes nominat.

[c] L. 1. Noct. Att. c. 15.

[d] In Auib.

# COGNOMINATA.

TIMAEVS historiarum conditor, referente [a] Cælio, Agathoclem Siciliæ tyrannum κολοιὸν nuncupat, & τρίορχην, id est, Gracculum & Buteonem: & Gracculum quidem fortassis ob latrocinia, & furacem naturam. Nam latrocinijs eum incubuisse ante tyrannidem historia testis est: sed in cõcionibus etiã perquàm facundus est creditus: quo nomine ab æmulis & inimicis Gracculus videri potest appellatus, velut loquax magis esset, quàm eloquens; vti de Atilio Palicano pronunciatum nouimus: nam & eadem ratione Gracchum apud Romanos cognominatum legimus: quamuis apud Varronem obseruatum sit, Gracchum ideo nuncupatũ, quòd eum mater mensibus duodecim in vtero gestasset, quia legitimum pariendi tempus esset supergressa. Proinde ex iunioribus quidam etiam bene doctus sine flatili scribendum esse censet: quum Quintilianus olim quidem veteres aspiratione parcissimè vsos scribat, diuq; obseruatum, ne consonantibus aspiraretur, vt in Graccis & triumphis. Sed hoc non perpetuũ fuit, & priscis solis vsitatum. Hactenus Cælius. Perottus etiam Gracchi cognomen à Gracco aue principio ortum scribit à facundia, sed æmulos eam vocasse loquacitatem. Gracculus item nominatus fuit, quem imperante Antonio Caracalla obelisco ferunt insedisse vociferabundum, mirum dictu, succlamatum ab omnibus ceu ex composito: *Martiali salue, Martiali ab tempore multo te vidimus*. Non enim auis, sed eius erat nomen, à quo mox Antonius interemptus est.

[a] L. 24. Lec. ant. c. 4.

Agathocles Gracculus dict°

Gracchus vnde dict°

Occisor Caracallæ Gracculus dictus.

# AVGVRIA. PRÆSAGIA.

INTER inauspicatas oscines Gracculus enumeratur. [a] Aristophanes in primis sinistri quippiam ab eo interpretatur, cùm ait: χ' ὡ κολοιὸς οὑτοτὶ ἀνωχεχηκεν ὥσπερ εἰ δεικνὸς τὶ μοι, id est, *& Gracculus hic superius oscitat, tanquam ostendens aliquid mihi*: & rursus: Οἴ μοι κακοδαίμων, κ' ὡ κολοιὸς μ' οἴχεται ὕπο τοῦ θεοῦς, id est: *hei mihi infelix & Gracculus mihi it præ timore*. Respondet alius:

ὡ δειλοτατον σὺ θηριον δείσας ἀφηκας τον κολοιὸν?

*O timidissima tu fera timens dimisisti Gracculum?*

Niphus Coruorum & aliarum auiũ, quę cadaueribus vescuntur, vt Vulturũ, Gracculorum, &c. agmen augures in futurum excidium retulisse scribit: sed ipse Gracculos inter similes aues perperam enumerat: qui a cadauerum esu, si quæ vlla alia auis, egregiè sibi temperant. [b] Cornelius Gemma ex Frytschio narrat Gracculos & Picas anno 1484. ad aliquot hinc inde miliarium spatia confligentes, belli ostentum præbuisse.

Habent item Gracculi sua præsagia. Nam si ab Austro gregatim volitent; si sub vesperam perturbatè clamitent; si sub tecta sese recipiant; si alas præter solitum concutiant, pluuiæ uel tempestatis imminentis uestigia iam in aëre impressa esse demonstrant: si uerò modò sublimem, modò humilem uolatum exerceant, pluuiam & frigus; & [c] Plinius hyemem præsagire testatur, si serò à pabulis recedant, quod ab Arato mutuauit, qui sic habet:

——Και φῦλα κολοιῶν

Ἐκ νομοῦ ἐρχόμενα τραφεροῦ ἐπι ὄψιον αὖχιν. Et rursus:

——και ὀψε βοῦντε κολοιοι. priori loco [d] Vergilius pro κολοιῶν, quod est, Gracculorum, metri causa Coruorum transtulit, ubi ait:

*Coruorum increpuit densis exercitus alis.*

Prætereà pluuiam denotant, cùm, ut Aratus inquit, gregatim apparẽt, uti etiam Corui, & cùm similem Accipitribus uocem edunt, quæ Scholiaste teste acuta est: quod Auienus sic trãstulit:

*Agmine cùm clauso circumuolitare videtur,*

*Gracculus, & tenui cùm strident gutture Corui.*

Denique si turmatim syluis ualedicere conspiciantur, tum nescio quid triste, & sterilitatem ueteribus semper indicârunt.

[a] In Auib.

Niphi error.

[b] Lib. 1. Cosmocrit. c. 8.

Belli futuri signum.

Pluuiæ signa.

[c] L. 18. c. 35

[d] L. 1. Geor.

Accipitris vox.

MYSTI-

# MYSTICA.

Gentilium idololatria.

QVAM turpibus ſæpè idololatriæ erroribus, Dæmonum præſtigijs falſa ſeſe immerſerit ſtolida gentilitas, ſi ex vlla alia re, ex hoc ſaltem in primis cõſtabit. Eò enim dementiæ deuenit, vt cum auibus, vt exiſtimabat, (erant verò abſque dubio Dæmones in Gracculos transformati.) fœdus ſancirent ne agros ſuos depopularentur, hoc eſt, ne ſementes refoderent, & grana ſparſa legerẽt. Hoc enim de Venetis [a] Aelianus narrat Adriam accolentibus, quod ſcilicet ſemen tes facturi, farinas oleo temperatas muneri Gracculis idcirco mittere, & permulcere ſtuderẽt.

[a] *Lib. 17. de Ani. c. 16.*

Veneti cũ dæmone in Gracculos mutato fœdera ſanciunt.

Lycus cùm hæc apud eundem vera eſſe fatetur, maiorem adhuc Dæmonum impoſturam, & illuſionem manifeſtat, dum loris rubris propoſitis Gracculorum greges extra fines manere dicit, ac duos, aut tres ex vrbibus tanquam legatos ad eos mitti ſolere exploraturos hoſpitum multitudinem, eamq; vt perſpexêre, inuitare & reuerti, ac ita inuitatos gregatim proficiſci, & ſi offas obiectas comederint, Venetos pacem ſeſe, & fœdus habituros intelligere: ſin aſpernentur, & tanquam vilia non dignarẽtur deguſtare, ſibi perſuadere, ex contemptu illo famem portendi, quoniam aues tanquam muneribus incorruptæ, nec ex obiectis eſcis quippiam comedentes, in arationes inuolent, & cũ maxima animi acerbitate inueſtigantes ſementina deprædentur. Hæc ferè ille, quæ ex [b] Ariſtotele, modo ille liber vulgò illi aſcriptus de mirabilibus nempe illius ſit: vbi tamen non offis, ſed omni frugum genere propoſito Gracculos inuitari à Venetis, ſcribitur, multasq; ſæpe eorum myriades in eorum regionem inuolare. Cæterùm ſicuti iſtæc Dæmonum impoſtura aſtuque, vt diximus facta ſunt; ita ſanè quod iam dicturus ſum, ſtoliditatem quidem etiam, ac idololatriam Ethnicorum demonſtrat, ſed abſque dæmonum præſentia fieri meo iudicio potuit: Id autem tale eſt. *In Lemno inſula Gracculi colluntur, quòd aduerſo volatu* (Plinij verba ſunt) *occurrant locuſtarum exitio.* [d] Aelianus verò id non tantùm de inſulæ eiuſdem incolis tradit, ſed de Theſſalis etiam, ac Illyrijs, cùm ait: *Gracculorum beneficiarios ſe exiſtimant Theſſali, Illyrij, & Lemni, ob eamq; rem his victum vrbes publicè præbendum eſſe decretum fecerunt; vnde magna ex parte locuſtarum multitudo, veluti in nubem coacta minuebatur, frugesq; incolumes ad tempeſtiuitatem deuenichant.*

[b] *In Mirabilibus.*

Gracculi cur in Lẽno colãtur.

[c] *L. 11. c. 29*

[d] *Lib. 3. de Anim. c. 12*

Gracculi à Theſſalis culti, & cur

# VSVS IN CIBO.

ALBERTVS Gracculos in cibum cedere, ſed excoriatos tantùm; Ornithologus verò apud Germanos eſſe tradit, qui fune à feneſtris altarum turrium dimittantur, vt pullos Gracculorum è cauis exemptos in ſaccum, quem annexum habent, cibi cauſa recondant. Ruſtici item in Gallia [a] Ioanne Bruyero Gallo teſte Gracculos comedunt. Bononiæ etiam in foro venduntur. Verũ quid de carnis ſapore dicam, non habeo.

[a] *Lib. 15. de re cib. c. 78.*

# PROVERBIA.

Gracculus ad fides.

VETVS adagium eſt, *nihil cum fidibus Gracculo, nihil cum amaracino ſui*. Alij id tribus duntaxat verbis ſcribunt, hoc modo, *Gracculus ad fides*: quale eſt illud, *Sus Mineruam*, vel quod dici ſolet, *Aſinus ad Lyram*, in eos, qui de rebus ſuis nimium ſibi præſumunt, aut ſe ijs; quas ignorant, petulantiùs audent immiſcere. Aldus Manutius, qui adagium ita exponit, vt nihil ſit ſtolidis, & imperitis cum bonis literis, à Gracculorum natura detortum id eſſe aſſerit, ineptorum ſcilicet, & moleſtæ, atque obſtreperæ garrulitatis, eoque maximè, quia ſui generis conuentus ament, vt mutuo garritu ſtrepitus odioſior fiat: cùm alioqui fides, cithara, atque id genus inſtrumenta muſica ſilentium expoſtulent, & aures attentas. [a] Aulus Gellius etiam perquàm eleganter ſanè prouerbium torquet in quoſdam pinguiore ingenio homines, ſtolidaq; loquacitate præditos, profanos, ἄμυσους, id eſt, à muſarum ſacris alienos. [b] Polydorus Vergilius eiuſdẽ adagij meminit, & in eos vſurpari ait, qui illaudati ſeſe cum viris illuſtribus conferre, & ampliſſimos honores affectare non verentur.

[a] *Lib. 20. Noct. attic. cap. vlt.*

[b] *In adagijs.*

Gracculus inter muſas.

Conſimile ferè eſt, Κολοιὸς ἐν ταῖς μούσαις, *Gracculus inter Muſas*, quaſi indoctus interdoctiſſimos, infantiſſimus inter eloquẽtiſſimos. Rectè id adagium etiam dicetur in homines falſæ doctrinæ

doctrinæ ostentatione sese iactantes, & viris eruditis impudenter obstrepentes. Confine huic videtur illud Virgilij.

*Argutos inter strepit Anser Olores.*

Author Chiliadum hanc quoq; simili ferè modo paræmiam *Gracculo magis obstreperus* prouerbialiter dici posse ait in hominem importunæ loquacitatis. Item illud, quod Plutarchus habet, ἀπιθανώτερος κολοιοῦ, *ineptior ad persuadendum*, vel, vt author ille traducit, *homo cui minus fidei habeatur, quàm Gracculo.* Gracculo magis obstreperus.

Theophilacti prouerbium de Gracculo, & Coruo, quod nempe *absente Gracculo Coruus sit pulcher*, in Corui historia exposuimus, ad quam lectorem nunc remittimus.

Refertur, & hic prouerbialis senarius à Diogeniano:

Ἀεὶ κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἰζάνει, id est:

*Semper Gracculus assidet Gracculo.*

Notatur etiam ab [c] Aristotele, vbi inter complura alia huius sententiæ prouerbia hoc quoque commemorat: item [d] alibi ita habet: καὶ κολοιὸς ποτὶ κολοίον, *& Gracculus ad Gracculum*. Græcis est trochaicus dimeter, haud dubium, quin ex poëta quopiam discerptus. D.[e] Gregorius admodum eleganter hocce adagium vsurpauit, vbi (si bene memini) Eudoxium hortatur, vt cum viris doctis, & probis conuersetur, indoctos contrà & improbos auersetur; inquit autem κολοιὸν δὲ ποτὶ κολοιὸν ἰζάνειν, καὶ τῆς παροιμίας ἀκούεις, id est; *Gracculum autem assidere Gracculo, audis & à prouerbio.* Gracculus ad Gracculum.

[c] *In Rhetoricis.*
[d] *Li. 8. Moral.*
[e] *In Epist. ad Eudox.*
[f] *Lib. de Polyph.* Gracculeũ.
[g] *Epist. 125. ad African.*

Illud insuper [f] Plutarchi, cuius antè etiam mentio facta est, οὐκ ἀγελαῖον ἐστιν, οὐδὲ κολοιῶδες, id est, *non armentarium* (gregarium potiùs) *neque Gracculeum*, prouerbij loco in vsum cessit de ijs, qui cum sui similibus conuersantur. Gracculi enim gregatim degunt, & mirum quàm se inuicem ament. Eustathius in amicitiam vilium hominum quadrare dixit, vt D.[g] Basilius etiam, cùm ait: *Quibus potissimùm delectantur equi? manifestum quod equis delectentur. Aquilæ quibus? non alijs, quàm Aquilis. Gracculum assidere Gracculo, vel ex prouerbio audis. Ita sanè, & Atticum Attico, & probitatis studiosum eo, qui probitatem adamat, ac tuetur, delectari puta.* Item aliàs: *Si primas*, inquit, *tibi quoque in terrenis dederimus, ne sustineas inter Gracculos primas habere, cùm Aquila esse possis.*

Haud dissimilis intentionis prouerbium est, *Tunc canunt Cycni, quando tacuerint Gracculi.* Vtitur hoc idem D.[h] Basilius: ἐγὼ δὲ παροιμίαν ἔρω, μάλιστα μὲν ἀληθῆ, μάλιστα δὲ συντομον, ὅτι τότε ἄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσιν. Prouerbio locus est, tum doctis opportunum esse, vt de bonis rebus, quàm possint eruditissimè disserant, quando imperitis prius tanquam aqua, & igni interdictum sit, ne loquantur. Eiusmodi dissimilitudinum plures prouerbiales formulas [i] Ausonius eleganter ita expressit: Cycni canunt tacentibus Gracculis.

[h] *In Epist. ad Celeus.*
[i] *Ad Paulinum.*

*Si Vitulum Tauro, vel Equum committis Onagro,*
*Si confers Fulicas Cycnis, & Aedona Parræ,*
*Castaneæ corulos æques, Viburna cupressis.*

Deniq; hæc Tzetzæ paræmia ποῦ γὰρ ἔστι τοῖς κολοιοῖς φροντὶς τῆς βασιλείας, id est, *quid enim Gracculi de regno curant?* locum habebit de ijs, qui circa rem aliquam nihil planè operæ, aut curæ ponunt. In Lemmate sic legitur, ὁπόσον κολοιοῖς βασιλείας καθέστηκε μέλησις; hoc est, *quantum Gracculi regna curant.* Gracculi quid de regno curãt.

[a] *Ode. 3. Nemeor. in fine*

# EMBLEMATA.

EMBLEMA apud Alciatum inscriptum IMPARILITAS, ex [a] Pindaro desumptum est, qui sic habet:

Ἔστι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς.
Ὃς ἔλαβεν ἄιψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
Δαφοινὸν ἀχαν ποσίν.
Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεννὰ νεμονται, id est:

*Est autem Aquila velox inter volucres*
*Quæ citò venatur, procul inuestigans*
*Cruentam prædam pedibus suis,*
*Loquaces autem Gracculi humilia pascuntur.*

*Embl. 139.*

Sed Alciatus pro Aquila Falconem posuit, & cum Gracculo Anserem, atque Anatem humilia pascere facit. Pindarum verò hîc per Aquilam seipsum intelligere commentatores volunt, quod etiam ipsemet alibi, sed obscurè admodum dixit, per Gracculos Bacchilidem Lyricum Poëtam. Sicuti quoque Alciatus indicat. Pindarus sese Aquilã, Bacchilidẽ gracculum vocat.

*Vt sublime*

*Vt ſublime volans tenuem ſecat aëra Falco,*
*Vt paſcuntur humi Gracculus, Anſer, Anas.*
*Sic ſummum ſcandit ſuper athera Pindarus ingens,*
*Sic ſcit humi tantùm ſerpere Bacchilides.*

# APOLOGI.

IVPPITER regem auium creaturus diem fingitur præſcripſiſſe, quo omnes apparerent: cùmq; aliæ aquis ſe abluerent, vt pulchriores viderentur, Gracculus omnium deformoſiſſimmus defluentibus diuerſarum auium pennis ſeſe exornauit, vnde pulcherrimus omnium viſus eſt, & regiam quoque dignitatem adeptus fuiſſet, niſi Noctua primùm pennam vnam de ſuis agnitam euulſiſſet, & mox cæteræ aues ſimiliter. Priuatus enim mox furtiuis pennis Gracculus, vt erat initio, Gracculus apparuit. Apologus ſignificat, multos rerum alienarum rapina, & furtis videri eos, qui honeſtum natura, & laboribus poſſident. [a] Theophilactus Simocatus fabulam, ſi veritatem ſpectemus, ad magnam moderationem nos adhortari ſcripſit. *Similiter enim*, inquit, *nos homines quoque nihil in hac vita proprium poſſidemus, ſed breui, quod hic agimus, tempore, ornatu fictitio ſuperbimus: morientes verò ijs, quæ noſtra non erant, priuamur. Fac igitur (ò Chryſippe) vt pecuniam, & corpus negligas, & animam immortalem excolas. Hæc enim æterna, & immortalis eſt, & cætera mortalia, & ad breue tempus noſtra.* Apologus in prouerbium abijt, & Gracculus Aeſopicus ab inuentore dici meruit. Vſurpatur à [b] Luciano in eos, qui aliena ſibi vſurpãt, aliorumq; bonis ſeſe ditant. In quo ſenſu elegantiſſimum carmen aliquando legi apud doctiſſimũ quendam huius æui poëtam, quo in Srumam quendam, qui ſcripta eius carpebat, ita inuehitur:

*Rogas quis is ſit in meis ſcriptis canis,*
*Quem vocani Niciicoruum, quem voco Aegothelen?*
*Is Struma quidam eſt, Gracculuſq; Aeſopicus*
*Turgidus Pauonis aura, gemmeisq; pennis.*
*Superum, inferumq; ſaturi odij meta vltima*
*Qui meum panem vorauit, & latrat farinam.*

[a] *Epiſt. Theiſtic. ad Chryſip.*

Gracculus Aeſopicus.

[b] *In Pſeud.*

[c] Pindarus quoque ad eundem apologum alluſiſſe videri poteſt his verbis ἐδ' ἄλλο τριωνέρωτες ἀνδρὶ φέρειν πράσσοντες, ἀκοθεν μάτευε, id eſt, *neque rerum alienarum cupiditates viro meliores ſunt ad ferendum, è domeſticis inquire.* Reprehendit ſuam digreſſionem Poëta, iubetq;, vt quem ſuſcepit celebrandum, laudet è proprijs virtutibus potiùs, quàm ex alienis. Confinis huic apologo ille item eſt eiuſdem Aeſopi, quo magnus Gracculus Coruis ſe parem eſſe ratus ad illos ſe contuliſſe fingitur, ſed cùm ab illis vinceretur, ad ſuos redijſſe, qui indignati eum cędentes dicebant, fuge ad Coruos: ſed de hoc apologo abundè in Coruo diximus. Poſſumus verò Gracculos quoque, homines vocare ingenio pollentes, & contrà etiam deſidioſos. In primo ſignificatu [d] Ariſtophanes καὶ πῶς ἡμας νομίζουσι θεὸς ἀνθρωποι, οὐχι κολοιες οἱ πετόμεθα, πτερυγιας τε ἐχομεν, ideſt *Et quomodo nos putant deos homines, & non Gracculos* (id eſt ingenioſos) *qui volamus alasq; habemus?* In ſecundo verò ſenſu facetiſſimus eſt Tul. ij iocus, cùm in Pharſalia de fuga cogitabat Pompeius, & Nonius dicebat, ſeptem adhuc Aquilas ſupereſſe, ideoque necdum animum eſſe deſpondendum: *Rectè*, inquit Tullius, *moneres, ſi cum Gracculis nobis depugnandum foret:* alij cum Picis legunt, vt & nos alibi.

Cornix, & Gracculi.

Qui homines Gracculi dicti.

[d] *In Auib.*

Ciceronis iocus.

# DE GRACCVLORVM SPECIEBVS, Et primùm de Coracia.

CVM Coraciam inter Gracculorum ſpecies primùm nominet [a] Ariſtoteles, itaque ab illius præſcripto ordine minimè mihi recedendum eſſe reor, etſi tamen ſecus ab alijs recentioribus factum videam. Verùm cùm eorum pleriq; in huius auis hiſtoria planè diſſentiant, operæpretium omninò etiam mihi videbatur, primùm eorundem verba examinare, dein proprium adhibere iudicium, vt qui iſtæc lecturi ſint, quam lubet, opinionem ſequantur. [b] Bellonius in primis Gracculum, cui roſtrum, & pedes rubent, Coraciam Ariſtotelis, cum Pyrrhocorace Plinij eundem faciens, nullis planè rationibus nititur. Contrà verò Ornithologus Coraciam, à Pyrrhocorace diſtinguens, ex colore roſtri ſuam opinionem confirmat, quoniam in Pyrrhocorace luteum [c] Plinius, in Coracia puniceum Ariſtoteles dicat, vel, vt Gaza vertit rutilum. Tur-

*9. Hi. c. 24*

Recentiorũ opinio, de Corac.

[b] *Lib. 6. de Auib. c. 6.*

Bellonij error.

Turnerus, nonnulliq; alij Bellonij opinionem amplectuntur; Ego contrà diligentiùs grauiſſimorum horum virorum verba expendens, tamen dubius diù nunquid, vel Bellonio, vel Ornithologo ſubſcriberem, reuera Ornithologum ſequi cogor. Attamen differentiam harum auium non ex ſolo roſtri colore, vt Ornithologus facit: id enim exiguum meo iudicio differentiæ argumentum eſt, qui nempe per diuerſa anni tempora, & ætatem in multis ſæpe mutatur, ſed ex magnitudine quoque eiuſdem expiſcor. Pyrrhocoracis enim roſtrum paruum eſſe ipſemet Turnerus admittit: Coraciæ quis obſecro tale eſſe dicat? Quare vtriuſque ſuo loco iconem dabimus, ex qua diuerſitatem quiuis videre poterit. Cæterùm vnum hîc etiam aduertendus lector eſt, Gazam κορακίαν Gracculum maximo quidem, & euidentiſſimo errore interpretari. Gracculus enim ſi pro ſpecie ſumatur, Plinio, alijsq; Latinis Monedula eſt, & Ariſtoteli λύκος.

Pyrrhocorax, & Coracias, ut differant. propria opinio.

Pyrrhocoracis roſtrũ

Gazę error

Gracculus in ſpecie quæ auis.

# SYNONIMA.

CORACIAS Italis quibuſdam Speluier dicitur, Bononiæ voce cum Monedula communi Taccola, & Tatula: circa Bellinzonam Paſon, alibi etiam, vt audio, zorl: Gallis Chouette, & Chouca rouge: Valeſijs qui Sabaudicè loquuntur, Choquar vel Chouette: ſed iſtæc ſynonima alijs Gracculis etiam competunt: Germanis Steintahen, & Steintulen.

Speluier. Taccola.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

ARISTOTELES Coraciæ inter tria Gracculorũ genera, quibus pedes fiſſi ſunt, primum locum attribuit, & roſtro puniceo, ſeu rutilo (id enim φοινικορυγχος ſonat. Nam quod rotundo dicat Gaza, id ex ſuo addidit,) & corporis magnitudine à Βωμολογῷ ſiue Scurra, necnon à λοιῷ ſiue Monedula diſtinxit. A Pyrrhocorace Plinij colore, & magnitudine roſtri, vt antè diximus, differt.

# FORMA. DESCRIPTIO.

CORNICIS magnitudinem Coraciæ Ariſtoteles aſſignat: quod ſanè verum erit, ſi de nigra pamphaga accipiatur. Roſtrum habet longum quatuor ferè digitos, quodammodo arcuatum, coloris punicei, ſeu rutili, qui inter aurantium, rubrum & ſubflauum medius eſt. Pedes eiuſdem coloris ſunt exceptis vnguibus, qui ſimul cum toto corpore nigerrimi ſunt. Iconem ſequens pagina dabit.

Magnitudo. Roſtrum. Pedes. Color.

# LOCVS. VICTVS.

CORACIAS rarò admodum ad plana deſcendit, ſed continuò præruptorũ montium cacumina incolit. Cicuratur, ſed ualdè ægrè. Veſcitur ſimila ex lacte, carne, pane, & tritico, ſimilibusq; alijs, mox quicquid apponitur deguſtans.

# MORES. INGENIVM.

NIHIL unquam peculiare ſuper hac aue me legiſſe noui: ſed hoc tamen apud piæ memoriæ Camillum Palæotum noſtræ urbis Senatorem ampliſſimum, Illuſtriſſimi Cardinalis Palęoti germanum obſeruaui, quod inter alia, quę inferebat, damna, feneſtras cùm chartaceas, tum uitreas etiam roſtro pertunderet, adeo ut à uicinis quàm ſæpiſſimè apud eũ de ruptis feneſtris accuſaretur. Quod cùm mecum quandoq; expenderem, Gracculorum furacitas in mentem uenit, cuius cauſa Coracias fortè etiam feneſtras ruperit.

Coracias cur feneſtras rumperet.

# CORACIAS ARIST.

# DE PYRRHOCORACE. Cap. VIII.

PRopositus nobis Aristotelicus ordo expostulabat quidem, vt de Monedula modò, de secundo nempè genere ageremus. Verùm vt collata Coraciæ, & Pyrrhocoracis icon diuersitatem ostenderet, huius modò icon vnà cum historia hic ponenda videbatur: quam antequam aggrediar, lectorem primò admonitum volo, vt Pyrrhocoracem à Pico maximo nigro, qui Coruo ipso vix minor est, & plumas in vertice gerit, cum quo à recentioribus quibusdam Germanis turpiter confunditur, diuersissimam auem habeat.

Ordo.

Pyrrhocorax cum Pico maximo cõfunditur.

## SYNONIMA.

PLinius hãc volucrem voce Græca Pyrrhocoracem vocat, quasi igneum Coruum vel vt [b]Bellonius interpretatur, Coruum rubrum. Rhœti qui Germanicè loquuntur, Tahen propriè appellant. Turnerus Germanis appellari ait ein Bergdol: alijs dicitur Alprapp, quasi Coruus alpinus, & alpkachel, Vvildetul, Bergtul, Steinhetz.

[a] *Lib. 10. c. 48.*
[b] *Lib. 6. de Au. c. 6.* Tahen.

## GENVS. DIFFERENTIAE.

PYrrhocoraces, etsi in Gracculis minimè nominârit Aristoteles, (Suspicandum enim est non agnouisse.) nos congenerem Gracculis facimus, idque eò maximè, quòd ab omnibus ferè pro Coracia obtrudatur. A qua vt iam bis teruè dixi, colore, & magnitudine rostri differt. An non etiã magnitudine corporis? Turnerus enim Pyrrhocoracem Cornice paulò minorem esse tradit; Coraciam Cornici parem esse habes ex ipso Aristotele. Præterea [a] Bellonius Pyrrhocoracem, rubram Monedulam (Hoc enim Chouca rouge sonat) à simili, haud dubio magnitudine nuncupat. Monedula verò vel ex ipsomet κύρος Aristotelis est, & Coracia etiam paulò minor. Vnde manifestò colligo Pyrrhocoracem etiam corpore toto minorem Coracia esse, quod sanè insignis differentiæ argumentum est.

Phyrrhocorax vt à coracia differat.

[a] *9. Hist. c. 24.*

# FORMA. DESCRIPTIO.

[a] *Lib.* 10. *c.* 48.

PYRRHOCORAX, inquit [a] Plinius, *roſtro luteo, niger*, quæ poſtrema vox in multis exemplaribus deeſt: mirum quod pedes etiam luteos non dixerit: vnde certè maior etiam ſuſpicio oriatur Coraciam non eſſe. Etſi enim eoſdem Coraciæ rutilos non dederit Ariſtoteles: ſat tamen illi erat dixiſſe, quod roſtri colore ab aliis Gracculis differret. Eſt autem Pyrhocorax Cornice minor, Monedulę æqualis, luteis cruribus & roſtro, quod paruũ Turnerus, Bellonius in extremitate nonnihil aduncum dixit; cætera nigerrimus. Vnde nomen ei à coloribus inditum videtur.

Magnitudo.

Etymum.

1

# LOCVS.

[b] *Lib.* 10. *c.* 48.

[b] *L.* 8. *c.* 6.

FRequens eſt in alpibus, adeò vt *peculiarem alpium* [a] Plinius ſcripſerit. In Anglia propè Cornubium, Creta, Heluetia, montibus Iura, & aureo Auerniæ, alijſque paſſim in locis [b] Bellonio teſte, magna Pyrrhocoracum copia eſt, item in Cycladibus inſulis, & in Britanniæ littoribus. Alicubi apud Rhœtos hyeme tantùm cernitur; alibi verò toto anno.

2

# VOX. INGENIVM. PRÆSAGIA.

PYrrhocorax auis eſt clamoſa, altùm vociferans, vt à longè audiatur. Vox eius, quàm Monedulæ acutior eſt, & magis querula, Merularum nõ admodum abſimilis, & quę ad fiſtulæ ſonum nonnihil accedat, Bellonius non cicurari tantùm dixit, ſed humanam etiam vocem edoceri. Ex volatu eius tale præſagium capitur, vt cùm in altum volat, frigus augeri, cùm ad humiliora, remiſſum iri ſperent.

Frigoris futuri præſagium.

# VICTVS. VSVS.

Bellonij error.

[a] *Lib.* 10. *c.* 48.

GRaniuora etiam volucris Pyrrhocorax eſt, & agros frumento conſitos, haud ſecus, ac Gracculi, depaſcitur. Non cedit in cibum, niſi fortè apud pauperes, & apud hos etiam pulli tantùm: Hinc Bellonium apertè hallucinatum fuiſſe conſtat, cùm per peram [a] Plinij verba accipiens, eius authoritate præcipuo ſapore eſſe ſcribat. Nam verba illa *præcipuo ſapore* ad Logopodem, de quo ille ſubinde agit, non ad Pyrrhocoracem referenda ſunt.

3

# DE LVPO, SIVE MONEDVLA. Cap. IX.

Gazæ error.

[a] *Lib.* 11. *c.* 29.

Plinius explicatus.

Belonij error.

[a] *Lib.* 6. *de Aui. c.* 3.

THeodorus Gaza, quòd iam ad tœdium vſque repetimus, Coraciam, Gracculum ſimpliciter, ſed maximo cum errore apud Ariſtot. tranſtulit: & [a] Plinio, quem aliàs ſemper ſequi ſolet, apertè cõtradicit, qui, vbi Gracculũ pro ſpecie accipit, non de Coracia loquitur, ſed de Monedula, vt ex his verbis liquidò colligitur: *In Lemno inſula Gracculos colunt aduerſo volatu occurrentes locuſtarum exitio.* Quomodo enim in Lemno, vbi nulli montes ſunt, vt qui in ea degêre, teſtantur, Coracias cultas fuiſſe ſcribere potuiſſet, quę altiſſimarum tantummodo alpium cacumina incolunt? Verùm hîc denuò etiam inſignis illa [a] Bellonij hallucinatio in memoriam reuocanda eſt: qui ſcilicet Spermologum Cornicem, Gracculũ vocet, & Gracculum à Monedula diuerſam auem ſtatuat.

4

5

# SYNONIMA.

SYnonima, quæ Gracculis omnibus generaliter attribuimus, huic potiſſimùm cõueniunt: quare lectorẽ ad ea remittimus; quædam duntaxat, eaque vulgatiora hîc allaturi, ne eadem ceu crambem bis coctam vobis obtrudamus. Latini, vt Plinius, Gracculum, & Monedulam: Ariſtoteles λάϊκον ſeu Lupum: Itali Monacchia, Ciagula, Tatula, Taccola, Cutta, Pola: Galli petit Couchette, Chouca, Chouette, vt Bellonius habet, vel, vt alij, Chucas, & Choca. Germani Tul, Dole, Aelke, Rayke, Gaycke: Belgæ, & maximè Bataui, Cau, vel Kauu.

GENVS.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

9.Hi.c.24.

Vt Gracculus à Cornice differat.

Vt à Spermologo.

Vt à Coracia.

Αὐκον Aristoteles secundo loco in Gracculis nominat. Cornici nigræ omnino similis est, adeò vt ex voce, & victu tantùm distinguantur. Gracculus enim nũquam aut admodum rarò ad ripas accedit, & à cadauerum esu in primis sibi temperat: Cornix contrà pamphaga est, & quæuis loca frequentat. Præterea Gracculus nisi gregatim volitat; Cornix sola sæpè conspicitur. A Spermologo magnitudine, voce, & rostri colore: vt qui Gracculo multò maior sit, vocem diuersam edat, Cornicum nempè more, & rostrum albicans habeat. A Coracia, & Pyrrhocorace rostri colore. A Βωμολόγῳ siue Scurra rursus magnitudine. Βωμολόγος enim Gracculorum omnium minimus est.

# FORMA. DESCRIPTIO.

[a] Lib.6. de Ani.c.5. Bellonij error.

[b] Lib.9.Hi. c.24.

[c] L.3.Hi.c. vlt.

[d] Lib. 2. de Ani. tract. 2.cap.2.

Monedula, quia nullibi non obuia, ita omnibus notissima auis est. Caput, pedes, totumq; corpus, & rostrum nigra sunt: rostrum tamen circa narium foramina albicantibus punctulis insignitur. Nigredo verò non adeò intensa est, vt in Coruo, & Cornice: Quemadmodum enim Coruinus viridem splendere: ita in Monedula de cinereo participare videtur. [a] Bellonius cùm Monedulam inter Coruini generis volucres minimam putat, maximè hallucinatur. Βωμολογῶ enim siue Scurra, vt ex [b] Aristotele diximus, maior est. [c] Idem Aristoteles Monedulam pro ingluuie gulam patentiorem propè ventriculum habere dixit: Hinc etiam [d] Albertus, *quædam*, inquit, *aues os stomachi siue meri habent latum, & pappam* (ingluuiem) *tamen non habent, vt Pica, & Gracculus.*

# LOCVS.

Alberti error.

Monedulæ, seu Gracculi loca plana amant, & altissimas vrbium, pagorumq; turres habitant, in quarum foraminibus nidulantur, idque numerosè adeò, vt in vna sæpè turre centum, & amplius nidos conspicias. Albertus Gracculos in arboribus etiam nidificare, & septem paria quandoq; vnam arborem incolere scribit, sed is Gracculos cum Spermologo etiam confundit. Idem tamen Turnerus, & Bellonius asserunt; quibus nunquid hac in re fides adhibenda est, lectori dijudicandum relinquo; mihi reuera nihil tale vnquam lectum est, nec ipsi id mihi facilè persuaserint.

# MORES. INGENIVM.

[a] L.14.cap. 17. Monedula seminare docuit.

Furacitas.

[b] L.7.Met.

[c] Pro L.Flaco.

[d] In Capt.

[a] Linius author est Monedulam hominibus frumentum seminãdi rationem monstrasse. Dicitur enim tam sagacis ingenij esse, vt frumenti, aliorumque granorum, vbi satiata fuerit, reliquias terra recondat, & spicas subsequenti anno ex ijs colligat: quas cùm itaq; homines ab illa aliquando comedi uiderent, tùm auis exemplo semina terræ mandare, terramq; excolere cœpisse dicuntur. Eodem authore in Monedula, auri, argẽtiq; furacitas præcipuè mira est: quare meritò auis eo nomine insignita est, quasi Monetula, à moneta scilicet, quam furatur. Meminit eiusdem [b] Ouidius, cùm ait:

*Mutata est in auem, quæ nunc quoque diligit aurum*
*Nigra pedes, nigris velata Monedula pennis.*

Ad hunc sensum [c] Cicero in Decianum inuectus; & rapacitatem eius manifestaturus, *reuera*, inquit, *non plus aurum tibi quàm Monedulæ committebant.* Gaudere aiunt hãc auem fricari in capite, quasi pruriret: vnde carnem eius pruritum inducere Albertus credidit. Atque hinc fortè veteribus ludicra, habita fuit, Pueros autem ijs olim ludere solitos ex his [d] Plauti verbis colligere est: *nam vbi illò adueni, quasi Patritijs pueris, aut Monedulæ, aut Anates, aut Coturnices dantur, quibuscum lusitent.*

# MORALIA.

Auari Monedulis cõparati.

Monedulæ, quia, vt diximus, aurum, & argentum celat, ac furatur, auari perquàm eleganter assimilari possunt. Hi enim in hoc solo toti sunt, & omnem suam operam collocant, vt alijs aurum, & argentum per fas, & nefas eripiant, ereptum abscondant, alijs seruent, & nunquam in proprium vsum conuertant. Tam enim auaris deest, quod habent, quàm quod non habent.

APO-

# APOLOGI.

CVM quis cepisset Monedulam,& pedẽ filo alligasset,suo tradidit filio. Hæc non ferendo victum inter homines,ubi parumper libertatis nacta est, aufugit,& in suum sese nidum recepit. Circumuoluto uerò ramis uinculo euolare hàud ualens, cùm moritura esset, secum loquebatur: me miseram, quæ apud homines non ferendo seruitutem,incautè me mea uita priuaui. Fabula significat quosdam nonnunquam,dum se à mediocribus student periculis liberare, in maiora incidere. Monedula homines fugiens.

Alius de Monedulis,& Columbis legitur apologus,non inuenustus,qui talis est: Monedula in Columbario quodam Columbis uisis benè nutritis,dealbauit sese, iuitq; vt & ipsa eodem cibo vteretur. Hæ verò donec tacebat, ratæ eam esse Columbam, admiserunt: sed cùm aliquando oblita vocem emisisset,tunc eius cognita natura,expulerunt percutiendo, eaque priuata eo cibo redijt ad Monedulas suas. Illæ verò ob colorem cùm ipsam non nossent, à suo cibo abigerunt,vt duorum appetens neutro potiretur. Apologus significat, oportere & nos nostris contentos esse, considerantes auaritiam,præterquàm quod nihil iuuat, auferre sæpè, & quæ adsunt, bona. Monedulæ & Columbæ.

# FABVLAE.

ARNEN in Monedulam mutatam fuisse fingunt Poëtæ, quòd cùm Minos Iouis, & Europæ filius bellum Athenienſibus indixisset, uariasq; gentes congregasset, inter quas etiam numerantur Sithonis insulæ incolæ, hæc auri pulchritudine capta hosti Athenas oppugnanti prodidisset. Meminit huius fabulæ [a] Ouidius. Arne cur in Monedulã mutata.

*Marmoreamq; Paron, quamq; impia prodidit Arne,*
*Sithonis accepto, quod auara poposcerat auro,*
*Mutata est in Auem, quæ nunc quoque diligit aurum*
*Nigra pedes,nigris velata Monedula pennis.*

[a] *L.7. Metam.*

# HISTORICA.

COlophonis loco hîc lubuit adijcere, quod de Monedula [a] Aelianus tradit; *quendam* nempè *deformem iuuenem Spartæ,hanc auem adamasse,& in summis delicijs habuisse*: Vbi nonnullos alios stolidos hominum amores recenset. Sed hoc fortè maiorem admirationem merere videri poterit,quod [b] idem scribit, *adolescentem in Sparta ob speciem à Graculo amatum*.

[a] *L.9. var. Hist.*

[b] *Lib. 1. de Anim.c.6.*

D E

# DE MONEDVLA ALTERA. Cap. X.

Etsi vna duntaxat ab omnibus Monedula depicta sit, ea tamen auis, cuius modo iconem dedimus, Monedulæ procul omni dubio genus est, & in eo tantùm ab illa discrepans, quòd collum habeat albo torque circundatum. Hoc fortè illud fuerit genus, quod Hesychio, & Varino στεφανὸν appellari antè dixi, quasi coronatum, vel saltem idem fuerit, cum eo genere, quòd in Heluetia circa Tugium albo circulo collum ambiente distinctum, cætera alteri simillimum, ex aliorum relatu Ornithologus reperiri prodidit. Stephania Monedula.

# DE PICIS IN GENERE. Cap. XI.

Picas Graculis merito iure annectendas existimaui, cùm quòd eiusdem fermè cum illis magnitudinis sint, tùm quia eorum more, necnon & Cornicum instar assidua pariter garrulitate præteriuntium aures offendant. Accedit alia, eaq; potior ratio, quæ me magis mouet, rostrorum nempè similitudo, quæ sanè Picas è Coruino genere esse manifestò indicat. Etsi verò Pici rostra etiam robustissima habeant, & in eo Picis hisce præferendi videantur, quibus scilicet duriores quosuis arborum cortices perforant: Picæ tamen, quoniam corporis mole, vnum Picum maximum si excipias, Picos superent, eo iure saltem primum locum merebant. Ordinis ratio. Picæ sunt è Coruino genere.

# ÆQVIVOCA.

Κισσα in primis Ptolomæo fluuius est Ponti Cappadodici.[a] Plinius Cissam insulam esse scribit iuxta Istrorum agrum: Meminit & Cisseñsis Histriæ, vt notat[b] Ortelius Cissa denique eidem vrbs est flumini Aegos oppositа, in Thraciæ Chersoneso, vbi & Scylla, Sica, & Syca inconstanter legitur. Κισσα Hesychio etiã piscis est, qui nunquid idem fuerit cum eo, quem[c] Polydorus Vergilius Piko Italis dici ait, Lucij nempe quoddam genus, alijs dijudicandum relinquo, ego in Italia eius nominis piscem nullum agnosco. Nonius Picam Picumnum dici tradit, esseque auem Marti dicatam, sed quotquot extant authores Picum Marti sacrum scribunt, auem nempè à Pica longè diuersam, & fortè impressorum lapsus fuerit. Facilè enim pro Picus Pica facere potuerunt. Ζίττου aliqui Noctuam, alij Picam alij Accipitrem interpretantur. Itali quidam auem, quam Ornithologus Lanium vocat, Gazam marinam seu Picam marinam dicunt, quòd colorum varietate, & caudæ longitudine Picam ferè referat: alij Gazam Sperueriam appellant, quia prædandi natura Accipitrem minorem referat; alij Regestolam, quod nomen fortè diminutiuum à Regazza fuerit; alij Passera Gazera; quasi Passerem Picarium: Sabaudi Matagasse. Agasse autem eisdem Pica est: allj Pie Griayche seu Picam Græcam: Galli quidem Pie Ancrouelle, quia vnguium hamis arborum truncis passim adhæreat. Bellonius in Palestina aues similes illis, quas Picas griseas, seu cinereas (Pies griesches) nominamus, vidisse, & aliam Picam Gallicè vulgò similiter marinam dici refert, à colorum vt autumat, diuersitate, rostro quaruor digitos longo, Gallinaginis more; quare Gallinaginem (Beccassam marinam) aliqui nominent: ego verò Picam marinam longè aliam, inter Picas tamen descripturus sum. Nostrates quoddam Pici genus Picarium cognominant, quòd albo, nigroque colore instar Picæ fermè distinctum sit.[d] Hadrianus Turnebus Sphinges Festo Picas dici notat, quia Sphinx Aeolicè πῖξ vocetur, & hinc etiam apud eundem Picatos appellari, quanquam & Pici ex se Picatos propagare possunt. Picare dicuntur mulieres grauidæ, cùm, vt testatur[e] Aristoteles, varia appetere solent: isque appetitus Latinis Pica, Græcis κίσσα, seu κιττα nuncupatur. Quæ Picarum verò deprauatæ huic appetentiæ nomen fecerit, haud ita liquidò constat. Ego verò eam esse reor, quæ à Plinio longa insignis cauda describitur, & varia siue non sibi concolor appellatur, hoc est, quæ alias plumas, & pennas candido, alias nigro colore ostendit. Nulla enim alia in Picarum genere longiore cauda est. Neque fortasse huius opinionis incertus assertor fuero, cùm & Græcos κίτταν διὰ τὸ ποικίλον τὴν ζῶσι dici videam. Eiusmodi verò affectum malaciam prægnantiũ[f] Plinio dici[g] Cælius asserit. Est autem mollities quædam, & defectio, quum languentes mulieres modò hoc, modo illud appetunt, adeò vt terram quandoq; nonnullæ, & carbones extinctos, cimoliamq; teste Paulo auidissimè deuorent. Hinc κιττας Gethyllidas interpretãtur, quas (Gethyum autem porrum capitatum quibusdam significat)[h] Athenæus Latonæ sacras

[a] *L. 3. c. vlt.* Cissa Insul.
[b] *In Thes. Geog.* Cissa Piscis
[c] *L. 1. Hist. Angl.* Pica perperam Picũnus dicta.
Ζίττου. Gaza marina. Gaza Sperueria. Regestola. Passera Gazera. Matagasse. Agasse. Pie Grayche. Pie Ancronelle. Pica Grif. Pica Marina.
[d] *L. 3. Adu. c. 10.* Picarius Picus. Sphinges Picæ dictę. Πῖξ. Picati. Picare qd.
[e] *7. Hi. c. 4.* Pica morbo vnde dict.
[f] *Lib. 33.*
[g] *Lib. 8. Lec. Ant. c. 1.*
[h] *L. 2. Deip.*

cras ſcribit, quoniam prægnans id genus cibi appetiſſet. Naſci ſolet iſte affectus menſe à cõceptu plerumq; tertio, cùm fœtus delata in vterum ob inſitam imbecillitatem id alimentum traducere nequit: vnde facta ad ventriculum multorum redundantia, abſurdorum appeten
Picatio. tia ſequitur. Galenus eandem affectionem κιττησιν, id eſt, Picationem vocat, mulieribusq; accidere aſſerit ſecundo, & tertio à conceptione menſe, quia appetentiæ organum (id verò os ventriculi eſt) læſum ſit, infanti non ſuppetente robore ab alimenti conſumptionem. Grapaldus à Pica denominari affectum voluit, quòd hæc auis varia appetere ſoleat, *nam & cruſtas*, inquit, *vt cætera taceam, ex fluminibus in eſcam nonnullæ petunt.* Mihi Pauli opinio magis placet, qui Picam ipſam hoc affectu frequentiùs torqueri, ideoq; illi nomen feciſſe ſcripſit.

[i] *In Pace.* Ab eiuſmodi paſſione, ſeu potius, vt Gaza vult, ab hac aue κιττᾶν prouerbialiter dicimus de ijs, qui varia appetunt. Sic apud [i] Ariſtophanem οἱ κιττῶντες dicuntur τὴς εἰρήνης, hoc eſt, *auide deſiderantes pacem.* Quo loco Scholiaſtes & ex eo Suidas κιττᾶν de Pica, aue vorace, omniuora, & curioſè omnia deguſtante, & de mulieribus prægnantibus ciborum abſurdorum appetentia laborantibus, necnon & de alijs hominibus auidè aliquid deſiderantibus vſurpari aſſeuerant. Item vbi iſtæc [k] eiuſdem Comici verba interpretatur Scholiaſtes, Οὗτο κιττῶ διὰ τῶν σανίδων μετὰ χοιρίνης περιελθεῖν, κιττῶ, inquit, ἐπὶ θυμῶ γλίχομαι, ἀπο τῶν ἀρτιων τικτουσῶν γυναικῶν, καὶ ἐπιθυμουσῶν τινῶν. Solet enim Pica, vt ſuo loco dicturi ſumus, varios arborum fructus appetere, & mox, quos guſtârit, faſtidire, & alios ſubinde quærere. Plura de hoc ſympto
[l] *Lib. 16. c. 10.* mate legere eſt apud [l] Aëtium, vbi admonet quoſdam ab hederæ ſimilitudine quam κισσον, ſeu κιττον Græci vocant, id nomen ſortitum ſenſiſſe, quòd ſcilicet vt illa diuerſis plantis, quęcumq; occurrerint, vario modo implicari ſolet; ita mulieres pica laborantes diuerſiſſima edulia appetant, maximè verò oppoſita, quę tum voluptatem, tum triſtitiam guſtantibus afferũt. Quæ ſanè etymologia ingenioſa quidem eſt, verùm nunquid vera, alijs dijudicandum propono, ego potiùs Paulo cæterisq; Græcis, Latinisq;, qui Picam eundem affectũ traduxerunt, ſubſcripſerim, ſuum interim cuiq; iudicium relinquens. Cæterùm in huiuſce vocis deriuatione illud doctiſſimus Ioannes Gorræus admonet, quod quamuis κιττα Picam auem ſignificet, non tamen de affectione iſta loquens quis picam rectè vertere poſſit, niſi quadam Græcorum imitatione, idq; ſine idoneo authore, cùm nemo vnquam Latinè picam pro eo affe-
[m] *L. 25. c. 6.* ctu dixerit. [m] Plinius certè non Picam, ſed grauidarum malaciam dixit. Quidam verò non
Malacia grauidarũ. picam, ſed picationem interpretantur. Hæc ille: ſed quam benè inde concludat κιττην non rectè Picam interpretari poſſe, quia ſcilicet Plinius id non fecerit, prorſus nõ video. Cur enim ſi Græcis is affectus ab aue, vt ipſemet admittit, κιττα dicitur, Latinis eadem licentia non de-
Pica pro haſta. tur Picam vocandi? ſed tempeſtiuum eſt reliquas æquiuocationes proſequi. Pica Belgis, & nobis Italis etiam haſtam ſignificat, quam vocem non à Pica aue cui roſtrum obtuſum eſt, ſed à Pico detortam crediderim, cui roſtrum ad perforandas arbores loco terebræ eſt. Lyco
Argo nauis Pica dicta. phron Argo nauem Picam garrulam dixit, quòd ex quercu, quam per ſe vocalẽ veteres credebant, fabricata eſſet, vnde fortè [n] Claudianus cecinit:

[n] *In Panegir.*

——— *Licet omnia vates,*
*In maius celebranda ferant, ipſamq; ſecandis*
*Argois trabibus iactent ſudaſſe Mineruam:*
*Nec nemoris tantum vinxiſſe carentia ſenſu*
*Robora, ſed cæſo Tomari Iouis augure luco*
*Arbore præfaga tabulas animaſſe loquaces.*

# SYNONIMA.

QVOD ad Hæbraicam nomenclaturam attinet, ea profectò adeò confuſa eſt, vt penè nulla ſit, quæ non cum alia quapiam aue, uel quadrupede, uel alia re naturali confundatur, ita vt quæ adducturi ſumus Synonima, inter æquiuoca potiùs, quàm hoc loco reijci debeant. Pro זרזיר Zarſir, quæ vox auem
Zarzir. aliquam ſignificare certò volunt, alij Picam, alij Sturnum vertunt. Pro רחם
Raham. Raham, vel רחמה Rhahamach, quam auem Hebræi ita dictam innuunt,
Rahamah. quòd in fœtus ſuos benigna ſit, translatio vulgaris Porphirionem vertit, alij, quos Hebræi noſtrates ſequuntur, Picam, ſeptuaginta interpretes Vpupam. Ego nullam planè earũ auium ita dici Hebræis crediderim, ſed Offifragam potius, aut Vulturem, quarum pietas erga ſuos
[a] *Leuit. 11.* ab omnibus celebrata eſt. [a] איה aiah quibuſdam Pica, D. Hieronymo Vultur appellatur. ענר
Aiah. Agur vario modo exponitur, nunc pro Hirundine, nunc pro Pica, pro Grue, pro Ciconia,
Agur. necnon etiam pro Paſſere. Barbarus quidam Auicennæ interpres pro κιττα habet Cacha;

obſcuri

obscuri quidam Kiches, & Albertus Aschytahez, qui videtur numerus pluralis à singulari Aschyta, à Græcorum videlicet κίττα, vt prima litera abundet, vel articuli loco sit. Pica enim Atticis κίττα, communiter κισσα appellatur, quibusdam Σιττα, κισσα, πόικιλις, sed vltimum illud nomen Picæ variæ proprium videtur: Lacónibus κᾶσσα, vt Hesychius, & Varinus scribunt, quibus βάσκιλλος, & κραγγών etiam Picam significant. Varinus κισσαν dici ait παρα τὸ κίειν, καὶ μετὰ σφοδρότητος σωιεσθαι πρὸς συνεσιαν. [b] Isidorus Picas ita dictas vult, quòd verba in discrimine vocis exprimant, unde etiam Persius Poetrias eas uocabat, cùm ait: πόικιλις. Etymum. [b] Lib. 12. Orig. c. 7.

*Quod si dolosi spes refulserit numi,*
*Coruos poetas, & poetrias Picas*
*Cantare credas Pagasenam melos?* Satyr. 1.

Nonnulli Picam à Græcorum πόικιλις deriuant, cùm & nomen, & res ipsa conueniat, τὸ ποικιλον nempe, id est, coloris uarietas. Porrò Pica Italis Gazza, Gazzuola, Gazzara dicitur, & Picha apud Alumnum. Crescentiensis alicubi Gazam vocat, alibi Aregazam, vel Aregatam, nisi fortè mendum in nostris sit codicibus. Kiranidæ interpres Cremonensis κίτταν Gaiam uertit, vel Gazam, uel Glandariam, sed Gaia, & Glandaria secundæ speciei conueniunt, Gaza uerò ad utramque Picam nomen commune est. Sunt qui Gazam dici uelint, uoce deriuata à γάζα Græcorum, id est, diuitijs, quòd scilicet Pica monetas rapiat, aut abscondat. Verùm ego nihil tale in Pica unquam obseruaui, neque ab alijs etiam uisum legi. Pica Hispanis Picaza appellatur, uel Pigazza, Pega, & Picata: Gallis Pie, Iaquette, Dame & Agasse, quod postremum nomen in Sabaudia usitatum est, & Picæ caudatæ peculiare: Germanis Atzel, aut Aegerstein, quibusdam Aglaster, Aegelaster, Algaster: Gelenius Germanicè Agerluster scribit, quasi Agrilustra, cùm alioquin hæc uox semilatina sit. Germanis alijs uocatur Elster, sed id etiam caudatæ soli competit: Anglis à Pie, à Pij, ora piot: Illyricè Strakauel Kyzistela. Gaza vnde dicta.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

ARISTOTELES unicum duntaxat Picarũ genus agnouisse uidetur, quod fortè illud fuerit, quod recentiores omnes à glandium esu Glandariam appellant. Nam & [a] ipse *Picam suam glandes, cùm deficiunt, colligere, & in repositorio abditas reseruare scribit.* Variam enim Aristotelis æuo raram fuisse ex [b] Plinio colligere est ita scribente: *nuper & adhuc tamen rarà, ab Apennino ad vrbem versus cerni cœpere Picarum genera, quæ longa insignes cauda variæ appellantur.* Neque tamen Pica glandaria [c] Plinio incognita fuit, quinimo bina eius genera facit, quorum alteri quinos in pedibus digitos tribuit, & facilius uerba addiscere testatur; Quod sanè postremum genus nulli unquam uisum nouit. Scio tamen [d] Solinum Psittacis, alios item Porphirioni quinos digitos in pedibus ascribere: alioquin nullam unquam alitem plures, quàm quatuor digitos habere intellexi: quare si quinos in Pica Plinius, in Psittacis Solinus, alij deniq; in Porphirione obseruârint: ego monstrificas tales aues fuisse, & eiusmodi pedes ex materiæ redundantia obtinuisse crediderim. Nonnulli Picas in syluestres, & urbanas diuidunt: Vrbanas garrulas esse, cæcos parere, uocem subinde mutare, & quotannis caluescere dicentes: Syluestres toto corpore uarias esse pennis candidis, cinereis cæruleisq; mixtis, alis verò nigris, & hasce esse, quas Plinius uarias uocauit. Verùm hi toto aberrant cœlo, cùm quam syluestrem uocare debebant, urbanam appellent, & quam Plinij uariam credunt, Glandaria sit. Id enim ex longitudine caudæ, quam uariæ suæ tribuit, liquidò constat. Non enim uaria à multorum colorum uarietate, qualis in Glandaria conspicitur, auis hæc ipsi meo iuditio dicta fuit, sed ab albo & nigro, ex quibus æquabiliter participat tantùm: qua itidem ratione Pici uarij à neotericis omnibus appellantur. Atque ita Marcellus Virgilius Picarum aliam uariam uocat; aliam uersicolorem, seu Glandariam: & Perottus Sipontinus, *Picarum*, inquit, *alia alis vario colore, & præsertim cæruleo depicta* &c. *alia sub ventre alba, superius nigra, quæ varia appellatur.* Differunt itaque colore Picæ, & caudæ maximè longitudine, quæ in uaria duplo ferè excedit, necnon etiam loco. [a] Li. 9. Hist. cap. 13. [b] L. 10. c. 29 [c] L. 10. c. 42 [d] Cap. 65. Polyhist. Pica varia cur Plinio dicta. Pici varij.

Ab hisce uerò nostratibus Picis diuersas in Occidentalis Indiæ insulis reperiri tradunt, qui de nauigationibus in eas plagas libros conscripserunt, Turdis paulò maiores, quæ semper saliant, toto corpore nigrescant, rostro Psittacorum simillimo, cauda longa.

Verùm

Verùm eiuſmodi auibus præter ſaltationem nihil cum Picis commune eſt: quare malim ad Pſittacos eas potiùs reducere.

## LOCVS.

PIcæ caudatæ in nulla non regione obuiæ ſunt: Glandariæ verò in Batauia, vt audio, vel non ſunt, vel ſaltem admodum raræ. Agros hæ tantùm, illæ oppida etiam habitant, adeò vt has ſyluestres, illas domeſticas, vt diximus, haud ineptè nuncupare quis piam queat. Picas ædituas egregiè poetæ vocant, quòd in templorum faſtigijs frequenter inſidere conſpiciantur, ſed id de varijs accipiendum eſt.

Picæ ædituæ cur dictæ.

## VOX. INGENIVM.

[a] *L.5.c.13.* Pigolare. [b] *L.9.Hiſt. c.13.*

ΚΙΤΤΑΣ κιττα βιζειν [a] Pollux ſcripſit, pro quo Franciſcus Petrarcha latinè pigolare tranſtulit. *Vocem ſæpius*, vt [b] Ariſtoteles prodidit, *commutant ex ſingulis ferè diebus*, quinimò vt Albertus addit, *ſingulis horis diuerſam edunt, idque*, vt hic ait, *maximè cùm prælio operam dant.* Eſt verò earum vox adeò frequens, & inconcinna, importunaq; , vt garrula poëtis iure merito appelletur. Illud tamen ſingulare obtinent Picæ, vt cuiuſcumq; animãtis vocem facillimè imitentur, tùm maximè verò, Aeliano teſte, humanam. Quod in linguę latitudinem, Athenæus, Plinius, cæteriq; Philoſophi, vt in Pſittacorum tractatione latiùs declarauimus, reijciunt. Linguæ Picæ caudatæ, quæ nimirum noſtro æuo optimè ſermonem humanum addiſcit, hîc Iconem exhibere placuit anteriori, & poſteriori ſpecie nigræ, vſque ad fauces, in ſummo acutæ, & aliquantulum fiſſæ. Auguſtus Cæſar à Pica ſalutatus rei nouitate eam emi iuſſit, vt triuiali hocce [c] Martialis diſtico ſignificatur.

Pica loquax certa dominum te voce ſaluto,
Si me non videas eſſe negabis auem.

Pica humanũ ſermonem diſcit.

[c] *In Xenijs.*

Hinc ob tantam vocis diuerſitatem Suidas pro ἀντιφθογγον Picam exponit, quæ paſtorũ, lignatorum, & piſcatorum vocem imitatetur, etſi tamen eadem dictio Echûs quandoque epitheton ſit. Niphus Picas refert venatoris vocem tam exactè fingere, vt canes decipiãt, atque ad ſe, dũ heros ſuos credant, eos pelliciant. [d] Pauſanias Picam pueruli vagitum, tã naturali voce expreſſiſſe narrat, vt ſæuiſſimorum monſtrorũ domitori Herculi ceu dux fuerit, & cauſa inuenti filij Aechmagoræ. Cuius hiſtoriam, quia inſolens eſt, & ad propoſitam vocem explicandam neceſſaria, ex authore illo addere placuit, cuius hæc verba ſunt: *Alcimedon, fuit hic de heroibus vnus, cuius filiam nomine Phillonem vitiatam ab Hercule Phigalij memorant: à patre verò ſtatim à puerperio in proximum montem feris expoſitam vnà cum puero: ibi vagientem infantẽ cùm Pica imitaretur, ad auis vocem, quòd puerilem eſſe credidiſſet, Herculem fortè illic iter habentem conuerſum, puellam & à ſe genitum puerum,*

Ἀντιφθογγος quid.

Pica venatoris vocẽ imitatur.

[d] *In Arcad.*

Hercules Picæ voce deceptus filium inuenit.

Hercules Phillonem liberat.



(quem

*(quem Aecmagoram appellatum tradunt) agnouisse, amboſq; vinculis liberasse: de rei euentu fontem proximum Ciſſam, id est, Picam nuncupatum.* Mirum etiam, quod de Pica Oppianus seſe obseruasse scribit, quod scilicet hædi primùm uelut à matre separati querulam uocem edens, ipsum ad inquirendum animal iuxta arborem, cui illa insidebat, inuitaret, at dum in quærendo intentus esset, mutata mox uoce rursus uituli instar mugiret, mox ouis more balaret, modo ad instar pastoris, cùm post pascua oues ad potum deducit, sibilaret, tandem per ramos saliens seſe uidendam præberet, mirabundumq; illum redderet, tanta cùm in cæteris rebus, tùm in auibus, diuinæ largitatis dona resplendere. Verùm ut relicta uocis diuersitate, de intellectu auis, aliquid dicamus, is equidem talis esse fertur, ut multa, quę de eo traduntur, ueritatis cancellos excedere uerear: quale in primis illud est; quod propositi uerbi oblitam, grauiter angi, affligi, molestiamq; animi tacita meditatione testari dicatur, & quandoque uitam cum morte commutare: contrà uerò si uerbum id perditum ad memoriam reducatur, miris modis ex hilarescere. Id tamen [e] Plinius, & [f] Plutarchus tradunt. *Minor*, inquit ille, *nobilitas* (quàm Psittacorũ) *quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas certo generi Picarum est. Adamant verba, quæ loquuntur: nec discunt tantùm, sed diligunt, meditantesq; intra semet, cura atque cogitatione intentionem non occultant. Constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli, quærentes mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum.* Plutarchus uerò haud obscurus item author memorię prodidit Picam, quę alioquin loquaciſſima prius fuerat, auditis Romæ buccinatoribus obstupefactam è uestigio omnino siluisse, ac uelut obmutuisse, tantoq; ita silentio dies aliquot meditatam, repentè quasi expergefactam, omnem eam buccinatorum harmoniam, & numeros summa omnium admiratione reddidisse. *Tonsor*, inquit, *quidam tonstrinam habebat ante templum, quod forum Græcum appellant, is mirificè vocalem, & garrulam alebat Picam, quæ & hominum verba, & voces Boum redderet, instrumentorumq; sonos, non cogente quopiam, sed quòd ipsa impensè studeret omnes voces prodere, nihil non sonorum exprimere conando. Fortè euenit, vt in ea vicinia diues quidam efferretur multis tubis accinentibus, cumq; pro more ibi locorum fieret institio, tubicines quia placebant, tussi cantum diutius protraxere. Ab illa die Pica ita muta, ita voce omni destituta fuit; vt ne eam quidem ederet, qua necessaria sibi solet indicare. Quibus ergò antè vox eius, ijs tunc silentium admirationi fuit, etiam eò maiori, quòd auditorium solitorum ea pergere ita conticuisset. Non deerant, qui veneficio eandem artem tractantium hoc effectum suspicarentur. Pleriq; sono tubarum auditum eius perculsum putabant, & attonitum, vnaq; cum eo extinctam vocem. Verum nihil tale erat in causa, sed exercitatio, vt apparuerit, vt imitandi in seſe conuersa, & vocem tanquam instrumentum concinnante, atque apparante. Subitò enim rursum emicuit nihil vsitatarum illarum, & veterum imitationem, sed cantus tubarum ipsis conuersionibus modulans; omnesq; mutationes, & pulsationũ numeros exprimens, vt in animalibus intelligi possit facultatem à seipso discendi rationis maiorem habere vim, quàm docilitatem magistro aptam.* Verùm quod Picarum genus eiusmodi vocibus addiscendis aptius sit, mihi non satis constat. [g] Plinius enim eam laudem Glandarijs assignare videtur, vbi ita scribit: *Nec vulgaris ijs forma, quamuis non spectanda. Satis illis decoris in specie sermonis humani est. Verùm addiscere alias negant posse, quam quæ ex genere earum sunt, quæ glandes vescantur: & inter eas facilius quibus quini sunt digiti in pedibus: ac ne eas quidem ipsas, nisi primis duobus annis.* Hæc ille. At contrà nostra ætas, cui loquaces habere Picas, & quæ sermone humano vtuntur, minimè insolens est, contrarium ostendit. Iam enim Picas caudatas omnes docent. Illud etiam ingenio Picarum ascribẽdum videtur, quòd deprehensæ laqueo nihil præter rostrum moueat, ne si totum corpus moueret, magis laqueum constringeret: qua ratione ita laqueum aperire nititur. Denique inter alia, quę Picarum astum docent, hoc minimè certè tacendum est, quod idem [h] Plinius scribit, quod scilicet, *cùm diligentius visum ab homine nidum sensere, ova sua transferant aliò. Hocq; in his auibus, quarum digiti non sunt accommodati, complectendis transferendisq; ouis miro traditur modo. Namque furculo super bina ova impositò, ac ferruminato alui glutino subdita ceruice medio æqua vtrimq; libra deportare aliò.* Alij verò, ac in primis Albertus eiusmodi ouorum translationem digitorum commoditati ascribunt, Plinio apertè contradicentes, cùm tamen nulla in illis commoditas talis reperiatur. Verùm nunquid ita ova transferat aliò, vt hi quoq; credunt, mihi minimè exploratum est, quinimo parum verisimile videtur.

Cissa fluuius.

Pica varia animalia imitatur.

Ingenium.

[e] *L. 10. c. 42*
[f] *Lib. de solert. anim.*

Pica buccinatorum cantus exprimit.

[g] *L. 10. c. 42*

[h] *L. 10. c. 33*

## LOCVS. MOTVS. VOLATVS.

PICAE humilem plerumque, & rarò altum volatum exercent, & hunc deniq; parum protrahunt, alarum scilicet breuitate impeditæ. Quæ uaria dicitur, si in agris sit, modo hanc, modo illam arborem, sin in vrbe, aut oppido, vel hanc, vel illam ædem petere, tectisq; præsertim templorum culminibus insidere solet. Glandaria uerò quam inde Agrilustram

Volatus.

ſtram Gelenius vocauit, in agris tantùm, vel in arboribus conſpicitur. Sed vtriuſque inquietudo, & continuus ſaltus (ſalit autem varia maximè, & caudam Motacillæ more perpetuò fermè mouet) apud Germanos cùm ſuperiores, tùm inferiores prouerbio locum fecit. Solent enim illi communiter dicere: Den Aexter en can zijn hippelen niet laeten, hoc eſt, Pica ſuos ſaltus (ſaltationes per interualla) obliuiſci nequit, in illos, qui nunquam ingenium mutaturi ſunt. Simile adagium eſt hoc Latinorum, *Aethiops non dealbeſcit*.

Prouerbiũ à Picarum motu.

# VICTVS.

[a] *L.6.de generat.cap.6.* [b] *L.10.c.42*

[a] ARISTOTELES Picam glandibus veſci ſcribit, & [b] Plinius Picarum differentiam monſtraturus *ſermonem humanum alias addiſcere non poſſe* ait, *quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glande veſcantur:* tanquam non omnes Picæ hoc fructu veſcantur: unde etiam Itali priuatim alterum genus Glandarias appellant. Et certè Pica caudata omnino pamphaga eſt, præſertim ſi caueæ incluſa domi nutriatur. Non negauerim tamen in extrema fame glandibus veſci: inhiare verò planè non crediderim. Glandaria glandes inſigni, & notabili in poſterum prouidentia, cùm ſibi deficere videt [c] Ariſtotele, & [d] Theophraſto teſtibus, colligit, eoſq; vt multi tradunt, maturos tantùm, & in penuario abditos reſeruat. Qua in re prudentis patrisfamilias munere fungitur. Dicuntur item Picæ ſuum alueos quandoque cibi cauſa petere, & quoſuis acrodryos fructus, ſed hos ut guſtârint, ſubinde faſtidire, alioſq; in diuerſis arboribus quærere, quod meo iuditio utrique conuenire poteſt. Varia uerò præter fructus, carnibus quoque ueſcitur. Nam quod Albertus *Paſſerem à Pica deuoratum:* & [c] Cardanus *omne genus auium carnium inſtruì ad aucupium poſſe* dicit, *vnde & Picas etiam, quod Paſſeres edant:* id huic potius, quam Glandariæ attribuendum exiſtimem: quam ſcilicet teneris quoque Gallinarum pullis audio inſidiari, & cancros uenari: unde aliquando à Cancro, quem è fluuio abreptum in arborem uicinam portauerat, collo ſub illius forcipibus compreſſo miſerè interempta legitur.

Picæ variæ victus. Glandariæ prouidẽtia. [c] *Li.9.Hiſt. cap.13.* [d] *Lib.2. de cauſ. Plant. cap.23.* Paſſer à Pica deuoratus. [e] *Li.7.c.35. de varietat. rer.* Pica à cancro occiſa.

1

2

# NIDVS. GENERATIO.

Nidi fabrica.

PICAE, ſi Alberto, nonnulliſq; alijs credimus, in nidorum conſtructione ſingulari aſtu, & maximo artificio utuntur. Hos enim ſpinis foris obſidere tradunt, bina foramina in oppoſitis lateribus, pro ingreſſu ſcilicet unum, alterum pro exitu, & quod maiori admiratione dignum eſt, binos nidos frequenter extruere, ut qui pullis inſidiantur, dubios reddant, nunquid uel in hoc, uel in illo oua depoſuerint. Alij uerò ad nidi conſtructionem loca ſpinoſa eligere, nidum intus terra oblinere, foris in circuitu, infraq; ac ſupra horridiſſimis ſpinis diligentiſſimè ſæpire, atque unicum duntaxat foramen, idq; arctiſſimum pro introitu relinquere, oua uerò, ſi nidus ab hominibus ſedulò aſpectus fuerit, aliò transferre ſcribunt. Alij deniq; bina in nido etiam foramina eſſe uolunt, uerùm non exire per alterum, ut uoluit Albertus, ſed caudam per id tantummodo emittere. Ruſtici aucupesq; ſuper hac re à me inquiſiti, eiuſmodi fabricæ artificium Picæ caudatæ competere reſponderunt: & reuera quò magis ijs credam, facit Ariſtoteles, qui Picas (Glandarias enim uti dixi, tantùm agnouit) diſertiſſimis uerbis nullius artis facta mentione *in arboribus ex alo herba* (eſt autem ſymphytum pætræum [a] Dioſcoridis, & Cotonea dicitur Venetis teſte [b] Hermolao) *ſtirpitus euulſa nidum ſibi facere, eiq; interiora ex villo conſternere*, & alibi, *ex pilis, & lana* tantùm ſcripſit. Quod modo ad libidinem Picarum attinet, in eam equidem maximè procliues ſunt; unde Grammatici κιασᾶν interpretantur etiam cum uoluptate concipere. [c] Ariſtoteles oua circiter nouem numero parere, & [d] aliàs imperfectos, & cęcos pullos excludere, cumq; paruæ ſint corpore multos tamen progenerare prodidit. Quod etſi de Glandaria dixerit, caudatæ etiam competit.

3

4

[a] *L.4.c.10.* Libido. [b] *In Corola. ad Dioſ.* Κισσᾶν quid. [c] *L.9.Hiſt. cap.13.* [d] *Lib.4.Gener.c.6.*

5

# SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

PVLLI Picarum neſcio an ob latentem nos aliquam amicitiam, an uerò quia gnaræ ſibi aliquando par pari reddendum iri, parentes ſuos in ſenectute ut multi prodiderunt paſcunt, & quam illi in iuuentute, hi uiciſſim in ſenectute opem pręſtant: Vt ut eſt, id ſanè inſigne pietatis in parentes annis obſitos, & uiris Chriſtianis imitandum argumẽtum eſt.

Pica,

Pica, Cornix, Graculus teste [a] Aristotele pugnant cum Aquila. Hæc autem deuorat illas. Pica etiam, vt idem tradit [b] alibi ab Alucone, & Vlula infestatur.

[a] *Li.9.Hist. cap.1.*
[b] *Li.8.Hist. cap.3.*

## CORPORIS. AFFECTVS.

EPILEPTICO morbo Picas etiam laborare nonnulli referunt: Sed nunquid id vtrisq;, vel priuatim variè competat, ignoro. Cui, teste [a] Plinio, quotannis cùm seruntur rapæ, vt caluescat proprium est. Rapa autem, vt idem [b] alibi scriptum reliquit, duas habet sationes: vere scilicet primam ante calendas Martias, secundam mense Augusto. An modo bis quotannis caluescat Pica, vt Plinius docere videtur, an verò semel tantùm, & tunc num in vere, vel potiùs in Augusto, difficile iudicatu est. Ornithologus, quem hac in parte libenter sequor, semel tantùm, atque in Augusto caluescere existimat.

[a] *L.10.c.29*
[b] *L.18.c.13*
Rapa quãdo seritur.
Quoties caluescat.

## CAPIENDI RATIO.

CRESCENTIENSIS Picas retibus etiam capi scribit, alioquin eodem quo Graculi, & Cornices modo decipiuntur. Addit Crescentiensis cum Accipitribus quibusdam etiam capi, quos inde Picarios Budæus nominat.

[a] *Li.2.c.23.*
Accipiter Picarius

## COGNOMINATA.

NOMINIBVS antiquitùs etiam auium nomina imponebantur, vt apud [a] Aristophanem videre est, qui Cherephontem Vespertilionem, vel, vt alij vertunt, Noctuam, vt suo loco diximus, Syracusanum Picam nominat, quod in foro, vt Scholiastes annotat, frequentiùs versari soleret, ideoq; ab Eupolide ceu loquacem traduci. [b] M. Varro Minutij etiam cuiusdam meminit, qui pariter Pica diceretur, cuius verba quòd iucunda sint, & risum legentibus moueant, & ad rem appositа sint, adijcere placuit: *Imus*, inquit, *venimus in villam, ibi Appium Claudium augurem sedentem inuenimus in subsellijs, vt Consuli, si quid vsus poposcisset, esset præsto. Sedebat ad sinistram ei Cornelius Merula Consulari familia ortus, & Fircellius Pauo Reatinus: ad dextram Minutius Pica, & M. Petronius Passer. Ad quem cùm accessimus: Axius Appius subridens: recipis nos*, inquit, *in tuum ornithona, vbi sedes inter aues?* Fuit præterea Thraciæ quidam rex Hecubæ pater, nescio nunquid à Pica, an potiùs ab hedera, quæ κίσσος Græcis vocatur, Cissæus nuncupatus, quem Caracinus primus Macedonum rex in prælio vicit. Ab hoc Hecuba Cissæis [c] Virgilio nominatur, cùm ait: *Nec face tantùm Cissæis prægnans ignes enixa iugales.*

[a] *In Auib.* Syracusanus Pica dictus, & cur.
[b] *Lib. 3. de re rust. c.2.* Minutius Pica.
Hecubæ pater Cissæus dict⁹.
Hecuba Cissæis dicta.
[c] *Lib. Aeneid.7.*

## AVGVRIA. PRAESAGIA.

IN portentis quoq; sermonis significationem habuisse Picas Ezelini exemplo docemur. Cui in Feltrinos mouẽti obuiam facta, & in humeros eius delapsa populum, cui plurimum in loquendo studium erat, voluntati suæ sese commissurum portendit. Paulò enim pòst, antequam ad mœnia appropinquaret, legati ab vrbe occurrebant, omniaq; ad nutum eius pacata denunciabant. Sunt qui Picam eam militari signo Ezelini insedisse scribant, eamq; manu interceptam, & in augurij omen acceptam ipsum in expeditionibus suis seriò semper secum circumtulisse. Imbrem plus solitò stridens, certò portendere veteribus Pica credebatur, vnde etiam ab eisdem pluuiæ auis dici meruit.

Ezelini augurium.
Pluuiæ auis.

## HIEROGLYPHICA. MYSTICA.

HOMINEM qui semetipsum ex oraculi responso curaret, Prisci hominem significaturi, Picam teste Oro Apolline depingere solent, quæ lauri folium ore generet. Hæc enim cùm ægrè habet, tale folium in nido portat, atque ita conualescit.

Quemadmodum verò Psittacus eloquentiæ typus esse meruit, vt suo aliquando loco demonstrauimus, ita Pica garrulitatis, ac loquacitatis hieroglyphicum veteribus fuit. Etsi enim ad humana verba ei etiam docilitas sit, non tamen ita liquidè, nec ita concinnè, vt

Homo semetipsum ex oraculo curans.
Garrulitatis typus.

Pſittacus, loquitur, ſed quadam omnino raucitate ſermonem obfuſcat, & præfracto ſono ſyllabas enunciat: eſtq; memoria minimè tenaci, vt niſi quæ didicit, frequentiùs replicari audierit, facilè obliuiſcatur. Vnde etiam prouerbialiter rudis plebecula garrulos homines Picas cognominant. Quare D. Conſalis Ponce de Leon Hiſpalenſis, interpres & Scholiaſtes S. Epiphanij Picarum rectius, quàm Picorum naturam muliebri loquacitati comparaſſet hiſce duobus diſticis:

Garruli Picæ dicti.

Pica Bacchо ſacra, & cur.

*Antiquam ſyluis frondoſo ac robore quercum*
*Roſtro Picus auis paruula dilacerat.*
*Fœmina ſic, iuſtæ deſunt cui corpore vires*
*Mortiferum ſæuo virus ab ore iacit.*

Haud aliam etiam ob cauſam, quam ob garrulitatem Pica Baccho ſacra habebatur, vt Plutarchus teſtatur. Ebrij enim, & qui illius Dei cultores ſunt, dicacitate plurimùm valent, vt rectè [a] Horatius monet, ubi ſic inquirit?

[a] *Li. 1. Epiſt.*

*Fœcundi calices quem non fecere diſertum?*

Bacchus primus Imperator.

Alij uerò Picam Baccho dicatam uolunt, quòd in triumphis (ante eius tempora enim ex ſuperatis hoſtibus triumphaſſe quempiam necdum conſtat) maximus clamor eleuaretur, vel quòd in eiuſmodi triumphis, omnibus & triumphanti etiam ipſi ſua exprobrare uitia licitum foret.

Mendacij ſymbolũ. In ſimulatores dictũ pythagoræ.

Pica uerò varia mendacij, & ſimulationis hieroglyphicum eſt, quæ nempe parte anteriore candida amicum purum, & ſyncerum affatu primùm ſimulet; mox poſteriore nigra, uel decipiat, uel eludat. Huc pertinet antiquiſſimum illud ſapientiſſimi Pythagoræ dictum, ab hac aue detortum, τῶν μελανούρων μὴ γεύεσθαι, hoc eſt, *minimè guſtandum ex ijs, quibus eſt nigra cauda.* Innuit non admittendos in amicitiam homines ſimulatores, & diſſimulatores hypocritas. Quod verò ad mendacium facit, Tryphon Grammaticus ait, τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μελαίνεται, id eſt, *mendacium quippe in extrema parte nigreſcere.*

# PROVERBIA.

Picifer. [a] *In Orat. pro Cteſiph.*

ΚΙΤΤΟΦΟ'ΡΟΣ ſeu Picifer uulgare conuitium videtur in hominem infimum, & deſpicatiſſimæ ſortis. Siquidem [a] Demoſthenes Aeſchinem hoc nomine ab amiculis compellatum refert, & κιννόφορον, quòd Picas, & uannos capite baiularet, quibus in myſterijs Bacchanalibus utebantur. Pica enim, ut diximus, Baccho ſacra habebatur, & uannus in omnibus myſterijs adhibebatur; unde etiam dicebat Vergilius:

Pica, & vannus in myſterijs Bacchi.

*—— Et myſtica vannus Iacchi.*

[b] *In Hodæporis.*

Illud [b] Theocriti de Picæ loquacitate prouerbialiter ſcriptum eſt:

Οὐ θεμιτὸν λάκον ποτ' ἀνδόνα κίσσας ἐρισδεν,
Οὐδ' ἐποπας κυκνοισι. id eſt:
*Haud fas eſt Lacon, Philomelam vt prouocet vnquam*
*Pica, nec argutis Epopa obſtrepat improba Cycnis.*

Eiuſdem prorſus ſententiæ eſt, quod in eadem Eglogа legitur, nempe:

Σφὶξ βομβῶν τεττιγος ἐναντίον. id eſt:
*Scilicet obſtrepitans argutæ veſpa Cicadæ.*

Nam & hiſce verbis paſtor quidam paſtorem alium, à quo prouocatur, contemnit. Quadrabit vtrumq; in eos, qui cum longè imparibus certant, aut longè præſtantioribus negotium faceſſunt. Planè etiam cum hiſce dictis eſt illud [c] Galeni, Ἄκιττα τῶν σειρήνα μιμέμενα, id eſt, *Pica Sirenis æmula*, de inepto ſcilicet imitatore dictum. Videtur autem Doricum eſſe prouerbium. Quid enim conſoni habet obſtrepera Pica cum arguta Sirenum uoce?

[c] *Lib. 2. de diff. pulſ.*

Prouerbia Belgica.

Belgis priuatim vſitatum eſt dicere Den Aexſter en can zijn hippelen niet laeten, hoc eſt, Pica ſaltationum ſuarum obliuiſci nequit. Illa enim velit, nolit, ſemper ſalit: cui adagio illud Horatij ſimile eſt:

*Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.*

Item illud eiuſdem:

*Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem*
*Teſta diu.*

Ijdem Belgæ, ubi nihil temerè vulgò dictitari, quod non uel aliquid ſaltem ueri contineat, ſignificare volunt, dicere ſolent, Daer en is ſoo cleijnen Aexter nijet, of hij heeft en Vueinich bonts, hoc eſt, nulla adeo exigua Pica eſt, quæ non ex aliqua ſaltem ſui parte variet: quaſi dicerent, etſi quæ dicuntur omnino à vero aliena eſſe videantur, ueritatis tamen aliquid complectuntur.

Scaliger

Scaliger denique prouerbialiter Picam albam de re insolenti, raraq; & nunquam visa, nempe de iudice iusto, & incorrupto dixit: Pica alba rarius.

*Sed iudex bonus, est Pica nunc rarior alba.*

## MEDICA.

PICAE temperie sunt calidissima, quod vel ex eo constare puto, quòd in Venerem admodum procliues sint. Recentiores has aues coctas, & comesas spiritus visorios reparare tradunt, quod fortè à Plinio mutuauerint, qui alibi *pullorum Picæ esum visum augere* dixit. Quidam excoriari eas iubent, vt faciliùs concoquantur. A plumis repurgatæ, & exenteratę, si in vino albo ad consumptionem eius, & carnis ab ossibus separationem decoctæ simul cum iure terantur, soliq; ita per triduum exponantur, & cum carpia, seu subtili linteolo, cùm opus est, oculis applicentur, egregiè. Asperitatem eorum, obscuritatem, ruborem, & dolorem tollent, & spiritus temperabunt.[a] Gordonius Picam vnam, vel duas, vel plures integras in olla noua vitreata, luto diligenter obturata in fornace torreri iubet, adiecta cautione, ne adurantur, vt faciliùs in pollinem conuertantur. Pollinem hunc, vel in collyrium redactum, vel per se solum oculis immissum, visus imbecillitati egregiè conducere affirmat. Illud enim de Picis peculiare omnes scribunt, vt quomodocunque sumptæ, vel adhibitæ visui conferant. Ioannes Gœurotus, quem diximus puluerem ex aqua fęniculi caliginosis oculis instillari iubet, liquoremq; stillatitium è pullis Picarum chymico vase collectum, visum infirmum, & hebetem corroborare scribit, & acuere. Ryffius liquorem ita exceptum è Picis minutatim concisis, conferre ait oculis rubescentibus, & obscuris, leucomata eorum, vel pterygia, ignemq; sacrum, quem S. Antonij vocant, linteolis ex eo madentibus sæpe impositis restinguere. Rasis fel Picæ oculis immissum, qui per niuem ambulant, ab ea non offendi testatur, oua verò sicca trita oculis immissa, albuginem eorum curare. Nonnulli auem viuam in frusta dissectam laborantibus articulis imponunt. Sunt qui combustam in olla sigillata, quocunque modo datam ad nyctilopam, cardiacam, & melancholiam ex causa frigida, necnon, & cancrum in membro virili sanare velint. Kiranides cor Picæ cum radice cyssi, siue hederæ gestatum contractis mulieribus, & disuriæ mederi nobis author est, & multa alia adducit, quæ quòd superstitionis non sint expertia, lubens prætereo.

Tēperies. Carnis vs⁹. [a] *Cap. de vis. imbecill.* Picæ oculis quocūque modo sum ptæ oculis prosunt. Fellis vsus. Oua. Cor.

## VSVS IN CIBIS.

RASIS carnem Picarum, vt nimis calidam, & tanquam abominabilem à mensa reijcit, pullos tamen recenter nidis exemptos à pauperibus interdum edi testatur. Et Athenæus de opiparo Tothyis Thracum Regis conuiuio loquens, inter alias aues, Picas etiam nominat. Demetrius Constantinopolitanus Picarum carnem Accipitribus vtilissimam esse scribit. Quæ variæ dicuntur, in Italia quod sciam non eduntur: Glandariæ verò non Bononiæ tantùm, sed vbiuis etiam in foro veneunt; sed quoniã etiam duræ carnis sunt, à pauperibus duntaxat emũtur.

Tothyis regis conuiuium. Glandariarum vsus.

## FABVLÆ.

POETAE, nouem Pieridas Euppes filias, vnde Euippides uocantur, in Picas mutatas fuisse confingunt, quia cum Musis de cantus excellẽtia in arenam descendere ausę fuissent, indeq; Picis loquacitatem, humanæq; studium linguæ remansisse; unde Statius.

Pierides in Picas.

——*At Aonio versa certamine Picæ.*

[a] Ouidius hanc fabulam ita prosequitur. [a] *Lib. 5. Metam.*

*Pierus has genuit Pellæis diues in oris*
*Pæonis Euippe mater fuit.*

Item rursus:

*Ales erat, numeroq; nouem sua fata querentes*
*Institerant ramis imitantes omnia Picæ.*

Et rursus in fine.

*Rident Euipides, spernuntq; minantia verba:*
*Conataq; loqui, & magno clamore proteruas*
*Intentare manus, pennas exire per vngues*

*Aſpexêre ſuos, operiri & brachia plumis.*
*Alteraq; alterius rigido concreſcere roſtro*
*Ora videt: volucresq; nouas accedere ſyluis.*
*Plangere dumq; volunt, per brachia mota leuatæ*
*Aëre pendebant nemorum conuitia Picæ.*
*Nunc quoq; in alitibus facundia priſca remanſit,*
*Raucaq; garrulitas, ſtudiumq; immane loquendi.*

Hinc Dantes Poëta Hetruſcus Calliopem Muſam, vt verſus condenti meditantiq; faueat, & facilem ſcribendi canendiq; venam ſubpeditet, hiſce verſibus inuocat:

*Ma quì la morta Poeſia riſurga*
*O ſante Muſe, poi che voſtro ſono,*
*Et quì Calliope alquanto ſurga*
*Seguitando'l mio canto con quel ſuono*
*Di cui le Piche miſero ſentiro*
*Lo colpo tal, che deſperar perdono.*

Atq; iſtæc de Picis dicta in genere ſufficiant, nunc ad particulares earũ hiſtorias me conuerto.

# DE PICA VARIA, SEV CAVDATA. Cap. XII.

## SYNONIMA.

Κίττα. Pluuię auis. Ragazza.

HAEBRAICA illa nomina, quæ præcedenti capite, ceu alteri etiam cõmunia dedimus, huic potiſſimùm competere exiſtimamus. Κίττα, vel κίσσα Græcorũ ad hanc quoque potiùs, quàm ad aliam pertinet. Latinis Pica varia, ſeu Pica caudata dicitur. Nonnulli pluuiæ auem veteribus dictam, hanc eſſe credunt. Italis Gaza vocatur, & Gazzola: Bononiæ Ragazza, & Putta. Reliqua ſynonima antea poſuimus.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

[a] *L.10.c.42*

QVAMVIS Plinius ex binis, quæ recenſet, Picarum generibus primùm Glandariam nominet, ceu humano ſermoni addiſcendo aptiorem: nos tamen variam, quæ toto ferè corporis colore ab illa diſtinguitur, deſcribendam in manum aſſumpſimus.

## FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo. Roſtrum. Oculi. Color. Dorſum. Cauda.

MAGNITVDINE Monedulæ eſt compar; ſed ob caudæ longitudinem, quæ per ſe ſola dodrantem longa eſt, maior apparet. Ex primo intuitu inter omne auium genus facilè agnoſcitur. Roſtrum obtinet nigrum, craſſumq;, & cuius pars ſuperior inferiori paulò longior eſt, atque in acutum deſinit: Oculos nigros candido circulo obductos. Caput, dorſum, collum, pectus, alas, femora, caudam, pedes, eorumq; digitos, atq; vngues aterrima: Extremum tamen alarum albicat. Dorſum, & cauda elegantiſſimè ex maxima nigredine viridem, vt Cycnus purpureum, colorem emittunt ſplẽdidiſſimum. Tota verò ventris ſuperficies candida eſt. Quam ſolam albedinem vnà cum caudæ longitudine ſi demas, Cornicẽ diceres. Cauda, & corpus vniuerſum à principio roſtri ad vropygium uſque æquè longa, dodrantem nempe. Caudæ longitudinem nonnulli in capitis exiguitatem reijciunt, ut cui pro paruo capite caudam longam natura conceſſerit: quod tamen non eſt ueriſimile: fortè ad commodiorem uolatum illi data fuerit: cùm pro corporis portione alas admodum paruas habeat. Mediæ caudæ pennæ lateralibus longiores ſunt. Atque iſtæc de hac uolucri dicenda ſupererant, ad quam omnia ferè quæ in generali hiſtoria diximus, referenda ſunt.

Pica varia, seu caudata.

Pica Indica Mas.

Pica Indica Fœmina.

# DE PICA CAVDATA INDICA. Cap. XIII.

SPECIOSISSIMAM hanc auem inter nonnullas alias Iaponenſium rex ſummo Pontifici pro ſingulari munere ante aliquot annos tranſmiſit, vt ex Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. Cæſare Marchione Facchinetto Senatore ampliſſimo, qui eas Innocentio Nono Bononienſi Pontifici Opt. Max. patruo ſuo acceptas referebat, intellexi. Hanc inquam auem, etſi ratione colorum parum ſimilitudinis cum ſuperiori Pica obtineat, quia totius corporis habitu, & caudæ longitudine ad illam accedere videtur, Picam caudatam cognomento Indicam nuncuplare placuit. Auis eſt, non tam ob colorum diuerſitatem, quam ob inſignem caudæ longitudinem, aſpectu iucundiſſima. Quod ad magnitudinem attinet, ea quantum ex pictura conijcere licet, cum Pica noſtrate fermè eadem. Roſtrum, tibiæ pedesq; rubeſcebant. Caput totum, & collum, quod torquis albus ambiit, erant cærulea. A ſuperiore roſtri parte inter vtrumq; oculum macula tres ferè digitos longa, & pollicem lata punctulis, ſeu potiùs lineolis nigris tranſuerſalibus conſperſa ad dorſum vſque protenditur. Dorſum & ſcapulæ erant ferruginea. Vropygium luteum. Alarum pennæ veſtitrices caſtaneæ, ſed lineis nigris craſſiuſculis (quæ fortaſſis pennæ exiguæ fuerint) per longitudinem poſitis reſpergebantur: reliquæ veſtitrices pennæ erant virides, ſed in marginibus magis. Has denique cæruleæ excipiebant, calamis, & marginibus ad albedinem vergentibus. Remiges eiuſdem cum poſterioribus coloris erant, nempe cærulei. Pectus & venter ad anum vſque candidiſſima. Totus alarum internus color leucophæus ad cæruleum declinans. Cauda factâ ex pictura coniecturâ octo duntaxat pennis conſtabat, quæ omnes magnitudine differebant, & duæ duplo, & amplius cæteris maiores erant, & colore etiam à cæteris diſtinctæ. Erant enim totæ excepto calamo, & extremitatibus, quæ alba ſunt, cæruleæ. Reliquæ pennæ à principio ad medium, vſque cæruleæ, cætera candidæ, quarum medium macula inſignis cærulea quidem, ſed colore admodum intenſo, vt quaſi ad nigredinem accedere videatur, percurrit. Atque hæc meo iudicio maris deſcriptio fuerit; quam enim fœminam credebam, huic quidem per omnia ſimilis erat, ſed alba illa verticis macula alba lineis nigris carebat: & veſtitricum pennarum alarum ſecundus ordo, quæ in ea erant cæruleæ, in hac vireſcebant. Vtriusq; iconem habes præcedentibus paginis.

Magnitudo. Color. Caput. Dorſum. Alæ. Venter. Cauda. Fœminæ à mare diſtinctio.

# DE PICA GLANDARIA. Cap. XIIII.

## SYNONIMA.

HAEC Pica Plinio glandaria, Ariſtoteli tradente [a] Bellonio Μαλακοκραυης, ſeu Molliceps dicitur, quibuſdam verò Pica granata. Sunt qui ποικιλίδα vocent; verùm id nomen Picæ varię potiùs competit. Græci recentiores καρυκαξα appellant: Lycophron teſte Iacobo Delechampio λαληθρον κισσαν, Latini Garrum, ſeu Garrulum, quidam perperam Spermologum, Itali vulgò Ghiandara à glandium eſu: Alibi tamen Berta vocatur; Genuenſibus, & Chij incolis, qui ex Genuenſibus, & Græcis mixti ſunt, Bertina, quaſi cinerea, quod tota ferè auis colore tali conſtet: Hiſpanis Gayo, & in Aragonia Caio, Gallis Gay, Sabaudis Giaion, Germanis Haeher, Haetzel, vel Haetzler, Baumhaezle, circa Friburgũ Heluetiorum Herrenuogel, Sueuis Iaeck, nonnullis Margraff, & Marcolfus, & Holzſchieier, Gallis Brabantiæ cõterminis Girau, & Richau, Brabantinis Broeckexter, quaſi Pica paluſtris, quòd eiuſmodi loca amet, licet tamen in arboribus nidificet, Anglis Iay, Illirijs Soyka.

[a] *Lib. 6. de Anib. ca. 7.*

Molliceps. Pica granata. καρυκαξα Garrulus. Ghiandra. Bertina.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

HANC Auem ſecundum Picarum genus facimus, quòd oppida colentibus, vtpote quæ ſyluas agroſq; tantùm habitat, minus nota ſit. Differt à Varia cùm magnitudine, tùm verò maximè colore. Habet enim ad alarum latera tranſuerſales notas cæruleas, quales in nullo fermè alio volucrum genere conſpicias. Habet item tam amplum oris hiatum, vt glandes, atque caſtaneas integras Palumborum more deglutiat. Habet deniq; caudam duplo ferè quàm Varia breuiorem. His itaque notis ab illa diſtinguitur.

Vt à Varia differat.

Pica glandaria.

FORMA

## FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo Rostrum.

CARRVLVS Variâ paulò minor est, dodrantem & palmos duos à rostri principio ad caudæ extremitatem longus. Rostrum ei crassum, robustum, nigrum, binos propemodum digitos longum, cuius nares plumis albis, & nigris operiuntur, eiusq; extremitas aliquantulum recuruatur, atque in aciem quasi vt in altera etiam desinit. Lingua bifida est. Capitis vertex pennis modo albis, modo nigris constans ad instar cristæ riget. Color corporis varius est. Ceruix ex ruffo, & cæsio mixta est. Qui subsequitur color in dorso pallidior est, & ad cinereũ vergit. Pennæ prope vropygium candicant. Cauda longiuscula est, & duodecim pennis, ijq; nigris constat, quarum tamen quinque maculis albis transuersalibus insigniuntur. Alæ robustæ, & oblongæ, colore vario: Earum enim pennæ aliæ nigræ, aliæ ex nigro, & albo mixtæ, aliæ cæruleæ sunt, distincto tamen ordine. Variat verò color in pennis maioribus, potissimùm exteris; ex internis autem binę duntaxat, aut tres castaneæ sunt. Supina itidem Auis pars cinerei coloris est, remissioris tamen, & qui quò caudæ proximior, eò ad album magis vergat. Pedes, digitiq; subcinerei, vngues nigri, acuti, & quodammodo adunci.

Lingua. Caput. Color. Ceruix. Cauda. Alæ. Pedes.

## DE GARRVLO ARGENTORATENSI. Cap. XV.

## SYNONIMA.

Etymum. Roller. Pica marina. Mercolfus.

GARRVLVS quoque auis istæc, cuius modo iconem damus, iure merito appellatur, quòd Glandariæ more ad nauseam vsque garriat, Argentoratensis verò quòd circa eam vrbem, vbi etiam per onomatopœiam Roller dicitur, abundet. Bononienses Picam marinam vocant, apud quos Ornithologus eam sese sub Gazæ nomine, quod omnibus Picis commune est, obseruasse memorat. Vocatur in quibusdam Germaniæ locis Mercolfus.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

AVIS hæc, etsi forsan veteribus ignota, vel saltem non descripta sit, è Picarum proculdubiò genere est, & Glandariæ potissimùm congener: à qua tamen colore, dignoscitur, sicuti etiam mas à fœmina.

## FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo Rostrum.

MAGNITVDO cum Glandaria par est. Rostrum mari duos digitos longum, nigrum, crassiusculum, multò tamen quàm Glandariæ exilius, in extremo aliquantulum recuruum, quæ pars in pullis quodammodo albescit. Ornithologus rostrum nimis crassum, nimisq; curuum depinxit, & in collo, pectorisq; initio, & circum oculos quatuor velut annulos albos perperam addidit; nisi fortè diuersæ à nostra auis, vel fœminæ iconem expressérit, quod tamen haud facilè crediderim, quoniam alioqui satis exactè illam describat. Caput habet crassum colore ex cæruleo, & viridi mixto, maculis per longitudinem albis, quæ per totum pectus ventremq; deorsum feruntur. Pennæ verò prope rostrum sunt castaneæ. Oculi magni, rotundi, nigri. Supercilia rotunda ex cæruleo lutescunt. Dorsum castaneum, seu ferrugineum à secunda, vel tertia vertebra ad vropygium vsque. Alarum color præcipuè varius est, vt quarum superior pars, nempe plumæ illæ, quæ scapulas cooperiunt, cæruleæ sint ad violaceum tendentes, quæ subsequuntur maiores, virides, & ex viridi, & albo in extremitatibus dilutæ, demum remiges extrà in principio obscurè cærulea sunt, cætera verò nigræ; intus omnes vltimis exterioribus exceptis, quæ subtus nigricant, cæruleæ. Cauda, quam Ornithologus perperam ruffam ait, superna parte virescit, inferna partim violaceo, partim cæruleo permiscetur. Pedes lutei ad fuscum tendentes, vngues nigri, & adunci.

Caput. Oculi. Dorsum. Alæ. Cauda. Pedes.

PICAE

Picæ glandariæ ſpecies.

Pica marina.

Fœmina verò talis est. Caput totum, collum, atque pectus, uenterq; ex castaneo ad leucophæum vergunt. Oculi nigri sunt, iris lutea. Rostrum nigrum multò quàm in mare crassius. Dorsum totum castaneum. Alæ primùm, nempe prope scapulas cæruleæ, mox ex cæruleo virides: remiges nigræ. Cauda latiuscula ex viridi, & cæruleo ad fuscum inclinat. Tibiæ & pedes lutei, tabellę castaneę: vngues nigri, recurui. In summa toto cęlo à mari diuersa est.

Caput. Oculi. Rostrum. Dorsum. Alæ. Cauda. Pedes.

# DE PICA MARINA. Cap. XVI.

PVLCHERRIMAM hanc volucrem quoniam Gazam, seu Picam marinam uulgò appellari uideam, eius etiam hoc loco iconem exhibere placuit, maximè verò, ut Garrulus Argentoratensis nunquam in maritimis degens id nomen præter rationem sibi uendicasse demonstrarem. Tota auis si caput, ceruicem, pedes, & partem etiam alarum excipias, subuiridis apparet. Rostrum robustum, paulò quàm in Picis longius, admodum acutum. Capitis uertex ad tertiam ceruicis uerticem, usque coloris castanei diluti. Inferior capitis pars, ad tempora scilicet, & oculos lutea. Oculi nigri: Iris lutea, quam niger circulus ambit. Pedes subfusci, digiti longi, vngues insigniter adunci, & nigri: cętera, ut dixi, uiridis, præter secundi ordinis alarum pennas, quę ex castaneo dilutę sunt, & in extremitate ceruleę.

Rostrum. Vertex. Oculi. Pedes.

Iconem habes pagina subsequenti.

# DE PICA PERSICA. Cap. XVII.

HAEC uerò auis, quam nunc damus, Venetijs nobis olim transmissa sub Picæ Persianę nomine, ex solo contuitu è Picarum genere esse cognoscitur. Tota fermè subfusca est, capite nempe, collo, dorso, pectore, & uentre. Magnitudo, quantum ex pictura iudicare potuimus, ad Picas maximè accedit. Rostrum habet robustum, crassum, breuiusculum, albicans. Oculos item albos, pupillam nigram. Alarum pennæ secundi ordinis, uropygium, & priores in cauda luteæ sunt. Pedes subcęrulei: tabellę nigrę: ungues exigui, at recurui, & nigri.

Color. Magnitudo Rostrum. Oculi. Alæ. Pedes.

Iconem dabit pagina 795.

Hæc eſt Picæ Marinæ figura, nam quæ depicta eſt pag. 792. eſt Gattulus Argoratenſis Fœmina.



Pica Persica.

# DE GARRVLO BOHEMICO. Cap. XVIII.

HISTORIAM huiuſce Auis ante aliquot annos, cũ velut peſtilentię quoddam præſagium in Italiam maxima copia aduolaſſet, copiosè conſcripſi. Quam cùm ſeorſim in lucem aliquando edere conſtituiſſem, ſed nunquam mihi data eſſet ſatis commoda occaſio, itaq; non ab re me facturum arbitratus ſum, ſi huic nunc illam velut in compendium redactam, loco inſererem, licet tamen cum Picarum genere nihil præter nomen commune obtineat, ſecus, atque Ornithologus exiſtimat, qui tertium earum genus eam conſtituit. Pulcherrimæ ergò huius auis à tam varijs mihi viris, ijsq; doctiſſimis, atque ex totius fermè Italiæ partibus ſub varijs nomenclaturis miſſæ amphibologiam explicaturus, ſingulorum primùm de illa iudiciũ, ac opinionem adducam, deinde quid ego ſentiam breuiter adferam.

Garrulus Bohemicus nõ eſt è genere Picarum.

Ornithologi error.

Fabritij Paduani opinio de Garrulo Bohemico.

Fabritius Paduanus Foroliuienſis clariſſimus medicus, magni illius Elidei filius, qui inter alia naturæ dona, quibus muſęum noſtrum quampluriès locupletauit, hanc quoq; volucrem mihi tranſmiſit, Galeritam variam, & Microphœnicem propter criſtatum capitis verticem, & totius corporis colorum eximiam venuſtatem appellabat. Cæſar Odonus magni nominis pariter medicus, ſimpliciumq; nec non medicinæ practicæ in almo Bononienſium archigymnaſio publicus profeſſor Meropem Ariſtotelis eſſe ex pinnulis illis, quas in alis habet, iudicabat; Alij nouam auem Plinio dictam credebãt, de qua hunc in modum [a] ille ſcripſit. *Venêre in Italiam Bebriacenſibus bellis ciuilibus trans Padum, & nouæ aues (ita nunc vocantur) Turdorum ſpecie, paulò infra Columbas magnitudine, ſapore gratæ.* Alij rurſus, quoniam conſpectu inſolens eſſet, ac ex Germania ad nos tranſuolaſſet, Auem Hyrciniæ ſyluę nuncupabant, cuius item Plinius his verbis meminit: *In Hyrcinia Germaniæ tractu inuſitatæ genera Alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant.* Et Solinus, etſi à Plinio tamen vt ſolet, mutuatus videatur, non luxiſſe tantùm noctu ſcripſit, verùm homines etiam illius lõci (mirum dictu) nocturnos plerunque excurſus harum auium opera deſtinaſſe, & ad itineris dirigendi præſidium vſos fuiſſe. Meminit earundem Albertus, & à tali luce, Lucidias nuncupat. Alphonſus Panza Ferrarienſis Philoſophus, ac Medicus eximius, & naturalium rerum inſignis indagator, necnon & in celeberrimo Ferrariẽſium gymnaſio publicus profeſſor, in epiſtola ſua, quam ſuper hac aue mihi ſcripſit, Incendiariam Plinij eſſe exiſtimabat. A Saxoli (pagus eſt in agro Mutinenſi ſatis inſignis) incolis, vbi maxima erat copia, vulgò Beccofriſone dicebatur, quoniam quodammodo Coccothrauſto, quem Friſone vocant, ſimilis eſſet: alij Galletto del boſco, quaſi Gallulum ſylueſtrem, propter capitis criſtam: Noſtri aucupes vccello del mondo nouo, hoc eſt, auem ex nouo orbe indigitabant: Flandri, vt audio, Incinerariam, quam vocem pro Incendiaria corruptam crediderim, atque eò maximè, cùm & alij Incendiariam, vt dixi, vocarent. Ornithologus Garrulum Bohemicum appellat, verùm quo iure, non video, cùm Picarum more nequaquam garriat: Quare generica voce Bohemicam auem potius vocare debuiſſet. Iconem eius ab Argentoratenſi quodam pictore, qui nomẽ ignorabat, ſibi tranſmiſſam ſcribit, ſe verò pòſt ab alijs didiciſſe, hac ſpecie auem circa Norimbergam dici Behemle, id eſt, Bohemicam, fortè quia Bohemię peculiaris ſit. Germani quidam alij per onomatopœiam zinzirelle dicunt. Iſtęc itaque quæ adduxi, nomina à diuerſis impoſita, non vulgarem, qui de illis iudicet, philoſophũ requirunt, cui ubi nomina deſunt, noua fingere Ariſtoteles concedit. Quare cùm huic auinullum illorum conuenire uiderem, placuit ex potiori auis uictu Ampelidem appellare. Inter cæteros enim fructus, quibus ueſcitur, uuis potiſſimùm delectatur, quod Ampelidi ſuæ olim etiam Callimachus poëta tribuit, quæ, cùm nullam ille aliam, qua agnoſcatur, notam addat, cum noſtra fortè eadem ſtatui poſſit. Quod ſi uerò eã de re quiſpiam mecum cauilletur, & aliam auem Callimacho Ampelidem dici pertinaciùs contendat, non negauerit ſaltem Ampelidem poſſe uocari, non uerò quòd duntaxat ſolas uuas edat, ut quas autumno tantùm nanciſci poteſt, ſed quòd eas alijs fructibus præferat. Sic enim & Ficedula Latinis, & uulgò Beccafico dicitur, non quoniam ſemper ficubus ueſcatur, neque enim & illæ toto anno reperiuntur, ſed quia ex earum eſu plurimùm pingueſcat. Cui uerò Auium generi hanc auem congenerem facere debeam, nedum ſatis compertum habeo. Haud me latet tamen ex illarum genere eſſe, quæ fructibus uiuunt, carpophagæ dictæ, auemq; eſſe migratoriam. Nam ad uicinas Bohemiæ regiones, ut audio, quotannis euolat. Ornithologus pro tertio Picarum genere, ſed cum maximo errore eam nobis obtrudit, cũ tamen nec magnitudine (eſt enim multo minor) neque moribus, neque demum ratione uictus quicquam cum illis commune habeat. Adde

Galerita Varia Microphœnix.

Cæſaris Odoni opinio.

Merops Ariſt.

[a] *L. 10. c. 49*

Nouæ aues Plinij.

Auis Hyrcinię ſyluę.

Lucidiæ aues.

Alphonſi Panzę opinio.

Incendiaria Plinij.

Beccofriſone.

Galletto del boſco.

Incineraria Behemle.

Zinzirelle.

Ampelis.

Cur Ampelis dici poſſit.

Ficedula, & Beccafico, cur ſic dicta.

Cui auium generi aſcribenda Ampelis.

Ampelis migrat.

etiam,

etiam, quod Plinius, cęteriq; authores Picis linguam articulatim sermoni hominum efformandoidoneam, latam nempe tribuant, qualem in Bohemica aue nemo rectè dixerit. Neque Incendiaria [b] Plinij etiam fuerit, cuius de illa hęc uerba sunt: *Inauspicata est & Incendiaria auis, propter quam sæpe lustratam urbem in annalibus inuenimus, sicut L. Cassio, & C. Mario Coss. quo anno & Bubone viso lustrata est. Quæ sit auis ea, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur Incendiariam esse, quæcunq; apparuerit carbonem ferens ex aris, vel altaribus. Alij Spinturnicem eam vocant, sed quæ hæc ipsa esset inter aues, qui diceret se scire, non inueni.* Cùm itaque Plinius, nec sibi, nec alijs uisam talem auem asserat, non uideo, qua ratione istęc uolucris in Bohemia satis obuia, cum Incendiaria eius eadem statui queat. Insuper Incendiaria quibusdam dicta est, quòd in incendijs nasci crederent. Quis obsecro hoc de Ampelide nostra somniet? Quare meo iudicio Phœnix auis fabulosa, quę, ubi proli incumbit, seipsam exurere perhibetur, Incędiaria dici rectè possit, nisi ea uox quamcunq; uolucrem, quę carbones ex aris eripit, significet, ut ex Plinio paulò antè dictum est. Hallucinantur itidem, qui auem Hyrcinię syluę Plinio dictam putârunt. Pennę enim nostræ Ampelidis in tenebris ignium modo minimè collucent, quod de Hyrcinæ syluæ aue Plinium, & Solinum referre diximus. Quod si verò maculas illas alarum, & caudæ extremitatum luteas, egregium splendorem edere quispiam curiosus objiciat; is tamen noctu lucere minimè dixerit, vt proprio periculo domi meæ sæpius expertus fui, vbi tribus ferè mensibus viuam alui, & vel quauis noctis hora contemplatus sum. Ornithologus verò eiusmodi rerum etiam diligentissimus inuestigator Germanum quendam, cùm huius auis historiam conscriberet, sibi narrasse refert, in patriæ suæ Votlandiæ Bohemis vicinæ syluis, auem quandã vidisse Turdi minoris magnitudine, colore partim cæruleo, partim aureo, siue croceo, quam noctù lucere fama esset; se tamen neque lucentem vidisse, neque nomen nosse: quod si verum est, ea Hyrciniæ syluæ auis dici poterit. Præterea nostræ Ampelidi nulla ferè quoque cum noua aue Plinij similitudo est, quã scilicet ille Turdorum specie describit, quibus istęc omnino dissimilis est, & magnitudinem illius Columbis comparat; hæc vel quadruplo minor est. Nouam auem, siue externam suo loco Perdicem minorem esse probabimus. Neque etiam clarissimi Odoni opinio placet, Meropem Aristotelis existimantis, nam nullo pacto descriptioni respondet. Merops enim teste [c] Philosopho terræ cauernas subit, cunabulaq; facit, ibiq; ob corporis grauitatem altùm volare nequiens nidum construit. Ampelis contrà in arboribus continuò vitam ducit, tantum abest, vt cauernas subeat: neq; apibus, quod de Merope qui Apiaster inde dicitur, [d] Aristoteles prodidit, insidiatur, nec vermibus vescitur, sed fructibus tantùm. Merops pennas inferiores habet pallidas, superiores cęruleas, vt in Alcione, Ampelidi nihil in toto corpore cærulei est. Ille postremas pinnulas rubras habet, istæc nequaquam: pinnularum autem nomine πτέρυγια intelligo, siue paruas pennas, quamuis id nomen, quod obiter dictum sit, multa significet, excrescentiam nimirum carnis, quæ vngues operit, tùm in pedis, tum in manus pollicibus potissimùm eminens, sed in pedibus ex offensione, interdum in manibus ex paronichijs nascitur: & quamuis autem Ampelis in extremo, vt infrà dicam, alarum quasdam rubras appendices habeat, eæ tamen pinnularum nomine indignæ sunt, quoniam quædam excrescentiæ tantummodò sunt, quæ à calamo, seu pennæ cauliculo exoriuntur. Cæterùm vox etiam vtrique diuersa diuersas etiam aues constituit. Quare omnino concludendum videtur Ampelidem nostram nemini eorum cognitam fuisse.

[b] *L. 10. c. 13*

Spinturnix. Non esse Incendiariam.

Phœnix dici potest Incendiaria. Non esse auem Hyrcinię syluę.

Hyrciniæ syluæ Auis quæ dici possit.

[c] *6. Hist. c. 1* Meropem non esse.

[d] *9. Histor. cap. 40.*

πτέρυγια quid.

# FORMA. DESCRIPTIO.

QVM Merulis ferè ei par est magnitudo; maior verò Coccothrauste: Longitudo à rostro ad caudæ extremitatem dodrantalis: Latitudo expansis videlicet alis, quatuor palmorum. Vnde hallucinari Ornithologum constat, cùm corporis forma, ac coloribus ad Garrulum communem accedere scribat. Rostrum nigerrimum est, magnitudine domestici Passeris. Id nimis longum nimisq; recuruum Ornithologi icon exprimit. Nares pili eiusdem coloris circumambiunt, & velut maculam nigram quandam efformant transuersalem, in qua oculi supersius includuntur, rotundi, coloris pulcherrimi, cinnabarini nempe, & carbunculum Carchedonicum, quem granatam vulgò dicunt, mentientis, qui fortè noctù lucere credendi nonnullis ansam dederint. Caput quodammodo compressum, & nimis rotundum ab Ornithologo delineatum, coloris castanei, seu ferruginei, more Alaudę cristatę apice retrò vergente insignitum. Color apicis rostrum versus subcastaneus dilutus, retrò verò subcinereus ad fuscum inclinans,

Magnitudo. Longitudo. Latitudo.

Rostrum.

Nares. Oculi.

Caput.

## GARRVLVS BOHEMICVS.

clinans, umbrię terę haud diſſimilis.

Collum. Collum breuiuſculum in antica, & poſtica parte nigrum, ad latera ruſſum, prope roſtrũ candidum.

Pectus. Pectus caſtaneum, ſeu ferrugineum, ſed dilutum, & ad roſeũ uergens.

Venter. Vẽter ſub cinereus totus, niſi prope podicẽ, ubi pennę quædam albicant, quarum radices tamen, hoc eſt, à medio ad carnem uſque, etiam nigræ ſunt, & ſuperiori parte molliores.

Dorſum. Dorſum ſubcaſtaneum eſt, ſed prope vropygium leucophæum.

Alæ. Exteriores Alarũ pennæ nigræ ſunt; interiores ſubcinereę ad nigredinem tamen declinantes. Inſigniuntur uerò exteriores maculis ſpectatu iucundiſſimis, quarum aliæ nempe primę albę ſunt, ſeptem numero, quarum appendices cinnabari inſtar rubeſcunt. Pennas has corneas eſſe haud uerè neſcio quis Ornithologo retulit: Sunt tamen ſolidæ, & duriuſculæ, longæ, atque quodammodo cartilagineę. Has aliæ pennæ ſubſequuntur maculis pariter, ſed luteis perornatæ figura ſua literam L, quodammodo exprimẽtes, quæ ſic diſpoſitæ ſunt, vt in quibuſdam ſeptem, in quibuſdam ſex, in alijs quinq; tantummodo appareant. Rurſus quæ ultimę ſunt, maculas albas habent, quę quò magis ad exteriora ſitę ſunt, eò minus conſpicuę euadunt, adeo ut poſtremarum quandoq; tres, quandoq; duæ, & quandoq; una duntaxat ita maculatæ ſint. Veſtitrices albis etiam maculis in extremitatibus inſigniuntur. Illud uerò in luteis maculis annotandum eſt, quòd in fęmellis albeſcant, & è regione earum alias maculas albas reperire ſit.

Cauda. Caudam maris decem, fęmellę duodecim pennis conſtare αὐτοψία didici, quę in radice leucopheę ſunt, ſeu coloris murini, id eſt, muris domeſtici minoris, ſuperius uerò nigricant, tota caudę extremitas lutea eſt, magis tamen in mare quàm in fęmella reſplendens.

Crura. Prope podicem alię quędam plumulę coloris caſtanei, aliam quodammodo, ſed longè minorem caudam afformant.

Pedes. Crurum color fuſcus eſt ad cęruleum inclinans.

Vngues. Pedum forma, & magnitudo Coccothrauſto reſpondent, colore tamen differunt, qui in Ampelide niger, in illo vero carneus, ſiue roſeus eſt. Vngues habet nigros etiam, & ſatis recuruos.

ANATO-

# ANATOME.

EXTERIORES pulcherrimæ huiusce auis partes delineasse, & quàm potui exactè descripsisse nedum contentus, internas etiam rimari placuit; quas sanè non paucas cum reliquo auium genere dissimiles habere eam ex instituta anotome contemplatus, earum notione lectores minimè priuare volui. Secuerunt hanc auem clarissimi viri, Constantius Varola, & Flamminius Rota, ambo in celeberrimo nostro gymnasio Anatomiæ professores publici, & viri celeberrimi, mihiq; amicissimi.

Intestina duos dodrantes in tam exiguo corpusculo longa erant, & vbi aperta essent, notabilis latitudinis, quæq; sine reuolutionibus, & anfractibus vllis natura proculdubiò ad celeriorem fæcum excretionem fabricauit; cùm exiguo admodum tempore, imo verò post pauca momenta auis ingestum cibum digerat, alteret, atque vnà cum baccarum ossibus, alijsq; fructuum nucleis, quos in nutrimentum conuertere nequit, exucto videlicet duntaxat eorum succo, reijciat. Excrementa etiam pro diuersi coloris cibarijs variabant. Ventriculus in medio hepatis velut reconditus exiguus, carnosus, & duro admodum callo obductus, intus tunicam quandam, vuæ in oculis quoad colorem non dissimilem, alioquin satis membranosam quinimo durissimam, & quasi cartilagineam, & ad vtrumq; orificium perforatam obtinebat. Substantia verò huius membranæ adeò à ventriculi substantia erat diuersa, vt absque vlla sectionis opera à tota ventriculi cauitate diuelleretur. Externa contra eius tunica neruosa erat, crassa, & vtrimq; callosa fibris quibusdam crassis, & oblongis, quales in humani cordis ventriculis conspiciuntur, in intima parte instructa. Gulam habebat insigniter latam, & quæ prope ventriculum maiorem adhuc latitudinem acquirebat, qualis scilicet acinos vuarum, aliosq; fructus integros recepturam decebat. Erat autem à faucibus ad mediam ceruicis regionem, vsque digitum lata, dein arctabatur vsque ad primum thoracis ingressum, vbi rursum dilatata rotundi quid velut pilulam quandam effingit: pòst iterum constringitur, tandemq; latior, & carnosior facta ad ventriculum vsque ita progreditur. Pulmones qui in omni ferè auium genere ad medias vsque costas protenduntur, in hac aue colli, & dorsi vertebris, & nisi costarum superiorum principijs adhærent. Iecur pro Auis magnitudine maximum erat, quale helluones, ac voraces obtinere in vulturis historia diximus, nam & Ampelis insigniter vorax est. Erat autem in duas partes æquè diuisum, quarum maior in dextrum, minor in sinistrum inclinabat. Vesicula fellis cum Iecore, & ventriculo coniungebatur. Lien exiguus quidem, sed oblongiusculus linguæ humanæ figura superius os ventriculi ex dimidia parte veluti amplectitur. Pericardium erat duplicatum, & veluti pinguedini immersum. Raram Arteria aspera formam obtinebat, vt quæ in principio latior & oualis, dein angustior, mox iterum latior appareret. Linguæ substantia admodum dura, & ossea erat, & in extremo, vbi velut alas quasdam habere, & sagittam præ se ferre videtur, bifida, ac quasi in duas aciculas diuisa. Os hyoidis, quod reliquis animantibus pro linguæ implantatione datum est, in hac aue ab osse occipitis ad latera foraminis, per quod spinalis medulla à capite ad dorsum transmittitur, originem suam deducere vidimus, & vbi ad radicem linguæ coniungitur, acutissimum angulum efformare, secus atque in homine, vbi non tantùm per angulum obtusum, sed per lineam transuersalem etiam annectitur. Huius verò ossis medio caput asperæ arteriæ inseritur. Os sterni valdè acutum, & altum erat, quod sagacissima rerum natura ad celeriorem volatum ei elargita videri potest. Velocissimè enim volat. Musculos quibus alæ ad pectus protrahuntur, insignes habebat, & admodum robustos. Horum præcipuus à toto osse iuguli, & sterni exoritur, & in supremam humeri partem tendine quodam partim carnoso, partim neruoso, eodemq; longo, ac robustissimo inseritur. Oculi intus adeo magni erant, vt cerebri ipsius magnitudinem superare viderentur. Nerui optici satis euidentes, eos ab ipso cerebello oriri obseruauimus secus ac in cæteris animantibus fieri assolet. Superiores cerebri ventriculi ad mediam capitis regionem collocabantur. Cerebrum verò oblonga, & varia ea figura, qualis in hominibus conspicitur, carebat, & sphæricam potiùs referre videbatur. Atq; hæc sunt, quæ in hacce Aue memoratu digna obseruauimus, nunc ad reliqua properamus.

Intestina. excremẽta. Vẽtriculus. Gula. Pulmones. Iecur. Fel. Lien. pericardiũ. Tracheia arteria. Lingua. Os hyoidis. Os Sterni. Alarũ musculi. Oculi. Nerui optici. Ventriculi cerebri.

LOCVS.

# LOCVS.

AMPELIS noſtra Bohemiæ peculiaris eſt, quamuis alioqui viciniora etiam loca petat. Cùm verò in Italia erat, in Placentino & Mutinenſi agro maximè abundabat, adeo vt triginta, & quadraginta quoque ſimul ſæpe caperentur. Ferrariæ contrà nec viſa quidem fuit, nedum capta, vtpote quæ breui ibi futurum præſentiret terræmotum, quo arbores cæteræq; plantæ, quarum fructibus illi erat viuendum, concutiuntur, atque extirpantur: quare etiam reliquæ volucres loca illa deſeruerant. Vnde Anaximenem Philoſophum olim terræmotum ex auium receſſu prædixiſſe legimus: & non illas duntaxat, ſed cætera etiam animantia aëris mutationem ex naturali inſtinctu præcognoſcere palam videmus.

Ampelis cur Ferrariæ nõ viſa.

Anaximenes terræmotum prędicit.

# VOLATVS.

GREGATIM, & centum ſimul quandoque in agro noſtro Ampelides volare viſæ ſunt. Volant autem perniciſſimè, ſternum atque alas ad id perquam apta à natura obtinentes.

Ampelidis reciprocus amor.

# MORES. VOX.

AVES gregariæ ſunt, ac benignæ, mutuoq; ſeſe amore proſequuntur, cibum ſibi inuicem offerentes, mas nempe fæmellæ, fæmella mari, imo verò & mas mari, & fæmella fæmellæ. Facilè cicurantur, adeoq; domeſticæ euadunt, vt fugantium, ac inſidiantium hominum minas, easq; ex globulis etiam quandoq; non pertimeſcerent, tantum abeſt, ut puerorum manibus contractari ſeſe non permitterent. Vox earum, quantum obſeruare licuit erat ziziri, unde fortè zinzirelle quibuſdam dictæ fuerint.

Vox. Ziziri. Zinzirelle.

# VICTVS.

AMPELIS noſtra fructibus ueſcitur, uuis in primis maximè inhians, quare non ab re eo nomine mihi dicta videri poteſt. Poſt uuas, baccas liguſtri cæteris fructibus præfert. Cynorhodi, Iuniperi, lauriq; baccas, & pineæ nucleos auidè etiam deuorabat. Contrà baccas hederæ niſi famelica, non attingebat. Veſcitur deniq;, & uuis paſſis, pomis, & amygdalis. Panem uerò caueæ incluſam, ut gratum cibum comediſſe obſeruaui, & carnem crudam reſpuere, ſed in magna fame tamen attingere. Frumentum tanquam non graniuora oblatum non deguſtabat quidem, ficubus uerò maximè gaudebat. Ex oblato caſeo mortem illi illatam quidam mihi retulerunt, in ſumma fructibus inhiabat, ijſq; potiſſimùm qui copioſo intus ſucco ſcaterent. Quare cùm ex cibo, tùm ex potu, quem octies deciesq; unico fermè momento repetebat, auem calidiſſimam eſſe quiſpiam non ineptè iudicet.

Etymum.

# VSVS IN CIBO.

CARO Ampelidis ſapore erat gratiſſimo, ut quam aſſam Turdis multi prę ferrent, quam uis dicat ille: *Nil melius turdo* &c.

# PRÆSAGIA.

AVLGVS Ampelidem habebat pro mali ominis aue, & peſtem, ubi turmatim apparebat, prænunciare credebatur. Quo enim anno in Italiam ex Bohemia migrauerat, anno nempe ſalutis noſtræ 1571. Menſe Decembri Ferrariæ inſignis terræmotus factus eſt, & fluuij inundarunt: vnde de futura hominibus peſtilentia timor inceſſit: quoniam terræmotum, & diluuia peſtis aliquoties ſubſecuta legeretur. Eodem anno paulò ante eandem inundationem eadem auis Belgis non minus quàm nobis admirationi fuit. Et Ornithologus anno poſt partum

Terræmotꝰ quãdo Ferrariæ factꝰ.

partum salutiferum 1552. in superiori Germania inter Moguntiam, & Bingam iuxta Rhenum maximis examinibus apparuisse refert in tanta copia, ut qua transuolarent, ex umbra earum ueluti nox induceretur, idq; incolas pro prodigio annotasse, & excusa icone absque nomine tanquam auium incognitarum, à typographis publicatum fuisse. Verumtamen, ut ingenuè dicam, quod super hac re sentiam, non uideo qua ratione ex earum migratione in Italiam pestilentia præsagiri potuerit, cùm & eo tempore, quo inuictissimus Carolus Quintus Bononiæ coronabatur, sine ulla superueniente peste non minus copiosè apparuerint. Neque etiam rationi est consentaneum, aues ad loca, in quibus futura pestis est, aduolare; imo uerò contrà fugituras illa potiùs crediderim. Aues enim, si quod aliud animal, facillimè peste afficiuntur. Vnde quodam naturæ ductu tali tempore saluti suæ consulentes, nidos suos, oua, ac cariſſima etiam sua pignora, pullos inquam deferunt, & ad alienas regiones sese recipiunt. Quare populi omnes, ad quos peculiaris alicuius regionis auis, ut Bohemiæ hæc est, cum magno agmine aduolat, laudabilem aëris sui temperiem potiùs, quàm contagium præsagire debent. Quod uerò aues, ac iumenta prius quàm homines peste afficiantur, præter Philosophos[a] Ouidius etiam locupletissimus testis est, dicens:

Ampelidē pestem non præsagijsse.

Aues peste corripiuntur.

[a] *Metam. 7.*

*Lætiferis calidi spirarunt æstibus Austri,*
*Constat & in fontes vitium venisse lacusq;,*
*Milliag; inculios serpentum multa per agros*
*Errasse, atque suis fluuios temerasse venenis,*
*Strage canum primò, volucrumq; Auiumq;, boumq;*
*Inq; feris subiti deprensa potentia morbi est.*

# DE PICA BRESSILICA. Cap. XIX.

## SYNONIMA.

PICAM Bressilicam appellant Auem, cuius modo iconem exhibebimus, cũ quòd Picę uariæ, si rostrum demas, quodammodo similis sit, tùm quòd in Bressilia reperiatur. Ramphastos, & Hipporynchos, seu Burynchos dici possit à rostri magnitudine, à qua pariter Pelicanum kiranides etiam Ramphonem uocauit. Latinis Auis piperiuora à piperis esu appellatur, & Germanis uerbo ad uerbum reddito Pfeffer uoghel, & Pfefferfracsz: Roberto Constantino, qui perperam ruberrimum colorem illi tribuit, Pica barbara: Italis Gaza di Bressilia, Incolis Americę Toucham, ut refert Andreas Theuettus, qui eam peragrauit, & literis mandauit.

Ramphastos.

Auis Piperiuora.

Pica Barbara.

Toucham.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

AVIS istęc ex fissipedum genere est, etsi de eo dubitauerit[a] Bellonius. Tota eius forma ad Picam uariam quàm ad quamuis aliam auem reducendam indicat. Eisdem enim ferme corporis partibus colorem uariat.

[a] *L. 3. c. vlt.*

## FORMA. DESCRIPTIO.

MAGNITVDO Picæ Bressilicæ inter Picam, & Merulã media. Tanto enim Pica minor, quanto Merula maior. Rostrum reliquo corpore crassius, & longius ferè esse Theuetus refert. Ego non tantùm totius auis picturam ad uiuum expressam, sed ipsummet rostrum quoque in musęo meo appensum reseruo, quod olim magnificus D. Nicolaus Espiletus Insulanus optimæ spei, multęq; lectionis iuuenis, & discipulus meus charissimus dono mihi è Belgio transmisit. Quod sane duos palmos longum est, unum fermè latum, ab inferioris partis initio ad superioris extremitatem dimensum. Inferior pars, ubi crassior est, uidelicet prope oculos, duplo minor est superiori, & prope finem, ubi scilicet recuruum est, etiam triplo. Substantia est tenuissima ad instar membranæ, sed ossea, splendida, leuissima, caua, atque aëris intus capacissima, ideoq; naribus præter reliquarum Auium morem, carere crediderim. Siquidem tenuitatem eius aër facilè penetrare potest. Nam si quid aperti in eo natura molita fuisset, id extrinsecę fracturę rostrum obnoxium reddere potuisset. Vnde fortassis etiam uelut quibusdam dentibus instructum esse uoluit; quos ita disposuit, ut rostrum omnino claudi nequeat, aerisq; ingressum facilè admittat. Est autem serratum, & uelut è squammulis quibusdam compactum, quę unguibus

Magnitudo Rostrum.

nullo

nullo negotio diuelluntur. Color roſtri flaueſcit, ſed in infima magis, quàm in ſupina parte. Caput pro corpore maiuſculum, ac craſſiuſculum, quale nempe tantę longitudinis, & craſſitię roſtrum ſuſtenturum decebat, atrum, uertex tamen, dorſum totum, ac alę neſcio quid albidi demonſtrant. Oculi maiuſculi in medio capite collocati. Iris nigerrima, quam albus circulus, & hunc dein luteus circumambit. Collum, dorſum, atque alę nigra. Pectus aureo, ſeu croceo colore ſplendidiſſimo pulcherrimoq; cum quadam rubedine prope initium micat, uẽter uerò, & femora cinnabarino, ſeu miniaceo uenuſtiſſimo. Cauda rurſus nigra eſt, ſed in extremitate inſigniter rubeſcit. Crura, tibię, pedes etiam nigra, ungues ualidi, ac recurui. Eandem auem, ni fallor, Ioannes Boterus Benenſis deſcribere uidetur, Tocam Italico ſermone, quo relationes ſuas conſcripſit, appellans, ſed de magnitudine eius, ac colore malè ſentit. Quã ſecundo loco damus, depinximus ex Theueto, & Pareo: uidetur autem planè diuerſa.

Color roſtri. Caput. Color. Oculi. Pectus. Venter. Cauda. Crura.

# VICTVS.

THEVETVS ex eorum relatu, qui Breſſiliam peragrarunt, hanc auem pipere ueſci tradit, eoq; auidiſſimè ſeſe ingurgitare, ſed mox inconcoctum, & crudum adhuc reijcere, eiusq; piperis apud incolas prȩcipuum uſum eſſe, utpote quod recenti prȩferant, quoniam uim piperis ab Aue perdomari, atque ita poſt minus noxium fore ſibi perſuadeant. Referunt, & pleraq; inquit, alia, quę nunquid uera ſint, haud facilè affirmauerim. Hęc itaque Theuetus.

DE

# DE RHINOCEROTE AVE. Cap. XX.

ITSI de forma auis, cuius rostri iconem modo exhibeo, certi nihil habeam, placuit tamen Ramphasto subiungere, cùm quia eius magnitudo, & figura uisu, atque auditu etiam insolens sit, tùm uerò maximè quòd alium locum non haberem, cui id insererem. Nam reuera alioqui nulla huic auí cum Picis similitudo est. Eam autem uoco Rhinocerotem, quòd ad instar quadrupedis eiusdem nominis cornu in fronte ferre uideatur. Mirum id legentibus uidebitur ac insolens, & [a] Claudianus *Profert iam cornua Vultur*, tanquam de re parum verisimili dicebat. Attamen Hesychius, & Varinus in Aethiopia quadrupedem, & Auem reperiri dicunt, quę Rhinocerotes appellentur. Verùm nunquid de hac intellexerint, non affirmauerim, neque tamen etiam negauerim. [b] Plinius etiam auem quandam Tragopanadam dici asserit, quæ cornibus in têporibus insigniatur, ferruginei coloris, & Aquila maior sit, capitè tantùm phęniceo. Et Solinus Aethiopicam quandam auem capite arietinis cornibus armato Tragopam dici etiam author est. Pomponius Mela eiusmodi aues, quæ cornibus insigniuntur Tragopamenes appellabat. Hieronymus Cardanus Ludouici Romani authoritate ex Indicæ cuiusdam rapacis auis Aquila longè maioris, nigræ, purpureæq; intereursantibus pennis candidis, rostro (fuluo cæruleoq; seu phœniceo colore adeò pulchrè distincto, vt nil iucundius spectari possit) ob pulchritudinem magnitudinemq; capulos fieri tradit, vnde certè admodum durum esse iudicandum est. Hanc auem volucrum maximam esse existimat, & [c] Iulius Scaliger colorem ab illo omissum addit, ex luteo nempe, & rubro splendidum. Num verò de hac, cuius rostrum hîc depictum propono, authores isti locuti fuerint, mihi minimè constat, cùm ex solius capitis pictura, quæ bis mihi, Venetijs primùm à Passarotto Passarotti nobilis illius pictoris nostræ Vrbis filio, secundùm Patauio à Ioacchimo Iuuenio Lipsiensi summæ spei iuuene, incomparabilisq; circa simplicium medicamentorum indagationem doctrinæ, ac diligentiæ, quem nobis in Cretam proficiscentem immatura mors eripuit, missa fuit, de corporis forma iudicare non potuerim. Visam hanc Auem in aëre referunt, ac in ipso volatu, cùm Turcas Christiani celeberrima illa nauali acie superabant, occisam. Caput, si relationibus uirorum illorum aliorumq; fide dignissimorum standum est, notandæ erat, ac insolentis magnitudinis, duorum scilicet propemodum dodrantum, cirrhis ornatum nigris, altis, deorsum spectantibus. Rostrum quatuor propemodum dodrantes longum, recuruum, non tamen rapacium more, sed instar arcus cuiuspiam. Inferior pars tota ex luteo albicat; supina uersus caput colore miniaceo, reliquum ex luteo, vt in inferiori parte albescit. Supina pars intus tantùm ueluti serrata est sicut in Pica Bresilica. Cornu è fronte enascitur, & supinæ rostri parti adhæret, magnæ equidem molis, ut quod prope frontem palmum vnum latum sit, Rhinocerotis cornu non dissimile, sed in fine recuruum. Color supera, & infera parte miniaceus, in media luteus. Quod si verò capitis machinæ, reliquæ corporis partes respondeant, ego quoque vnà cum Cardano, & Plinio Aquila maiorem iudicauerim. Neque forsan obstiterit quod Tragopanadæ suæ cornua in plurali Plinius tribuat, cùm ego vnico tantùm armari scripserim, vnde diuersas esse omnino aliqui statuant. Nam & nostrę auis cornu linea quędam nigra quasi in bina cornua diuidere uidetur. Verùm alij, qui auem aliquando nacturi sunt, exactius omnia tradere poterunt, & de coniectura nostra verè iudicare.

Nominis ratio.

[a] *L. 1. in Eutrop.*

[b] *L. 10. c. 49* Tragopanada.

Tragopa.

Tragopamenes.

[c] *Exerc. 231 3.*

Caput.

Rostrum.

Magnitudo.

RHINOCEROTIS AVIS ROSTRVM.

# DE MANVCODIATIS IN GENERE. Cap. XXI.

MANVCODIATAE etsi aues Picis multò minores si corpus cõsideremus, hîc tamen locum potiùs, quã in alia operis parte sibi uendicare mihi uisæ sunt, non quòd cum Picis quippiam commune habeant, sed quoniã data occasione à Pica Bressilica, in exoticas, inter quas hæ profectò longè pulcherrimæ sunt, incidimus, tum uerò maximè quòd de illis etiam nobis loquẽdum erat, quibus satis insigne rostrum natura ad uictum sibi comparandum largita fuit, quo sanè non mediocri pro corporis portione Manucodiatæ sunt præditæ.

## ÆQVIVOCA.

DVPLICI ratione Manucodiatæ, aues paradisi, seu paradiseæ nuncupantur, primùm quoniam in paradiso terrestri degere uulgò credantur, & rore uiuere; secundum propter eximiam corporis uenustatem, cuius gratia aliæ etiam paradiseæ dici meruerunt, quod lectorem latere nolui, ne simul omnes confundat. Ispidam Itali in primis, necnon & Vpupam quandoque aues paradisi dicunt, & in Aegypto aues quasdam fuscas, & subrutilas, Monedulis minores paradiseas vocari audio. Insuper anonimos quidam, qui Italico sermone obseruationes suas conscripsit, cùm Physonem fluuium nauigaret, volucrum quoddam genus sibi obseruatũ memorat, quas itẽ obmiram corporis speciẽ, & plurimam diuersitatem colorum, paradisi aues incolæ vocarent.

Ispida paradisi aues dicta. Vpupa.

## SYNONIMA

MENVSTISSIMAE itaq; istę volucres Manucodiatę, hoc est, aues Dei Molucharum insularum incolis appellantur, & in summa ueneratione habentur. Aues verò paradisi, seu paradiseas nuncupant, cùm vt dictum est, ob corporis speciem, tùm quòd vbi locorum nascantur, vnde veniant, quò sese recipiant, ignoretur; siquidẽ exanimes duntaxat in terra reperiuntur, vt vulgus existimat. Alij Apodes Indicas vocant, vt ab Apode [a] Aristotelis, cui quidem pedes sunt, sed nullius propemodum vsus, distinguant. [b] Bellonius Plutarchi Rhyntacẽ, & fabulosum antiquorum Phęnicem, necnon & Cinnamomũ, seu Cinnamulgon cum Manucodiata easdem aues arbitratus, pro quatuor diuersis vnam, eamq; fabulosam, nempe Phęnicem nobis obtrudere conatus est.

Etymum.

Apos Indica.

[a] 1. *Hist. c.* 1.

[b] *L. 6. de Auib. cap.* 35.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

QVI auium generi Manucodiatæ ascribendæ essent cùm hactenus ignorarem, atq; eò maximè cùm solæ inter omnes pedibus careant, (quamuis [a] Aristoteles nullam auem absque pedibus dari asserat) non leuibus tamen, vt opinor, argumentis paulò antè adductis motus, tandem hoc loco mihi de illis agẽdum fore determinaui. Quinq; autem hactenus illarum species obseruaui, quæ omnes, quoad corpus, vix Hirundine maiores erant, imo verò quo ad caput haud omnino dissimiles. Sed fortè, & aliæ fuerint: Siquidem [b] Scaliger à Cardano, cui, vt opinor, tales, quales mihi visæ fuerant, iuuenculas conspectas fuisse ex eorum fide tradit, qui in Indiam nauigârunt: quippe qui in Iaua Manucodiatas Columbarum magnitudine obseruasse sese scribant; quibus equidem fidem nullo pacto adhiberem, nisi & ille aliam Pica maxima non minorem non vidisse proprijs duntaxat oculis, verùm etiam à triremis quodam præfecto suorum studiorum studioso sibi transmissam testaretur. Parum iustè tamen in Cardanum inuectum ipsum credideri m; aliamq; Cardano, aliam nauigatoribus, aliam deniq; ipsi Scaligero visam iudicauerim. Cæterùm quinque illæ à me obseruatæ, quarum pòst seperatim descriptionem, & icones exhibiturus sum, colore, & rostri magnitudine potissimùm inter se differunt.

[a] 1. *Hist. Anima. cap.* 1.

[b] *Exer.* 228. 2.

Manucodiatæ maximæ.

## FORMA. DESCRIPTIO.

MANVCODIATIS omnibus certam magnitudinem assignari non posse, satis ex ijs, quæ iam dicta sunt, constare arbitror. Omnibus tamen illud peculiare est, vt pedibus careant, & veluti fila quædam, vel si mauis appellare neruos, in cauda ob-

Magnitudo

Fila.

da obtineant. Caput etiam non rotundum, sed pressum, quale Hirundinis, nucis iuglandis fermè magnitudine. Rostrum verò non omnibus æquè magnum, neque eiusdem etiam coloris. Alæ, & cauda expensæ fermè, Accipitrinis, Miluinisque magnitudine respondent: Cardanus æquare propemodum Aquilæ scribit, [a] quo solo argumento Scaliger ductus Aquilam nobilioris generis nullam illi cognitam fuisse asseuerat. Verùm haud ea meo iudicio Cardani intentio, & mens fuit, vt Aquilinis alis illas æquè magnas dicere vellet, sed vt in tam exigua auicula earum magnitudinem lectoribus admirabiliorem proponeret. Porrò pennarum crassities omnibus talis est, qualem pro paruitate corporis conuenire ratio docet, tenuissimæ nempe, & præter tenuitatem pennis Pauonum fœminarum ex toto persimiles; masculis Pauonibus autem eas non assimilaui; siquidem oculatæ non sunt. Omnes, tam quæ à ventre, quàm quę à dorso enascuntur, caudam cũ sint longissimę, constituunt; Nam alioquin cęterarum auium more minimè ea Manucodiatæ exornantur. Nec id equidem mirum, cùm & alę ipsæ diuersa sint ratione dispositę, quippe quę in arctum contrahi, vel latum diffundi pro animantis libitu nequeant, sed naturaliter vno tantùm eodemq; modo perpetuò consistant. Dorso pręterea fila gemina annectuntur, tres & amplius palmos longa, neque exactè rotunda, neque etiam perfectè angulata, sed figura inter quadratum, & rotundum media, nec crassa valdè, nec summè tenuia, verùm sutoris filo haud planè dissimilia, quæ quamuis multi viri docti masculis tantùm tribuant, ego tamen etsi exenteratę omnes ad nostras oras perueniant, indeq; audacius iudicaturus videar, [b] Aristotelis dogmatibus fretus, qui cunctis animantibus sanguineis quatuor, quibus mouentur, notas tribuit, vtriq; communia facio, vt pòst latiùs disputabitur. Atque istęc sunt, quę omnibus simul conueniunt: quibus neotericorum peritissimi quique pręter vnum Antonium Pigaphettam, qui pedes illis palmum vnum longos falsissimè tribuit, calculum vno ore adijciunt. Si verò interiora spectes, nihil inane reperies, verùm continuata, ac perpetua pinguedine totas expletas videbis.

Caput. Rostrum. Alæ. Cauda.

[a] *Exer.* 228. 3.

Pennæ.

Dorsum. Fila dorso adhærẽtia.

[b] *De Incessu Anim.*

Anto. Pigaphettę mẽdacium. Interiora.

# LOCVS. HABITATIO.

TRES profectò extricatu difficillimi nodi in tradenda Manucodiatarum historia dissoluendi veniunt, quorum primus de loco est, quem has Aues incolere hactenus non vulgares tantùm, sed doctissimi quiq; crediderunt. Qui cùm apodes eas esse viderent, filorumq; illorum geminorum, de quibus pòst dicemus, vsum ignorarent, & nisi mortuas secus vias, aut in mari in Molucchis Insulis, & Iaua maiori reperiri audirent, non Paradisum solummodo eas habitare, indeq; paradiseas, & Manucodiatas, hoc est, aues Dei vocare contenti, sed eò etiam deuenerunt, vt perpetuum volatum exercere eas existimauerint, & nisi alis in sublimi expansis, tonici nempe motus auxilio requiescere. Verùm ea opinio quàm erronea sit, & quantum naturę ipsi repugnet, iam dicendum est. Aristotelicis primùm dogmatibus receptum est, nullum dari corpus sublunare, quod perpetuò moueatur: tùm verò ab omni planè etiam ratione alienum est credere ita in sublimi hęrentes quietem capere, nisi id per pauca admodum momenta fieri dixerimus, vt in Columbis, & Miluis, alijsq; nonnullis volucribus quotidiè obseruamus, quas tamen sic requiescere minimè dicendum est, cùm tota medicorum schola tonicum illum motum, exercitij genus, idq; satis vehemens, ac laboriosum constituat. Quare Manucodiatas hęrere in aëre libens concesserim, quiescere verò dicenti, ne iuranti quidem crederem. Haud enim video quomodo somni tempore, qui vel Philosopho teste animę otium, & sensuum omnium lig amentum est, & gelidę nisi mortis imago, vt poetę verbis vtar, in terram, ut mortuam facere asseuerant, grauitate sua deorsum non decidant. Cur non qui dormientes aer, idem mortuas si extensis, ut uolunt, alis in illo moriantur, sustineat? Mortuę duntaxat, aut in terra, aut in mari, nunquam viuę reperiuntur; mortuę decidunt; uiuę quod noui, nunquam: decidèrent haud dubio, si ut illi somniant, in aere dormirent, iuxta triuiale illud axioma; omne graue tendit deorsum. Quare naturalis ratio longè secus docere uidetur, & Philosophorum princeps [a] Aristoteles omne animal sanguine prędituin quatuor notis moueri scriptum reliquit, quibus etiam has aues sagacissima rerum parens natura, quę nunquam deficit in paucis, nec abundat in multis, minimè carere uoluit. Quod si uerò notas illas quispiam curiosior in auium genere pedes, & alas esse ex mente Philosopi mihi obiecerit, pedibusq; Manucodiatas priuatas esse dixerit: huic hunc in modum respondeo, naturam etsi pedes illis negauerit, quatuor tamẽ notis, quibus moueri debebant, ut cęterę aues minimè destitutas esse uoluisse, ideoq; in cauda fila illa ad quemlibet flexum perquam idonea submiistrasse, quibus cùm quietis ca piendę tempore, tum multarum aliarum actionum suarum causa arborum ramis sese annecterent, & pedum uice quodammodo uterentur.

Multorum de loco Manucodiatæ error.

Motum nõ esse continuum.

Ionicus motus exercitium est.

Somn[us] qd.

[a] *Lib. de Incessu Anim.*

Manucodiatæ, vt quatuor notis moueatur.

# GENERATIO. INCVBATVS.

Refutatur opinio de incubatus ratione hactenus credita.

INEPTA planè etiam, ac prorſus explodenda multorum de incubatus ratione in Manucodiatis mihi videtur opinio, qui in maſculorum dorſo quandam cauitatem dari exiſtimant, in qua fœmellę, quibus venter etiam cauus ſit, oua ſua deponant, atque ita vtriuſque cauitatis auxilio illa incubari. Illorum verò, qui fœmellas quoddam receptaculum ſub alis, in quo oua reponat, habere putant, certè ridicula ſententia eſt, tantum abeſt, vt in refellenda tempus terere dignemur. Præter αὐτοψίαν enim ipſam ratio ipſa docet, longè diuerſa loca ſtatuenda eſſe, in quibus oua incubentur. Siquidem cùm in quinq; diuerſis Manucodiatis, quas obſeruaui, depinxi, deſcripſi, manibus proprijs contractaui, nihil tale videre potuerim, itaq; non requieſcere tantummodo in arboribus geminorum illorum, quę dixi, filorum ope exiſtimauerim, verùm nidulari etiam, & in proprijs nidis incubare: atque eo modo generatio illarum ſacris literis non repugnabit, quæ volucres in terris multiplicari tradunt. Quod ſi verò quiſpiam nidum illarum à nemine repertum eſſe arguat, is plurimarum auium naturæ ignarus ſtatuendus eſt, ac rapacium in primis, quę in deſertiſſimis, altiſſimisq; rupibus extra humanũ conſpectum nidos ſuos conſtruunt. Cæterum quot, & qualia oua pariant, quot diebus incubent, necdum mihi conſtat.

Rapacium nidi.

# VICTVS.

Rore non viuere Manucodiatas

MANVCODIATAS cęleſti rore, qui cibus ipſis ſit, ſimul & potus, victitare: ideoq; naturam tanto miraculo, vt inquiunt, prouidiſſe, vt perpetuò in aëre habitent, meram fabulam ſapere, duobus maximè, eisq; validiſſimis argumentis adductus affirmauerim. Primùm enim haud video, qua ratione, qua via eo nutriri poſſint. Siquidem altum volare illas illimet tradunt; ros contrà prope terram naſcitur: illæ toto ęuo ſuo, ſi debent viuere, neceſſario etiam coguntur veſci, vt quod deperditum eſt, reſtauretur: hic non omni anni tempore generatur, imo verò in die tantùm ſereno. Miſeris itaque illis natura nouerca fuerit, quas deficiente rore mori neceſſe ſit. Verùm dicant illi mihi obſecrò, quomodo, quem volunt, rorem excipiant: roſtro inquient proculdubio: Quantum autem? parum neceſſario: quod ſi concedam, id niſi matutino tempore fieri inficias ire non poſſunt: itaque miſeras rurſus, & breuis admodum ævi natura illas fecerit. Quomodo verò volucres, quas illimet perpetuum volatum exercere ſomniant, & mane tantùm alimento eoq; nullius fermè ſubſtantiæ refici, in tanta motus diuturnitate, ac vehementia ob continuam ſpirituum iacturam perſeuerare poterunt? quomodo ros qui miſtum eſt, ſi alijs alimentis comparetur, ſimpliciſſimum, perditos reſtaurare poterit? Quare ſolidiori cibo ipſis meo iudicio opus fuit, quem cùm aer ipſe, tùm maximè arbores, aliaq; eminentiora loca ſuppeditare poterant, inſecta nempe eaq; tum volucria, quàm aptera: ad quorum venatum roſtrum illis natura grandiuſculum dedit, ſatisq; robuſtum, & quodammodo aduncum. Fruſtra enim, teſte Ariſtotele, calceamentum eſt, vbi non eſt calceatio. Præterea cùm vel ſecundum vulgatiſſimum illud Philoſophorum, & Medicorum axioma, ex ijs conſtemus, ex quibus nutrimur; itaq; Manucodiatas, vt animalia ſunt perfecta, ex perfecto etiam mixto nutriri neceſſe eſt. Non video itaque quomodo eiuſcemodi aues, quæ pro corporis paruitate alas longiſſimas obtinent, ex tam vaporoſa materia enutriri poſſint. Nugantur præterea, qui ex pituita per ſe ali eas credunt: ſiquidem cùm plurimum, etſi non ſemper, vt illi volunt, uolitent, calidi potiùs temperamenti, quàm frigidi, quo pituita abundat, meo iudicio iudicandæ ſunt.

Roris generatio.

Quo cibo vtantur opinio propr.

# VSVS.

Moluccarũ reguli Manucodiatas colant.

MOLVCCARVM Inſularum Reguli religioſè admodum, atque adeo reuerenter ſancteq; haſce volucres habere dicuntur, vt Manucodiatas, hoc eſt, aues Dei, vt ſæpius diximus, appellauerint, falſamq; ſibi hanc perſuaſionem induerint, vt ſi illarum pennas ſecum portent, non uulnerãdos iri in prælio, etiam ſi in prima acie ante reliquos collocati fuerint. [a] Bellonius Ianiſſaros Indię populos eiuſmodi pennis ſeſe exornare hiſce uerbis memorat. *Sunt*, inquit, *elegantiſſimæ, & ſimul ad Gallinacei craſſitiem coniunctæ, omnes tamen ab exiguo corpore prodeuntes pellem duntaxat retinente. Nam Arabes, qui eas vendunt, carnes eximunt. Illi ergò plumis in hunc modum exornati Diui Michaelis picturam quodammodo referunt. At non perpetuò incedunt iſto ornatu, verùm duntaxat, dum Imperator in bellum proficiſcitur.*

[a] *L. 3. Obſeruat.*

Ianiſſari pennis Manucodiatarum ſe ornant.

EMBLE-

# EMBLEMA.

MANVCODIATAM in ſublimi expanſis alis volitantem capite cælum aſpiciente depingit[a] Lucas Contiles. Cuius emblematis Alexandrum Farnesium nobilem Alexandrinum inuentorem facit, qui animi ſui ſublimitatem huic Aui comparabat, quandoquidem ſpretis relictiſq; rebus omnibus humanis caducisq; altiora, cæleſtia nempè quæreret, & velut parum de illis ſolicitus, animæ ſuæ ſaluti conſulens opem cælitùs imploraret. Pulchrum profectò, ſed à communiter illi aſcripta natura petitum emblema eſt. Vt enim perpetuò illa volatu in aëre ſeſe conſumens vitam cũ morte commutare fertur; ſpiritusq; in æthere, corpus, quod grauitate ſua deorſum labitur, in terra relinquit: ſic animus nobiliſſimi illius viri ad extremum vitæ momentum cælos petiturus, cadauer terræ dereliquit. Sed verba quoque quæ emblemati adiungit, non minus pulchra ſunt, imò verò ab Auis natura egregiè deſumpta; ſunt autem SINE PONDERE SVRSVM, quaſi diceret, animus humanus ſemper ad altiora ſpirare debet, & terrena iſtæc ceu caduca, ac fragilia contemnere. Etenim animus à corpore diſiunctus, cælum petit, cadauer in cinerem conuertitur. Emblematis iſtius venuſtate pellectus ſimile omninò in agello meo depingendum inter pulcherrima alia curaui, ſed cum hiſce verbis SIC ANIMVS PETAT ALTA.

[a] *Embl.* 78.

# HISTORICA.

REGES Marmin in Moluccis inſulis paucis ab hinc annis animarum immortalitatem inde credere cœpiſſe legimus, quòd Manucodiatas pulcherrimas auiculas nunquam terræ, aut cuipiam alij rei, quæ in terris ſuis eſſet, inſidere, ſed exanimen tantũmodò in humum decidere conſpicerent. Cùm verò peruerſiſſimi Mahumetani, qui ad illos commercij cauſa commeãt, Manucodiatas in Paradiſo naſci, & paradiſum locum animarum, quæ vita functæ eſſent, perſuaſiſſent, regulos illos ad Mahumeti ſectam pellexerunt, quòd de hoc animarum loco mira illam polliceri dicerent.

Reges Marmin cur animæ immortalitatẽ credant.

Reges Marmin cur Mahumetani facti.

# DE MANVCODIATIS IN SPECIE, Et primùm de prima. Cap. XXII.

MANTVM apud me huiuſce Manucodiatæ, cuius primo loco iconem exhibeo, eximia venuſtas, pulchritudoq; potuit, vt veluti merito iure inter reliquas principem locum aſſignârim. Hirundinem magnitudine, & forma, ſi corpus ſpectes, penè æquat. Pennarum ambitus diſcolor eſt, ſed admodum venuſtus, & viſu vndique iucundiſſimus. Caput quale Hirundinis, & pro corporis paruitate maiuſculum: cuius plumæ, quæ ſuperiorem partem à prima ceruicis vertebra ad roſtri vſque initium exornant, breues ſunt, craſſæ, duræ, ſpiſſæ colore luteo egregiè micantes, & ad inſtar puriſſimi auri, radiorumq; ſolarium more reſplendentes: reliquæ quę mentum contegunt, molliores, tenuiores, & ex cyaneo mirè virides, vt in Anatum maſculorũ capitibus, dum lucidiſſimo Sideri obuertuntur, conſpicimus. Roſtrum quàm Hirundini proſimum, lixius. Alarum pennæ formâ Ardearum ſimiles ſunt, ſed tenuiores tantùm, ac longiores; fuſcæ, inter nigrum, & ruffum fulgentes: quæ vnà cum cauda in orbem expanſæ, rotæ ſimilitudinem exhibent. Etenim planè immobiles ſunt, & veluti infixa quædam ſpicula cuti adhærent. Cæterùm minores quoque aliæ pennulæ, eæq; profectò haud paucæ iuxta ſingulas maiorum pennarum, quæ alas conſtituũt, Origenes, exoriuntur, quæ ſupra maiorum principia extenſæ, ea obtegunt, dimidio quiſquiliatæ, ruffæ, coccineæue, cætera croceæ & fuluo auri colore ſplendidæ, multum meherculè gratiæ ac venuſtatis auiculæ ob eximiam illam & ſingularem colorum diſparitatem conciliant. Corporis reliqua moles tota pennis fuluis in ruffum vergentibus obducitur, ita tamen vt aliquid adhuc inter eas diſcriminis animaduertas. Nam quæ in pectore & ventre collocantur, & frequentiſſimæ ſunt, & pariter latiſſimæ duorum triumuè digitorũ amplitudine fuluæ ſunt colore, & eo quidem nitidiſſimo, haud ſanè alio quàm iecur ipſum ſplendentes. Quæ verò dorſo infiguntur, rariores, neque ita frequentes ſunt, atq; inſuper amplis diuiſuris pennarum omninò Ardearum tergo adhærentium ſimilitudine hiant: neque etiam ad tam inſignem latitudinem accedunt, aut præſtantem illum hepatis colorem adæquant, quinimò puniceo potiùs colore, carni æmulo, obſcuriore etiamnum relucent. Fila illa gemina quæ dorſo annectuntur, quodammodo nigra ſunt.

Magnitudo. Color. Caput.

Roſtrum. Alæ.

Color reliquus.

Fila dorſi.

# DE MANVCODIATÆ Secunda ſpecie. Cap. XXIII.

ANNO ſalutis noſtræ 1577. aliam auem Paradiſeam, quam ſecundo loco damus, à reliquis in eò maximè diuerſam, quòd binas in vropygio pennas haberet longiſſimas, cæteras nempè duorum palmorum longitudine excedentes, obſeruaui Romæ apud Illuſtrem D. Thomam Cauallerium Equitem Romanum, antiquarium egregium. Ea caput habebat albũ ferè, maculis luteis, aureiſq; perfuſum, oculos pariter luteos, cilia rubicunda; roſtrum inter luteum, & viridem medium, duos digitos longum, in ſupina parte quodammodò recuruum; linguam rubicundam, longiuſculam, acutam, Picorum haud planè diſſimilem, ad lancinanda animalcula perquam idoneam. In pectore aliquo pacto rubeſcebat. Venter, dorſum, & alæ candicabant, hæ tamen ſuperius vbique & in fine erant ferrugineæ. Dorſum primò ad flauum quodammodò tendere videbatur; poſteaquam verò vropygium attingit, ad rubicundum, ſeu ferrugineum colorem vergebat. Alarum longitudine, vtpotè, quæ quinos palmos adæquant, primam ſpeciem ſuperabat. Caudæ pennæ, vbi dorſo inſeruntur, candicabant; cætera ferrugineæ erant. Eius duæ pennæ reliquas duorum palmorum longitudine vincebant, & reliquę etiã quàm in prima longiores aderant. Carebat hæc auis geminis illis filis, quæ omnibus è dorſo enaſci ſuprà dixi; quare vel itineris longitudine, vel temporis vetuſtate decidiſſe ea iudicandũ eſt, non autem fæminam ideò dicendam, vt perperam vulgus hactenus ſibi perſuaſit. Duarum verò longiſſimarum illarum pennarum fortaſſis ad velociorem motum vſus fuerit. Figuram habes pag. 812.

Lingua. Pectus. Venter. Alæ. Dorſum. Cauda.

# DE TERTIA MANVCODIATAE Specie, ſiue de Hippomanucodiata. Cap. XXIIII.

DOMINVS Antonius Gigas Foroſempronienſis vir cùm vitæ probitate, tùm pariter eruditione, & rerum naturalium ſcientia clarus, Auem, cuius iconem tertio loco exhibeo, depingendam, ac deſcribendam publicæ ſtudioſorum vtilitatis cauſa tradidit. Illam ob corporis longitudinem Hippomanucodiatam, quoniam longiorem videre mihi nunquam contigit, appellare placuit, quæ videlicet à principio roſtri ad caudæ, & alarum extremitatem tres dodrantes longa erat; & duos palmos, cùm alæ complicatæ ſunt, lata. Roſtrũ erat ſatis aduncum, in ſupina maximè parte, tres digitos longum, in inferna verò paulò breuius. Tota ferè auis erat alba præter nempè collum, & ventrem, quorum color eſt caſtaneus. Superior capitis pars ferruginea, quem colorem flauus excipit, vt hunc viridis. Prope dorſum pennæ admodũ prominebant longitudine duorum, vel trium digitorum. Erat præterea vnicum duntaxat Aui filum, idque aſperiuſculum, & admodum flexibile, quare alterum caſu quodam amiſſum fuiſſe exiſtimare debemus. Iconem dabit pag. 813.

Hippomanucodiata.

# DE MANVCODIATAE QVARTA Specie, ſiue de Manucodiata Cirrata. Cap. XXV.

CAIVS quarto loco Iconem depingemus, vulgaris illa ab Ornithologo depicta, omnino videretur, niſi roſtrum multò longius, & veluti cirros quoſdam propè ceruicem obtinuiſſet. Hanc auem eidem Antonio Giganti accepta refero: quæ deſcripta talis eſt. A roſtri principio ad alarum extremitatem vſque commenſurata duos dodrantes explebat. Roſtrum pro corporis exiguitate longiſſimum, nigrum, & quodammodo aduncum. Capitis, colli, & alarum pennæ nigreſcebant, vbi tamen roſtro adnectebantur, flaueſcebant. Cirrum propè ceruicem tres propemodum digitos altum habebat, rigidum, coloris flaui, quique ex ſetis potiùs, quàm pennis conſtare uidebatur, atque eo maximè à ſubſequenti Manucodiata differebat.

DE



MANVCODIATA CIRRATA.

MANVCO DIATA VVLGARIS.

# DE QVINTA MANVCODIATÆ Specie, ſiue de vulgari. Cap. XXVI.

VLTIMVM inter hactenus à nobis obſeruatas Manucodiatas locum ei attribuimus, quam Ornithologus etiam depinxit, eique ſimillimam eſſe dicit, quæ Norimbergæ olim ſeparatim excuſa fuit. Suam verò ille non deſcribit, ſed Norimbergenſi iconi iſtæc verba adiecta fuiſſe refert. Paradiſea vel Apos Indica magnitudine eſt Turdelę, miræ leuitatis, alis oblongis prædita, teneris & viſui peruijs, & pennis (ſi pennę dici poſſunt potiùs quàm ſetæ: deplumes enim ſunt) duabus longis, anguſtis, nigris, duritie cornea; pedes nulli, perpetuò uolat, nec uſquam quieſcit, niſi in arbore aliqua, longis illis ſetis ramo implicata pendens. Nulla nauis tam celeriter pergit, & tam procul à continente, quam non circumuolet. Etſi uerò hæc icon cum noſtra poſtremùm exhibita admodum ſimilis uideatur, prętereà quod de colore Norimbergenſis charta, & ipſe quoque Ornithologus tacent: roſtri tamen, & capitis magnitudine quàm maximè differunt. Ornithologi icon roſtrum ab inferiori parte curuum, & exiguum eſſe oſtendit: noſtræ aui contrà, ut dixi, id erat longiſſimum, & curuitatem illam in ſuperiori parte habebat. Præterea iſtæc cirrho caret, quod potiſſimùm manifeſtiſſimum diuerſitatis argumentum eſt.

Magnitudo

Volatus.

# DE RHYNTACE CTESIÆ. Cap. XXVII.

MANVCODIATIS Rhyntacem ſubiungẽdam mihi eſſe duxi, cùm quòd auis peregrina ſit, & exotica, quinimo hactenus adhuc incognita, tùm uerò maximè, quoniam Bellonius eam cum Manucodiata confundat. Ῥύνδακη, ſiue Rhyndace Heſychio, & Varino auis eſt, quam ἥλικον περιστερᾶ, id eſt, Columbæ magnitudine eſſe tradunt. Hanc nonnulli Pluuialem eſſe uolunt, & ſolido cibo ueſci negant, quoniam nihil in ea reperiatur, ideoq; non exenterari perhibentes, uerùm id Rhyntaci potiùs conuenit, quæ tamen an eadem ſit cum Rhyntace Cteſiæ planè ignoro. Hæc enim ei oui magnitudinem tribuit, at de quo ouo intelligat, ſummoperè uiri docti dubitant. Ego κατ' ἐξοχὴν de ouo Gallinæ intellixiſſe crediderim. Vt ut ſit Rhyntacem, Manucodiatem eſſe non poſſe, Belloniumq; hallucinatum fuiſſe ex aſcripta magnitudine, cunctis dijudicandum propono. Naſci inquiunt in Perſis. Cteſias hanc auem prodidit, referente [a] Plutarcho, cultello altero latere ueneno illito Paryſatim Artaxerſis matrem diuiſiſſe, dimidiam partem ueneno infeciſſe, & quæ ueneno intacta, atque incorrupta erat, ipſam in os iniectam exediſſe. Statiræ Artoxerſis uxori autem uenenatam partem porrexiſſe. Dinon uerò ab hoc parumper diſſentiens, ait non Paryſatim, uerùm Melantam partitam cultello Statiræ infectam partem appoſuiſſe.

Bellonij error. Ῥύνδακη.

Magnitudo

[a] *In vita Artaxerſis.*

Paryſatis quomodo Statirã occiderit.

# DE PHOENICE. Cap. XXVIII.

ITSI fortaſſis multos, qui iſtæc lecturi ſunt, Phœnicem longè alium ſibi locum in hoc opere uendicare iudicaturos nouerim, Auem nempe fabuloſam inter commentitias, de quibus ante integer liber conſcriptus eſt, eſſe reponendam. Quid enim fabuloſæ uolucri cum uerè natis Auibus? Illos tamen cognitis, quibus adducor, argumentis, eundem Phœnici locum aſſignaturos fuiſſe exiſtimem. Quandoquidem reliquæ illæ, de quibus egimus, commentitiæ ex raptu potiſſimùm uiuere ex ueterum authoritate diximus. Phœnicem uerò, tantum abeſt, ut rapacem dicerent, ſed uelut alitem innocuam, & ardentiſſimi parentum erga liberos amoris ſymbolum, ſponta-neam mortem, eamq; duriſſimam ſolius ſui pignoris cauſa ſubire commenti ſunt. Tùm uerò maximè de eo hîc loquendum mihi duxi, quoniam Bellonius, ut antè etiam admonui, cum Rhyntace, Manucodiata, & Cinnamomo turpiter confundat. Neq; uerò [a] Plinius me mouet Aquilis eum præferens, & Struthiocamelo ſubiungens. Nam ille nullum ordinem ſecutus videtur. Quod ſi contrà aliquis veram auem eſſe Phœnicem dixerit, is ni fallor, hiſce lectis, nunquam, quicquid alij dicant, in rerum natura extitiſſe, quinimo cuncta, quæ de ea fabu-

Cur de Phœnice hic agatur.

[a] *Lib. 10. c. 2.*

loſa

Vnde Phœnicem fabulosam Auem esse cognoscatur.

losa antiquitas commenta est, sacræ paginæ repugnare iudicaturus est. Quis enim in primis Auem se ipsam cremare, & in cinerem redigi, ex cinere vermen, ex verme nouam auem progenerari (talem autem Phœnicis generationem esse finxerunt) nullo sexus habito discrimine nisi mentis inops in animum suum inducat? Deus enim cum auibus benediceret, multiplicari eas super terram voluit, & sexus vtriusq; rationem in arcam Noës eas includens in primis habuit: quomodo ergo solus Phœnix ex omnibus animantibus vnica semper auis existat? Verùm non illud tantùm fidem leuat, quòd minus reperiri Phœnicem credam, sed & alia pleraq; quæ passim de eo scriptores nugati sunt, quæ pòst adducturus, nunc breuitatis causa prætereo. Et quamuis eiusmodi generationem Berniclę aues, quas ex nauiũ putrefactione nasci, vt suo loco Deo volente dicetur, nostra ætas obseruauit, & Ephemeron volucre circa Hypanim fluuium ex folliculo teste [b] Aristotele erũpens, naturę cancellos haud excedere demonstrent: illud tamen minimè defendi potest, quod vnicus tantùm in toto hemisphęrio semper reperiatur. Siquidem vt rectè scripsit Lucretius:

*Huc accedit vti in summa res nulla sit vna,*
*Vnica, quæ gignatur, & vnica solaq; crescat.*

Bernicłarũ auium generatio.

[b] *Li. 1. Hist. c. 5. & li. 5. cap. 19.*

Sed quid? si veterum, eorumq; qui cæteris nugaciores esse solent, scripta de Phœnice reuoluimus, nonne ipsi nosmet ipsos de eo dubitare constat? Ita equidem [c] Herodotus, qui alioquin oculatam suam nobis fidem solet obtrudere, Phœnicem sibi nunquam nisi in pictura visum asserit: ita Plinius, vtinam ita in reliquis cautus; *Aethiopes*, inquit, *atque Indi discolores maximè, & inerrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Phœnicem, haud scio an fabulosè, vnum in toto orbe, nec visum magnoperè.* Quod si verò Bellonius, aliusvè eum sequutus pertinacior fidissimorum historicorum, ac in primis [d] Cornelij Taciti authoritatem obijciat, qui *aspici aliquando in Aegypto eam volucrem* tradidit: ille obsecro diligenter introspiciat, & quàm benè Tacitus in tradenda Phœnicis historia sibi constet, consideret: ita enim scribit: *Paulo Fabio, L. Vitellio Coss. post longum saculorum ambitum auis Phœnix in Aegypto venit. præbuitq; materiem doctissimis indigenarum, & Græcorum, multa super eo miraculo differendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda promere libet. Sacrum Soli id animal, & ore ac distinctu pinnarum à cæteris auibus diuersum consentiunt, qui formam eius definiere. De numero annorum varia traduntur, maximè vulgatum quingentorum spatium. Sunt qui asseuerant mille quadringentos sexaginta vnum interijci, priorescq; alites Sesostride primùm, post Amaside dominantibus; dein Ptolomæo, qui ex Macedonijs tertius regnauit, in ciuitatem cui Heliopolis nomen est, aduolasse, multo cæterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura. Inter Ptolomæum, ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. Vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre, nihilq; vsurpasse ex his, quæ vetus memoria firmauit. Confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eiq; vim genitalem adsundere, ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inq; Solis aram perferre, atque adolere. Hæc incerta, & fabulosis aucta. Cæterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem, non ambigitur.* Quis amabo certi quid ex hisce verbis statuat? Esto autem, quod visum aliquando affirmet. An verò & illi, qui seipsum testem minimè interponit, fabulosum quippiam obtrusum esse non potuit? Manucodiatam cùm Phœnice eandem non esse, quemadmodum sanè diuersæ à nobis obseruatæ, & paulò antè depictæ facilè ostendunt, sed præter specierum diuersitatem, singularum numerus. Nemo enim vnicam tantùm Manucodiatam dari dixerit. Nam vt Petrarchæ versu vtar,

[c] *In Euterpe lib. 2.*

[d] *L. 14. Annal.* Tacitus sibi non constat in tradenda Phœnicis historia.

*Nè n ciel, n'in terra, è più d'vna Fenice.*

Quod verò Ryntacem etiam Bellonius existimat, nullas planè, quibus id facere possit, ex paucis illis, quæ de ea tradita sunt, rationes video. Postremò si Cinnamulgus fuisset, tale profectò arcanum [e] Aristoteles; qui hanc agnouit, minimè erat taciturus. Sed quid illis respondebimus, qui de in Indiam nauigationibus commentarios edidêre, multa Semendæ aui, vt aiunt, dictæ, quæ veteres Phœnici, ascribentibus, & nobis pro vero Phœnice venditantibus? Equidem eorum fidem leuat splendidissimum additum mẽdacium; videlicet rostrum ei trifistulare, quo musicum sonum, ad cuius imitationem pastores haud insuaue instrumentum composuerint, edant, attribuentium. Quorum mendacium quò melius manifestaretur, Semendæ rostrum olim à me Venetijs obseruatũ, depictum, descriptum, in quo sanè eiusmodi fistulę non essent; Phœnicis historiæ subiungere placuit. Concludamus itaq; Phœnicem auem esse fabulosam, & cum doctissimo Petrarcha dicamus: *Cũ omnes aues habueris, mirabilem pulcherrimamq; non habebis.* Quæ cùm ita sint, hoc est, fabulosa, & à Poëtarum fabulis petita, non mirabitur lector, si & tota ferè hæc historia è Poëtarum figmentis sit concinnata.

[e] *9. hist. c. 13* Semendæ auis Phœnix credita. De Semendæ rostro mendacium.

# AEQVIVOCA.

Phœnix aſtrum.

PHOENICIS nomen multis alijs rebus etiam competit, nec ſemper auem ſignificat. Vrſam minorem nonnulli veteres Aſtrologi, vt ſcribit Herodotus Mileſius referente Hygino, Phœnicem vocârunt, quòd Thales, qui diligenter de rebus cæleſtibus omnia exquiſiuit, & hanc primus Arcton appellauit, Phœnix natione fuerit: quare Phœnices cùm ſtudioſiùs hanc inſpicerent, ideoque diligentius nauigare exiſtimabantur, verè ab inuentoris nomine Phœnix appellata eſt.

Phœnix fluuius. [a] *Lib. 4. c. 8.* [b] *Lib. 9. Georg.* [c] *In Achaicis.*

Phœnix dictus etiam eſt quidam Theſſaliæ fluuius in Aſopum influens, cuius [a] Plinius, & [b] Strabo meminere. Eſt item eiuſdem nominis alter fluuius, qui, vt [c] Pauſanias ſcribit, Aegienſem agrum perlabitur, & in mare ſeſe effundit.

Phœnix mons. [d] *Lib. 14.* [e] *De Aſia min. c. 87.*

Phœnix [d] Straboni mons vocatur, cuius [e] Aeneas Syluius pariter mentionẽ facit; is in Auſtrali parte ſitus eſt circa Iſthmum Doricæ Cheroneſi, omnium eius regionis altiſſimus, in cuius ſummo quoque caſtrum fuit eiuſdem nominis.

Phœnix caſtrum. Phœnix herba. [f] *L. 4. c. 39* [g] *L. 22. c. 25*

Quoddam herbæ genus paſſim ſecus vias naſcitur, ex ſylueſtriũ ſegetum genere, cuius ſpica Lolio perquã ſimilis eſt, vnde Lolium ſylueſtre quibuſdam & Bononiæ Logliarola vulgò quaſi paruũ Loliũ nuncupatur, [f] Dioſcoridi Phœnix, [g] Plinio Phœnicea, & hordeũ murinũ dictũ.

Phœnix arbor. [h] *L. 13. c. 4. & l. 23. c. 2.* [i] *L. 1. c. 150.* [k] *Lib. 1. c. 2. et lib. 3. c. 5.* Palmæ fructus Phœnix dictus. [l] *Lib. 14.*

Carduum quendam Matthias Lobelius à ſpinis & infeſtiſſimis ſpiculis, totius acanaei generis infeſti ſimum, Phœnicem, Leonem, & ferocem recentiores vocari ſcribit, quem Itali Cardo fiero, & Leone pariter dicunt. naſcitur in Apenninis non ita diſſitis.

Nobiliſſima illa arbor, quam palmam Latini vocant, Græcis Phœnix appellatur, de qua qu plura deſiderat, [h] Plinium adeat, & [i] Dioſcoridem, necnon & [k] Theophraſtum. Hæc arbor in Italia ſterilis eſt, in maritimis Hiſpaniæ fructus quidem profert, ſed immites, in Africa dulces, ſed ſtatim euaneſcentes. Contra verò in Oriente ex his vina fiunt, alicubi etiam panis, & pluribus quadrupedibus cibus. Inſuper non ipſa arbor tantùm veteribus Phœnix dicta eſt, ſed quandoq; etiam eius fructus, vt ſcriptum reliquit [l] Athenæus, vbi ait,

*—— Melanippides Mileſius in Danaidibus*
*Phœnicem vocat non palmam arborem, ſed fructum*
*Illius, cùm de ijs verba faciat hoc modo:*
*Immortalem Deorum ſpeciem, non hominum præ ſe ferebant,*
*Quin nec eorum mulicbris facies erat,*
*In curribus exercebantur, ſtellis ſuperimpoſitis,*
*Feris autem ſæpius animus ferox leniebatur eſu ſacrarum lachrymarum thuris,*
*Odoratarumq; φοινίκων palmularum ac tenellæ Caſſiæ*
*Quæ omnia Syriæ ſunt inſignes opes.*

[m] *L. de plãt.*

[m] Ariſtoteles ſic etiam φοινίκας appellat. φοινικῶν palmularum, inquit, nonnullos tanquam teſtibus carentes ἀνόρχεις vocant, quidam εὐνόχους caſtratas, alij ἀπέρνους nucleorum expertes. Hellanicus in ſuo ad Amnonem aſcenſu, ſi germanum, & verum id opus illius eſt, ac Phormus Comicus in Atalantis φοινικας palmæ fructum vocârunt.

Phœnix equus. [n] *In Eliacis.*

[n] Pauſanias equi cuiuſdam meminit, qui ex equis Cleoſtenis Epidamnij vnus erat, Phœnicis nomine, ad cuius currum hi verſus aſcripti erant:

*Cleoſthenes poſuit me Pontius ex Epidamno,*
*Victor equis, palma clarus Olympiaca.*

Phœnix vir. [o] *Iliad. 1.* Antenoris filius. Phœnix dictus. Phœnix poetas. [p] *In Atticis.* Agenoris filius. Phœnicia vnde dicta Phœnix tinctura genus Muſicum inſtrumẽtũ [q] *Lib. 4.* [r] *Lib. 2. de Muſica.*

Phœnix [o] Homerum nomen proprium eſt pedagogi Achillis, de cuius flagrantiſſimo erga Achillem amore multa ille memorat. Hunc cùm matris hortatu, cum patris concubina rem habuiſſet, diris impetitum à patre, relicta Helide, ſeſe in Theſſaliam ad Peleum Regem, qui illi Dolopum procurationem commiſit, filiumq; Achillem in diſciplinam tradidit, quem etiam ad bellum Troianũ comitatus eſt, contuliſſe tradunt. Fuit verò Phœnix iſte filius Amyntoris, vt Homerus ibi quoque teſtatur. Meminit eiuſdem quoque Statius, & commiſſæ illius Achillis curæ pariter ita meminit: *Sed caro Phœnix hærebat alumno.*

Phœnix item Antenoris Troiani filius dictus fuit. Eſt etiã Phœnix poëtæ nomen, qui vt refert Pauſanias, Lebidiorum & Colophoniorum exciſionem Iambico carmine deplorauit.

Filius Agenoris, Cadmi frater quoque Phœnix fuit dictus, & Phœnicia Syriæ regio, Iudeę contermina ab eo nomen accepit, populusq; inde oriundus Phœnix appellatus eſt.

Porrò Phœnix in artificialibus etiam nomina habet, vt in primis tinctura quoddam genus, necnon & organum Muſicum apud [q] Athenæum inter alia his verbis recenſitum: [r] *Phellis*

*Delius*

*Delius, Magadin à Pestide distare sic ait, Phœnices, Pectides, Magadides, Sambucæ, Iambi, Clepsiambi, Enneachorda, quibus instrumentis Iambos meros cecinerunt, Iambicos appellârunt.*

Alchimistis Phœnix elixerem significat. Nam Phœnix, Basiliscus, Glaura, Mandragola, Chamæleon, Homunculus, & similia barbara vocabula, sunt synonima, vt [f] Leo Suauius annotat.

Phęnix elixir.

Collyrium Apollonij, cuius [t] Galenus binas descriptiones exhibet, Phęnix appellatur. Vsus eius est ad palpebrarum defluuia, & inueteratas affectiones.

Deniq; quoddam emplastri genus Phœnicem dicunt, quod alij diaphęnicon uocant, quoniam Phęnicis, id est, palmæ fructus recipiat. Descriptio eius extat apud [u] Mesuem, & Clementem Clementinum. Functiones naturales promouet, membra principalia corroborat, fluxum hepaticum, stomachimq;, nec non & vomitum compescit, & præcordiorum, & intestinorum debilitati medetur.

[f] *In scholijs in Paracels.*

Phęnix collyrium.

[t] *Lib. 4. de Comp. med. sec. loc. c. 7.*

Phęnix emplastrum.

[u] *Distin. 11. de Emplast.*

# SYNONIMA.

GRAECIS φοίνιξ, Latinis Phęnix nomine haud immutato dicitur, cuius duplex etymum legitur, vel quòd phęniceus color vulgò ei tribueretur, vt [a] Isodoro placet, uel quia vnica auis crederetur, vt Arabibus, qui rem singularem Phęnicem nuncupant. Nonnulli dubij generis, quidam masculini statuunt, quoniam rarissimè fęminino genere legatur, idq; non nisi figuratè, respiciendo nempe ad genus superius auis. Ego, quo genere dicatur, susq; deq; fero. [b] Claudianus Titanium alitem, & alitem longæuam dixit pro Phęnice:

Etymum nominis.

[a] *Lib. 12. Orig. cap. 7.*

*In Epigr. Titanius ales.*

[b] *Lib. 2. de rapt. Proserpinæ.*

*Quidquid ab extremis Ales longæua colonis,*
*Colligit, optatæ referens exordia vitæ.*

Et [c] Martialis Alitem superbam, vt in hisce sequentibus versiculis interpretes exponunt:

Ales superba.

[c] *L. 6. Epigramm.*

*Quod semper Casiaq;, Cinnamoq;,*
*Et nido niger Alitis superbæ*
*Fragras plumbeæ Niceroniana.*
*Rides nos Coracine nil olentes*
*Malo, quàm bene olere, nil olere.*

Italis Fenice: Hispanis Fenix, & Aue vnica en el mundo: Gallis Phęnix dicitur.

# FORMA.

QVOD ad formam Phęnicis attinet, ea non ab omnibus eadem constituitur, vt ex sequentibus facilè liquebit. Attamen qualemcunq; à veteribus datam hîc referre placuit, vtpotè quæ non parum etiam nugas eorum manifestet. De magnitudine quidem inter se conueniunt, Aquila parem statuentes. [a] Herodotus non solùm eam magnitudinem ei tribuit, sed toto etiam habitu Aquilæ similem esse prodidit. Philostratus referente [b] Io. Tzetze Pauone maiorem esse scribens parum aut nihil ab Herodoto dissentit. Caput Pauonis capiti à multis assimilatur. Herodoto *pennæ rubore perfunduntur*, Plinio verò, & Solino *circa collum auri fulgore micant, cætera purpureus* dicitur, vt eorũ verbis vtar, *cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem*, (Plinius) *fauces* (Solinus) *caputq; plumeo apice cohonestante*. [c] Claudianus à Plinio nihil ferè discrepans, quatuor hisce versibus totam eius formam complexus est.

[a] *In Euterp.*

[b] *L. 5. Histo. Chi. 6.*

Caput. Pennæ.

[c] *In Epigr.*

*Arcanum radiant oculi iubar: igneus ora*
*Cingit honos: rutilo cognatum vertice sidus*
*Attollit cristatus apex, tenebrasq; serena*
*Luce secat: Tyrio tinguntur cruraveneno.*

Et hunc secutus Baptista Mantuanus.

*—— Auis illa in vertice summo*
*Vnicus est Phœnix, viden vt torquata corusco*
*Punica colla micent auro? Stent vertice plumæ*
*Conifero? crinale decus vibretur ab aura?*
*Regia Sarrano totam chlamys induat ostro?*
*In facie cristæ duplices, Sidonia virget*

*Purpura cæruleam roſeo d ſcrimine caudam ?*

Lactantius Firmianus paulò fuſiùs omnia proſequitur in hunc modum.

*Principio color eſt, qualis ſub ſidere cæli,*
*Mitia quem croceo punica grana legunt.*
*Qualis ineſt foliis, quæ fert agreſte papauer,*
*Cùm pendens veſtit ſole rubente polus.*
*Hoc humeri pectuſq; decens velamine fulgent*
*Hoc caput, hoc ceruix, ſummaq; terga nitent.*
*Caudaq; porrigitur fuluo diſtincta metallo,*
*In cuius maculis purpura miſta rubet.*
*Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, iris*
*Pingere ſeu nubem deſuper alta ſolet.*
*Albicat inſignis miſto viridante Smaragdo,*
*Et puro cornu gemmea cuſpis hiat.*
*Ingentes oculos credas, geminoſq; hyacinthos*
*Quorum de medio lucida flamma micat.*
*Aequatur toto capiti radiata corona,*
*Phœbæi referens verticis alta decus.*
*Crura tegunt ſquammæ flauo deſtincta metallo*
*Aſt vngues roſeus pingit honore color.*
*Effigies inter Pauonis miſta figuram*
*Cernitur, & miſtam Phaſidis inter auem.*
*Magnitudo, terris Arabum quæ gignitur ales*
*Vix æquare poteſt, ſeu fera, ſeu ſit auis.*

Hæc itaque forma eſt, hæc ſpecies, quam diximus, admirabilis, quam in ſua Laura aliquoties celebrat Franc. Petrarcha, cuius doctiſſimos verſus aſcribere non piguit.

*Queſta Fenice de l'aurata piuma*
*Al ſuo bel collo candido gentile*
*Forma ſenz'arte vn sì caro monile,*
*Ch'ogni cor addolciſſe, e'l mio conſuma:*
*Forma vn diadema natural, ch'alluma*
*L'aere d'intorno; e'l tacito focile*
*D'amor tragge indi vn liquido ſottile*
*Foco, che m'arde à la più algente bruma.*
*Purpurea veſte d'vn ceruleo lembo*
*Sparſo di roſe i belli homeri vela*
*Nuouo habito; & bellezza vnica, e ſola.*
*Fama nell odorato, e ricco grembo*
*D'Arabia monti lei ripone, e cela,*
*Che per lo noſtro Ciel sì altiera vola.*

Et rurſus alibi ita canit:

*Vna ſtrania Fenice ambidue l'ale*
*Di porpora veſtita, e'l capo d'oro*
*Vedendo per la ſelua altiera, e ſola,*
*Veder forma celeſte, & immortale*
*Prima penſai &c.*

Item rurſus:

*E' queſto il nido, in che la mia Fenice*
*Miſe l'aura.. e le purpuree penne.*

# LOCVS.

PLINIVS, Solinus, eoſq; ſequutus D. Ambroſius in Arabia Phœnicem habitare ſcribunt. Torquatus Taſſus in Arabiæ mentionem incidens, eam pariter Phœnicis parentem facit, dum canit:

[a] *Lib. 5. Hexam. ca. 23. Cant. 17. Hyeroſo. liber.*

*Dirietro ad eſſi apparuero i cultori*
*De l'Arabia Petrea, e la Felice*

Che'l

*Chè l fonerchio del gelo, e de gli ardori*
*Non sente mai, sè l ver la fama dice,*
*Oue nascon gl'incensi, e gl'altri odori,*
*Oue rinasce l'immortal Fenice,*
*Che in quella ricca fabrica, ch'aduna*
*A l'essequie, à i natali hà tomba, e cuna.*

Cornelius Tacitus verò,& [b] Athenæus ex Antiphane Heliopoli, quæ ciuitas Aegypti est, primò visum prodiderunt. [c] Nicephorus Callistus sub aquinoctiali ad Orientem, & Meridiem reperiri. A quibus Claudianus,& Lactantius Firmianus longè dissentiunt, Phœnicem hominibus inaccessa loca habitare canentes, atque hinc fortè Bellonius Paradiseam esse suspicatus est: Sunt autem hæc Claudiani verba:

[b] *Lib. 14. Deipn.*
[c] *L. 15. Hist. Eccl.*

*Occani summo circumfluus æquore lucus*
*Trans Indos, Eurumq; viret, qui primus anhelis*
*Solicitatur equis, vicinaq; verbera sentit.*
*Humida roranti resonant cùm limina curru,*
*Vnde rubet ventura dies, longeq; coruscis*
*Nox afflata rotis refugo pallescit amictu.*
*Hæc fortunatus nimium Titanius ales*
*Regna colit, solusq; plaga defensus iniqua*
*Possidet intactas ægris mortalibus oras.*

Lactantius eadem ferè, sed latiùs complectitur.

*Est locus in primo felix Oriente remotus*
*Qua patet æterni Ianua celsa poli.*
*Nec tamen æstiuos, hyemisq; propinquus ad ortus,*
*Sed qua sol verno fundit ab axe diem.*
*Illic planicies tractus diffundit apertos,*
*Nec tumulus crescit, nec cana vallis hiat.*
*Sed nostros montes, quorum iuga celsa putantur*
*Per bis sex vlnas eminet ille locus.*
*Hic Solis nemus est, & consitus arbore multa*
*Lucus, perpetuæ frondis honore viret.*
*Cum Phaëthontæis flagrasset ab ignibus axis,*
*Ille locus flammis inuiolatus erat.*
*Et cùm diluuium mersisset fluctibus orbem*
*Deucaleoneas exuperauit aquas.*
*Non huc exangues morbi, non ægra senectus,*
*Nec mors crudelis, nec metus asper adit.*
*Nec scelus infandum, nec opum vesana cupido,*
*Aut Mars, aut ardens cædis amore furor.*
*Luctus acerbus abest, & egestas obsita pannis,*
*Et curæ insomnes, & violenta fames.*
*Non ibi tempestas, nec vis furit horrida venti,*
*Nec gelido terram rore pruina tegit.*
*Nulla super campos tendit sua vellera nubes,*
*Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.*
*Sed fons in medio est, quem viuum nomine dicunt,*
*Perspicuus, lenis, dulcibus vber aquis.*
*Qui semel erumpens per singula tempora mensum*
*Duodecies vndis irrigat omne nemus.*
*Hic genus arboreum procero stipite surgens*
*Non lapsura solo mitia poma gerit.*
*Hoc nemus, hos lucos auis incolit vnica Phœnix,*
*Vnica, sed viuit morte refecta sua.*

# VOLATVS.

DE volatu Phœnicis nihil prorsus memoratu dignum apud veteres legi. Firmianus tamen ita scribit:

*Non tamen eſt tarda, vt volucres, quæ corpore magno*
*Inceſſus pigros pergraue pondus habent.*
*Sed leuis & velox, regali plena decore,*
*Talis in aſpectu ſe exhibet vſque hominum.*
*Contrahit in cœtum ſeſe genus omne volantum,*
*Nec prædæ memor eſt vlla, nec vlla metus.*
*Alituum ſtipata choro volat illa per altum*
*Turbaq́; proſequitur munere læta pio.*
*Sed poſtquam puri peruenit ad ætheris auras*
*Max redit iſta, ſuis conditur ille locis.*

# VICTVS.

VICTV Phœnicem planè à reliquis volucribus diuerſo vti veteres commenti ſunt, vt qui dicente Ouidio

*—— Nec fruge, nec herbis*
*Sed thuris lachrymis, & ſucco viuit amomi.*

Claudianus verò, & Lactantius rore victitare dixerunt:

*Non epulis ſaturare famem* (inquit ille) *non fontibus vllis*
*Aſſuetus prohibere ſitim: ſed purior illum*
*Solis feruor alit, ventoſaq́; pabula libat*
*Tethyos, inuocui carpens alimenta vaporis.*

Hic verò ita canit:

*Non illi cibus eſt noſtro conceſſus in orbe,*
*Nec cuiquam implumem paſcere cura ſubeſt.*
*Ambroſios libat cæleſti nectare rores,*
*Stellifero teneri, qui cecidêre polo.*
*Hos legit his medijs alitur in odoribus ales,*
*Donec maturam proferat effigiem.*

[a] *Li. 10. c. 2.* Contrà [a] Plinius primum, atque diligentiſſimum togatorum Manilium de eo prodidiſſe autor eſt neminem extitiſſe, quividerit veſcentem.

# NIDVS. GENERATIO. MORS.

INTER cætera verò, quæ de Phœnice ſuo nugata eſt antiquitas, illa maximè naturæ cancellos egrediuntur, quæ de nido, generatione, & morte imaginata eſt. Iarchus Indus apud Philoſtratum ex aromatibus, ſed ex quibus [a] *L. 12. c. 14* non addidit: [a] Plinius authoritate Herodoti primùm ex cinnamomo, & caſſia; mox verò alibi ex Manilio ex caſſia, thuriſq́; ſurculis nidum extruere aſſerit. Verùm Plinius, vel Herodotum perperam tranſtulit, vel in codice eius, vt Ornithologus exiſtimat, mendum ſubeſſe iudicandum eſt. Nam etſi Plinius hunc in modum ſcribat: *Cinnamomum, & caſſias fabuloſa narrauit antiquitas, princepſue Herodotus Autum nidis, & præſertim Phœnicis, in quo ſitu Liber pater ſit educatus, easq́; decuti in rupibus inuijs fruſto carnis allato, aut plumbatis ſagittis:* Herodotus tamen eo loco, neq; Phœnicis, neq; ſagittarum plumbatarum vllam mentionem facit; ſed hoc tantùm dicit, quod Arabes, cinnamomo illo frui volentes, Aſinorum, & Boum mortuorum corpora in fruſta conſciſa auibus obijciant, vt eorum mole ſurculos illos oppreſſos in terram decidentes colligant. Sed vt vnde digreſſa eſt oratio reuertatur, Phœnicem D. [b] Ambroſius veterum proculdubio relationibus deceptus thecam ex thure, & myrrha facere, alijs verò aromatibus adornare tradidit: Ita enim Ouidius:

[b] *Lib. 5. Exam. c. 23.*

*Quò ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,*
*Quaſſaq́; cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha. &c.*

Et Lactantius Firmianus:

*Conſtruit inde ſibi ſeu nidum ſiue ſepulchrum,*
*Nam perit vt viuat, ſe tamen ipſa creat.*
*Colligit hinc ſuccos, & odores diuite ſylua,*
*Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs.*

Quòs

*Quos aut Pygmeæ gentes, aut India carpit,*
*Aut molli generat terra Sabæa sinu,*
*Cinnama dehinc, auramq́; procul spirantis amomi,*
*Congerit & misto balsama cum folio.*
*Non casiæ mitis, nec olentis vimen achanti,*
*Nec thuris lachrymæ, guttaq́; pinguis abest.*
*His addit teneris nardi pubentis aristas*
*Et sociat myrrhæ pascua grata nimis.*

Hinc Sanazari tale ænygma est: Ænygma.

*Dimmi qual è l'vccello, il qual raduna*
*I legni in la sua morte, e poi s'accende,*
*E viue al mondo senza pare alcuna?*

Cognita iam nidi Phœnicis, qualem fabulantur, materia, de loco nunc, in quo constructum fuisse commenti sunt, dicendum est. Cuius etsi Plinius, & Solinus non meminerint, Iarchas Indus tamen apud Philostratum prope Nilum Phœnicem nidulatum scripsit: quamuis planè aliter eius verba Io. Tzetzes citet, & in arboribus de suo adiũgat, sequutus fortè Albertum, qui Phœnicem, cùm se grauem ætate senserit, nidum in alta, & abdita supra limpidum fontem sita arbore ex varijs aromatibus conficere dixit; verùm & Albertus id ex Ouidio fortassis descripserit, qui priuatim arbores nominans, ita canit: Vbi nidulatus dicatur.

*Ilicis in ramis, tremuloq́; cacumine palmæ,*
*Vnguibus, & duro nidum sibi construit ore.*

Aues omnes nidum sibi construunt, vt oua in eo incubent, & excludant: Contrà suum Phœnicem ex collectis in excelsa rupe cremijs, & festucis nidum nouæ quidem proli vitalem, at sibi ipsi, ceu mortalem rogum facere fabulosi veteres volebant, seipsumq́; cùm iam ætate grauis ad volandum corporisq́; alias actiones obeundas inutilis esset factus, aciemq́; oculorum ob tusam sentiret, in illo, eo vt dicetur modo, conflagrasse: vnde Statius eiuscemodi nidum ignes vocabat, cùm ait.

*—— Senio iam fessus inerti*
*Scandit odoratos felix felicior ignes.*

Pontanus sua busta, hoc est, sepulcrum.

*Seligit è syluis Arabum, lucisq́; Sabæis*
*Quos Phœnix ramos ad sua busta paret.*

Ne verò absurdum videretur credere, quomodo ita nidus iste accenderetur, cùm alioquin cęterarum auium nidi debiliores, & flammis magis expositæ, ab incendio immunes sint; itaque Phœnicem, vbi illum conscendisset, solaribus sese exponere radijs alarumq́; continua ventillatione ignem excitare finxerunt. Verùm ut in hoc conueniunt, quod eo modo sese conflagret, ita contrà in qua regione id faciat, dissentiunt, alijs in Aegyptum, alijs ad alias regiones euolare asseuerantibus. Plinius enim totum nidum deferre prope Panchaiam in solis urbem, & in ara ibi deponere dixit, sed fortè id ab Ouidio mutuauerit, qui ita canit: Vt nidum incenderet.

*Ferq́; pius cunasq́; suas, patriumq́; sepulchrum*
*Perque leues auras Hyperionis vrbe petitus*
*Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.*

Chęremon Aegyptius sacrarum litterarum scriptor, & Orus Apollo Aegyptum petere scripserunt: alij contrà migrare quidem eò, sed in Aethiopia mori. Lactantius in Phœniciam abire, & quomodo moriatur, ita docere nititur.

*Vt reparet lassum spatijs vrgentibus æuum*
*Assueti nemoris dulce cubile fugit.*
*Cumque renascendi studio loca sancta reliquit,*
*Tunc petit hunc orbem mors vbi regna tenet.*
*Dirigit in Syriam celebres longæua volatus,*
*Phœnicis nomen cui dedit ipsa vetus.*
*Secretosque petit deserta per auia lucos,*
*Hic vbi per saltus sylua remota latet.*

Et paulò post:

*Protinus in strato corpus mutabile nido*
*Vitalique toro membra quieta locat.*
*Ore dehinc succos membris circumque supraque*
*Injicit, exequijs immoritura suis.*

*Tunc*

*Tunc inter varios animam commendat odores*
*Depositi tanti nec timet illa fidem.*
*Interea corpus genitali morte peremptum*
*Aestuat, & flammas parturit ipse calor.*
*Aerëoque procul de lumine concipit ignem,*
*Flagrat, & ambustum soluitur in cinerem.*

Pyrrhonis Heliēsis de animalium generatione opinio.

Hinc Pyrrho Helienſis Philoſophus, vt Laërtius refert, duo animalium prolem generantium genera, eorumq; primum, quod abſque coitu gignatur, qualia ſunt quæ πυρρίβια uocantur, ſiue in igne uiuentia, ſtatuere non eſt ueritus, iiſque Phœnicem quoque annumerare: alterum quod ex congreſſu producit, ut ſunt homines, & ſimilia cętera animantia. Mihi profectò animalia igne naſci nemo perſuaſerit. De morte Phœnicis uoluntaria Symphoſij cuiuſdam hoc extat ænigma:

*Vita mihi mors est, morior, si cæpero nasci,*
*Sed prius est fatum lethi, quàm lucis origo.*
*Sic solos mānes ipsos mihi dico parentes.*

Materia pulli.

Quod modo ad materiam ſpectat, ex qua nouus Phœnix enaſci credebatur, eam rurſus alij aliam ſtatuerunt. Plinius ceu uermiculum ex oſſibus, & è medullis ueteris Phœnicis primò procreari tradit; ex quo pullus generaretur. Philoſtratus citante Volaterrano nulla uel oſſium, uel medullarum mentione facta, ex combuſti Phœnicis cinere uermem, ex uerme dein nouā alitem generari nugatur, & in Aegyptum ex incognita regione deuolare. Hunc Suidas, etſi authoritatem non adducat, mihi ſequutus uidetur. Philoſtrati librum tamen aliter Io. Tzetzes citat, ex mortuo ſcilicet Phœnice abſque cinere uermem illum noui Phœnicis parentem progenerari aſſerens. Oppianus uerò ne uermis quidem illius meminit, ſed ex ſolo eius cinere pullum oriri uoluit, tantum abeſt, ut oſſa, & medullas nominet. Ab hoc rurſus Orus Apollo longè diuerſam Phœnicis natiuitatem commeniſcitur, ex effuſo è patris uulnere, quod ſponte ſibi nimia ad terram alliſione infligit, ſanguine procreari cupiens. Atq; iſtæc ſunt, quæ de ortus principio ueteres prodiderunt, quæq; quàm ueriſimilia ſint, uel cæcus uideat. Albertus tamen, ut eiuſmodi nugis aliquam adderet ueritatis apparentiam, altero à morte die uermem in cinere naſci dixit, qui tertio alis aſſumptis, poſtea intra paucos dies in auem priſtinæ figuræ commutaretur, & auolaret. Sed fortaſſis Albertus iſtæc ex Lactantio Firmiano tranſcripſerit, qui ita canit:

Alberti nugæ.

*Hos velut in massam cineres in morte coactos*
*Conflat, & effectum feminis instar habet.*
*Hinc animal primùm sine membris fertur oriri,*
*Sed fertur vermis lacteus esse color.*
*Creuit in immensum subito cum tempore certo*
*Seque oui teretis colligit in speciem.*
*Inde reformatur, qualis fuit antè figura,*
*Et Phœnix ruptis pullulat exuuijs.*
*Ac velut agrestes, cum filo ad saxa tenentur*
*Mutari pennæ papilione solent.*

Claudianus prolixiùs omnia hoc modo proſequitur.

*Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit,*
*Sed pater est, prolesque sui, nulloque creante*
*Emeritos artus fœcunda morte reformat.*
*Et petit alternam totidem per funera vitam.*
*Namque vbi mille vias longinqua retorserit ætas*
*Tot fuerint hyemes, toties ver cursibus actum*
*Quas tulit autumnus dederit cultoribus vmbras,*
*Tunc multis grauior tandem subiungitur annis*
*Lustrorum numero victus, ceu lassa procellis*
*Ardua Caucasco nutat de vertice pinus*
*Seram ponderibus pronis tractura ruinam.*
*Pars cadit assiduo flatu, pars imbre peresa*
*Rumpitur: abripuit partem vitiosa vetustas,*
*Iam breue decrescit lumen, languetque senili*
*Segnis stilla gelu: qualis cùm fortè tenetur*
*Nubibus, & dubio vanescit Cynthia cornu.*

Iam

*Iam solitæ medios alæ transcurrere nimbos*
*Vix ima tolluntur humo: tunc conscius ævi*
*Defuncti, reducisque parans exordia formæ*
*Arentes tepidis de collibus eligit herbas,*
*Et cumulum pretio texens, à fronte Sabæum*
*Componit bustumque sibi, partumque futurum.*
*Hic sedet, & Solem blando clangore salutat*
*Debilior, miscetque preces, & supplice cantu*
*Præstatura nouas vires incendia poscit:*
*Quem procul adductis vidit cùm Phœbus habenis,*
*Stat subitò, dictisque pium solatur alumnum:*
*O senium positure rogo, falsisque sepulchris*
*Natales habiture vices, qui sæpe renasci*
*Exitio, proprioque soles pubescere lecto:*
*Accipe principium rursus, corpusque coactum*
*Defere mutata melior procede figura.*
*Hæc fatus, properè flauis è crinibus vnum*
*Concussa ceruice iacit, missoque volentem*
*Vitali fulgore ferit: nam sponte crematur,*
*Vt redeat, gaudetque mori festinus in ortum,*
*Feruet odoratus stellis cælestibus agger,*
*Consumitque scenem, nitidos stupefacta iuuencos*
*Luna premit, pigrosque polus non concitat axes,*
*Parturiente rogo curis natura laborat,*
*Aeternam ne perdat auem, flammasque fideles*
*Admonet, vt rerum decus immortale remittant,*
*Continuò dispersa vigor per membra volutus*
*Aestuat, & venis rediuiuus sanguis inundat.*
*Victuri cineres, nullo cogente moueri*
*Incipiunt, plumaque rudem vestire fauillam,*
*Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem,*
*Succeditque nouus geminæ confinia vitæ*
*Exiguo medius discrimine separat ignis,*
*Protinus ad Nilum manes sacrare paternos,*
*Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras*
*Ferre iuuat, velox alienum pergit in orbem,*
*Portans gramineo clausum velamine funus,*
*Innumeræ comitantur aues, stipatque volantem*
*Alituum suspensa cohors: exercitus ingens*
*Obnubit vario latè conuexa meatu.*
*Ne quisquam tantis è millibus obuius audet*
*Ire duci, sed regis iter flagrantis adorant.*
*Non ferus Accipiter, non Armiger ipse Tonantis*
*Bella mouent: commune facit reuerentia fœdus.*
*Talis Barbaricas fluuio de Tigride turmas*
*Ductor Parthus agit, geminis & diuite cultu*
*Luxurians sertis apicem regalibus ornat.*
*Auro frænat equum, perfuso murice vestem,*
*Assyria signatur acu, tumidasque regendo*
*Celsa per Tyrias acies ditione superbit.*
*Clara per Aegyptum placidis notissima sacris*
*Vrbs Titana colit, centumque immane columnis*
*Inuehitur templum, Thebano monte reuulsis.*
*Illic, vt perhibent, patriam de more reponit*
*Congeriem, vultumque Dei veneratus herilem,*
*Iam flammæ commendat onus, iam destinat aris*
*Semina, relliquiasque sui, mirata relucent*
*Limina, diuino spirant altaria fumo,*

*In Pelu-*

*In Peluſidias productus aduſque paludes*
*Peruenit Indus odor, penetrat, completque ſalubrè*
*Tempeſtate uiros, & nectare dulcior aura*
*Hoſtia nigrantis Nili ſeptena uaporat.*
*O felix, hæreſque tui quo ſoluimur omnes*
*Hoc tibi ſuppeditat uires, præbetur origo*
*Per cinerem, moritur te non pereunte ſenectus.*
*Vidiſti quodcunque fuit, te ſæcula teſte*
*Cuncta reuoluuntur, noſti quo tempore Pontus*
*Fuderit elatas ſcopulis ſtagnantibus undas:*
*Quis Phlæi: honteis erroribus arſerit annus.*
*Et clades te nulla rapit, ſolusq; ſuperſtes*
*Edomita tellure manes, non flamina Parcæ*
*In te dura legunt, non ius habuere nocendi.*

# CORPORIS AFFECTVS.

DVRISSIMAM itaque mortem ſponte obire Phœnicem antiqui dixerunt: ue-runtamen parum adhuc fortè legentibus uideri potuiſſet, niſi etiam in tanto æuo, quod illi tribuebant, nullo morbi genere torqueri, imo uerò ne obnoxium quidem fuiſſe addidiſſent: quemadmodum idem Claudianus prodidit.

——*Solus plaga defenſus iniqua*
*Poſſidet intactas ægris animalibus oras,*
*Sæua nec humani patitur contagia mundi:*
*Par ſuperis uolucer.*

# VOX. CANTVS.

DE uoce Phœnicis nemo, quod quidem ſciam, præter Plinium, & Lactantium Firmianum quicquam memoriæ prodidit, qui modulatiſſimum illi cantum tribuerunt. Lactantius verò ita de eo canit:

*Atque vbi Sol pepulit fulgentis lumina portæ,*
*Et primi emicuit luminis aura leuis.*
*Incipit illa ſacri modulamina fundere cantus,*
*Et mira lucem voce ciere nouam.*
*Quam nec Iuleæ voces, nec tibia poſſit*
*Muſica Cyrrhæis aſſimilare modis.*
*Sed neque Olor moriens imitari poſſe putatur,*
*Nec Cyllenææ fila canora Lyræ.*

Reperiuntur item perbelli Varronis ſenarij, quibus argutus quidam, & canorus, alios ſe ad cantum ſuſcitare iactat, ac cantantium ſe Gallum Gallinaceum (quoniam hæc auis cantu ſuo totum diem laceſſit) & Phœnicis vocis ſuſcitabulum eſſe:

*Phœnicis adſum ſuſcitabulum,*
*Cantantiumque Gallus Gallinaceus.*

Sed fornicis ibi fortaſſe legendũ eſt, vt doctiſſimus[a] Adrianus Turnebus quoq; exiſtimauit, vt ſcilicet meretricularum blandæ, & melleæ voces intelligantur, verſu tamen, vt ait, claudicante.

[a] *Lib. 12. Aduerſ. c. 2.*

# ÆTAS.

Annorum vitæ Phœnicis numerus.

PHOENICI æuum quidem longiſſimum veteres omnes aſcripſerunt, ſed in explicando eius periodo admodum varij ſunt. Nam *de numero annorum*, vt Cornelij Taciti verbis vtar, *varia traduntur; maximè vulgatum quingentorum ſpatium. Sunt qui aſſeuerent mille quadringentos ſexaginta vnum interijci*; Hæc ille. Plinius ſexcentis ſexaginta; Herodotus, quocum Solinus, & Mela ferè conueniunt, quingentos & quadraginta; Philoſtratus ſexcentos, Seneca quingentos, Albertus trecentos

trecentos quinquaginta annos viuere Phœnicem dixerunt. Verùm etsi istæc modo ascripta ætas quibusdam nimis credulis hominibus quodammodo verisimilis videri posset, Chæremonem Aegyptium tamen etsi sacrarum literarum scribam, nec non Poetas, quorum alioqui fabulosè agere proprium est, vel splendidissimè mentitos, vel saltem nugatos fuisse liquidò constat: Ille enim sex supra septem millibus annos Phœnicis æuo tribuit; poetæ plerique mille, Hesiodus multò plures nouem nempe Coruorum γενέας (hoc est, vt Ausonius vertit, sæcula: nos quid de eiusmodi γενεᾶ sentiamus, antè in Corui historia diximus, quam lector curiosus adire poterit) Ouidius quinque sæcula tantùm, cùm inquit:

*Hæc vbi quinque suæ compleuit sæcula vitæ.* &c.

Claudianus modo stellis (*Stellas qui viuidus æquat, Durando, membrisq; territ redeuntibus æuum.*) vitam Phœnicis comparat, paulò tamen post lustrorum numero vixisse ait, sed numerum non explicat. Vt vt est, atque quocunque modo interpreteris vita Phœnicis longissima fuerit cuius, si Deo placet, Oppianus hanc adducit rationem, quoniam neque sagittis, neque lapidibus, neque laqueis, neque vllis alijs hominum insidijs petatur. Tantùm verò apud omnes Phœnicis viuacitas increbuit, vt adagium idque satis triuiale inde natum sit: Quo in primis vsus est Lucianus, οὐκ μὴ φοίνικος ἐτη βιῷη, i. *nisi Phœnicis annos vixeris.* Quod adagium ad prudentiam referri possit, sicuti idem alibi fecisse videtur, dum ait: *Quid verò tibi amplius respondeam, qui negas quenquam rectè discernere, nisi qui Phœnicis annos vixerit, omnesq; per orbem periculum faciendo accesserit.* Phœnice viuacior.

# AMOR IN PARENTEM.

QVAE iam dicturus sum, Phœnicem vnicum semper fuisse prorsus redarguerent, nisi parentis voce, cadaueris reliquiæ intelligendæ venirent. Sepelire enim filius patrem fingitur: ad quod beneficium tanta pietas, tantusq; amor Phœnici iam nato inesse perhibetur, vt vel *iam primùm adulto* (Taciti verbis vtor) *prima cura sit sepeliendi, neque id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inq; solis aram deferre, atque adolere; hæc incerta, & fabulosis aucta.* Hæc ille: Quæ etsi aliter Herodotus narret, Tacitus tamen ex eo descripsisse mihi videtur: *Phœnicem narrant*, inquit ille, *quod mihi non fit verisimile, hoc excogitare; ex Arabia proficiscentem in templum Solis, gestare patrem myrrha obuolutum, & in eo templo humare: sic autem gestare; primùm ex myrrha ouum componere, quantum ipse ferre possit; deinde ferendo illud experiri. Hoc expertum, ita demum ouum exenterare, atque in illud parentem efferre: & qua parte ouum exinaniuit, patremq; intulit, eam partem alia myrrha inducere: & cùm tantundem ponderis impositò parente effectum sit, obstructo rursus foramine baiulare illud in templum Solis. Hac facere hanc auem commemorant.* Alij defunctum parentem à pullo in eandem Soli dicatam vrbem gestari Smyrnæa cistula reconditum aiunt, quod Adamantinus etiam non inficiatur: verùm cuius opera illa contexta sit, subticent. Plinius verò, Ouidius, & Lactantius Firmianus, neque oui, neque cistulæ mentionem faciunt, sed simpliciter humasse parentem scribunt: verba illorum maioris fidei causa adijciam: *Principio iusta funeri priori reddit* (inquit Plinius) *& totum defert nidum prope Panchaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponit.* Ouidius sic ait:

*Cùm dedit huic ætas vires, onerique ferendo est*
*Ponderibus nidi ramos leuat arboris altæ,*
*Fertque pius cunasque suas, patriumque sepulchrum*
*Perque leues auras Hyperionis vrbe potitus,*
*Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.*

Atque ferè eadem Lactantius scribit:

*Ast vbi primæua cœpit florere iuuenta,*
*Euolat ad primas iam reditura domos.*
*Ante tamen proprio quicquid de corpore restat*
*Ossaque, vel cineres exuuiasque suas.*
*Vnguine balsameo, myrrhaque, & thure soluto*
*Condit, & in formam, conglobat ore pio.*
*Quam pedibus gestans contendit solis ad ortus*
*Inque ara residens, ponit in æde sacra.*
*Mirandam sese præstat, præbetque videnti,*
*Tantus ibi decor est, tantus abundat honor.*

Non

Non defuerunt denique, qui, quamprimùm pennas eſſet adeptus, Phœnicem ſeſe ſimul cum patre in Heliopolin conferre dixerint, quò cùm venit, oriente mox ſole parentem mori, & filio regni gubernacula tradere. Qui profectò plurimum ab alijs diſſentiunt, omnibus vnicam tantùm Phœnicem ſemper dari ſcribentibus.

## SEXVS. ÆNYGMA.

PHOENICI nullum ſexum tribuit antiquitas, vtpote quem abſque coitu generare, vt dictum eſt, crederet: quare rectè dubij generis à Grammaticis ſtatuitur: Super hoc egregium apud Lactantium ænygma eſt:

*Hæc fortunata ſortis, fatique volucris,*
*Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus.*
*Fœmina vel mas hæc, vel neutrum ſit mage felix,*
*Felix qua Venereis fœdera nulla colit.*
*Mors illi Venus eſt, ſola eſt in morte voluptas,*
*Vt poſſit naſci hæc, appetit antè mori.*
*Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres,*
*Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.*
*Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt*
*Æternam vitam mortis adepta bono.*

Meminit eiuſdem Baptiſta Mantuanus.

*Sola inter volucres, nec mas, nec fœmina, ſexu*
*Sola caret, Veneris ſola auerſatur honores.*

De Hermaphrodito ænigma.

Differt itaque tale ænygma ab ænygmate Hermaphroditi quòd in Phœnice planè nullus ſexus reperiatur, in Hermaphrodito verò vterque, quem ita loquentem Vergilius introducit:

*Cùm mea me genitrix grauida geſtaret in aluo,*
*Quid pareret, fertur, conſuluiſſe Deos.*
*Mas eſt Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq; neutrum*
*Cumq; ſorem natus Hermaphroditus eram.*

## PRODIGIA.

Magni anni conuerſio.

PHOENICIS conſpectum prodigij loco habitum volunt veteres, ſed quando & vbi viſus vnquam ſit, vel in dicendo diſſentiunt, vel id ipſimet fabulosè dici confitentur. Manilius teſte Plinio, cùm huius alitis vita magni anni conuerſionem fieri prodit, iterumq; ſignificationes tempeſtatum, & ſiderum eaſdem reuerti: hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis ſol intrauerit; & fuiſſe eius conuerſionis annum P. Licinio, M. Cornelio Coſſ.

Magnus annus.

CCXV. Solinus cui alioqui vera falſis miſcere ſolenne eſt, de magni illius ab eius viſu, anni conuerſione, raram inter authores fidem haberi refert, plurimos tamen eorum dicere magnũ annum non quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus noningentis quinquaginta quatuor annis conſtare. Verùm vt illud ridiculoſum eſt credere, ita quando viſus ſit Phœnix, incertum eſt. Corn. Tacitus eſſe ait, qui aſſeuerent mille quadringentos ſexaginta vnum interijci, prioreſque alites Seſoſtride primùm, pòſt Amaſide dominantibus, dein Ptolomæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, Heliopolin aduolaſſe: *Sed antiquitas*, inquit, *quidem obſcura eſt, quoniam inter Ptolomæum & Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt, vnde nonnulli falſum hunc Phœnicem, neq; è Arabum terris credidêre*: Xiphilinus eo, quo Tiberius diſceſſit, anno in Aegypto viſum fuiſſe author eſt, ipſiusq; Imperatoris mortem portendiſſe. Huic Aurelius Victor congruit. E' Plinio bis uiſum colligere eſt. Primùm enim prodijſſe narrat P. Licinio, M. Cornelio Coſſ. mox ex authoritate Corn. Valeriani in Aegyptum deuolaſſe Coſſ. Q. Plautio, Sex. Papinio, & Claudij Principis cenſura anno Vrbis DCCC. in urbem allatum, & in comitio propoſitũ, quod actis teſtatum ſit; *ſed quæ falſa*, inquit (aliàs quẽ falſum) *nemo dubitârit*. Solinus, qui alioqui omnia ferè, quæ de Phœnice habet, à Plinio, vt ſolet, tranſcripſit, unius tantùm temporis, illius nempe anni quem poſtremò ex Plinio poſuimus, mentionem facit. Quẽ Suidas ſecutus videtur: Phœnicem, inquit, aiunt ſub Claudio Cæſare Aegyptijs comparuiſſe διὰ τετταρων καὶ ὑκατων. Ex quibus cuiuis ſatis liquere arbitror ipſoſmet veteres ignoraſſe,

quo

quo tempore Phœnix apparuerit, qui certè nunquam apparuit. Quare planè neſcio quid in mentem uenerit Baptiſtæ Mantuano Chriſtiano alioquin, qui agricolas anni fertilitatem ex illius conſpectu colligere memorat, niſi poëtarum more fabulosè loquutum dicamus: ait autem:

*——In medio recubans Taprobana ponto*
*Tempora cognoſcit reditus. Tum ruſticus ergo*
*Suſpicit obſeruans volucrem. Nam creditur annus*
*Ille ſalutaris, pecoriq; & frugibus æquus.*

# MYSTICA.

SOli Phœnicem ſacram exiſtimârunt Aegyptij, cùm quoniam ſol ortus illius, necnon etiam interitus cauſam credebant; tùm etiam uel quia uterque in orbe unicus haberetur, uel quòd ut ſol cætera ſidera, ita Phœnix omne uolucrum genus pulchritudine ſuperâret. Alij uerò alias rationes adducunt: quòd ſcilicet Aegyptij, ſole magis quàm reliqui homines & gaudeant & beneficio eius perfruantur. illis enim quando maximè feruet, quo tempore reliquis prouincijs remotis, & in ſeptentrionem declinantibus grauis eſt, plurimùm emolumenti adfert; Nilo ſcilicet tunc inundante. Atque hinc eſt, quod poëtæ paſſim Phœnicem Solis alitem, ſoliſq; ſacerdotem nuncupant: ut Claudianus, cùm ait:

Solem cur Aegyptij uenerẽtur.

Nilus quãdo inũdet.

*Conueniunt Aquilæ, cunctaq; ex orbe volucres*
*Vt ſolis mirentur auem &c.*

Et Lactantius Firmianus:

*Antiſtes nemorum & luci veneranda ſacerdos,*
*Et ſola arcanis conſcia Phœbe tuis.*

Non deſunt tamen etiam, qui Phœnicem Veneri ſacram fecerint, forſan quia iuxta Claudianum:

*——purior illum*
*Feruor Solis alat:*

uel quia unà cum ſole magni anni periodum conficere, & metiri creditur.

# HIEROGLYPHICA.

SVm itaque, ut iam diximus, Aegyptij ſapientes per Phœnicem Solem intelligerent; & ſole maximè feruente Nilus exundaret, identidem per Phœnicem Nili inundationem ſignificabant: ſed non ſimplex erat apud illos exundationis uocabulum. Nam exundare, præſtare & excellere etiam dicebant, ut ſi quis in egregia quadam uel animi, uel corporis dote clarus eſſet, hunc exundare dicerent: Et nobis quoque uſitatũ eſt, uiros doctrina uel alia quauis uirtute raros, Phœnices uocare. In quo ſenſu ſæpè Petrarcha Lauram ſuam Phœnicem nuncupat. Cùm uerò etiam quippiam, quod longa annorum ſerie intermiſſum, etiam antiquatum eſſet, qualia ſunt ludi, ſacra, ceremoniæ, ſupplicationes, mores rituſue aliqui, triumphorum ſplendores uel quid huiuſmodi: euenisſetq; poſtmodum, ut inſtaurati contigiſſet, ſignificare uellent ijdem Aegyptij, tunc quoque in eiuſmodi rei ſignificatum Phœnicem exculpebant. Eadem uolucris diuturnæ abſentiæ hieroglyphicum eſt, necnon & animi peregrinationis in hoc corpore: dum enim Spiritum in hac terra ducimus, à patria procul abſumus. Denique Phœnix æternitatis ſymbolum fuit, unde etiam imaginem ipſius in Phi lippi Imperat. numiſmatibus paſſim expreſſam legimus. Atque ad hunc ſenſum Hetruſcorum poëtarum princeps amoris ſui, quo Lauram ſuam proſequebatur, æternitatem ſignificaturus, elegantiſſimè eum Phœnici, quo nomine illam non ſemel celebrat, aſſimilabat, dum canit:

Inundatio nis Nili ty pus.

Exundare quid Aegy ptijs.

Phœnices qui dicti.

Ceremoniæ reitera tæ per Phœnicẽ ſignifi catæ.

Abſentiæ diuturnæ hieroglyphicum.

Aeternitatis ſymbolum.

*La onde'l dì vien fore,*
*Vola vn Augel, che ſol ſenza conſorte*

[a] *Li. 5. Hexam. c. 23.*

*Di volontaria morte*
*Rinasce, e tutto à viuer si rinuoua:*
*Cosi sol si ritruoua*
*Lo mio voler, e cosi in sù la cima*
*De suoi alti pensieri al Sol si volue,*
*E cosi si riuolue,*
*E cosi torna al suo stato di prima:*
*Arde, e more, e riprende i nerui suoi,*
*E viue poi con la Fenice à pruoua.*

# MORALIA.

APhœnicis etsi fabulosæ volucris exemplo Theologi, Sanctiq; Patres moralia conscribere non dedignati sunt, atque in primis D.[a] Ambrosius resurrectionis typum inde elicit: *Docemur*, inquit, *huius auis exemplo resurrectionem credere, quæ & sine exemplo, & sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et vtique aues propter hominem sunt, nõ homo propter aues. Sit igitur exemplo nobis, quia auctor, & creator autum Sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui auem vnicam perire non passus, eam sui semine voluit reparari. Quis igitur huic annunciat diem mortis, vt faciat sibi thecam, & impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic, vbi odoribus gratis fœtor funeris possit aboleri? Fac & tu ò homo tibi thecam; expolians veterem hominem cum actibus suis, nouum indue. Theca tua, vagina tua, Christus est, qui te protegat, & abscondat in die malo. Vis scire quia Theca, quia protectio est? Pharetra, inquit, mea protexi eum. Theca ergò tua est fides: imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, hoc est, castitatis, misericordiæ, atque iustitiæ, & in ipsa penetralia fidei suaui præstantium odore redolentia totus ingredere, ea te amictum fide exitus vitæ huius inueniat, vt possint ossa tua pingue scere, & sint sicut hortus ebrius, cuius citò semina suscitantur. Cognosce ergò diem mortis, sicut cognouit Paulus, qui ait: certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; quod reliquum est, posita est mihi corona iustitiæ. Intrauit igitur in Thecam suam quasi bonus Phœnix, quam bono repleuit odore Martyrij.* Talis item generatio, qualis vulgò Phœnici ascribitur, egregie Saluatoris nostri IESV Christi typum quendam præ se ferre videtur. Hic enim sine virili semine, cælesti scilicet virtute, hoc est Spiritu Sancto intra aromatica ligna, hoc est, intra purissima Beatissimæ Virginis viscera, & ex sacro ipsius cinere, hoc est purissimo sanguine procreatus est, è quibus ceu lignis aromaticis odor quidam præstantissimus exiens, & suauiolentia sua cælos ipsos pertingens, filium Dei in incredibilem erga se amorem pertraxit: vnde illud Salomonis. *Quæ est ista, quæ ascendit, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* Vbi verò Christus ex Aue, hoc est, ex Deo homo factus Phœnicis instar in solitudine habitasset, & vitæ cursum impleuisset; lignis aromaticis, hoc est, Sanctę Cruci membra sua affigenda exposuit, vt nos, qui eius pignora sumus, ab omni peccatorum labe redimeret: vnde ita in Cruce, velut in nido aromatico mortuus, & ceu in cinerem redactus, in vermem se se commutauit, iuxta illud Esaiæ. *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Dicens illud Psalmi: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Quemadmodum ergò nouus Phœnix ex verme nasci perhibetur: ita re vera Saluator noster vermis in Cruce factus post triduum nouam vitam resumpsit, & propria virtute ceu alis innixus ad cœlos euolauit. Tunc autem è conspectu omnium se se eripuit, cùm videntibus discipulis ascendit ad dexteram Dei Patris; & [a] *Videntibus illis eleuatus est in cælum.* Præterea, quemadmodum Phœnix vnica ales dicitur, ita etiam de IESV Christo[b] dicitur, *Non inuentus est ei similis.* Phœnicem Christo egregiè etiam hisce versibus Nicolaus Reusnerus comparat:

[a] *Li. 5. Hexam. c. 23.*

Iesus Phœnici similis.

[a] *Actor. 2.*
[b] *In Eccles.*

*Quæ thuris lachrymis, & succo viuit amomi:*
*Fert cunas Phœnix, busta paterna suas.*
*Vnica semper auis: pater, & sibi filius ipsa:*
*Morte sibi vitam dat sibi sola nouam.*
*Nam quoties super orbe decem iam sæcula vixit:*
*Supremi moriens nascitur igne rogi.*
*Sic Christus vitam sibi reddit morte, suisq;*
*Christicolis: sibi quos iungit amore pari.*
*Verus homo, verus Deus vnus, & arbiter æui:*
*Lumine qui lustrat, numine cuncta fouet.*

Felix

*Felix qui Christo per sancta lauacra renatus;*
*Amne sacro vitam dum rapit, amne capit.*

Possunt item Sancti huic licet fabulosæ volucri assimilari, qui post crudeliter illatam à tyrannis mortem, cælos incolunt. Vnde idem Poëta: Sãcti Phœnici comparati.

*Phœnices (si vera ferunt) mors ipsa refingit:*
*Huic sit vt vnus aui vitaq́, morsq́, rogus.*
*Ite ô carnifices: Sanctorum sancta cremate*
*Corpora: quos vultis perdere, flamma paret.*

Venerabilis [c] Beda in hæc patientissimi D. Iobi verba: *Dicebamq́, in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*, ita scribit: *nidus eius exterior, homo eius intelligendus est, qui de fœno carnis illius compositus à Deo fuerat, & constructus. Omnis enim caro fœnum. In hoc igitur nido semper se mori sub testificatione dicebat, dum vitijs mundi, & eius concupiscentijs non viuebat, odio illam habens quæ carnalis est, maculatam tunicam. Palma autem arbor secundum Græcos φοῖνιξ dicitur: Auis quoque illa, quam multi facilè quidem viuere autumant, φοῖνιξ eodem nihilominus vocabulo nuncupatur. Potuit fortassis de eadem hoc loco dixisse, vt sicut illa nidum sibi faciens, in ipso post multa tempora, à semetipsa concremari, & rursus de eiusdem nidi cineribus fertur inter breue tempus resurgere, quæ deinceps multis viuat temporibus. Fieri ergo potest, vt D. Iob in similitudinem auis illius dicat, se post mortem in carnis cinere, velut in nido pro tempore futurum, & inde resurrecturum in gloriam, atque hos æternos esse dies, quos multiplicandos sibi fideles Dei cultor expectet: ita enim & superius est loquutus, dicens: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum:* Hæc itaque Beda, verùm nunquid D. Iob de Phœnice Aue intelligat, vt Beda dubitat, ita nec ego vel affirmauerim, vel negauerim, verũtamen si quis id pertinaciùs affirmet, atque ita sacrarum literarum testimonio Phœnicem dari dicat, quòd ego antè semper negaui: Dicam, vel fieri potuisse D. Iob etiam suo tempore à communi istac opinione deceptum fuisse, vel quod verisimilius est, de palma, non de Phœnice loqui, vtraque enim φοινιξ Græcis teste eodemmet Beda appellatur, voce æquiuoca. Ita pariter Latinus interpres D. Hieronymus alium Psalmographi locum, nimirum: Iustus vt φοῖνιξ florebit, rectè Palma reddit: quem tamen locum citans D. Epiphanius, Phœnix auis transtulit, quemadmodũ quoque doctissimus Tertullianus fecit. [c] *Lib. 2. Expos. in Iob.*

# PROVERBIA.

Κατὰ φοίνικα ἀναβιωσκεσθαι, id est, *Phœnicis in morem reuiuiscere*, prouerbium de eo dicitur, qui longa valetudine, assidnis curis, amore, solicitudine, carceris tædio emaciatus, nunc viuidior factus ad se redit. Aristides ad statum ciuitatis refert, cuius ruinæ in nouam vrbis faciem restitutæ sunt, reparatis etiam ijs, quæ obsoleta forent, ita enim loquitur de Smyrna M. Aurelij reædificata: *Repullulat ciuitas depositio senio, vetus eadem noua, quomodo Phœnicem reuiuiscere fama loquitur.* Et rursus. *Facta est eadem vrbs, & antiquissima, & nouissima resumpta iuuenta, quod de sacra alite dicitur. Phœnicis æuum* etiam prouerbio locum fecit, & de eo dicitur, qui naturalem viuendi regulam excedit, de quibus antea fusiùs diximus. Phœnicis in morẽ reuiuiscere. Phœnicis æuum.

Præterea raritas huius alitis in adagium etiam cessit, vt *Phœnice rarior*, φοίνικος σπανιώτερος, de homine raro, vnde [d] Persius. Phœnice rarior. [d] *Satyr. 1.*

*Quando rara auis est, si quid tamen aptius exit,*
*Laudari metuam.*

Adagium illi simile est; *Coruo quoque rarior albo.*

# MEDICA. VSVS.

NON contenti verò veteres fictitiam nobis hanc alitem pro vera obstrusisse, ausi etiam sunt de medicamentis eius quædam excogitare. [a] Plutarchus cerebrum Phœnicis non tantùm dulce esse tradidit, sed dolores capitis etiam inferre. Et Plinius inter prima à Magis ex cinere eius nidoque medicinas proditas esse scribit, verùm prudenter istæc subiungit: *ceu verò id certum est, atq; non fabulosum; irridere est vitæ remedia post millesimum annum reditura monstrare.* [a] *L. de tuenda sanit.* Cerebrum Phœnicis.

Fertur Heliogabalus profusissimus ille, ac dissolutissimus Imperator Phœnicem, vt Lampridius scribit, in conuiuijs, vel pro eo mille libras auri, vt in prætorio eas dimitteret, promisisse. Equidem aurum persoluere potuit, Phœnicem verò duntaxat polliceri. Phœnix denique nobilissimæ, & fortissimæ Heroinæ Marfisæ ab Arioſto tantoperè decantatæ insigne fuit; quæ cur id sibi nuncupauerat, ille hisce versibus indicat:

Cantic. 36. Stan. 17. & 18.

*Marfiſa ſe ne vien fuor de la porta,*
*E ſopra l'elmo vna Fenice porta.*
*O ſia per ſua ſuperbia, dinotando*
*Se ſteſſa vnica al mondo in eſſer forte,*
*O pur ſua caſta intention lodando*
*Di viuer ſempre mai ſenza conſorte.*

# SYMBOLA. EMBLEMATA.

PHOENIX ita pictus, vt in nido ardere videatur, cum verbis VNICA SEMPER AVIS, ſymbolum fuit Helionoræ ab Auſtria Franciſci Galliarum regis viduæ, quo optima quæque & pretioſiſſima inuentu difficillima eſſe ſignificabat.

Phœnix eodem modo ſe cremans, ſed cum verbis SOLA FACTA, SOLA DEVM SEQVOR, ſymbolum fuit Bonæ, Galeazij Mediolanenſium Ducis matris, quo ſe poſt obitum mariti ſoli æternoq; Deo dicaſſe innuebat.

Phœnix in medio flammarum cum verbis NE PEREAT, ſignificat hominem, qui in præſenti vita ſeſe ceu igni exponat, hoc eſt, patienter aduerſa ferat, ne in æternum pereat. Si verò hæc uerba ablatis alijs ponantur VT VIVAT, illum ſignificat, qui omnia perferat, & in hoc totum ſeſe det, vt breuitatem vitæ cum famæ bonitate compenſet.

Phœnix faſciculo aromatũ hoc eſt, nido ſuo inſidens, neq; alarum ventillatione ignem accendens, ſed tantummodo in cælum oculorum aciem intendens, cum verbis SOLA LVMINA SOLIS, illum ſignificat, qui inter alias eaſq; pulcherrimas mulieres vnam tantummodo petit.

Phœnix in accenſo nido alas ad ſolares radios expandens cum hiſce tribus literis V. E. V. & cum verbis VT VIVAT, ſignificat hominem, qui & dum viuit, & poſt mortem ex exanthlatis ſuis laboribus immortalitatem ſibi cõparat. Tres illæ literæ ſignificant, VITAM AETERNAM VIVO: vel ſignificat hominem, qui omnem ſuam ſpem in Chriſtum dominum ſolem iuſtitiæ ponit, à quo vitæ ſuæ renouationem deſiderat. Nam ignis ſancti Spiritus typus eſt, quem exoptare, & amplecti quiſque debet, vt exuat æternum pondus, & æternùm viuat. Fuit id Emblema Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Chriſtophori Madrutij, Cardinalis Tridentini, de quo hoſce verſus me legiſſe memini, quos etſi Italicos aſcribere placuit:

*Quando è da gl'anni affaticata, e graue*
*La prudente Fenice, il nido accende,*
*E co' raggi del Sole il fuoco accende,*
*Ond'arde, e dal morir vita riceue.*
*Così chi la fatica eſtima leue,*
*Per cui fra bei ſudor virtù s'apprende,*
*Se ſteſſo chiaro viue, e morto rende,*
*Ne teme il vaneggiar del tempo breue.*
*E veramente eterna vita viue*
*L'huom, che lei ſempre amando il vitio abhorre*
*Ripieno il cuor di luminoſi rai,*
*E chi non cura, ch'à bel fine arriue*
*Se viueſſe più tempo di Neſtore*
*Si deue dir che non viueſſe mai.*

Phœnix pariter in medijs flammis depictus, ſed ſine verbis adiectis, ſymbolum fuit Baronis cuiuſdam vulgò della trinità dicti, de quo ibidem hi verſus Hetruſci leguntur:

*Rinaſce e viue ogni hor de la ſua morte*
*L'Alma Fenice, & ſe nel foco affina*
*Che ſendo ad altri ingiurioſo e forte*
*A lei contra il ſuo fine è medicina,*
*Così trahe l'huom de la commune ſorte*
*Lodato ſtudio, e nobil diſciplina,*
*E ſol per via de le fatiche aſcende*
*A vero honor, che glorioſo il rende.*

SEMENDAE

# SEMENDÆ CRANII DESCRIPTIO.

SI modò cranium, cuius hîc picturam exhibeo, illius Semendæ est, de qua neoterici, qui de India commentarios ediderunt, multa, eaq; parũ verisimilia commenti sunt, pro veterum Phœnice nobis obtrudere conantes, equidem nullo pacto Phœnicis caput referet, quoniam ad Aquilinum quodammodo accedere debebat. Cùm verò cranium hoc Aquilino capite vel quadruplo maius fit: itaque vel illorum Semendæ, vel certè ueterum Phœnicis minimè fuerit. Vtut est, illud mihi pro Semendæ cranio Venetijs apud quendam Mercatorem depictum est, & pòst pro eodem, Magno Hetruriæ Duci uenditum, & in Musæo reseruatum. Damasco autem huc fuerat allatum, eratq; curuum & valdè crassum, colore albicante in anteriori parte, in posteriori verò purpureo obscuro, figura ouali. Rostrum erat palmum longum, admodum acutum, & intus cauum quidem, sed sine tribus illis fistulis, quibus musicam harmoniam à Semenda sua edi illi fabulati sunt.

Semendæ cranij non esse Phœnicis.

Rostrum.



# DE CINNAMOMO AVE. Cap. XXIX.

[a] *H.9.c.13.* HANC Auem, [a] Ariſtoteli notam Bellonius cum Manucodiata, Rhyntace, necnon Phœnice, ſicuti ſæpè diximus, implicat, quare nõ ab re de ea hîc pertractabimus, maximè quòd rariſſima ſit, & Manucodiatis etiam rarior. Et quamuis nihil de ea certi habeam, ex ijs tamen, quæ ex antiquis allaturus ſum, Bellonij hallucinatio manifeſtabitur.

## SYNONIMA.

[a] *L.10.c.33* [a] ARISTOTELI κινάμωμος, Plinio Cinnamologus, (alij Cynamomus legunt) dicitur; Hermolaus Barbarus apud Ariſt. κινάμολγον, non κινάμωμον ſcribendum eſſe ſuſpicatus eſt. Ornithologus authoritate Neſtoris Grammatici, & medicorum, Theophraſti nempe, Aeliani, Philis, Dionyſij, & eius interpretis Euſtathij, Cinamomum per n ſimplex ſcribendum eſſe putat à cinamomo, videlicet aromate, quod primam corripit. Sed cùm paſſim apud Poëtas eoſq; præcipuos, vt Ouidium & Claudianum primam variari, & modò per n ſimplex, modò per duplex ſcribi videam, id non magnifacio. Euſtathius Ariſtoteli tum ipſos ſurculos, tum ipſas Aues, ex illis nidum cõſtruentes κινάμωματα genere neutro plurali dici tradit, quod ſanè commodiùs fit apud Græcos, quibus ὄρνεον generale auium nomen etiam neutrum eſt. Etymum. Ken. Kaneh. Ego nullum neque apud Græcos, neque apud Latinos auis nomen neutrum noui. Ornithologus ab Hebraica, vel Arabica voce קן Ken, id eſt, nido, ex quo cinnamomum decuti volunt, nominis originem, non abſurdè peti poſſe arbitratur; vel à קנה Kanec, hoc eſt, canna, ſeu arundine. Cinnamomum enim cortex fruticis eſt figura cannę, ſeu canalis inſtar, vnde vulgò etiam Canella. canella vocatur.

## FORMA. DESCRIPTIO.

[a] *In Euterpe* PRAETER vnum [a] Herodotum, ſi modo de Cinnamolgo loquatur, neminem veterum habemus, qui de magnitudine Cinnamulgi meminerit. Is verò grandem etiam ſolummodo dixit. Etſi enim Vincentius Bellunenſis Ariſtotelis teſtimonio Paſſere aliquanto maiorem, coloris partim flaui, partim cærulei eſſe, roſtrumq; habere longum ad flauum vergens ſcripſerit, nihil tamen tale apud Philoſophum legitur, nec apud quemuis quod noui, alium.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

CInnamulgus auis equidem peregrina eſt, atq; hactenus nobis incognita, ita vt ad certũ auium genus referre non potuerimus; quia tamen ex Herodoti verbis carnibus veſci colligimus, itaque vel ad rapacium, vel Coruinum genus reducendam arbitramur. Vnde profectò Phœnix minimè eſſe poterit; ſiquidem Ariſtoteles grauiſſimus & veridicus author nunquam nobis nugas pro veris obtrudit, vt hîc ſaltem facere conatur Bellonius, qui quàm bene etiam concludat Rhyntacem eſſe prorſus non capio, neque vllum uideo tantæ audaciæ fulcrum. Nec Manucodiata denique fuerit, nam hæc pedibus caret, quod cùm in omnibus Auibus Ariſtoteles diſertè negauit, Cinnamomum apodem dicere minimè potuit.

## LOCVS.

Auis Arabiæ. ANtiqui fermè omnes, atque ipſe etiam Ariſtoteles Cinnamulgum in Arabia degere ſcripſerunt: unde Solinus auem Arabiæ, illam nuncupabat. Dionyſius Afer, ubi Cinnamomi laudes proſequitur, ex inſulis inhabitatis ab Auibus eiuſdem nominis id aferri quidem, ſed terram quæ id ferat, ignorari unà cum Herodoto memorat. Poſſit tamen conijci inſulas illas prope mare rubrum eſſe, quod inter Africam eſt, & Taprobanem inſulam. Contrà [a] Albertus Cinnamulgũ in Aethiopia ex nobiliori cinnamomo nidum texere, auemq; ſimul cum interraneis ſuis non euiſceratam propter aromaticum eorum quibus nutritur, odorem comedi ſcribit, ſed ſine ullo authore. Nos apud Cteſiam referente [b] Plutarcho Rhyntacem apud

[a] *Lib.23.de Animal.*
[b] *In vita Artaxer.*

cem apud Persas nasci, in qua nihil excrementi inueniatur, sed interna omnia adipe plena esse suo loco diximus. Cum hac Cinnamulgum Albertus, eiusq; in hoc fortè æmulus Bellonius cõfundunt, cùm tamen de Cinnamomo id veteres minimè scripserint. Idē [c] Albertus locū Aristotelis de Alcyone traducens, eam auem minus bene cum Cinnamulgo confundit; ut & alij eum sequuti ineptissimi scriptores.

[c] *L.9. Hist. cap.14.*

# NIDVS.

DE uolatu, moribus, generatione, nihil prorsus memoriæ proditum reperitur: nisi quòd nidum ex præstantissimi, odoratissimiq; aromatis, cinnamomi inquam furculis extrueret: uerùm de nidi loco, & quomodo cinnamomum id colligatur, qui id tradiderunt autores quàm maximè dissentiunt. Aristoteles enim in excelsis arboribus, & arborum ramis nidificare dixit. Huic Solinus astipulatur, & in excellentissimis lucis nidulari, & nidum propter ramorum altitudinem & fragilitatem hominibus inaccessum esse de suo addidit. Contrà Herodotus in præruptis montium extruere nidum prodidit: cuius uerba, ut quantum Aristotelis doctrinæ aduersentur, lector uideat, apponere libuit: *Cinnamomum*, inquit, *Arabes mirabilius, quàm thus aut Casiam legunt, nam aut quomodo, aut qua in terra illud gignatur nequeunt dicere: nisi quod probabili ratione utuntur, quod quidam volunt id gigni in his regionibus, vbi Dionysius educatus est, & ipsas cinnamomi festucas afferri à grandibus quibusdam auibus ad nidos è luto constructos in præruptis montium & homini inaccessis. Contra quas hoc Arabes excogitarunt: boum, asinorumq; defunctorum, & aliorum iumentorum membra minutatim concisa, in ea loca portant, & vbi iuxta nidos posuêre, procul abscedunt. Ad hæc frusta delapsæ volucres, ad nidum suum carnem comportant; cui sustinendæ impares nidi ad terram discessi labuntur; tunc Arabes ad colligendos eos accedunt.* Hæc ille. Quæ sanè uerba [a] Plinius planè peruertit, dum priuatim illum id de Phœnicis nido intellexisse, & plumbatis sagittis decuti scribit, hoc scilicet de suo addens, ut aliàs etiam diximus. Quodsi uerò quispiam Plinium id ab Aristot. qui pariter ita ex arboribus peti, & destrui nidum dixit, mutuatum fuisse obijciat, is tamen Aristotelem minimè de Phœnice dixisse id crediderit. Nunquid uerò Herodotus & Aristoteles de eadem aue intellexerint, etsi id audacter non affirmem, non tamen omninò negauerim. Etenim fieri potest, ut utroque modo cinnamomum decutiatur, auisq; tam in arboribus, quàm in præruptis montibus nidificet: siquidem id etiam de multis rapacibus uerificatur. Neque uerò etiam istæc mihi fabulas sapere uidentur, etsi falsa omnia sibi hoc unico argumento nixus Plinius, quoniam in Arabia cinnamomum non reperiatur, uideri dicat, eumq; fortè sequutus Aelianus: *Eorum*, inquiens, *quæ nunc adferuntur, fides, si mercantur eam, siue minus, penes Indos esto, quibus authoribus hæc ad nos fama dimanauit: quanquam & Nicomachi filius Cinnamomi auis suauissimo illi aromati cognominis meminit. Hanc Indi ad se eodem vocatum nomine cinnamomum aroma adferre aiunt: vbi verò aut quomodo id proueniat, hominum nosse neminem.* Hactenus ille.

Herodotus ab Aristot. dissentit.

Arabes quõ Cinnamomum colligant.

[a] *L.12.c.19*

# HIEROGLYPHICVM.

AEgyptij aromatarium, aut quempiam ab aromatum mercimonijs ditescentem significaturi, Cinnamulgum pingebant, quod hæc auis, ut ostendimus, ex illo aromate nidum sibi texat.

Aromatarij typus.

# DE PICIS MARTIIS. Cap. XXX.

IAm tandem ad institutum à nobis ordinem, à quo digressi sumus, reuertimur & ad Picos accedimus, quorum historiam subinde post Picas promisimus, quoniam & illos humano sermoni assuefactos aliquando legamus, tùm uerò maximè quòd rostro sint durissimo & robustissimo.

# ÆQVIVOCA.

PIcus [a] Aristophani Attica & Dorica lingua πελέκας, communi uerò πελεκὰν appellatur παρα τὸ πελεκᾶν τὰ ξύλα hoc est, à perforandis lignis: quod præter Picos Chamæleonti quadrupedi etiam competit, quòd & ipse arbores, animalculorum sub earum corticibus latitantium causa, rostro pertundat; Idem de alio quodam animali prodidit [a] Petrus Martyr, cui admirandum rostri formam tribuit, utpotè quod dodrantalis magnitudinis, & acutum esse ait, & oris loco in cuspide foramen habere, per quam linguam longissimam in cubilia formicarum protrudat. Præterea πελεκὰν Aristoteli non Picus est, sed Platea, ut [b] Plinius & Gaza

[a] *In Auib.* Chamæleõ quadrupes.

[a] *Hist. Ind. c.7.dec.8.*

[b] *9.H.c.10.* Pelecan Aristotelis.

& Gaza interpretantur,uel ut Cicero,Platealis: Ne quis tamen πελεκὰν Ariſtoteli, & Ariſtophani eandem auem ſignificare exiſtimet,itaque huius uerba aſcribere operæpretium eſt,quæ ſic habent ὀρνιθες ἦσαν τέκτονες σοφώτατοι πελεκᾶντες, οἱ τοῖς ῥύγχεσιν ἀπεπελέκησαν τὰς πύλας, ἦν δ' ὁ κτύπος αὐτῶν πελεκώντων ἔστερ ἐναυπηγίω, ubi pro πελεκώντων ſcribẽdum haud dubio πελεκούντων, ut ſit participium à πελεκάω. Andreas Diuus Ariſtophanis interpres ad Græcam uocem alludens pelecantes tranſtulit. Verba ad uerbum tranſlata ita ſonant eo interprete: *Aues erant ſapientiſſimi pelicantes, qui roſtris dolauerunt ianuas: erat autem ſtrepitus ipſorum pelecantium tanquam in nauis fractione.* Quodſi tamen quiſpiam pertinaciùs, quam ueriùs de quauis aue roſtro contendente intelligendum Ariſtophanem aſſeueret: Heſychij & Suidæ tamen uerbis,quæ noſtræ opinioni ceu calculum addunt,uelit,nolit,acquieſcere cogitur. Ille enim ſic ſcribit, πελεκὰν ὄρνεον τὸ κολαπτον καὶ τρυπῶν τὰ δένδρα, hoc eſt, *Pelecan auis excauans, & perforans arbores.* Hic ita habet, εἶδος ὀρνέω τρυπῶν τὰ δένδρα, ἀφ' οὗ καὶ δενδροκολαπτὴς καλεῖται; id eſt, *ſpecies auis perforans arbores, à quo etiam arborum perforator dicitur.*

Gryphes pici dicti.

Porrò Romani Picos etiam uocabant, quas Græci Gryphas, belluas fabuloſas quadrupedes,auritaſq;, uiſu & forma terribiles,corpore leonino,roſtro,alis,pedibus Aquilinis,de quibus ſuo loco abundè dictum fuit,ad quem lectorem remitto.

Picus etiam, Rex Latinorum, Saturni filius, Fauni pater, Latini auus,auguriorum peritiſſimus dictus fuit,qui à Circe adamatus,cùm ſpreto eius coniugio, Canentem Nympham duxiſſet uxorem,ab irata Dea,uirga percuſſus in auem ſui nominis mutatus fertur: Quæ ſanè fabula Picum auem ab illo primum in auſpicium adhibitam fuiſſe ſignificat: Meminit eius Pici [c] Ouidius:

Picꁋ cur in Auem eam mutatꁋ fingatur.

[c] *Metam. 13.*

*Picus in Auſonijs proles Saturnia terris, &c.*

Et [d] Vergilius:

[d] *Aeneid. 7.*

*Picus equûm domitor, quem capta cupidine coniux*
*Aurea percuſſum uirga, uerſumq́ uenenis*
*Fecit auem Circe, ſparſitq́ coloribus alas.*

Iupiter picus dictus.

Picum (πικον) Iouem quendam etiam dictum fuiſſe legimus,qui Occidentis imperio Mercurio filio tradito poſt uitam annorum centum & uiginti obijt, & corpus in Creta inſula humari uoluit, cum tali inſcriptione HIC CONDITVR DEFVNCTVS PICVS IVPITER. Suidas plurimos huiuſce ſepulchri in ſcriptis ſuis meminiſſe tradit.

Picumnus. In Theogonia.

Picumnus denique non pro Pico tãtùm,ſed pro Pica etiam ſumitur; & Picumnus is Deus dicebatur, qui in ſacris Romanis adhibebatur,cuius meminit Aemilius Macer:

*Et nunc agreſtes inter Picumnus habetur.*

# SYNONIMA.

[a] *In Hiſtor. Animal.*

[b] *In cõment. ab Ariſt.*

NOmenclaturæ, quas hîc modo damus,Picis Martijs omnibus conueniunt.Pro Hebraica uoce אנהה anapha nonnulli Picum interpretantur, [a] Auicennæ interpres pro Pico alibi Bleſchiat habet:& alia quædam barbarie plena nomina apud [b] Albertum leguntur; *inuenitur*, inquit, *genus unum Dura ſiue Pici, quod uocatur Koduron Græcè, quod quidam uocant Kafraheos Cybóleth: ſub quo etiam comprehenditur aliud genus, quod uocatur Ruboζ, quod maximè perferat ligna.* Græci uocabulo generico Picũ Δρυοκολαπτιω appellant, quãuis tamen Ariſtophanes alibi δρυκολαπτιω triſyllaba uoce,atque alibi δρυπολαπτιω per π in ſecunda dixerit. Heſychio etiam δρυοκολαφ dicitur ἀπὸ τῆ κολαπτεῖν δρυς, hoc eſt, à pertuntendo arbores, Δρυς enim non ſemper ſimpliciter quercum Græcis ſignificat,ſed lata ſignificatione pro quauis arbore accipitur:quare etiam δενδροκολαπτης, ξυλοκόπος & δρυκοπος Ariſtoteli uocatur. Gaza pro δρυκοπῳ Roboriſecum uertit,atque ita pariter ξυλοκοπος ligniſecus traduci poteſt. Nam & ξυλοκοπος dicitur is,qui ligna cædit, quem nos un reſtelatore dicimus. Δρυτομος apud Ariſtophanem in eadem ſignificatione legitur; & κολαφος à Miletio etiam Picus appellatur ἀπο τῆ κολαφαι τὸ μερος τὸ πληττομένον, id eſt, à quatiendo illud quod percutitur: à Græcis recentioribus κερκενιζης. Latini Picum ſimpliciter, uel cognomento addito Picum Martium dicunt, quoniam Marti ſacra auis haberetur. Feſtus à Pico Aboriginum quibuſdam dictam putari ſcribit, [c] Iſidorus à Pico Saturni filio,qui idem cum illo eſt,& Pico primùm in auſpicijs uſus. Plinius nunquam ſimpliciter Picum,ſed uel Picum arborarium, uel arbores cauantem nominauit. Ornithologus inquirendum proponit,nunquid Picus à roſtro dici poſſit: quoniam, inquit Toloſani roſtrum olim uocabãt beccum:unde Beccaſſę,hoc eſt,Gallinagini apud Gallos nomen inditum eſt. Nos

Δρυς quid Græcis.

[c] *L. 12. Origen. c. 7.*

Picus an a roſtro dictus.

est. Nos quoque patria voce rostrum quidem beccum vocamus; verùm nunquid ab eo Picus, quasi beccus dici queat, alij iudicent. Ego potiùs à Flandrorum picken, quod est, rostro tundere, nomen auis dimanasse crediderim; Siquidem verbum illud proximè cùm ad nomen, tùm ad naturam auis accedit. Vt verò poetæ Martem Mauortem, ita etiam Picum Mauortium, & alitem Mauortiam nuncupant: vnde Mantuanus:

*Turmatim campos volucris Mauortia Picus.*

Itali omne Picorum genus Pico vocant, seu Picchio, Hispani, si benè memini, Bequebo, Galli Pic, Pimart, Pinnar, Picu Mart, & Beschebos à pungendis scilicet arboribus: Germani Specht, quæ vox cum πελεκος (sic Picum Hesychius nuncupat) similitudinem habere videri potest. Belgis appellatur een Spicht, Northmannis Espec, Anglis Aspecht, vel à Vuodpecker, vel Raynbyrde: In Carinthia Baumhecker, Polonis Dzieziol, Turcis Sægarieieck.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

[a] Aristoteles tria Picorum genera recensет; vnum Merula minus, cui rubidæ aliquid plumæ insit: alterum ea maius: tertium non multò minus, quàm Gallina. Mihi præter istæc, bina item alia genera obseruata sunt, quæ pòst etiã illis adijciam. Differunt verò omnia corporis magnitudine potissimùm & colore. Multi præterea scriptores alias aues Picos vocantes, eas velut illorũ genera faciunt: atque in primis Albertus, *Picus*, inquit, *alius marinus est, alius syluestris; vterque cauat cortices arborum, pabulum subesse sperans*. Quo loco Ornithologus Picum illum, quem marinum vocat, non esse aliam auem, quàm Alcyonem rectè meo iudicio iudicaret, si & ille arbores pertunderet, quod non credo, quare aliam esse, omnino statuendum est. Idem [b] Albertus, vbi Tetrix quædam auis Aristoteli vocatur, quam Athenienses Vragen vocant, sic habet: *Radoryz species quædam Picorum est, ferè similis Turdo*, quod approbari neutiquam potest. Rursus vbi Aristotelis aliam auem Glottin appellat, *linguamq; prælongam exercere* tradit, *apud suos Picum linguosum dici, & linguam cæteris Picis longiorem habere, & raro & nisi in recessibus magnarum & veterum syluarum inueniri scribit*. Ego verò neque Picum hoc nomine agnosco vllum, neque etiam Glottidem omnino Picorum generi, sed Gallinularum palustrium potiùs annumerem. In eundem errorem Niphus incidit, qui Glottin Lingulacam esse vult, & Picum Tocciolum vulgò dici asseuerat, qui formicas & vermes oblongi sua lingua extrahit. Hesychius & Varinus [c] Aristophani quandam auem Dryopem nominari, & à Dryocolapte diuersam esse scribunt, sed quæ sit, ab eius Scholiaste non explicari. Dryopes verò populi sunt teste Suida circa Pythonem. Iidem alibi quoddam Pici genus esse tradunt, quod γραύγος dicatur: cùm tamen aliàs κραύγον neutro genere auem esse dicant quandam nomine eius non expresso: quodsi verò nomen id Pico conuenire potest: ego à Belgarum crauwen, hoc est, scalpere deductum id esse crediderim, quod verbum ijsdem scandere, quod Picorum proprium est, significat. Porrò Cardanus auiũ quoddam genus piscosum dici, inquit, rostri & corporis magnitudine celebre, quod in Occidentali India Alcatrax dicatur, cinerea croceauè pluma destinctum, rostro duorum palmorũ in acutum tendente, cùm tamen rostrum tum Ciconiæ, tùm Gruis parum ab hac magnitudine absit. Verùm ex hisce quæ dicta sunt, Picosum, non piscosum legendum cum Ornithologo existimem, etsi tamen cum tanta rostri longitudine Picum nunquam obseruauerim: Idem etiam quandam ait aliam auem Picutum dici, cui rostrum toto corpore maius sit, corpus verò Coturnice paulò maius; rursus rostrum, vbi capiti iungitur, latum esse tribus digitis, aduncum, quo terebrat arbores, atque ibi à caudatis simijs arte ac rostro, quanquam pusillum se tueri pulchrè. Illud denique in illo mirum esse, quod linguæ loco pennam habeat, secus ac in reliquo volucrum genere: sibulare vehementer, & in eadem terra ali, qua Alcatraz. Verùm nunquid monstruosa istæc auis Picis sit annumeranda, lectori diiudicandum propono, ego nullam in ea cum Picis similitudinem reperio, neque etiam uideo, quomodo rostro, quod recuruum esse ait, arbores terebrare queat. Id enim Picis neutiquam respondet, quibus ad obeundam eãdem actionem longiusculum quidem, sed rectum admodum natura largita est.

[a] *L. 9. Hist. cap. 9.*

Picus Marinus Alberti quę Auis.

Alcyon.

Tetrix.

[b] *L. 5. de gener. c. 6.*

Vrage.

Glottis.

Niphi error.

[c] *In Auib.*

Dryopes populi.

Craugus.

Piscosæ aues Cardano quæ.

Alcatraz.

Picutus.

# FORMA. DESCRIPTIO.

PIcis omnibus cùm non eadem sit corporis magnitudo, vt antè dictum est, itaq; ea ex peculiari quorumcunque descriptione petenda est. Omnes tamen in hoc conueniunt, vt rostrum habeant rectum, durum, rotundum & robustum, ad perforandas arbores admodum accommodum. Lingua etiam teste [a] Aristotele omnibus πλατεια καὶ μεγαλη, hoc est, latiusc-

[a] *Lib. 9. Hi stor. c. 9.*

eſt, latiuſcula,& maiuſcula,ſeu potiùs, vt vetus quidam interpres tranſtulit, lata & longa. Nos longam quidem in omnibus, & in Torquilla etiam, & ad occiput vſque extendi,& ſuper totum capitis verticem ceu in glomum conuolui obſeruauimus, adeo vt cùm exeritur, tanquam è multis inuolucris in longum admodum extendatur: latam verò minimè: quinimo contrà acutiuſculam, & in extremitate quodammodo cartilagineam, ad lancinandos vermiculos, in quos per foramen roſtro primò pertebratũ immittit, perquã idoneam: vnde Albertus: *quædam*, inquit, *aues linguam habent compoſitam: poſterius ex carne, antè ex cornu acutiſſimo, ſicut Picus niger, qui infigit linguam in lignum, & pungendo extrahit vermes*, ſed quod nigro ſoli ille attribuit, id cæteris etiã commune eſt. Nos linguæ anatomen adiecimus, vt res legentibus dilucidior euaderet, in qua miram quoq; muſculorum eam mouentium diſpoſitionem habes.




Figura hæc oſtẽdit internam & inferiorem ſurſum verſam capitis Pici viridis diſpoſitionem.

- A A. Vniuerſum roſtrum.
- B. Lingua exerta.
- C. Baſis linguæ.
- D. Trachea.
- E E. Portiones carneę in roſtrum deſinentes inferius.
- F F. Portiones durę fidem imitantes.
- G G. Muſculi recti ab interna thoracis parte enati ad linguam deſinentes.
- H H. Muſculi trachęæ arteriæ circumuoluti ad baſim linguę venientes.
- I. Reuolutio ad inſtar faſciæ.

A. Muſculorum linguam mouentium ortus.
B. Monſtrat quomodo ſuperius per caput feruntur ijdem muſculi.

Crura item omnibus breuiuſcula ſunt teſte Philoſopho, at admodũ robuſta: Digiti pedum bini antè, & totidem retrò, quod ſolis ipſis, ſi quaſdam nocturnas, Pſittacos, & Iynga excipias,

Albertus

Albertus peculiare esse scribit: cùm tamen Picus cinereus seu Sitta, & qui ipsi Oriolus, Plinio Picus nidum suspendens dicitur, necnon & Picus muralis digitos cæterarum auium more, ternos scilicet antè, vnum verò pro calce obtineant. Talem autem digitorum disposition em sagacissima rerum natura Picis concessit, quòd arborum scansioni admodum esset idonea: sunt uerò digiti ualdè coniuncti, vt arborem, quam scandunt, firmius apprehendant; quare *vngues* etiam, vt Aristotelis verbis vtar, *habent vncos, commodiores, quàm Monedula ad tutiorem arborum reptationem; his enim affixis ascendunt*. Caudam denique admodum rigidam & duriusculam in Picis omnibus obseruaui, & pennas eius in extremitatibus suis fermè nudas, quibus haud aliter, quàm pedibus inter rependum innituntur. Cauda.

# LOCVS.

IN arboribus plerumque degunt, & in quibusuis ferè regionibus reperiuntur; rari tamen, ut audio, in Belgio, & priuatim in Hollandia. Italia omnia semper Picorum genera alit præter maximum, quem nunquam mihi conspicere licuit. Mirum itaque quod scribit [a] Plinius *in Tarentino agro negari Picos*. [a] *Lib. 10. cap. 29.*

# VICTVS.

PIci omnes vermibus (σκώληξι) vescuntur, vnde Dryocolaptes Græcis, vt diximus, appellantur, quòd τας δρῦς, id est, arbores tundant, *quarum percussi corticis sono pabulum subesse intelligunt*, vt ait [a] Plinius, è sono nimirū cōiectura de soliditate facta. Vermes enim partibus non solidis ferè insunt. Cùm verò eos venentur, *tam vehementer, arbores excauare* dixit [b] Aristoteles, *vt ipsas sternant*. Imò verò admirandum hoc de quodam Pico tradit, *quod iam mitescens amygdalum, quod rimæ inseruerat, vt fixum constanter ictum reciperet, tertio ictu pertuderit, & nucleum ederit*. Cuius rei etiam Albertus oculatam fidem exhibet: posuisse sese dicens amygdalum in foramine, quod Picus fecerat, idque mox redeuntem Picam se inspiciente perforasse, & fracto osse nucleum ei in cibum cessisse. Vnde quis præter uermes fructibus Picos vesci existimet, cùm tamen longè aliter sese res habeat. Non enim amygdali nucleum in cibum illi uenisse statuendum est, etsi id Albertus, atque ipsemet Aristoteles crediderunt, uerùm præ nimia auiditate nucleum illum abstulisse, uermes, quibus auidissimè semper inhiat, sub illo latitare credentem. Vermium autem nomine insecta intelligo exigua, qualia sunt formicæ, culices, & vermiculi illi, qui sub lignorum corticibus, atque in medulla ipsorum latitant, quos cossos vocant. Vermis enim omnibus id genus insectis commune nomen est, quamuis Lumbrici terræ id præcipuè sibi uendicent. Vbi verò Aristoteles vermium & culicum causa, quercus tundere dixit; Gaza pro σκιπας culices transtulit. Nos formicis etiam exerta lingua, ac secundum arborum truncos exporrecta ceu in ueru infigere obseruauimus. [a] *Lib. 10. cap. 29.* [b] *L. 9. Hi. cap. 9.* Vermis q̄d

# NIDVS.

ALBERTVS Picos omnes in cauis arborum nidulari ait: quod ante eum Plinius prodidit, sed quod solos inter cæteras aues pullos in ijs educet, vt hic vult, verum nō est, nam & Vpupam id facere [a] Aristoles testatur. Eligunt verò Pici eodem [b] Aristotele teste inter alias arbores oleas, in quibus nidum extruant: sed id rursus Albertus Pico maximo nigro priuatim tribuit. Locū, in quo nidulaturi sunt, in arboribus ipsi excauare dicuntur, & tanto artificio nidū exstruere, vt ligna illa, è quibus inter se consertis constat, manibus facilius separentur, quàm ferro dissecentur, vti in pinea nuce vsu venire etiam videmus. In huius nidi artificium incidens D. Consalis Ponce de Leon Hispalensis interpres, & Scholiasta Sancti Epiphanij. Ego, inquit, dum hæc scribo (scribit autem ad caput Sancti Epiphanij de Pico) in horto ædium Magnifici Alphonsi Ciaconis Dominicani uiri optimi, & doctissimi, quos ille in Pincio habet, Mediceis hortis contiguas, ferè quotidie Picum uideo, in procerissima pinu nidum excauantem industriè, & affabrè, ut uel admoto circino rotūdus reddi foramen à perfectissimo Geometra vix possit. Quod uerò ad Ciaconis potissimum domum auicula confugeret, id etiam inter ἀκού σματα θάυμασια, recensendum à Physiologis: quippe non aliud est hisce naturæ miraculis angustius in urbe delubrum, non certius asylum. Hæc ille. Pullos septem uel octo educant, quos *cxire ex ouo à cauda* Hylas, referente Plinio, tradidit, *quoniam pondere capitum peruersa oua posteriorem partem corporum fouendam matri applicent*. Solus uerò Oriolus inter cæteros non in cauis arborum nidificat, sed nidum ex ramis arborum suspendit. [a] *Lib. 6. Hist. c. 1.* [b] *L. 9. Hist. cap. 9.* Nidi Picorum artificium. Orioli nidus.

GRESSVS.

## GRESSVS. INCESSVS.

[a] *Lib.23.de Anim.*

ALBERTVS *Picos nũquam considere in saxis* asserit, *ne aciem vnguium obtundãt.* Quod etsi omnino nolim inficiari, quoniam reuera vnguium acie ad rependum more felium maximoperè indigent, vereor, vt quod Aquilis, nonnullisq; alijs rapacibus Aristoteles ascripsit, id ad Picos ille transtulerit. Non me latet interim ipsummet Aristotelẽ etiam dixisse *Picos nunquam humi consistere.* Cuius rei, si mihi assignanda foret ratio, vtroq; pede in Alberti sentẽtiã irẽ: Illa enim ipsa hoc dictare videtur, vt quibus ad vitæ suæ munera obeunda vnguium maxima sit necessitas, eorum etiam maximam curam gerant. *Scandunt* enim teste Philosopho *per arbores omnibus modis,* κατα περοὶ ἀσκαλαβῶται, καὶ ὕπτιον, καὶ ἐπὶ τὴν γαστέρα, hoc est, vt Gaza & Hermolaus in- 1

[b] *L.10.c.18* terpretãtur, *vel resupini more stellionum, vel in ventrẽ ingrediuntur.* [b] Plinius ἀσκολαβῶτας *feles* transtulit: *Pici,* inquiens, *arborum excauatores scandunt in subrectum felium modo, illi verò & supini:* ni mirum non modo sursum per arborem reptando, sed deorsum etiam, & sub ipsis ramis pedibus & ventre sursum, tergo deorsum terram versus couuerso; id enim ὕπτιον apud Aristotelem dicere videtur, & per exegesin etiam in ventrem. Niphus longè aliter ingredi Picos tradit. Nam ita dictionem resupinè apud Aristotelem exponit, vt sit humeris & pedibus similiter iuxta positis ad arborem; rostro verò & pectore ad contrarium arboris conuersis ascendere: qui sanè ascensus antè tradito, si modo verè loquitur, difficilior, & mirabilior fuerit.

## INGENIVM.

[a] *Exercit. 237.* [b] *Lib.23.de Animal.*

PICOS humano sermoni asuescere [a] Iulius Scaliger inuectus in Cardanum, quod hos, vbi de auium humana verba imitantium docilitate agit, omiserit, affirmat, sed minus aptè & rariora & pauciora quàm Picam reddere. [b] Albertus verò cùm Picum aliquando loqui scribit, & Martialem, vbi ait, *Parua loquax volucris* &c. testem citat, quod ad Picam referre debebat, non leui errore ad Picum transtulit.

## AVGVRIA.

Picus Ferroni[a] quis.

IESTVS Picos inter præpetes & Oscines, & alibi inter Oscines duntaxat enumerat. *Pica aut Martius,* inquit, *Ferroniusq; & Parra, & in Oscinibus & in Alitibus habentur;* vbi legẽdum est Picus autem Martius &c. verùm quis Picus ille Ferronius sit, nusquam hactenus legi: nisi fortè ita dici posit Picus ille maximus totus niger à furuo colore quasi furuonius, vt Iacobus Dalechampius existimauit: sed tunc Furuonius etiam ibi legendum foret. Vt vt est, alij iudi-

[a] *L.10.c.18* cent; mihi Dalechampij coniectura minimè displicet. Erant autem Pici, vt [a] Plinij verbis vtar, *in auspicijs magni,* &, vt paulò post idem ait, *principales Latio in augurijs, à rege, qui ijs nomen dedit.*

Picus cur in auẽ mutatus. Et Seruius Picum Regem à poëtis in eiusmodi nominis auem transformatum fingi ideo credit, quòd augur fuisset, & talem auem domi habuisset, per quam futura cognosceret, quod Pon- 40
tificiales libri indicant. De euentu verò auspiciorum per Picos inter authores non bene con-

[b] *L. 5. Gen. dicr. c.13.* uenit: Siquidem [b] Alexander ab Alexandro Picum & Luscinium efficaci auspicio habitos, prosperaq; semper, & felicia portendisse asserit, si potissimùm à sinistra augurium fecisset. Et

Picẽses vnde dicti. Strabo author est Picenses, qui & Piceni dicuntur (sunt autem populi in quinta regione Italiæ ad mare Adriaticum, & eorum regio Picenum appellatur, vulgò Marca Anconitana) à felici Pici Martij omine, quòd in vexillis eorum è Sabinis (à quibus originem traxerunt) Asculum commigrantium insedisset, appellatos fuisse. Alij contrà infelix Picorum augurium credide-

[c] *L. 3. Car. Ode.27.* runt, & [c] Horatius in primis, vbi ait:

*Teq; nec læuus vetet ire Picus,*
*Nec vaga Cornix.* 50

[d] *In Asinaria.* Et [d] Plautus infaustum ex eisdem auspicium captat:

*Impetritum,* inquit, *inauguratum est, quonis ammittunt aues*
*Picus, Cornix est ab læua; Coruus, Parra ab dextera*
*Consuadent: certum herculè est vestram consequi sententiam,*
*Sed quid hoc, quod Picus vlmum tundit? non temerarium est.*
*Certè herclè ego quantum ex augurio auspicij intelligo,*
*Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut Atrienses Sauriæ.*

In

In hac quoque significatione hosce versus apud doctissimum quendam nostri qui poëtam me legisse memini:

*Tum Martius Picumnus, vt cauum nidum*
*In roboretis excauauit abrepens*
*Vagina emittens de plicatili linguam,*
*Cantauit oscen carmen impijs lauum*
*Effatus augur curiosior templum*
*Suspendiosum adiudicat neci scribam.*

[a] Plinius Picum in capite L. Tuberonis, in foro iura pro tribunali reddentis, ita placidè sedisse memorat, vt manu apprehenderetur: respondisseq; vatem exitium imperio portendi, si dimitteretur; at si exanimaretur, prætori; & illum auem protinus concerpsisse; neque multò pòst impleuisse augurium. Idem Valerius Maximus, sed de Cælio Pontio, pariter tamen prætore memorat, & simul cum quadraginta alijs Cælijs interijsse scribit.

[a] *L. 10. c. 18*

L. Tuberonis mors.

Cæliorum mors.

# PRÆSAGIA.

PICVS Martius veteribus pluuiæ auis dictus est, quia scilicet certissimũ illius præsagium haberetur. Præsagire verò pluuiam credebatur ex vocis sono, cùm nempe validiùs, quàm soleret, stridere obseruabatur.

Pluuię præsagium.

# MYSTICA.

MARTI bellorum præsidi Picum consacrabat, atque immolabat stolida gentilitas, uel quoniam milites ad bellum ituri hac aue in auspicijs uterentur; uel quia auis sit robusta & animosa, & tanto rostri robore valẽs, vt arbores etiam subuertat; uel fortassis propter antiquissimum Martis oraculum, in cuius sacra quercu Picus insidebat: ita enim pro Columba, vt alij uolunt, legendum arbitror. Id verò oraculum Dionysius Halicarnassæus in Tiara, quæ Matiena dicitur, fuisse scribit, non dissimile Dodonæo oraculo in fabulis item celebrato, nisi quòd hic in sacra quercu Picus non sederet. Fuit verò Picus à Latinis summo semper cultu & honore habitus, vt [a] Plutarchus refert, quòd Romulo & Remo infantibus expositis lupam dicerent vbera præbuisse, Picumq; etiam accessisse, qui simul pueros enutriret, custodiretq;, quare & Lupa Marti quoque sacra creditur: Meminit eiusdem fabulæ [b] Ouidius:

Picus cur Marti sacer.

Martis oraculum vbi.

Picus à latinis cultus.

[a] *In Romulo.*

Lupa Marti sacra.

[b] *Li 3. Fast.*

*Lacte quis infantes nescit creuisse ferino?*
*Et Picum expositis sæpe tulisse cibos?*

Hinc quoque idem [c] Plutarchus alibi ita inquirit: *quid est*, inquit, *quod Latini Picum colunt. & omnes ab hac aue mirum in modum abstinent? An quia Picum (τον πικον) dicunt Pharmacis mulieris in sui nominis Auem mutatum oracula reddere, & vaticinari interrogantibus? An hoc fabulosum & fide indignum est; verisimilior uerò fabula, quæ Romulum & Remum infantes expositos narrat non à lupa solùm lactatos esse, sed etiam à Pico aduolante pastos? nam quoque in locis nemorosis circa montes, vbicunq; Picus apparet, ibi etiam Lupus, vt Nigidius scribit, sine potiùs quòd vt aliæ auium alijs Dij, ita hæc Marti sit sacra &c.*

[c] *In quæst. Rom. rer.*

# MORALE.

PICVS, inquit S. Epiphanius interprete D. Consali Ponte de Leon Hispalensi, auis est varii coloris, quemadmodum & Diabolus versipellis est, nemoris fruteta ingreditur, rostroq; petit, aurem ijs admouens, quod si fiderata inanisue arbor fuerit, illam excidit, atque excisam occupat: verùm si solidam deprehenderit, intactam relinquens, auolat, atque aliam inuadit.

Non aliter Diabolus syluam, naturæ videlicet humanæ intrat, atque in arboribus insidet; hominis inquam, cor ad inhonesta traducens, ferit, atq; attentè obseruat. Si itaq; hominem esse inualidum, atque excordem animaduertat, ipsum inuadit, & in eo nidum suum construit. Quod si firmo integroq; esse corde sentiat, fugit statim, & ad alios accedit. Interpres ad hunc Epiphanij locum doctissimum hocce addidit scholium, nobis minimè prætereundum. [a] Ezechielus Assyriorum Regis interitum narrans, & simile quid euenturum Pharaoni Aegyptio prædicens, comparauit illum frondoso ac procero Libani cedro, in cuius ramis nidos fecerunt omnia uolatilia cæli, & sub cuius frondibus genuerunt omnes bestię saltuum: vbi Hieronymus, vt & alij sacri expositores, simili qua Epiphanius allegoria dæmones intelligit in reproborum cordibus quiescentes: eadem phrasi referunt [b] Euangelistæ, proditoris Iudæ faci-

[a] *Cap. 31.*

[b] *Luc. 22. Io. 13.*

nus:intrauit (inquiunt) Satanas in Iudam. Sed Augustinus cum Epiphanio sentit, & ideo in Iudæ cor diabolum intrasse docet,quia vacuum & inane cor habebat.

## MEDICA.

TABVLOSVS ac nugacissimus Kiranides à Pico aue si uel assata, vel elixa edatur,celerem ægris sanitatem, insigni sanè priuilegio promittit, & incantatione (aliàs incarceratione additur, ut Ant. Mizaldus à quodã malefico accepit) ligatos soluere,dicere non est ueritus.Idem recentiores aliqui Picę ascripsere,suo nempe vel impressorum lapsu, quibus facile fuit Picam pro Pico legere.Verùm

Oculi. uel huic,vel illi superstitiosè & falsò eiusmodi uires attribuuntur. Scribit item oculos huiusce

Rostrum. auis gestantibus visum acuere,malim edentibus dixisset,siquidem quomodo ex amuleto uisus acuatur,non ita facilè video. Rostrum è collo suspensum,omnem dentium,vuulæ,& tonsillarum dolorem & cynanchen curare idem author est:quę omnia non ad docendum adduxi,sed vt nihil prorsus præterijsse videar;vnicuiq; semper suum de illis relinquens iudicium. Alij verò Picum cum sale torrefactum ad intrinsecas ani eminentias applicant.

## VSVS IN CIBO.

PICOS antiquis in cibum uenisse nunquam legi:caro tamen eorũ,vt ex aucupibus intellexi,haud ingrata habetur.Bononiæ tota ferè hyeme & autumno in foro venduntur,quo scilicet tempore pinguiores sunt,& à multis ad mensam expetũtur.

## FABVLOSA.

[a] *Mct.* 14. OVIDIVS Picum Regem Latinorum à Circe, quòd Canentem Nympham sibi in connubio prætulisset,in auem sui nominis mutatum fuisse ita scribit:

*Ter inuenom baculo tetigit,tria carmina dixit*
*Ille fugit,sed se solito velocius ipse*
*Currere miratus,pennas in corpore vidit,*
*Seq; nouam subitò latis accedere syluis*
*Indignatus auem, duro fera robora rostro*
*Figit,& iratus longis dat vulnera ramis*
*Purpureum chlauydis pennæ traxere colorem*
*Fibula quod fuerat,vestemq; momorderat aurum,*
*Pluma fit, & fuluo ceruix præcingitur auro,*
*Nec quicquam antiquum Pico, nisi nomina,restat.*

Attingit obiter hanc cændem fabulam Hetruscorum poetarum antesignanus, his versibus:

*Nomando vn altro amante acerba e fera*
*Canente e Pico,vn già de nostri regi*
*Hor vago augello,e chi di stato il mosse*
*Lasciogl'il nome, e'l real manto,e i fregi.*

Alij verò Picum Pomonam deperisse volunt.

## ADMIRANDA. ANTIPATHIA.

PICVM Martium hoc maximè inditio quid diuini habere memorant, quoniam in quacunq; arbore nidificauerit,clauus vel cuneus, vel quicquid aliud fixum fuerit, diù hærere non possit, quinimo vbi ille insederit, cum arboris crepitu decidat,vt Trebius referente [a] Plinio author est,qui Picũ admota quadam herba id præstare attestatur: Verùm [b] Aelianus & Oppianus istæc longè aliter,

[a] *L.*10.*c.*18 [b] *Lib.* 1. *de Anim.c.*45 & hunc ferè in modum recensent:Picũ dicentes,vbi nidi sui foramen lapide vel ligno à quodam obstructum est, ex eo insidias sibi machinatas conijcere,herbamq; lapidi contrariam opponere;unde velut offensus lapis,& vimherbæ non ferens,exiliat, Picoq; rursus foramen aperiat:imo verò quod magis est,idem Oppianus, eiusq; mendacium alioqui per se satis euidens secutus nugacissimus Kiranides tali herba,si quis eam norit,nullo negocio ianuarnm seras resolui posse arbitrantur.Quod si verum esset,furibus certè egregiam operam istęc herba præstaret. Vt ut est,vel insigni admodum auis cum cuneo,vel herbæ cum lapidę antipathię attribuẽdum est,vel potiùs,vt ego puto,spetiosissimum mendacium esse iudicandũ est, quare etiã istæc

Lunaria maior. fabulosis subiunxi.Sunt tamen,qui eam herbã Plinio teste lunariam maiorem dici existimant folijs sampsuchi, cæruleis: crescentem & decrescentem cum luna. Sunt qui addant, radices eius & flores quoque coloris flaui esse: sed *hæc*, inquit, *nobis incomperta sunt, & nullo certo author-*

*re*

*re nituntur.* Vocat tamen alibi æthiopidem quandam herbam, cuius tractu, vt quidam Magi scripserunt, clausa omnia aperiantur. Nunquid verò istæc cum Picorum herba eadem sit, penes alios iudicium esto. Ego neutram in rerum natura reperiri existimem, ac omnia, quæ de ea scribunt, falsa quoque iudico. [c] Plinius prætereà *rostrum Pici secum habentes* (vtor modo illius verbis) *non feriri ab apibus* tradit, *etiamsi mella earum eximant*. Verùm nec istius certa ratio assignari potest, vti neque illius, quod ex [d] Theophrasto *glycisidas* ait *noctu esse effodiendas, quoniam Pico Martio impetum in oculos faciente, interdiu periculosum sit*. Quid enim Pico cum apibus? quid inquam priuilegij apes Pico concesserint, vt rostrum eius portantes ab alijs discernant & non feriant? Quid deniq; Pico cum glycisida? cur eã tam strenuè ab effodientibus defendit? An quia in illa aliquod remediũ pro nos latente suo affectu agnoscat, ideoq; auferri illã ægrè ferat? An quia hæc ea herba sit, quæ sese ab hominum insidijs, vt antè dictum, liberare dicitur? Glycisidam uerò alij pentorobon, alij pæoniam ab autoris nomine nuncupant. Atque istæc de Picis generatim dicta sint, nunc ad quosuis describendos nos accingimus.

Aethiopis herba.

[c] *L. 28. c. 4.*

Glycisidæ.

[d] *Lib. 25. c. 4. & lib. 27. cap. 10.*

Pétorobõ. Pæonia.

# DE PICORVM SPECIEBVS, ET primùm, De Pico maximo. Cap. XXXI.

ETSI [a] Aristoteles Picum, quem modò primum in manibus describendum assumpsimus, tertium mea quidem sententia Picorum genus faciat; hic tamen, quòd alijs duobus ab eo descriptis longè maior sit, primum sibi locum merito iure uendicare videbatur.

[a] *9. H. c. 9.*

# SYNONIMA.

PICVM hunc Germanorum alij Crasphechtam (Kraëspecht) hoc est, Cornicinum Picum uocant, quoniam scilicet Cornicem nigram cùm colore, tùm magnitudine etiam pænè æquet: alijs Holkrae, uel rectius Holtzkrae, id est, Cornix syluatica dicitur, quibusdam perperam Holtzhu°n, hoc est, Gallina syluatica. Albertus apud suos Mogol dici asserit. [a] Georgius Agricola Holkrae scribit, & Coruũ interpretatur, cuius caput rubra macula insigniatur, & Pyrrhocorax inde Græcis vocetur. Sed nos de Pyrrhocorace longè aliter sentimus, ut suo loco uidere est, & hanc alitem Picum maximum nigrum appellamus. Itali Sgiaiam uocant: Hispani Bequebo, quod tamen nomen omnibus Picis commune est.

Craspechta. Cornicinus Picus. Holtzkraë Mogol.

[a] *L. de Animal. subterr.*

Sgiaia.

# GENVS. DIFFERENTIÆ.

ARISTOTELES, ubi tria Picorum genera statuit, tertium ex illis Gallina non multò minus esse scriptum reliquit. Et Albertus tria apud Germanos Picorum uariorum genera reperiri testatur, maius scilicet & minus, atq; item aliud maiori isto maius: quod sanè utriusque authoris ultimum genus nullum aliud meo quidem iudicio fuerit, quàm Picus iste maximus, cuius modò iconem exhibituri sumus, idq; eò magis mihi certò persuadeo, cùm & Ornithologum & Turnerum eiusdem opinionis fuisse uideam, etsi tamen [b] Bellonius aliter sentiat, Picum suum uiridem nostrate uiridi maiorem pro illo obtrudens. Cæterùm Picus iste maximus ab omnibus Picis magnitudine & colore plurimùm discrepat. Est enim omnium longè maximus, & excepto capitis uertice totus niger.

[a] *Lib. 9. H. cap. 9.*

[b] *Lib. 6. de Auib. c. 15.*

Picus maximus niger.

FORMA

# FORMA. DESCRIPTIO.

ALBERTVS hoſce Picos alibi valde magnos, alibi rurſus Cornicis magnitudine eſſe dixit, alibi deniq; paulò infra Gallinam, hoc eſt, magnitudine paruæ Gallinæ. Quæ ſanè magnitudo cũ aſſignata ab Ariſtotele, & noſtro Pico maximo omnino conuenit. Plumæ eius in vertice coccineo vel flammeo colore egregiè micant, & velut cirrum efficiunt. Roſtrum habet admodum robuſtum digitum paruum longum, cuius ſuperior pars eminet, & duas vtrimq; ſtrias obtinet, vt folium cyperi ferè; eſt præterea iuxta caput lata, & ualdè craſſa. Lingua, ut omnibus Picis, oblonga, dura & in extremitate aſpera. Crura plumis multis ad digitos pedum vſq; dependentibus obſita. Digiti bini antè, & retrò totidem. Vngues recurui.

Magnitudo. Roſtrum. Lingua. Crura. Digiti.

# DE PICO MAIORI. Cap. XXXII.

## ÆQVIVOCA.

ARISTOTELES Picum maiorem & minorem uno nomine complexus, utrumq; πίπραν (Piponem uertit Gaza) appellat. A qua tamen pulcherrima quædam marina uolucris, Lycophronis interpreti, & Varino Pipo dicta longè meo iudicio diuerſa eſt. Albertus, qui nomina auium, quòd Attici ſermonis parum peritus eſſet, omniaq; ferè ex Arabum cœno hauriret, plerunq; confundit, ubi Epops, hoc eſt, Vpupa [b] Ariſtoteli nuncupatur, Picum marinum nominat, & Picum uarium eſſe contendit, qui impropriè marinus cognominetur, cùm tamen alibi cùm de Alcyone ſcripſiſſet, aliam auem eſſe dicat, quę Græcis dicatur Fauorath, hoc eſt, Picus marinus & agreſtis maior aliquantulum Paſſere. Ita certè ex tribus diuerſis auibus unam faciens parum ſibi conſtat. Fieri tamen potuit, quod Epopem exiſtimauerit Meropem. Merops enim non ineptè fortaſſis Picus marinus dici poſſit, quoniam roſtrum Picorum non abſimile obtinet, licet non æquè rectum.

[a] *L.8.H.c.3*

Pipo Lycophronis, & Varini. Alberti error.

[b] *L.6.H.c.1*

Merops Picus marinus dici poteſt.

## SYNONIMA.

PIPRAE ſeu, ut Gaza uertit, Piponis nomen huic cum minori Pico commune eſt, uti etiam Hippon. Vbi enim [a] Ariſtoteles Cyanum auem crura dicit habere breuia τῇ Ἵππῳ παρόμοια, Gaza pro Ἵππῳ Piponem tranſtulit, item ubi [b] Ariſtoteles Ἵππον Ardeolæ inimicum ſcribit. Apud Heſychium Ἵππα legitur genere fæminino. Angli etiam utrumq; genus Spechtas & VVodſpechtas appellant: Germani Elſterſpecht, id eſt, Picarios, uel Picæ inſtar albo nigroq; diſtinctos Picos: quo modo alij etiã Aegerſtſpecht, alijs Bunterſpecht, à uarietate coloris ſcilicet dicuntur. Aegerſt enim ipſis Picam, & bunt uarium ſignificat. Bellonius & Turnerus Picum hunc maiorem, de quo nobis ſermo eſt, Picum Martium minorem perperam appellant. Turnerus tamen alibi aliter ſentit. Gallis dicitur Epeiche, & Coul ruge & Pic ruge.

[a] *Lib.9.Hiſt. cap.21.*

[b] *L.9.H.c.1*

Bellonij & Turneri error.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

SEDVLO in primis aduertendum eſt Ariſtotelem, [a] ubi tria Picorum genera recenſet, pro duobus prioribus, maiori nempe & minori: uti etiam, [b] ubi duo tantùm eorum genera agnoſcit, utrumq; uariorum genus intellexiſſe. Viridis enim Picus, etſi etiam de Picorum genere ſit, & Merula maior, ut de ſecũdo genere Ariſtoteles dixit, priuatim tamẽ Κολοιὸς ab illo nominatur. Quod itaque hîc deſcripturi ſumus Picorum genus, illud eſt, quod Bellonius ſolum agnouit, & primum etiam ab Ariſtotele poſitum aſſerit, qui ut à ſecundo ſeu minori genere id diſtingueret, Merula maiorem eſſe, & rubedinis aliquid in plumis habere addidit.

[a] *L.9 H.c.1*

[b] *L.8.H.c.3*

Κολοιὸς quę auis Ariſto.

# FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo.

Rostrum.

Lingua.

Color.

Vropygiũ.

Cul rosso.



[a] *Lib. 14. Metam.*

MErulá magnitudine superare iam ex Aristotele diximus: quod in ea describenda aue equidem uerum est, licet tamen paulò tãtùm maior sit. A rostri enim extremitate ad caudæ finem usq; dodrantem & digitũ explet. 1

Rostrum corpori comparatum, longum est, dũrum, fuscum, canaliculatum. Lingua ut alijs Picis, longissima, musculosa, extremo apice duro neruo aculeata. Triplex omnino in tota aue color conspicitur. Plumæ medio uertice rubicundæ, & saturo cocci colore conspicuæ sunt, quæ in fœmella mari alioqui per omnia simili desiderãtur. 2 3

Vropygium pronum eodẽ amœnissimo colore tĩgitur: unde auis ipsa appositio nomine Gallis Cul rosso uocatur. Atque hoc est, ꝙ Philosophus, dicebat, *aliquid rubedinis obtinet*. 4

In hunc itaque Picum Picus rex transfiguratus à Circe fuerit: nã huic aui exactissimè notę ab Ouidio descriptæ competunt, ita canente: 5

*Purpureum*

*Purpureum Chlamidis pennæ traxere colorem,*
*Fibula quod fuerat, vestemq; momorderat aurum,*
*Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.*

Retro aures seu in collo, in oculorum ambitu, uentre toto, alis internis, etiam externis, quà reliquo corpori alligantur, insigni macula albicat. Pennæ alarum remiges omnes transuersim albis notis medium orbem æmulantibus, sibiq; oppositis, quinis utrinq; ad summum singulæ ornantur, quæ ordines per transuersas alas, totidem pulchros constituunt: cætera nigræ sunt. In cauda item tres pennæ utrimq; ex albo & nigro in extremitatibus uariè sunt, quæ à totidem medijs undiquaq; nigris ita integuntur, ut uix appareant: sunt autem hæ & proximæ extremo uelut præpilatę instar teli in cuspidem triangularem desinentes, cùm medio latiores sint, quæ res facit, ut deductæ extremis mediæ caudæ bifurcatæ speciem exhibeant. Tota interim cauda admodum robusta est, ac renitens, idq; maximè ob superiores illas nigras reliquas cooperientes plumas duro calamo donatas, & inflexu difficillimas, ut in reliquis Picis. Alæ. Cauda.

# DE PICO VARIO MINORI. Cap. XXXIII.

VIC Pico eadem ferè nomenclaturæ, quæ superiori conueniunt, estq; secundum Aristotelis genus, nobis propter corporis paruitatē ultimo loco positum. Hic uerò Picus maiori proxima descriptione expresso per omnia simillimus est, adeo ut prorsus idem uideretur, nisi rubræ illæ maculæ in uertice & uropygio deessent, ac multò etiam minor esset, nempe qui Passerem nequaquam magnitudine excedat. Præterea dorsum huius uersus lumbos magis uarium, & ex albo nigroq; promiscuè maculatum, lineis interim obscuris transuersalibus, quæ alarum notis respondere uidentur, conspersum. Magnitudo. Dorsum.



PICVS VARIVS MINOR MAS.

DE

# DE κολιῳ SEV DE PICO VIRIDI noſtrate. Cap. XXXIIII.

## AEQVIVOCA.

IVRNERVS indoctos Grammaticos apud Germanos eſſe ſcribit, qui Gruonſpechtum ſuum, hoc eſt, Picum uiridem cum Merope cõfundant, ſed Ariſtotele & Plinio reclamantibus. [a] Albertus ad eundem ſcopulum impingens Græca Ariſtotelis uerba corrupit; Auem eſſe ſomnians quæ Darharcaria Græcis dicatur, latinè Meroli (Merops fortè dicere uult) ſeu Picus uiridis, cuius uocem & uolatum augures obſeruant; cùm tamen apud Ariſtotelem ſolùm Meropis nomen legatur, quem ut cum Pico confundit, ſic Græca nomina nullius momenti ſunt. Theodorus Gaza doctiſſimus Ariſtotelis interpres in tranſlatione uocis κολιος apud [b] Ariſtotelem imprudenter quidem, ſed magno cum legentium detrimento Galgulum uertit, quæ ſanè longè à κόλιῳ diuerſa auis eſt, licet tamen [c] Plinius Galgulum Pici nomine, ut [d] ſuo pòſt loco dicetur, dignatus ſit. Idem Gaza, ubi [d] Ariſtoteles aliam quandam auem κιλεον uocat, rurſus Galgulum nominis ſcilicet uicinitate deceptus, ſed intolerabili errore tranſtulit, atque ita ex tribus auibus unam componit, cùm tamen κιλεον Ariſtoteles diſertiſſimis uerbis prope aquas uictitare ſcripſerit: uerùm de hiſce ſuo loco, iam ad Picum uiridem reuertamur, is profectò κολιος Ariſtotelis exiſtit, ut rectè quidem Ornithologus etiam cenſet, & Turnerus inquirit, nihil affirmare auſus. [e] Ariſtoteles enim aues lignipetas, hoc eſt, quæ uictus ſui quærendi cauſa, roſtro arbores tundunt, ut uermiculis potiantur, enumerans, primùm Picos nominat, deinde κολίαν, quem *totum χλωρὸν*, id eſt, *viridem* (Gaza hîc perperam luteum traduxit. χλορος enim Græcis color tam uiridis eſt, quàm luteus, ut in Chlore hiſtoria fuſiùs dicetur) *eſſe* ait, *admodum lignipetam, magnaq; ex parte more Picorum ad ligna ſeu arbores viuere, magnitudine Turturis, voce magna, incolam maximè Peleponeſi eſſe:* quæ omnia exactè huic noſtro uiridi Pico congruunt: nunquid uerò Peloponeſum magis, quàm alias regiones habitet, ut Ariſtoteles tradit, ego nondum compertum habeo.

[a] *L.6.H.c.1* Alberti error.

[b] *8.H.c.3.*

[c] *L.10.c.33*

[d] *9.Hiſt.c.1.*

[e] *8.Hiſt.c.3.*

## SYNONIMA.

HIC itaque Picum noſtras cognomento viridis Ariſtoteli κολιὸς dicitur. Angli teſte Turnero Huholam uocant, hoc eſt, foraminum dolatorem; Hiſpani Pico uerde, uti & Itali, quibus tamen etiam Picchio uocatur & Pigozo nominibus cum omnibus Picis communibus: Galli un Piuart, Germani, ut dixi, Gruonſpecht, ceu Picum uiridem: Poloni Zotna.

Huola.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

ETSI hanc auẽ Ariſtoteles inter Picos non recenſeat, vel ex ſola tamẽ pedũ diſpoſitione, qui digitis duobus antè & totidem retrò, vt in illis inſigniuntur, & ex rigida inſuper cauda ad illos reducenda eſt. Differt ab omnibus Ariſtotelis Picis magnitudine & colore. Maior enim eſt primo & ſecundo, minor tertio. Illorum rurſus duo priora à colore uario, tertius à nigro; hic à viridi nomen obtinet.

FORMA.

PICVS VIRIDIS.



# FORMA. DESCRIPTIO.

[a] *Hist. c. 3.* Magnitudo. Rostrum. Caput.

[a] ARISTOTELES χολιὸν Turturem magnitudine ferè æquare dixit, quæ nota Pico huic egregiè conuenit Tota auis enim à principio rostri ad caudæ extremitatem vsque commensurata quatuor palmos & amplius longa est, crassa uerò palmum. Rostrum nigrum, durum, robustum, acutum, duos digitos longum. Caput crassiusculum in superiori parte ex maculis partim rubeis seu minaceis, partim etiã nigricantibus variegatum. Oculos alia quędam macula nigra ambit, sub qua rubræ illæ maculæ superioribus correspondentes, pallidiores sunt Dorsum & alæ virides cum luteo tamen intermixto. Vropygium omnino luteum est, & ferè coloris palearis, sed non ita micantis. Mentum, pectus, venter, crura pallidè virescunt, adeo ut ex albo & uiridi permisceri uideantur. Pedes, eorumq; digiti & ungues nigri. Fœmina mare in omnibus pallidior est: cætera simillima.

Oculi.

Dorsum. Alæ. Vropygiũ.

# VOLATVS. PRÆSAGIA.

NVLLAM vspiam arborem tam altam dari volunt, quam Picus iste volatu suo traijcere nequeat. Ornithologus, quèndam ab eo, quòd Aprili mense apud Germanos clamitantem audiuisset, hyemẽ adhuc metuendam præsagijsse memorat. Aestate enim eum silere aiunt.

# MEDICA.

Pici viridis ossiũ vsus.

ORNITHOLOGVS in quodam Germanico libro manuscripto eiusmodi remedium ad calculum renum reperisse scribit. Ossa Pici viridis in pollinem redacta, vbi primùm tosta fuerint, uel usta, poculo, è quo uinum album bibet ægrotus, immittito.

# DE PICO LVTEO CYANOPODE. Persico. Cap. XXXV.

LANCCE auem à Tartaglino Veneto, apud quem plurima exotica animalia depicta uidi, mihi communicatam, ex primo intuitu ex pedum constitutione, & rostri figura è Picorum genere iudicaui. Magnitudine à superiori nihil propemodum differt, caput tamen & collum crassius, & rostrum prolixius obtinet. Pennæ à medio vertice ad extremum caudæ usque aliquid ferruginei habent; rostrum verò omnino ferrugineum. Pedes subcærulei, vngues nigri, cetera lutea, nisi quod ala rumpennæ omnes in extremo quodammodo ad ferrugineum uergerent, & circum oculos macula eiusdem coloris ambiret. Exoticam auem esse, & Persiam eam dare idem vir dicebat: quare Picum luteum cyanopodem Persicum appellare placuit. Quæ si Gazæ cognita fuisset, iure merito pro χλωρος luteum traducere potuisset.

# DE PICO VIRIDI MAIORI SIVE de Pico Maximo Bellonij. Cap. XXXVI.

[a] *Lib. 6. de Anib. c. 15.*

[a] BELLONIVS quandam auem Picum uiridem uocat, quam, ut antea etiam admoui, pro tertio Aristotelis genere nobis obtrudit, quoniam nostrate Pico uiridi longè maior sit. Rostrum ei tribuit incuruum, (rectum est in omni Picorum genere) pedes ad similitudinem aliorum, binos nempe in anteriori, totidem in posteriori parte obtinentes: varias deniq; maculas in alis, quales in alijs etiam conspiciuntur, sed colore differentes. Hæc ille de illa aue tradit, sed iconem non exprimit.

DE

PICVS LVTEVS CYANOPOS PERSICVS.

# DE PICO MVRARIO. Cap. XXXVII.

## SYNONIMA.

AVICVLAM hanc in agro Bononienſi ſatis obuiam recentiores Picum murarium ſiue muralem nominant, quoniam vt Pici arboribus, ita hæc muris omnibus, turrium verò maximè adhæreat, vermiculoſq; in eorum rimis quęrat, vnde brumali tempore in urbibus ſæpe conſpicitur. Germani Murſpecht vocant, & Klaetẽſpecht; Galli Pic de muraille, & Pic de Auuergne quaſi Picum Auernienſem, vnde [a] Bellonius Auerniæ propriam auem exiſtimauit; & Fernies, nec non etiam Eſchellette, quæ tamen nomenclatura poſtrema Picorum viridium propria eſt. Italigenerali voce Pico vel Picchio: Sabaudi circa Neocomum Pitſchat. Etymum.

[a] *Lib. 6. cap. 16. de Auib.*

PICVS

PICVS MVRARIVS.

## FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo. PASSERE domeſtico paulò maior eſt, Sturni ferè craſſitie. Color totius corpotis expanſis alis optimè conſpicitur. Roſtrum habet oblongum, tenue, nigrũ. Color. Caput, collum, dorſum cinerea. Pectus albicans. Alas partim cinereas, partim Roſtrum. rubeas, vtpote prope ventrem. Caudam breuem, pennas alarum longiores, dor Alæ. ſum inferius, uentrem, & crura, quæ Picorum more breuia ſunt, nigra. Digitos Cauda. pedum longos, tres antè, vnum pro calce, quamuis Bellonius binos antè, & totidem retrò illi attribuat: quare ſuſpicandum eſt Picum muralem non agnouiſſe, uel diuerſum à noſtrate depinxiſſe, quod non credo, quoniam reliqua deſcriptio, quam ponit, noſtro exactè competit. Vngues. Vngues denią; obtinet aduncos & acutos.

## VOLATVS. VOX. NIDVS.

VPVPAE in volatu ſimilis eſt. Alas enim vt illa ſemper motitat, nec vno loco reſidere nouit. Auicula eſt hilaris, & ſuauem vocem edit. Volat ſola, & quandoq; binæ ſimul Nidulatur in foraminibus parietum.

## DE SITTA. Cap. XXXVIII.

## ÆQVIVOCA.

* *Lib. 9. Hiſt. cap. 1.* Camulgus. Σιττας. ALBERTVS, vbi* Ariſtoteles Sittã nominat, ibi Grecè Camulgum vocari ait auem, & Latinè Pſittacum, ſed malè. Heſychio σιττας genus auis eſt, quam aliqui Pſittacum interpretantur. Super qua re fuſiùs alibi à nobis ſcriptum eſt.

SYNO-

# SYNONIMA.

ARISTOTELI Σίττη seu Σιττη dicitur. Gaza Græco nomine seruato Sit tam vertit. Vocatur etiam ὑλοτόμος, quasi materiem contundens, sed id nomen omnibus Picis commune est; quibusdam Σεισοπυγις & Κινκλὸς quòd vropygium motitet, vnde perperam nonnullis Motacilla appellata est. Græcis modernis hodie vocatur Κορκυνίσης. Recentiores Latini Picum cinereum dicunt, Itali communi cum omnibus nomine Pico & Picchio, & priuatim Ziolo. Galli Torchepot, & Grimperau. Germanorum alij Meyspecht, quasi Picum Maij: alij Nusszhaecker quasi Nucipetam, à tundendis scilicet nucibus: Circa Argentoratum Nussbicker: In Sueuia Tottler vel Nottler: In Heluetia Chlaen: In Carinthia Blauuspechtle, quasi Picum paruum cæruleum: In Saxonia Baumhecker: Circa Norimbergam Klaeher. Turcæ Agaskakan. κορκυνίσης. Ziolo.

# GENVS. DIFFERENTIAE.

ORNITHOLOGVS Aristotelem tradit bina Sittæ genera facere, maius scilicet & minus; idq; postremum maiorem vocem edere. Verùm locum illum pluries hactenus quæsitum reperire non potui. Placuit tamen eam Picis annumerare, quoniam eorum more super arbores repat. Bellonius dubius primùm an Fringillæ, quę arbores nempe etiam scandit, congenerem facere deberet, tandem idem cum nobis concludit. Idem etiam facit Ornithologus. A Picis Aristotelis paruitate facilè discernitur. Pico Murali maior est, & discolor.

## SITTA SEV PICVS CINEREVS.



# FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo. Roſtrum. Caput. Oculi.

FRINGILLA, & Paro maiori paulò maior eſt, craſſitie ad Alaudam proximè accedens. Roſtrum ei eſt longiuſculum, rectum, nigrum & rotundum. Caput paruum. Oculi exigui. Collũ, dorſum, alæ, necnon & cauda ſuperiùs è plumbeo ad cinereum uergunt: ſub collo verò & ventre è caſtaneo ad ruſſum. Sub ventre radices omnium plumarum vbique nigræ ſunt, vti pariter ſub cauda: Quod enim in illa plumbeum diximus, id ex duabus tantùm pennis procedit, quę ſuperiorem eius partem contegunt. Ceruix ad latera luteſcit, qua parte inter roſtri principium, & retro oculos macula eſt oblonga nigerrima. Pedes ex glauco nigricante & modico flauo tinguntur. Digiti eorum ſatis longi, ungues adunci, recurui, atri.

Ceruix. Pedes.

# VICTVS. NIDVS. GENERATIO.

ISTAEC auicula, ſi amplum in arbore foramen inuenerit, in quo nidulari auet, terra id & limo claudit, anguſto tantùm aditu ſibi relicto. Tanto verò id facit artificio, vt uel ſiguli manibus rectiùs extrui nequeat. Prolem numeroſam, teſte [a] Ariſtotele, felicemq; progignit. Viuit maceriem contundens.

[a] *Lib.9.Hi. cap.17.*

# ANTIPATHIA. MORES.

SITTA, vt idem [a] Ariſtoteles tradit, cum Aquila pugnat. Oua enim Aquilæ frãgit. Aquila tum ob eã rem, tum etiam quòd carniuora eſt, aduerſatur. [b] Inquit etiã ei mores eſſe pugnaces, ſed animum hilarem, concinnum, compotem facilioris vitæ. Addit deniq; rem maleficam ei tribui, quia rerum calleat cognitione.

[a] *9.H.c.17.*
[b] *9.H.c.17.*

# DE PICO NIDVM SVSPENDENTE. Cap. XXXIX.

## Synonima, eorumq; amphibologia explicata.

Gaza error.

IVerum eſt, quod nominum æquiuocatio multorum ſæpe errorum mater eſt, vt Philoſophorum princeps Ariſtoteles ſcriptum reliquit: itaque minimè nobis mirum videri debet, ſi & huic aui attributa ſynonima multis, ijſq; doctiſſimis uiris impoſuerint ex vna eademq; aue diuerſas faciendi. Alij enim, cùm Gazam pro Chloreo apud Ariſtotelem Luteum & Luteam, alibi verò pro Chlori Luteam rurſus & Luteolam traducere viderent, Chlorim cum Chloreo vel confuderunt, vel ſaltem non rectè diſtinxerunt, nominis ſcilicet amphibologia decepti. Vbi ſanè inſignis Gazæ hallucinatio conſpicitur. Chlorin enim viridem potiùs, quàm luteam aut luteolam traducere debebat, ne auẽ cum quadruplo maiori & diuerſo colore Chloreo nempe, pro qua voce rectè quidem luteam vertit, confunderet, alijſq; confundendi anſam præberet. Chloris autem Vireo eſt, Auicula etiam ſatis nota, Verdone & Verdiero nobis communiter dicta. Longolius & Turnerus, eoſq; ſequuti nonnulli alij, dum Chloreum à Chlorione (ita Plinius vocat) diuerſam auem eſſe contendunt, & pro Chlorione quendam Paſſerem Spermologum, quem Germani Gaelgortz appellant, nobis obtrudunt, nullis prorſus rationibus nituntur. Quod cùm demonſtrare Ornithologus nititur, cuius quidẽ ex parte opinionem ſuper hac aue amplexi ſumus, nec ipſe ſatis firmis id argumentis probat. Sic enim argumentatur: Ariſtoteles à Chloreo Turturem vinci, Plinius Chlorionem cum Coruo pugnare ſcripſit, & Chlorioni Turturis magnitudo aſcribitur: itaque veriſimilius eſt Cloreum Ariſtotelis Plinio Chlorionem eſſe, & cum Coruo pugnare, quam vel Chlorin, vel Paſſerem Spermologum auiculas Coruo uel decuplo minores. Solent enim aues eiuſdem magnitudinis ſibi inuicem pugnare. Verùm ut Reguli, & quod paulò antè ex ipſo Ariſtotele recitamus, Sittæ auiculaꝝ minimarum cum Aquila auium regina, & Coruo multò maiore & robuſtiore diſſidium plus quàm uatinianum eius falſitatem arguunt, ita etiam Chlorionem cum Coruo diſſidere minimè uerum eſt. Id enim perperam ex [a] Ariſtotele [b] Plinius tranſcripſit: ubi non κόραξ in Græco textu legitur, ſed πίπρα, hoc eſt, Picus uarius. Vnde ego non eiuſmodi rationibus adductus

chloris quę auis. Longolij & Turneri error.

Aues ſibi pugnantes

[a] *Lib.9.Hi. cap.1.*
[b] *L.10.c.74*

ductus Chloreum & Chlorionem ſynonima fecerim,ſed quoniam ipſummet [c] Plinium alibi diſertiſſimis verbis *Chlorionem totum luteum eſſe,hyeme nõ videri,circa ſolſtitia procedere* ſcripſiſſe videam. Ea enim exactè Chloreo competunt. Idem Ornithologus, vbi Gaza apud [d] Ariſtotelem Κελεὸν *cum Lybio pugnare* ſcribentem, Galbulum:item apud eũdem eodem capite *Celeum & lybium amicas inter ſe eſſe* dicentem, Galbulum & loedum traducit, textum Ariſtotelis mendoſum,& priore loco non κελεὸν, ſed κολιὸν per o breue in prima ſyllaba,hoc eſt, Picum viridem: poſteriori verò loco κελεὸν legendum iudicat,& Celeum ex ipſis Ariſtotelis verbis,qui *eam circa ποταμὸς καὶ λὸγμας*,hoc eſt, *fluuios & amnes degere* dixit, inter aquaticas, aut ſaltem, quæ circa aquas viuunt, reponendam exiſtimat,idq; prudenter admodum. Quomodo enim aues, quas primùm ſibi pugnare dixerat, pòſt inuicem amare, Ariſtoteles nullubi ſibi contraxiſſe viſus,nunc vnico capite euidentiſſima contradictione ſcripſerit? Hinc verò poſtea multi Gazam κελεὸν & κολιὸν indifferenter Galgulum appellare cernentes,vnam, eandemq; auem eſſe, & Galgulum ab Oriolo,Chlorione & Chloreo diuerſam eſſe arbitrati ſunt. In quem errorem Bellonius etiam impegit. Alij rurſus Galgulum & Galbulam differre crediderunt, ſed nullis rationibus adductis. Alij Galbulum cum Mollicipite,quæ Pica glandaria eſt: alij cum Charadrio ſeu Hiaticula,quæ prope aquas degit:alij deniq; cum Loxia,de qua nos poſtea, confunderunt. Verùm omnium hallucinatio facilè conuincitur, vt ex proprijs harum auium hiſtorijs quiuis habere poterit. Alij Chloreum & Galbulam differre quidem dicunt, ſed conſimiles tamen & congeneres eſſe concludunt. Ornithologus Oriolum ſeu Picum ſuſpẽdentem nidum, Chloreum ſiue Chlorionem,& Galbulum tribus complectitur capitibus, & tres aues diuerſas autumat,cùm tamen unicam duntaxat iconem,eamq; pro Oriolo exhibeat. Mihi equidẽ omnes iſtæ nomenclaturæ ſynonima ſunt: & vni tantummodo aui Pico nempe nidum ſuſpendenti competere exiſtimo. Cùm enim ipſemet Ornithologus Italis quandam auem circa Bononiam Regalbulam & Rigeijum dictam in capite de Galbula proprio deſcribat, eius verò iconem mox in capite,de Oriolo,vt ex deſcriptione,quã ponit, manifeſtò cognoſcitur, nobis obtrudat; equidem non video,quomodo unicam deſcriptionem tribus,vt credit,diuerſis Auibus attribuat. Bononienſium Regalbula ſeu Rigeijus nulla alia auis eſt, quã Galbula ſeu Galgulus. Galbulam uerò ſeu Galgulum Oriolum eſſe nominis etymum iudicat vtriq; enim à flauo colore, nomen inditum eſt. Siquidem Orioli nomen Albertus Attici ſermonis parum peritus, à χλωρεω detorſiſſe mihi videtur. Galbulum modò Chloreum ſeu Chlorionẽ eſſe, Galli in primis mihi perſuadent,qui Galbulum Loriot vocant, & nomine ſemilatino Lorionem, vtroque autem vel à Græco (Chloreus,) vel à Latino(Chlorio) detorto,duabus ſcilicet prioribus literis ch detractis: Adhæc Loriotto ſeu Lurioni Gallorũ,vt doctiſſimus [e] Bellonius Gallus etiam teſtatur,nidum ex arboribus ſuſpendere propriũ eſt,quod [d] Plinius ignarus id ſuum Chlorionem facere, Pici cuidam generi, Albertus & auctor, quiſquis ille ſit,de natura rerum Oriolo tribuunt. Adde deniq; nominis etymum, quod omnibus hiſce ſynonimis à colore luteo impoſitum eſt. De Chloreo primùm & Chlorione nullum dubium eſt. χλωρον enim Ariſtoteli alijſque Græcis non de viridi duntaxat,verùm etiam de luteo,quinimo de illo in primis prædicatur,quod in ouo eſt,& uitellum vocatur. Ita neque de Gallorum voce (Loriot) ambigendum:ſiquidẽ luridus color ea ipſis deſignatur,qui ſanè luteus eſt:vnde [e] Plinius alibi Chlorionem luridum alitẽ appellauit; & Galli homines luteis veſtibus indutos Lorios & Chlorios cognominant,ut annotat doctiſſimus [f] Ioan: Bruyerus Gallus. Quare etiam idem [g] Plinius alibi cæterum uocat,& à colore dici tradit,quoniam nempe ſpectata auis ab hoc malo, quod nihil aliud eſt, quàm bilis per totum corpus ſuffuſio, laborante,moriatur,& ille ſanetur. Verùm etſi etymum hoc à colore petitum apud Romanos in Galgulo aut Galbula locum habere minimè uideatur:poſſit tamen à gaelb Germanorum ſuperiorum,vel inferiorum geel,ut egregiè docet [h] Ioannes Goropius,deriuari. Siquidem Vegetius in primis eryngij florem galbinei coloris dixit,quem aureum Aëtius in eadem herba uocauit,quę meo iudicio ea eſt,quam in agris noſtris ſatis obuiam Eryngium luteum appellare ſoleo: etſi in aſſignando iſtoc colore Turnebus dubitarit,quoniam ex doctiſſimo,ut ait, herbario eryngium coloris cærulei dilutioris eſſe intellexiſſet. Verùm opinioni Goropij & noſtræ fauet galbeum ornamentum: quod num aurei coloris fuerit,& galbana (quorum Iuuenalis hoc meminit uerſu:

*Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa)*

Veſtes flauę aurum referentes,delicatiores quiq; iudicent,quibus hic color propter metalli pretioſiſſimi ſimilitudinem placuiſſe videtur, qui hac quoq; tempeſtate in ſericis raſis ſplendidiſſimus eſt,& quamplurimis gratiſſimus. Belgica uox nobilitatem eius coloris egregiè declarat. Geel enim ipſis eſt,quaſi ge el, hoc eſt,dans nobilitatem uel ad eam tendens. Cæterùm Ariſtoteles fortè Chloreum, & Plinius illum ſequutus Chlorionem dedita opera ita Galbulum uocarunt,

[c] *L.10.c.29*

Gazę error,

[d] *9.Hiſt.c.1.*

Celeus auis quæ.

Bellonij error.

Ornithologi error.

Opin. propria.

Regalbula

Regalbula ſeu Rigeij Bonon. quę auis.

Oriolus vñ de dictus.

Loriot.

[e] *L.6.c.11.*

Plinij ignorantia.

[d] *L.10.c.33.*

χλωρον qd Græcis.

Loriot qd Gallis.

[e] *L.37.c.10*

Luridus ales.

[f] *Lib. 15.de re cib. c. 53.*

[g] *L.30.c.11.*

[h] *L.2.Gall.*

Eryngium luteum Vegetij.

Galbeũ ornamẽtum.

carunt, ut utrumq; colorem luteum nempe & uiridem in ea reperiri innuerent. Auis enim iunior adhuc uireſcit, adultior uerò, aut ſaltem annua facta alis tantummodo exceptis tota lutea euadit: atque ita fortè χλωρος Athenæo caſeus dicitur uiridis ac recens, & præmollis cuiuſmodi in fiſcellis circumfertur. Albertus alibi ſui ſcilicet oblitus pro Chloreo habet Glaro, & exponit genus Milui parui, qui Turturis pullos è nido rapere conetur, & impugnãdo parentes etiã aliquando interimat. Quam ineptam Alberti ſententiam Niphus ſequitur, & pro Chloreo Grallum habet. Nominum itaq; iſtorum amphibologia iam explicata, relinquitur modo, ut alia aliarum gentium ſynonima adducamus. Recentioribus Græcis συκοφάγος quaſi Ficedula: Venetis eadem ratione Becquafigo dicitur, quoniam ſcilicet more Ficedulæ ficubus ueſcatur: quare etiam aliquibus cum Ficedula turpiter cõfunditur. Circa Bononiam, ut dictum eſt, Regalbulo, Reigalbero, Galbedro, & Rigeyo: Ferrarię Melziozallo, Galber Bergomi: Italis omnibus Oriolo: Hiſpanis Oropendola, uel, ut alij ſcribunt, Oroyendola: Anglis VViddeuuol: Germanis VVituuol, & VVeiduueil, ut Turnerus habet: VViduuol, ut alij: VViduual, ut Tragus: VViddeuual, ut Albertus: VVedeuual, ut Longolius: Heluetijs VVitteuualch: circa Francfordiam ad Mœnum Bierolff, Bruoder berolff: In Heſſia Gerolff: In Saxonia Byrolt, & Tyrolt: circa Coloniam Kerſenrife à maturitate ceraſorum, quoniam eo tempore incipit apparere, In Germania inferiore ab aureo colore Goutmerle, quaſi Merula aurea: in Brabantia Olimerle fortè ab olei colore, qui luridus eſt, uel propter pinguedinem. Valdè enim auis hæc pingueſcit.

Caſeus viridis. Glaro.

Gloreus. Grallus. Συκοφάγος.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

[a] PLINIVS citra omnem controuerſiam inter Picos hanc auem enumerat, ubi ait: *Picorum aliquis* (ignorabat autem Chlotionem, ſeu Galbulum, ſeu Ictterum eſſe) *nidum ſuſpendit* &c. & [b] Albertus eadem verba Oriolo ſuo aſcribens: *Oriolꝰ*, inquit, *ſunt de genere Picorum, Plinius nidum eos ſuſpendere* &c. Recentiorum etiam multi inter Picos enumerant; & Ornithologus Picum nidum ſuſpendentem appellat; quod nomen mihi maximè placet. Diſcrepat à Picis Ariſtotelis & à Coleo ſeu Pico viridi pedum ratione, qua niſi cum Pico Murali & Sitta conuenit, ut ex peculiari cuiuſque deſcriptione manifeſtum euadit.

[a] *L.10.c.33.*

[b] *Lib.23.de Animal.*

## FORMA. DESCRIPTIO.

MAGNITVDO cum Turture ferè par: quare mirum non eſt, ſi [a] Ariſtoteles Turturem ab ea occidi dixerit. Roſtrum habet Picorum more ualidum, ſed aliquantulum recuruum, ſubrubeum in adulta, in iuniore ſubfuſcum. Color totius corporis exceptis alis & ſuperioribus caudæ pennis in adulta flauus eſt, aut aureus: in iuniore uireſcens: Adulta inter roſtrum & oculos maculam nigram habet: iunior minimè. Adulta alas habet nigerrimas, quarum pennæ & remiges maximè in extremitatibus ſuis albeſcunt: iunior ſuperiores pallidas, inferiores nigricantes. Huic item pectus & anterior pars uentris albicant, & lineis multis, ijſq; nigris diſtinguuntur: poſterior uerò uentris pars magis ad flauum inclinat. Cauda utriq; quatuor aut quinque digitos longa pennas ſuperiores nigras, inferiores aureas in adulta obtinet: in iuniore tota ad flauum ex uiridi uergit: ijſq; color in tota aue ex primo intuitu apparet. Ob tantam itaq; diuerſitatem, utriuſq; iconẽ damus, prior eſt iunioris, ſecunda adulterioris. Iuniorẽ nimis magnam pictor reddidit. Pullos unà cum nido, de quo ſubindè agam, nactus deſcribere etiam non piguit, atque eò maximè quòd colore ab adultis non parum uarient. Roſtrum pro portione corporis maximum habent, coloris cornei, at quà capiti nectitur, lutei, naribus ſatis patulis inſtructum. Vertex capitis luteſcebat, Dorſum & alæ è luteo uirides erant. Caudæ rudimenta aureo colore ſplendebant: alæ maiores fuſcæ: tota pars prona albicabat, maculis oblongis, fuſcis decorata. Tibiæ & pedes cinerei ad ſubuiride tendebant, ungues recurui, eiuſdem coloris. Sub alis etiam num nudi erant, carne rubeſcente. Magnitudo eorum Paſſeribus par, aut etiam maior.

Magnitudo. [a] *Lib.9. Hiſtor.c.1.* Roſtrum. Color.

Cauda.

GALBVLA IVVENIS.

GALBVLA ADVLTA.

## LOCVS.

SYNONIMORVM uarietas apud tot diuerſas nationes huic uolucri attributa, in quauis ferè regione illam reperiri indicant, licet Germaniæ peregrinam Ornithologus tradat, à Galbula ſcilicet illam diſtinguens.

## VOX.

CVM cantillat orio ſiue loriot ſonare, indeq; Oriolum dici author de natura rerum ſcripſit: mihi à colore, ut dixi, potiùs id nominis accepiſſe uidetur. Nec ſemper tali uoce utitur. Variat enim eam, & quandoq; fiſtulæ inſtar, maximè uerò imminente pluuia cantillat.

## VICTVS.

VERMIBVS more Picorum uescitur: non tamen fructus aspernatur, inter quos ficus in primis, unde Σῦκοφάγος quibusdam & Becquafigo Venetis dicitur.

## ANTIPATHIA.

AVES omnes à loco, circa quem nidulatur, abigit. Cùm Turture pugnat, teste [a] Aristotele, eumq; occidit. [b] Plinius *Coruum & Chlorionem*, ut antè etiam dictum fuit, *noctu inuicem oua exquirere* tradens, locum illum ex Aristotele perperam transtulit. Hic enim non κόραξ habet, sed πίπρα. [a] *Lib. 9. Hi. cap. 1.* [b] *L. 10. c. 74*

## NIDVS.

NIDVM in arboribus suspendere, indeq; Picum nidum suspendentem dici supra quoque annotauimus: uerùm de altitudine nidi inter Albertum & Plinium non conuenit. [a] Ille enim *suspendi primis in ramis cyathi modo, ut nulla quadrupes accedere possit:* hic nerò humilem adeo quandoque sese obseruasse scripsit, ut manibus ferè contingeret, inter duos ramos extructum. Alij aiunt exilissimis ramis suspendi, adeo ut in aëre potiùs, quàm ex illis pendere uideatur. Sunt qui sericum in nido reperiri, auem non longè ab aqua nidificare, nidumq; ex musco, funiculos uerò, quibus illum suspendit, ex equinis pilis contexere dicant. Albertus contrà eiusmodi nidum è sœno & culmis contextum obseruauit instar calathi, uel corbis ficarij è iuncis intexti, culmis & filis quibusdam, furculis toto circuitu annexum: ita ut fila non dependerent, sed furculis planè annexa essent. Vincula autem illa non seligere, sed obuia quæque, modo culmos, modo iuncos, modo fila è lino aut serico, modo pilos equinos arripere in usum suum existimat. Alij rursus ex lanugine nidum constare tradunt, eumq; tanto ab aue artificio construi, ut artifices, qui pileos conficiunt, superet. Figuram testiculorum Arietis nidum referre Albertus etiam scripsit. Ex quibus satis cõstare arbitror hocce auium genus non eandem pro extruendo sibi nido materiam, sed obuiam quamuis, modò apta esse queat, inquirere. Artificium verò illud, quo in nido fabricando uti auis dicitur, contemplari cupienti; antequam eius historiam in lucem ederem, ecce opportunè Cæsar Rinaldus patritius Bononiensis, quem inter Hetruscos poëtas ob scribẽdi dexteritatem, verborumq; elegantiam Ludouico Ariosto annumerare soleo, nidum, ut est vir humanissimus, meiq; studiosissimus, in agro suo inuentum dono misit, cuius hîc iconẽ exhibere cum breui adiecta descriptione placuit. Imitabatur nidus iste ad vnguem scutellam, rotundus scilicet, atque concauus, ex cannabinis filamentis totus confectus, superius ramo nucis iam fructibus prægnantis annexus. Inspicienti reuera artificiũ eius non apparet, at examinãti nihil ingeniosius ab aue rationis experte confici posse videtur. Eiusce modi enim nidũ, nempe rotundũ & cauũ fabricare volenti, ramus erat per multas arbores quærendus ad inferendam illam figuram hemisphæricam idoneus, quem nisi ex parte auis nancisci potis, bifurcatum hunc ramum sibi inter alios elegit, quòd altera eius furca veluti in anconem desinens propiùs quàm alij ad rotunditatem accederet. Hanc itaq; ex equo vt decebat, exprimere nequiens, exiguum alium, ac tenerrimum ab ancone illo enatum ramulum alteri furcæ annexit, atque eo modo, eo inquam ingenio nidum rotundum fecit. Neque hinc totum dependet artificium, cùm longè maius sit in applicatione cannabis ad ramos. Etenim tam ingeniosè ipsis circumuoluitur, vt non ab aue, sed ab homine factum existimes. Sed nec hoc etiam mirum videbitur, si quod iam dicturus sum, audieris, & perscrutatus fueris, quomodo nimirum tota nidi cauitas deorsum dependens in aëre, quatuor pullos eosq; satis magnos, imo adultis Passeribus maiores sustinere queat, quando totus, vt dixi, ex cannabe præparata, eaq; satis flaccida constat: Quod itaque inconueniens ne accideret, auis hoc pacto prospexit; filis quibusdam crassioribus, robustioribus, quæ uel ad hoc sibi reseruauit, vel dum opus ijs erat, quæsiuit, nidum extrà tam egregiè muniuit, vt longè grauiori ponderi par esse queat. Postremò in nidum acutè ac industriè admodum festucas ingessit, gnara nempe cannabem alioqui pullorum vnguibus, qui per se satis curui existunt, continuè adhæsuram, vnde tenelli excrementa egerere volentes impedirentur. [a] *L. 10. c. 33*

MORES.

GALBVLAE NIDVS.



# MORES. INGENIVM.

[a] *L.10.c.25* [b] *Lib. 4. de Anim.c.47*

AVIS eſt migratoria, [a] Plinio & [b] Aeliano teſtibus. Hyeme eam videri negant, ſed æſtiuo maximè tempore in conſpectum venire, diſcedere exortu arcturi ſideris, & pullis editis Italiam relinquere. Ornithologus ad ſuos accedere Maio pleruncq; menſe, vel circa decimum Aprilis, prius verò in locis calidioribus apparere refert, & in quibuſdam Galliæ locis menſe Martio. Circa Coloniam cùm cereſa matureſcunt, unde illis Kerſenriſen dicitur. Mirum equidem quod de hac aue ſcribit [c] Plinius, *dependentem pedibus ſomnum capere, quia tutiorem ſe ſperet.* Auicenna referente Alberto Haudon, aliàs Halydon vocat, & geſtus humanos Simiæ inſtar æmulari tradit, & cãtum perſuauem edere, linguamq; extremam acutam non habere: Mihi de hac aue Auicenna loqui non videtur.

[c] *L.10.c.33.* Haudon. Halydon.

# DENOMINATA.

Ictet' morbus. Ictismuſtela.

ICTERVM, morbum regium ſeu arquatum ab Ictero auedenominatum antè ex Plinio diximus: Alij tamen ab Icti Muſtelæ genere illud malum denominarunt, ab aureo ſcilicet oculorum animantis colore. Quorum ſanè iudiciũ mihi minimè diſplicet, at opinionem noſtram Icterum à flauo colore nomen accepiſſe, egregiè aſtruit: quare etiam Auem à colore eorundem oculorum nomen meruiſſe quiſpiam meo iudicio non ineptè credat.

Plinius

[a] Plinius Icteritiæ gemmæ meminit,& à Lurido alite nomen habere ait, quoniam illi similis sit: vnde ad regios morbos salubris etiam existimatur. Genera autem huius gemmæ quatuor constituit. [a] *L.37.c.10.* Icteritia gẽma.

Cypressi fructus galbuli dicuntur:an à colore lurido vt nomen indicat? Luridũ enim etiam Grammatici interpretantur,quod supra modum pallidum est, quasi loridum & loro percussum:item pro fœdo colore:unde [b] Ouidius aconitum luridum uocat ab effectu, quia scilicet homines luridos reddat: Cupressi fructus. [b] *Lib.1.Metam.*

*Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.*

# AVGVRIA. PRÆSAGIA.

ALBERTVS ab auguribus VVideuualli vocem & volatum inter omnes aues,quæ è rapina non viuunt,obseruari scribit: quod si uerum est, inter oscines & præpetes enumerabitur. Cæterùm hic obiter [a] Suetonij locum, vbi de manifestis C. Iulij Cæsaris cædis futuræ prodigijs loquitur, emendare placet: [a] *In C. Cæsare cap.81.*

*Pridie Martias idus,* inquit, *auem Regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem,volucres varij generis ex proximo nemore prosequutæ,ibidem discerpserunt.*

Quo loco Philippus Beroaldus Regaliolum Icterum esse credidit, quoniam fortè hæc Italis vulgò Regalbulo diceretur: cùm tamen meo iudicio ea auis nulla alia sit, quàm ea, quam [b] Plinius regem Auium in Italia appellari testatur, nempe Trochilum. Ita enim in Cæsarem ac regem,auis etiam regiæ omen potiùs conueniet. Etenim Regaliolus à Regulo, & Regulus rursus à rege diminutiuũ est: quod nomẽ auicula omniũ minima merito iure mereri videtur. Regaliolus auis Suetonij quæ. [b] *L.10.c.74*

Oriolus cùm ad Germanos accedit, non amplius nascituras pruinas certa spes est. Imminentem verò pluuiam præsagit,cùm fistulam voce refert,vel cùm ad domos propiùs accedit. Præsagia.

# MEDICA. VSVS.

AVIS Icterus,si,vt testatur [a] Plinius,spectetur,sanari id malum aiunt,auẽ mori. [b] Alibi etiam gemmam Icteritiam ad eundem affectum ualere dixit. [a] *L.30.c.11.* [b] *L.37.c.10.*

Hieronymus Tragus hanc volucrem inter eas enumerat, quæ in cibum hominis cedunt:& apud nos à multis non ad mensæ solùmmodo accipitur, sed in primis ferè delicijs etiam habetur. Pinguescit enim mirum in modum,bonum succum generat, carne est admodum delicata:unde mirum est,quod Galli, ut [c] Ioannes Bruyerus Gallus refert, hanc auem à mensæ usu reijciant. [c] *Lib.15. de re.cib.c.53.*

# FABVLOSA.

SVNT, qui huiusce auis pullos etiam in quatuor partes dissectos coalescere & renasci dicere non vereantur,& à parente herbæ Iuliæ auxilio consolidari. Herba Iulia.

# CAPIENDI RATIO.

AVCVPES, qui huic aui lucri causa plurimùm insidiantur, Noctuis eam capiunt. Capitur tamen retibus etiam,vt id genus aues propemodum omnes,quod [a] Martialem minimè latuit, cùm canit: [a] *L.13.Epigramma.*

*Galbula decipitur calamis & retibus ales,*
*Turget adhuc viridi cùm rudis uua mero.*

# DE CHLORIONE INDICO. Cap. XL.

AVEM hanc, cuius modo iconem exhibiturus ſum, Illuſtriſſimo ac Eccellentiſſimo D. Cæſari Marchioni Facchinetto Senatori & ciui Bononienſi, Innocentij noni, ſummi Pontificis, cui ea inter alias peregrinas ſuo etiam loco deſcribendas ab Iaponenſi Rege Sixto Quinto pariter Pontifici dono tranſmiſſas relicta erat, nepoti acceptam refero. Hanc inquam exoticam auem Chloreũ ſeu Chlorionem Indicum appellare placuit. Ariſtoteles enim, modo agnouiſſet, hanc potiùs, quàm poſtremùm deſcriptam χλωριστα abſq; vlla hæſitatione erat nuncupaturus. Siquidem auis iſtęc maxima ſui parte, quinimo toto corpore lutea eſt, ſi coronam verticis, & caudæ alarumq; maculas (quæ in icone manifeſtò conſpiciuntur,) cæruleas, & roſtrum, pedesq; quæ inſigniter rubent, excipias.

DE

PICO CONGENER.

# DE PICIS CONGENERE. Cap. XLI.

SI huic aui, quam idem Eccellentissimus Marchio mihi communicauit, eadem pedum dispositio, quæ κολιῳ seu Pico viridi esset, ei sanè congener dici posset: at quoniam more aliarum digitos tres antè & vnum pro calce habeat, & tamen corporis habitu & rostri maximè Picos quodammodo referat, itaq; hic, quem assignauimus, locus illi conuenire nobis videbatur. Est autem, quantum ex pictura conijcere licet, Coccothraustis magnitudine; rostro luteo, acuto, robusto, Picorum haud dissimili, vertice, ceruice, & toto dorso viridi, vropygio albo, pennis alarum vestitricibus etiam viridibus, remigum superioribus albis, inferioribus & cauda cæruleis. Prona eius pars à rostri initio ad anum vsque colore cinnabarino. Pedes nigri.

# DE IYNGE SEV TORQVILLA. Cap. XLII.

TORQVILLAM meo iudicio [a]Bellonius rectè Picorum historiæ subiunxit. Etsi verò rostrum e us breuius sit quàm Picorum: validum tamen est, & ad pertundendos arborum cortices apprimè idoneum: quinimo cùm victus ratione, tùm pedum constitutione cum illis conuenit. Accedit lingua etiam cum illorum lingua simillima, longa nempe, & insigni cuspide præmunita. Quibus pariter rationibus adductus hoc loco de ea agere determinaui.

[a] *Lib. 6. de Auib. c. 18.*

AEQVI-

# AEQVIVOCA.

Kinædius piſcis.

KINAEDIVS ſiue Iynx Kiranidi piſcis marini etiam genus eſt, in cuius tranſparente corpore ſpinæ apparent. Suidæ & Varino fiſtula ex vnico tantùm calamo compacta: nec non eidem Suidę quoddam inſtrumentum exiguum, quod veneficę quos amabant, ſibi conciliaturæ circumagere ſolēt: unde etiam prouerbialiter omnia illecebrarum & blandimentorum genera Græci paſſim ἰυγγας, etſi [a] Athenæus λυγγας habeat, appellant, vt ex adducendis hîc multorum authoritatibus conſtabit: Ad hunc ſenſum [b] Sophocles in primis, vbi de Pelopis formæ præſtantia agit, ita infit:

[a] *Lib. 13. Deipn.*
[b] *In Ἱππόδα μια.*

Τοιὰν δ' ἐν ὄψει ἰυγγα θηραθηριαν
Ερωτος ἀσραπὴν τιν' ὀμματων ἐχων: id eſt:
*Iynga talem lumina efflant illicem*
*Amoris igneum iubar in oculos cubans.*

10

[c] *In Perſis.* Et [c] Aeſchylus.

Γυγγα μοι δῆτ' ἀγατῶν ἠτέρον ὑπομνήσκεις
*Regeris mihi aliorum bonorum lenocinantium memoriam.*

[d] *Lib. 4. Hi. Aethiop.*
[e] *Ad Athanaſium.*

[d] Heliodorus Emeſenus ἀπαράινητον, inquit, ἐχει πρὸς γυναῖκας ἰυγγα χρύσος καὶ λιθος, id eſt, *aurum & gemmæ vim pellaciæ haud dubiam apud fœmininum genus.* Idem etiam [e] alibi αὐτῶ ἐκάλλω ἀποφανῶσι δεῦρο πολλαις ἰυγξι γενομένη ἀγώγιμον, id eſt, *ipſam illam* (Galatheā) *tibi hîc ſiſtam varijs illecebris conciliatam.* Item Suidas ſed ex incerto authore, ἤ δὲ Κλεοπάτρα ᾤετο τας, αὐταις ἰυγξιν καὶ τὰ σιβαρὰ κρατήσειν τριτα, id eſt, *Cleopatra rebatur ſe eiſdem illecebris, quibus Cæſarem & Antonium, tertium quoque Auguſtum expugnaturam.* Idem de Diogene loquens τοιαυτη, inquit, τις προσῆν ἰυγξ τοῖς Διογένους λογοις τε κύνος, id eſt, *tantum inerat illicium Diogenis Cynici verbis.* Sic etiam de Helena illud vulgatum eſt, ἔτο ἐφελκυσμὰς τινας ἔχει ποτὰ ἰυγγας, hoc eſt, *tam validas & illices amoris Iyngas habuit*, ſcilicet vt cum Priamus illam agnoſceret belli cauſam eſſe, iraſci tamen illi nequiuerit, imò filiæ nomine eam compellârit amanter. Eodem modo Ioannes Tzetzes λεγμα, ἰυγγας hoc eſt, *verborum Iyngas* ſiue illecebras vocauit, quòd animos verba quantumuis duros & inflexiles, quodam lenocinio attrahant. In quo etiam ſenſu [f] Pindarus eam vocem pro cupidine & deſiderio accipiens, ἰυγγι τήκομαι ἦτορ, inquit, id eſt, *liquefcis Iynge ſeu amore pectus:* quod dictum in prouerbium abijt, in eos qui impotenti deſiderio ad aliquid trahuntur. Et eleganter Lycophron ἰυγγα πυρρόρον, id eſt, *ignitoniam Iyngem* amoris illecebras dicebat. Nicephorus Gregoras ex aliorum authoritate ἰυγγα ſcribit fuiſſe κιθαραν ἐμμελεςάτην id eſt, *Citharam mirè concinnam*, atque inde prouerbiali figura πᾶν γλυκὺ καὶ ποθεινον, id eſt, *quiduis ſuaue ac deſiderabile* ἰυγγα dici. At Gloſſomatarius Theocriti Iyngi auiculæ naturam amatorij philtri vim ineſſe annotat, ac ideirco omnia ad amorem impellentia, gratioſa, pellacia & ad perſuadendum appoſita ἰυγγας metaphoricè vocari. Significat deniq; Græcis Iynx maris fallaciam, & quaſi illecebram, ſummam videlicet tranquillitatem, quæ ad nauigandū homines alliciēs, in magnos & horribiles fluctus verti ſolet. Hanc tranquillitatem [g] Lucretius pellaciam dixit eo uerſu:

*f Ode 4. Nemeor.*

Iynx Citharа dicta.

Maris fallacia Iynx dicta.

[g] *Li. de rer. nat.*

*Subdula cùm ridet placidi pellacia ponti.*

# SYNONIMA.

[a] *Lib. 2. Hi. cap. 12.*

Torquilla.

ἴυγξ.

[b] *Lib. 6. de Anim. c. 18.*
[c] *2. H. c. 12*

Cur turbo vocetur.

Collitorquis.

ἴυγξ [a] Ariſtoteli, alijſq; Græcis appellatur, Latinis nomine in latium tranſlato Iynx. Gaza verò in fingendis nominibus liber, atq; eo pacto ſe de lingua latina bene mereri exiſtimans, nouum uobis, appoſitum tamen, vtinam ſic ubiq;, uocabulum inuenit, Torquillam appellans, quoniam hęc auicula reliquis corporis partibus nihil agentibus, ſolam ceruicem contorqueat. Euſtathius pro ἴυγξ ſcribit ἰυξ abſque y & à verbo ἰυζω uel ἰυξω deriuat, quod eſt clamare: Galenus & Suidas κιναιδιον, Tzetzes Σκοπυγιον & Cinclida, [b] Albertus uoce, vt ſolet, barbara Gocoz nominat. Athi Græcię montis incolæ teſte Bellonio Alcionem, Theocriti interpres Σκαριαν falsò, & perperam quidam Σκοπυγίδα, Motacillam, & Meropem. Gaza ab antiquis Turbinem dictam fuiſſe alibi tradit: uerùm ex illis neminē turbinis nomine pro aue uſum inuenio. Ornithologus ita fortè dictam conijcit, quòd corpore turbini ſimilis ſit: ſi quidem cauda, inquit, cuius pars poſtrema in icone à nobis poſita patentior, & latior eſſe debebat, Rhombi alteram partem quodammodo refert, & reliquum corpus capite dempto atque cauda Rhombum integrum. Hæc ille. Id verò etymum, ut pace eius dicam, parum admodum mihi arridet, cùm potiùs ita appellatam crediderim, (ſi modò uerum eſt, quòd ita uocetur,) quoniam collum ac caput circumagens turbinis imaginem præ ſe ferat: unde etiam

Cælio

Cælio Collitorquis, & Italis Tortocollo, seu Collotorto, Stortocollo, Capotorto, & Romæ priuatim Verticilla nuncupatur, & Hispanis Torxicuello. Sed iam reliqua synonima prosequamur: Neapolitani hanc auem Formiculam appellant: quare vbi apud [b] Kiranidem ad superstitiosum phylacterium Formicarius & Itygos legitur, Ornithologus ab interprete Formicarium pro Iynge redditum, & vtrumq; in textum ascitum esse iudicat: Galli Terco vel Turcot, Germani VVindhalsz, quod nomen Meropi perperam quidam recentiores tribuunt. Naterhalsz, Nater VVendel, Nater VVang, Traechalsz. Quæ nomina omnia à colli circumuolutione detorta sunt.

Formicula.

[b] *Lib. 1. in Phoca.*

# FORMA: DESCRIPTIO.

IYNGEM Fringillæ comparat [a] Aristoteles, sed paulò maiorem esse testatur; quæ magnitudo huic auiculæ equidem exactè conuenit: vt secunda etiam, quam addidit, nota, quòd scilicet corpore sit vario. Rostrum habet firmum, sed multò minus, quam Pici, ex plumbeo & nigro permixtum. Linguæ aculeus tam acutus & validus est, vt humanam cutem; haud aliter ac aciculam penetret. Ea infra arteriæ summum subit, & supra cranium reflexa prope nares, vt in Pico Martio, inseritur. Est autem gemina; vbi ab occipitio reflecti incipit, & in sincipite rursus vtræq; partes conueniunt. Quæ res Aristotelem minimè latuit, linguam serpentibus simílem habere, eamq; in longitudinem mensura quatuor digitorum porrigere, rursusq; intra rostrum contrahere tradentem. Linguæ musculorumq; eam mouentium hęc icon est.

[a] *L. 2. Hist. cap. 12.*

Magnitudo.

Color.

Rostrum.

Lingua.

Capitis vertex, ceruix, dorsum, vropygium ex cinereo nigrescunt. Retro oculos macula atra est oblongiuscula, supra quam lineæ candidæ sunt exiguæ, transuersales quæ versus inferiora longiores semper euadunt, & supra superiorem alarum partem longissimæ, & semper exiles tenuesq;. Mentum, pectus, & venter totus sublutea, subnigris maculis trãsuersalibus insigniuntur. Remiges alarum nigræ sunt & maculis rubeis maximis conspergũtur. Cauda longiuscula, cinerea, calamos obtinet nigros, & maculas eiusdem coloris transuersales semilunares fermè. Crura fusca sunt. Digiti pedum Picorum more vtrinq; duo: cuius rei [b] Aristoteles causam reddens, corpus eius minus, quàm cæterarum in aduersum propensius esse dicit. Digitorum verò talis constitutio est, vt vtrobiq; longior alter, cum altero breuiore coniungatur. Eos *grandes* Aristoteles, & *Monedulis similes* esse testatur. Mas a fœmina manifestè distinguitur, quoniam is rubicundior est, illa ad cinereum magis vergit. Pectus in mare etiam magis flauescit. Prior icon maris est, secũda fœminæ; vtramque sequens pagina datura est.

Alæ.

Cauda.

Crura.

[b] *Lib. 4. de Part. anim. cap. 12.*

# LOCVS. VOX. VICTVS.

TORQVILLA in quauis regione ferè conspicitur circa arbores versari. Dicitur τρίζειν, hoc est, vt Gaza vertit, stridere: Aelianus verò obliquam tibiam voce sua imitari ait. Vescitur formicis. Quibus captam Ornithologus per quinq; dies sese vnam aluisse in cauea narrat, neque præter eas alio cibo vesci propria experientia edoctus affirmat. Eas verò exerta lingua uelocissimè aculeo linguæ transfixas, vt pueri ranas ferreo mucrone per arcum attracto, emissoq; venari solent, deuorat, nec vnquam rostro attingit, vt cæteræ aues suos cibos solent.

Vox. Victus.

# NIDVS. GENERATIO.

IYNX Picorum more in foraminibus arborum, quandoque tamen in domibus etiam & villis nidulatur. Enumeratur inter animantia multipara. Nam vel octo vel nouem oua unico partu excludere dicitur.

IYNX MAS.

IYNX FAEMINA



## MORES.

AEGERRIME cicuratur. Roſtro ligna tundit,& ſtrepitum,qualem Pici, edit. Si manu teneatur,caput in vtramq; partem circumagit,non adeò tamen,vt roſtrum ad medium dorſum omnino retrò ſpectet, at vlterius quàm in vllo alio auium genere. Ornithologus Iyngem domi ſuæ enutritam accedente aliquo homine haud facilè fugijſſe, acceſſum verò egrè tuliſſe,collo in ſublime erecto,& roſtro ſine morſu modò extenſo,modò retracto inſtar minitantis iram declaraſſe refert,plumis interim,præſertim capitis riguiſſe,& caudam erexiſſe atque dilataſſe. Capitur hæc uolucris hyeme & maximè autumno, aliquando etiam Aprili & Iulio,cùm ſobolem nutrit. Quãdo capiatur.

## HIEROGLYPHICA

PER Iyngis auis imaginem propter inſignem linguę eius longitudinem,hominem,qui plus quàm par eſt,loquax ſit,nonnulli intellexerunt, vnde ſimiliter communi paræmia verboſos, garruloſq; homines ab inſtrumento iſto linguaces vocare ſolemus. [a] Philoſtratus Babylone ex teſtudine loci,vbi rex ius dicere ſolebat,quatuor aureas Iynges dependiſſe ſcribit,fatalem conditionem ſignificantes, admonentesque Regem, ne ſe ſupra hominem efferret: eas verò dicunt Magos, cùm in regiam veniſſent, fieri iuſſiſſe. Vocant autem ipſas Deorum Linguas. Hominis duacis typus. Linguaces qui. [a] *In vita Apollonij.* Fatalis conditionis typus.

## MEDICA.

GALENVS [a] Antonij Muſę Trichiaſim vocari ait ad pilos pungentes in palpebris enascentes: *Fel auiculæ*, inquit, *quæ Cinædus appellatur,& aconiti dimidium eius,mixtis vtere*,hoc eſt, euulſis pilis locum illine. Aliqui etiam felle per ſe vtuntur,vt in eodem capite legimus. [a] *Lib. 4. de comp. med. cap. 7.*

## VSVS IN CIBO.

HIERONYMVS Tragus Iyngem in cibum admitti ſcribit. Bononię milies in foro venalem reperi, & aucupes omnibus in menſæ uſum cedere, & carne haud ingrata eſſe dicunt.

## FABVLOSA.

IYNGEM Echûs filiam, alij Pythûs fuiſſe fabulantur, quæ cùm amatorijs venenis Iouem in Iûs amorem pellexiſſet, ab irata Iunone in auiculam, qua in amatorijs veneficijs mulierculæ vti credebantur, immutata eſt. [a] Theocritus tam ſuperſtitioſum ei vim hoc uerſu tribuit,penes quę fides eſto:ait autem: [a] *In Pharmaccutria.*

Ἴυγξ ἕλκει τὸ τήνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τον ἄνδρα, id eſt,

*Per te Iynx meus ille domum vir quæſo trahatur.*

[b] Cælius etiam ex Varino & Pindari Scholiaſte Iyngem philtris & excantamentis amatorijs aptam nugatur. Auiculam alis ſuperne, & inferne pedibus aduocato amantis nomine ex rota agitabant,aut cum cerea rotam ſuper ardentes prunas amburebant; aut vt alij tradunt, auis interanea rotæ circumuoluta explicabantur. Vt vt eſt, vtrumq; fabulas ſapit, [c] Pindarus ſaltem hinc Iyngem τετρακναμον vocauit,quaſi quatuor tibijs vel radijs inſignem:Sed & rota ipſa quatuor radijs diſtincta metaphoricè,vt ait Scholiaſtes,Iyngis nomine appellari poteſt.Priuatim verò ad ea philtra, pennis, vt Tzetzes notat,quę circa caudam ſunt, atque oſſe eo circa pectus Lambdoide figura, ſpecie ſimili myropi ſeu calcari equitum vſas eiuſmodi veneficas aſſeuerant. Alij auiculam de trocho relegaſſe dicunt, & carmina quædam obmurmurantes circumgyraſſe,aut exenteratam trocho adnexiſſe.Hinc Xenephon Iynga pro veneficio accepit, vbi ait: ὅτι ταῦτα ἐκ ἀνευ πολλῶν φιλτρων καὶ ἐπῳδων, καὶ ἴυγγων, id eſt, *quod iſta non citra philtra, incantamenta, & Iyngas accidant*. Hanc item auiculam rhombo applicatam, pedibusq; & alis crucem complicantem Iaſoni Venerem dediſſe referunt, ut Medeæ erga parentes ſuos amorem ſimul & pudorem auferret, atque ita eam in auxilium ſuum pelliceret. Alij Iyngem non ſolùm Venerem Iaſoni dediſſe,ſed incantandi ſimul etiam artem docuiſſe volunt. Super hac fabula tale carmen apud [d] Pindarum eſt: [b] *Lib. 16. antiq. lect. c. 25* [c] *Ode. 4. Pythior.* Iaſon Iyngis opera Medeæ amorem conciliat. [d] *Pythior. Ode. 4.*

Ποντιαδ' ὀξυτατων βελεών
Ποικιλαν Ιὔγγα τετρακναμον
Ὀλυμπόθεν ἐν ἀλυτω ζεύξασα κυκλω,
Μαινὄρδα ἀνιν κυπρογένεια φέρεν
Πρωτον ἄνθρώποισι λιτας' ἐπαοιδὰς
Εδιδασκησεν σόφον Αἴσονιδαν
Ὄφρα Μηδείας τοκεων ἀφελοιτ' ἀιδῶ, id eſt,
*Veneranda verò Cyprogenia telorum acutorum domina*
*Picturatam Iyngem Bacchi auem ex Olympo attulit*
*Hominibus primum, vt indiſſolubili circulo quadriradiam*
*Iungens, carmina ſapientem docuit Aeſonidem,*
*Vt Medeæ erga parentes reuerentiam & pudorem adimeret.*

[e] *Embl.* 78. Quos verſus [e] Andreas Alciatus admodum oſſitanter ſic reddidit:

*Nec durus te vincat amor, neu fæmina mentem*
*Diripiat Magicis artibus vlla tuam.*
*Bacchica auis præſto tibi Motacilla paretur*
*Quam quadriramiam circuli in orbe loces.*
*Ore crucem & cauda, & geminis vt complicet alis,*
*Tale amuletum carminis omnis erit.*
*Dicitur hoc Veneris ſigno Pegaſæus Iaſon*
*Phaſiacis lædi non potuiſſe dolis.*

Verùm ex ijs, quæ antè à nobis dicta ſunt, & ex ipſis Pindari uerbis liquidò conſtat, Iyngem non depellere amores, ut ille tranſtulit, ſed inducere potiùs fabuloſè ſcribitur, cuius ſcilicet auxilio Theocriti puellam, ut amantem in amorem ſuum pertraheret, uſam quoque fuiſſe nugantur.

# EMBLEMA.

ORNITHOLOGI in Iyngis iconem uinctam ad manum hominis talè emblema eſt:

*Cur vinctam Iyngem picta detinet manus?*
*Auis hæc amoris, & voluptatis nota eſt,*
*Quæſita philtris: fortè quòd quouis agat*
*Antè & retrorſus collo, in orbem, liberè.*
*Sic & voluptas corda agit mortalium*
*Mirumq; torquet in modum quoquò libet.*
*Hanc tu niſi vinctam cum ratione rexeris*
*Mentis peribit quicquid ac ſenſus habes.*
*Hoc faſcinum putabis, atque maximum*
*Philtrum, veneficiumq; quàm miſerrimum.*
*Hoc torquet animos, turbat, & retrò mouet*
*Aut igitur omnem tu voluptatem fuge,*
*Aut ſi libet vti, vincla ſemper admoue*
*Non cicuratur, ſemper eſt vinclis opus.*

Voluptas Iyngi comparata.

# DE IYNGE CONGENERE. Cap. XLIII.

PEDVM huius auis, quam nunc exhibemus, diſpoſitio uel Picis Martijs, uel Iyngi congenerem eam eſſe manifeſtò indicat: contrà uerò roſtrum paruum Iyngi potiùs, quàm Picis ſimilem reddit. Nunquid uerò Iyngis more ceruicem nihil agentibus alijs partibus contorqueat, necdum exploratum habeo. Magnitudo Aui, quantum ex tranſmiſſa mihi icone iudicare potui, compar cum Iynge. Color capitis, dorſi, alarum & totius caudæ ferrugineus maculis luteis tranſuerſalibus eleganter diſtinctus. Totum pectus & venter albicant, & lineis luteis per longitudinem exornantur. Tibiæ luteæ, digiti Picorũ more oblongi, eiuſdem coloris: ungues adunci, magni, nigri.

DE



# DE CERTHIA. Cap. XLIV.

CERTHIAM etsi exiguam auiculam, audacem tamen, Picorum historiæ, colophonis loco subiecimus, quòd eorum more super arborum truncos & ramos apta pedum & caudæ dispositione perrepat.

## SYNONIMA.

ARISTOTELES hanc auiculæ Κερθίον masculino genere uocat: Gaza Certhiam fœminino transtulit. Robertus Constantinus κερδίον propter astum, quem Aristoteles illi tribuit, scribendum existimat. Albertus in sua translatione Raricheus uoce omnino barbara legit, ubi etiam quædam alia admodum ineptè scribit. Anglis Crepera à reptando teste Turnero, quasi reptatrix seu scandulaca dicitur. Gallis Grimperaeu Piochet, & Grimperaeu petit Bellonio. [a] *Lib. 9. Hi. cap. 17.* Crepera.

## GENVS. DIFFERENTIÆ.

CERTHIA in Picorum genere omnino reponenda foret, nisi rostrum quodammodo recuruum & arcuatum, & pedum digiti, tres nempe in antica, unus in postica parte obstarent, quamuis alioquin insigniter adunci sint, & ad rependum perquam idonei. Cauda saltem Picorum, ut icon expressa demonstrat, simillima est. Differt uerò ab omni Picorum genere colore pennarum.

CERTHIA.

# FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo
Roſtrum.

Guttur.

Pectus.
Venter.
Alæ.
Cauda.
Crura.



AVICVLA exigua eſt, & Regulo paulò maior. Roſtrum habet longiuſculum, ( quod nimis breue icon Bellonij expreſſit) nigrum, & arcuatum, in ſuperiori parte longius & craſſius, quàm in inferiori. Guttur eius & pectus candicant; dorſum & alæ fulueſcunt, & nigris ubique maculis diſtinguuntur. Cauda breuis eſt, rigida & in extremitate quodammodo acuta, ex luteo & uireſcente permixta: qui color in extremitate dorſi etiam conſpicitur. Tibiæ pedũq; digiti flaui ſunt, vngues nigri ualdè adunci.

# VOX. VOLATVS.

[a] Lib. 9. Hi. cap. 17.

ARISTOTELES Certhiæ claram uocẽ tribuit: unde quidam Germani uiri alioqni docti inter canoras aues enumerarunt, & cum Carduele minore perperam confuderunt. Nunquam aut tarò admodum quieſcit, ſed perpetuò ferè nunc in hanc, nunc in illam arborem uolitat.

# NIDVS. GENERATIO.

IN cauis arborum more Picorum nidificat. Parit maximum ouorum numerum, uiginti quandoque, quandoque tamen pauciora edit.

# MORES. INGENIVM.

TOTO anno eandem patriam iucolit. Arborum ramis Fringillaginis inſtar ſeſe annectit, & Picorum more arbores aſcendit & deſcendit, pedibus & cauda ad reptationem aptiſſimis. Nunquam queſcit, niſi quando dormit.[a] Ariſtoteles ei mores audaces, ſagaxq; in uitæ officijs ingenium aſcripſit.

[a] 9. H. c. 17.

# VICTVS.

Culicilega.

IDEM Ariſtoteles hanc auiculam θριποφάγον nominat; pro qua uoce Gaza tranſtulit, ex coſſis uictitans: ſed Philoſophus meo iudicio de inſectis minoribus omnibus per coſſos intellexit, unde quibuſdam Culicilega appellatur. Albertus pro tripophagos à Certhia aliam auiculam canoram nempe Vinconem Germanorum, ſeu Fringillam deuorari ineptè ſcripſit.

# DE MEROPE. Cap. XLV.

## ÆQVIVOCA.

MEROPEM cum Pico uiridi Albertus, ut ſuo loco dictum fuit, confundit, & nonnulli Gallorum & Germanorum Meropem eam auem eſſe credunt, quę Gallis uulgò Meſange dicitur, quę Parus maior eſt. Niphus Grallum ſuum nunc Meropem, nunc Galgulum uocat, quæ tamen etiam aues diuerſæ ſunt. Quidam etiam Germani Meropem lingua ſua Krinitz & VVindhalſs uocantes toto cælo aberrant. Ea enim nomina Iyngi conueniunt. Varinus Meropes φλῶρας etiam dici ait: ſed φλορος per o breue Suidæ alia auis eſt, & φλῶρος per o longum proprium uiri nomen. Euſtathius & Varinus Μέροπες apud poëtas hominum epitheton eſſe, & aliquando poni abſolutè ſcribunt ſine ſubſtantiuo imperfectè ut βροτοι. Merops dictus eſt unus ex terrigenis gigantibus, qui cæleſte regnum affectaſſe dicuntur, hoc eſt, qui turrim Babel extruxerunt, in cuius ædificatione cùm diuerſarum linguarum confuſio, uocumq; diuiſio interueniret, qui eam moliebantur, Meropes dicti ſunt, id eſt, diuerſarum uocum homines, ut Grammaticus quidam annotauit. Homerus etiam cuiuſdam vatis meminit, qui Merops Percoſius dictus fuit. Et Meropes eidem dicuntur homines à diuerſitate uocum, ſiue quòd habeant uocem à uocibus brutorum animalium diſtinctam. Fuit item alius Mileſius Merops, cuius filium Pandareum in Creta canem aureum furatum aiunt. Cos inſula, cui magnus ille medicinæ parens Hippocrates patriam debet, Merope, & Meropis, ut Suidas habet, & Meropeis ut Euſtathius, dicta fuit, uel ab antè nominato gigãte, uel à Merope Theſſalorum rege, Triopæ eorundem Regis filio ibi ſedes habente, à quo non exiguum augmentum ſumpſit, uel quòd Meropes populi in ea habitarint. Merope item fuit una filiarum Pandarei, cuius pater & ipſe Merops Homero uocatur. Fuit & alia Merope Atlantis & Pleionę filia, quæ Siſypho nupſiſſe dicitur, unde Pleiadum una eſſe fingitur, ſed ut Euſtathius ait, omnium obſcuriſſima: de qua [a] Ouidius:

*Septima mortali tibi Siſyphe Merope nupſit:*
*Pœnitet, & facti ſola pudore latet.*

Iuxta Theſſaliam in Græcia mons eſt, quem Meropam uocârunt, quòd uarijs pręruptus anfractibus, undique referiente Echo, uoces diuerſas reddat.

Meſange Gallorum quæ.

Merops gigas.

Meropes dicti.

Merops Percoſius.

Cos inſula.

Merope Pandarei.

[a] *Li. 4. Faſt.*

Mons merope.

## SYNONIMA.

GRAECIS, Merops iſtæc uolucris dicitur à μεριζω ὄπος ut [a] Probus uult, quoniam uox eius multiplicem partitionem capiat; unde etiam Meropes homines uocantur, uel quòd uocem articulatam & indictiones, ſyllabas & literas diuiſas habeant, uel quia linguis & dialectis diuerſis utantur, uel ut alijs placet, Merops appellatur, quoniam ad amorem hominem citò conciliet.

[a] *In lib. 4. Georg.*

[b] Ioannes Goropius incertum eſſe ait, an Meropem, Græcam uocem, an Scythicam ſiue alterius orbis uernaculam eſſe uoluerit antiquitas. Græca certè optimè, inquit, conuenit allegorię, eò quòd diuiſionis quandam habeat ſignificationem. Si Scythica ſit, indicat plures ibi eſſe hominum cœtus, quàm in hoc orbe. Mer enim ſic pronunciatum ut duplicem uocalem audijſſe uidearis, plus ſignificat. Hops uocali item producta, ſi ad homines applicetur, multitudines & magnos cœtus deſignat. Mer-ops igitur alterius orbis incola diceretur, quod orbem coleret, in quo multitudo hominum maior, quàm in noſtro eſſe uideretur. Hęc ille. Porrò Merops in Creta [c] Bellonio teſte Meliſſophagus dicitur, quòd apibus inſidietur, quam ob cauſam Gaza apud Ariſtotelem pro Μέροψ quandoque Apiaſter tranſtulit. A nonnullis Græcis hodiè etiam Μελισσόφαγος appellatur. Apud Albertũ Marochus pro Merope voce corrupta legitur, & alibi etiam Muſcicapa. Germani quidam Ἀέροπα uocari arbitrantur ab aereo colore: ſed nomen id ex Ariſtophanis Scholiaſte & Suida deſumpſiſſe uidentur, qui Aëropes uel Aëropodes parentes ſuos Ciconiarum more alere dicunt; ſed legẽdum uidetur Μέροπες tribus ſyllabis, etſi Heſychio & Varino Ἀέροπες etiam aues ſint. Alij Ripariam nominant, alij Parram, alij Gangrenam, teſte [d] Kiranidis interprete. Ornithologus Raſi Alkemum dici, uel Alkeuium ex eo conijcit, quia ille apibus eam auem ueſci ſcribat. Bononię Dardano nominatur, nomine à moderna Græcorum uoce Darda deducto, quę apiculam ſonat: Italis quibuſdam Gaulo & Ieuolo: Neapoli Lupo dell'api: in Sicilia Picciaferro à roſtri duritie: Gallis Gueſpier, quaſi ueſparia: Hiſpanis Iuruco.

[b] *Li. de orig. Antuerp.*

[c] *L. de Auib. cap. 27.* Meliſſophagos. Marochus. Muſcicapa.

[d] *Lib. de lx. anim. c. 48.*

FORMA.

MEROPS MAS.

# FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo.

FORMA ac magnitudine Merulis ferè par eſt, & Sturno paulò maior. Albertus ſuam Muſcicapã Turture & Columba maiorẽ facit, & colore Lanarium referre, pedes verò & roſtrum Hirundinis habere dicit, ſed omnia iſtæc Meropi minimè conueniunt. Meropis enim color longè pulcherrimus eſt, quo vel cũ quauis aue certare poteſt, quinimo cum ipſo etiam Pſittaco. [a] Ariſtoteles admodum oſſitanter de colore eius ſcribens, *pennus eius inferiores pallidas eſſe, ſuperiores cæruleas, vt Halcyonis. poſtremas pinnulas rubras* ait transferente Gaza: Sed Græcè legitur τὰ δὲ ἐπ' ἄκρων τῶν πτερυγίων ἐυθρὰ id eſt, *in ſummis alis rubræ ſunt.* [b] Plinius

[a] *Lib. 9. Hiſt. cap. 13.*

nius ſequutus Ariſtotelem *pallido intus colore pennarum, ſupernè cyaneo, priori ſubrutilo* eſſe dixit. Vnde Seruium erraſſe manifeſtò conſtat, cùm *viridem* vocârit. Roſtrum Meropi longum, durum ad inſtar falcis meſſoriæ arcuatum, & quaſi triangulare. Mentum ac frons luteſcunt, & linea maiuſcula nigra, & binis maculis cæruleis, quarum vna alteram ſuperequitat, infra notantur. Oculi exigui ſunt, palpebræ nigræ, ſed iris ita inflammatur, & rubeſcit, vt aliam omnia rubedinem ſuperet. Auditorij meatus plumis nigris cooperiuntur. Capitis vertex, collum ſuperius, dorſumq; inter flauum & caſtaneum media. Pectus viride, ad latera cæruleum; Venter ad coxas vſque viridis. Alæ partim virides, partim inter flauum & caſtaneum mediæ, & partim deniq; cæruleæ. Cauda ex viridi & cæruleo, ſed ex hoc magis, tingitur. Crura breuia more

Roſtrum.
Mentum.
Oculi.
Pectus.
Alæ.
Cauda.
Crura.

Hirun-

Pedes. Hirundinum, nigra, quæ rubere perperam Textor Rauiſius dixit. Pedes quatuor digitis præditi ſunt, retrò nempe vno, tribus antè, reliquarum auium more. Bellonius binos antè, & totidem retrò Pſittacorum & Picorum inſtar habere dixit: ſed id planè falſum eſſe eiuſdem appoſita icon demonſtrat. Atq; iſtæc maris Meropis meo iudicio deſcriptio eſt. Quam ſecundo loco depictã damus, arbitramur eſſe fœminã. Color enim vbique minus intẽſus. Tergus quodammodo uireſcit. Cauda ſuperius omnino viridis. Alarum pennæ maiores è cæruleo pariter vireſcunt: cætera mari ſimilis. Ex partibus internis quaſdam etiam notabiles Merops habet: Linguam nempe ſublongam & gracilem: oris uerò rictum tam amplum referente [c] Alberto, vt multas muſcas in os eius humoris gratia inſidentes capiat. Bellonius oſſa capitis eius duris oſſibus comparari poſſe teſtatur. Veſiculam fellis amplam humore viridi ſmaragdi inſtar refertam poſſidet; Inteſtina bina, parua, recta.

Lingua. [c] *Lib.* 23.

## LOCVS.

MEROPS in multis Italiæ locis, etſi id Bellonius neget; ſatis obuia eſt, & Bononiæ ſæpè capitur. Germanos hac aue carere, vel ſaltem raram ibi eſſe crediderim. Bellonius in Creta tam vulgarem eſſe refert, vt nuſquamnon in illa inſula conſpiciatur, & raram alibi, ipſiſq; Græcis per Continentem incognitam.

## VOX.

ALTVM clamat & longè auditur, & vocem inſtar hominis qaodammodo edit, qui ore in rotundum clauſo ſonet grul gruru vrurul. Hanc vocem in ea Bellonius obſeruauit, quamuis Philomelæ author zinzilulare ſcripſerit:

*Regulus atque Merops, & rubro pectore Progne*
*Conſimili modulo Zinzilulare ſolent.*

## VOLATVS.

GREGATIM ferè volitat, rarò ſolus, frequenter, vt Belonius ait, circa montes, qui thymum ferunt, vbi apibus inſidiatur. Albertus pigrè & lentè volare aſſerit. Eſt verò eius volatus inſolens atque notabilis, & ſumma admiratione dignus, retrorſum nempe caudam uerſus eum exercens, cùm reliquæ aues quaſi ſurſum ad oculos uerſus volitent.

## VICTVS.

MEROPS dum volat, apes, vt [a] Ariſtoteles teſtatur, captat; unde Meliſſophagos Cretenſibus, Latinis Apiaſter dicitur. Quare etiam [b] Vergilius Meropis nidum prope aluearia interdicit. cùm ait:

[a] *L. 9. Hiſt. cap. 40.* [b] *Georg. 1.*

*Abſint & picti ſqualentia terga lacerti*
*Pinguibus à ſtabulis, Merops, aliæq; volucres.*

Bellonius cicadis etiam inſidiari Meropem refert, nec Lampſanæ, caucalidis, & raparum ſeminibus, nec tritico etiam abſtinet, vt in diſſectæ auis ventriculo idem ille obſeruauit. Albertus Muſcicapam vocat à muſcarum captura, iſque ſolis & vermiculis veſci tradit. Verùm quæ Muſcicapæ ſuæ hic tribuit, ut antè etiam admonui, Meropi per omnia non competunt.

## NIDVS. GENERATIO.

MEROPS, inquit [a] Ariſtoteles, cauernas ſubit & cunabula facit, quoniam vt nonnulli credunt, corporis ſui pondere in ſublime efferri nequeat [b] Plinius in ſpecu ſex pedum defoſſa altitudine nidificare, & [c] Ariſtoteles ad quatuor cubita intrò ſubire, & ſex aut ſeptem pullos in præcipitijs mollioribus parere ſcripſit.

[a] *L. 8. Hiſt. cap. 1.* [b] *L. 10. c. 33* [c] *L. 9. Hiſt. cap. 13.*

MORES.

# MORES. INGENIVM. PIETAS.

MEROPS auis migratoria est, nec in vno loco perseuerat. Astuta & vafra esse perhibetur, vtpote quæ pullos, ne quis eos capiat, de loco ad locum transferat, uel si insidiatores prius conspexerit, sese ipsa ad diuersa loca recipiat, ne ubi eos nutriat; præsentia sua manifestet. Aristoteles author est, *esse qui confirment Meropes genitorum senectutem inuicem educare vicemq; reddi, ut parentes non modo senescentes, verum etiam statim, cùm iam datur facultas, alantur opera liberorum, nec matrem aut patrē exire, sed in cubili manentes pasci labore eorum quos ipsi genuerunt, enutrierunt, educarunt.* Quod certè insigne pietatis argumentum est, adeo vt de Merope non minus, quàm de Ciconijs ἀντιπελαργῖν dici possit. Imo uerò [a] Aelianus scribit Meropem esse Ciconiarum iustissimam, quòd educandis parentibus senium haudquaquam arbitretur expectandum, sed ipsum id agere protinus volatus celerioris compotem. Quo coniectatum inter cunctas esse aues, tum iustissimam, tum verò pijssimam. [a] *Lib. 11. de Anim. c. 30.*

# CAPIENDI RATIO.

RETIBVS & visco in agro Bononiensi capitur: in Creta à pueris referente Bellonio, cicadis hoc pacto: Cicadam acicula instar hami curuata transfigunt, eamq; filo annectunt, & extremitatem fili in manu retinent. Cicada sic transfixa sublime petit: in quam subin de conspectam Merops impetum facit, & deuorata simul cum cicada acicula filo adhærens capitur.

# MORALIA.

MEROPS illaqueata alias etiam aues in eosdem laqueos pertrahens, sponsionem non esse præstandam significat, iuxta antiquissimum Thaletis dictum; *præs ne esto*. Hinc [a] Alciatus, [a] *Embl. 186*

*Ne præs esto, Thales dixit, sic illita visco*
*In laqueos sociam Parra Meropsq; trahit.*

Merops etiam haud aliter ac Ciconiæ pietatem à nobis colendam esse admonet, quæ nempe vt paulò ante dictum est, quàm primùm uolare cœperit, sponte animum ad necessaria parentibus suis subministranda conuertit.

# MEDICA. VSVS

MEROPS in cibo improbatur. [a] Rasis carnem Alkemi, quam auem Meropem esse Ornithologus conijcit, austeram esse dixit, & concoctu difficilem, sed inflammationibus prodesse, & fel eius si cum gillis, oleo omphacino misceatur, capillis firmam nigredinem inducere, & frixam in oleo manus ab apum punctionibus immunes reddere. Kiranides Meropem & cor eius, E credere fas est, amorem conciliare, in cibo cardiacos, ictericos & stomachicos iuuare, & fel cum melle & succo rutæ oculorum suffusionem sanare tradidit. [a] *Lib. de Ix. Ani. c. 40.*

# DE MEROPE ALTERO. Cap. XLVI.

AVEM hanc, cuius modo iconem exhibemus, Germani Seeschwalm, hoc est, Hirundinem marinam vocant, cùm quia primo inspectu partim pedum breuitate, partim etiam uolatu, tum quoniam inter uolandum muscas captet, Hirundinem referre videatur. Ego verò Meropi potiùs, quàm Hirundini congenerem fecerim, quoniam toto ferè cælo ab Hirundine marina differt. Est verò hęc uolucris superiore paulò longior, & uiticon etiam demonstrat, toto corpore multò crassior. Rostrum huic nigrum, lõgum, acutum, & propius ad falcem messoriam, quam in illa accedens. Caput, collum, pectus & totus fermè venter flauescunt. A rostro maculam habet nigram, maximam, quæ per oculos retrò ad colli initium usque defertur. Ornithologus de colore dorsi, alarum & totius ferè auis perperam scripsit, neque id mirum est, cùm nunquam sese eam conspexisse dicat. Dorsum itaque non ex uiridi & flauo, vt ille habet, permixtum est, sed castaneum, prope uropygium uerò talis color conspicitur. Alarum pennæ, quas in extremo uirides dixit, uarijs coloribus insigniuntur. Primæ enim cæruleæ sunt, secundæ ex cæruleo & flauo mixtæ, tertiæ omnino flauæ, quartæ, remiges nempe nigræ, & in extremitatibus rubræ. Cauda in summitate insigniter uirescit infrà uerò perbelle flauescit, ita ut semiuiridis & semilutea uideatur. Pedes habet luteos, ungues nigros.

Hirundo marina.

Magnitudo.

Rostrum.

Dorsum.

Alæ.

Cauda.

Pedes.

DE

Meropi congener.

# DE LOXIA. Cap. XLVII.

NVLLAM mihi inter tot, cùm à me, tùm ab alijs obſeruata auium genera, aliam hactenus conſpicere contigit, quæ cum hac, quantum ad roſtrum attinet, ſimilitudinem vllam gereret. Cùm verò & eam cũ Chloreo à quibuſdam cõfundi viderem, itaque præſenti loco aliquid de ea dicere volui, tùm eò maximè, cùm roſtrum illi, etſi contra omnium auium morem ab vtraque parte recuruum, craſſum ſit, atque admodum robuſtum. Hanc auem, quicquid dicant alij, Ariſtoteli incognitam fuiſſe exiſtimo. Si enim eam agnouiſſet, tã raram roſtri diſpoſitionem ille, qui differentiarum quarumcunque, etiam omnium animalium diligentiſſimus ac indefeſſus obſeruator erat, abſque vllo dubio minimè tacuiſſet.

## SYNONIMA.

GERMANI à roſtri obliquitate Krũtzuogel, quaſi cruciatam, vel Krumſchnabel, ſeu curuiroſtram appellant, & Ornithologus ob eandem rationem Loxiam, ſed nomine æquiuoco, quod nempe muſtelæ fluuiatili minimæ etiam competit. Λοξίας Apollo etiam dicebatur, quòd obliquis paſſibus cælum percurrat. Robertus Conſtantinus Tragonem Plinij, quam auem [a] hic ex Hyla à cauda de ouo exire ſcribit, exiſtimant eſſe & à voracitate ita dici. Eſt enim ſigniter vorax, vt ego quoque obſeruaui. Verùm nunquid Trogon Plinij ſit, nec affirmauerim, nec etiam inficias iuerim, & reuera ſi vlla alia auis à cauda de ouo exeat, ea fortè iſtæc fuerit, quæ ſi reliquarũ more prodiret, facilè impediretur exitus à roſtri curuitate, vel dicamus potiùs, ita exire, ne cùm media fermè hyeme naſcatur, ſi à capite exiret, ſubinde ab ambientis inclementia calor animalis ſuffocaretur. [b] Iacobus Dalechampius Ornithologum ſcribit Loxiam Tragonem quoque appellare: verùm id apud illum minimè reperio, quin ipſe Plinium non citat, tantum abeſt, vt Tragonem vocauerit.

v Krũtzuogel. Curui roſtra.

Apollo Loxias dictus.

[a] *L. 10. c. 16*

[b] *In comm. eiuſdem ca. Plin.* Tragon.

### CORVIROSTRA, SIVE LOXIA.



# FORMA. DESCRIPTIO.

Magnitudo. Color.

PARVM maximum magnitudine vix vincit: vnde eos manifeſtè hallucinari patet, qui Chloreum eſſe voluerunt. Color toto corpore variat. Mea, quam ego aliquando depinxi, præter alas, quæ fuſcæ erant, tota ferè rubebat. Colorem verò temporis & ætatis diuerſitate immutat. Itaque cùm bis tantummodo, aut ad ſummum ter conſpicere eam mihi contigerit, quæ nempe in Italia rarò admodum apparet, Ornithologi Germani, qui pluries eam vidit, verba adijcere placuit. Primùm, inquit, rubere ſolent pectore, collo & ventre, deinde flaueſcere. Cæruleus in vertice, ceruice, & circa oculos apparet: in cauda & extremis alis è ſubruffo nigricans. Crura rubicunda. Hyeme præſertim colorem mutat. Sunt qui colorem eius quotannis mutari aſſerant, ita vt nunc ad flauum, nunc ad viridem, rubrum aut cinereum magis declinet. Hæc ille. Quod certè veriſſimum eſt, & me in primis color impoſuit, vtpote qui bis eandem auem ceu diuerſam depinxi, & tres modo figuras exhibui, quarum tertia ex Ornithologo deſumpta eſt.



# LOCVS.

PLVRIMA Germaniæ loca incolit, attamen in Heluetia Ornithologo teſte minus frequens eſt. Italia rarius Loxiã vidit, aut ſi aliquando vidit, eam non agnoſcit; unde in diocœſi Genuenſium, ubi quandoque apparet, vt mihi per litteras à Bernardo Caſtelletto Genuenſi, cui rariora & exotica multa, quæ liberaliter tranſmiſit, debeo, notum eſt, hactenus habetur anonimos. Tridenti mihi iſtæc auis donata fuit, cùm Sanctiſſimo eò conuocato ſynodo de ſumma rerum totius Romanæ Eccleſiæ ageretur.



## VICTVS. NIDVS.

AVIS est voracissima, seminibus cannabis maximè delectatur ac pinguescit; unde caro eius non improbatur. Aiunt & cadaueribus pasci. Gaudet item nucleis abietum, & in eiusmodi arboribus Ianuario & Februario mensibus nidificat.

## MORES. INGENIVM.

### Capiendi modus.

ILLVD etiam in Loxia mihi planè insolens videtur, quod hyemali tempore, cùm frigore omnia rigent, & cæteræ volucres obmutescunt, ea canat, & æstate, cùm cæteræ canunt, à cantu abstineat. Cantillat autem satis suauiter. Ingenij dicitur esse simplicis & stolidi. Caueis inclusa homines minimè expauescit, sed Psittacorum more rostro, pedibusq; sursum atque deorsum reptitat. A potu pocillum rostro, si potest, abijcit, quod fortè fecerit, quoniam imaginem suam in aqua conspiciat. Apud Germanos copiosè, vt cæteræ volucres retibus capitur.

## De admirando Picæ caudatæ nido, cuius mentio fit, pag. 708.

QVOVSQVE Naturæ sagacissimę misteria inquiro, atque indagor, nihil vnquam magis in votis habui, quàm nidum contemplari Picæ caudatæ, quem tam admirabili industria in altissimis plerunque arboribus, vt populo nigra constuere, vt se fœtusq; suos ab auibus rapacibus ac alijs noxijs animantibus defendat, apud multos, legi. Sed cùm nisi post impressam huiusce volucris historiam, quæ præsenti libro habetur nanciscì eiuscemodi nidum non licuerit, itaque nunc à rustico meo, ex suburbano meo allatum hìc ob oculos depictum propono, vt & alij idem auis artificium contemplari, rimari, atque admirari queant. Etenim inter tot nidos, quos hactenus mihi videre contigit, reuera alium nunquam maiori industria

factum obſeruaui. Siquidem hæc ales ex omnibus arboribus, quæ ibi ſunt, malum ſibi elegerat, ſed non quam libet, at ex qua viſcum ex putri, non ex ſemine in Turdi ventriculo præparato, quemadmodum perperam ſibi vulgus perſuadet, enaſcens, quamplurimos ramos emitteret, adeo vt nidum iſtum partim à Natura, partim ab Aue factum quis non ineptè dicat. In medio enim illorum ramorũ, qui per ſe figuram hemiſphæricam, qualem nempe nidus exigebat, exprimebant, tanquam ſupra ſolidos parietes, & fundamenta erat conſtructus & ipſe oualis, longus dodrantem, latus circiter octo digitos, & ſurculis milij Indici, alijsq; radicibus, & terra vice glutinis interiecta conſtans, vt nimirum oua ſua ac fœtus melius poſſet continere. At non duntaxat ramis illis, quos dixi, viſci circumcirca erat præmunitus, verùm etiam varios alios per agros, ac ſecus uias collectos, ac in primis pyraſtri, & oxyacanthæ ſimuliumq; aliorum fruticum ſpinoſorum ita ſuprà, infrà, antè & retrò munierat, ut uix foramen, quo ipſi erat ingrediendum ad fœtus, conſpiceretur, tantum abeſt, vt alia animalia vel pullos vel ipſam incubantem infeſtare poſſint. Pulli hoc in nido erant quinque, quot ſcilicet pleruniq; edere ſolet hoc auium genus, alis partim albis, partim nigris, haud tamen vndique plumis refertis, cauda nigra, breui, ſecus ac in adultis, quibus longiſſimam eſſe ſuprà diximus, vnguibus valdè acutis. Ore hiante clamitabant, comedebant ſchiſton ſeu caſeum ſecundum, quem vulgò recoctam nuncupamus, & offulam ex pane & vino, vulgus ſuppam appellat.

Viſcus ex putri materia naſcit, non ex ſemine Turdi, vt multis placet.

# De perulcacia cuiusdam Aquilæ, quam Clarissimus Iacobus Antonius Cortusus Melanętum esse putat.

IACOBVS Antonius Cortusus patritius Patauinus, ac horti Patauini præfectus per litteras (quas mihi illustris ac doctissimus D. Io: Vincentius Pinellus scientiarum omnium non cultor tantùm, sed non mediocriter earundem etiã peritus transmisit) retulit Aquilam sese habuisse, quæ etsi nondum esset adulta, nec ad debitam magnitudinem peruenisset, valdè tamen peruicax esset, & suipsius admiratrix. Eam illecebris sese cicurasse, volatilia offerendo, & aliorum animalium carnes: accidisse verò, vt cùm quadam die ferulæ baculo tres circiter digitos crasso caput eius verberasset, adeò indignabundè id ferret, vt cùm ad solitam sedem, eam adigeret, nõ solùm ea non ire recusaret, sed neque ab illo tempore per multos dies etiam cibum præbenti morem gereret, quin imo victum, vel à quouis alio oblatum non attingeret, atque quotiescunque ad illam ipse accederet, tunc velut ira percita pennis, præsertim ijs, quæ circum collum sunt, erectis rigeret minitabunda, alas quateret, pedibus terram iceret, rostroq; instar Gallinæ glociret, adeo vt fragor ille, strepitusue metum spectantibus omnibus inferret. Vbi itaque pacata quodammodo appareret, sese aiebat illi aliquantulum astitisse, vt quædam diligentiùs in illa rimaretur, illam verò ceu vindictæ occasione accepta incredibili ira rabieq; accensam eum inuasisse, vestisq; oras vnguibus arreptas arctissimè constrinxisse, quò faciliùs veste obruto lædere posset: quare accepto pugione, quo accinctus erat, bis caput lethali illato vulnere pertudisse, neque tamen eam à veste abstinuisse, neque vllam in tota illa lucta vocem edidisse; tandem verò eum dereliquisse, cùm se satis ei læfisse auis crederet: contrà sese ab ea discedere noluisse, priusquam ex ictuum frequentia sanguinem ex oculis eius stillare cerneret, & cùm ita vulnerata nõ acquesceret, sed adhuc etiam illatam iniuriam vlcisci tentaret, tunc demum eam astantibus huic spectaculo nepotibus suis, qui terni erant, scipionibus occidendam tradidisse: felle tantummodo, quod cerebri morbis remedio esse nõ ignoraret, sibi reseruato. Credebat vir ille celeberrimus, & huius sæculi botanicorum facilè coryphæus hanc esse Aquilam suluam, quam præterea strenuam appellat Aristoteles, politam & liberalem, eumq; hæc ei epitheta attribuere, quia alijs auibus eam iccirco sectantibus tanquam mensæ assectis prædam suam communem exponat; atque ita non mirum esse, si Cæcus Asculanus eiusmodi volucrem summoperè celebrauerit. Hæc itaq; Cortusus, quæ, si placet, capiti nostro de Melanæto addere poteris.

# De capite, tibia ac pede Auis rapacis, quæ Aquila paluſtris esse creditur.

POSTQVAM de Aquila quædam cum Cortuso dimicante dixerimus, non ab re fuerit de alia quadam aue rapace agere, quam D. Io: Baptista Fulcherus pharmacopola illustris, Lucensis, Aquilam paluſtrem vocabat, eius capite, tibia ac pede mihi dono transmissis: quod nomen, cùm integram auem videre nequiuerim, quia rustici Lucenses eam comederunt, non immutabo, etsi Aristoteli nulla Aquila ita uocetur. Quod si verò tota esset nigra, ut caput & pes mihi missi, non ineptè à colore Melanætos dici posset, hoc est, Aquila nigra, licet Aquila sic dicta philosopho omniũ sit minima, cùm contrà rostrũ hoc rostro Chrysaeti longè maius existat; quare vel Vulturis esse suspicor, vel saltem Aquilæ Vulturinæ; quam opinionem etiam astruit tibiarum villositas, quę Aquilis nudæ esse solent, uel ex promiscuo Aquilarum & Vulturum coitu genitam. Hæc autem auis, quæcunque tandem ea sit, à nemine, nisi ego fallor, descripta est. Rostrum, quod inter Aquilarum rostra in musæo meo appensum reseruo, longè maximum est, vtpote dodrantem & duos digitos longum: subſtantia eius in anteriori parte erat ossea, coloris ualdè nigri & micantis instar holoserici nigri, nisi quod inferius prope nares ad subcastaneum uergeret; ubi linea quædam transuersalis partem nigram ab alba diuidebat. Albam partem uoco membranam, quæ rostrum, quà à capite exoritur, ad medietatem ferè usque cooperit.

perit. Pars inferior erat concaua & in extremitate nigra. Caput plumæ nigræ quadrupedum quorundã pilis non prorſus abſimiles cooperiebant. Oculos habebat maiuſculos, ſicuti etiam num foramina in cranio oſtendunt. Tibiæ duos palmos longæ, plumis ad medietatem uſque refertæ mollibus, ut in capite, at longioribus: reliqua pars inferior, quemadmodum & totus pes colore erat ſubcinereo, & ueluti ſquammis, non plumis ueſtita. Pes totus ſecundum digitorum diſtantiam dimenſus erat magnitudine dodrantis; ungues craſſi, adunci, acuti, nigri & ſplendentes: pars interior ſeſſilis albeſcebat. Digiti omnes adinſtar tracheæ arteriæ annuloſi erant, erucas quodammodo æmulantes, & ſimilia inſecta annuloſa. Digiti omnes, item & membrana ea uel potius membranæ rudimentum, quam inter medium eorum & minimum obtinebat ſcabritie ſua atque aſpectu limam imitabantur. Eam uerò ſcabritiem ſiue ſerram ei à natura datam eſſe credere eſt, ut facilius prædam prehendere poſſet.

## De Accipitris inſigni, quod addi poteſt pag. 323.

*Cap. 17. par. 1. Introduct. ad Symbol. fidei.*

R. D. Petrus Antonius Tolentinus Cremonenſis, uir eruditiſſimus, & cui ego ob innatam ei liberalitatem plurimùm debeo, mihi aliquando ſcripſit Illuſt. D. Io: Paulum Magium pariter Cremonenſem, Illuſt. D. Lodouici Magij Senatoris Mediolanẽſis affinem, item Mag. D. Antonium Belloſellum I. C. eximium pro inſignibus ſuis uſurpare Accipitrem, diuerſimodè tamen, at eiuſmodi inſigne Belloſello potius competere, quoniam Belloſellus latinè pulchram auem ſonet, qualis profectò eſt Accipiter. A cuius nobilitate Aloyſius Granata natum fuiſſe prouerbium apud Hiſpanos teſtatur Hidalgo, quæ vox ſignificat nobilem eſſe, vt Accipiter.

## De Nido Laniorum minorum, cuius mentio fit, pag. 391. vbi & hæc addito.

Nidus figura ſcutellę.

EIVSMODI uolucres in uarijs arboribus, ſicuti in nucibus, moris, quercubus, ſimilibusq; alijs nullibi non nidulãtur; eliguntq; ſibi furculos trifurcatos, quò commodiùs nidos texere queant. Eos autem conſtruũt ex diuerſis herbis gnaphaloidibus, hoc eſt, lanoſis ac mollibus. Nidi, quẽ modo ego deſcribo, & depingo, fundus exterior ramulis & furculis conſtabat omnino flexilibus, mirum quàm affabrè & ingeniosè ſimul abſque luto aut terra coniunctis. Figura erat rotunda hemiſphęrica adinſtar ſcutellæ; nec temerè quidem, cum ferè omnes aues hemiſphæricos, & circulares nidos conſtruant; ſiquidem ea figura firmior eſt, & occurſantium iniuriæ minus patens, inſuper & capacior eſt. Erat autem nidus iſte ſatis concauus, eaq; magnitudine, ut commodè fœtus contineret. Solet autem hoc auium genus ſex, ſeptemue parere. Intus ramuli erant tenues & molles, quo molliter fœtus cubent. Latera ſuperiora concauitatem ambientia ualdè craſſa, multisq; texturis & furculis complicata. Inueni in eodem nido brionis ſiue muſci aliquas ſpecies, quæ & ipſæ ſua natura molles ſunt. Circumferentia erat duorum dodrantum; diameter medij. Nidulantur hæ aues uêre, & ſub æſtatis initium pullos excludunt.

Nidi Iconem habes ſequenti pagina.

Interim, ſi quid inconſideratè dictum, ſcriptumuè ſit contra Sanctorum Patrum, atque Synodi Tridentinæ decreta, infectum, indictumuè eſto.

FINIS.



# ENVMERATIO AVIVM,
## QVARVM HISTORIA TRACTATVR
## in his duodecim Ornithologiæ Libris,
### EO ORDINE, QVO DESCRIBVNTVR.

Numerus adiectus paginam indicat.


PROLEGOMENA in Ornithologiam. pag. 1
De vtilitate Operis. 1
De ordine. 7
De præsagijs naturalibus. 9
De Augurijs. 12

Liber primus, in quo rubricæ notantur, secundum ordinem Methodicum, qui pariter in tractatione cuiusq; auis seruatur; licet in undecim reliquis libris, ne nimium prolixi uideremur, non rubricas adnotauerimus; sed tantùm capita.

De Aquilis in genere. 17
De Aquilæ dignitate. 17
Aequiuoca nominis Aquilæ. 20
Synonima, earumq; etymon. 23
Forma, & descriptio Aquilarum in genere 24
De Aquilæ sensibus, & primùm de visu. 25
De odoratu, gustu, reliquisq; Aquilæ sensibus externis. 27
Sexus. 27
Sedes, & locus. 27
Volatus. 29
De ingenio, seu moribus Aquilæ. 30
Docilitas. 31
Vox. 31
Victus. 34
Coitus. 35
Incubatus, Exclusio. 36
Generositas. 39
Temperantia. 40
Liberalitas. 40
Venatus. 40
Pugna. 40
Præda. 40
Antipathia. 44
De morbis Aquilæ. 46
Historica. 48
Vsus. 51
Cognominata, & Denominata. 51
Vsus in vanis Ethnicorum sacris. 55
Auguria, & Auspicia. 57
Mystica. 63
Moralia. 69
Hieroglyphica. 70
Emblemata. 72
Fabulæ. 75
Apologi. 77
Vsus in Medicina. 79
Vsus in cibis. 80
Vsus in venatu. 81
Vsus in signis, insignibus, & imaginibus. 81
Vsus in clypeis, & alijs rebus. 85
Vsus in insignibus, vulgò armis dictis. 88

Libri secundi, in quo Capita sunt.

DE Ordine. Cap. 1. pag. 108
De Chrysæto. Cap. 2. 110
De musculis Chrysæti totius corporis. 117
De Haliæto. Cap. 3. 187
De Menalæto, seu Aquila Valeriæ. Cap. 4. 197
De Pygargo. Cap. 5. 205
De Pygargi secunda, & tertio genere. Cap. 7. 208
De Morphno, seu Clanga. Cap. 8. 209
De Morphno congenere. Cap. 9. 214
De Percnoptero. Cap. 10. 216
De Ossifraga. Cap. 11. 222
De Aquila alba, seu Cycnea. Cap. 12. 231
De Aquila Heteropode. Cap. 13. 232
De Scythica aue. Cap. 14. 233

Capita Libri Tertij.

DE Vulturibus in genere, & quæ eis conueniunt. Cap. 1. 235
De Vulturum differentijs, ac speciebus diuersis. Cap. 2. 270
De Vulture Cinereo. Cap. 3. 271
De Vulture Bætico. Cap. 4. 273
De Vulture Leporario Germanorum. Cap. 5. 274
De Vulture Aureo Ornithologi. Cap. 6. 277

Liber Quartus est.

DE Accipitribus in genere. 278


Capita

## Capita Libri Quinti.


De Accipitribus in specie, & primùm de Asterie. Cap. 1. 336
De Accipitre Palumbario. Cap. 2. 342
De Fringillario Accipitre, vulgò Niso dicto. Cap. 3. 344
De Circo. Cap. 4. 351
De Aesalone. Cap. 5. 354
De Tinnunculo, seu Cenchride. Cap. 6. 356
De Butcone, seu Triorchi. Cap. 7. 362
De Subbutcone. Cap. 8. 373
Percum cum Fringillario eundem esse Aristoteli. Cap. 9. 376
De reliquis Accipitribus, ac primùm de Sacro Aegyptio Bellonij. Cap. 10. 378
De Lanario. Cap. 11. 380
De Collurionibus, siue de minori Lanariorum genere. Cap. 12. 384
De alio Laniorum genere maiore Ornithologi. Cap. 13. 389
De Lanijs, seu Collurionibus parvis. Cap. 14. ibid.
De Milvo. Cap. 15. 392
De Harpa. Cap. 16. 408
De Cvculo. Cap. 17. 409
Appendix ad Historiam Aesalonis. 427


## Lib. Sextus est.


DE Falconibus in genere. 429


## Capita Lib. Septimi.


DE Falcone Peregrino. Cap. 1. 461
De Falcone sacro. Cap. 2. 467
De Gyrfalcone. Cap. 3. 471
De Falcone Montano. Cap. 4. 477
De Falconis Montani secundo genere. Cap. 5. 479
De Falcone gentili. cap. 6. 481
De Falcone Tunetano. Cap. 7. 483
De Falcone Gibboso. Cap. 8. 484
De Falcone Albo. cap. 9. 485
De Lanario Gallorum. Cap. 10. 488
De Falconibus lapidario, & Arborario vocatis. Cap. 11. 491
De Falcone Rubeo. Cap. 12. 493
De duobus Falconibus rubris alijs Indicis. Cap. 13. 494
De Falcone Cyanopode. Cap. 14. 497
De Falcone Cyanopode alio. Cap. 15. 498
De Falconibus promiscuo ceitu genitis. Cap. 16. ibid.


## Capita Lib. Octaui.


DE Auibus rapacibus nocturnis, & quædam de eis in genere. Cap. 1. 500
De Bubone. Cap. 2. 502
De Asione, seu Oto. Cap. 3. 519
De Scope. Cap. 4. 530
De Alucone. Cap. 5. 534
De Vlula. Cap. 6. 538
De Noctua. Cap. 7. 543
De Strige. Cap. 8. 561
De Caprimulgo. Cap. 9. 567


## Capita Lib. Noni.


DE Auibus mediæ naturæ, hoc est, partim qua drupedis, partim auis naturam referentibus, & primo de Vespertilione. Cap. 1. 571
De Struthiocamelo. Cap. 2. 587


## Capita Lib. Decimi.


DE Auibus Fabulosis; & primùm de Gryphe. Cap. 1. 599
De Harpyis. Cap. 2. 611
De Stymphalidibus. Cap. 3. 621
De Sirenibus. Cap. 4. 623
De Seleucidibus Auibus. Cap. 5. 629
Appendix ad Historiam de Gryphe. 630
Appendix ad Harpyias. 632


## Capita Lib. Vndecimi.


DE Psittacis in genere. Cap. 1. 634
De Psittacorum speciebus, & primùm de Psittaco maximo Cyanocroceo. Cap. 2. 663
De Psittaco maximo altero. Cap. 3. 665
De Psittaco albo cristato. Cap. 4. 667
De Psittaco viridi alarum costa superna rubente. Cap. 5. 668
De Psittaco Poikilorincho. Cap. 6. 670
De Psittaco viridi Melanorincho. Cap. 7. ibid.
De Psittaco Leucocephalo. Cap. 8. ibid.
De Psittaco versicolore, seu Erithrocyano. Cap. 9. 675
De Psittaco cinereo, seu subcaruleo. Cap. 10. ibid.
De Psittaco Erytroleuco. Cap. 11. ibid.
De Psittaco Torquato Macrouro antiquorum. Cap. 12. 678
De Psittaco minore Macrouro, toto viridi. Cap. 13. ibid.
De Psittaco Eritrochloro Macrouro. Cap. 14. ibid.
De Psittaco Eritrochloro cristato. Cap. 15. 682
De alijs quibusdam Psittacorum generibus. Cap. 16. 683


## Capita Lib. Duodecimi.


DE Coruino genere, & de alijs nonnullis Auibus, quibus rostrum durum, ac robustum est; Et primum de Corue. Cap. 1. 684
De Cornice. Cap. 2. 734
De Cornice frugiuora. Cap. 3. 751
De Cornice cinerea. Cap. 4. 754


De

*De Cornice Cærulea.* Cap. 5. 756
*De Gracculis in genere.* Cap. 6. 757
*De Gracculorum speciebus, & primò de Coracia.* Cap. 7. 766
*De Pyrrhocorace.* Cap. 8. 769
*De Lupo, siue Monedula.* Cap. 9. 770
*De Monedula altera.* Cap. 10. 775
*De Picis in genere.* Cap. 11. *ibidem.*
*De Pica varia seu caudata.* Cap. 12. 784
*De pica caudata Indica.* Cap. 13. 788
*De Pica Glandaria.* Cap. 14. *ibidem*
*De Garrulo Argentoratensi.* Cap. 15. 790
*De Pica Marina.* Cap. 16. 793
*De Pica Persica.* Cap. 17. *ibid.*
*De Garrulo Bohemico.* Cap. 18. 796
*De Pica Brassilica.* Cap. 19. 801
*De Rhinocerote aue.* Cap. 20. 804
*De Manucodiatis in genere.* Cap. 21. 806
*De Manucodiatis in specie, & primum de prima.* Cap. 22. 809
*De Manucodiatæ secunda specie.* Cap. 23. 811
*De tertia Manucodiatæ specie, siue de Hippomanucodiata.* Cap. 24. *ibid.*
*De Manucodiatæ quarta specie, siue de Manucodiata Cirrata.* Cap. 25. *ibid.*
*De quinta Manucodiatæ specie, siue de Vulgari.* Cap. 26. 816
*De Rhyntace Ctesiæ.* Cap. 27. *ibid.*
*De Phœnice.* Cap. 28. *ibid.*
*De Cinnamomo Aue.* Cap. 29. 834
*De Picis Martijs.* Cap. 30. 835
*De picorum speciebus, & primum de Pico Maximo.* Cap. 31. 843
*De pico maiori.* Cap. 32. 845
*De Pico vario minori.* Cap. 33. 847
*De* ΚΟΛΙΩ, *seu de Pico viridi nostrate.* Cap. 34. 848
*De Pico Luteo Cyanopode Persico.* Cap. 35. 850
*De Pico viridi maiori, siue de Pico Maximo Bellonij.* Cap. 36. *ibid.*
*De Pico Murario.* Cap. 37. 851
*De Sitta.* Cap. 38. 852
*De Pico nidum suspendente.* Cap. 39. 854
*De Chlorione Indico.* Cap. 40. 862
*De Picis congenere.* Cap. 41. 863
*De Iynge, seu Torquilla.* Cap. 42. *ibid.*
*De Iynge congenere.* Cap. 43. 868
*De Certhia.* Cap. 44. 869
*De Merope.* Cap. 45. 871
*De Merope altero.* Cap. 46. 875
*De Loxia.* Cap. 47. 877

# INDEX SVPERIORVM
# DVODECIM ORNITHOLOGIAE
## LIBRORVM LOCVPLETISSIMVS,

Latinus, Græcus, Hebraicus, Arabicus, Perſicus, Aegyptiacus, Indianus, Italicus, Gallicus, Hiſpanicus, Germanicus, Belgicus, Anglicus, Polonicus, Moſcouiticus, Illyricus, Turcicus.

*Numerus prior Paginam, poſterior Lineam indicat.*


*A*

*Abies* 296.4.725.9.
*Abietarij*.657.10
*Abraham abactor dictus, & cur*. 724.35
*Abſentiæ diuturnæ hieroglyphicum*. 829.48
*Achanthiæ piſces qui* 377.20
*Achanthis auis*. 624.6. *horrori eſt aſino* 355.46. *Eius vocis præſtantia* 5.48
*Acanthus olens*.823.5
*Accipiter Accipitrem capit*.294.6. *eius adipis vſus*.332.34. *ab Aegyptijs diuinus habitus & cultus* 278.35. *eius æquinoca*.336.39.280.1. *ætas* 298 24. *Alæ eius vt à ſordibus expurgentur* 305.4. *quando propendent, quid agendum*.304.57. *Alam eius Aegyptij ſacerdotes capiti imponebãt*.334.39. *Ales ſacer appellatur* 279.37. *Apologi* 330.50. *Alui excremẽta quæ* 286.13. *Amiſſus quomodo inueniatur*. 306.2. *Amor eius in ſepeliendo ſuo genere*.6.9. *An cor auiũ edat*.290 37. *Anhelitus eius qualis* 286.17. *Antequam caueæ cum eximat Accipitrarius, quid agere debeat*.314.30. *Antipathia cum ſtirpibus* 295.1.& 37.& *inde cum alijs rebus*. *Apollini comparatus cur* 288.16. *cum Aquila congredi audet*. 279.42. *Eius ardens in fœminas amor*.296.35. *Eius artritis quomodo curanda* 319.23. *Eius aſthmati quomodo medendum*. 322 12. *Aſtrictæ aluo* 322.46. *Aſtus eius in pugna cũ fortiori*.294.47.289.55. *Aucupium eius priſcis fuiſſe incognitum*. 298.32. *Cum Vulture pugnare audet*. 252.16. *Auguria*. 325. 40. & *inde*. *In Auſtro plumeſcere quid ſignificat*. 326.50. *Auulſo ungni quomodo medendum*. 323.16. *Auxiliari ſolet hominibus in venatu, & inſidijs aliarum auium*. 327. 40. *Boni ſigna*. 302.57. *Cadauera fugere*. 290.51. *Canem vt ſocium reſpiciat*. 308.25. *Capitis doloris inditium*.320.9. *Capitis morbo quomodo medendum*. 319.43. *Carnibus puris ac calidis nutriendus in pennarum defluuio* 313.16. *Caudæ mutatio*. 314. 41. *Cauda fracta quomodo extrahenda, ne ſanguis effluat* 314.19. *Cibationis tempus* 319.40. *Cibus qualis propinandus in præda fienda* 307.20. *Cibus* 290.10. *Cibi appetentia quando maior*.306.24 *Quantus conueniat* 312.16. *Cieuratio optima quæ*. 304. 32. *Cognominata* 323.29. *Columbas præ cæteris inſectatur*. 292.3. *Coriza corripitur*.313.8. *Corporis magnitudine quandoque variant*. 285.21. *in crure quatuor præcipuæ venæ apparent*.319.4. *Cruris fractura quomodo medendum* 322.51. *Alimentum retinere nequiẽs, quomodo cibandus* 321 22. *Cur copioſas pennas habeat*. 286. 13. *Cur ab Aegyptijs cultus* 334.34. *Cur præda fruſtretur* 307.31. *Cur ſoli conſacratus*.287.37. *Cur in locis Septentrionalibus frequens*.287,16. *Cur ſit infœcundus*.296.25. *Cur auis ſacra dicta*.325.53. *Cur eum adorarint Aegyptij* 392.10. *Cur Antiochus Accipiter dictus*.323.29. *Cur pectus modica carne præditum*.287.50. *Cur quidam pectori admoueant*.289.46. *Cur non inſequi pergat prædam*. 294.45. *Cur alas expandant*.282.28. *Cur ab Aegyptijs culti*.279.15. *Cur Soli dicatus*. 278.44. *Cur non reuertatur ad Accipitrarium*.305.45. *Denominata ab eo*. 324.8. *Deplumes qui* 302.23 *Deſtilationi qũo medendum*.320.35. *Differentiæ ab ætate*. 302.6. *ab aptitudine ad venandum*.301.51. *Differentiæ cur veteribus incognitæ*. 283. 14. *Ab ortu* 296.48. *à Venatione* 283.38. *Diuerſa genera*.344.4. *Diuinum animal ſecundum Euſebium*.325 30. *à Domino non deſerendum* 307. 13. *Duo Accipitres Viterbi in columna*. 330.18. *Educatio* 296.10. *Empturo Accipitrem quid obſeruandum* 302.26. *Etymũ* 281.5. *Fabuloſa*.333 45. *Fœmina*.301.38. *Famelicus*. 290. 10. *Faſtidio cibi laboranti quomodo ſuccurrendum*.321.53. *Febricitis ſigna & cura*.318.57. *Fellis vſus*.332.39. *Fimi vſus* 332.42. *Forma & deſcriptio*.284.27. *Fortitudo*. 289.13. *Fumo & igne læditur* 306.10. *Funiculo quomodo ligandus*.305.11. *Generatio* 296 10. *Genero ſitas*.289.17. *Genera & differentiæ* 283.10.283.18.327. 54.283.24 53.58. *Genus reperitur il lecebris hominum manſueſcens*. 289. 32. *Graculis infenſiſſimi* 760.50. *Hieratio herba ſibi medetur* 5.18. *Hieroglyphica*. 328.40. *Hiſtorica*. 334.34. *Hominum magiſter in ſanandis oculis*. 298.16. *Iconcs & picturæ* 333.23. *Adhuc incogniti quinam*. 376.35. *Ingenioſi* 304.44. *Ignani quo modo alacriores fiant*.309.56 *Ignobilium tria genera*.380.37. *Incubatus*. 296.55. *Inimicis capitalibus non caret*.295.17. *Inſtitutio ad venandum*. 304.1. *Inſula Accipitrum* 323.57. *Iracundus* 304.50. *Laboranti quomodo medendum* 302.36. *Lapidis Accipitris facultas*. 324.17. *Latiores*. 283.22.373.14. *Laudes & contumelias agnoſcit, & hominis voluntatem è geſtibus conijcit*. 307.39. *In Litteris hieroglyphicis ſignificat regem & regnũ* 75.27. *Locus*.286.48. *Lumbricis laborãti qũo medẽdũ*. 322.36. *Luteus in parma lutea geſtatus in militia*.333 29. *Macilenti ſigna* 318.37. *Mærente non aucupandum eſſe* 306.40. *Magni venditus*. 301.51. *Maior qui*.238.6.337.15. *Manſuetudo*.289 37. *Mas quid* 282.33. *Quem leporem capiat* 301.36. *Memoria*. 307. 27. *Minor*.775.37. *Modicæ rapacitatis*.338.4. *Moralia* 328.15. *Morboignoto quid exhibendum*. 317.20. 317.30. *Morboſi diæta*.312.29 *ſigna* 302.48. *Mortis ſigna*. 302.52. *Mortuum exequiarũ publico honore qui proſequerentur*.325.36. *Mortuũ cur colerent Aegyptij*.325.20. *mores & ingenium*.289.4. *Multioculus cur dictus*.286.37. *Mutatio pennarum*. 46.23. *Mutationis ſeu defluuij pennarũ tempus*.312.32. *Myſtica*.326. 48. *Negatur Coruina caro*.729.5. *Nidarius & Ramarius vt cibentur*.310. 43. *Nidulatio*.296.53. *Nimiæ corpulentiæ quomodo medendum*. 318.36. *Noctuæ amicus eſt*. 550.1. *Nomen eius non omnibus rapacibus conuenit* 282.3. *Quando domicilio eximendus* 314.27. *Non tenditur ei rete*. 727. 37. *Nuncians* 723.47. *Oculorum ſymptomata, eorũ ſigna & ra*.320 13. *Omnioculus cur dicitur* 278.44. *Ophiocephalus* 303.8. *Ouæ ut pro cibo danda*.310.45. *Partes internæ quales* 285.47.286.4. *Pediculi eius quomodo arceantur*.313.2. *Quomodo ijs*

*medendum.*318.27. *Eius pennæ qualis.*285.5. *Pennas amissuro quæ cibaria præbenda.*314.73. *Pennarum casus.*297.33. *Pennarum fractioni quomodo medendum.*323.10. *Pennas vt mutet* 47. 13. *Pennas vix renouant domestici.*298. 3. *Persequentes Miluos ad Dominum non redeunt.* 306. 27. *Pertica Laneo panno vestienda.* 304.17. *Pimo pingui inungenda.*314 53. *Pes Accipitris herba.*324.43. *Pedibus cur tintinabula apponũtur.*305 48. *Pinguis facile in morbum incidit.* 313.15. *Piscis Accipiter dictus.*280. 5. *ad Plumarum casum quæ faciant.* 313. 39. *Plumarum renouatio quo tẽpore perficiatur.*314. 29. *Præcipua genera.*395. 16. *Quænam animalia capiat* 293. 1. 333. 1. *Quomodo ad prædam instituẽdus.*307.55. *eius præsagia qualia* 10.3. *Pruritui quomodo medendum* 317.56. *Pugna eius cum aquila.* 45. 15. *Pullorum carnes suaues.*332. 17. *Pullos suos ad prædam instituit.* 297. 4. *Purgatio per Turundos* 315.9. *Qua hora cibandus.* 310.41. *Quæ noces eum animẽt.*309 29. *Quæ cibaria propinanda in varijs morbis* 314.3. *Quæ carnes conueniãt* 310.50. *vsque* 312. *Quam Coruorum partem ei edendam concedant.* 747 30. *Quando commodè venentur.*306 28. *Quando cibandi, & Quomodo* 304.52. *Quando & quomodo capiendi.*303. 19 *Quando instructus est, quomodo nutriendus* 308.1. *Quando fruges respuat & quando non* 290. 18. *Quando deplumescant.* 706. 3. *Quando alimentum probè deglutitum remere non potest.* 321. 7. *Quando bibant* 291.10. *Quandoq; commiscetur cum Aquila.* 36. 4. *Qui venandi peritiores* 289.50. *A quibus carnibus abstinere debeat.*312.6. *Quibus cibis reddatur animosior ad prædam.* 317. 2. *Quid dandum capta præda.* 306. 50. *Accipiter quid* 601. 16. 603.21. 775.35. *quid obseruandum & quid fugiendum in capienda præda.*306. 45. *quinam Accipitres dicti apud Aegyptios.*53.13. *Quinam eis comparentur.*328. 15. *Quis cum cibare debet.* 313.12. *Quonam cibo filios nutriant.* 297. 29. *Quo cibo delectentur.* 290. 25. *Quo tempore debeat manu ferri.* 304.28. *Quomodo Perticæ alligandus sit.*304. 21. *Quomodo exercendi in aucupio* 306.37. *Quomodo portandi* 304. 36. *Quomodo noctu seruandus* 306. 6. *Quomodo offerendus cibus.*312.23. *Quomodo instituendus, vt reuocatus ad te redeat.*305. 20. *Quomodo venetur.*40.53. *Quomodo ad venandi alacritatẽ reuocetur* 309. 48. *Quomodo exercendi ad Phasianos capiendos.*310.1. *Quomodo purgandi.*315.44. *Quomodo conseruandus in sanitate.*315.8. *Quomodo ligãdus perticæ.*314.57. *Quomodo cibandus cum alarum pennas præcipuas mutarit.*313.25. *Quomodo domãdus* 304.5. *Quomodo dicantur humipetæ.* 288. 30. *Quomodo in aere se resupinet.* 288. 22. *Quomodo medeamur cum difficilem coctionem habeat.*321 36 *Quot ova pariat.*296.54. *Rapacitas eius qualis.*291.20. *Recentiorum de eis diuisio* 283.48. *Reuerentia eius erga homines.*239.30. *Rheumati quo modo eius medeamur* 320.47. *Rostrũ fractum vt curetur* 320.37. *Sanguinis vsus in litationibus.*329.42. *Sanguine eius vesci cur prohibitum.* 329. 43. *pro sanguine pictus.* 329. 53. *Sanici narium quomodo medeamur.*320 30. *Sani indicia.*316.41.302.43. *Sani ab ægro distinctio.*302.32. *Scabiosus quomodo curetur.*318. 4. *Septem Accipitres vulturem infectantes.*330 23. *Si pulmonibus laboret, quid agendum.*322.3. *Si nolit obedire quid agẽdum* 316.48. *Si inter volandum Perdices ceperit, quid faciendum.* 309. 25. *Si plures in vna pertica ponantur, qua distantia debeant esse scientes ab inuicẽ.*304.25. *Sibilo quomodo mulcendus* 308.23. *Siccatio eius.*316.32 *Significat infernalem raptorem.* 327. 50. *Siti eius ut succurrẽdum.*322.23. *Eius Spasmo quomodo medendum.* 323.23. *Specie diuersa coire pulantur* 246.31. *Sublimipetæ* 301.42.431.8 *Sũt fallaces.*296.28. *Sympathia.*295 1. *cum metallis.*296. 8. *cum plantis.* 296.4. *cum multis animalibus.* 295. 43. *Tardius exaudiens siue durus sit, & difficilis ad parendum, quid agendum.*307. 46. *Temperies eius qualis* 286.14. *à Tentyritis cultus & adoratus.*279.12.325.25. *Tineæ quomodo medeamur.*318.6.323.7. *Tormẽtum bellicum Accipiter dictum* 280. 19. *Fasciæ, chirurgicæ* 280. 17. *Tumori pedis siue podagræ quomodo medendum.*322.54. *Tumor in collo vt curetur.* 320. 43. *Tumori œsophagi & asperæ arteriæ quomodo medendum.* 320.45. *Tyrocinium exercent in Coturnices & minores aues.*306.31. *Varijs dijs consacrati.* 279. 8. *Vas eius quale debet esse Lauatorium* 313.10. *vbi collocandus.* 304. 15. *Vbi minores.* 285.23. *Vbi nidulentur* 287. 1. *Vbi pretiosiores nascantur.* 301. 53. *Velocior factus ne fugiat, quomodo purgandus.*314. 48. *à Venandi ratione differentiæ.*292.37. *Venationis modus.*294.35. *Venatur ab arte vel natura.*284.22. *Venatus seu capiendi modus.*298.30. *Victoriæ cupidus est.*289 47. *Victoriæ hieroglyphicum* 330.7. *Virtutes & actiones* 279. 38. *Visus* 286.26. *Hebetudo* 298.7. *Vnum cur venerabantur Aegyptij* 325.15. *Vade dictus.*281.10. 325. 49. *Vngues.* 25. 16. *Volandi morem quando que mutant.*288.31. *Vocantur aues aucupio aptæ* 281. 9. *Volatus* 287. 25. *eo antecellit cæteras aues* 330. 7. *Vox* 288.37.763. 51. *ad Vocem magistri quomodo assuefaciendus.* 305. 30. *Vrbs Accipitrũ cur sic dicta.* 324. 3. *Vsus in cibis.* 332. 10. *in medicina.* 332.21. *in sacris* 325.10. *in venatu.* 333.1. *Vulneribꝰ quomodo medeamur* 317.46. *Vt venationem obliuiscatur.* 309.47. *Vt Gracculos capiant.* 306. 37. *Vt aues magnas capiat.*306. 33. *Vt statim à balneo auolet aspergendus est aqua pura.*305.8. *Vt trãsferre discat, in manum accipitrarij, quid agendum* 305. 11. *Vt venetur syluestres aues.*306.55

*Accipitres albi.*285.35

*Accipitres Anniculi* 302.22

*Accipiter Asterias & eius differentiæ desumptæ à magnitudine* 337.49

*Accipitres Diurni & nocturni.*384.5

*Accipiter Ferus* 291.39 825.42

*Aceipiter Fringillarius* 281.34. *eius descriptio.*347 & 348.344. *Differentiæ eius desumptæ à natali.*348.37

*Accipitres Fuliginei* 302.22

*Accipitres Gemonenses* 338.56

*Accipitris Lanarij æquinoct.* 380. 13. *Descriptio* 380. 35. *Differentiæ* 380. 43. *Sinonyma* 380.13. *Victus* 383.27

*Accipitres leucophæi seu peregrini* 885. 37.

*Accipiter leuis* 377. 29. 492. 16. *vnde ita dictus* 377.17.

*Accipiter Marinus* 187.58

*Accipiter Nocturnus* 504. 42. *eius pugna cum Aquila.*41.50

*Accipiter Pelagius inimicitiã gerit cum Coruo.*705.13

*Accipitris secundum genus Haliætos.* 187.58

*Accipiter Peregrinus* 302.17

*Accipiter* σπαρνιος.377.49

*Accipiter Picarius* 781.20

*Accipitres Pugillares qui.*337.37.

*Accipiter Sacer. Aegyptius in magno honore habitus.* 378.40. *Locus.* 378 30. *Victus* 378.38. *Forma.*378.24. *Icon ex Bellonio.*379. *Mortuum sepeliebant Aegyptij* 378.44.

*Accipiter Tritestigerus.* 363.23

*Accipitraria ars.*325.4. *Quomodo exercenda.*439.46.

*Accipitraria collyria.*298.15.

*Accipitraria herba.*324.24.

*de Accipitraria qui primùm scripserint.* 300.17.

*Accipitrarius* 301.3. *Cura eius quæ esse debet in instituendis Accipitribus ad venandum.*307.4

*Accipitrariam artem veteres cur non celebrarint.*299.15

*Accipitrinus pes.*324.45

*Accipitrinæ venationis nobilitas.*299.4.

*Achaloe*

# INDEX.


*Acheloe.*612.10 9
*Achemenes Perſa Aquilæ alumnus.*443.
*Achilles Aquilæ Valeriæ comparatus.* 203.5.214.13. *Eius clypei ſculptura* 86.3. *Inſignia.*93.42
*Achillinus Bononienſis.*594.43
*Acolti Arctini inſigne.*74.42
*Aconitum cur luridum dictum.* 861.6
*Acromij os.*208.31
*Actia ceraſorum ſpecies.*708.15.
*Acyleia.*54.32.
*Adam quid ſignificet.*329.9
*Adamas lapis ut dometur.*311.11
*Adipis Ardearum uſus.*194.48
*Adeps copioſus in vropygio Haliæti, & in coccyge Oſſifragæ.*194.57.
*Adipis Haliæti vſus ad capiendos piſces.* 194.50
*Adeps qualis in cauda Haliæti.*194.35
*Adiantum in nido Aquilæ.* 36.58
*Adianto ſibi medetur Vpupa.*5.20
*Adlocutionis cohortium origo.* 138. 10. *eius effigies expreſſa à Vergilio.*140.5. *ubi fieret.*140.57. *quoties fiebant.*138 14. *eius templum.*140.33
*Adriani numiſma* 558.44.161.3
*Adulatores auibus comparati.*126.35
*Adulator pro blatterone.*529.16
*Adulatores Coruis peiores.*727.28.
*Aedis Deæ Veſtalis incendium.* 710.46
*Aedon.*765.34. *Pandarei filia.* 196.52 *in Aluconem.*197.19.
*Aegiopon auis.* 110.19
*Aegilops morbus.*687.22
*Aegithalus.*567.19
*Aegnatius Dantes Peruſinus Epiſcopus* 166.18
*Aegolios.*501.4. *Vlulam ſignificat.* 400. 24
*Aegothela auis peregrina ſecundum Albertũ.*570.18. *Eius generatio.*570.25
*Aegotelos.*567.18.537.16
*Aegypius & Nephron in Vultures mutati.*269.16
*Aegypion quid.*238.22.246.45.
*Aegyptij cur ab auibus abſtinent* 296.3. *eorum annus.*740.50. *quando hieroglyphica inuenerint.*70.47. *eorum regio cur Actia dicta.*54.20
*Aeleophoros Accipiter.*377.21.
*Aeliani error.*126.19. *Nugæ* 703.5.
*Aelius* 467.29
*Aelij Hadriani numiſma ac geſta.* 135. 14.42.
*L. Aelij Aurelij Cõmodi numiſma.* 133 17
*Aelyos.*467.30
*Aello.*611.45. *Aellon & eius etymum* 619.31
*Aeluros Aegyptij mortuos ad vrbem Butrim exportabant.*325.39.
*Aelurus murem inuadens cur ſileat.*33. 55.
*Aemilius Maluctius apud Poloniæ regũ in ſummo honore habitus.*101.15.
*Aeneas Circo comparatus* 353.11
*Aeneas Vicus Parmenſis.*830.26
*Aenigmata quæ.*600.20.36.
*Aquapendente familia dicta.*23.7
*Aequinoctio multorum errorum cauſa.* 20.34.854.31
*Aequora colorari à Nilo affirmat Catulus.*53.33
*Aer ad viſum requiritur.* 501.48. *vnde dictus.*23.38
*Aerica quid.*506.5
*Aeriphilus* 467.32
*Aeripodes.*871.49
*Aes Corinthium cur dictum.*168.15
*Aeſacon apud Ouidium.*354.36
*Aeſalo.* 430.8. *Aequinoctio* 354.35. *Antipathia cũ animalibus.*355.40. *cũ Coruus impugnat.*355.47. *Eius deſcriptio.*355.5.427.40. *Hiſtoriæ eius appendix.* 427.36. *Eius pugna* 355.30. *Cum Aquila & Vulture.*355.53.54. *Cum Coruo* 704.47. *Synonima.* 354. 40. *Volatus* 355.20. *Vulturi inimicus eſt & cur.*252.6
*Aeſculapius Coronides dictus* 751.20. *Noctua ei ſacra.*552.50
*Aeſchyli poetæ mors.*41.40
*Aeſtatis nuncius eſt Cuculus.*424.12
*Aeſtatis ſymbolum Gryps.*608.20
*Aeſtus dicitur aeris tertia regio.*47.8
*Aeternitatis ſymbolum.*829.50
*Aethyops non dealbeſcit.*780.6
*Aethyopes pij habiti.*554.36.
*Aethiopis herba.*843.1
*Aetite lapide Aquila vtitur.*5.19. *cur eũ in nidum inferat.*36.38. *idẽ Vulturem quidam facere aiunt.*247.14. *Lapidis eius vis.*47.53.36.50. *vnde dictus.* 207.25. *Mas & fœmina* 36.42. *In nido locatus quid hieroglyphicè ſignificet.*36.48
*Actius ab Aquila dictus* 53.38
*Actolius* 539.12.400.24
*Actoma quid* 53.44.54.6
*Afra auis* 588.36.592.10.595.18
*apud Afros qui fuerint nobiles.*89.47
*Agallochum.*21.36. *eius vſus in ſuffumigijs.*21.38
*Agathocles Butco dictus.*372.56. *Cornix dictus.*737.23. *Gracculus dictus.* 763.9
*Agirofalco* 471.38
*Aglaope* 625.19
*Aglaopheme* 625.14
*Aglaophonos* 625.18
*Aglar quid.*54.30.
*Agna tenera* 41.21
*Agnone* 55.12
*Agnos & arietes adhuc ſpirantes exhibet pullis in cibum Aquila* 37.33.
*Agnis cibantur Aquilæ.* 32.29.34.40. *primogenitorum hecatombe.* 55.52.
*Agolantorum familiæ arma.*181.42
*Agor cur rex deſignatus.*58.20
*Agrorum fertilitatis dignotio* 701.16
*Agricola Aquilam contra ſerpentem liberat pugnantem.*49.20
*Agricolarum arma.*179.31
*Agricultura quam vtilitatem ſumat ab auibus.*2.47
*Agriculturam Solonis decẽ annis poſt imperiũ Diocletianus exercuit.*158.13
*Agrigẽtinorũ numiſmata.*128.37.161.9
*Agrippæ regis augurium.*517.18
*Agrius in Vulturem mutatus.*269.24
*Ahalæ & M. Bruti numiſma.* 167.38
*Aiax Accipitri ſimilis.*293.50. *Cuculus dictus.*422.27
*Aibetos quid.*110.23
*Alæ miſticè quid ſignificẽt.*63.33. *per eas Orientale & Occidentale imperium deſignatur.*63.55. *Rapacium quales.* 285.42. *ſex alæ Aquilæ quid myſticè ſignificent.* 64.12. *Ala dicitur turma equitum & quare.*52.33
*Alata.*587.30
*Alami vnde dicti.*515.13.
*Alauda medetur morbo colico.* 5.11. *A Coruo rapta.*698.4. *Vermiuora eſt & frugilega* 418.45. *Cãpeſtris.* 411.30
*Albertus corrigitur* 518.42. *Cur erranerit.*237.50. *Eius error.*198.15.507. 44.752.15.756.7.772.25.835.4. 845.33.484.9.856.4.
*Alberti Marchionis Brandenburgenſis inſigne.*182.4
*Albicilla.*205.19.208.48. *vnde dicta* 205.46
*Albini augurium.*57.41
*Albitiorũ familiæ Venetæ inſigne.*95.16
*Alcibiadis clypeus.*173.45
*Alcyone quando hyemem oſtendat.*5.39 *dicitur Torquilla apud Athi montis incolas* 864.48. *cum Cinnamulgo confunditur.* 835.4. *quibuſdam Picus Marinus.* 837.22
*Alcyoneum* 572.10
*Aldobertus Marioncus* 203.44
*Adulterium vnde dictum* 422.17
*Alcator improbus* 528.35
*Aleptorũ Florẽtinorum inſigne.* 104.43
*Ales auida quid* 238.45. *Magna ibidem. Phaſidis* 662.24. *Temporaria.* 417.24. *Longæua* 819.22. *Superba.* 819.24. *Mauortia.*837.5.
*Alexander Calcineus* 594.41
*Alexãdri Epirotarũ regis inſigne.* 82.10
*Alexander Griffonius.*572.37.607.11
*Alexandri Magni de Darianis victoriæ ſignum.*60.9. *Eius effigies ab Apelle depicta & quo pretio.* 129.27. *Corui eius exercitus comites.*710.40. *Mors* 710.13. *Numus* 155.50.159.31. 165.5.170.31. *Quomodo ei duæ Aquilæ imperium portendant.* 57.27. *Quos honorarit.* 90.20. *Victoriæ ſignum ante pugnam.*60.5
*Alexandri Mammæi numiſma.*127.44
*Alexãdri Seueri numiſma.*138.52.161 31.
*Alidoſiæ familiæ antiquitas & nobilitas* 105.4

# INDEX.


*Alienigena.* 461.56.
*Alison seu scutalis herba.* 171.50
*Allicere quid.* 534.52.
*Alleluya quid.* 423.18.
*Allij uis contra Filandras vermes.* 455.5
*Aloe Accipitris uermes ut necet.* 315.53
*Aloe di Campa.* 21.35.
*Aloe ligni cortex.* 21.340.
*ex Aloe pillulæ dantur contra vermes*
*Accipitris.* 315.53.
*Alope.* 612.10.
*Alpes unde dictæ.* 390.32.
*Alphonsus Cataneus medicus.* 110. 58. 224.22.
*Alphonsus Iaconus ordinis Prædicatorum.* 839.50
*Alphonsus Panza Ferrariensis.* 796.28
*Alphonsi Siciliæ Regis Corous venatilis* 702.42
*Alteræ aues quæ.* 13.42.
*Altitudo cur Aquilæ comparetur, & cur depressio.* 71.14.
*Aluco.* 501.4. *Aequinoca* 534.19. *Descriptio* 535.40. *Differentiæ* 535.25. *Forma.* 539.33. *Locus.* 537.24. *ab eo Pica infestatur.* 781.1. *Quædam eius species* 567.28. *Synonima.* 534.19. *Victus & pugna* 537.31. *Vnde dictus* 534.40. *Volat°.* 537.20. *Vox.* 537.12
*Aluco maior & minor.* 535.26. *Minoris descriptio.* 536.47. *Paruus.* 531.13
*Aluearia ut mundentur.* 80.26.
*Amaraginē in nido Circ° ponit.* 353.46
*Amaranthus tricolor.* 654.27.
*Ambitiosi Sirenibus comparati.* 628.23.
*Amellus.* 515.31
*Amerochira piscis.* 543.35.
*Americani Psittacos edunt.* 634.43.
*Amethistus in nido Aquilæ.* 69. 1. *Eius uis.* 36.54
*Amicus falsus quis.* 628.18
*Amiternum* 23.4.
*Amomum* 823.3. 822.19
*Amor causa omnium* 73.46.
*Amoris mutui specimen inter Cornices.* 740.6. *Quatuor genera representata per quatuor animalia.* 73.25. *Amor sui.* 650.25. *ex amore vero omnes res originem ducunt.* 74.5
*Ampelis auis cur sic dicta.* 796.47. *Auis est migratoria.* 796.54. *Cur Ferrariæ non visa.* 600.6. *Etymum.* 800.34. *Victus.* 800.37. *Volatus.* 800.18. *Voracitas.* 799.29. *Loc°.* 800.3. *Mores* 800 25. *Pestem non præsagisse.* 801.6. *Reciprocus amor* 800.19. *Vera Ampelis paucissimis cognita.* 797.39. *Victus.* 800.34. *Vox.* 800.30.
*Amphiarai hasta ab Aquila abrepta mortem illi portendit.* 62.33. *Quomodo perierit* 62.34.
*Amphipolis Thraciæ vrbs.* 299.48.
*Amphisbena.* 417.27.
*Anabaptistæ Noctuis cōparati.* 553.19
*Anas.* 765.55. 766.2. *Plumæ ad lectos conficiendos.* 3.45. *Quomodo procellas ostendant.* 11.29. *Quomodo capiantur* 310.14. *Quomodo accessum Aquilæ prohibeant.* 42.19. *Sideritidē herbam adhibent in morbis.* 5. 23. *ad eorum venatum institutio Falconis.* 443.5.
*Anataria* 187.44. 209.42.
*Anaticida* 210.7.
*Anaximenis præsagium.* 800. 9
*Ancha auis* 604.8
*Anchisæ allocutio ad Troianos.* 139.54
*Ancilia quæ.* 92.36. *eorum figura* 172. 24. *quando condita* 14.17.
*Anco Hippocratis* 743.45.
*Andalusiæ Corduba numismata.* 164.26
*Andreæ Diui Iustinopolitani error.* 393. 22.
*Andreas Panicus.* 241.56
*Angeli Decembrij error.* 600.16
*Angelus Gallus Vrbinas eques Meliten sis* 486.16.
*Angeli Politiani error.* 400.18
*Angeli Scleucides dicti.* 630.4.
*Angelus suffocans.* 389.10.
*ad Anginam remedium.* 556.45
*Anguinis senectæ vis ad casum pēnarum Accipitris.* 313.48.
*Anguis piscis ore tenēs in numismate Agrigentinorum.* 161.13
*Anguibus vescitur Aquila* 17.50
*cū Anima similitudo Accipitris* 329.36
*Anima per Aquilam significatur.* 71.24
*Animæ iustorum cur Aquilis comparatæ.* 67.49.
*de Animæ loco Aegyptiorū opin.* 329.12
*Animi hieroglyphicū Accipiter.* 328.50
*Animi perturbationes Falconi comparatæ.* 459.46
*Animam in sanguine esse quomodo intelligendum.* 329.47
*Animæ sedem Aegyptij per Accipitrem significabant.* 329.3
*Animata oia sunt ab igne Vitali.* 154.40
*Animal biforme.* 572.17. *Carniuora quæ* 34.25. *Differentiæ penes eorum ingenium.* 30.33.40. *Effigies in foro Laninensi erectæ.* 59.30. *Ficta ferè in armis sunt designata.* 179.56. *Generatio duplex* 824.7. *Noctu volātia cur magnos oculos habeant.* 501.35. *nullum sine admiratione est.* 630.48. *Mitia quæ.* 34.23. *multę partes etsi non edantur, usum medicum habent.* 259.8. *omnium immensus amor erga suos fœtus.* 37.50 *perfecta habent vtrunque sexum.* 27.36. *prouecta cur Falconi in cibo non danda* 438.5. *Ingeniosa quæ* 30.45. *Partus numerosus vel parcus.* 738.29. *quæ in armis Achillis & Hectoris conceßa fuerint.* 180.29. *quæ noctu videant.* 501.30. *quare alba cuadant.* 690.48. *Quibus in armis pingenda concedūtur.* 180.25. *salacia breuioris sunt vitæ.* 36.2. *solitudinis amans.* 587.53. *specie dissimilium causa.* 499 10. *Viuiparorum palpebræ.* 115.56. *Quædam ex minimis maxima euadūt.* 589.10. *Bruta nihil futurum præuident.* 714.8.
*Animus alatus* 329.20
*Animosi qui dicendi* 24.31.
*Annibal Gozadinus* 214.34
*Annus Aegyptius per Vulturem significatus.* 263.15. *qualis.* 748.12
*Anni cur Vulturibus assimilati.* 263.37.
*Anni hieroglyphicum.* 244.42
*Anni magni conuersio* 828.35. *qualis* 828.40
*Annum sterilem quando Noctua præsagiat* 556.20
*Annū tēpus quænā aues ostendāt.* 5.35
*Annulus quo ostium pulsatur.* 742.19
*Anopæa auis.* 230.48. 231.29
*Anser.* 766.2. *eos comedit Aqla.* 32.28 *de eis & Aquila somnium Ponclopis.* 58.25. *gregatim degunt.* 307.14. *eos Aquila insequitur.* 34.38. *magno clangore pluuias portendunt.* 11.26. *multi à tribus falconibus vulnerati.* 485.22 *Obstreperus dictus.* 703.46. *pennarum utilitas.* 3.38. 24.57. *ab Aquilina penna consumptæ.* 46.6. 45.50. *Quomodo ab Aquilis se defendant.* 45.7. *sideritide herba vtuntur in morbis* 5. 23. *Verecundia.* 2.26. 40.47
*Anserinus flos.* 329.29
*Anteambulatores atrati qui.* 254.17.
*Athemoeßa.* 626.38. 625.43.
*Antenoris filius Phænix dictus.* 129.42.
*Antiochi Euergetis Regis numisma.* 129 42.
*Antiochus Syriæ rex Gryps dict°.* 607.6
*Antiochus tyrannus Accipiter dici uoluit.* 53.7.
*Antinoi numisma* 157.7.
*Antipathia quid.* 44.4
*Antiquorum militum arma* 179.29.
*Antitora toræ antidotum.* 704.29.
*Antonini Caracallæ numisma.* 133.20. 159.18. 162.26.
*Antonini philosophi numisma* 157.24.
*Antonini Pij memisma* 136.50. 129.8. 157.17. 128.48. 154.30. 558.50. 157.9. 160.16
*Antonius Bellosellus Iurisconf* 882.17.
*Antonius Gigas* 3.36. 610.38. 630.30. 657.23. 682.20. 811.30. 53.
*Antonius Hybris dictus.* 431.18.
*Antonij Landriani emblema.* 183.38
*Antonij, Octauij & Lepidi numismata.* 144.26.
*Antonij Pigafettæ mendacium* 807.24.
*Anxur vrbs quæ.* 155.44.
*Apes cur aluearia mutent.* 701.27
*Apis Aegyptiorum regis insigne.* 87.42.
*Apum odor.* 240.38. *primatum habent inter insecta.* 20.4. *In signis militaribus & statuis fauos fingunt.* 62.44. *vnà cum vespis & crabronibus inimicitiam gerunt cum Noctua.* 549.49
*Apes sylvestres.* 565.24
*Apiaster auis quid.* 797.28. 871.46.
*Apodidrascinda ludus.* 411.42


*Appollo*

# INDEX.


Apollo Accipiter dictus. 333. 49. Loxias dictus. 887. 17. Eius auis cur mutata in nigrum colorem 725. 12. Eius nuncius. Coruo nigrum colorem donauit. 723 52. In Coruum mutari uoluit. 723. 54. Eius hieroglyphicũ Coruus. 724. 52. Cur Gryphus ei Sacer 599. 41. 608. 14. Cur Coruus 684. 44. Draconis habitũ quandoq; induisse fingitur. 333. 46. Lacerti. 333. 46. Leonis ibi. Currui cur Leones iuncti. 599. 41. Coruus eius pedisequus, & quare. 723. 47. Sæpius in Accipitrem transformatus. 333. 45.

Apologi cur facti 77. 42.

Apoplexiæ medetur Ciconia. 5. 10.

Apos auis. 569. 10. 806. 32. Apos Indica. 806. 32. Apodes quæ 573. 16.

Apotheosis quid. 56. 13.

Appetentia canina. 617. 32.

Appetitus homini triplex per Aquilæ oua designatus. 69. 33. eius stimuli animantibus natura indidit 34. 15.

Apsephas Lybiæ rex 660. 26.

Aptera animalia quæ. 626. 44.

Apteræon Ausonio quid 626. 45.

Apteron Plinio quid 624. 42.

Apulei error. 638. 12.

Aqua cælitus impetrata 156. 8. de ea prouerbium. 547. 28. quando eam præsagiat Coruus 716. 57. 717. 3.

Aquæductus à Caligula inchoatus & à Claudio perfectus. 146. 3. 18.

Aquenses. 23. 8.

Aquila 765. 55. 766. 40. Adagia ab ea. 30. 9. aduersus lunæ plenæ fulgorem nictat. 26. 47. aduersus solis radios obtuetur 68. 37. egris pullis quo modo indulgeat. 37. 36. in aere meteorologicè apparet. 186. 14. ex'are fusa ubi. 23. 20. etite lapide vtitur. 5. 19. cum ea Africani venantur. 32. 45. de alarum eius magnitudine. 63. 42. Altè volans, solisq; radios fixè intuens quid denotet. 64. 1. amor erga prolem. 37. 50. 68. 56. An cicurari possit 31. 40. an congregetur, vbi cadauer sit. 35. 10. an liberalis censenda. 40. 23. de ea & Anseribus Penelopes somnium. 58. 25. Eius Antipathia cũ alijs animalibus. 44. 1. cum Subi aue ibi dem: cum Symphito 45. 49. apud Danielem quid significet 63. 48 cum aquatilibus in numismatibus sculpta. 161. 53. à suo genere deuorari. 112. 2. Ardeam pedibus tenens. 160. 22. argentea. 87. 7 æstus contra tauros & cernos. 31. 35. eius auditus. 27. 20 Auguria. 57 1. 254. 45. 60. 18. ci in augurijs primus honos datus. 17. 53. 57. 26. Augusti animam efferre putata. 56. 20. Aureæ binæ in templo Apollinis cõsecratæ. 29. 54. Aureæ cæteris præferuntur. 20. 18. extensis alis in longa hastã suspẽsa. 82. 6. in exercitu ab aquilifero defertur. 153. 37. ab Herode supra templi portam cur posita. 56. 52. Iupiter eam sibi deligit. 29. 12. pro signo apud Persas 17. 46. Auspicia 57. 1. bellum cum Accipitre. 295. 17. bellatrices quæ 154. 22. Biceps Imperatoris propria. 94. 13. Biceps in coronatione Caroli Quinti 94. 82 Bicipitem quænam familiæ habeant 94. & 95. cur sculpta in insignibus Rom. Imperij 94. 38. Biceps in aëre apparuit. 186. 3. Aquila cadauera non gustat. 40. 4. 35. 7. Aquila Cæsar & Aristoteles dicti. 52. 15. eius caliditas mysticè interpretata. 64. 25. Callitrico se tuetur. 33. 15 Carni uora est. 27. 17. Centum in hecatombe. 56. 32. Cerebrum & eius vis. 24 48. 79. 40. inter cerui cornua sedens quid denotet. 74. 25. Cibus. 32. 28. 25. 10. Ciciuratur. 81. 10. Clangor. 33. 20. Clypeo insidens quid portendat. 581. 31. ab ea denominata & cognominata. 51. 29. Coitus. 35. 41. Ova concepta ex coitu Accipitris declinquũtur à fœmina, & à mare colligntur. 36. 5. Consecrata est principibus iustis 132. 10. Eius cõspectu salutaris fuit Deiotaro. 59. 43. Cordis vsus 79. 53. Cornix eã pronocat. 39. 32. eius, & Cornicis apologus. 78. 16. Coronata quid signet. 73. 36. Coronata in triumphis. 85. 11. Coruos duos affligens quid portendat 710. 36. Credita est sceptro Iouis in sidere prope fulmina. 81. 46. Cubandi tempus quale definiatur. 36. 37. Cum animalibus varijs in numismatibus insculpta. 154. 27. cum insectis 161. 46. cum plantis. 162. 26. cum serpentibus in numis Faliscorum. 161. 30. Cur ascripta Ioui. 154 43. Cur ità auari dicantur. 35. 5. Cur ex aurea argentea facta. 82. 27. Cur Buboni pugnet. 50. 47. Cur Christiani eam non comedant. 80. 44. Cur in cælo locum habeat. 77. 18. Cur dicatur capta à testudine. 41 26. Cur ità dictus D. Iohannes 51. 30. Cur Nabuchodonosor. 52. 18. Cur dicata soli 55. 57. Cur felix dicta Senecæ. 25. 48. Cur fiat mentio in particulari armorum tractatione. 94. 8 Cur fulmini adiungatur. 131. 51. Cur Ioui sacra dicatur. 155. 47. Cur à longè escam conspiciat 67. 36 Cur orbi adicta 131. 54. Cur sub pedibus habeat fulmen 129. 19. Cur puluerem alis collectum in cerui oculos iniciat. 64. 7. Cur reiuuenescat. 68. 47. Cur rex dicatur. 45. 44. Cur Stoessar dicta Germanis. 40. 53. Cur translata ad dignitatem Rom. Imperij. 94. 35. Cur ita Venerem vocarunt Aegyptij. 35. 57. Cur Vulturem oderit. 45. 17. Degeneres quæ. 35. 18. Delectus ad venatum 127. 1. Delineatio. 24. 20. Cur in clypeis depingerentur. 175. 36. in Delubris pictæ & porticibus. 87. 48. Dextra felix semper augurium 60. 32. 13. 30. De sacrificio femora rapit. 59. 40. Differentiæ vnde petendæ. 18. 45. ab actionibus 109. 24. à coloribus. 20. 14. ab effectu seu ingenio. 109. 20. nobilitate. 109. 17. Difficulter domatur. 24. 18. Dignitas & laudes & cur ab ea exordiatur autor. 17. 18. Dimicat cum Ciconia. 45. 10. cum Sitta. 45. 15. à Dipsade serpente in pectore morsa quid notet. 75. 6. Dissidet cum Ardea. 45. 8. Cum Monedula, Pica & Cornice. 760. 48. cum Cornice. 739 28. Cur quandoque vna, quandoque plures ponantur in clypeis. 94. 10. Dijs consecrata 55 38. ei diuini honores attributi. 56. 48. eius docilitas. 31. 42. Duæ in numismate quodam. 139. 51 Duæ signiferorum Aquilis insidentes. 60. 57. Duæ in vexillis argenteis sedentes ea dilacerabant. 153. 6. Duæ Romulo apparentes imperium portendunt. 58. 6 Duos Coruos affligens quid portendat. 61. 4. Duplici præstat ingenij significatione 31. 15. in Dryinam serpentem excandescit. 42. 34. Emblemata 72. 41. ab ea enutritus Ptolomæus Soter. 48. 30. eius esus cur in lege prohibitus. 66. 9 Etymum 23. 27. expansis alis mar morea. 19. 54. expansis alis fulmen pedibus gerens in numismate paruo æreo. 158. 6. cã extimescunt omnes aues 45. 24. Fel quale 24. 50. 80. 5. eius ferculum fixa. 153. 55. Festinans ad comedendum quid signet. 65. 57. Fimi vsus 80. 27. Fortitudo qualis. 25. 33. Fulmine nõ tãgi qui mysticè intelligatur. 63. 13. gencrositas 39. 1. eius genera à veteribus cognita 108 38. γένναι cur dictæ. 216. 27. gustus qualis. 27. 4. Libertas. 40. 12. halitus pestifer. 25. 4. hepatis usus. 80. 3. hieroglyphica. 70. 24. in eis variæ significationes. 70. 57. historica 48. 10. in hospitem immanis est. 34. 56. impetu volans quid significet. 65. 46. cũ inanimatis in numismatibus insculpta. 163. 42. incubatus. 36. 19. incubantibus vngues subuertuntur. 36. 33. ingenium. 30. 33. inimica maximè serpentibus. 66. 37. eius insigni, cuius coloris fuerint multi vsi. 83. 34. insigne est multarum nationum. 85. 26 multorum virorum Illustrium. 85. 31. Romanorum. 3. 22. inter insignia Romani Imperij. 594. 30. eius insigne fuit semper nobile. 81. 36. insigne marmoreum in tropheo quodam 83. 10. cum insignibus militarib. in numismatib. 138. 1.

# INDEX.


*inter ambulandum vngues contrahens quid significet.* 70. 22. *inter astra relata.* 19. 27. *inter aues gerere eam nobile est* 180. 36. *inter auspicatas.* 13. 58. *inter diurnas aues primatum obtinet.* 502. 26. *inter præcipua signa militaria erat.* 148. 24. *inter quatuor animalia prope Dei sedem quid significet.* 64. 20. *inter signa militaria connumerata.* 153. 42. *Ioui attributa est* 19. 38. *iuuentus quomodo renouetur.* 68. 1. *cum Leone quid repræsentet.* 73. 28. *de Liberalitate Auicennæ opinio.* 40. 30. *libido.* 25. 47. 36. 3. *linguæ vsus.* 79. 50. *locupleo quæ.* 84. 21. *magica arte cicuratæ* 32. 50. *magna perspicacia.* 26. 23. *magna quid mystice* 63. 25. *magnitudo quæ* 25 28. *maribus fœmellæ pulchriores & maiores* 27. 40. *marmorea.* 19. 20. 168. 34. 83. 19. 168. 41. *mas Marti comparatur.* 35. 52. *maximè boues abripientes.* 603. 40. *maxima dignitas.* 88. 30. *in armis* 91. 57. *maximè suas species permiscet.* 37. 21. *membra exporrecta quid mystice significet.* 63. 34. *mira in volatu pernicitas.* 29. 46. *in monetis imperialium ciuitatum* 169. 57. *mores.* 30. 33. *moralia.* 69. 20. *multiuaga dicitur.* 19. 48. *multiuora.* 27. 19. *in multis numismatibus sculpta.* 18. 46. *multiplex vsus.* 51. *& inde. mystica.* 63. 1. *natura ignita.* 608. 22. *neruorum vsus.* 79. 29. *nidus.* 25. 25. *nidum non mutat.* 28. 54. *nigram in armis habentes.* 98. 3 *nigra fulmen aurcum vnguibus tenens quid denotet.* 75. 21. *nobilis.* 110. 25. *nobiliſſima cur in insignibus posita.* 94. 7. *nominis æquiuoca.* 20. 28. *non bibit.* 35. 22. *non captat muscas.* 39. 48. *non conuenit cum Gruibus.* 45. 1. *non portendit imperium.* 57. 7. *in nubibus.* 19. 52. 30. 10. *nullæ ferè sunt in Scythia.* 28. 54. *in numismatibus Iouem significat.* 128. 53. *octo Aquilarum auspicium quid portenderit.* 60. 45. *oculos ad solem dirigit.* 26. 57. *odoratus qualis* 27. 1. *omnia occisa comedit.* 45. 42. *omnium auium viuacissima.* 17. 47. *ossa qualia.* 24. 56. *eorũ vsus* 79. 32. *odium cum paucis habet* 45. 46. *paucissimis morbis obnoxia est.* 40. 14. *pellis vsus & vis.* 5. 13. 79. 25. *pennæ* 24. 57. *earum amissio quid denotet.* 69. 4. *eis antiqui se ornabant.* 87. 43. *earum contagium in alias pennas.* 25. 7. 45. 50. 72. 19. 608. 24. *perfectæ omnes habet sensus.* 27. 22. *peruicacia.* 881. 15. *pedibus oliuæ ramum ferens.* 74. 33. *pedum eius vsus.* 79. 38. *pictas erga parentes.* 69. 47. *præda.* 40. 40. *præpes.* 57. 5. *præsagiendi vis quædam inest.* 37. 29. *prolem volandi potentem nido pellit.* 701. 34. *proprium volandi tempus.* 30. 20. *prouerbium.* 39. 50. *cum puero amor* 49. 5. *pugna.* 40. 40. 41. 53. *cum quadrupedibus.* 17. 49. *cum Cerui* 42. 29. *cum tauris* 42. 24. *cum Accipitribus.* 45. 15. *cum Aesalone* 955. 56. *cum Pica, Cornice & Gracculo.* 781. 1. *cum Sitta aue.* 854. 20. 50. *cum dracone.* 42. 32. *cum vipera.* 43. 44. *pullos degeneres abijciens quid mystice significet.* 66. 25. *pulli quandoque terni nido exempti.* 36. 26. *quandoque escam appetunt.* 38. 32. *pullos vt portet.* 37. 22. *Pyrrhi nominis amans.* 48. 28. *quæ animalia venetur.* 34. 29. *& inde. quæ cadauera petat.* 27. 10. *quæ die sereno apparuit expansis alis.* 186. 52. *quæ nõ clangãt.* 33. 50. *quæ spuria, & quæ legitima.* 37. 18. *quæ sanguine magis abundent.* 25. 30. *cũ lupa quãdoq; coëunt.* 36. 7. *quãdoq; bibit* 361. 48. *quas aues maximè insequitur.* 34. 38. *qui mystice dicendi.* 63. 11. *qui dicti apud Aegyptios.* 53. 15. *cum quibus Accipitribus pugnet.* 45. 15. *cum quibus animalibus dimicet.* 45. 7. *quid experiatur antequam pullos enutriat.* 37. 6. *quid denotet in numismatibus.* 129. 10. *quomodo distinguatur à Vulture.* 112. 38. *quomodo educet suos legitimos fœtus.* 37. 22. *quomodo exactius videat quàm homo.* 25. 56. *quomodo fœtus grãdiusculos assuefaciat ad cibum quærendum.* 38. 10. *quomodo à fugo prohibeatur.* 33. 8. *quomodo fugã moliri cognoscatur.* 33. 13. *quomodo Germanis dicta.* 55. 18. *quomodo inter se differant.* 108. 36. *ab ea quomodo liberatus Aristomenes.* 48. 40. *quomodo perdomandæ sint.* 32. 2. *quomodo prædam obseruet.* 41. 6. *contra eam quomodo se defendant Anseres.* 45. 7. *quomodo senectam mutet.* 46. 22. *quomodo ad volatum suos fœtus instituat.* 37. 41. *cũ quot animalibus habeat antipathiam.* 44. 4. *quot oua excludat.* 36. 20. *in radice filicis incisa.* 168. 45. *cum ea rapaces omnes dissident.* 45. 20. *religionis causa seruabatur in templo.* 82. 40. *renouatio eius quid denotet.* 70. 19. *Rhodi nunquã conspecta.* 33. 2. *Romana summæ hastæ insistebat.* 82. 33. *rostrũ aduncum quid denotet.* 68. 48. *rostri curuitas quam noxam inferat.* 47. 30. *quando incuruatur.* 35. 41. *pucrum à pluuia defendens.* 49. 50. *in sacris litteris quid signet.* 63 15. *propriis pennis.* 79. 20. *sanguinem lambit.* 35. 35. *sanguis eius qualis* 24. 55. *vsus.* 79. 37. *eius & Scarabæi apologus.* 78. 47. *eorum odium.* 45. 14. *de eis prouerbium.* 79. 13. *Sculptæ quousque peruenerunt Romanæ copiæ* 83. 18. *Sedes eius & locus* 28. 1. *Senectæ.* 47. 46. 37. *Septem in castris Pompei.* 15. 45. *septem quamdoque exclusæ.* 36. 26. *ab ea seruatus Agricola.* 49. 24. *seruat Helenã.* 48. 58. *infantem* 49. 33. *Valeriam virginem.* 49. 3. *Sexus eius* 27. 26. *si fuerint in insignibus plus quam sedecim, quomodo sint exprimendæ.* 107. 33. *Si ad solem nictet quid denotet.* 74. 46. *medelæ causa quandoque bibit aquam.* 35. 36. *Signi dignitas aquilæ.* 83. 9. *Simpliciter in numismate sculpta.* 164. 49. *in Solem intentos fixosq; tenens oculos quid notet.* 75. 10. *Solebant in scutis pingi* 604. 40. *Solitariæ naturæ est.* 761. 9 *Spurium genus.* 216. 25. *Stercus quale* 25. 29. *Sturnorum turmam inuadit.* 42. 15. *Subtraxit poma hesperidum.* 184. 30. *Voracissimæ Prometheï iecur excedentis symbolum.* 72. 56 *Synonima.* 23. 27. *Teperies seu crasis.* 25. 28. 46. 4. *Temperantia.* 40. 2. *Tenens oculos intentos in solẽ quid denotet.* 74. 35. *Terrarũ dominationem signat.* 63. 23. *Tertiari' eius.* 338. 20. *Testiculorũ vsus.* 80. 18. *cum Trochylo pugna* 44. 49 *Vbi coloribus varijs & pennis lucidissimis perornatæ.* 28. 51. *Vbi grandiores & ferociores.* 28. 45. 48. *eã uelocem inter volatilia appellat Pindarus.* 29. 25. *Velox inter volucres* 765. 50. *Venatus, pugna, præda.* 40. 40. *ad Venandum quomodo manibus gestanda.* 32. 20. *eius Ventriculus* 470. 32. *Ventorum nuncia quando dicitur.* 9. 54 *Vescitur serpentibus.* 44. 9. *Victrix deuorat deuictam.* 35. 6. *Victus.* 34. 1. *eius in virginem mirus amor.* 48. 20. *Visus.* 25. 41. 65. 20 *mystice quid* 64. 27. 63. 8. *quomodo corrumpatur.* 47. 27. *Ultio aduersus inuadentes fœtus suos* 39. 12. *Vna in quauis legione.* 153. 28. *Vnde dicta.* 23. 45. 54 26. *Vnguis vsus.* 80. 32. *de volatu prouerbium.* 30. 19. *Volatus.* 29. 1. *Vox* 33. 20. *mystice quid* 64. 50. *Vulnerans.* 19. 50. *Vsus in cibis.* 80. 41. *in clypeis.* 85. 37. *in diebus festis.* 185. 11. *in funeralibus* 55. 35. 56. 7. *in insignibus & imaginibus.* 81. 30. *in armis vulgò dictis.* 88. 13. *in medicina.* 79. 22. *in monetis.* 168. 50. *in venatu.* 81. 3. *in vestimentis.* 87. 40. *in vanis ethnicorum sacris.* 55. 30. *Vulturem pedibus tenens.* 160. 23. *eius & vulpis colloquium.* 77. 45.

*Aquila alba.* 87. 9. *eius historia.* 231. 40.

*Aquila Anataria.* 246. 26.

*Aquila Aquilonaris vt oua in pelle vulpis fouet.* 233. 24..

*Aquila Asteria siue stellaris.* 336. 42.

*Aquila Aurea seu fulua* 110. 5. 37. 197. 45. 881. 32. *propria fuit Iouis.* 127. 23.

*Aquila Belloniana in numismate parua sculpta* 155. 25.

*Aquila Barbata* 222. 26. 223. 16.

*Aquila Clanga.* 124. 15.

*Aquila Conocida Hispanis.* 23. 55.

*Aquila Subrutila.* 110. 37.

*Aquila Heteropos.* 232. 46.

*Aquila Leporaria.* 197. 50.

*Aquila Valeria.* 197. 47.

*Aquila Vulturina* 216. 21. 235. 37. 238. 25. 881. 51. *eius fimi vsus* 80. 30. *Insequitur cadauera.* 35. 16.

*Aquila maior & minor Mauritaniæ Tingitanæ.*

gitanæ.23.12.
*Aquila marina.* 187.37.*eam horrent Columbæ.*33.37.
*Aquilæ maximæ boues abripientes.* 603.40.*earum historia.*25.22.
*Aquilæ Ornithologi descriptio.*113.46.
*Aquilæ Palustris creditæ caput, & tibiæ & eorum descriptio.*881.41.
*Aquila pulla.*197.45.
*Aquila ruffa.*110.35.
*Aquila vrbs Vestinorum.* 22. 58. *Tusciæ* 23.7.*Cataloniæ.*22.56.*Fluuius eius nominis.*53.28.*Tres insulæ ita vocatæ.*239.*herba.*21.40.*Lapis.*168.46.*lignum.* 21.33.*piscis.*21.28.31.
*Aquila Pontius Hæbreus.* 20.50.58.*tribunus.* 21.25. *præfectus Alexandriæ.* 21.20.*rhetor celebris.*21.21.
*ad Aquilas locus apud Pausaniam.*23.14
*Aquilaria locus.*54.28.
*Aquilaster spuria Aquila est.* 227.28.*piscibus vescitur.*227.25.
*Aquilata* 54.10.
*Aquileia vrbs.*54.30.
*Aquilex quid.*55.22.
*Aquilifer.*55.21.142.24.83.30. 87.57.
*Aquilinæ herbæ seminis vis.*79.47.
*Aquilinus quid significet.*55.12.
*Aquilini nasi nobilitas* 55.14.
*Aquilinus pro rapaci.*55.18.
*Aquilini sceleti icon.*122.*notarum explicatio.*123.1.
*Aquilinæ vitæ breuis descriptio.*48.40.
*Aquilinæ vngulæ.*55.18.
*Aquilius.*53.39.
*Aquilo vētus.*23.55.54.36.50.*Villa.*55.5.
*Aquilonia vrbs.*55.10.
*Aquilus color.*23.49.54.24.*Ister.*22.50.
*Ar fortem significat.*53.23.
*Arabes vt cinnamomū colligant.*835.22.
*Arabicæ aues quæ* 622.53.
*Arachnis puellæ certamen cum Mineruæ de lanificio.*333.52.
*Arandi tempus indicatum.*424.14.
*Arba quid.*409.5.
*Arborum Falco.* 492.14. *eius historia* 491.50.
*Archiepiscopi Adolphi Scouuenbergi insigne.*99.11.
*Archimedis ingenium.*725.26.
*Archilochus poeta à quo occisus.*687.17.
*Archippe Buboni aßimulata.* 512.45.
*Architecturæ vtilitas ab auibus.*4.1.
*Arculæ aues quæ.*13.42.
*Ardea cancro sibi medetur.* 5.21. *ad eius venatū institutio.* 448.15.*disidet cum Aquila.*45.8.*Feram & liberam vt venetur. Falco.* 448. 20. *earum venatio* 301.45.299.25.*mirabilis piscatio.*194 45.*carum pernicitas.*34.14.*Quomodo præsagiant tempestates & pluuias.* 11. 41. *Quomodo eas Falco insequatur.* 447. 22. *Quomodo eas capiant Falcones peregrini.*466.8.*Ardea aßeria siue Stellaris* 110.17.205.16.336.43.
*Ardea cinerea vel cærulea.*479.41.
*Ardea pella.*205.15.*Pygargos.*205.14.
*Ardeolæ amicitia cum Cornice.*739.16.
*Ardeola quid.*110.16.
*Ardolatum animal.*251.11.
*Argentum.*759.9.
*Argo nauis.*776.32.
*Arietes & agnos adhuc spirantes in cibum pullis suis Aquila exhibet.*37.33.
*Arimaspi vnoculi.* 602.52.*eorum cū gryphibus pugna.*606.23.
*Aristæi anima Corui effigie.* 715.34. *de eo Apollinis iuditium.* 715.37. *varia forma & facinora.*715.40.
*Aristomenis Clypeus.*86.26.
*Aristomenes quomodo ab Aquila liberatus.*48.40.
*Aristotimi Elcorum Tyranni exitij signum* 62.18.
*Aristoteles correctus.*246.20.*Error* 126. 28.400.44.*Dilucidatus* 194.14.542 4. *Aquilarum genera confundit.* 108. 51.*negligentia.*415. 17.*reconciliatus.* 417.56.
*Arma amygdalata.* 179.47. *Armorū colores.*92.51.*niger color nobilis.* 92.55. *coniuncta cum nominibus an nobiliora ijs, quæ nomina ab ijs diuersa habent* 92.1.*cur data à principibus.* 90.3. *Dignitas.*90.21.*Diuersitas.* 179.26.44. *Flores in ijs, vexilla & alia ciusmodi an nobiliora animatis.*91.38. *Honos* 170. 15.179.10.180.47.*Incorrupta qui seruent.* 90. 50. *Inquartata quæ* 179.47. *in magno pretio apud Gallos.* 90. 55. *Marionum in sigillo inuenta.* 203.36. *de nobilitate eorum opinio propria.* 91. 49.*de eadem dubitationes.*91.30.*non transeunt ad fideicommißarium.* 90. 48.*nunquid in cis res animatæ, quàm inanimatæ nobiliores.* 91.35. *Eorū origo.*179.11.*priuilegia.* 90. 33. *proprietas eorum ad affines non transit.* 90. 38.*Quæ laudentur.* 180. 17. *Quæ nobiliora.*91.21.92. 10. *Quando ad posteros descendunt & quando non* 179. 28. *Qui eis priuentur.*90.47.*cum quibus sepeliantur & quare.*91.13.*quibus modis ea acquirant familiæ* 92. 27. *Quibus dabātur.* 89. 54.*Quomodo ad affines transeunt.*90.25.*Quomodo eligenda.* 93. 7. *Quomodo animalia in eis pingenda.* 92. 56. *Scaccata quæ* 179. 46.*Sculpturæ eorum & figuræ.*92.32. *Si duo eadem habuerint quis præferendus.*91.27.*in templis suspensa.*176.11. 33.*Varietas eorum vnde.* 180. 3. *Vsus antiquißimus* 177.11.
*Armeria secunda quid.*743.38.
*Arne cur in Moncdulā mutata.*773.20.
*Arnoldus vnde dictus.*53.26.*quid.*53.16
*Arnulphi etymum.*53.19.25.*Francorum rex ita dictus.*53.18.*vnde dictus.*23.56
*Arodicum animal* 251.11.
*Aromatarij typus.*835.40.
*Arpa quid.*409.6.
*Arquatus morbus.*860.50.
*Arij Lacedæmoniorū regis insigne.*85.26
*Ars quomodo deprehendatur arte.* 74.8. *quando neglecta.*166.32.
*Arsenicum dictum Aquila.*22.21. *Aquilæ propinatum libidinem eius extinguit.*33.10.
*Artaxersis insigne regium.* 82.9.
*ad Arthritidem.*261.5.
*ad Articulorum dolores.* 407.29.
*Artificum arma.*179.37.
*Arundo.*834.26.
*Arundinum Indicarum copia* 707.33.
*Asdrubalis clypeus.*174.9.
*Asiani nobiles qui.*89.50.
*Asinus horret Acanthidem* 355.46. *de eo prouerbium.*764.45. *præ cæteris animantibus magnas habet auriculas* 427 7. *Sileno dicatus à stulta antiquitate.* 724.53.*Coruo aduersatur.*705.20.
*Asio.*7.24.501.4.506.25. 521.53.707. 2.*ei attribuitur saltatio.*506.35.*in clypeo Romanorum depictus.* 529.43.*Fabulosa.*529.49.*locus et nidus.*527.49. *Oculi anatome.* 527. 30. *Quomodo à Noctua differat.*522.41.*Romanorum insigne est.*529.42.*Synonima.*520.40 *Vnde dictus?* 520.40. 526.4.
*Asio Bellonij.*506.36.*eius descriptio.*525 30.*Fului forma.*525.9.*Maior.*521.55 *Nostratis primi descriptio.*522.46.
*Asparagus syluestris aduersatur Accipitri.*295.41.
*Ascalaphon.*534.34.
*Ascalaphus in Bubonem mutatus* 512.55 519.28.
*Assalon Alberto.*354.45.
*Aßaria quid.*169.32.
*Assentatores Harpyis comparati.*619.38.
*Asis quid* 169.34.
*Astacus pro cancro vulgo pictus.*166.13.
*Aster Atticus.*515.31.
*Asteria Cei filia à Ioue adamata.* 19.23.
*Asterias Accipiter.* 281.50.337.10. 393.7. *Historia* 336.22.*& inde.*
*Asterias Aegyptiaca.*336.45.
*Asteriscus secūdū Pindarū quid.*742.46.
*ad Asthma.*518.24.
*Astor quid.*281.35.
*Astorellus Carcani.*339.7
*Astorgios.*238.6.
*Astri imago quot stellis constet.*22.1.
*Astronomia quam vtilitatem percipiat ab Ornithologia.*5.32.
*Astur quid.*280.42.336.52.342.45.
*Astures Alpini qui.*338.36.*in Armenia & Persia præferuntur omnibus Accipitribus.*338.17.
*Asturis descriptio.*337.20.
*Asturum seu Accipitrum Stellariorum differentiæ.*337.15.
*Asturum differentiæ penes colores.* 339. 14.*à natura.*337.46.
*Astur dimidiatus quid.*338.1
*Asturis etymum.*337.7.339.58.
*Astur Falco.*393.6.*Calabri.*338.39. *Germani* 338.42.*Illyrici.*338.27.32.

# INDEX.


*Asturum locus.* 339. 43.
*Asturis maioris laudabilis forma.* 339. 21.
*Maris & fœminæ discrimen.* 337. 42. *Minorum bonitatis signa.* 339. 30. *Paucicapi* 338. 3. *Pulcherrimi qui.* 237. 55. *qui damnentur.* 339. 34. *quomodo ab alijs Accipitribus discrepent.* 337. 16.
*Astures Sardinotæ* 338. 25. *Sarmatici.* 338. 52. *Tertiarij qui præstent.* 337. 56.
*Astutior coccyge quis dicatur.* 426. 41.
*D. Athanasii præsagium à voce Corui.* 693. 13.
*Athenæus.* 520. 30.
*Athenienses quot locis Noctuam depingerent.* 558. 56.
*Attila Hunnorum rex Asturem in insigni, Galea & pileo portabat.* 342. 26
*Auari Aquilæ Comparati.* 70. 11. *Buboni.* 518. 16. *dicuntur furias pati.* 611. 36. *Gryphis comparati.* 607. 21. *Monedulis.* 772. 56.
*Auaritia Harpyiarum exemplo designata.* 619. 17.
*Aucupes quibus auibus potissimum vtantur.* 4. 55. *quomodo ex Aquila quæstum sibi parent.* 81. 3.
*Aucupij & generationis comparatio.* 300. 50.
*Aucupij Noctuæ instrumenta quæ.* 551. 3. *in eo nullum animal fructuosius Accipitre.* 333. 5.
*Auentini Herculis filij arma.* 93. 27.
*Auerrois opinio de perspicacia Aquilarum refutata.* 25. 53.
*Augur pro auspice.* 12. 39. *honor apud Romanos.* 14. 50. *vnde dicatur.* 12. 36.
*Augurium bonum & felix.* 13. 40. *ad Cacodæmonem referenda.* 57. 18. *Caduca* 12. 48. *ex quibus auibus nõ liceret captare.* 14. 49. *infaustum ex quibus auibus Plauto.* 840. 51. *Captantes ea sedebant.* 14. 32. *Cliuia quę* 12. 47. *Coacta.* 12. 57. *Contraria* 15 58. *derisa ab Ethnicis.* 15. 40. *à Cicerone.* 15. 43. *Fausta.* 13. 20. 57. 21. *eorum genera.* 12. 40. *ab Hetrusca disciplina.* 12. 21. *Honoratius prius quam posterius.* 13. 10. *eius idolatria detestanda.* 15. 27. *Imperatiua.* 12. 45. *Infaustum quid.* 709. 30. *Infelicia ab Aquila.* 61. 50. *Inuentor eorum dæmon est.* 15. 30. *liberum quod.* 12. 58. *in magno honore habita.* 15. 24. *Oblatiua* 12. 44. *Piacularia.* 12. 41. *sunt plena mendacijs & fallacijs.* 16. 30. *eorum præses Aquila.* 35. 24. *quid propriè sit.* 12. 30. *quod bonum & quod malum* 13. 43 *Vanitas eorum reiecta.* 16. 12. *Vnde dictum.* 12. 35. *eorum peritissimus Picus fuit.* 836. 17.
*Augurandi modi.* 12. 49.
*Augurari quibus & quando prohibitum* 14. 44.
*Auguraculum quid.* 14. 18.
*Augustina Piumbina* 187. 40.
*Augusto Aquila panem eripuit & restituit.* 57. 45. *eius contra Antonium & Lepidum victoriæ signum.* 61. 3. *eius numisma* 131. 16. 133. 48. 134. 20. 144. 35. 147. 30. 56. 160. 27. 162. 19. 163. 48. 164. 49. *quomodo ei duodecim Vultures visi.* 257. 16.
*Auis Aethiopica.* 804. 18. *Alba auis quæ.* 87. 16. *Animæ hominum creditæ* 733. 35. *Apum magnitudine aues.* 655. 45. *Aquilam auis significat.* 23. 45. *Aquilis similes sed maiores.* 603. 57. *Aquaticæ in morbis vtuntur sideritide herba.* 523. *Auis Arabica.* 834. 50. *auara.* 471. 47. *Auerniæ.* 851. 53. *Augurales quæ.* 254. 42. *Bacchica.* 868. 9. *Campestres.* 430. 51. *Culinariæ arti viles.* 4. 50. *Dētatæ quæ.* 213. 10. *Diuersorum colorum vbi.* 655. 45. *Diurnæ cur nocturnas oderint.* 514. 44. *Fabri cur dictę* 4. 7. *de Fabulosis cur author egerit.* 599. 20. *Frugilegæ acumine rostri grana colligunt.* 639. 11. *Graues cur fœcundæ.* 296. 22. *Indicarum plumæ ad texendas varias figuras destinatæ.* 3. 32. *ad insignia illustrium hominum translatæ.* 3. 20 *Lacustrium præsagia.* 9. 26. *lignipetæ.* 848. 22. *Linguam latam habentes sunt aptæ ad sermonem imitandum.* 690. 4. *locustis vescens quæ.* 629. 25. *Maiores quæ* 430. 54. *Marinarum præsagia.* 9. 41. *Mediæ naturæ auium historia.* 571. *Morbi vnde cognoscantur.* 449. 6. *Morbosæ non faciebant augurium.* 14. 50. *earum nobilitas in armis.* 91. 50. *Noctilolæ quæ.* 543. 56.
*Nocturnæ cur interdiu ægrè cernant.* 501. *Nocturnarum externa descriptio* 501. 13. *Cur noctu volent.* 501 25. *Digiti earum quales.* 501. 19. *earum genus maius & minus est.* 501. 8. *locus.* 502. 3. *quæ nocturnæ dicantur.* 500. 23. *quædam sunt aduncis vnguibus.* 500. 55. *quando optimè cernant & ad pastum eant.* 501. 57 *Nocturna auis quid apud Hesychium.* 505. 43. *Species quot apud veteres.* 500. 30. *Synonima.* 500. 37. *Victus & rapina.* 502. 10. *visus* 501 25. *à Voce dictæ sunt* 500. 38.
*Auis non auis.* 572. 24. 56.
*Auis noua Plinij quæ.* 796. 20.
*Aues nõnullæ imperfectos & cæcos pariunt fœtus.* 738. 44.
*Auis noui orbis.* 796. 34.
*Auis Dei.* 806. 28. 807. 35. *Paradisi* 806. 17.
*Aues nunquid pretiosiores sint quadrupedibus in armis.* 91. 48. *omne genus pro plumatili opere cõficiendo apud Mexicanos nõditur.* 655. 52. *Ostendũt nobis multa plãtarũ genera.* 5. 15
*Auis parasita & imitatrix.* 528. 16.
*Auis parua Plinij quid.* 355. 6.
*Aues perforans Arbores.* 836. 12.
*Aues peste corripiuntur.* 801. 9.
*Aues picturatæ in India ut Psittaci* 636. 36.
*Auium pietas erga Semiramidẽ.* 6. 22. *ex earum plumis varia contexta opera.* 656. 12. *Cur præsagiant.* 9. 32. *Præsagiunt non iisdem signis & notis.* 9. 23. *pugnantes sibi* 854. 49. *quę sedem mutare soleant caloris aut frigoris ratione.* 5. 27. *quæ medicamenta hominibus ostenderint.* 5. 10. *quæ ad uenandum institui possint* 301. 17. *quædam placidæ, quædam ferę naturæ.* 24. 12. *quænam Strix dicenda.* 565. 20. *Quænis habet sua præsagia ad sua debita tempora.* 424. 9. *Quænam venetur Lanarius.* 490. 15. *Rapaces diurnæ quę.* 7. 23. *Filios ad venatum instituunt.* 6. 41. *earum ventriculus.* 485. 40. *Terrestrium præsagia.* 9. 42. *Titij auis quæ.* 238. 41. *Tumultuosæ & clamosæ* 762. 47. *Venatrix quænam.* 280. 26. *Viridis auis quæ.* 635. 17. 637. 16. *Voces variæ sunt, pro diuersis earum affectibus.* 745. 6. *Vno pede plano, altero fisso.* 191. 8.
*Auiculæ minutissimæ in India colorum varietate prædítæ.* 636. 36.
*Auiarij descriptio.* 312. 43.
*Auicida.* 209. 42.
*Auorexia quid.* 321. 53.
*Aurelianus Imp. ab Aquila è cunis sublatus.* 57. 40.
*L. Aurelij veri numismata.* 133. 10.
*Aure auis.* 689. 24.
*ad Aurium dolorem.* 222. 10.
*Auricula.* 520. 44.
*cum Auro Accipiter sympathiam habet* 296. 8. *eius generationis præcipua causa.* 608. 17. *à Gryphibus effossũ quale fuerit.* 606. 20. *Inter omnia metalla perfectissimum est.* 720 45. *Scythicum siue Indicum.* 602. 44.
*Auripigmentũ Falco dictum.* 429. 53
*Auspicia dextera quæ.* 13. 1.
*Auspicia minora licet priora maioribus cedunt.* 745. 35.
*Auspicato omine fiebant omnia in bello.* 15. 3.
*Auspicium pullarius mentitus.* 710. 56. *Sinistrum quod.* 13. 2.
*Austur.* 393. 6.
*Authores cur sæpius vni potiùs quàm alteri speciei quędã ascribãt.* 282. 20
*Autumni nuncia est Fivedula.* 424. 12.
*Azida physiologo.* 587. 49. 45.
*Azores insulæ.* 324. 1.
*Azanetij cur Coquos sequãtur* 696. 2

# INDEX.

## B


PACCA quid.423.11.
Bacchus primus Imp.782.15
Bacharia regio.602.30.
Bacchilides Gracculus dictus 53.11.
Baccho Noctua inuisa.552.53. Pica sacra ei & cur.782.10.
Baculus in quo Noctua gestatur. 551.4.
Badensium comitis mors.709.36.
Balanus.734.28.
Balaris herba quæ.324.44.
Balbusardus Anglorum.210.52.
Ballaria herba.324.43.
Balneum quandoque conuenit Accipitri.316.16.
Balnea sulphurea à Vulturibus nomen habentia.254.24.
Balsamum.823.4.
Bambergæ vrbis insigne.182.7.
Bãda in armis.179.41.in militia.85.25.
Bans eques S.Stephani.670.8.
Baptistæ Mantuani error. 829.2.
Baratrum locus,in quo fontes detinebantur.687.49.
Barbas Accipiter dicitur.280.58.
Barba cur senex Italis dicatur.579.19.
Barba cana senis.385.15.Grisa.385.15.
Barbã exactè repræsentat villus sub mento Haliæti.227.17.
Barbaianus quid.539.54.
Barbula hirci.423.27.
Bardiacus.411.2.
Bardi quinam sint.411.11.
Bardocucullus.410.56.411.20.
Bargæi vulturibus mortuos obijciuntdeuorandos in bello.270.40.
Barillæ familiæ insigne. 610.7.
Baronis de Trinitate symbolum.832.50.
Basilius Macedo quomodo regnum obtinuerit.91.1.
Basiliscus tali iactus.237.43.
Batani qũo Cornices abigant.752.53
Batus Cuculus dictus.422.29.
Beccariorum Germaniæ & Italiæ origo, & insignia.102.17. & inde.
Beccasse marina Gall.775.43.
Bellona Dea.515.4.
Bellonij error.124.40.552.214.45.364.4.373.47.467.35.471.57.472.8.506.16.532.52.537.15.561.11.567.27.579.2.675.36.752.10.39.766.58.14.770.30.47.772.17.81626.834.44.855.14.
Belli & famis signum.515.35.
Belloscelli etymon.882.18.
Belli futuri signum.763.39. Quomodo Vultures id præsagiant.236.1.
S.Benedicti corpus repertum ab aquila.42.54.
Benignitatis typus.71.42.
Bentiuolorum Bononiensiũ insignia 106.7.Viri illustres.106.22.
Bernardus Lonatus.404.45.
Berniclarum auium generatio. 817.8.
Berylus glaucus.551.47.
an Bibat Aesalo.361.43.
Bibunt quandoque Buteo, & Aquila. 361.46.Circus.554.7.
Bilancis iugum 577.32.
Blasphemi mysticè significati.66.20.
Blatero.528.26.37.
Bœotiorum augurium.727.8.
Bohemica auis quæ.796.38.40.
Bolonia 515.29.
Bononiensia vexilla Grypho ornata.609.42.
Bonosæ Gallinæ ore coire vulgò creduntur.699.7.
Borositis Kiranidi.734.43.
Boues centum sacrificati.55.46.
Bos cornua lunata habens.742.56.de eo prouerbium.557.35. eius imagine signatum numisma 557.35.ingenium. 30.43. Magni vbi culi 55.38.Maximus 505.41.ab eo quomodo lepus dicatur capi.41.27.
Boues sylu estres.607.14.
Bousati Gallorum quartum genus cum Massyy Germanorum eundem esse.394.54.
Botaurus Plinij.363.29.
Brabyla quid.423.40.
Braccula Cuculi quid. 423.20.
Brachij inflexus quid.743.42.
Bragmanes colorem atrum venerantur. 725.8.
Brancaleonum insigne.609.58.
Braos quid.110.24.
Brentus inimicus Harpæ 408.46.
Bresilia regio.646.33.
Britannia auiũ rapaciũ alumna.104.20.
Brutiorum insigne 97.16.numisma.128.45.130.40.163.31.45.558.22.
Bruta cur aeris statũ præsagiant.716.28
Brutorum ingenium debilius est quàm hominis.31.12.
M. Bruti & Ahalæ numisma.167.38.
Bruti & Cassii exitium.255.38.
Bruti interitum Aquila præsagit.61.9.
Bubo.280.43.430.20.501.2.505.6.644.8.9.Aequinoca 502.2.Antipathia cum Coruo.514.10. Astus in pugna 513.45.Auguria vana. 516.49.515.35. cur pro auspicata aue habeãt Tartari 502.49.de eo prouerbium. 508.50.cantum eius timent homines 512.25.cur Chasserunt vocetur 514.30.Cibus 519.3. Cum Cornice antipathiam habet & cum alijs. 514.13. loca alta habitat. 513.4.Cur Aquilæ pugnet.513.47.Cur Gallo præferendus.512.5.Cur ab eo interè nocturnas inchoatum. 502.22. Cur in templis degat. 517.1. Cur venator dicatur. 514.30. ab eo denominata.515.3.De scriptio.507.26. 522.25. dicitur felis gemebundus.507.53.differentiæ.522 20.emblema.519.10. epitheta varia. 516.est Chalcis Coropij 506.46. Fabulæ.519.20.eius fletus carmen ferale dicitur.516.8. Fortitudo 502.39. Funebris.13.48.515.37.Genera & differentiæ.507.17. historia & dignitas 502.21.Inter aues infelices & turpes numeratur.249.58.502.22. Locus.512.40.Lucifer.422.49. Magnitudine præcellit rapaces nocturnas 8.8.505.41. Maximus est Homeri Cumindis.505.46. eius mæstus. 564.17. Moralia. 518.3. nidus 513.3. Nomenclaturæ.503.33.Cum Moncdula dissidet.760.44.Noctis monstrũ. 512.24.Nocticanus 512.26.pro Noctua Albertus vertit.514.9.Noctu canit.541.49.nõ semper malũ portendere. 517.10. Eius oua rarò visa. 513.10.partes eius quibus morbis medeantur.518.20.Quænam animalia venetur.502.33. Quando vernat. 512.8. Quibus morbis medeatur. 518.20. Rapina,robur & pugna. 513.25.40. Rauci apud Ouidium. 508.46.triste omen. 505.28. vbi habitant. 287.4. Venatus 512.3.Victus. 502.12.513.25.Vnde dictus.504.22.506.40.Volatus 512.33.Vox.508.30.Visus.508 26.Vsus ad aucupium.514.20.in medicina 518.20. ad venandum Miluum.403.48.
Bubo cornutus.521.38.auritus.521.36. flammeatus.535.12.Genus aliud non minus Gracculo.507.22.Noster Bubo in quo differat.508.10.Nostri forma.508.7. Bubonis Ornithologi forma.507.50.Palustris.364.19.Templarius.517.5.521.37.
Bubo morbus unde dictus 503.17.piscis.503.2.Saltationis genus.503.30. Tumor.503.7.
Bubulare dicitur Bubo.508.33.
Bubon Plinij 503.5.Vertebræ locus.503.23.
Buhonia Dea. 515.3.Galliæ vrbs. 515.28.
Bubonium herba.515.30.
Bubonosphyrum. 503.26.
Bucca quid Suetonio.315.11.
Buccella quid Martiali.315.11.
Bucephalus.506.45.
Buferula Bononiensium.389.25.
Buferulæ alterius Bononiensis descriptio. 390.48.
Buffoni vnde dicti Italis.506.31.
Bufo.506.29.
Bussus Kiranidi.504.24.
Bulapaton.373.53.506.43.
Burdo Syluatico.393.18.
Burynchos auis 801.29.
Buteo.281.47.763.10.Acquinoca 363.10.augurium 14.21.254.45.bibit. 291.13.361.48.Capiendi ratio.372.1.cognominata.372.46.ab eo cur Aristoteles suam incæperit historiam.336 25.cur præcipuus Accipiter Aristoteli dictus.363.2.Descriptio.364.30.


Dif-

*Differētiæ* 364.30. *Fugacem militem exprobrat.* 4. 11. *in honore mensarum fuit in Balearibus insulis.* 372.20. *eius mira segnities.* 371. 10. *cum quibus animalibus habeat inimicitiam.* 371. 50. *quomodo à Miluo dignoscatur.* 366. 46. *varijs animalibus victitat.* 371.35. *Victus.* 371.30. *Volatus.* 371 1. *Visus in cibo.* 372. 12. *in medicina.* 372.23. *in sacris.* 372.40.
*Buteo albus.* 380.25.488.46.
*Buteo orator.* 372.52.
*Butcaquila* 364.16.
*Buteri aues* 380.38
*Buteus* 363.38
*Butillorum Neapolitanorum familiæ insigne* 96.27
*Butio ardeæ genus.* 363.28.
*Buxeus dictus Cherephon philosophus.* 581.4

# C

*CACODAEMON in Corium mutari creditur.* 709.40
*Cacubalum Plinij* 410. 23
*Cadauerum cremandorum mos ac cinerum conseruatio.* 132.17
*Cæciliana ceraforum species.* 708.16.
*Cæliorum mors.* 841.12
*Cælestia corpora Accipitribus assimilata* 330.34
*Cælum Vrania dictum* 263.47
*Cæneus in Aquilam mutatus.* 77.30.
*Cæsari duodecim Vultures apparēt.* 257.9
*Cæsar Faechinettus Marchio.* 678.54. 862.45
*Cæsaris Odoni error.* 797.27
*Cæsar Rinaldius nobilis Bononiēsis.* 859. 34.
*Cæsaris numisma* 147.56. *eius victoriæ signum* 60.51. *unde dictus* 179.2
*Cæsarinę familiæ insignia* 103.28
*Cæsarum monumentum.* 609.27.
*Caietanæ familiæ origo, dignitas & insigne* 105.35
*Calais & Zetes Harpyias fugāt.* 614.1
*Calcetus clauatus* 411.6
*Calcidonius lapis Ioui fulguratori consecratus* 155.18.
*ad Calculos* 5.12.231.16.311.10
*L. Caldi numisma* 162.18
*Caligulæ numisma.* 147.27.139.46
*Callitrichum herba tuetur Aquilam ab animalibus noxijs* 33.15.
*Calor fœcundus qui.* 296.20
*Camilli Baldi opinio de Haliæti generatione* 193.15
*Camelus odit equum.* 44.46
*Camillus Capranica* 19.22
*Camillus Palæotus* 767.52
*Campegiorum Bononiensium insigne* 104.10
*Camporum in armis diuisio.* 179.39
*Camulgus* 251.13
*Canastra quid* 609.22
*Cancrorum esu delectantur Accipitres* 290.36
*Cancer marinus in numismate Agrigentinorum.* 161.12. *eo sibi medetur Ardea.* 5.21
*Canibellus.* 357.3
*Canis Actæonis.* 611.12. *Aureus* 871.19 *eos apud gregē abripiunt Aquilæ.* 34. 47. *Lapillos abijciens in olearcam amphoram, vt oleum lambat.* 725. 21. *eius & Cornicis apologus.* 750. 42. *Canes Ionis quid.* 611. 32. *Latratus.* 19.8. *Obsequiat, blādi, animosi.* 40.47 *ad rabidi morsum.* 424.46. *Sagacitate pollent.* 639. 5. *Sepulchrales dicti* 262.27. *Sirius* 624.8
*Canicula venatoria semper adesse debet Accipitri edenti, & cur* 308.25.
*Cantharia pocula.* 629.16
*Cantius Marionus* 203.58
*Capella auis.* 622.10
*Caper Baccho dicatus.* 724.53
*ad Capillos dealbādos* 728.24. *denigrādos* 727.50. 728.32. *extirpādos.* 582 39. *eorum pulchritudo palmo cerebri cur assimilata.* 720.40
*Capra Aquilæ cib°.* 38.35. *Pigargos eius genus.* 205.4
*Capriceps.* 500.51.
*Caprilla caro Accipitrum calculos in sto macho disrumpit.* 311.12
*Caprimulgus.* 7.24.561.15. 251.18. 500.51. 539.29. *Aequinoca.* 567. 17. *Descriptio.* 567.45. *etymum* 567. 25. *Locus* 570.10. *Synonima.* 567.24 *Victus* 570.41. *Visus.* 569.51. *Vox* 541.18.570.3
*Caprearum carne cibātur Aquilæ.* 32.29
*Capreæ insula.* 625.38.
*Capuam vt Samnites condiderunt.* 459. 21. *vnde dicta.* 430.35
*ad Capitis dolorem* 79.44.259.47.261. 14.407.13.747.12
*Capitis tegmen quid.* 410.28
*Capitium ex pennis.* 3.36
*Captiui apud signa custodiebantur* 150. 31.
*Capyr vir.* 430.37
*Capys quid.* 326.39.330.34
*Caracallæ occisor Gracculus dictus* 763. 23.
*Carbones & horum proles.* 237.37
*Carciniorum numismata.* 128.23.
*Carbonarius Germanorum.* 463.48
*Cardamine.* 423.26
*Cardani error* 83.39
*Cardinalis Adami Anglici insigne.* 99.9 *Adælardi Veronensis.* 96.38. *Alberti Brandēburgici* 99. 4. *Alphōsi & Raphaelis Petrutiorū* 104.1. *Andreæ de Valle.* 104.8. *F. Archāgeli de Blāchis.* 99. 20. *Bernardi de Vbertis* 103.24. *Bādinelli* 97.24. *Bernardi Clesii* 104. 56. *Bertani.* 95.37. *Stephani Bonutij.* 102.9. *de Burgos.* 656. 13. *Camilli Burgesii* 99.23. *de Cardone.* 95. 30. *Carpēsis.* 10.53. *de Castiglione Odetti* 97.26. *Christoph. Madrutij* 105.57. 832. 31. *de Corrigio Hieronymi de Austria.* 96.44. *Durantis de Durantibus.* 105.34. *Ennij Philonardi de Bauco.* 104.24. *Estēsis cmblema.* 183 23. *Eugubini Hieronymi de Morioni bus insigne.* 36.38. *Francisci Alciati.* 99.18. *Francisci Alidosii* 105.3. *Franciſci Mendozzæ.* 104.53. *Gabri Paleotus* 3.35.656. 13. *Georgij Hesler insigne* 103.26. *Georgij Ragiuil Poloni.* 97.34. *Gonzagæ familiæ.* 106. 46. *Granuclani* 95.44. *Georgij de Matellicis.* 102.6. *Guilelmi Enthefort vel Hincfort.* 106.1. *Hannibalis Boßutij* 106. 3. *Henrici Caietani* 105. 37. *Henrici Manrici.* 101.53. *Herculis Gonzagæ.* 182.54. *Hieronymi Corrigiensis* 204. 28. *Hieronymi Mathei* 97. 36. *Ianuensis Io: Baptistæ de Cicadis* 96.36. *Ioānis de S. Georgio* 102. 1. *Ioannis de Estunica.* 102. 10. *Ioannis Melæ Hispani Zamotensis.* 99.9 *Ioannis Pogij Bononiēsis.* 99.50. *Ioannis Pauli de Ecclesia.* 98.7. *Ludouici Madrutij* 105. 42. *Antonij Marij Saluiati.* 104.28. *Marci Vogerij.* 103 56. *Matthæi Heluetij* 98.56. *Matthæi Langi.* 104. 5. *Merini Hispani.* 96.35. *Mutinensis Io: Baptistæ Ferrarij.* 96.35. *de Oria.* 97.44. *Pompei de Aragonia* 102.3. *Philippi Segæ.* 99 54. *Ptolomæi Galli.* 97.28. *Raynerij de Maresciottis* 98. 44. *Reginaldi Poli.* 99.1. *Reatini Eleazari* 96.30. *Rodulphi Pij Carpēsis* 98.42. *Saulij.* 97.24. *Sbigneі Poloni* 104.26. *Simeonis Talianię* 105.1. *Stephani Gabrielis Merini.* 98. 54. *Theodori Lelij de Tornū* 101.57. *Vinceslai Germani Episcopi Vratislauiensis.* 96.39.
*Cardueles frequenter capit Aesalo.* 355. 33.
*Cardnus Phœnix dictus.* 818.19.
*Carmen ferale fletus Bubonis.* 516.8
*Carnis symbolum.* 628.13.
*Carolus Clusius Ossifragam mihi communicauit* 226.20.
*Carolus Magnus* 89.50
*Cartami semen.* 654.32. *Psittaci eo gaudent.* 652.4
*Caryocatactes.* 760.14
*Caseus viridis.* 856.3.
*Cassia* 823.5. *in syria nata.* 818.35. *quomodo colligatur.* 579.27
*Cassii & Bruti exitij præsagiū.* 255.38.
*Cassides militum pennis Struthionum ornatæ* 4.20
*Castanea.* 765.36
*Castruthius Castracanus.* 594.43.
*Castruthiorum Familia Lucensis vbi floreat.* 594.42. *& inde.*
*Cataractæ aues.* 213.12.110.20.611.47

*Catecu-*

# INDEX.


*Catecutēſes Corniculas honorāt.* 744.43
*Cato Grammaticus Siren dictus.* 627.34
*Cato populum Romanum reprehendit.* 655.16.634.45.646.44.
*Catulina caro, in quo morbo exhibenda Accipitri.* 313.58
*Catus* 535.8
*Caucaſeæ aues.* 238.50.242.1
*Cauponum ſigna non dicuntur inſignia* 89.18
*Cauſidici Accipitres dicti.* 323.40. *Vultures dicti.* 253.26
*Cauteria quomodo Accipitri adhibenda* 317.42
*Cecunia.* 521.28
*Cedrus maior, ex quo factum eſt templum Salomonis*
*Cedropolis pars Thraciæ.* 299.48
*Celæno* 611.45.48
*Celeus* 855.4.5
*Celeritatis hieroglyphicum* 330.28
*Celes quid Syluatico.* 758.48
*Celtos quid eidem* 758.48
*Cēchrias herpes.* 356.29. *Serpēs* 356.28
*Cenchridis hiſtoria.* 356.10.
*Cenchrines.* 356.26
*Cenchrites.* 356.26
*Centaurium maius.* 21.54
*Centaurium Triorchis dictum.* 363.18
*Centurionis numus.* 84.5
*Cephenes.* 624.12
*Cera quæ pars in Falcone.* 482.28
*Ceraunium lapideum quale.* 156.25
*Ceraunijs ſimiles lapides ubi* 156.25
*Cercis quid.* 351.14
*Cerimoniæ reiteratæ per Phœnicem ſignificatæ* 829.43
*Cerchnis auis* 389.16. *forma & deſcriptio.* 870.3. *generatio* 870.32. *genus differentiæ.* 869.50. *icon* 870. *ingenium.* 870.38. *mores.* 870.37. *nidus.* 870.32. *ſynonima.* 869.43. *victus.* 870.46. *uolatus.* 870.27. *uox.* 870.26
*Ceruus.* 393.5. *ætas* 706.11. *eum aggreditur Aquila* 31.36.34.48. 40.31. *fœminæ cur ſeſeli ſemen quærant.* 252.48. *pugnæ cum Aquila.* 42.29. τετραπόδων. 742.56. *Timidus eſt* 40.46. *Velox.* 19.4.34.14
*Cerulea auis.* 588.38.592.20
*Ceſarinorum inſigne.* 181.24
*Cetræ depictæ.* 174.42
*Cetram non fuiſſe latronum ſcutum.* 171 8. *pro pelta accepta* 171.19. *quid ſit.* 170.47. *Vſus ad pulſandum rhythmicē* 170.57
*Cetrati Hiſpani ad quæ apti.* 171.8
*Chalcis* 504.32. *eſt Bubo Goropij* 507.44. *cur Cumindis dicatur* 505.49. *Vnde dicta.* 505.24.506.5
*Chamæleon.* 587.47.835.52. *infeſtus Coruo* 704.11. *cum eo inimicitiam gerit Coruus.* 705.35. *inimicus Accipitri.* 295.32. *Virus.* 5.25
*Chamæleonis nigri venenum* 20.45. *quid* 504.15
*Changi augurium* 517.23
*Charadrius cum Galbulo confunditur* 855.16
*Charini mors per Coruum indicata.* 733.11
*Chelidonis Hirundo facta* 197.24
*Chelidonia viſui ſaluberrima.* 5.18.
*Chelys Stella.* 229.50
*Chenocamelus* 588.73
*Cherophon philoſophus.* 581.3. *ab eo pro uerbium.* 581.9
*Cheruſa torrens.* 254.8
*Chiluones quinam ſint.* 430.40
*Chiorum numiſmata.* 620.49.
*Chiouinus Bononienſibus.* 546.8
*ad Chira gram remedium.* 79.29
*Chloris cum Chloreo cōfunditur.* 854.36
*Chlorio & Coruus inimici ſunt.* 705.15 854.46. *eadem auis eſt cum Chlorco* 854.48. *& cum Galgulo* 854.56. 855. *ab eo vincitur Turtur.* 854.46. *magnitudo.* 854.47. *Pici quædam ſpecies apud Albertum.* 855.35. *cum Loxia confunditur.* 878.6.
*Chlorio Indicus* 862.40. *icon* 862.
*Chriſtus Accipitri aſimilatus.* 327 25. *Aquilæ* 65.17 66.30. *Coruus dicitur* 720.27.723.32. *Gryphis ſimilis* 607 52. *Galilæus dictus* 160.38
*Chriſtianos auguriis aliquando credidiſſe* 61.33. *eorum uexilla quæ* 151.40. *Victoria contra Turcas* 101.23
*ad Chronicos morbos.* 747.7
*Chryſaetos à Magno duce miſſa.* 110.48. *cur ab ea inter Aquilas incipiendum.* 109.30. *Color qualis.* 123.50. 124.10. *Deſcriptio.* 123.40. *Docilitas.* 126.56. *Emblemata.* 182.12. *Fœminæ adulterium.* 125.42. *Ferocia* 112.4. *Forma & deſcriptio.* 110.32. *Icon* 111. *Ingenium.* 126.30.40. *Internarum partium deſcriptio* 116. *vſque* 120.50. *Latitudo.* 112.11. *Liberalitas* 126.32. *Longitudo* 112.10. *mores* 126.30. *Vſus in varijs rebus.* 127.10. *Vnum ouum parit.* 125.7. *Oua alteri Aquilæ ſubijcit.* 125.51. *Pellis vtilitas.* 126.50. *pedes.* 125.20 *præter carnem alijs etiam rebus veſcitur.* 126.23. *Pullum cur nido eijciat.* 125.38 *pullos legitimos nutrit abiectis ſpurijs* 125.53. *Pondus eius.* 112.9. *Quem locum obtineat inter Aquilas.* 109.24. *Synonima.* 110.1. *Venatus* 126.15. *Victus.* 126.14. *Vngues.* 121.21. *Vox.* 112.6. *Vſus in numiſmatibus.* 127.28
*Chryſactos Bellonij.* 115.1
*Chryſopea Chimicorum.* 22.26
*Chryſorthes ab Appolline compreſſa* 987.6
*Cicaba.* 544.2
*Cicada.* 759.12. *arguta.* 782.39. *in numiſmate Brutiorum.* 163.33. *Vox* 412 16. *Ortus.* 423.25.
*Ciceronis iocus* 766.38. *mors.* 710.17.
*Cichorium à Circo inuentum.* 5.19. *Sylueſtre.* 324.39.
*Ciconia* 534.32.776.57. *aduentum & receſſum anni oſtendit.* 534. *eius amicitia cum Cornice* 739.2. *amor erga pullos.* 46.5. *in quo morbo exhibendus Accipitri.* 314.3. *cur ſedem mutet.* 526. *dimicat cum Aquila* 45.10. *Origano ſibi medetur.* 5.19. *pictas.* 6.8. *inimicitia cum Veſpertilione* 580.33. *Vis in medicina* 5.10.
*Cicoria montana.* 216.31
*Cicunia.* 501.1.505.11
*Cicuma* 503.52.505.15.521.1.539.11
*Cicumen.* 521.28
*Cicutæ ſuccus cur permiſceatur cerebro Aquilæ* 2446
*Cicymis* 544.2
*Cigneæ Aquilæ hiſtoria.* 231.40
*Cinædus* 867.25
*Cimbrorum & Teutonū ſcuta.* 172.57.
*Cinctura genus Phœnix* 818.57
*Cinnamomum auis.* 806.34.834.5. *non eſſe Phœnicem* 817.44. *non eſſe Apodem.* 834.46. *quomodo colligatur.* 825.22
*Cinna nulgos auis.* 806.34. *quomodo nidum ſibi paret.* 834.56
*Circanea auis.* 351.46.397.51
*Circenda auis* 351.46
*Circus Accipiter* 326.22.497.50.760.58. *cum eo inimicitiam gerit Cornix.* 739.31. *Synonima* 351.35. *æquinoctia* 351.14. *amaraginem ponit in nido.* 359.46. *eum horrent Columbæ.* 353.37. *augurium* 14.12.354.15. *Cichorium inuenit.* 5.19. *citiſſimus uolucrū dictus.* 350.42. *cū Coruo inimicitiam gerit.* 705.17. *Deſcriptio.* 352.1. *Locus & natura* 354.1. *Lupus ſeu Milus dictus* 404.34. *mali punici granoperit.* 353.45. *ab eo hiſtoriam Accipitrum Plinius exorditur.* 336.28. *Quæ animalia rapiat.* 353.4. *Quandoque bibere viſus.* 354.7. *quibuſcum auibus diſſideat.* 353.38. *quomodo capiatur.* 353.16. *rapacitas.* 353.1. *Subbuteoni inimicus.* 353.22. *Volatus.* 352.37. *Vox* 352.22. *cum Vulpe odium.* 353.32
*Circus quid.* 283.21.377.40. *Aureliani Auguſti.* 351.28. *Flaminius Apollinaris.* 351.28. *Locus eſt Romæ, vbi ludi agebantur.* 351.21. *Maximus quis dictus.* 351.30. *Saluſtij* 351.30.
*Circuli quidam in numiſmatibus inſculpti.* 148.22
*Ciris vnde dicta.* 196.28
*Ciſſa fluuius* 779.2. *Inſula* 775.25. *vrbs* 775.28
*Ciſſeus vnde dictus.* 781.37
*Ciuitatum imperialium inſigne* 96.1
*Cladis præſagium.* 255.47
*Clanga.* 209.41.246.26
*Clangere quibus proprium.* 112.6
*Clangor quæ vox in Cornice.* 746.24. *quibus*

*quibus auibus eo mpetat.33.25*
*Clangus.209.48*
*Claudio Aquila imperium promittēs 59. 15.eius numisma 145.30.158.56*
*Claudij Gothici numisma. 136.41.eius robur in digitis 136.44*
*Clauus nauis ut inuentus 397.55*
*Clenodia arma quæ vocantur. 177.10*
*Cleopana.616.5*
*Clypeus æratus 170.41*
*in Clypeis Aquilarum usus.85.37.argenteos qui habuerint.86.27.cur in ijs varia depingerentur.673.26.36.in exæquijs præferebantur.175.41.49.in Iudorū templis suspensi. 178.54.eorum loco pellibus Gruum vtebātur Acthiopes.4.25.loco epithaphiorum. 176.1. Pœnorum quales 86.9.in eis pingebantur imagines.85.57. plumatiles.656. 43.cum proprio insigni 175.36.in sacris vel publicis dicebti 86.24.sunt scuta maiora 86. 4.suspensi ex turri Danid.86.18.Hercules quo vsus.174.20*
*Clysteris inuentio 5.31*
*Cnici semen.654.32*
*Coccix quid.752.15.412.28*
*Coccothraustes auis.796.37*
*Coccus piscatorius. 410.17. Syluestris. 423.4*
*Coccygæ fructus 409.50*
*Coccygia ventus.422.57*
*Coccygis cantus. 426.30.ab ea multa derinata.422.58*
*Coccygis panis quid. 423.28.tertium quid 409.41*
*Coccyginus color.423.5*
*Coccygius mons.421.57*
*Coccygium mons.422.35*
*Coccygria vnde dicta.423.2*
*Coccymeli succus qualis 423.55*
*Cocix graniuora.689.22.quid 752.15*
*Cocytus inferni palus 422.40*
*Cognomina familiarū vnde dicta 89.34*
*Cohors militaris Aquilam ferebat.149 47.*
*Coleon auis.856.28*
*ad Colicum dolorē.79.25.231.14.5.11.*
*Colaris quid.542.18*
*Collegarum dissidij præsagium.710.36*
*Colles arenarij in maris littore longo ordine dispositi 712.14.*
*Colles fortunati 712.45*
*Collitorquis auis 864.56.865.1*
*Collurionis historia.384.20.Fœminæ descriptio 385. 12.Generario 391.45. nidus. 391.47.Synonima. 384.28. Victus 391.37.Volatus 391.33.Vox 391.30 Vsus in cibs 391.50. Descriptio. 385.7.Parui primi generis descriptio 389.30.Minor antiquorum 389.24*
*Collyrium Appollonij Phœnix dictum 819.6*
*Collyris hieracea dicta 324.49.298.15*
*Colonia 54.32.Patritia.164.44*
*Colores in armis obseruandi 180.10. cinereus qualis.754.16.Clari & obscuri 180.13.meschio quid.501.17.niger Soli dicatus. 725.5.nigerrimus quid. 707.43.non constituit differentiam specificam. 691.10.rubri præstantia. 95.4.*
*Columba 512.50.726.3.729.54.Accipitres agnoscit.292.38.de ea & Accipitre apologus 331.55.Accipitrem pro rege eligit.331.57.alba grata esca Accipitri.305.42.ei amici sunt Psittaci 752.50.amicus est Tinnunculus. 362.25.Vespertilio ei amicus 580. 49.in arca quid significet 718.8.augurium 57.27.blanda 661.43.Circos & Aquilas marinas horret. 353 37.eam inter Accipitres ut oucm inter lupos collocabat D.Chrysostomus. 328.10.Dissidet cum Milluo 403.8 Duas alas habet, humilitatem & patientiam 328.2.duas palpebras habet 116.2.Helvine sibi medetur 5.22.eā insequitur Aquila 34.38.insigne fuit Semiramidis. 3.21.litteras ferens 4. eius & Monedulæ apologus.779.10. non generat aquilam. 39.18 in numo Antonini Pij 157.22.eius occisor Accipiter 288.17.292.21.partus 738. 45.Panida 19.30.pennæ 24.36.corrumpuntur ab Aquilinis 45.50.quando pluuiam ostendat.10.47. quomodo propinanda Accipitri ægro. 302.34. vinum in rostrū eius infusum ad quid 317.12.Thisbæa dicta.334.19.Vultures & Aquilas nō metuūt.252.14*
*Columba Liuia 637.25. Syluestris 342 38*
*Colūbario Accipitre delectabatur Mercurius.344.30.*
*Columbicida.342.36*
*Columbinum stercus cum ouis Cornorum splcni medetur.728.41*
*S.Columbani chirotecam rapit Cornus. 732.40*
*Columnæ striatæ 561.38*
*Cominorum familiæ Venetæ insigne 95. 17.*
*ad Comitialem morbum.259.54.260.3. 5.8.24.407.16*
*Commeans 461.51*
*Commodi numismata.141.37.157.29.*
*Comphena herba 654.22*
*ad Conceptum remedium Hipp.332.47*
*Conclax quid sit.21.46*
*ad Concoctionem promouendam 595.38 & inde 5.12.261.20*
*Concordiæ symbolum 747.47.748.1. 750.15*
*ad Condilomata 259.14*
*Congrum odit Murena.44.46*
*Congruere unde dictum.2.46*
*Consecratio 56.36.131.58. eius pompa. 136.56.137.45. eius tabernaculum quibus rebus perornatum 137.36*
*Considerator maximus. 505.42*
*Consilium malū cōsultori pessimum. 70.4*
*Consolidæ species 708.6*
*Constantini numisma 133.50*
*Constantini Copronymi numisma 147. 15.*
*Constantij Constantini filij Mirandula domini insigne.98.8*
*Constantius Varolus 799.8*
*Consuba 223.57*
*Conuitiorum contemptoris hieroglyphicum 72.30*
*Contarinorum Venetorum insignia & dignitas 105.44*
*Copronymus cur dictus Constantinus 147.15*
*Cor Aegyptijs quid 71.26*
*ad Cordis valetudinem 80.30*
*Coracesium.707.27*
*Coracias auis 759.39.708.22.icon 768 cur fenestras rumperet.767.56.forma & descriptio 767.30. Locus 767.40 mores 767.41.de ea recentiorum opinio 766.54.Victus.767.41*
*Coracion 708.1.742.17.708.2*
*Coracoedes.743.46*
*Coracos petra.687.9*
*Coracon locus 727.14*
*Corani testamentum 726.42*
*Coratio vtitur Coruus 704.14*
*Coratij regio 707.33*
*Corax quid 742.17. in Arcadia erat carcer cauus & obscurus 687.49.Aurigæ nomen.687.8.Coruus est apud veteres grammaticos 688.18. annulus ferreus ita dictus, quo fores pulsantur. 687.50. Fluuius & mons. 707.30. Itaci nomen.887.8.37. Locus Thessaliæ.687.47. multorum hominum nomen.687.5.pastilli genus.688.1. Rhetoricam docuit.726.20.Supplicij genus.687.50.Tiburti frater. 687.18.*
*Coracinus color. 707.39.pisces.686.49. 758.38.pix 707.54.Sacra.684.46.*
*Coraxis quid.707.25*
*Coraxicus.707.26*
*Coraxorum lanicium pulcherrimum. 707.46*
*Coredula auis venatione viuit. 290.44*
*Corium quid.85.57*
*Cornariæ familiæ Venetæ insigne.102.48*
*Corneliæ gentis numisma.130.22*
*Cornelius Suinth Francofurtensis, pictor egregius.3.42*
*Cornuscarum locus Cornicibus dicatus 743.55*
*Cornix.688.12.æneavbi inuenta,734 735.18.æquinoca.734.10.Indis pauorem incutit quando.745.32.ætas.740 36.affectus corporis 740.10.amicitiæ eum Ciconia.739.2. amor erga pullos 339.51.58.annosa & vetula dicitur. 740.43.apologi 750.25.78.16.Aquilam ludit.78.25.prouocat eandem 39 32.æstus in frangendis nucibus 739. 41.augurium 13.22.57.27.740.15. auersantur locū Athenis & cur 744. 12.inauspicatæ garrulitatis 745.12.*

*auspicia*

# INDEX.


*auſpicia eius ſuperueniente Aquila irrita fiunt.* 745. 36. *de ea adagium.* 748. 48. *Augurium.* 840. 53. *Cancns quæ ſit dicta.* 737. 9. *Cantus inauſpicatus.* 745. 23. *Capiendi modus.* 707. 1. *Caro.* 756. 34. *Caſtitas.* 738. 24. *à cauda exit.* 738. 39. *clamore lætatur* 745. 20. *in medio acre in maximo numero ſibi inuicem pugnant.* 745. 56. *cur Æſopus eis augurium demit.* 750 31. *cur currere dicatur.* 737. 56. *cur lacerctur ab Aquila.* 39. 26. *cur Noctuæ infeſta.* 554. 26. *ab ea denominata.* 742. 1. *diſſidet cum Aquila.* 760. 48. *emblemata.* 750. 1. *etymologia.* 734. 48. *è faſtigio Capitolij Atticè locuta.* 745. 45. *erga fœtum pietas.* 738. 50. *eam in fugam adigit Lanius.* 388. 5. *garrula.* 735. 6. 337. 20. 740. 50. 741. 13. 745. 14. 750. 13. 749. 10. *genera & differentiæ.* 735. 13. 752. 32. *cũ Gracculo diſſidet.* 760. 45. *greſſus.* 737. 48. *hieroglyphica.* 747. 35. *hoſtem habet Circum.* 353. 39. *humanos ſermones diſcit.* 737. 31. *hyemis ſymbolum eſt.* 749. 7. *pro concordiæ & pudicitiæ auſpicio felici inuocatur.* 740. 9. *ei impropriè crocitus à Pontano attribuitur.* 737. 15. *inauſpicata.* 13. 51. *inauſpicatæ garrulitatis, à quibuſdam laudata.* 745. 40. *ingenium & mores.* 739. 40. *inuiſa Mineruæ.* 661. 23. *inglandes ſernnt.* 3. 12. *per Iunonem immiſſæ augurium* 745. 50. *Litteras ferens.* 4. 26. *eius ludus qualis.* 743. 49. *merito concordis epitheto celebratur.* 740. 30. *mira eius caſtitas.* 740. 9. *multas alit Britannia.* 736. 15. *an multipara ſit* 738. 46. *motus.* 737. 44. *in eam mutata Coronis.* 729. 40. *myſtica.* 744. 7. *naſcuntur cacæ.* 738. 42. *noctu cancns quid præſagiat.* 746. 12. *cum Noctua pugnat.* 760. 42. 549. 44. 739. 24. *nouem ei hominis ætates attribuunt.* 706. 11. *Oculos eius cruere quid.* 746. 36. 749. 17. *odium internecinum cum noctua.* 744. 40. *Omnes atræ.* 748. 49. *eius pedibus folia ficus ſimilia.* 743. 38. *Ova picta ſunt.* 738. 26. *pluuia prænuncia* 10. 16. *præſagia varia.* 746. 3. *primi generis deſcriptio.* 735. 23. *prouerbia.* 735. 48. *pugnans cum Aquila.* 781. 1. *Quæ litteras ferre edocta.* 744. 56. *in Cornicem quæ mulier verſa.* 586. 14. *cum quibus antipathiam habeat.* 739. 20. *ab ea quomodo Gracculus differat.* 772. 5. *Quomodo incubent.* 738. 36. *Quot potiſſimum modis pluuiam prædicat.* 746. 10. *Capiendi ratio.* 741. 24. *rauca.* 737. 1. *eius feſtum apud Rhodios.* 743. 49. *de ea prouerbium.* 727. 2. 749. 30. *ſepulchrum eius vbi oſtenditur.* 744. 51. *Simulacrum æneum.* 744 35. *Solitariæ occurſus infelix.* 745. 27. *Stridula.* 737. 2. 3. 749. 4. *ſucci prauiſſimi eſt.* 747. 28. *prouerbium.* 749. 47. *Sympathia.* 739. 1. *Synonima.* 752. 1. *vaga Horatio dicta.* 737. 48. 840. 50. *Vbi verſetur.* 736 2. *Victus.* 738. 1. *Vna non facit hyemem.* 754. 33. *Vnde dicta.* 734. 47. *Voce, deambulatione circa littus, & capitis immerſione pluuiam præſagit.* 746. 12. *Voces diuerſæ.* 709. 12. 746. 22. *Viuere dicuntur multos annos* 748. 9. *Vſus in cibo,* 747. 24. *in medicina.* 747. 8

*Cornicis albæ deſcriptio.* 735. 38. *Boetica admodum nigra deſcripta à Plinio.* 735. 48. *Cæruleæ hiſtoria.* 756. 40 *Deſcriptio.* 756. 50. *Cærulea Ornithologi.* 757. 1. *Cæruleæ Victus.* 756. 48. *nidus.* 756. 48. *Cinereæ an marinæ dicenda.* 754. 19. *cur ad plana deſcendat.* 756. 11. *Forma.* 754. 45. *genus & differentiæ.* 754. 38. *Locus.* 756. 2. *Synonima.* 754. 12 *pamphaga eſt.* 756. 21. *Victus.* 756. 20. *Cornubiæ Cornix quæ.* 760. 3. *Domeſtica & atra quæ.* 334. 56. *Frugiuora quæ.* 735 17. 751. 55. 752. 6. *eius forma, & deſcriptio.* 752. 46. *Victus.* 752. *Frumentiuora.* 752. 27. *Hyberna quæ.* 734. 57. *Hyemalis.* 754. 32. *Marina ſeu aquatica.* 735. 18. *Nigra.* 689. 13. 756. 20. *vbique reperitur.* 735. 45. *Nigra Belloni.* 736. 1. *Spermologus.* 689. 13. *Syluatica.* 843. 29. *Varia* 689. 13. 745. 22. 735. 16. 754. 25. *eius genera & differentiæ.* 735. 16

*Cornicis flores.* 743. 40
*Cornicis pes.* 707. 53. 708. 3
*Cornicis roſtrum eſt proceſſus homoplatæ* 743. 46
*Cornicula inſtrumenta quæ.* 743. 56
*Cornicula fabulæ nomen.* 744. 1
*Cornicari quid Latinis.* 735. 6. 749. 12. 737. 9
*Cornicinus piſcis.* 843. 26
*Cornouigiorum familiæ Venetæ inſigne.* 95. 18
*Cornu Ceruinum.* 404. 57. 405. 1. 743. 7
*Cornua rauca ſignificant tubas.* 692. 44
*Cornuti milites qui.* 529. 44
*Cornuti qui dicantur.* 426. 6
*Coroconeſſus pagus.* 707. 35
*Corona ciuica.* 85. 13
*Corona inſculpta in varijs numiſmatibus.* 162. 20.
*Corona plumea milites Romani coronati* 596. 41
*Corona quercina.* 85. 13. *in numiſmate Auguſti.* 162. 20
*Coronæ ſpecies.* 734. 27.
*Corona ſumma rei perfectio & finis.* 742 20
*Coronæ in templis deorum ſuſpenſæ.* 176. 8
*Coronati pueri & puellæ euntes ad ſupplicationes Dæmonum apud Mexicanos* 656. 54
*Coroniſmata.* 743. 54
*Coroniſtæ qui dicantur.* 743. 47
*Corone in arcu quid.* 734. 23. 742. 6. *Bithiniæ vrbs.* 734. 14. *Filia Apollinis* 734. 21. *Meretrix.* 734. 24. *mulier.* 734. 20. *oppidum eiuſque ſynonima.* 734. 10. *pars nauis.* 742. 15. *Ornamenti gratia rebus perfectis adhiberi ſolet.* 749. 36. *ſignificat apicem ligni in aratro.* 742. 10
*Coronis in calce libri poſita quid.* 742. 30. *in Corniccm mutata.* 729. 40. *Fabuloſa.* 729. 30. 751. 12. *de ea prouerbium.* 742. 25. 749. 36. 41. *in carminibus appingi ſolet.* 742. 51. *eius vera nota.* 742. 46
*Coronion Seſameides parunm.* 743. 57.
*Coronopus herba.* 707. 56. 708. 3. 742. 57. *inter aculeatas herbas ponitur à Theoph.* 743. 10
*Coronopodion.* 743. 1
*Coronus natus ex Chryſorte.* 687. 67
*Corporis ſimilitudo non attingit ſpecierum identitatem.* 284. 32
*Corrigium à quo conditum* 204. 19
*Coruus.* 688. 13. 22. 843. 31. *Abſente Gracculo pulcher.* 690. 15. 726. 35. *equoca.* 685. 9. *ex aere decidit.* 693. 52 *Corporis affectus.* 705. 45. *albus an diuerſæ ſit ſpeciei à nigro.* 691. 4. *albus cur in atrum mutatus.* 729. 25. 729. 49. *non differt ſpecie à nigro.* 691. 11. *albus ſecundum Galenum.* 735. 57. *albi vbi* 271. 10. 689. 52. 690. 28. 34 *Alchimiſtarum.* 686. 39. *Ales teterrimus cur dictus* 718. 34. *alias voces imitatur.* 693. 35. *an ore pariat* 688. 29. *an pulcher, an deformis ſit dicendus.* 690. 5. *in Anglia non occiditur, & quare.* 707. 18. *Antipathia.* 704. 10. *cum Bubone.* 514. 10. *apologi.* 730 30. *Aquat.* 726. 27. *Aquilam imitatur.* 702. 21. *in arca quid ſignificet.* 718. 8. *aſtus* 697. 47. *audacia.* 682. 36. 698. 16. *auzurium.* 13. 20. 15. 43. 57. 27. 745. 4. *id deridet Varro.* 716. 10. *dæmonum præſtigiæ ſunt.* 745. 57 *Funeſtum* 685. 2. *quando felix & quando non* 709. 18. *Inauſpicata auis eſt.* 709. *ab eo Auguſtus ſalutatus.* 703. 10. *Aurum rodens & comedens* 709. 56. *Auſpicatus.* 712. 39. *Bibere quando negatur.* 702. 12. *Cantare*

*eum dixit Plautus.* 692. 37. *Capiendi ratio.* 706. 50. *Caro valde noxia.* 729. 3. *Castitas* 700. 27. *de cæde lex apud Anglos.* 696. 44. *Chamæleonte eso vt sibi medetur* 701. 42. *cum eo inimicitiam gerit.* 705. 35. *cum Chlorione* 705. 15. 854. 46. *Cibus & voracitas* 695. 17. *cum Circo dissentit.* 705. 17. *cum Sitta.* 854. 50. *Cognominata ab eo* 708. 47. *Coitus.* 698. 35. *ei Colorem nigrum donauit Apollo.* 690. 11. *Coagenores capit.* 702. 32. *eius & Corniciis apologus.* 750. 25. *eius & Coronidis fabula.* 729. 30. *pullos nidis pellit.* 689. 20. *cur æstate* ægrotet. 697. 30. *cur appareat vbi strages sunt.* 709. 44. *cur ab aquis abstineat.* 702. 8. *cur in cælo locatus.* 685. 24. 686. 29. *cur culeo dignus.* 770. 2. *cur loca non mutet.* 691. 56. *cur nõ reuersus ad arcam* 718. 13. *quid hoc significet.* 724. 12. *cur Phœbo dicatus.* 704. 4. *cur post Psittacos de eo agatur.* 684. 26. *cur primo emissus* 719. 5. *cur pullos in nido deserat* 699 27. 702. 21. *cur eos pellat.* 701. 17. *cur quibusdam putetur species Psittaci* 665. 4. *cur solitudinem amet* 691. 48. *Denominata ab eo.* 707. 5. *eius Descriptio* 689. 40 *Deum inuocare quid significet.* 721. 12. *à dextra augurium.* 13. 23. *Docilitas* 684. 35 *Duos affligens Aquila quid denotet* 61. 4. *ebrius red ditur.* 704. 23. *editis pullis escam plenè præbere dissimulat.* 699. 30. *educatio.* 738. 27. *Egressus ex arca apud ca daueras remansit.* 719. 26. *Emblemata* 729. 9 *Furacitas* 688. 40. 700. 44. *Fabulosa* 729. 26. *à Falconibus dicti.* 713. 50. *Falconis generationem turbant* 713. 42. *Fæces.* 691. 20. *eius funus à Romanis celebratus.* 703. 25. *gaudet aquis* 691. 32. *genera & differentiæ* 689. 10. *gypso obliti.* 727. 11. *inglubies.* 691. 16. *bonos.* 684. 38. 703 16. *horrifico sonitu perstrepens vbi apparuit.* 713. 11. *icon.* 694. *ignem per aerem fert.* 704. 35. *impietas in parentes.* 699. 56. *in pullos excusatur.* 701. 24 *importunitas eius quid.* 708. 35. *imprecatio per eũ.* 727. 26. *impugnat Aesalonem* 355. 47. *incubatus.* 699. 23. *Indi eum instituunt ad prædam.* 702. 48. *Ingenium quale* 701. 5. *ab ingenti siti vinci se non sinit* 702. 2. *inimicitia cum tauro & asino.* 705. 20. *cum Accipitre.* 705. 13. *cum Circo.* 353. 40. *cũ Miluo.* 705. 3. *iniustè stultus & vilis dictus.* 684. 52. *iniustè sellator dictus.* 699. 20. *Institutio ad venatum.* 702. 28. *Lapideus simulacro impositus.* 724. 49. *Locus qualis.* 691. 23. *loqui discit.* 648. 13. *loquacitas im probata.* 703. 46 *ne multa punica rapiant quid agendum* 707. 18. *cum Miluo dissidet.* 402. 52. *mira salutatio* 703. 16. *mirabilis ad capiendos alios Coruos & Phasianos* 702. 44 *Moralia* 724. 1. *mystica* 717. 46. *nauigantibus supplex.* 700. 55. *nidulatur mense Martio.* 698. 32. *in nido ponit triticum.* 704. 13. *nidus vbi.* 698. 27. *à Noe emissus ex arca quid significet.* 717. 55. *ad Noe non reuersus* 719. 20 *Noe Coruus quid significet.* 718. 3. *non mutantur pennæ.* 705. 57. *Nuncius futurorum putatus.* 724. 7. *prouerbium* 726. 46. *Obliuiosus est.* 699. 37. *Occiso Chamæleonte Lauro sibi medetur.* 5. 25. *in Occisores præmium constitutum* 702. 35. *odoratus qualis.* 693. 41. *Oscen est.* 709. 9 *Oscula.* 700. 26. *partes internæ.* 691. *partus verus.* 699. 22. *piscator.* 187. 46. *poetæ dicti.* 649. 38. 775. 9. *potus qualis.* 697. 25. *præsagia.* 10. 27. 716. 12. *profluuio vtris laborat.* 702. 5. *prolem natam non educat.* 719. 53. *prouerbia.* 726. 10. *prudentia* 700. 47. 702. 18. *publicum eius funus.* 684. 48. *pugna.* 698. 1. *cũ Aesalone.* 704. 47. *cum Miluis.* 713. 22. *per eius pullos denotatur gentilitas nigra peccatis.* 721. 37. *à pullis denotatus.* 698. 9. *pulli vt nutriantur.* 699. 37. *pulli quamdiu & quare à parentibus deserantur.* 690. 24. *quando siti torquetur.* 697. 26. *quando pluuiam denotat.* 763. 50. *quam diu non bibat.* 697. 41. *quietè odio prosequitur.* 693. 43. *quot ova pariat.* 698. 29. *rapaces æmulatur.* 698. 1. *rapacitas.* 698. 1 *raucus* 736. 58. *rector.* 724. 47. *à Romanis sepulti mysterium* 723. 35. *serpentem rapiens.* 730. 37. *sicca & retorrida complexio.* 10. 14. *ex solito loco demissus.* 714. 37. *spreto Apollinis mandato ficus expectat vt maturescant.* 687. 58 *sutor docuit dicere, opera & impensa periit.* 703. 15. *à sutore occisus.* 703. 23 *sympathia.* 704. 10. *cum Oenuta.* 704. 18. *Synonima.* 688. 10. *timet tonitru.* 698. 32. *cum Turture inimicitiam gerit.* 705. 17. *eius typo qui designentur.* 724. 26. *Valerium iuuat contra Gallum.* 731. 24. *Venatilem habuit Alphonsus Siciliæ rex candidissimum.* 702 42. *Venatilem habuit Ludouicus Galliæ rex.* 702. 37. *ad uenationem institutus* 698. 12. *Victus qualis.* 684. 32. 691. 24. *videtur physicus & Mathematicus.* 725. 24. *Viuidus dictus* 706. 41. *Vnae dictus.* 686. 50. 692. 35. *Volatus* 693. 44. *Voracitas.* 700. 40. 721. 8. *Voces differentes obseruatæ ab auguribus.* 709. 13. *Vox multiplex.* 692. 8. *Vsus in medicina* 727. 5. *in cibis.* 728. 53. *Vt albus fiat.* 690. 57. *vt sitim sedet.* 701. 50. *Vt extinguit venenum.* 704. 12. *Vtilitas in addissendo sermone humano.* 702. 57. *Vtitur ocnuta seu coratio.* 704. 14. *cum Vulpe amicus est* 704. 46. *cum ea fictæ ci amicitiæ.* 704. 52. *eorundem fabulæ.* 730. 30. *Vulturem occidunt.* 710. 30

*Coruus alpinus.* 769. 15.

*Coruorum genera alia à nostris longè diuersa.* 689. 29. *Igneus.* 769. 11. *Maiores qui* 688. 53. *Marinus.* 687. 4. *Marinus seu Niloticus.* 707. 54. 708 27. *Nocturnus* 500. 50. 504. 28, 505 15. 520. 51. 521. 18. *Nostratibus maiores quas strages edant.* 702. 33. *omnium maximus.* 689. 11. *Paruus.* 734 6. *Ruber Belloniì.* 769. 12. *Torrentis qui.* 715. 56

*Coruus fluuius.* 686. 40. *Fons in Smyrna & alibi.* 707. 38. *Insula* 686. 46. 707. 36. *Machinæ genus.* 687. 25. *Manus ferrea.* 687. 34. *Mons.* 686. 43. *Multorum olim hominum nomen.* 687. *munile ferreum supra verticem incuruatum.* 687. 56. *oculi morbus.* 687. 21. *piscis.* 686. 46. 57. *Rhetor.* 687. 15. *Saxum.* 686 37. *Sopuli nomen.* 686. 36. *sidus cæleste.* 685. 9. *Thessaliæ locus.* 727. 7

*Coruina cerasa.* 708. 17

*Corunini generis pennarum vsus.* 3. 40. *rerò coire solet.* 747. 42

*Coruinum macellum Romæ.* 707. 56

*Coruinum rostrum instrumentum est chirurgicum.* 708. 8

*Coruinum quoddam prodigium vbi visum.* 713. 20

*Coruina vinacitas.* 706. 7

*Coruinus viri nomen.* 708. 37

*Coruulus.* 687. 3

*Coruulus Parnus Gallis* 734. 54

*Coruatum Galliæ vrbs.* 706. 46. 691. 54

*Coryba lapis Plutarcho.*

*Cos insula.* 871 19

*Cosanorum numisma.* 163. 14

*Cossa vermis.* 39. 46

*Cossi qui dicantur.* 839. 33. 870. 46

*Cotinus Theophrasti.* 423. 2

*Cotonea herba Venetis quid* 780. 41. 42

*L. Cotta numisma.* 131. 14.

*Coturnix aduentũ & recessum anni ostendit.* 5. 34. *Cur sedem mutet.* 5. 27. *pro indocto posita.* 660. 22. *ingenium sermoni formando inceptum.* 649. 51. *inter sua prælia viuit.* 661. 17. *ludus.* 5. 1. *eius & Perdicum venatio.* 301. 23.

*Coturnicum sanguine enutritus Ptolomæus Sotyr ab Aquila.* 48. 33

*Cotyledon folio maximo.* 423. 31

*Coucoulus Romanis.* 412. 30.

*Cranites montes vnde dicti.* 708. 42

*Crax*

# INDEX.


*Cras Cornus dicitur vulgò.686. 6. quid denotet.750.8.Corni vox.693. 15*
*Crassorum familiæ insigne.95.20*
*Crempheha herba.654.22*
*Crena quid.742.7*
*Crines nigri laudantur.725.10*
*Crista comantes cuius insignia.*
*Crocatio quid.692.35*
*Crocitare dicuntur Corui.737.10*
*Crocitatio quid.692.36*
*Crocire Latinorum quid.737.15*
*Crocitus Corui proprius. 737. 15. 692. 29.37.improprie attribuitur à Pontano Cornici. 737. 15. quibus auibus ascribatur.736.55*
*Crocodilus ex aquatilibus minimis maximus euadit.589.10.eum maximum hostem habet Accipiter.295. 28. superius rostrum mouet. 645. 15. timet Ichneumonem.355.46*
*Crocodilorum vrbs 744.52.748.4*
*Crocum glaucum apud Plutarchum.551 53*
*Crocutta.237.1*
*Crotalum quid.623.38*
*Crotoniatarum numus.558.20*
*Cruor niger.611.50*
*Cruciata. 877.15*
*Cruci affixæ Noctuæ à Melampode & cur.551.16*
*Crux alba non est insigne ducis Sabaudiæ, sed cius prouinciarum. 92.24.*
*Crux laudatur in armis.180.22*
*Crucis signum ad vexilla translatū.152. 18.per omnes acies in prælio portabatur.152.22*
*Cubiti excessus.743.44.pars.743.40*
*Cucabare quid.548.5*
*Cucuba.503.53.548.2*
*Cuccus.412.4*
*Cuculio quid 410.52*
*Cucullus Bardiacus.411.2.Monacalis 410.50.inuolucrum papyraceū 411. 27.quid Fernelio.411.25.pro tota veste.410.45.32.Saga.410.37. oppidū Straboni. 411.34.36.Poculum 411. 17.Eruca oloserici.411.33*
*Cuculus auis.504.5.Accipiter creditus. 8.6.296.35.cū Accipitre minimo similitudo 284.37.ex Accipitre gigni quo intelligendum. 296.50. Accipitres fallit.418.19.aductus æstatis præsagium.424.12.æquinoca.409.37.in Aethiopia non apparet.417.50. Affectus corporis.422.3.in Alaudæ nido ponit ona. 418.45.an inter carnivoras reponendus. 420.35. Antipathia. 421.35.Apologi.427.2. arandi tempus nunciat.424. 14. aspergere Ipumam fertur.423.30.æstus.421.10.auis excrementia & impura cur iudicatur.425.8.cur vocem abscondat.421. 51.boni ominis auis.409.26.cum cicadis dissidet.421.40.cognominatæ 422. 14.ci cur aues hostes sint.421 30.Denominata.422. 35. Descriptio. 413.40.Differentiæ.413.20.Ona in Passeris nido reperta comedit & sua supponit.419.30 duo cius genera dari.413.25.emblemata. 426.48. etymon.412.20.Fabulosa 427.17. generatio.350.30.418.29.genera.412.40 genus non extaret nisi ona sua alieno nido supponeret. 420. 12. hebes ingenium.649.47.hieroglyphica.425.13. hyeme deplumescit. 422. 3. impictas. 421. 20. ingenium & mores. 421. 3. cum luscinia contentio de voce.427.3 Miluo amicus. 421. 34. moralia. 424. 32. non fieri ex Accipitre. 412. 45.ona eius auis, in cuius nidum ona sua importat,deuorat. 419.25. præsagia.424.1.prouerbia.425.33.pulli forma.415.36.pullus optimi saporis.425 3.quatenus dici possit Accipiter.284 49.Qui ita dicantur 425.33.419.50. Qui dicti apud Aristophanem. 422. 20. in quo nido pariat. 418.35.Quomodo dicantur habere pedes Columbinos. 413. 3. Quomodo nutriatur in arboribus canis sine cibo 420. 48.reperti in fornace historia 418.7.ex eius saliua cicadas nasci.421.42. Sedulitas 2.37.à sono vocis nomen accepit.424. 32.sympathia.421.27.synonima.411 48.temperies 418.11.Timiditas. 40. 45. 421. 4.Victus 420. 26. Volatus. 418.16.ob volatus imbecillitatē Milvorum scapulis susceptī ad nos transferuntur.424. 36. Vox. 417.3. Voces cur Germani enumerent.409. 28.quādo audiatur apud Germanos.424.21. Vsus in medicina.424.46*
*Cuculi alterius forma.415.19.descriptio & icon.416*
*Cuculi Aristotelis genus diuersum à nostro.413.56*
*Cuculus maior parit in Palumbi nido. 418.35.cius forma.413. 40. Minor in Coruce nido parere dicitur. 418. 37*
*Cuculi flos.423.22.743.39*
*Cuculus herba.410.9. 20. 23. 423. 32. Ludus.411. 37. mons. 411.44. piscis marinus 409.51.tegmen capitis. 410 29. Viatores ita dicti tanquam pigri 426.20*
*Cuculi panis.423.16*
*Cucupha.411.26*
*Cucurire quid 417.10*
*Cucularc.417.5*
*Culcitræ & lecti ex plumis auium. 3.45.*
*Culices gratissimi Vespertilionib°.579.9*
*Culices Gazæ.839.35*
*Culicilega.870.47*
*Culinaria ars quam vtilitatem sumat ab auibus.4.42*
*Culullus.411.20*
*Cumindis.505.20. 45. Phrygibus vnde dicta.505.26*
*Cunissa Dea.515.6*
*Cupressus 765. 36. fructus gal buli dicti 861.4*
*Curucæ qui dicendi & qui Cuculi. 426. 16*
*Currucula quid.420.6*
*Curtij Gonzagæ insigne.74. 47. eius emblema.134.13*
*Curuirostra.877.15.eius icon.877*
*S.Cuthbertus ab Aquila piscem accipit. 50.26.Corui ei obediunt.732.23*
*Cyanus auis.845.34*
*Cyanopus.280.39.ab ea prouerbia Germanica.498.36*
*Cybeli Mercurius dicatus.279.10*
*Cycnus.29.41.703 48.623.58.662.2. 729.56.759.9. 761.21. 782.36. ab Aquila captus.38. 50. eum adoritur Aesalo.356. 1. album colorem condonauit Apollo. 723. 52. auis musica. 723.58.candidus & splendidus.730. 35. canit tacentibus Gracculis. 765. 27.cur Phœbo sacer.723.49.eum insequitur Aquila 34.40.eius pellis usus ad promouendam concoctionem.5.12 plumæ ad lectos coficiendos.3.45.quomodo à Smerlis capiatur.355.26*
*Cycuma.544.3*
*Cyminda auis.41.50.*
*Cymindis.284.6.500. 50.504.32. 37. 505.7.506.6.nocturnus.284.13.odit internecinum cum Aquila.45.47*
*Cypseli arca.620.38*
*Cyro Aquila itineris dux.59.56*
*Cyrus Cambysis filius deceptus.69.57*
*Cyri insigne 82. 7. nasum aduncum habuit.600.5*


## D


*Daemon.544.10.Accipitris forma Eudonē fallit. 334. 43. comparatur ci Vultur. 249.55.Cornus.720. 53. Corui imagine Maxentium incitas contra Christianos. 715. 17. eius exitium adesse significat Cornus sepultus 723. 44. in Corum sæpe mutatus. 714.25.eius simulacrum apud Platæenses.716.1.eius species 623. 56. eius typus.628.11.vide etiam Diabolus.*
*Damia auis quæ.512.55*
*Dalechampij error.629.38*
*Dama non gignit Leonem.39.21*
*Darij augurium ex Accipitribus & Vulturibus.326.30*
*Daucus rex Accipitrariæ artis primus author.300.38*
*Decij filij numisma.162.48*
*Decij natura & gesta.159. 54.numisma 159.54.162.35.165.8*
*Dedalio in Accipitrem mutatus.333.56*
*Deiotarus rex tectum cur nollet ingredi. 59.43*
*Delphini in clypeo Vlyssis.93.17*
*Delphino comparatus Hobreus.375.47*

*cum pompylum gustarunt Stupidi red duntur.696.43*
*Delphos Corni pronolant.710.1*
*Dendrofdeus.492.11.pugna cum Monedula.492.50*
*ad Dentium dolorem.728.28*
*Dens Leonis 324.26*
*Dentes quor Vespertilioni.572.46*
*Deum Aegyptij cur per Aquilam denotarent. 71. 8. comparatur Aquilæ.67. 41.*
*Deorum linguæ quæ.867.21*
*Diabolus Aquilæ comparatus.66.3. Falconi.459. 50.typus eius Aquila 67. 47.Vespertilioni compuratus 581.43*
*Diabolus marinus quid.334.51*
*Dianæ Buteo dicatus.279.9*
*Diaphœnicon vnde dictum.819.8*
*Dictyes quadrupes.393.58*
*Didius Lelius occisus.326. 32*
*M.Didij numismata & natura.139. 40*
*Didij Iuliani numismata.127.42*
*Dies festales qui 516.47*
*Diespiter quid.154.41*
*Diopolus quid 543.29.557.37*
*Diocletiani numisma 133. 41. 158. 8. 161.38*
*Diogenes eso polypo crudo perit.727. 2. eius de parasitis dictum 696.27*
*Dionysius Ratta Pittaci maximi iconem mihi donauit.663.55*
*Dionysius Siracusanus regnum amittit. 62.16*
*à Dipsade serpente Aquila morsa quid doceat.75.6*
*Diræ.611.32*
*Diuites Falconibus comparati. 459. 33.*
*Diuitiæ cur expetantur.620.19.cas plumæ Aquilæ donatant.69.20*
*ad Dolorem capitis.556.37*
*Domitelus qualis sit titulus 99.47*
*Domini caro quomodo floruit.68.23*
*Dominorum de Corrigio arma. 204. 12.*
*Domitiani augurium.60.18.natura.156 53.numisma 134.40. 156. 45. 164. 13 558.40.558.7.131 37.129.5*
*Domicij Aurcliani numisma 162. 57. natura & obitus 163.1*
*Dona militaria quæ.177.22.suspensa in templis.178.20*
*Donec particula quid notet.719.22*
*Drachmæ duæ per Vulturem significatæ 265.18*
*Draco.751.43.Alberti.43. 39. Antipathia cum Aquila 44. 4. clangorem Aquilæ timet. 45. cur versetur circa diuitias. 73. 43. frequens in Africa. 36.11.glaucopis.552.19.Indicus.602 28.monstrificus ex coitu Aquilæ maring & Luporum 36.8.Oculis est acutissimis.73.44.eum ad pugnam lacessit Aquila. 17. 49. pugna cũ Aquila 42.32.43.44.dissidium intestinum cum Aquila 45.47.Seuus. 154. 22. vigilantissimus custos malorum Hesperidum.184.30*
*Draconifer.142.32*
*Draunculus cur hieraciũ dictum. 324. 40.*
*Drepanis.572.12.timor maximus. 535. 56*
*in Dryinum serpentem excandescit Aquila.42.34*
*Dryocolaptes quid.705.17.837.31. cur ita Pici dicti.839.20*
*Dryops auis.837.31*
*Dryopes populi.837.30*
*Dulon efficium nomen.712.30*
*Dux.506 28*
*Ducum Borussæ insigne.99.58.Ferrariæ 486.33.Foroiulij. 98. 14. Hetruriæ. 486.29.Mantuæ.636.28.Sabaudiæ. 92.24.Vrbini 486.100.6*
*Duellius primus machinis Coruis dictis vsus est.687.30*
*Dyccium quid.422.39*
*ad Dysenteriam.747.14*

# E

*Erij dicacitate valent. 782. 12*
*Ebrietatem vitans per Notiuã designatur. 554.47.*
*Ebulus salutaris Accipitri.304.11*
*Ecclesia per Aquilam designatur.64.54 Continet Coruum & Columbam.718 8.Cur Aquilæ comparata.64.6*
*Echinades.613.27*
*Echinus quid portendat.10.40*
*Echinus seu membrana ventriculi Gallinarum interior.595.40*
*Egræ Bohemiæ oppidi insigne. 102.14*
*Eiulo.539.26.541.34*
*Elcæ nigræ mæculæ in naso Accipitris. 303.14*
*Electrum quid. 168.13*
*Elementorum concordiæ typus.594.56.*
*Eleos.501.3*
*Elephanti digiti indiuisi.25.15.ad humanæ naturæ similitudinem accedit.648 4.mansuetus. 40. 47. memoria pollet & prudentia. 639.4. murem & suem horret.355.43.ex quadrupedibus maximus euadit. 589. 12. vino gaudet. 651.32.vitæ diuturnitas.748.16.vox 577.34*
*ad Elephanthiasim.259.14*
*Eleutheria festa quæ.155.3*
*Elixir dicitur Phœnix.819.3*
*Elorius auis.629.38*
*Emblemata ab auibus petuntur.5.5*
*Emilio ferculum.356.33*
*Empedocles puer & puella.264.12*
*Emplastri genus Phœnix 819.9*
*Encelij error.698.53*
*Encbræ aues quæ.13.47*
*Enneacbonos Græcis quid.384.4.385.3*
*Ensium capuli ex rostro Tragopanenis. 804.23*
*Ephemerõ volucre circa Hypanĩ.817.11*
*Ephialtes.562.1*
*Epigryphes boues.607.14*
*ad Epilepsiam.79.37.727.728.11.36*
*Epilepsia laborant Ficæ.781.7*
*Epinctides vleus.687.25*
*Episcopus de Rustieis.192.1*
*Epyrotarum moneta.88.2*
*Equa nocturna.562.3*
*Equus.765.34 albis pedibus ex Podarge natus.619.15.antipathia cum Gryphibus.606.48. ab Aquila dictus 5338. Achillis ortus & nomina 619. 10.Iberi velocitas.288.19.magno capite.506.46.odit camelũ.44. 46.Strathionem.593.50.vbi culti.55. 38.velocissimi.330.32.Virtus.39.18*
*Equites quinam propriè essent.164. 42*
*Eranusa.626.37*
*Erascia auis 612.8*
*Erinacea caro quomodo præbenda Accipitri ægro.313.53*
*Eruca oloserieum proferens Cuculus dicitur.411.33*
*Eryngium cæruleum.855. 47.luteum. 855.46*
*Erythrocyanus Ornithologi.683.5*
*Erythroxantus.683.12*
*Escæ extractio.316.13*
*Estensis familiæ Duces, Marchiones. 105.18.insignia 105.16*
*Estensis familia Veneta.98.1*
*Ethica quam vtilitatem ab auibus percipiat.2.21*
*Euangelistarum discrimen. 51.46*
*Euerardus Vorstius medicinę doctor.394 21*
*Eugubium restauratum.203.36*
*Eunuchus Cornici comparatus. 735. 54*
*Euocati iuuenes ex equestri ordine delecti.411.15*
*Eurenotus ventus quis.253.47*
*Eustathius & Varinus reprehẽsi de Nocturnæ partu.548.46*
*Excellentiæ Aquila typus.71.18*
*Excidij inditium.709.25*
*Exundare quid significet.829.38*

# F

*Abri Scutarij.173.14*
*Fabius augur maximus.164.*
*Fabius Buteo.372.50*
*Fabiorum familia.89.38*
*Fabre Valenti dux Aquilæ.60. 13*
*Fabritius Austriacus.204.20*
*Fabritius Paduanus.796.15*
*Fabulæ cur excogitatæ.75.33*
*Facta maiorũ in clypeis depictæ.175.20*
*Fœmina in rapacium auiũ genere maior & ferocior mare.285.27*
*Falco.503.37.765 55.766.1. Aequinoca.429.47.acrius.467.29.alatꝰ dicitur 429. 53. Antipathia. 335.44.*

# INDEX.


*Apologi 460. 1. eius apostematibus capitis quomodo medendum. 450. 14. ab Aquila petitus. 41. 46. in arbore se abdente quid agendum 444. 49. Apoplexiæ causæ quę. 449. 43. cum Ardea certamen. 435. 1. ei Asthma frequens 449. 2. ei quomodo medendum 452. 30. Auguria. 459. 20. cum Cornis pugna mira 713. 47. Caput eius q; partes. 432. Cibus qualis dandus. 440. 20 cruri ac femori fracto quomodo medendum 457. 22. 30 Cuculi parens. 409. 13. 413. 14. cur cataractæ subiectus. 451. 45. cur dicatur Gallicus. 488. 30. cur latũ pectus habeat. 432. 26 cur longiores habeat alas, & breuiorem caudam et crura fortiora. 432 27. cur in mõtibus & syluis agat. 434 21. cur peregrini dicantur. 465. 39. cur plures emittendi in Ardeam. 435 20. cur vigil tenendus. 439. 55 Differentiæ sumptæ à colore. 431. 50. Diuersitas vnde. 499. 13 descriptio. 432 4. Differentiæ à forma corporis. 431. 46. ab ætate 431. 23. Destillationibus capitis quomodo medendum. 450. 50. est nobile genus Accipitris. 351. 6. etymologia. 430. 28. exemptus è nido quomodo instituatur ad venandum. 437. 36. facilius quàm Accipitres morbis resistunt. 448. 45. Febris quomodo curanda. 449. 13. Femori luxato ac cruri quomodo medendum. 457. 3. Figura qualis 432. 24 Forma. 481 40. apud Gallos omne genus Accipitrum significat. 430. 9. Generosi signa. 434. 52. Genera & differentiæ. 430. 47. Ignobiles qui sunt secundum Albertum 431. 15. Indoles vt generosa conseruetur. 446 6. Ingenium eius cognoscere necesse est. 447. 4. Institutio in quo consistat. 439. 39. Institutio ad venandum 436. 6. eius summa. 436. 29. ex ea utilitas. 436. 20. Lata significatio. 282. 40. Locus. 434. 1. Lõgius vagante quid agẽdum. 445. 45. Lumbrici quomodo generentur. 454. 16. moralia. 429. 28. morbis eius quæ remedia adhibenda. 448. 42. 449. 40. 455. 36. 453. 23. è nido exemptus vbi tenendus. 437. 34. Nidario qualis cibus & quando dandus. 438. 8. præ nimia sagina pigro ac inobediente quid agendum. 445. 30. nomen eius quomodo intelligendum. 430. 20. valde patens est. 429. 25. eo omnes aues rapaces comprehẽdi. 471. 30. Oculi dissuti quomodo ab Accipitrario sint curandi. 439. 48. eorum suffusioni quomodo medendum. 451. 39. Optimi vbi. 434. 5. Pediculi infestantes. 458. 10. peculiari vermium genere laborant, filandra dicto. 454. 40. pictas erga suum genus. 6. 16. ad plurimos eorum morbos medicamenta. 458. 30. podagræ eius quomodo medendum. 456. 42. promiscuo coitu genitorum historiæ. 498. 40. pedum vitijs quomodo medendum. 456. 12. qualibus cibis nutriendus. 457. 38. qua ratione capitio assuefaciendus. 439 24. Quando nido eximendus. 437. 13. quando appendenda sunt tintinnabula 442. 6. quandoque persequitur Aquilam. 41. 47. 39. 57. quanto tẽpore instituitur. 436. 38. qui cibum retinere non potest quomodo medendum 453. 23. quibus oculi confuendi 439. 29 quomodo venetur. 40. 53. quomodo ad prædam emittendus. 442. 1. quomodo à pœtentia restituenda. 440. 25. quomodo tractandus vt vocem Accipitrarij cognoscat. 440 10. quomodo prædam inuadat. 434. 46. quomodo reuocandus in venatione lacustri 443. 30. quot modis afficiantur. 448. 54. rudis adhuc institutio. 438. 46. quo corio ibiæ vestiatur 438. 50. eidem cur tintinnabula adhibenda. 438. 56. vt odoretur quid agendũ. 439. 6. vt nõ suspiret & mordeat. 439. 18 clypeoli quales tibijs affigendi. 438. 51. quo cibo nutriendus. 439. 10. Sori 431. 42. Ramales. 431. 28. Ramarius ad venatum quomodo instituendus 443. 45. super scapo pinnato quomodo cibandus. 441. 30. Species quot sint secundum Albertum. 431. 10 Sublimipeta. vt subuolet. 446. 45. timidi signa. 435. 32 triplex genus secundum Albertum. 431. 20. Synonima. 430. 13. Variæ differentiæ. 282 18. Ventriculi symptomata quædam illum affligentia 455. 10. Vertigini quomodo medendum. 451. 22. Vermibus quomodo medendum. 454. 15. Volatus. 29. 39. 434. 30 Vox. 434. 25 Vt Anatem primo impetu capiat. 444 13. vt ei animus addatur, quid agendum. 440. 43. vt Ardeas venetur. 447. 20. vt cibum agnoscat. 440. 10. vt scapo alato assuescat, quid agendum 441. 1. 445. 12. vt sese homo tollat, quid agendum. 442. 27. vt venatur lacustrem discat. 443. 1. vt venetur Ardeam feram & liberam. 448. 24. vulneribus eius qualia medicamenta adhibenda. 457. 40*

*Falcones acrij. 468. 28. ærophili. 468. 28*

*Falco albus. 380. 25. eius descriptio 486. 3. eius historia. 485. 48. institutio & vsus. 488. 18. Locus 487. 57. Mores. 488. 9. vbi. 434. 10. Venatus 488 8. Volatus. 488. 2*

*Falco Arborarius. 492. 11. 43*

*Falcones cæruleis pedibus. 497. 25*

*Falco candidus mutatis pennis. 475. 31*

*Falcones Cartaginenses. 484. 22.*

*Falcones Crassi 431. 47.*

*Falcones Campestres 430. 51.*

*Falco Columbarius. 342. 59*

*Falco Corpulentus. 431. 47*

*Falconis Cyanopodis descriptio. 497. 55. nomenclaturæ. 497. 43. historia. 497. 25. quas aues capiat. 498. 17. ad quod Falconis genus reducendus. 497. 29. quomodo differat à Peregrino. 497. 56. Venatus 498. 8. Vox. 498. 2*

*Falconis cyanopodis alterius histor. 498. 27. quas aues capiat. 498. 27*

*Falco degener seu ignobilis. 380. 21*

*Falcones fluuiatiles. 431. 1.*

*Falcones Fusci 431. 50*

*Falco gentilis. 344. 8. differentiæ penes colores. 482. 2 fuscus color qualis laudetur 482. 13. historia. 481. 13. maculati. 482. 5. nomenclaturæ. 481. 25. quas aues capiat. 483. 36. quomodo à peregrinis differant. 482. 43. venatus 483. 30. Volatus. 483. 22*

*Falcones gentiles fusci. 482. 6*

*Falcones gentiles peregrini & eorum forma. 481. 43*

*Falcones gentiles subrubri & subfului. 482. 9*

*Falcones Germani. 431. 19. 482. 58. 483. 4*

*Falconis gibbosi descriptio. 484. 50 institutio. 485. 35. Locus. 485. 7. mores. 485. 16. nutritio. 485. 35. quas aues capiat. 485. 18. Synonima 484. 40. Volatus. 185. 11*

*Falcones hornotini. 431. 25*

*Falcones hybrides. 431. 16*

*Falco Indus. 431. 22*

*Falco Lacustris. 431. 2*

*Falco lanarius. 380. 10. mutati descriptio. 489. 30. nidulatio. 489. 47. Victus. 491. 40*

*Falconis Lanarij Gallorum nomina 488 40. Venatus & ingenium 490. 3. descriptio. 488. 45. institutio & cura 491 29*

*Falco Lanarius Italicus. 489. 20. Locus natalis. 489. 40*

*Falco Lanarius minor. 489. 5*

*Falconis lapidarij & arborarij historia 491. 50. Lapidarij descriptio. 492. 23 Locus. 492 43. nomenclatura. 492. 10 Venatus, mores. 492. 50*

*Falco Leucophæus seu cæruleus. 431. 22 Leucophæi montani descriptio. 479. 55*

*Falcones littorales. 430. 58*

*Falcones longi. 431. 47*

*Falcones maculosi. 431. 50*

*Falcones marini. 430. 57*

*Falcones montani cinerei descripti ex Alberto. 479. 33. delectus 478. 14. dissidet cum Aquila. 45. 17. etimon. 474. 24. forma & descriptio. 477. 40. fortitudo & crudelitas. 478. 37. vsq; 50. hornotinorum differentiæ penes colorem. 477. 35. mores & institutio. 478. 30. Victus 478. 20. Synonima. 477. 25*

*Falcones magni quales 431. 46. mediocres. 431. 47.*

*Falcones mixti. 498. 45. mixtorum generatio.*

# INDEX.


*neratio.499.9. genera & differentiæ. 498.50 indoles.499.40*
*Falconis montani secundi generis descriptio.479.18. alia ex Cæsano.479.23*
*Falcones nidularij. 431.25. cibus. 437. 44. institutio & manuefactio. 436. 44.56*
*Falco niger Alberti. 463.49. natalis locus.465.20*
*Falcones parui. 431.47*
*Falco pedicarius.351.59*
*Falco peregrinus.280.31.431.47. Ardeas quomodo capiat. 466. 8. cur ita dictus.461.57. cur cum alij Falconibus coeat magis quàm alij.499.17 de scriptio & delectus.462.38. etymum. 462. 18. cum Falcone miscetur. 498. 54.genus & differentiæ. 462. 20.indoles.466.2.locus 465. 15. nidulatio. 465.28. quando & quomodo capiatur.466.30. Synonima. 461. 40. penatus.465.52.volatus.465.48*
*Falconis peregrini fusci forma.463.10*
*Falconis peregrini nigri descrip.463.13. quomodo nutriendus.466.29*
*Falco petrarum.492.13*
*Falcones Phœnicei 493.38.*
*Falcones Punicei.484.19*
*Falcones Regales.470.29.*
*Falconis Riparij.43 .56*
*Falconis Rubei ætas,& nutritio 494.3. descrip. 493.18.Locus 493.38.497. 16.mores,Venatus 497.45.Ortº 493 25.vnde dictus 493.11.Volatus 493 40.*
*Falconis rubri alterius descriptio. 497.3*
*Falco rubeus Alberti. 494.20*
*Falcones rubri duo Indici 494.20.33*
*Falcones rubicundi.431.50*
*Falco sacer 110.16. amor erga canes & dominos.470.12. forma 468. 10. descriptio ex Tardiuo.468.32.48. ferocia.469.40.genera. 467. 50.à Friderico Imp. descriptus 468. 17. nidus. 469. 3. ne sibi ipsis impugnent quid agendum.470.8.de eo Niphi sententia.470.23.pugnæ.403.43.quas aues venetur.470.23.quo cibo alèdus.470 35.synonima. 467. 20. venatus 469. 38.venatur etiam quadrupedes. 470. 23.Volatus 469.30.Vox.469.26*
*Falconis sacri Bellonij descriptio 468.17*
*de Falconis sacri minoris genere Bellonij opinio 470.37*
*Falcones teretes.431.47*
*Falcones Tartari 462.4*
*Falcones tertiarij mares rubri minores fœminis.494.36*
*Falcones tertiarij rubri 494.36*
*Falcones trauersi 498.48*
*Falco Tunctanus.462.4.descriptio.484. 1.ex Bellonio.484.16. nominis ratio. 483.58. ad venationem palustrem vtilis 484.25*
*Falconis nomen saxo impositum. 459.14*
*Falconelli.355.11*
*Falconia vxor Adolphi.459.7*
*Falconensis insula.459.11*
*Falconius probus 459.10*
*Falcula Pardorum & Pantherarum quæ sint.430.30*
*Falisc orum numismata. 161.24.163.7. 42*
*Fames.506.44*
*Familiæ multæ quibus nomina cum insignibus respondent.92.3*
*Famuli cuiusdam astus lepidus.725.36.*
*Farnesiorum palatium.655.10*
*Farao Accipiter dictus 323.34*
*Fascinationi resistit cichorium.5.20*
*Fastidium annuum aues quibus remedijs purgent 521.*
*Fatalis conditionis typus.867.20*
*Fauni.688.31*
*Febrifuga.363.26*
*Fecilytræ aues.13.47*
*Fellis auium vsus.5.14*
*Fellis Halieti vis 195.50*
*Felis boans.506.57*
*Felis gemebundus.505.53.ab Accipitre captus.301.86*
*Feni manipulus Romanorum signum militare.84.45*
*Feralia quæ.516.47*
*Ferarũ capita in signis militaribus. 150. 20*
*Fercula quænam portarentur in cohorte. 148.15.*
*Ferdinandus Serenissimus Dux Hetruriæ.497.17*
*Ferox herba.818.20*
*Ferrariæ quando terræmotus factus.800. 53*
*Fertilitatis, & sterilitatis agrorum signum 691.38*
*Fernularum vsus in Falcone.457.32*
*Festi error.371.26*
*Ficedulæ aduentus præsagit autumnum. 424.12.cur sic dicta.796. 50.856. 9*
*Ficus arbor. 743.18*
*Ficus Cenchramidæ.356.31*
*Ficus folia laciniosa,& cruciformia.743 35.assimilatur vestigio Cornicis. 743. 23*
*Ficus Ischades.356.31*
*Fides militaris vnde orta.138.49*
*Fidicula stella.429.50*
*Filandris vermibus nuncupatis laborant Falcones.454.40*
*Filia Struthionis.588.3*
*Filiorum à parentibus relictorum hieroglyphicum.297.10*
*Filius patri similis.700.4*
*Filix ab auium pennis dicta. 587.30*
*Finis bonus Coronæ dictus.754.24*
*Firmi Seleuci voracitas.596.23*
*Flaminum vexillum.152.1*
*Flammigera auis.23.52*
*Flamininus Rota Medicus clarissimus. 799.9*
*Flammeum quid.535.14*
*Flauij Valerij Constantij numisma & gesta.136.45.*
*Florentinæ familiæ quænam gerant aquilam bicipitem aureum.181.18*
*Florentinus præsbyter necem machinatus sancto viro.732.50*
*Flos Anserinus.324.29*
*Florum regina est rosa in armis. 180. 31*
*Flores fullij.324.29*
*Fluuius in Eridanum fluens Aquila dictus.22.39.Fabulosus.22.53*
*Fluuius Aquila dictus.22.30.35.Vultur dictus.234.4*
*ad Fœtum expellendum 80.27.222. 15*
*D.de Foletto in insignibus Accipiter in lilij floribus insidens.333.37*
*Foraminum dolator.848.33*
*Formica.759.10. aduersatur Vespertilioni. 580.45.vt fugetur 557.11*
*Formicarius.865.4*
*Franciscus Sforza.665.16*
*Franciscus Galliarum rex Lanium cicurem habebat.383.58*
*Francisci Gonzagæ insigne.74.35*
*D Francisci imago ex plumatili opere cõfecta.656.19*
*Franciscus Patritius.241.52*
*Francus quid 345.58*
*Fratres regis an eius armis vti possint. 180.43*
*Fredericus Enobarbus, aucupandi artem primus in Italiam inuexit.300.45*
*Frederici Pendasii iudicium de Haliæto. 193.15*
*Frigoris futuri præsagium.770.26*
*Fringilla 345.4.870.47. eius aduentus hyemem prædicit.424.10*
*Fringillarij 283.23*
*Fringillarius Accipiter.344.12. capiendi ratio.349.48. quid pro remedio in morbis dandum. 315. 56. differentiæ desumptæ à colore.349.21.ab ætate 348 19.à magnitudine. 349. 27. est Nisus fœmina.377.4 emblemata.351 50.generatio. 350.30.historia. 344. 32.376.30. locus. 350. 25. mutatus. 348 18.eiusdem generis cum Perene. 376.54.377.2.Ramarij delectus.348 24.Synonima.345.3.Venatº.350.38 Accipitres Fringillarij Africani.349. 1.albi.349.21.Bergomates. 349. 13. Calabri.348.57. Illyrici 348. 42. nidarij 346.18.Orientales.348.77.Ramarij.348.18.Ruffi.349.26.spinaroli dicti.349.8.Tridentini 349. 10.Vicentini.349.4*
*Frondiosiorum familia.89.38*
*Fruges & ex his confectus panis necant Accipitrem.295.38*
*Frugilega quid.752.7.752.37.pro Graculo depicta à Bellonio.752.40*
*Fucus interfectus.624.11*
*Fulica.765.34.cum Ossifraga confunditur.223.56*
*Fullones Vlulam timere quid significet 542.48*
*Fulguri cur alæ attribuantur. 156. 22. ab eius*

# INDEX.


*ab ei us ictu immunis eſt Aquila.* 19. 41. *Iouis & Minervæ quandoque attribuitur.* 156. 31. *Iouis miniſtrat Aquila.* 18.30. *cur Iouis attributum.* 131 44. 154. 41. *non rectum at tortuoſum procedit.* 156.4. *quid denotat.* 129.33. *tres proprietates.* 156. 20. *vis magna* 129.26. *undecim genera.* 131.48

*Fulminatrix legio quę.* 156.6

*Fulvius Capitolius Bononienſis.* 155.25 158.36

*Q. Fulvij Macriani numiſma.* 136.27

*Fulvius Mareſcalcus Senator.* 105. 11.

*Fulvus color diuerſus à nigro.* 197.46

*Funeralia fœminarũ ſine Aquila.* 56.44

*Funerator* 581.19

*Funis & vinculum quid.* 624.34

*Fur pullorum quæ auis.* 393. 52. 401. 48

*Fures quomodo Aquilam imitẽtur.* 70.8

*Furiæ.* 611.32

*Furiæ canes.* 611.38

*Furiarum nomina & origo* 611.44

*Fuſii Furij dicti.* 715.13

# G

*Abriclis Cęſarini inſigne.* 74. 38

*Gaditanum promontorium ſignificat Falco.* 430.2

*Gaia Kiranidæ.* 777.14

*Galbæ Imperatori quomodo Aquila imperium portendit.* 59.9. *numiſma* 147 28. 158.56

*Galbanz* 855.49.

*Galbeum ornamentum.* 855.48

*Galbula medetur Iĉtero.* 511. *adulta icon* 858. *à Chlorio non differt.* 855. 17. *inuenis icon.* 857

*Galbulus.* 758.30. 848. 15. 855. 4. *nidi conſtructio.* 859.20. *nidi icon.* 860. *cõfunditur cũ Charadrio.* 855. 16. *cum Loxia* 855. 16. *cum Mollicipite.* 855. 15. *idem eſt cum Chlorio.* 855. 29

*Galeæ nunquid in armis apertæ maiorem nobilitatem afferant quàm occluſæ.* 91.34

*Galerita varia.* 796.16

*Galeatij Fregoſii inſigne.* 74.55

*Galeatij Meuiol. Ducis Symbolum.* 832 16

*Galeotes & Telmiſſes fratres eorumq; augurium.* 59.39

*Galgulus quid.* 855.12. *unde dictus* 855 44. 871.7

*Galieni Imper. numiſma.* 599. 49. 148. 52

*Galla orientalis.* 410.18

*Gallus hordeum amat.* 45.38. *cum horret leo.* 355.45

*Gallus maximus.* 505.41

*Galli nobilitas.* 17.24

*Gallos nullam vocem habere quæ Accipitri reſpondeat.* 281.52. *pro remedio adhibeat helxinem.* 522. *quando procellas oſtendãt.* 10.43. *quid portendat.* 10.33. *Sylueſtres* 587.50. *Vox.* 417. 19. 412.3. *excitãt ad hœnicem ad cantum.* 826.42

*Gallo Scotorum regi Aquila portendit victoriam contra Romanos.* 62.44

*Gallina candida in Liuiæ Druſillæ gremium proiecta.* 185.2. *Fel eius cur inungendum Accipitri.* 317.8. *fuga & terror audito Accipitre.* 295.9. *eam inſequitur Aquila.* 34. 40. *Miluum horret.* 402.56. *plumæ ad lectos conficiendos.* 3.45. *pulueratrix.* 47.56. *quando magnas tempeſtates oſtendat.* 10.43. *quomodo ſe à Circo defendat.* 353.6

*Gallinæ Numidicæ* 595.21. *Nigræ Cornices nuncupatæ.* 734. 30. *Syluaticæ.* 843.29

*Gallinago.* 775.43

*Gallinullæ aquaticæ partim palmipedes, partim fiſſipedes.* 191.38

*Gallinula paluſtris.* 837.28.

*Gallinacei pulli quando pluuiam portendant.* 10.39

*Gallulus ſylueſtris.* 796.33.

*Galli quibus ſua arma dent.* 90.54. *eorum ſcuta.* 175.34. *Venationis ſtudioſi, & quo in pretio eius periti apud illos.* 299.7. *unde dicti* 635.47

*Gallicana legio Accipitrem habebat* 333 36

*Gambarorum Brixienſium inſigne.* 95. 37

*Gangrena auis.* 871.51.

*Ganymedem rapientis Aquilæ in cœlum imago.* 73.7. *fabula.* 75. 36. *qualis fuerit.* 75.53. *raptus ab Aquila* 19.20

*Garrulus Argentoratẽſis.* 793.15. *forma & deſcriptio* 790. 39. *genus & differentiæ.* 790.32. *ſynonima.* 790. 25

*Garrulus Bohemicus.* 796.37. *Anatome.* 799. *antipathia cum caſeo.* 800.40. *excrementa.* 799.16. *icon.* 198. *Inteſtina* 799.11. *forma & deſcriptio* 792.42. *non eſt de genere Picarum.* 796. 9. *præſagia.* 800.50. *trachea arteria rara* 799.34. *Vſus in cibo.* 800.46

*Garruli Picæ dicti.* 782.4

*Garrulitatis typus.* 781.57

*Gaſpar Taliacotius Medicus clariſſimus* 27.35

*Gattinariæ familiæ regni Neapolitani inſigne.* 95.55

*cum Gaia amicitiam exercet Gracculus* 760.42

*Gaia Hiſpanorum* 357.5. 363.40

*Gauinellus.* 357.3

*Gaza apud Creſcentienſem quid.* 777.13 *unde dicta.* 777.15. 332.54

*Gazæ error.* 131.40. 363.25. 501.1. 520 18. 520.52. 528.26. 539. 11. 758. 759.40. 854.33. 855.3. 767.9. 770. 40. 848.15

*Gaza marina quid.* 775.36

*Gelitonum numus.* 558.11

*Gelonis Siciliæ regis numiſma.* 130.37

*Geloſia Tragi* 654.26

*Generoſitatis typus.* 608.13

*Genius felix ſignificatur per ſerpentem accipitrino capite.* 330.46. *Malus ſignificatur per Aquilam* 66. 16. *per Coruum* 715.12

*Gentiana minima flore maximo.* 708. 19

*Gentianella.* 708.20

*Gentiles homines qui dicantur.* 481.26

*Gentilium idololatria.* 764.7. *Filios eorum denotant pulli Coruorũ* 721. 49

*Gentilitas renouata deſignatur per Accipitrem.* 327.9

*Gerardus Marionus.* 203.47

*Germani cur ſæpè ſedem mutarint.* 701. 25. *à Cuculi eſu cur abſtineant* 425. 10. *eorum linguæ cõmendatio* 282.43

*Gethillidæ.* 775.57.

*Gethium quid* 775.56

*Gimmi quid.* 707.2. 544. 17. 504. 26

*Girifalco Italis unde dictus.* 471. 52

*Ginus* 544. 18. 707.2. 707.6

*Glandaria.* 777. 15. *unde dicta.* 777.30. *prouidentia* 780.15. *Vſus.* 783.41

*Glauce nomen Nereidis.* 551.44

*Glaucetes viri proprium.* 551.44

*Glaucia oppidulum Ioniæ.* 551.46

*Glaciũ.* 543.26. *Anatis genus.* 551.45.

*Glaucodes aues quæ.* 552.27.

*Glaucus Anthedonius in dæmonem marinum mutatus.* 551.39

*Glauci ars.* 551.43

*Glaucus color quis.* 501.16. 551.45

*Glaucus Hippolochi filius.* 551.41

*Glaucus muris epitheton.* 551.47

*Glaucus nomen Fluuij.* 551.46

*Glauci nomine multi donati.* 551.38

*Glauci potinæi ab equis diſcerpti.* 551. 40

*Glaucus Samius vel Iybicus.* 551.42

*Glaucus viſus cur Minervæ competat.* 552.44

*Glaucopium.* 552.26

*Glaux.* 501.2. 543. 43. *numus.* 543.28. 557.38. *ſtirps.* 543.25

*Glis quid.* 534.424

*Glottis Ariſt.* 837. 26. *potius eſt Gallinula aquatica quàm Picus.* 837.28

*Glycifida herba.* 843.6

*Gneſia Aquila.* 110.9. *omnium Aquilarum maxima.* 210.16

*Gniſdo vrbs ſignificat nidum.* 97.14

*Gomphrena herba.* 654.21

*Gonzagorum familiæ origo & inſignia* 106.40

*Gonzalui Zatiui emblema.* 184.3

*Gordiani iunioris numiſma.* 141.1

*Gordij bubulci arma.* 93.7.13

*Goropij error.* 521.21

*Gracchus.* 759.3. *unde dictus.* 763.15

*Gracculus.* 688. 13. 689. 13. 708. 22. 735. 10. 752. 12. 16. 759. 11. *Accipitres ei infenſiſſimi.* 760. 50. *Aeſopicus.* 560.24. 766. 20. *animal congregabile.* 761.12. *annuum faſtidium ut pariet.*

purget. 5. 21. Apologi. 766. 6. auguria & præsagia. 763. 29. author pluuiæ. 661. 22. capiendi & fugandi ratio. 762. 3. 762. 26. cognominata. 763. 9. coitus. 760. 36. pro colophone. 758. 45. cum Cornice dissidet. 760. 45. cur in lemno insula colantur. 764. 25. cur pluuiam portendat. 10. 25. denominata. 762. 45. emblemata. 765. 43. etymus secundum Festum. 759. 21. Garrulitas. 761. 27. genera & differentiæ. 759. 24. 767. 22. ingenium. 761. 40. inter scriptæ Diogenis Laertij connumeratur. 758. 39. minor Cornice. 734. 8. Monedula est. 758. 7. morbus. 762. 38. mores. 761. 1. mystica. 764. 4. præsaginum. 10. 1. 716. 53. proverbia. 39. 50. 764. 765. pugnans cum Aquila. 781. 1. pusilli ita dicti. 758. 21. 758. 19. quomodo à Spermologo differat. 772. 5. quomodo capiantur. 781. 19. in specie quæ anis. 767. 10. Sympathia. 760. 41. Synonima. 758. 45. 767. 16. à Thessalis culti. 764. 27. tria genera eorum in Rhætia. 759. 54. Victus. 760. 30. vnde dicti. 759. 12. & inde. Vox. 760. 17. vsus in cibo. 764. 34. vt à Cornice differat. 772. 5. vt formosus videretur diuersarum aliũ pẽnis sese exornauit. 766. 10

Graculorum species. 760. 14. 766. 45. Saxatilis. 760. 1. totus niger. 752. 36. Palmipes. 759. 31. 760. 6. torquatus 760. 10

Græcorum contra barbaros victoriæ ostentum. 555. 46. nobiles quomodo dignoscebantur. 84. 40

Grallus 871. 6

Grallum pro chloreo Niphus ineptè scribit. 856. 6

Grammatica quam vtilitatem ab auibus accepit. 1. 58

Grammaticorum error. 423. 16

Graniuoræ aues. 8. 39. 752. 8

Gregorius xiii. Pontif. max. 678. 51.

Gregorius Papa per Aquilam denotatur. 65. 10

Gression Vulturis species. 277. 33

Grillus auis. 308. 5

Grus. 10. 2. 588. 42. 776. 57. eam adoritur Æsalo. 356. 1. clangor ei propriꝰ. 33. 50. cur sedem mutet. 5. 26. gregatim degit. 307. 14. iunco palustri sibi medetur. 5. 23. labores. 2. 43. militarem artem docuit. 4. 13. cum Aquila dissidet. 45. 1. pellis ad vsum clypeorum. 4. 25. prudentia. 2. 22. quando portendat pluuiam. 10. 53. quomodo contra Aquilam se defendat. 45. 3. volatus quid ostendat. 2. 48. ex tibijs tubæ factæ. 4. 23. vt eam capiat Lanarius. 491. 29. volando quas litteras docuerint. 2. 1

Grus machinæ bellicæ genus. 687. 27

Grifalcus. 471. 41. cur Aquilam turbet. 39. 57

Gryps. 601. 27. 31. 601. 31. æquinoctio 600. 3. an sit, quæritur. 602. 3. 238. 56. animantia pennata 600. 18. antipathia. 606. 47. auis quadrupes. 602. 18. 836. 15. quadruplex. 602. 43. auis quæ Gryps iudicari possit. 604. 35. aureus cuius insigne esset 609. 33. cur Aquila dictus. 216. 27. cur dictus hæno aduncꝰ naso. 600. 3. cur auritus dicatur esse. 608. 42. cur vbique eodem nomine dicatur. 601. 39. cur inter fabulosas primùm de eo agatur. 599. 38. cur rostrum aduncum tribuant. 608. 44. denominata 607. 3. emblema. 609. 2. etymon. 601. 32. Figuræ significatio. 608. 42. figurarum vsus. 608. 40. Forma & descriptio. 605. 14. generatio. 606. 3. historia. 599. 20. eius appendix. 630. 21. hyperboreus. 602. 24. icones. 609. 22. imago insculpta in area Bembi tabula. 631. 11. ingenium & feritas. 606. 14. è lapide candido. 609. 25. Locus 605. 44. moralia. 607. 18. in multis numismatibus antiquis. 610. 22. multi in æde D. Petri sculpti. 609. 48. mystica. 608. 12. nidus. 606. 3. eius nomine quæ axis intelligenda in sacris litteris. 603. 31. Ova. 606. 6. pes eius creditus Parisij 604. 22. quid Varino 604. 37. quomodo negãdus. 603. 13. Romæ sculptus in quibusdam antiquitatibus. 621. 1. rubeus quorum militum insigne sit. 609. 35. spectatur in turri ascellorum Bononiæ. 608. 49. Synonima. 601. 15. in tropheo quodam Romæ. 609. 46. Volatus. 605. 30. Vultur. 600. 18. cauda cur tortuosa. 610. 22. triplicis naturæ. 632. 3

Gryphis figura ad mentum capillum habens. 631. 38. non auriti. 610. 30. porcinæ. 601. 10. tetracentropi. 632. 4. caudam quadrupedis habentis 631. 25

Gryps fluuius in Gallia. 601. 11. Picus ita dictus. 836. 14

Gryphon nomen equitis. 600. 14

Gryphones vnde dicti. 607. 5. familia Pistoriensis 607. 10. insignia. 609. 30

Gryphonia vrbs. 607. 3

Gryphus 601. 30. Cleopatræ filius cur sic dictus. 600. 10. Lapis. 22. 25. Austriæ marchio. 600. 13

Grypon quid 216. 28

Grypus 601. 33

Guaccemaia auis quæ. 636. 58

Gugulus Alberto 412. 34

Guinatiorum familiæ Neapolitanæ insignia 106. 29

Guilelmi comitis Enembergici insigne 181. 22

Gestandum minimè ex his quibus est nigra cauda 782. 21

Gypactos 216. 21. 375. 8. 35. descriptio 216. 46. ad Vulturem proximè accedit. 235. 36

Gyponoma sibi medetur Vultur 252. 48.

Gyponomos herba. 254. 21

Gyps. 471. 57

Gypsfalcus 471. 57

Girofalco. 461. 31. descriptio. 472. 11. vsus apud Gallos. 477. 10 cibus. 476. 40. differentiæ. 474. 17. historia. 471. 3. institutio ad venandum. 477. 3. mores & ingenium. 475. 49. pretium 477. 9. probatio & delectus 474. 26. venationis modus. 476. 33. Vsus. 477 2 synonima. 471. 13

Gyrfalci ducis Ferrariæ descriptio. 472. 20

Gyrfalci maculis carentes. 474. 22. Phæncei coloris. 475. 39


# H


Adriani numisma. 136. 16 141. 26. 145. 19. 156. 58 159. 11

Hæmatorophos. 238. 5. 250 44

Hærere in aere quibus auibus conueniat 491. 5

Haredipetæ typus. 265. 14. in eum pronerbium. 266. 11. est vultur. 257. 47

Hæretici typus. 628. 20. 724. 33. Vespertilionibus comparati. 582. 17

Haliæetus. 601. 20. 603. 21. æquinoctio. 187. 54. alis amphibijs. 191. 49. antipathia. 195. 20. eius & Chrysacti discrimen. 124. 34. educatio. 202. 8. Fabulæ. 196. 18. forma et descriptio. 189 1. 198. 29. Locus. 202. 1. magnitudo. 123. 47. mihi communicatus à clarissimo Carolo Clusio. 224. 57. Moralia 197. 30. nomenclaturæ. 187. 37. Ossifragæ pater est. 246. 41. Ortus mirus 192. 35. 37. 18. 192. 19. de pedibus controuersia. 191. 4. secundum locum obtinet inter Aquilas. 109. 32. quomodo marinas Aquilas comprehendat. 195. 6. Venatus. 202. 20. Victus. 194. 1. Visus. 24. 38. 192. 1. Vsus in medicina. 195. 50. in signis seu sigillis. 196. 3. in cibo. 195. 36

Haliætus Belloniꝰ. 191. 1. 198. 51

Hallucinator. 528. 28

Hanno Carthaginensis Deum se fingit. 660. 33.

Harpe. 238. 58. 393. 33. eius histor. 408. 20. Milui genus est. 402. 46. 408. 26. 40. Miluo amica. 408. 44. inimicitiam habet cum Triorchi. 402. 45.

Harpa montana. 408. 58. Oppiani. 223. 23. 408. 26. Palustris est Miluus 409. 4

Harpagare quid. 611. 41. 21

Harpagines à quo inuentæ. 687. 32

Harpagium loci nomen est, vbi raptus est Ganimedes. 76. 15

Harpagones quæ instrumenta. 611. 18.

Harpalice. 616. 4

# INDEX.


*Harpax.611.19*
*Harpocrati cur Noctua aſſect.554.12*
*Harpyiarum æquinoca.611.9. allegoriæ 620.22. auidæ & famelicæ. 618.1. eis attributus clangor.33.29. cur ita dictæ rapaces meretrices.618.48. cur virgines fingantur.619.36. cur uolatiles fingantur. 619.36. Deſcriptio. 612.21. 617.16. emblemata. 621.6. etymon. 611. fœminæ imberbes.631.50. fugatæ 617.7. genus & ortus.611.52. Græcis rapaces dicuntur. 619.31. icones 620.37. locus. 613.15 moralia & hieroglyphica.618.26. monſtra deformia 617.28. quædã in trophæo quodam Romæ.609.46. quibus ſepulchris Romæ inſculptę 620.58. Rapaces & truces.617.54.57. rapacitas, ingluuies, fœditas & hiſtoria tota.613.48. ſeptem.617.15. Synonima.611.18*
*Harpyia tetrapteros.633.26*
*Harpyia urbs Illyriæ.611.14*
*Harpyiæ facie humana & cinnamo in vertice adornata.630.28*
*Harpyia facie muliebri.633.3*
*Hasta aquiliferi qualis erat. 142.26. eã frangunt Corui.710.2*
*Hebræos codices à noſtris diuerſos fuiſſe. 718.43. eorum tribus propria vexilla habebant. 196.12. apud eos qui fuerint nobiles 89.48*
*Hecatombarum inſtitutio 55.48. quid ſit.56.33*
*Hector Achillis arma induit. 178.48. auguriorum contemptor. 15.51. eius ſcutum 175.2*
*Hecuba Ciſſæis dicta.781.38. eius pater Ciſſæus dictus.781.35*
*Hederæ ſuffitu & odore pellitur Vultur. 580.9*
*Hidypnois herba.324.29*
*Helena ab Aquila ſeruata.48.58. a Priamo amata.864.25*
*Helenus augur.15.14*
*Helionoræ Auſtriacæ ſymbolũ 832.11.*
*Helias à Coruis nutritus. 719.35.731.44.719.40. pane ſubcinericio paſtus quid ſignet.720.24. iubetur Coruum imitari.720.6*
*Heliogabali luxus & prodigalitas. 634.52. numiſma.634.52.159.22. 831.52. Pſittacorum capitibus dapes parabat.634.56*
*Helleborus niger quando debeat effodi. 62.51*
*Helxine herba quibus auibus remedium ſit 5.22*
*ad Hemicraniam.79.32*
*Henrici de S. Aloyſio inſigne.99.50*
*Henricum Sextum Imp. artem Falconariam exerciuiſſe.300.45*
*Heraclcotes lapis.296.9*
*Herba Cuculi quid.423.32*
*Herbæ Iuliæ facultas.861.40*
*Herba mirabilis in nido Cornicis reperitur.756.31*
*Herbas non edere Aquilam.34.33*
*Herba Stellaria.742.58.*
*Hercyniæ ſyluæ auis.796.24*
*Hercules Aldrouandus.218.16*
*Hercules Butrigarus.96.16*
*Herculis clypeus & habitus.170.25. vt Philonem liberarit.778.52. Picæ voce deceptus filium inuenit. 778.43. Prometheum liberat occiſa Aquila. 76.36. eius & Oſiridis victoria contra Gigates 330.20. eius Sagittæ.214.19*
*Herculanorum inſigne 86.40. Seniorum inſigne.86.42*
*Heremita quidam, qui publicas & priuatas elemoſinas in ſuum vſum conuertebat.70.17*
*Q. Herennij Hetruſci Meſſ. Decij numiſma.165.12*
*de Hermophrodito ænigma.818.15*
*Hermophroditum dicunt Vulturem 24521.*
*Hermolaus & Scaliger decepti. 520.25*
*Herodius. 503.50. Aquilæ genus 110.14. commune nomen eſt quibuſdam auibus.110.15. cur pullum abijciat. 126.1. cur dictus Hieroſalco.471.22 incidiæ impatiens. 125.57 proles adulterina 125.40. ei quædam Aquila ſupponit.125.43. pullum ex ſingulis ouis.*
*Herodotus ab Ariſt. diſſentit in nido Phœnicis.835.15*
*Heruli populi vnde dicti.515.6 qui dicti.554.12*
*Heſiodi error.35.23 ſepulchrum à Cornice monſtratum 745.51*
*Hiacinthus gemma 820.15*
*Hieracopodium herba.324.43*
*Hierax apud Græcos omne Accipitris genus ſignificat.430.10. à velocitate volatus dictus. 280.47. παντοφθαλμος cur dictus 286.37. Septuaginta interpretibus quid 280.32*
*Hierax legatus.323.32. piſcis.280.16*
*Hieracium herba.324.17. amiciſſimum Accipitri.296.5. caliginem cur diſcutiat.324.32. cur id quærant Accipitres 290.35.18*
*Hieracium Creticum.324.31*
*Hieracea medicamenta quæ.324.55*
*Hieracium minus.324.25.405.4*
*Hieracium tithymaloides.324.36*
*Hieracites gemma.404.54.324.9*
*Hieroni Siculo regnum præmonſtratur ab Aquila.59.34. augurium de regno obtinendo.581.30*
*Hierofalco 198.14.431.47.470.25. cur pedes palleſcant. 338.46. cur ita dictus.471.17.37. diſſidet cum Aquila.45.16. genera.434.3 locus 475.3. peculiaris mos.476.26*
*Hieroglyphica ab auibus petuntur. 5.5.*
*Hieroglyphica quid & quando & cur inuenta. 70.34. ad moralem Philoſophiam ſpectant.70.28*
*D. Hieronymi imago ex plumis auium mirabiliter confecta.656.12*
*Hieronymus Mercurialis.665.49*
*Hieronymi Siculi tyranni numiſma 129.38*
*Hieroſolyma capta.52.40*
*Himnulos vincit Aquila.17.50.34.48.*
*Hianularia Aquila.205.30.207.34*
*Hinnularius.461.51*
*Hippodromus quid.351.21*
*Hipporitæ Noctuis ſimiles. 553.19*
*Hippogloſſum herba.708.4*
*Hippolapatum.506.43*
*Hippomanucodiatæ hiſtoria. 811.30. eius icon.813*
*Hippon.845.24*
*Hippopotamus.596.24*
*Hipporynchos auis.801.29*
*Hyperborei ſeu Riphæi montes.605.44.*
*Hyrcaniæ ſyluæ auis quæ 797.22*
*Hircini ſanguinis uſus.311.10*
*Hirundo. 776.57. eius aduentus & receſſus anni tempora oſtendit.533. ad uentus præſagit ver. 424.10. amor in nutrienda prole.632. amor in ſepelicndo ſuo genere.69. apologus cum Cornice.751.5. imperfectos & cæcos parit pullos 738.44. matutino tempore canit.541.48. eſt primum anni donum 751.56. quãdo pluuiam portendat.111. Solertia in ædificando.42. viſui ut medeatur.518. prouerbium.754.33*
*Hirundo marina 875.43*
*Hiſpani à Veſpertilionibus infeſtati.579 20. eorum arma 179.8*
*Hiſtoboc quid 742.11*
*Homerus correctus.238.28. rectam rationẽ in armis eligendis docet.93.33.*
*Hominis acies Aquilæ debilior. 26.15. cum quam religioſè obſeruet Accipiter. 295.55. barbarus Gryps dictus 607.12. Coruis obiectus quid ſignet. 724.36 eius ad patronum irritum refugium.554.55. pius deſignatur per Aquilam liberalem. 67.22. eius qui firmas in loco ſedes poſuit hieroglyphicum.71.31. qui Gracculus dictus.766 36 eius ſocietate gaudet Accipiter. 295.47. ſemetipſum ex oraculo curãs 781.52. an ei ſoli ratio conueniat.648 9. Stolidus Cuculus dicitur. 422.27. tactu præ cæteris animalib⁹ pollet.26 4 Viſibilium differentias acutiſsimẽdi gnoſcit 26.1. Loquacis typus.867.17*
*Homo ſylueſtris plumario cucullo indutus.657.43.658*
*Homunculus gigas 588.30*
*Horatius declaratus.426.10*
*Hordeum murinum.818.17*
*Horion auis.5.52*
*Hornitini Accipitres qui.302.20*
*Hortulanus Italorum.356.36*
*Hoſtes Noctua & Cornicę deſignat 554.43. ſigna inter occiſorum capita. 150.27*
*Hubris 504.32. 505.6. eſt maximus Bubo 505.40. Iuno ita dicta. 505.22.*

auis

*auis vnde dicta.*504.45.505.4
*Hulula.*541.33
*Hululo.*541.32
*ad Humanam naturam quæ bruta accedant.*648.4
*Hungarorum insigne.* 86. 31. *sui mirus neglectus.*86.32
*Huola Turnero quæ auis.*848.33
*Hybrniæ regum insignia.*103.22
*Hybridæ Falcones.*498.47
*Hybris.*506.21.284.6.251.44.500.49 507.3.41.53
*Hydrum cur Coruus cepisse dicatur.* 696.52
*Hydrus serpens.*730.20
*Hyemis nuncia Alcyone.* 5. 39. *præsagium ab Ossifraga.*229. 30. *à Fringilla.*424.10. *symbolum.*749.7
*Hyelitarum numismata.*610.20
*Hyena.*237.2. *antipathia cum Panthera.*72.20
*Hyperionis auis.*198.11
*Hypotriorche.*283.22.373.18. 375.8
*Hystrix.*622.14. *descriptio* 622.18

## I

*Littera quid.*611.28
*Iacobus Antonius Cortusius Patauinus.*881.10
*Iacobus Boncompagnus Accipitrum retinabula pro Feudo Vignolæ soluit.*279.50
*Iactabundi.*426.33
*Ianiferi pennis manucodiatarum sese exornant* 808.53
*Iani cum Crane concubitus.*565.48
*Ianson cur Iyrege vsus.*867.52
*Ibis.*503.46.543.46. *mortuam sepeliebant Aegyptij.* 378. 46. *Solitudinis amica.*691.50. *clysteris vsum docuit.* 5.31
*Icneumonem timet Crocodilus.* 355.46
*Icero medetur Galbula.*5.11
*Icterus auis.*855.41. *vnde dicta.*860.58 *morbus vnde dictus* 860.50
*ad Ictericiam.*79.47.407.32
*Ictericiæ gemmæ vis.*891.29. *species variæ.*861.3
*Idinus Architecti nomen.*39.27
*Idola.*544.10
*Idolum Mexicanorum plumatili opere exornatum.*656.46
*ad Ieeoris dolorem.*260.11
*Ignis & æstatis cur Gryps symbolum sit.* 608.20. *dicitur nidus Phœnicis.*823. 26. *inter ornamenta præcipuum obtinet locum.*73. 53. *perpetuus in sepulchris.*132.25. *prælati in triumphis origo.*149.17.51. *secundum Hiparchum omnium rerum principium est.* 149. 23. *eius typus est Accipiter.* 330.39
*Igni sacro medetur Pica.*783.25
*Ignotus per Vulturem designatur apud Aegyptios.*241.27
*Ilex auis.*298.44
*Imagines excellentissimæ ex auium plumis apud regem Hispania.*656.29
*Imagines Romanorum in locis publicis & priuatis positæ & cur.*90.30
*Imaginarij seu imaginiferi qui sint.* 149. 53.
*Imbellis & temerè audacis typus.* 584. 28
*Imbrium auis Cornix dicta.* 746. 6. *eos præsagit Coruus voce &c.* 692.26
*Immussulus.*223.33.254.45
*Imperium optimum vnius esse.*72.12
*Imperatorum imagines & ducum inter signa.*149.52. *Locus in bello.* 83. 50. *qui consecrabantur.*136.55. *quorundam insigne est Aquila alba.*97. 58
*Imperialium quarundam ciuitatum insigne.*104.36
*Imperatoris Lotharij insigne.*103.18
*Imperatricis Mariæ Austriacæ insigne* 94.56
*Impij Buboni comparati.*518.5
*Impostoris typus.*725.17
*Improbus & astutus quis.* 426.38
*Imprudentium physionomia.*690.1
*Incendiaria.*514.16.796.36.797.231
*Incendula antipathiam habet cum Bubone.*514.16
*Incineraria.*796.35
*Inconstantiæ symbolum.*725.55
*Incubus.*561.58
*Incubum spectrum.*562.4
*Indoles generosa ab Aquilæ liberalitate.* 69.43
*Indiæ extra Gangem insignia.*106.6
*Indorum diligentia in plumatili opere contexendo.*656. 4. *ad venādum aues instituunt.*300.20
*Inebriæ aues quæ.*13.47
*Infans ab Aquila seruatus.*49.33
*Inferæ aues.*12.51
*Infernus vbi sit.*613.39
*Ingelshemij oppidi Germaniæ insigne.* 182.1
*Ingenium per analogiam quid.*316 *animalibus aliis magis, aliis minus inest.*31.5. *emblemata.*729.17.22. *quale homini competat.*30. 57. *quid.* 30. 40.51. *vires ab eo Superari.*78.30
*Ingratus.*426.34
*Ingratitudo expressa.*425.14
*Inguinalis* 515.31
*Inguinaria.*503.11
*Inimici Vulturum æmulatores.*257. 36.
*Innocentius nonus Pont. Max.*678. 56. 862.41
*Inoculatio vnde nata.*3.11
*Inquieti hieroglyphicum* 748.37
*Insignire quid.*89.15
*Insignes qui dicantur.*89.11
*Insignia antiquorum.*90.4. *cur arma dicantur.*88. 45. *dantur nobilibus tantum.*90.9. *domestica vnde orta.*85.45 *origo* 89. 22. *militarium ornamanta.* 149.46. *vnde dicantur.*88.43
*Instrumenta aucupij Nocturna.* 551.3
*Instrumentum exiguum quo vtebantur veneficæ ad conciliandum amorem.* 864.6
*Insulæ Chenerag.*604.50
*Intybum syluestre* 324.27
*Inuidi Vulturibus comparati.*257.29
*Ioachimus Iuuenius Lypsiensis.*804.27
*Io: Baptistæ Campegij Episcopi Maioricensis erga me liberalitas.*104.14
*Io: Baptista Cortesius medicus.*226.20.
*Io: Baptista Fulcherus Pharmacopæus.* 881.44
*Ioannes de Biron Legatus ad summum Pontificem.*665.36
*Ioānes Sittnerus Silesius Medicus.*642. 46
*Ioannes Brancionus patritius Mechlēnienſis Belga.*189.13
*Ioannes Cornelius Vuterwerus Batauus Medicus.*399.55.753.53
*D. Ioannes cur Aquila dictus.* 51. 30. 64.29
*Io: Paulus Magius Cremonensis.* 882. 25
*Jo: Ant. Petromelarius Bononiēsis eques* 107.16
*Ioannis Rouerellæ arma.*204.6
*Ioan: xiii. Pont. Max. insigne.*
*Ioan: Vincentius Pinellus.*881.10
*Ioannæ Castriottæ explicatus.*284.57
*Iosephus Gryphonius.*607.10
*Iouia cohors* 151.14
*Iouianorum insigne.*86.44.49
*Iphicli & Melampodis fabula.*269.27
*Irrigetti Martinenghi insigne.* 609. 55.
*Irenis Castriottæ insigne.*74.35
*Ischades quid.*743.20
*Isidori error.*693.30
*Isidi & Iunoni cur sacer Vultur.*236.3
*Isidis statua coronata pēnis Vulturis* 254
*Accipitris.*333.23
*Ismerlus.*354.51
*Ister fluuius.*22.49
*Iudæorum lex contra idololatriam.* 56. 53
*Iudaicum populum Coruus signat.* 718 36.50
*Iudaica lex per Coruū designata.*722.20
*Iugere quid.*296.23
*Iuliani Apostatæ gesta.*160.33. *numisma* 160.28
*Julianus Griffonius.* 486. 16. 572. 37. 607.11.656.43
*Julius Cæsar Moderatus.*697.15
*Iulius Capellinus Bononiensis.* 107. 17
*Julij Philippi numisma.*159.48
*Iunco palustri sibi Grues medentur.* 5.23
*Iunonis ales.* 661. 42. *Dea in Buboncm versa* 502.27. *Cornices ei sacræ.* 744. 7. *Cuculus ei sacer.*409.19. 425.26. *cur Vultur ei sacer.*236.3. *per Pauonem significata.* 160.18. *Struthiocamelus ei sacer.*594. *Tanysipteros ei dē catus.*279.9
*Ionis ales.*23.49

*Iuppiter*

# INDEX.


*Iuppiter Aquilæ auxilio vsus contra gigantes.59.47.in Aquilam versus.18. 53.502.26. per eandem significatus. 160. 18. cur Aquilam auream gestet.59.49.cur Anxurus dictus.155. 29. cognomina seu epitheta 154. 50. cur olim Caculus dictus.422. 18. cur Eleos nuncupatus.128. 20. cur frater & maritus Iunonis dictus.154.33. Picus dictus. 836.27. Victor in calcidonio antiquissimo sculptus.155. 17. simulacrum eius Aquilæ capiti & alis insidens.81.58*

*Iustinianorum insigne 101.50.96.11*

*Iusta vltio.729.10*

*Iustitiæ signum.726.1*

*Iuuencorum virtus.39.18*

*Ixia quid.20.46.237.29*

*Iynx.865.50. Aequinoca.864.1.cithara dicta.864.31.iginoma 864.29. Kiranidi est piscis marini species.864.3. maris fallacia.36.Synonima. 864. 40 pedes.415.18. auis Bacchica dicitur. 868.9. aureæ quatuor in templo pendentes quid notarint. 867. 18. digiti pedum.865.30.emblemata.868. 27. fabulosa.867. 34. fœminæ icon. 866. forma.865.11.generatio.865.51.hieroglyphica.867. 15. Locus. 865. 40. mas quomodo distinguatur à fœmina. 865. 36. maris icon 866. mores.867 1.medica vis.867. 24.nidus. 865.50 quando capiatur.867.10. rota dicitur metaphoricè.867.46. pro veneficio accipitur.867.49.victus.865.40.ci voluptas comparata.868.33. vox. 865. 40.vsus in cibo.867.30*

*Iyngi congener. 868.50.cius icon. 869.*

*Iynx filia Echus 867.35*

# K

*Kinædius piscis.864.3*

# L

*Labarum Constantini. 143. 10. eius descriptio. 142. 37.53*

*Lac in mammillis producentia.259.56.583.42*

*Lacapeni Imperat. & Simeonis Bulgarorum ducis dissidij inditium.62.27*

*Laccrta quomodo exhibenda Accipitri in pennarum casu.313.42*

*Lactuca agrestis.423.20.324.23. amatur ab Accipitre.296.5*

*Lactucinorum familia.89.37*

*Lacus Coruus dictus.691.36. Aquila dictus.23.15*

*Lacustrium auium præsagia.9.26*

*Lagophonos.198.2*

*Lagopodis sapor.770.34*

*Lamia.539.5.562.20*

*Lanarij Accipitres. 378. 11. differentiæ 380.42. cur Buteones dicti.380. 47. duplex genus. 488. 22. Gallorum ad venationem aptos esse.383.36.in quibus conueniãt cum Italicis.491.3.auceps quomodo ab eis sese liberet. 490 23.institutio & vsus.383. 45.minoris historia.384.20.modus venãdi cũ eis. 384.7.Nisum occidunt 490.30.optimi in qua regione. 383. 27. quas aues capiant. 383. 50. quo purgandi 491. 43.in rete incidunt.490.38.in venatu vsus.490.43.vnde dicti.380.22.*

*Lanarius Alberti quis. 488. 45. Gallici descriptio 489.5. eius & Italici differentia 488.56*

*Lanarius rubeus quid.380.17*

*Lanarij secundi descriptio.383.8*

*Lanfrancus Beccarius.102.30*

*Lanius.380.18.775.36. capiendi ratio. 388.49.cur molliceps dictus 380.24. ingenium.388.18.Locus 387.46.modus venandi 388.40. nidus 387. 46 Rapacitas.388.8.Synonima 384. 29.*

*Lanij tertij generis descriptio. 390. 35. Victus.388.1.vox.388.21.*

*Lanij Albi icon 387.*

*Lanius cinereus.384.58.cinerei fœminæ icon 386.maris. 385. 40.*

*Lanij maioris historia.389.1.*

*Lanius paruus 389.26.minoris nidus. 882.28. eius icon. 883.quot pariat. 882.36.*

*Lanius Ornithologi à nostro diuers⁹ 385 20. minimi caro ad cibum. 391.50*

*Lapis Aquila dictus.22.23*

*Lapidum Falco. 492. 13. eius historia 491 50*

*Larix Theoph.incognita*

*Larus quid.411.58.503.58.504.8.543 51.grano punici mali perit.353.45*

*Latebicula.584.53.*

*Latro in vulturem mutatus.251.7*

*Latus dextrũ Auguribus læuum. 13.17.*

*Lauium vrbs quomodo destructa.59. 21*

*in Lauinio condendo præsagium. 160.53*

*Laurus in ceraso nata.39. quædam aues vtuntur contra fastidium annuum 5. 21.immunis est à fulmine.131.57*

*Laureolus in cruce suspensus.76.35*

*Laudes in scuto pictæ.175.26*

*Lecti ex plumis auium.3.45*

*Legatorum & tribunorum locus in acie. 83.55*

*Legioni cuilibet præerat Aquila. 83.37*

*Legionum Aquilæ diuersitas.148.10*

*Legio perfecta quæ.83.40. quot habuerit M. Antonius triumuir. 144. 6. vna habebat vnam Aquilam & plura signa.148.38*

*Leius auis quæ 387.27. Accipiter 355.2*

*Leno Accipiter dictus.323.45*

*L. Lentuli. & C. Marcelli numisma.128 20.47*

*Leo & Aquila quid signent.73. 28. pedes sibi fodientes apparuerunt in aere.187.31*

*Leones animi magnitudine ad homines accedũt.639.5. eos in armis gerere est nobile.180.32.centum sacrificati. 55. 46.56. 32. ceruos laniant 34.13. cur cæteris animalibus dominari dicantur 73.36.cur glauci dicti. 552. 18. horrent.355.45.generosi. 40.46. homini quandoque obediunt.32.1.Natura eorum ignita.708. 22.oculi cur charopi 552.21. ossa eorum inter se collisa ignem excitant.608.24.eos pauit Heliogabalus.634.57.Phrygum insignia sunt.89. 3. quinam dicti apud Aegyptios 53.13 reges ferarum sunt 67.43 eis & serpenti cur comparetur Christus.67.42.vbi culti.55.38.visio.577 2.magnes 25.12*

*Leo barbarus.761.22*

*Leo Basilij Imp.filius 651. 2. Psittaci opera à morte liberatus ibidem*

*Leo herba.818.19*

*Leopolis Russiæ insigne.96.49*

*Leodienses Episcopi propter episcopatum decertant.713.55*

*Leonardus Carsarts Hasselensis Tungras medicus.690.38*

*Lepidi numisma.144.26.148.1*

*ad Lepram.231.24.261.48*

*Lepus Aquilæ cibus. 38. 35. 52. cum Aquilis pugnat. 78. 44. cum Aquila in numismate locrensium.161.17.a bove capi quomodo dicatur. 41. 27. cur cum quærat Aquila.34.27.Corui vocem timet.698.14.eo cibantur Aquilæ.32.30. maiorum & minorum venatio.301.33.meticulosus est 41. 12. quomodo eum venetur Aquila ibidem vocem Accipitris horret.295.13.pelis eius recrementa cur in nidum importet Aquila.37.1*

*Leporarius Vultur.250.32*

*Leucopygos.205.27*

*Leucosia.625.16.626.40*

*Leuiraia piscis.377.20*

*Leuis Accipiter.377.29*

*Leges arancarum telis similes.727.36*

*Libanus mons mysticè quid.63.36*

*Libidinis sedes quæ.268.32*

*Libidines Venereæ Buboni comparatæ 518.10*

*Libido Tinnunculi qualis 362.9*

*Libyca auis.588.34*

*Licadouria.393.43*

*Liciniani Licinij numisma.158.17*

*Licinij Galieni numisma.160.7.133.43*

*Licinij Valeriani numisma.161.33.158 4*

*Lictores Tartarorum Vulturibus similes 257.50*

*ad Lienis dolorem.518.24*

*Ligia.625.17*

*Ligniseeus Gazæ.836.47*

*Ligurinus auis.356.57*

*Ligustrum.759.9*

*Lilibitinorum numiſma.610.10*
*Lilium.759.9*
*Lingua d'occa regio Galliæ.94.48*
*Linguam compoſitam ad loquendum auis habens.838.9*
*Linguacces qui.867.16*
*Linqulaca auis quæ.837.29*
*Lini radice ſibi medetur Pauo.5.20*
*Lipire quid.393.45.396.21*
*Lithofaleus.492.11*
*Locographi.600.23*
*Locrenſium numiſmata.128.27.161.17 130.45. victoriæ præſagium. 60.41*
*Locus aptus ad inſtituendum Accipitrem.304.4*
*Locuſtarum odium cum Veſpertilionibus 580.46.eas necant Selucides. 3.14. eis veſcuntur Aquilæ.760.31*
*Lædus auis.818.17*
*Lolium parum.818.17.Sylueſtre.16.*
*Lombardorum Venetorũ inſigne. 98. 33*
*Lonatorum arma.204.25*
*Longobardorum inſigne.95.1*
*Longolij error.854.42*
*Loquela quibus auibus data.648.12*
*Lorum quo ligantur Accipitres.304.36*
*Lotharingiæ familiæ inſignia & dignitas.105.53*
*Lothericus Dacus rex aucupio mire delectatus.300.40*
*Loticræ familiæ Neapolitanæ inſigne 97.46*
*Loxia confunditur cum Galgulo. 855. 16.capiendi modus.879.45.forma & deſcriptio.878.1.icon.877. ingenium 879.35. Locus. 878. 52. mores 879. 35.nidus.879. 30.Synonima 877.14 victus.879.30*
*Lucanorum populorum inſigne. 104.33*
*Lucerna perpetuò ardens Fatauij inuenta.132.50*
*Lucernæ fictiles in ſepulchris reperiuntur characteribus variis inſculptæ. 133.3*
*Lucerna piſcis.280.13*
*Lucetius quid ſignificet.154.40*
*Lucharus.535.2*
*Lucidia auis apud Albertum.796.28*
*Lucij genus.775.30*
*Lucretia Aldrouanda.607.10*
*Ludouicus Bentiuolus Epiſcopus. 106. 26*
*Ludouici Galliæ regis Coruus venatilis. 702.37*
*Ludouicus Magius Senator Mediolanenſis.882.16*
*Ludouici Viuis error.400.4*
*in Ludis auium vſus.4.55*
*Ludus Coturnicum.5.1*
*Lugdorum oppidũ cur ſic dictũ.712.11.*
*Lugdunum Anglorum & Batauorum. 712.45*
*Lugdunus mons.712.8*
*Lugos non ſignificare Corcum.712.16*
*Lumbrici terræ quem locum ſibi vendicent.839.36*
*ad Lumborum dolores.793 8*
*Lumen perpetuum.132.44*
*Lunæ ſymbolum ſignificatur per Accipitris faciem.330.45*
*Lunariæ maioris vis admiranda.842.52*
*Luocalis.534.35*
*Lupa Marti ſacra.841.30*
*Lupus.695.58.696.5.748.56.ab Aquilis captus.32.42.amicus Pſittaco.653 48.Circus dictus.351.31. coitus cum Aquila.36.7.inſidioſi.40.46.prouerbium.42.10.726.45. quinam Miluus & Circus dicti. 404. 34.facellum Ionis intrans quid portenderit. 515. 44*
*Lupus maior piſcis.280.13*
*Lupi ſiue Monedulæ hiſtoria.770. 40. ſpecies Gracculi.759.30*
*Luridum quid.761.5*
*Luridus ales quæ.855.39*
*Luſcinia.734.29.auſpicium eius quando efficax habitum. 840. 43. canorum Accipiter aſſatur.331.15. cantus excellentia.639.4.5.43.coloris & vocis mutatione ſolſtitium oſtendit.536. eſt ædon.197.23.inſtitutio.3.27*
*Luſcioſus.584.58*
*Luſitanorum arma.179.5*
*Lutea auis.854.35*
*Luteola.854.36*
*Luteus auis.854.25*
*Lutra animal.595.1*
*Lux volucrum.635.40*
*Lybia auis.855.5*
*Lychnis coronaria. 324. 43. Syluestris. 324.42*
*Lycophron explicatus.503.20*
*Lycrates deceptus.69.58*
*Lyra ſtella.429.50*
*Lyſandri interfectoris clypeus. 173. 42.*
*Lynx Kiranidis.239.1*


# M


*Machina bellica quæ Aquila dicta.23.18*
*Macriani numiſma.147.10*
*Macrini numiſma.163. 23*
*Macrobij error.573.10*
*Magnæ Græciæ numiſmata.163. 42*
*Magnanimitatis ſymbolum.72.46*
*Magnus dux auis.506.23*
*Magæ vetulæ.565.42*
*Magi homines brutorum nominibus cõpellant.72.34*
*Maieſtas regia.126.37*
*Malacia grauidarum quid. 776. 26*
*Maluctiorum Bononienſium origo.100 20.Senatores qui fuerint 100.25. viri illuſtres 100.30.inſignia. 101. 33. inſignia militaria apud eos ſeruata. 100.54*
*Malum Armeniacum.423.9.13*
*Mala Cuculi cur ſic dicta.423.41*
*Mala Heſperidum quæ.166.8*
*Malum Punicum Side dicitur.407.47 eius grano pereunt Vultures. 252. 34. Circus & Larus.353.45.Scops.533. 46*
*Mamertinorum aereum numiſma.30.50*
*Manaton Aegyptius ab Accipitrum augurio Capuam vrbem accepit.326 35*
*Mandricardi clypeus.165.4*
*T. Manlius cur Torquatus dictus. 178. 57*
*Manucodiatæ æquinoca.806.15.emblema.809.3.fila dorſo adherentia 807 20 forma & deſcriptio. 806. 55. generatio & incubatus.808.1.genus & differentiæ.806.38.hiſtorica.809.20. incubatus qualis.808.5. Locus. 807. 28.de eo multorum error.807.30.non poſſe moueri perpetuò.807.37.non eſſe Phœnicem. 832. 45. pennæ quales. 807.10. quatuor notis mouetur 807. 54.quo cibi vtatur.808.36.ſynonima 806.27.victus.808.20.Vſus.808.47*
*Manucodiatæ cyrrhatæ.icon.814.maximæ.806.45.primæ deſcriptio.809. 32 icon.810.quartæ ſeu cirrhatæ hiſtoria. 811.50. quintæ ſeu vulgaris hiſtoria. 816.5.ſecundæ icon. 812. Hiſtoria. 811.5.cur habeat duas pennas longiſſimas.811.25.Tertiæ hiſtoria.811.30 Vulgaris icon 815*
*Mantuæ ducum armæ.204.10*
*Manus ferrea à quo inuenta.687.34*
*C. Marcelli & L. Lentuli numiſmata. 144.47.128.20*
*Marchionum de Arena inſigne. 95.50*
*Marchionum Auſtriacorum inſigne. 95.10.Brandenburgenſium. 96. 47*
*Marci Antonini Caracallæ numiſma. 157.4*
*Marci Antonij numiſma.139.23*
*Marci Antonij triumuiri numiſma.144. 4.156.40*
*Marcus Antonius Vlmus.527.30.642 48.*
*Marci Aurelij num ſma.147.56*
*Marci Aurelij Antonini numiſma. 137 52*
*Marci philoſophi numiſma.135.7*
*Maris fallacia Iynx dicta.864.36*
*Mare glaucum cur dictũ.551.40.552.5*
*Mareſcottorum Bonon.inſignia, nobilitas & origo.94.44*
*Marinianæ numiſma.136.23*
*Marionum Eugubinorum origo.203.21*
*Mario Aquila reditum pollicetur.60.1. quid ſeptem eius pulli illi portenderint.57. 48.illius & Domitij pugnæ cum Germanis memoriæ.83.20.primò vſus eſt Aquila aurea. 82. 25.mors. 710.14*
*Marti Aquila mas comparatur.35.52. eius oraculum vbi. 841. 25.quando captus à Vulcano.41.29. per Accipitres denotatus.296. 30. Gryps in eius caſſide.610.23.ei ſacri ſunt. Vultures 254.38*

# INDEX.


254.38. *eius clypeus.* 174.10
*Martellorum Florent. insigne.* 610. 10
*Marthes Aegypti rex.* 744.50
*Martianæ Augustæ numus.* 133.57
*Martiano Imp. umbra ab Aquila facta quid portendat.* 58.55
*Martialis se Psittaco comparat.* 649.49
*Martincengorum Brixiens. insigne.* 98.17
*Martiniani numisma.* 160.11
*Masculi & feminis typus.* 72.39
*Massalæ Coruus orator.* 768.58
*Massanissæ regis maiestas.* 82.20
*Massilien sium numisma.* 131.10
*Matris hieroglyphicum.* 263.42
*Matthias Hungariæ rex Corninus dictus.* 709.3
*Matidiæ numisma.* 134.3
*Matrona.* 535.18
*Mathæi seu Maphæi Thebaldi filij ex Vicecomitum genere insigne.* 98.9
*Mauortia Picus.* 837.6
*Maxentius fugatus à Constantino.* 555.32
*Maxillas quasi habet Psittacus.* 642.13
*Maximini natura & gesta.* 159.37. *numisma ibidem &* 163.35.165.15
*Maximus quo imperium adeptus.* 57.33
*Mechlinien sis dominatus insigne.* 96.50
*Medicamenta quæ homines didicerint ab auibus.* 5.9
*Medicæ familiæ arma.* 179.52
*Medicina quam vilitatem ab auibus capiat.* 5.7
*mediolanen sis ducatus insigne.* 105.48
*meginrandus heremita occisus.* 732. 13
*melampodis scientia.* 269.45
*melampygos.* 205.26.37
*ad melancoliam.* 556.36
*melanaetos an clangorem edat.* 124 25. *caudâ quæ.* 125.22. *magnitudo.* 123. 45. *mores.* 203.1. *nomenclaturæ.* 197. 41. *non clangit.* 33. 39. *pugna cũ ceruis.* 202.33. *cum homine.* 881. 1. *tertium inter Aquilas locũ obtinet.* 109. 34. *historia.* 197.40. *Vsus in armis vulgò dictis.* 203.20
*meliorum familia.* 89.38
*melissophogus* 871.45
*melope.* 625.18
*memnoniæ aues Ouidij* 735.48
*menalcides nequam.* 328.42.
*mendacij symbolum Pica.* 732.18
*mentis intentionẽ denotat Aquila.* 74.53
*mensa coqui seu lanij.* 534.20
*menta & Saluia Accipitri salutaris.* 304 10.296.4
*mercurius delectatur Palumbario.* 279 9 *pingitur cum caducco, galero atque talaribus.* 128.56. *Veneris amore captus.* 77.14
*mercuriº pcipitatũ dicitur Aquila.* 22.20
*meretrices rapaces.* 618.47
*meretriculæ & psaltriæ sunt Sirenes.* 627 10.628.26
*mergulus.* 411.53.443.18
*mergus quando ventum portendat.* 11.34 *de eo apologus.* 584. 39. *a Vulture sibi metuit.* 251.25
*Mergus maior.* 687.5. *Niger.* 223.58
*merillus.* 354.50.380.45.430.8.492 41 *Aesaloni magnanimitate minimè cedit.* 356.3
*meroli Alberto quæ auis.* 848.11
*meropæ mons.* 871.27
*merope Athlantis filia.* 871. 25. *Pandarei.* 871.23
*merope insula* 871.19
*meropis Suidæ.* 871.20
*meropis.* 871.21
*merops fortè.* 848. 11. *Aristotelis.* 796 19.797. 26. *non posse esse Ampelidẽ* 797. 27. *Picus marinus dicitur.* 845.27. *pietas.* 6.8. *æquinoca.* 871.4. *capiendi ratio.* 875. 17. *cur linguam oblongam & gracilem habeat.* 874.8 *fœminæ icon.* 873. *forma.* 872. 50. *generatio.* 874.50. *ingenium.* 875.1. *insidiatur cicadis.* 874.44. *Locus.* 874.16 *maris icon.* 872. *medica auis.* 875.34 *mores.* 875.2. *moralia.* 875.24. *nidus.* 874. 50. *Ossa capitis.* 874. 9. *pietas.* 875.9. *synonima.* 871.32. *victus.* 874 40. *volatus.* 874. 30. *Vox.* 874. 22. *vsus.* 875.34
*meropis alterius descriptio.* 875.47
*meropi congeneris icon.* 876
*meropes dicti sunt populi diuersarum vocum.* 871.16.34
*merops Cous cur figura Aquilæ inter astra relatus.* 77.8
*merops Gigas.* 871.14
*merops Milesius.* 871.19
*merops Percosius vates.* 871.17
*merops Thessalorum rex.* 871.22
*mertis regis Cornix litteras ferẽs.* 739.57
*merula vt annuum fastidium purget.* 5.21
*merula aurea.* 856 16
*merula venatica Aeliani.* 388.30
*merularum species.* 760.15
*metalla vbi non inueniantur.* 603.4
*metallum fuluum.* 820 9
*metellus ab incendio liberatus* 710. 46
*mexicanorum insigne.* 98.40
*microphœnix.* 796.17
*midæ aures.* 554.21. *ei quomodo regnum demonstratum* 59.33
*migrator.* 461.53
*migratoria auis.* 430.49
*militum Mediæ mors.* 709.48
*militum iuramentum.* 138.26
*milites Scutarij qui.* 173.6
*militaris artis vilitas ab auibus.* 4. 8
*militare signum Aquila signat.* 430.1
*miliaria auis latinorum.* 356.35
*miliaris herpes.* 356.29
*milio auis quæ.* 407.27
*milloi apud Nilum.* 687.2
*millo auis est Miluus aut Butco.* 407.27
*miluago.* 687.2
*miluus* 393. 10.237. 23. *in Aegyptum qui migrent.* 398. 37. *æquinoca.* 392 21. *affectus corporis.* 403. 19. *capiẽdi ratio.* 299.29. *amicitiã habet cũ Harpe.* 402.44. *an bibat.* 400.47. *an à voce dictus.* 396.27. *Apologi.* 408.7. *aucupiũ.* 403.27. *audacia.* 401.39. *augu ria.* 405.8. *bibit.* 35.22. *cauda bifurca ta est* 401.25.405.4. *capit aues.* 404. 20. *cauda in alarũ vicem subrogatur.* 397.47. *Circus & lupus dictus.* 404. 34. *cognominata.* 404.36. *cum Coruo dissidet.* 402.52.713.22. *Cuculum ad nos defert.* 398.53. *cui assimilat°.* 405 28. *cur alæ longæ* 398.1. *cur in cælum relatus* 407.55. *cur à Sacris abstineat* 401.52. *cur a Sacris maximè capiatur.* 404.5. *cur sic dictus.* 393.8. *cur super nubes sese efferat.* 390. 20. *denominata ab eo* 404.50. *descriptio et forma.* 396.4. *differentiæ.* 394.1. *dissidet cum Columba.* 403.8. *docuit gubernare puppem nauis* 437.695.12. *emblemata.* 406.20. *fabulosa.* 407.45. *Falco dictus.* 429.55. *generatio.* 400.4. *genus.* 469.57. *industria.* 399.15. 400. 28. *inimicitia cũ Coruo.* 705. 3. *cũ Tri orchi.* 402. 45. *insignis timiditas & ignauia.* 402.10 *inter Accipitres relatus.* 8.5. *Locº.* 398.24. *migratio.* 398 37. *mira velocitas.* 398.17. *moralia.* 405.24. *mores.* 402.20. *mystica.* 406 7. *e nido eius furculus extractus quibus medeatur.* 407. 13. *non insidiet Punicæ malo.* 403.15. *non tenditur ei rete.* 727.37. *cum occidere vbi veti ũ.* 392 16. *omnes oculos dictus.* 396.44. *præsagia.* 405.9. *pullis Indi in venatu vtantur.* 404 26. *quibus auibus insidietur.* 401.10 *quid signet.* 405. 25. *quidam caudam latam habent, quidam bifurcatam* 397. 48. *in eos quinam abiro crediti.* 406. 16 *quomodo homines ament.* 401.20. *rapacitas* 401. 1. *rhamno sibi medetur.* 5.20 *rubrũ colorẽ horret.* 407.52. *sympathia.* 402.44. *synonima.* 392.50. *vbi adoretur.* 399.5. *venatio.* 403. 26. 514. 38. *victus.* 400. 35. *vsus i medicina.* 407.13. *Visus.* 396 34. *vnde dictus.* 397.21. *volatus.* 396. 46. *vox.* 396.20. *vsus in cibo.* 407. 3.
*miluinus oculus.* 396.37
*miluina appetentia.* 400. 50. *mensa ibidem &* 404.53
*miluinæ plumæ.* 404 53
*miluinus pullus pro hoie rapaci.* 404.50.
*miluina tibiæ genus.* 405.5
*miluini vngues pro rapacibus.* 404. 55.
*miluius.* 393.5.46.661.21
*milui æruginosi descriptio.* 396.4
*miluus etolius.* 393.2.394.5. *quot pariat.* 542.27
*miluus albus.* 393.14.394.18
*milui alterum genus.* 363.42
*milui nigri cum Sacris pugna.* 404.12
*miluus palustris.* 210.9 363.50.364.20 393.37.394.23. *est Harpa.* 409. 4
*miluº regalis* 393.38. *cur sic dictº* 394.7
*Milui parui species* 856.4
*Miluus ruber* 364.18.392.53.394.13

*Milluo similis* 393.33
*Milui pes* 405.1
*Milui pisces qui*. 280.9.13.392.36. 687.3
*Milluus pons*. 404.39. *Stella*. 392.39. *Viri nomen* 392.22.30.37
*Milui cauda herba* 324.28
*Mimi cur buffones dicti* 506.37
*Mineruæ quæ auis attributa*. 230.43. *cessia dicta* 552.3. *clypeus* 173.58. *eius pictura* 557.32. *cur Cornix ei inuisa* 738.13.744.32. *Cornix cur non amplius ei sacra* 552.47. *Cornix erat in eius tutela* 744.33. *cur* ἀθηνὴ *dicta*. 552.38. *cur flaua dicta* 552.16. *feli comparata* 559.46. *glaucopis cur dicta* 552.7. *Noctua ei sacra* 552.32. 750.11.653.52.744.36. *per Noctuã significatur* 160.18. *Minerua tribus feris delectata* 557.28. *per Vulturem significatur* 264.30
*Minutius Pica dictus* 781.28
*Mirabilis herba* 654.24
*Miseni sepulchrũ Aeneas ornat* 180.50
*Miserationis hieroglyphicum*. 247.28. 264.31
*mobilitas oculorum in homine quid indicet* 285.15
*moblius* 404.47
*molbius* 404.48
*moles Hadriani superba* 136.4
*moluius* 404.48
*molliceps cũ Galbulo cõfunditur*. 855.15
*moluccarum reguli manucodiatas colunt* 808.48
*momori peritia* 712.36
*monachus moribundus à Vespertilione natus* 586.47
*monacius Plancus quomodo à seditione militum liberatus* 82.58
*monadum orum origo, & insigne* 102.55
*monarchia laudatur ab omnibus* 72.6
*monedula*. 411.51.689.13.23.767. 16.27.772.39. *apologi* 773.4. *cum Bubone* dissidet. 760.44. *coitus* 699.5. *dissidet cum Aquila* 760.48. *fabulæ* 773.5. *forma & descriptio*. 772.12. *furacitas* 772.37. *genus* 759 41.708.22.772.3. *pro ingluuie gulam patentiorem habet* 772.19. *historica* 773.31. *homines fugiens* 773.7. *Locus* 772.22. *moralia* 772.52. *mores & ingenium* 772.33. *cum Noctua dissidet* 760.43. *prosperitatis nuncia* 712.40. *quam antipathiam habeat cum Coruo* 514.13. *seminare docuit* 772.36. *Synonima* 770.52. *vbi cõdat semina* 310. *vnde dicta* 688.41
*monedulæ albæ* 690.42
*monedula Gazæ* 758.6
*monedula rubra* 769.31
*monedula piscis* 758.33
*moneta* 22.22. *aurea Neapolitana* 169.48. *Florentina* 169.41. *dicitur nummisma, in qua Philippi effigies erat* 168.57. *cum Aquila* 87.58.23.22. *Lucensis* 169.50
*Monetaria ars quando erat in pretio*. 166.26
*monmorantiorũ Gallorũ insigne*. 107.11.
*mons Vultur dictus* 237.10. *aureus* 607.18. *eius cacumen quid* 607.18. *quinam perpetuò niue careat* 390.27. *qui Aquila dictus* 23.17. *virtutem notans* 75.2. *Temathia dictus* 734.16
*montanariorũ Veronensiũ insigne* 104.41
*monstrum in Gallia natum triceps, capite Aquilæ, rubetæ, & Leonis* 187.33
*monstra maris quæ* 624.39
*moraniæ insigne* 97.8
*ad Morbum regium* 79.40
*morphnos* 246.26. *cauda* 124.32. *cur nomen Clangę conueniat* 124.20. *dentes ei falsò attributi* 24.40. *Forma & descriptio* 210.14. *generatio* 213.30. *quæ loca petat* 28.21.213.17. *quintum locum obtinet inter Aquilas* 109 38. *Synonima* 209.38. *venatus* 213.39. *victus* 213.24. *vnde* 209.42. *vsus in sacris* 214.1. *in profanis* 214.19
*morphnos Bellonij* 210.36
*morphno congeneris descriptio* 214.35
*morphnos Ornithologi* 210.36
*mormillorum Neapol. insignia* 106.31
*mortis præsaga Noctua* 555.15
*moschi vsus in cura Falconis* 479.9
*motacilla* 853.6.864.48
*motum non esse continuum in Manucodiata* 807.35
*moyses hieroglyphicorum peritus* 70.55
*mugil alatus visis* 429.53
*mulieres morigeræ elogio decoratæ*. 296.34
*mulieris nomine designatur Romana Ecclesia* 63.54. *pariens quid mystice signet* 63.52. *volans quid signet* 63.44
*mumiæ vis in morbis Falconis* 458.30
*mundi imago* 263.54.628.14
*municipij Augusti numismata*. 147.24. 158.42
*murena odit Congrum* 44.46
*mus alatus* 571.54.572.26.57. *cæcus* 572.29. *pennatus* 572.26. *volãs ibid.*
*mures fugandi modus* 747.17
*mus glaber* 572.30
*murem horret elephas* 355.43. *cum eo inimicitia Circi* 353.40
*mus sylueſtris* 572.32
*murina caro quando danda Accipitri*. 313.56
*musæ olim decoratæ pennis auium*. 3.53.
*musicus auium concentus* 5.50
*musicum instrumentum dicitur Phœnix* 818.57
*muscetus vnde* 395.35
*muschettus* 281.32. *est Percnus mas*. 377.4
*musica quam utilitatem ab auibus hauriat* 5.41
*cum Mustella inimicitiam habet Cornix* 739.21
*mustela sylueſtris* 393.21
*mustelæ pisces cur stellares dicti*. 336.50. *cur leues dicti* 337.18
*mutatoriũ Accipitrum locus est*. 327.30
*mutius Scævola Augur* 14.55
*mutilum quid Latini vocent*. 688.3
*myniades* 543.4
*myops* 584.57
*ad Myrmetias remedium* 80.19
*myrrha* 823.8. *ex ea nidum facit Phœnix* 822.50
*myrto sibi Turdus medetur* 520.


# N


*Nabuchodonosor cur Aquilæ cognominatus* 52.18. *per eam significatur* 63.29
*Næuia* 209.41
*Napæi Syrorum auis* 110.22
*Narcissus* 762.26
*Nardi aristæ* 823.7
*Narsingæ regis superstitio in consulendis auguriis* 745.32
*Nasones qui dicantur* 600.9
*Naso adunco suspendere qui dicantur*. 600.8
*Nasus Aquilinus* 24.30. *eius nobilitas*. 55.14
*Nasuti cur dicti* 600.6
*Natare Coruos dixit Mantuan*. 695.10
*Natantes etiamsi nihil moueantur, ab aquis brachijs sustinentur* 397.46
*Natator Lanarius* 384.14
*Natura non procedit sine medio*. 522.5. *eius sagacitas* 580.4
*Nauigatio verna cur prohibita ab Hesiodo* 743.21
*Nauis genus Noctua* 543.36
*Nauem gubernare docuit Miluus*. 397. 52.695.12
*Nauium insignia*. 179.36. *pars γρύπις dicta* 600.15
*Nauigatoria ars quam utilitatem ab auibus percipiat* 4.36
*Nautarum arma* 179.33
*Neapolitanorum antiquorum moneta cum Sirene & Aquila* 88.5
*Nemesis Dea depicta* 728.49. *cur ei Gryphes sacri* 608.24
*Neocora quid* 133.27
*Nephron in Vulturem* 269.16
*Neptunus Accipitri assimilatus* 293.44. *à Minerua victus Atheniensibus stulta consilia immittit*. 555.54. *cum tridente exculpitur in numismatibus*. 128.55
*Nerij Pupinij numus* 143.55
*Neroni Aquila obedit*. 33.3. *numismata*. 129.47.135.6.139.12.147.28.558 37.131.37
*Neruæ numisma* 129.5.134.43.156.55
*ad Neruorum dolores* 260.1
*Nesotrophium quid* 293.19
*Nicendula* 760.45
*Nicolaus Espilctus Insulanus* 801.46

# INDEX.


*Nicothoe.*612.10
*Nidasij Falcones.* 431.26
*Nidos quando aues faciant.*349.50
*Nidum significat Gnisdo vrbs.*97.14
*Nidarij Accipitres.*302.9
*Nidularij Accipitres.*302.8
*Niger color pro malo augurio.* 745.10
*Niger cur contra Seuerum expeditionem omisit.*62.40
*Nigritæ cur Psittacos oderint.* 651.54
*Nilus quando inundet.*829.20.*cur Acciptter dictus.*53.28
*Niphi error.*345.8.763.36.413.50.816 6.837.29.*eius sententia pbata.*376.50
*Nisus* 544.11.*Accipiter minor.* 281.32 *veterum qui.*395.24.*etymon.*395.27 *vnde dictus.*280.34.350.46
*Nisus Alberti.*395.19
*Nisus femina est Fringillarius.*377.4
*Nisus in Haliætum.*196.18
*Nisus Nasonis.* 187. 49. *Recentiorum.* 187.52
*Nix.* 759.9. *calcata pedibus latis quem strepitum edit.*577.32
*Noctua.* 501.2.7.503.51.55.504.9. 512.50.521.26.539.5.572.15.775 34.*eam admiratur Cornix.* 739. 18. *æquinoca.*543.24.*in aere se resupinat* 288.22.*eius & aliarum auium fabula.*559.12.*apologi.*559.12.*ei auxiliatur Accipiter.*295.58.550.1.*antipathia & sympathia.* 549. 12. *amor in pullos.*549.2. *auspicia.* 555 6. *auris.* 554.17.*cantus.*548.8.*capiendi ratio.* 550.25. *cibus & venatus.* 548.27. *cognominata.*551.25.*ei comparantur cæci & indocti.* 26.44. *cum Cornice inimicitia.*549.40.760.42.*cur eam aues innolent.* 408. *cur consilium auibus dederit, ne quercus crescat* 560.36. *cur ei Cornix infesta.* 554. 26. *cur interdiu non cernat.* 546.32. *damnata à Mosaica lege.* 553.44. *denominata.* 551.38. *depicta semper cum Minerua.* 557. 26. *differentiæ* 544.27. *dignitas & honos.*543.14. *duplex apud Bellonium.*546.16.*emblemata.* 559. 48. *est saltatrix & gesticulatrix.* 548. 16. *fabulæ.* 560. 43. *forma & descriptio.* 544.35. *generatio.* 548. 37. *genus.* 504. 7. *genus minimum auritum.*522.33.*hieroglyphica.*553.48. *icones apud antiquos.*557.22.*infestatam iuuat Accipiter.*279.47.*pro infortunio.*554.25. *inter oscines aues numeratur.* 555.7. *Locus.* 547.16. *Mineruam denotat in numismatibus.*128.52.*cum Monedula dissidet.*760.43.*moralia.* 553. 1.*mores.*548.16.*pro morte picta apud Aegyptios.*554.24.*multæ cur Athenis.*547.31.*in eam mutata Nycteme ne.*729.42.*mystica.*552.32.*nocumenta quænam.*556.49.*ex earum ostento Græcorum contra Barbaros victoria* 555.46.*oua vini odium inducit.*552. 56.557.5.*eorum virtus contra ebrietatem.* 554.49.*de partu eius Eustathius & Varinus reprehensi.* 548.46 *eius cum Passere amicitia.* 550.13. *perperam à Plinio Asioni similis dicta,*520.7.*præsagia.* 556.9.*proverbia.*559.12.*prudentia.*560.27.*quando pluuiam præsagiat.* 9.57.*in eam quæ mulier versa.*586.15.*quid commune cum Minerua.*559.44.*quot in locis eã depingerent Athenienses.* 56. *sanguis ad Orthopnœam valet.* 556. 27 *serò canit.* 541.49.*eius signo Samij abuti videntur in Athenienſium opprobrium.*559.3.*synonima.* 543.40 *tanquam ad sepulchrum sedens.* 547. 40.*temperies quæ.*556.50.*Visus.*546 30.*vnde dicta.* 544.12.*vox & præsagia.*547.47.*voces octo.*548.8.505. 10. *Vsus ad capiendas aues.*550.30. 861.50.*in cibis* 557.14.*in medicina.* 556.25
*Noctua aurita.*531.27.*fera.*555.20.*parua Italica.*531.8.546.8.*maior & minor.*544.17.*minor.*531.46.*nostræ forma.*544.43.*parua.*505.14.531.36. *pumila.* 546.16.*Saxatilis.* 531.37. 544.31.545.53
*Noctua genus nauis.*543.36
*Noctuæ laureoticæ.*557.44.559.38
*Noctua piscis.*543.34
*Noctuinum ouum.*559.41
*Noctlicana Bubo dicitur.*512.26
*Noctinidæ aues.*547.7
*Nocturnarum auium forma.* 501.13. *color.*501.22. *quinque genera notæ.* 500.45
*ad Nodos.*260.1
*Noe cur Coruum emisit.*717.56
*Nor quid.*636.46
*Noua auis seu externa quæ.*797.24
*Nouenarius numerus.*748.20
*Noniodunum apud Gallos.*712.49
*Nox pro morte.*554.30
*Numantij ducis prudentia.*201.25
*Numenius ruber quid.*409.52
*Numi Athenienſium habebant imaginem. Noctuæ.*551.30.*aurei occhi di Cinetta dicti.*551.28.*qui Aquilam & Iouem cum fulmine insculptum habent.*156.39.*Ptolomaicus quis.* 169. 25.*Tarraconenſis.* 167.45.*Victoriati.*330.14
*Numismata antiqua an essent monetæ.* 169.3.*Athenienſium cũ Noctua.*557 35.*vsque* 59.*eorũ cognitio in supremo honore apud nobiliores.*127.35.*cũ diuersis characteribus.*165.35.*à lege dicta* 169.9.*materia eorũ qualis.* 168.11 16.*partes eorũ quomodo vocatæ* 167. 32.*quædã cũ inscriptione CONSECRATIO* 137.18.*in quibus Chrysaetos depicta est* 127.41.*qui de eis scripserũt.*127.39.*sine capite quę.*167 47.*varia cum vulturis effigie.*262.40 *cum varijs animalibus.*165.45
*Nuptiarum hieroglyphicum.*747.43
*Nutrix.*562.19.*typus* 584.25
*Nuces reconditæ à Cornis, à rusticis inuentæ.*699.43
*Nucum myristicarum matureſcentium diuersitas.*652.13
*Nux vomica Corui oculus dicta.*708.10 *ea capiuntur Corui* 707.12
*Nuciperæ etymon.*853.9
*Nucifraga quæ auis.*760.14
*Nycteris.*544.15.*dictus ita Cherephon philosophus.*581.4
*Nycticorax.*411.53.501.1.5.503.37. 49.52.504.27.505.15.520.50.521 14.24.539.10.708.20.*quibusdã est Cuma.*544.3.*Noctua.*544.4
*Nyctimene.*544.11.*fabulæ.* 560.45.*in Noctuam mutata.*729.42
*Nyctiporus fluuius.*581.22
*Nympha insectum.*624.10

## O

*Cnos.*205.16
*Ocypete.* 611. 45. 47.*etymon.*619.31
*Ocypode.*612.11
*Ocypteros.*279.8.345.6
*Ocythoe.*612.11
*Octauij numisma.*144.26.128.57
*ad Oculorum albuginem.*222.12.*claritatem.*518.28.*suffusiones.*80 5.195.50 332.34.*vitia.*260.14.18.29.30.407 22.595.35
*Oculi Noctuini qui.*547.6
*Odontides flos.*423.23
*Odor debilior visu.*241.6
*Odrysia.*613.26
*Occonomiam Cornices instituunt* 740.4. *quã vtilitatẽ ab auibus percipiat.*2.34
*Oenuta herba inebriantur Corui.*707.13 *ea vtitur Coruus.*704.14
*Offa Columellæ quid.*315.10
*Offula ex cerebro ossiumq; medullis propinanda Falconi* 447.45
*Olearum vastatrices Cornices.*738.13
*Ololigus.*534.34.*varia sonat.*53435
*Oloris & Aquilæ pugna.*18.8.44.10.45 47.*candidũ colorẽ ei donauit Apollo.* 690.11.*cãtus.*826.36.*innocuus.*665 39.*pennarum vtilitas.*3.38.*proverbium.*765.3.*vox præstans.*5.48
*Olcra vilia Striges dicuntur.*561.33
*Olympiæ Alexandri matris somnium, & eius explicatio.*129.35
*Onager.*765.34.*pro insignibus.* 594.35
*Onocentauri.*623.56.504.11.539.4
*Onocrotalus.*734.38.*plumarum vsus.*3. 45.*quid sit.*411.51
*Onxelos quid.*21.19
*Operis vtilitas.*1.30
*Ophiogloſſus lapis.*156.28
*Opontius Corax dictus.*700.48
*Oppiani error.*520.30

# INDEX.


*Orbis moles significata per effigiem serpentis cum capite Accipitris.* 330.44.
*Oppidorum Imperialium insigne.* 97.19.
*Orchili inimicitia cum Noctua.* 549.46.
*Orci qui.* 254.18
*Ordo quis seruandus.* 108.48
*Origani imago quid notet.* 425.18. *eo sibi medetur Ciconia.* 5.19
*Origenes reprehensus.* 603.26
*Oriolus auis.* 839.1. 855.20. *à Galgulo diuersus creditus.* 855.12. *ad Germanos accedens quid portendat.* 861.23. *nidus.* 652.54. *quando construat.* 839.58. *vnde dictus.* 855.27. 858.51
*Oripelargus Aristotelis.* 216.31. 352.15
*Ornithologi error.* 855.18. 205.53. 210.3. 345.39. 542.24. 754.51. 796.11. 56. 797.46. 875.50. *in eum obseruatio.* 537.45.
*Ornithoteum Card. Estensis.* 512.16
*Oscines aues.* 12.52. 57.7. 688.26
*Oscen Phœbœus.* 684.46
*Osci insigne.* 326.36
*Osiris Aegyptijs est Sol.* 278.36. *victoria de gigantibus.* 330.20. *eius symbolum* 278.36
*Osmen pro Omen.* 12.52
*Ossifraga.* 187.44. 216.37. 223.15. 406.26. 776.54. *æquinoca.* 223.12. *anguillis vicitat.* 230.25. *astutia contra rupicapras.* 229.6. *color.* 124.30. *cur non sit ex genere Aquilarum.* 108.41. *descriptio & forma.* 224.10. 227.42. *descriptio partium internarum.* 226.26. *vsque* 227.28. *fellis vsus* 231.23. *generatio* 229 40. *genus* 189.12. *genus cognatum Aquilis* 109.43. *Ingenium* 229.46 *intestini natura.* 231.14. *eiusdem vsus* 231.20. *magnitudo.* 123.48 *ex eis Milui geniti.* 400.8. *occidentibus præmium propositum* 229.14. *ossium cranij vsus.* 79.36. *ossis vsus* 231 23. *pietas in pullos Aquilæ.* 6.11.38. 20.71.38. *pellis vsus* 229.28. *ex ijs præter Vultures etiam Percnos, seu Anatarias Aquilas gigni tradunt.* 246.28. *quem locum obtinet inter Aquilas* 109.21. *Solertia* 230.30. *venandi tempus* 229.9. *venatus* 230.21 *ventriculi vsus* 79.57. *Vsus in hieroglyphicis* 231.1. *in medicina.* 231.10. *in sacris* 230.40
*Ossifraga parua* 388.8
*Ostia Romanorum clypeis ornata.* 178.50.
*Otis* 505.14. *differt ab Oto* 520.32. *an sit auis Scythica* 233.16
*Otonis numus* 164.8
*Otus* 521.33 *actio & ingenium* 528.26. *aurium eius anatome.* 525.46. *cranij constructio* 527.19. *differt ab Otide* 520.32. *denominata* 529.20. *emblema* 529.58. *eius genus* 521.50. 531.25. *hieroglyphica* 529.34. *imitatrix est* 528.56. *Latinè Asio est.* 520.24. *ab eo medicamenta sumpta.* 529.30. *cum Otide sæpè confunditur* 528.53. *pugna* 528.20. *qui Oti dicti* 422.25. 529.23. *volatus* 528.18. *vox* 528.6
*Otus minimus* 535.10
*Oues centum sacrificatæ.* 55.46. *iuuenes capiunt Aquilæ* 46.57. *inimicitiam gerunt cum Noctua* 549.47. *eis gaudet Aquila* 34.40
*Oua magnitudine capitis infantis edit Struthio* 593.19. *Subuentanea quæ.* 245.47
*Ouipara vnam habent palpebram.* 115.58
*Oxiacanthæ baccæ Accipitri artritide laboranti propinandæ* 319.26
*Oxys Plinij* 410.12. 423.17


## P


*Pagana auis* 363.39
*Pagus quidam Aquila dictus* 23.10
*Palamedis clypeus* 173.45
*Ex Cranum volatu litteras sibi finxit.* 2.1
*Palatinæ aues quæ.* 238.47
*Palatini Comites insignia posuntur concedere* 177.33
*Paluri visciditas* 421.57
*Pallantis exequiæ* 175.54
*Palladius correctus* 686.48
*Pallas ἄλωη dicta.* 557.32. *ancæ simulacrum* 734.18. *cum eius capite, & Noctua numisma* 557.56. *cur glaucopis dicta* 501.17. *cur ei sacer sit Vultur* 263.45
*Palma arbor* 831.13. *eius aureos fructus Corues deuorat.* 710.6. *dicitur Phœnix* 818.22. *item fructus* 27. *ex ea multa fiunt* 171 30
*Palmularij qui* 171.30
*Palpitationi cordis medetur Pica* 5.11
*Palumbes vt annuum fastidium purgent.* 5.21
*Palumbarius Accipiter* 281.36. 282.9. 283.22. 430.9. *eius historia* 342.34. *maior dictus* 337.15
*Palumbaria Aquila* 198.2
*Pamphilus in Bubonē mutatus.* 519.37
*Pandarei fabula* 196.50. *in Halitum abit* 197.18
*Pandiri filiæ ab Harpyis raptæ.* 62043
*Pandum seu Pandoserum vexillum.* 152.26
*Panis Cuculi* 410.12. 423.16
*Panis necat Accipitrē* 290.15. 295.38
*Panope ciuitas* 231.36
*Pantheras panit Heliogabalus* 634.58
*Pantera genus aucupij* 298.33
*Panthera antipathia cum hyena.* 72.20.
*Papa cur dicatur summus Christianorum antistes.* 635.38
*Papauer agreste.* 820.5
*Paphi qui* 567.40
*Papiæ gentis origo.* 160.49. *numisma* 160.41
*Papiliones quidā lucernā petunt.* 704.41
*Papyrius.* 710.52. *auspicia spernit.* 711 11. *Coruus ei occinit.* 711.17
*Paradisi quatuor flumina quæ.* 329.26
*Paradisæam auem Bellonius putat esse Phœnicem.* 821.11
*Paralisi medetur Ciconia.* 5.10. *ad eandem aliud remedium.* 556.35
*Parasiti Coruis comparati.* 695.25. *de eis dictum Diogenis.* 696.27. *eorum typus.* 529.34. *Vespertilionib⁹ comparati.* 577.51
*Parentes senes à filijs occisi & comesi* 262.30
*Parentalia quæ.* 516.46
*Parissa quid apud Præsbyterum Ianum* 638.7
*Parisatis quo Statyram occiderit* 816.37
*Parius lapis in quo Gryphes sculpti.* 609.27
*Parma quid.* 86.7. *descriptio.* 171.56. *eius vsum quis primò instituerit.* 172.15
*ad Paronychias.* 259.14
*Parra auis.* 745.24. 765.35. 871.51. *augurium.* 13.23. 840.53. *inauspicata est.* 13.53
*Parthenope.* 625.16
*ad Partum accelerandum.* 36.50. *ad eius electionem.* 260.41
*Parus.* 567.17. *species.* 534.25. *maior* 871.6
*Passarottus Pictor.* 804.26
*Passer.* 588.28. 738.27. 776.58. *eum capit Aesalo.* 355.37. *captus à Corno* 698.5. *imperfectos & cæcos parit pulos.* 738.44. *cum Noctua amicitiam habet.* 550.13. *à Pica deuoratus* 780.20. *præsagiens tempestatem.* 10.52. *Salacissimus est.* 35.54
*Passer Indicus.* 636.38
*Passer marinus.* 588.25. *cur sic dictus* 588.28
*Passer spermologus.* 854.43.48
*Passer stultus quid.* 550.18
*Passer Troglodites medetur calculo.* 5.12
*Passer dictus M. Petronius* 781.33
*passinaca marina.* 187.56
*patris in filios impij typus.* 71.45. *morosi hieroglyphicum.* 207.43. *qui Accipiter ictus apud Aegyptios.* 323.50
*ex patria illaudata vir illaudatus.* 826.11
*patritij maiorū gentiū.* 164.34. *minorū.* 35
*patroclus Accipitri comparatus.* 293.36
*pauli augurium.* 15.49
*D. paulus qua naue vectus.* 179.36
*pauli Aemylij Gonzagæ insignia.* 103.12
*S. Paulus Anacoreta à Coruis pascitur.* 731.48
*F. paulus Castrutius.* 594.45
*paulus Lonatus.* 204.46
*pauo* 587.49. *in funeralibus Sabinæ Augustæ.* 56.43. *Iunonis auis est* 18.46. *eam denotat in numismatibus.* 128.51 *ei figura.* 820.20. *nobilitas.* 17.26.30

# INDEX.


ornatus & politura studiosus.40. 48.
quando portendat pluuiam.10.50. vt libri medicor.5.20.turgidus.766.27
Pedices Perdicibus comparati.459.37
pœna & præmij signum.75.17
pœne regio Falconibus mirificè abundat.469.19
pectus rapacium.285.40
pecora centum sacrificata.55.42
pecus ferum.761.20
pecunia quanam apud signa deponeretur 150. 33. in vndecimo sacco seruatur sepulturæ causa morientium in bello. 150.40
pediculoris morbus Aquilæ 47.54
peregrini qui dici possint. 462.2
pegasus.613.4
pelargos.534.35
pelecanus.734.38.801. 30. pietas.6. 8. quid sit.411.51
pelecantes.836.5
pelin quid apud Nilum.687.1
pelorus promontorium. 625.37
pelta figura.171.44. 36.& inde: Græcorum qualis.172.20.quid sit.86. 8.rotunda vel quadrangula.171.21
peltati & peltastæ qui dicebantur. 171. 28
penelopis procis mortem prædicit Halitheres.61.53.eius somnium de Aquila & Anseribus.58.25
pennæ missiles quæ.622.13
penula Gallica. 411.2
pepanus herba.405.1.Plinij.405.3
peplum.535.14
pentorobon quid.843.12
perca piscis.377.1.283.23
percnon quid.209. 51.246.26.est ciusdē cum Fringillario specie.376.54.377 2.Homeri quid.187.44.mas est Muschettus.377.4.nigrum interpretantur 210.24.quid significet.376.57. vnde dictus.376.55
percnopteros.352.15.363.44.377.1. sadaucra tangit.35.8.etymum. 216. 13.historia.216.1.generatio.221.38. locus. 221.31.magnitudo. 123. 46. quem locum inter Aquilas obtineat. 109.41.synonima. 216.12. vsus in medicina.222.1.ingenium.221.45
perci seu Fringillarij historia.376. 30
perdix.662.16.737.33.Accipiter eum vnguibus valde tenet.309.18.annuũ fastidium vt purgent.5.21.in capiendis qua voce vtendum.308.33.capiēdi modus. 308. 34. venatio.301.25. garrulus seu canora.737.34.gregem à cane excitatum Lanarius capit.490. 27.eius partes quo propinandæ Accipitri.269.15.pulueratrix est.47.56
perdix minor quid.797.25
perdicarius & Ocypteros Apollinis minister.279.8
perdicotheron auis.351.51
peregrinus Zibeccarus Bonon. 675.28
perfectionis typus.264.25
perforator arborum auis.836.13
Perillus propriæ necis artifex 619.28
perinthij Thraciæ populi.133.27
pernis quid.395.10
pernix Gazæ.377.49
persarum regis vestis Accipitribus pictis distincta.333.26
persici species.422.15
persinæ hecatombe.604.40
persius reprehensus.649.30
pertica Falconis qualis.449.26. Accipitris.304.15
pertinacis numisma.134.6.157.57
pes Cornicis quid.742.57.Coruinus.707 58.743.3.13.Miluinus.404.56
pestis præsagia 405.20.696.32.quæ animalia maximè inuadat.801.16
petiliæ gentis numismata. 130.9
petra Sirenum.625.46
petrus Antonius Lonatus.204. 52
R. pet. Antonius Tolentinus Cremonensis.882.22
phalacrocorax.708.20. diuersus à Coruo marino.687.4
pharao Aegypti tyrannus per Aquilam significatur
pharcelos regio apud Indos.709.30
phari antiquorum quales & cuius vsus 137.24.etymum.137.32
pharos insula.137.27
phasiani pulueratrices. 47. 56. capiendi ratio.310.1
phassophonos.198.1.6
phene auis.230.45
phenæus rex cur ab Harpyis infestatus. 613.46
philippus Eucherº Comes & baro.153.5
philippus Hispanorum rex. 656.23
philippi numisma.145.16
philosophiæ contemplatiuę typus.626.52
philomela 782.34.apologus.331.40
phineus rex ubi regnarit.613.24
phiromacus Cornici comparatus. 738.6
phisica quâ vtilitatē sumat ab auibus.5.3
phison fluuius.806.22
phlegia auis.110.19
phlcos plantæ vsus.623.18
phleinæ vestes quæ.623.16
phlus phlanta.623.18
phocarum insulæ.323.57
phœbeius ales 662.13. 688. 26. 704. 4. quis apud Silium Italicum. 723. 52. oscen.688. 26. quid apud Ausonium. 723.52
phœnix.7.30.662.33.æquinoca. 818.3. ætas.706.12.826.50.831.35. enigma.828.11.amor in parentes 827.22 an vnquam uisus. 828.40. an vnicus sit.817. 8. assimilat ei Lauram suam petrarcha.820.25.Christi typum præ se fert.830.30.corporis affectus. 826. 19.descriptio 834.30.dicitur solis ales 829.22.cerebrum quale.831.48.emblematà.832.9.etymon.819.17.fabulosam auē esse.817.53.forma.819.35 834.30.funus.830.21.hieroglyphica 829. 36. 835. 40.historia ex Tacito 817.25.Locus.820.52.834.49.medica uis 831.45.mors voluntaria. 824. 12.moralia.830.15.mystica.829.14. nidus.817.34.822.38.835 9.ignis vocatur à Statio. 823. 26. quomodo & vbi incendatur. 823. 33. nonnulli semendam esse credunt.833.7.prodigia 828.33.prouerbia.831.30.qui ita dicti.829. 41. quomodo præparet se ad mortem.830.20.quandoque in Aegypto apparuit.817.36.sepulcrū.823.30 Sexu carere.creditur.828.9.symbola. 832.9.synonima 819.17.834.12.Veneri sacrū quidam faciunt. 829. 28. vbi nascitur.821.4.ex verme 824.17 830. 41. vbi uidulari credatur.823. 13.Victus 821.16.viuax est.661.40. volatus 821.57.vox et cātus.826.30
Phœnix astrū 818.3.elixir. 819. 3.filius Agenoris.818.53. Amyntoris.618. 43.fluuius 818.10.11.herba.818.15 20.22 cinctura genus.818.57. collyrium Apollinis. 819. 6. emplastrum. 819.9.equus. 818. 40. populus 818. 54. hyeroglyphicorum inuentor. 70. 44.mons.818.15. mastica instrumentum 818. 57. inter insignia Romani imperij.594.30.pedagogus Achillis. 818.44.poetæ nomen 818.51
Phœnicea Plinij.818.17.Syriæ regio.818 53
Phœniceus color.819.17
Phœnicopteros.205.12.cū apparari iussit Heliogabal.655.1.p insignia.594.35
phrygum insignia.83.3
phrymolochus auis.377.30
phtirophoron quid.130.58
phylli fabula.269.18
pica.384.35.662.15.705.18.766.42. 775.35.776.50.57.historia generalis 775.12.editus cur dicta.778.12.aliæ sylvestres, aliæ urbanæ.777.40.ab Alucone & Vlula infestatur.781.2.an caluescat bis in anno.781.12. Atticis quid 777.3.augurium eius deridetur. 15.45. auguria alia. 781.40. auis est omninora.776.11.buccinatorū ictus exprimit.779.22. capiendi ratio 781. 18. à cancro occisa. 780.25. carnis vsus. 783. 9. cordis facultas. 783. 31.corporis affectus.781.6.cur ita dicta Argo nauis. 776.34. denominata.781.24.dissidet cum Aquila.760 48.æquinoca.775.25 fabulæ.783.44 fellis vsus.783.25.forma et descriptio 784.37.genus & differentiæ.784.30. 777.28. hieroglyphica. 781. 50. humanum sermonem discit.778.20.ignaua. 695. 48. imperfectos & cæcos parit pullos.738.44. ingenium. 778. 16.779.13.Linguā idoneam habet ad formandū sermonē.797.1.Locus.779 55.Loquacitas.650.18.ab ea medicamenta sumpta.783.8. morbum quem sæpe patitur. 776. 9. Motus. 780. 3

*ab eo prouerbium.780.4.nidus. 780. 28. oculis prosunt quocunque modo sumptæ.783.20.Oeconomiæ magistra 2.34.eius ouapicta sunt.738. 26.eorum vsus.783.26. palpitationi cordis medetur 5.11.perperam Picumnus dicta.775.32.poetria.649.39.præsagia. 781. 47. prouerbia. 782. 26. pugnat cum Aquila.781.1. in pullos bcaigna 223.47.quot edat.880. 14. quemodo capiatur 762. 10. sunt è Cornino genere. 775. 19. sympathia & antipathia.780.55.synonima.776 43. temperies.783.9.in mysterijs Bacchi eius vsus.782.30.varia animalia imitatur 779.4.victus 780.10.vnde dicta.775 6 volatus 779.55.vox 778. 16. vsus in cibis 783.36*

*Pica Brasilica.33.657.37 forma & descriptio 801.41.genus & differentiæ. 801.38.icon.802.803. rostrum mirabile.801.49 synonima 801.26.victus 803.52*

*Pica cana.384.56*

*Pica caudata.777. 35. 784. 26. Locus. 778.9 pullorum cibus.880.18. nidus admirandus.879.50*

*pica cinerea 775.41*

*pica clamosa.388.28*

*Pica glandaria.758. 54. 638. 17. 855. descriptio seu forma.790.3.digiti 638 18.inimicitia cum noctua.549.47*

*Pica Graca.384.54.775.39*

*Pica Grisea 385.15.775.40*

*Pica Indica icon 786.787*

*pica marina 775.36.41. 44. eius descriptio 793.16 figura.794*

*pica persica descriptio.793.36. icon.795*

*pica sylvestris.756.54.eam interdum iungit Lanius 388. 5. cur varia nuncupata.777.43*

*pica trucidans quæ.384.54*

*pica varia.784 24. 801. 39. eius historia.784.20 icon.785.cur Plinio ita dicta.777.46.synonima.784.22*

*pica urbana auis.*

*pica hastâ dicitur Belgis & Italis 776. 20.morbum significat.775.39.virum 781 26*

*picare dicuntur mulieres grauidæ. 775. 48*

*picarius.845.37.pici genus.775.45*

*picatio morbus.776.4.26*

*picati qui 775.47*

*picifer.782.26*

*picea arbor quæ. 130. 55. falsò laricem dici.131.2*

*picenses vnde dicti.840.44.eorum regio. 840.45*

*picris herba.324.38*

*picrochola auis quando aquam portendat.11.23*

*picumnus.775.22.836.30*

*picus auis.745.21. 845. 37. admiranda eius 842.40.æquinoca.835. 50. antipathia.842.40.augurio.840.30.cauda cur rigida & durinscula. 839. 7. differentiæ.837.19.digiti pedum.838 57.839.4.duo genera præter Aristotelica.837.17.fabulosa. 842. 20. facultas.842.4.Festus inter præpetes & quandoque inter oscines reponit. 840. 32.forma & descriptio. 837. 54. genus & differentiæ.837.15. gressus & incessus. 840. 3. ingenium 840. 22. à latinis cultus.841. 28. lingua. 838. 1 anatome luscinæ & figura 838.30. Locus.839.11.cur Martiisacer.841. 21. Mortuorum dictus.837.4. mirabiliter tertio ictu nucleũ rumpit.839.25 moralia.841.41.mystica 841.20. negatur in agro Tridentino 839.16.nidi artificium.839. 48. cum in oleis conflauit.839.44.Oculi vis in medicina. 842.10.præsagia.841.17.pluuiæ auis dictus. 10. 30. principalis in auguriis erat.840.38.qui Græcè dicti.601. 33. quomodo arbores scãdant.840.13. Romulum & Remum nutriuit.6. 27 rostri facultas.842.12.an à rostro dictus 836.57 synonima.836. 36. tria genera sunt secundum Aristotelem. 837. 15. victus.839.20. vlmũ tundit 840. 56.vnde dictus.836.50.vsus in cibis. 842. vermem amat.45.38 cum Psittacis confundit Plinius.638.20*

*picus arbores cauans.836.56*

*picus arborarius Plinij 836.56*

*picus Auernensis.851.53*

*picus cinereus.839.1.853.7.eius icon. 853.26*

*picis congener.863.33.icon.863*

*picus ferronius.540.34.furuonius.35*

*picus linguosus.837.26*

*picus luteus cyanopos Persicus. 850. 30 icon.851*

*picus Maij.853.8*

*Picus marinus.845.23.26.837.20*

*picus maximus totus niger.840.35.843. 33.confunditur cum Pyrrhocorace. 769.7.forma.845.3.genus & differentiæ. 843. 38. non degit in Italia. 839. 14.icon.844.synonima 843.26*

*pici maximi Belloniibistoria.850.45*

*picus muralis.839. 2. 856. 29. historia. 851.47.forma & descriptio.852.43. icon.852.synonima.851.48.Volatus, vox,nidus.852.47*

*picus nidum suspendens.839. 2. eius historia.854. 25. de eo propria opinio. 855.22.antipathia.859. 10. auguria. 861.13.capiendi ratio. 861. 45. caro delicata.861.34.denominata 860.50 fabulosa.861.39.forma & descriptio. 856.32.genus & differentiæ.856.22. ingenium.860.44.icon. 857.858. inter oscines & præpetes aues numeratur.861.14. Locus. 858. 43. medica facultas 861.29.mores.859.39.nidus 859.17.præsagia 861. 23. synonima. 854.30.victus.859.3.vox. 858. 50. vsus 861.31*

*Picus niger.838.13*

*picus parus cæruleus.853.11*

*Picus sylvestris.837.20*

*picus toccicolus.837.29*

*Picus varius maior. 758. 31. 845. 24. 854 58.40.æquinoca.845.18. forma & descriptio 846 3.genus & differentiæ.845.44.icon.846.Synonima.845 33*

*picus varius minor.845.40.historia 845 18.dorsum.847.23.per omnia similimus maiori. 847. 20. icon.847. 27. 855.6.856.28*

*Picus viridis.845.48.848. 11. nostratis historia.848. 2. æquinoca. 848.8. genus & differen.848.40.icon 849. medica facultas.850.23. ossiũ usus 850. 23 præsagia.850.15. cum Merope confunditur.848. 9. forma & descriptio 850.3.synonima.848.31.volatus 850 15*

*Pici viridis maioris historia.850.45*

*picus Iouiter dictus.836.27*

*Picus Rex latinorum.836. 17. equorum domitor.836.23.cur in aucm mutatus 836.10.840.39*

*Picosum non piscosum legendum apud Cardanum.837.40*

*icutus auis quæ.837 42*

*Pierides in Picas mutatæ.783.44*

*Pictas quarundam auium erga suum genus.6.9*

*Pigolare quid Petrarchæ.778. 17*

*Pileus intersutus.41.25*

*ad Pilos euellendos 556.24.557.9*

*Pindarus Aquila dici voluit.53.10.765 51*

*Pingalion.561.58*

*Pinguedines auium multos morbos sanant 5.13*

*Pinare est vox Accipitris.388.37*

*Piperis maximus vsus apud Bressilienses. 803.54. eo victitat Pica Bressilica. 803.53*

*Piperiuora auis.801.31*

*Pipini frater cur Gryphus dictus.600.10*

*Pipio calens quando Accipitri dandus. 317.20*

*Pipo.845.23*

*Pipra auis.705.17.845.33*

*Piscium Aquila.187.48. eis Aquilonaris Aquila delectatur.34.51.in numismate Agrigentinorum.161.12. quando magis vel minus natent.695.7*

*Piscator quæ auis.210 10*

*Pisces quæ auis Cardano.837.57*

*Pisinoe.629.18*

*Pisonum familia.89.38*

*Pistacea fructus.635.7.14*

*Pithagoras in Aegyptũ profectus.70.53*

*Pittacus.652.32*

*P.Pinesii Tetrici numismata.136.32*

*Pix.759.101*

*Planare quid.398.11*

*Planca.209.41*

*Plagiarij Harpyis comparati.619. 49*

# INDEX.


*Planga.*209.41
*Plangus.*209.48
*plantas in armis ferre eſt nobiliſſimum.* 180.31.*diuerſa in diuerſis numiſmatibus.* 165.51. *quarundam inuentio auibus aſcripta.*5.16
*planta ſpicata.*633.4
*Plantanta.*209.49
*plat.eſtachos* 687.3
*platanus in Lauro nata.* 3.9.*eius fronde cur Ciconia nido imponat.* 549.55 *Veſpertilioni aduerſa eſt.*580.35
*Platea auis.*835.56
*plato cur quandoque digrediatur.*88.25
*M.Pletorij Ceſtiani numiſmata.*130.16
*Plinius emẽdatus.*284.17.400.27.582 46.*error.*363.17.400.23.40.412. 43.518.43.520.30.528.26.854.54 855.32.*ab Ariſtotele diſſentit.* 835.27.*explicatus.*408.56.770.45.*eius ordo refutatus.*7.30.109.4
*Ploides aues.*621.35
*Ploro.*539.26
*Ploratus lugentiũ Plula dicitur.* 541.41
*Plumæ myſticè quid.*63.35.657.15
*Plumarij qui* 657 11
*Plumarium opus apud Hebræos quid.* 657.15.*egregium.*3.31.*eius textura qualis* 657.36.*eam exercent Indi.* 3.25.655.38.*eo tẽpla & idola ſua exornant.* 656.32.*multa Corteſio donata ab eorum principibus.*656.37
*Plutarchus correctus.*712.7
*pluuiæ auis.*784.26.*cur ſic dicta.* 781.49
*pluuiam quæ aues portendant.* 11.11. *eius præſagium.*9.10.10.7.25.39.47 53.12.16 424.15.556.14.725.15. 716 50.763.42.841.17
*pluuialis auis.*816.27
*pnix.*561.57.562.4
*poculum ex vngue Gryphis.*604.19.15. *ex unguibus Anchæ auis.*604.9
*pocula Cantharia.* 629.16. *Ooſcyphia* 629.16
*poetas Perſius vocat Coruos.*692 46. *quam vtilitatem accipiant ex numiſmatum cognitione.*166.40.*ex auibus* 2.15
*poetriæ dicuntur Picæ.*692.46.775.7
*ad Podagram.*407.37.261.46.596.4
*podarge* 612.17.613.4
*pœna auis.*588.26.595.23
*pœnitentem denotat Accipiter.* 327.14
*polimitarij.*657.11
*polimitarium opus quid.*657.7.15
*politecnus in Pelicanum.*197.20
*pollux correctus.*652.31
*pollex quibus militibus amputetur.*138. 32
*poloniæ regis arma.*97.13.610.2
*polus Antarticus* 13.12. *Aquilonaris* 13.10.*Arctlicus.*13.11
*polycrates tyrannus.*559.10
*polypus Aquilam in uare detraxit & interfecit.*42.3
*Pomeraniæ ducum arma.*181.40
*Pomona Dea.*515.4
*Pompeius Aldrouandus.*218.13
*Pompei exitij ſignum.*60.51.*acies tredecim Aquilis conſtituta.*84.28.*numus* 158.47.161.52
*pomponiæ gentis numiſmata.*161.47
*Pontifex maximus Clemẽs Tertius.*204. 21.*quartus.*98.36.*Pius IIII.* 101.4. *Honorius Secundus.* 103.15. *Sixtus V.* 656.18. *Stephanus Nonus.* 105. 49. *Vrbanus Secundus & Tertius.* 101.37
*pontificiæ claues.*180.24
*ponti & terræ filiæ.*612.1
*pontius cur Cornus dictus.*709.5
*Populum gentilem Columba ſignat.*718. 37
*porcus piſcis.*280.10
*porphirio auis.*776.52.*pudicitia.* 6.4
*porphirij impia opinio.*714.9
*porticus Eleutherij Ionis ubi.*155.6
*portus duorum Coruorum.*710.8
*potentiæ pernitioſa typus.*72.16
*præcones ferales.*254.17
*præcoquum quid.*423.14
*præcox quid.*423.14
*prædiũ in phrygia Aquila dictum.*23.13
*prædo Accipiter dictus.*291.31
*prædicator doctus Coruus eſt.*722.50
*prædetes aues.*12.49
*de præſagijs auiũ cur auctor agat.*9.5.*quibus proſint.*9.12.*eorum cauſa.*9.32
*præſagituræ hieroglyphicum.*365.4
*præſidum cur Gryphus icon ſit.*608.45
*priamo victoriam portẽdit Aquila.*62.38
*primipili munus.*84.4
*primula ueris.*423.20
*principes an poſſint concedere arma ſua & cum quibus conditionibus.* 91.16. *in armis regios mores obſeruãt.*92.25 *arma non concedunt cũ alterius præiudicio.*91.22.*Harpyis cõparati.*620.7
*princeps Biſignanus.*486.26
*principis boni typus.*203.10
*principum Rauennæ ex familia Polentorum inſigne.*98.32
*principis de Scalea Io: Baptiſtæ Spinelli inſigne.*97.38
*Priuati non debent geſtare nobilium inſignia.* 91.1. *quomodo dignoſcantur ab ingenuis.*91.4
*proca infans à Strigibus infeſtata.* 565.50
*procraſtinatores cur Corui dicti.*693.23
*proditoris ſignum Coruus.* 725.51.*eſſe puniendum.*725.54
*prodigi Harpyis comparati.*613.55
*prometheus Aſtrologiæ inuentor.*76.26 *eius cor ſiue hepar comedens Aquila quid denotet.*75.4.*cum cur Iupiter liberarit.* 76.41.*eius fabula.* 76.18. *eius herba.*21.49.*iecur ab Aquila deuoratur.*22.35
*promontorium Minervæ.*625.46
*pronunciatio uocterũ à nñra diuerſa.*167.15
*proſerpinæ effigies cum teda accenſa.*130. 48.*raptus fabula.*519.20.*Veſpertilio ei ſacer.*571.44.577.7
*prouerbia ab auibus petuntur.*5.5
*prudentiam viribus præſtare.*554.56
*pruna agreſtia.*423.41
*pruna cur vocata mala Cuculi.*423.44. *omne genus brabyla dicitur apud Siculos.*423.49
*prunus.*423.8.*eius guttis ſanatur Accipiter.*320.28
*pſalmos Hebræos manuſcriptos ab impreſſis diuerſos eſſe.*718.47
*pſaphon Lybiæ rex.*660.26
*pſarorum genus.*762.33
*pſeudolabyrinthus Cretæ.*578.5
*pſilotrum.*582.39.582.45
*pſittace vrbs* 635.6
*pſittacus.*852.57.*æquinoca.*635.1.*affectus corporis.* 654.9.*agnoſcit ſi quis venenum in domum importet.* 649. 27.*amicitia eius cum homine.* 853. 41.*cum lupo* 657.48.*amor in puerũ.* 650.28.*an adulator.*650.47.*an bellus, an deformis dicendus.* 638.25.*ei amicus eſt Turtur.*653.50.*amygdalas comedit.*639 14.*ab aqua offenditur.*654.13.*articulata eloquitur.* 648 26.*aſcenſus & deſcenſio qualis.*665 20 *eius aſpera arteria prona & ſupina.* 644.58.650.14.*capitis anatome.* 638.43.*vſque* 642.644.*capitis ſcelotos.*642.55.*caſtitatis coniugalis obſeruator.*652.52.*cibus.*665.9.*ab eius eſu abſtinent Indi.* 634.38. *cicures quo cibo paſcantur* 652.19. *colore diſtincti.* 636.37. *columbis amici* 652. 50.*copia & diuerſitas vbi* 636.10. *cranij anatome* 644.*cur hic tardè volent.* 647.23.*cur Picus quandoque vocetur.*635.25.*cur roſtrum habeat aduncum.*637.43.*denominata* 654. 20.*deſcriptio.*637.3.*differentiæ* 636. 3.*penes ingenij docilitatem.* 636.50. *penes magnitudinem.*636.20.*dicendi tarditas vt caſtigetur.* 648.33.*cibrius fit* 651.27.*pro eloquẽtia poſitus* 660.16.*in eum eroticum carmẽ.*652 40.*fœminæ raro humanum ſermone reddunt.*651.44.*fœminæ virides ſtolidiores.*651.37.*in ferreis caueis antiquitus ſeruabantur.*655.19.28.*fœcundi ſunt.*652.50.*cum Gallinis ruſticis & merulis in publicis ornatibus ponebantur.*655.8.*genera* 683.*geſticulator eſt & riſum mouet.*651.24.*hiſtoria in genere.* 634.26.*ad humanæ naturæ ſimilitudinem accedit* 648.5. *icon expreſſa in tabula antiqua.* 655. 9.*indoles ad exprimendam vocem humanã.*647.45.*ingenij inditia.*650. 16.*inſtrumenta ei natura ad loquendum apta dedit.*639.8.*in Inſula Badam tria genera ſunt.* 651.37.*inter aues ingenio et ſagacitate præſtat.* 649 58.*ad interrogata reſpondentis elegãs*

*historia.* 649.16 *libido ex visa puella.* 650.40.*linguæ figura.*650.11.*Locis.* 646.27.*maximè docilis est.*650.56.*in maximo pretio apud Romanos fuit.* 655.15.*Mercurio sacer est.*651.43.*eos mire sagitandi ratio.* 634. 47. *in mortem eius epitaphiū.* 660. 47.661. 52.*more hominis affectibus tangitur.* 650.22.*morum in eis diuersitas.* 651. 35.*mores & ingenium.*648.3.*mūdi ties.* 650. 28.*mideficatio.*652.38.*mūdi artificium.*652.40.*nōr dicti* 636.46. *Ora.*652.55.665.17.*partium descriptio* 638.2.*ex pennis Indi multa conficiūt.*655.36.*eis philautia ineſt.*650. 25.*cur humanum sermonem imitari possint.* 642.17.*potandi modus.* 652. 26.*potus.* 652.25.*prouerbia* 660. 3. *qui clamosiores & mordaciores.*651. 37.*qui & quando in Europam portāti.*678. 10.*qui ad doctrinam aptiores & memoriæ tenacis* 651. 35.*quibus auibus similes.*8.27.*in quibus ab alijs differant.* 638. 50. *quidam dociles.* 636.51.*quidā indociles* 636.53.*quidam vnicam vocem naturalem habēt es* 636.53.*quo cæio gaudent.*646.47 *eorum regiō.* 646. 57. *repunt potiùs quam volant.*647.32.*rostrū cur adun cum.*639.28.*rostrum infcrius.* 641.8 *rostri pars superior cur mobilis sit.* 639. 35. *rostrum instrumentum chirurgicum significat.* 634.33. *saginati.* 634.45.*scansilis est.*639. 24.*sceleto* 643.*semen Psittaci quid* 634. 32.*senex.indocilis est.*660.8.*negligit ferulam.*660. 3.*sermonem humanum exprimit.* 639. 6.*sex digitos in pedibus habentes vbi.*638.6.*solus rostrum infernè apertum habet.*702.14.*simplicitas.*651. 48.*superius rostrum mouet.*645.15.*sympathia* 653.36.*synonima.*635. 9.*tribus digitis & mutus vbi.*638.8.*vbi viles.*647.7.*ventri deditus nuncupatus.* 652. 30. *veterum quis.*637.7.*victus.* 651. 54. *volatus.* 647.12. *vox.*647.36.47.57. *vsus in cibo.*634.37.*in externis.*655.7

*Psittaci albi.*636.40.47.690.45.*cristatus.*667.668

*psittaci aphoni & ferè muti.*647.47

*psittacus Bohemicus.*683. 16. *Brefilicus* 683.15

*psittaci cærulei.*636.45

*psittaci canentes suauiter.* 636. 34

*psittaci cinerei.*636.45.*historia.*675.25. 676

*psittacus cauda prælonga.*636.32

*psittacus cyanocroceus.*665.39

*psittacus erytrochlorus cristatus.* 682. 5.*macrourus.*678.50.681

*psittacus erytrolcucus.*675.46.677

*psittacus Germanicus.*756.50

*psittacus Leucophæus.*670.50.673.*vbi* 636.49

*psittacus magnus.*636.25.*canēs.*66.349

*psittacus magnæ cauda.*636.29

*psittaci magnitudine Columbæ.*636. 27. *Hirundinis.*636.29.*Passeris.*636.28 *Turdi.*636.28

*psittacus maximus.* 665. 28. 46. *cyanocroceus.*663 35

*Psittacei mediocres ex rubro variegati.* 636.58

*psittacus minor macrourōs totus viridis.* 678.30

*psittacus minor viridis.*680

*psittacei minusculi.*636 37

*psittacei muti.*636.56

*psittacei nigri.*636.48

*psittacus non minor Passere.*683.17

*psittaci parui.* 636.26

*psittacus ποικιλόουρος.* 676.671

*psittaci purpurei.*636.44

*psittaci prassini.*636.44

*psittaci pusilli prolixa cauda virides.*636 50

*psittaci rubri.* 636. 42. *rostro luteo vbi* 636.46

*psittaci scutulati.*636.44

*psittacus torque miniaceo.*679

*psittacus torquatus macrourus.*678

*psittaci versicolores.*636.43.*& inde psittacus versicolor siue erythrocyanos* 674.675

*psittacus viridis.*635.15.*vbi.*636. 48

*psittacus viridis superna alarum costa rubra.*668.23.669.

*psittacus viridis melanorinchus.* 670. 672

*psittacus viridis torquc miniaceo.* 637. 10.*torque rubro.*651.39

*psittacus herba.*654.21.635.13

*psittacea fructus.*635.6

*psittaccus.*635.7

*psittacena regio.*635.11

*psittaccus.*635.6

*pterygoidia ossa in homine quæ.* 640. 52

*pteris.*687.30

*ptolomæorum Aegypti numismata.* 129. 44

*ptolomæus Sotir ab Aquila nutritus.* 48. 30

*ptynge.*284.19

*ptynx* 504. 32. 505. 6.*vnde dicta.*505. 38

*puer Corui facie.*733.58

*puer vt absinthium vini redditur.* 554.50

*Pugillares Accipitres qui.*337.37

*pulices ne gignantur quid faciant Cuculi* 424 57.425.14

*pullana quid.*393.48

*pullorum Aquilæ institutio ad venatum Leporum apud Indos.*32.36

*pulli Coruorum qui sint.*721.22

*pullorum fur. vide fur pullorum*

*pullariorum altercatio.*711.6

*pullarius miro modo periit.*711.14

*pulmonaria.*405.3.708.7

*pulpare quibus proprium.*242.49.333.

*pulueratrices quæ aues.*47.56

*purga quid.*454.1

*purgatorij pœnis addictæ animæ.*733.47.

*punicæ malo nō insidet Miluus.*463.15.

*pygardos capra.*205.4.267.10

*pygargi equinoca.* 205.4. *impietas in filios.*71.46.*educatio.*207.15.*etymum* 205.22.*forma & descriptio* 205. 56. 209.4.*hieroglyphica.*207.40. *Locus.* 207.1.209.25.*pugna cum Subbuteone.*209.28.*quartus ei inter Aquilas locus tribuitur.* 109.37. *quæ loca appetat.*28. 21. *quomodo distinguatur à Chrysaeto.* 124. 28. *Synonimæ.* 205. 19.*venatus.*207.30.208.56

*pygargi species apud Bellonium.*206.17

*pygargus secundus & tertius.*208.1

*pygmæi.*533.53.*gigantes* 588.29

*pyra in qua cadauer cremabatur.*132.18 137.19

*pyrrhonis Maluetius.*101.8

*pyrrhonis Heliensis de animalium generatione opinio.*824.7

*pyrrhocorax.*688.13. 689.13. 708. 20. 766.55.767.27.843.32.*panē amat.* 45.38.*vt differat à Coracia.* 767.5. 769. 25.*forma & descriptio.* 770. 2. *genus & differentiæ.* 769. 18.*ingenium.*770.21.*Locus.*770. 13.*cum Pico maximo confunditur* 769.7.*præsagium.*770.*rostrum* 767.6.*synonima* 769.11.*victus* 770.30.*vox* 770. 21.

*pyrrhus rex Aquila dictus.* 52. 58. *eius mortis præsagium* 555.24.*numismata* 128.41.129.43.131.18

*pyrrhus tertius Maluetius Marchio & Senator.*101.28

*pyrus Syluestris.*269.58.270.1


# Q

*Quæstiones ænigmaticæ quæ* 600.30.*pocillatoria.*600.33

*Quandros lapis reperitur in cerebro Vulturis.*259.57

*Quartodecimanorum insigne.*86.54

*Quercus glandifera.*20.21


# R

*Radij & cubiti excessus.*745 44

*Radij tortuosi cur fulguri adscripti.*156.22

*Radix Corui.*708.20

*Ramales.*302.14

*Ramarij.*302.14

*Rampa qui morbus.*323.21

*Ramphastos.* 657. 37. 801. 29.*auis ei congener.*804.6

*Ramphon Kiranidi.*801.31

*Ranæ piscatricis astutia.*334.51

# INDEX.


*Ranunculus polyanthemon.* 743. 14
*Ranunculi species.* 708. 1
*Ranunculi viridis facultas.* 583. 25
*Rapa quando scritur.* 781. 9
*Ragarius.* 253. 1
*Rapere quid.* 250. 34
*Rapacium auium historiam à Vulture est exorsus Bellonius.* 235. 30. *similitudo inter se confusionem parit.* 394. 48. *nidos in altissimis rupibus construunt.* 808. 26. *earum in volando diuersitas.* 434. 35
*Rapinarum typus.* 619. 17
*Rastra.* 179. 46
*Raua vnde dicta.* 688. 52
*Raymundæ familiæ insigne.* 98. 15
*Reboatum Aquilarum timēt aues.* 333. 34
*Recentiorum ordo de Aquilarum generibus refutatus.* 109. 10
*Reclamatorum significat scapum pinnatum.* 470. 17
*Regalbulæ auis circa Bononiam.* 855. 24
*Regaliolus ramusculum laurum Pompeianæ curiæ inferens.* 861. 17
*Regaliolus Suetonij quæ.* 861. 18. *à Regulo dictus* 861. 21
*Regulus.* 223. 38. *vnde dictus.* 861. 22
*Religio cucullendi signa in locis suis.* 149. 33
*Remi nisci solius est hominis.* 31. 11
*Remores aues.* 13. 47
*Repagula.* 179. 42
*Reptatrix.* 869. 45
*Reptile alatum.* 571. 51
*Resupinè ascendere quid.* 840. 17
*Retis genus quod Pinnatum dicitur.* 262. 14
*Retis piscatorij genus.* 600. 16
*Reuocatorium instrumentum.* 305. 37
*Rex auium quæ auis.* 861. 20
*Rex alitum orientis.* 635. 40
*Regem Aquila denotat.* 71. 1
*Reges Marmin vt animæ immortalitatem credant.* 809. 20. *cur Mahumetani facti.* 809. 25
*Regis Philippi Hispaniæ insigne.* 106. 33
*Regis pij hieroglyphicum.* 71. 36
*Regum priscorum Apuliæ insigne.* 98. 3
*Regina insulæ floridæ induta opere pluma rio.* 657. 48. 659
*Regia potestas pluribus cōmissa fuit causa multorum malorum.* 72. 3
*Reguli auis magnanimitas.* 2. 28. *pluuiam quando portendat.* 11. 19
*Regulus auguriorum obseruator captus.* 15. 47
*Rhamnum cur nido imponat Milus.* 400. 31. *eo sibi medetur* 5. 20
*Rhea Struthio dicatus.* 589. 15
*Rhetorica quā vtilitatem ab auibus percipiat.* 2. 14
*Rhinoceros auis* 266. 18. *caput.* 804. 32. *rostrum* 805. *cur ita dicta.* 804. 10. *vbi interfecta.* 804. 30. *rostri forma.* 804. 35
*Rhombum quo referat Turbo.* 864. 53
*Rhomphæa.* 572. 14
*Rhoptrum quid.* 687. 52. 742. 18
*Rhyntace auis.* 817. 43. 806. 33. 835. 1. *historia.* 816. 23. *non esse Manucodiatam.* 816. 34. *nō esse Phœnicē* 834. 44
*Riciæ familiæ Neapol. insigne.* 104. 40.
*Rigcius auis.* 855. 24
*Rindace.* 816. 26
*Ringtalus Anglorum.* 373. 25
*Ripariæ aues quæ.* 430. 56. 871. 50
*Riphæi montes* 605. 44
*de Robore familiæ insigne.* 100. 2. 15
*Robori secus quę auis Gazæ.* 836. 46
*Roucrellæ familiæ viri illustres.* 103. 40. *origo & insignia.* 103. 33
*Rodulphus Isolanus Comes & Senator.* 678. 52
*Romæ numisma.* 163. 5
*Romanus ales quæ auis.* 17. 40
*Romanorum clypeus.* 172. 58. *cur magni fecerint Vultures.* 236. 16. *imaginibus vtebantur pro insignibus.* 89. 26. *nobiles vt cognoscebantur.* 89. 33. *falsa persuasio de immortalitate animarum Imperatorum.* 56. 28
*Romuli & Remi augurium.* 255. 52. *vt meriti.* 6. 27
*Roris generatio.* 808. 26. *eo non viuere Manucodiatas.* 808. 20. *eo victitare creditur Phœnix.* 822. 20
*Rosa in armis est quid nobile.* 180. 31. *cātharos necat.* 152. 26
*Rosomacha Sclauis quid.* 236. 43
*Rostrum serratum minus propriè dicitur dentatum.* 24. 40.
*Rota quatuor radijs distincta metaphoricè dicitur Iynx.* 867. 46
*Rubecula tempestatis nuncia.* 11. 21
*Rubetarius Accipiter.* 283. 23. 344. 4. 363. 57. 377. 30
*de Rubo apologus.* 584. 39
*Rubigalia festa quando fierent.* 185. 17
*Ruc auis maxima.* 603. 41. *imago.* 610. 40
*Rugerij arma.* 181. 10. *clypeus.* 87. 1. 174. 48


# S


*Abellorum origo.* 168. 33
*Sacri Accipitris historia.* 378. 20
*Sacer maior.* 468. 2
*Sacerdotē malum Coruus signat.* 720. 15
*Sacerdotes pterophori.* 596. 53
*Sacre quid.* 281. 46
*Sagittarij venatores qui* 333. 30
*Sai oppidum.* 278. 34
*Sales.* 426. 12
*Sal ammoniacus Aquila dictus.* 22. 20
*Salamon docuit dæmones fugare.* 715. 1
*Salij duodecim.* 92. 45. *Martis sacri.* 172. 26
*Salix amica Accipitri.* 296. 4
*Salputa.* 580. 40
*Saltationis genus* 503. 30. 506. 33. 503. 23. 533. 26. *quæ auis faciat.* 528. 47
*Saluatoris nostri miser. tio significata per vulturem.* 264. 38
*Saluia amica Accipitri.* 296. 4
*Samena nauigij genus.* 559. 5
*Samnitum fuga.* 711. 42. *religio.* 711. 20
*Sancti cur Aquilis cōparati.* 67. 31. *Phœnici.* 831. 13. *eorum intelligentiā Aquila denotat.* 65. 23. *repuerascunt assumpto immortali corpore.* 68. 39
*Sandana pilarius.* 885. 6
*Sanguis an ab hepate, an à corde.* 330. 5 *per Aquilam indicatus.* 71. 19. *Idem. Aquila.* 35. 35. *est animæ vehic* 329. 52. *ex eo volunt gigni Phœnicem* 824. 26. *sinceri tenuis & calidi effectus.* 31. 15
*Sanguinarij Vultures qui.* 250. 43
*Sanitatis conseruatores vultures.* 243. 40
*Sanqualis.* 223. 16. 333. *an inter Aquilas* 230. 50. *augurijs facens.* 254. 45
*Sansonis enigma.* 600. 45
*Saperda A. benæo.* 687. 3
*Sapientes mundi Noctuę comparati.* 553. 8. 554. 1
*Sardonia herba* 708. 2
*Sationis modum docuerunt aues.* 3. 6
*Satyrorum aures.* 554. 19
*Satyri syluestres.* 688. 31
*Satyria auis.* 688. 36
*Satyrion autumnale.* 363. 13
*Saxa pro ancoris in vsu fuisse.* 71. 36
*Saxum insigne Scothorum quod* 459. 18
*Scarra.* 179. 42
*ad Scabiem.* 518. 26
*Scandulaca.* 869. 45
*Scapulæ processus.* 708. 31
*Scapus alatus quid sit.* 441. 10
*Scapus in botro quid.* 688. 3
*Scapus pennatus.* 470. 16. *vsus apud Accipitrarios.* 305. 38
*Scarabei odium cum Aquila.* 45. 14. *apologus.* 78. 46. *Aquilam prosequi audet.* 252. 11. *ova Aquilæ rūpit.* 78. 54
*Sceptrum cur Iouis attributum.* 154. 48
*Sceptris regū exprimi solet Aquila.* 82. 3
*Scæuolæ clypeus.* 175. 20
*Schviforti oppidi arma.* 181. 8
*Scientiæ omnes vtilitatem habent ab Ornithologia.* 6. 45
*Scipionis audacia.* 711. 40
*Scipio eburneus supra Aquilam.* 82. 24.
*Scolæ militares quæ.* 173. 17
*Scorpionibus inimicissimi sunt Accipitres.* 295. 16. *prouerbium.* 749. 30
*Scops.* 500. 53. 501. 4. 503. 52. 528. 52. 539. 23. *æquinoca.* 530. 22. *antipathia* 533. 47. *quis est nocturna.* 758. 27. *aurita.* 531. 38. *denominata.* 533. 53. *descriptio.* 531. 45. *duplex.* 531. 30. *est cornuta auis.* 530. 15. *generatio.* 535. 40. *genus & differentiæ.* 531. 19. *Græcorum.* 506. 25. *historia.* 530. 10. *ingenium.* 533. 24. *mirabilia quæ sint.* 546. 7. *non esse*

*q. non esse Alionem.* 520. 25. *non vti voce articulata.* 533. 20. *Perennes sunt.* 533. 9. *synonima.* 530. 40. *Vox.* 533. 8. *vocales.* 531. 40. *vsus in cibo.* 534. 3

*Scops piscis.* 530. 23

*Scops saltationis genus.* 506. 34. 530. 27 533. 26

*Scopi typus significatus per Vulturem.* 264. 50

*Scriptor inclegans Coruo comparatus.* 692. 45

*Scrupi qui dicti.* 600. 20

*Scurra auis.* 767. 27. 759 31

*in Scutis cur imagines animalium insculpantur.* 93. 54. *eorum differentiæ.* 170. 39. 92. 34. *ex corio elephantis.* 170. 48. *coronis ornata.* 175. 30. *Gallicana.* 172. 53. *grandia quorum fuerint.* 172 46. *parua quæ.* 170. 55. *quale præferendum.* 176. 50. *quid sit.* 85. 50. 170. 13. *sunt equitum.* 86. 4

*Scutariorum armatura.* 173. 10

*Scutulum castellum.* 411. 35

*Scylla in aucm.* 96. 28. *in piscem.* 196. 46

*Scyssa.* 775. 25

*Scythicæ auis historia.* 233. 1

*Seditiosi Vulturibus comparati.* 257. 40

*Segetia Dea.* 515. 6

*Selenides aues.* 621. 35. 629. 1. *æquinoctio.* 629. 10. *forma.* 629. 34. *Locustas necant.* 2. 14. *Locus, victus, natura* 629. 44. *moralia.* 630. 3. *synonimæ.* 629. 23. *symbolum.* 630. 14

*Selenitis pro calciamento.* 629. 14. *pro poculo.* 629. 15

*Semen maximum.* 505. 42

*Semenda auis Phœnix credita.* 817. 46. *de rostro mendacium.* 817. 50. *cranij descriptio.* 833. 3

*Semiastur Tardiui, & Bellonij.* 339. 8

*Semicaprę.* 688. 30

*Semidei.* 688. 29

*Semimus.* 572. 23. 58

*Semiramis ab auibus nutrita.* 6. 26

*Semij.* 467. 57

*Semperasiones.* 531. 32

*Semproniæ gentis numisma.* 143. 19

*Senex cur barba dicatur Italis.* 539. 19

*ex Senibus iuuenes quomodo nos reddidit Deus.* 68. 28

*Senex maximè.* 505. 41

*Senes nasfri Vulturij dicti.* 739. 45

*Sepeliendi amor in Accipitre & Hirundine.* 6. 9

*Septimij Albinij numisma.* 146. 19

*L. Septimij Seueri numisma.* 134. 15. 146 30

*Sepulcra animata quæ.* 238. 53. *antiquissima suauissimos odores effantia.* 132. 39. *eorum apud antiquos honos.* 608. 29. *eis Gryphum figuræ apponebantur.* 608. 25. *regum, consulum, Imperatorum Romanorum in campo Martio erant.* 133. 9. *eorum violator Vespertilio dicitur.* 581. 17

*Serabidis herba.* 363. 12

*Serenitatis prognosticum quoddam.* 581. 37. 517. 40. *cam quando Cornix prædicit.* 746. 28. *quando Coruus.* 717. 38 *quando Grues.* 10. 53. *noctua quando* 556. 15. *eius & pestis signa.* 405. 20.

*Sergij Galbæ numisma.* 141. 44

*Serinus auis.* 308. 5

*Seris auis Gallis quæ.* 624. 4

*Sermones impliciti & nodosi.* 600. 30

*Serpenti comparatus Christus.* 67. 42. *ei inimicissimus est Accipiter.* 295. 15 *pro insignibus vbi.* 594. 30. *insidiosus est* 40. 45. *ei maximè inimica est Aquila.* 66. 37. *ad eius morsus.* 260. 16. 50 *apud Oscos populos abundat.* 326. 37. *cum auiditate eo vescitur Aquila.* 34. 78. 44. 9. *Senectam exuit.* 46. 23 *æneus Christi typus.* 66. 46

*Serpens sacer.* 467. 23

*Serta ex Sirenum pennis.* 625. 31

*Seruij error.* 279. 4. 873. 2. *eius dubitatio de Corni præsagio.* 717. 10

*Seruus inclegans Coruo comparatus.* 692 44

*Sesamoides verum.* 743. 37

*Seseli Creticum.* 254. 21

*Seueri numisma.* 138. 38. 176. 30

*Seueri Alexandri numisma.* 157. 51

*Sibaritarum numus.* 558. 32

*Sibertus Austriacus.* 204. 17. *tertius.* 204. 21

*Sica.* 775. 29

*Siciliæ regni insigne.* 104. 46

*Siclus.* 167. 44

*Side amata à patre.* 407. 46. *dicitur malum Punicum ibidem*

*Signeæ familiæ Comitum insigne.* 96. 52

*Signa in cohortibus ab Aquilis erant distincta.* 148. 50

*Signa cuiusq; quæ.* 151. 22. *fixa & non fixa.* 151. 16. *Legionis Aquila dictum.* 23. 25. *militaria in multis numismatibus.* 147. 1. *eorum origo.* 148. 5. *vsus quando incœpit.* 151. 1. *multa apud Romanos in militia erant.* 85. 7. *muta & vocalia quæ.* 83. 25. *nouem erant in legione perfecta.* 149. 26. *omnia ex argento olim fuisse.* 82. 28. *Romanorum qualia.* 83. 24. *seruabantur in templo religionis causa.* 82. 40

*Silicernium quid.* 402. 1

*Silesiæ prouinciæ insigne.* 98. 6

*Simeonis Bulgarorum ducis & Lagapenis Imp. dissidij indicium.* 62. 27

*Simiam Corni x miratur.* 739. 19. *ebrietas* 651. 31. *gesticulatione gaudet* 639. 4 *ad humanæ naturæ similitudinem accedit.* 748. 4

*Simij cur sic dicti.* 600. 7

*in Simulatores dictum Pythagoræ.* 782. 20

*Sinapus Aethiopiæ rex* 616. 44

*Sirenum æquinoca.* 623 56. *allegoricæ.* 627. 54. *cantus & rapacitas.* 625. 55. *cur Achelonides dictæ.* 625. 26. *cur tres dicerentur esse.* 628. 7. *denominata.* 626. 33. *emblemata.* 628. 43. *forma & descriptio* 624. 38. *hyeroglyphica.* 627. 23. *locus.* 625. 37. *moralia.* 626. 51. *cũ Musis de cantus harmonia decertarix.* 625. 30. *nomen & etymon* 624. 20. *ortus.* 625. 22. *prouerbia* 627. 40. *quot fuerint.* 625. 12. *symbola.* 628. 37

*Sirenum saxa.* 626. 35

*Siren auicula.* 624. 2. *tunica.* 624. 15. *insectum* 624. 8. 10. 14

*Sirenei Scopuli* 626. 47

*Sirenusæ insulæ.* 626. 34

*Siseris Cretici semine Vultures delectantur.* 252. 46

*Sitis hyeroglyphicum.* 725. 15

*Sitta auis.* 733. 18. 856. 29. 839. 1. *æquinoca.* 852. 54. *antipathia.* 854. 20. *cis Aquila.* 45. 13. 854. 20. 50. *cum Coruo.* 854. 50. *forma & descriptio.* *generatio.* 854. 15. *genus & differentiæ.* 853. 17. *icon.* 855. 26. *mores.* 854. 21. *nidus.* 854. 14. *victus* 854. 13. *synonima* 853. 1

*Sixtus V. Pontifex Max.* 862. 48

*in Smaragdo sculpta Aquila quid præstet apud Magos* 80. 38

*Smaragdi virides.* 661. 10. 820. 13

*Smerillus.* 354. 50. 377. 28. *mas.* 354. 54

*Smerlus.* 354. 50

*Sobrietas.* 725. 17

*Solem cur Aegyptij venerentur.* 829. 15 *hieroglyphicum.* 286. 34. 330. 36. *eius imago Aquila.* 71. 11. *cur ei Aquilæ dicata ab Aegyptijs.* 35. 57. *scientiarum origo est & fons.* 74. 53

*Solstitium Luscinia ut ostendat.* 5. 36. *per radios solares vt ostendatur.* 166. 17

*Solanum hortense.* 410. 23. *furiosum.* 410 15

*Solicana auis.* 512. 51

*cum Solifugis & omnibus formicis dissidet Vespertilio.* 580. 45

*Solini error.* 638. 11

*Solitudinis regni imago.* 71. 49

*Somnus quid* 807. 44. *vt concilietur* 424 46

*Sonchum cur comedat Ossifraga.* 230. 35

*Soranzorũ familiæ Venetæ insigne.* 96. 8

*Sorex auis.* 572. 23. *calnus.* 572. 30

*Sori Accipitres vnde dicti.* 302. 21

*in Spartani cuiusdam clypeo mirum insigne* 173. 43

*Spartea vestis vsus.* 707. 21

*Sparuerius Tartarus.* 486. 41

*Spectrum nocturnum.* 562. 1

*Speculæ cur in mari constructæ.* 137. 30.

*Spermologus.* 758. 23. *quæ aues co nomine dicantur.* 696. 40. *Gracculus est secundum Bellonium.* 770. 49. *à Graculo ut differat.* 752. 37. 772. 5

*Sperucrius.* 377. 50. *descriptio ex Bellonio.* 349. 30. *qui eligendi.* 349. 37. *est omnibus rapacibus minor.* 348. 17

*Spem pretio emere stultum est.* 331. 35.

*in eius*

# INDEX.


*In eius simulacrum emblema.* 750. 5.
*cur Cornix eius symbolū.* 737.4. *aliud symbolum ab eadem.* 748.42
*Sphinges Picæ dictæ.* 775.46
*Sphinx pro præmio proponebatur.* 602. 56
*ex Spina alba Ianalis virga.* 566.40
*Spinilanius.* 384.46
*Spinitorquis.* 388.21
*Spiritus Sanctus significatur per Aquilam* 67.12
*Spuriorum arma qualia.* 90. 54
*S. Stanislaus occisus.* 50. 5. *eius membra ab Aquila seruantur.* 50.13
*Stella Falco dicta.* 429.48
*Stellaris seu Asterias.* 282.22
*Stephani Forcatuli lapsus.* 715.7
*Sterilitatis inditium.* 547.37
*Stirpes vt fructificent.* 738.34
*Stria quid.* 561.38
*Stridor auis.* 564. 3. *vox Vespertilionis.* 577.12
*Stridula auis.* 562.22. 564.4
*Strigæ.* 565.42
*Striga ordo rerum.* 561.42
*Strigiles canaliculi qui.* 561.39
*Strix.* 500.53.535.29
*Strigis æquinoca.* 561. 30. *à Caprimulgo differt.* 567. 30. *cibus & rapacitas.* 564.30. *denominata.* 565.39. *descriptio.* 562.26. *facultas medica.* 566.50 *augurij.* 565.28. *fabulosa* 565.48. *nidus.* 564.17 *nocturnaga.* 564.15. *noxia* 564.28. *obscena volucris.* 565.4. *perniciosa & nefanda auis.* 561.52. *Synonima.* 561.49. *violenta dicta.* 565.32. *vnde dicta* 537.15. 562.5. 564.41. *nostræ forma.* 562.37. *Taxiculæ.* 565. 37. *vox.* 564.3. *animal in Africa crinacio simile.* 561. 40. *pro cauitate columnæ.* 561.37. *pro frumento.* 561.30
*Strigosum animal quale.* 565.44
*Strigulus auis.* 758.49
*Strophades insulæ.* 613.17. 614.5
*ad Strumas.* 259.14
*Struthiocamelus.* 18.46. 588. 5. 624. 1. *æquinoca.* 587. 25. *ancipitis naturæ est.* 587.9. *affectus corporis.* 593. 29. *an inter aues, aut quadrupedes numerandus.* 588.50. *antipathia & sympathia.* 593. 50. *capiendi ratio.* 594. 3. *cerebella in cæna exhibita.* 596. 15. *coitus.* 593.11. *cur natura bisulcum esse voluerit.* 589.40. *cū equo odium* 593.50. *etymon.* 588.30. *ferrum non concoquere.* 592.52. *forma & descriptio.* 589.8. *genera & differentiæ.* 588 50. *hieroglyphica.* 594.50. *ab eo Plin. auspicatur.* 7.30. *icones.* 594. 28. *Locus* 592.3. *medica uis.* 595.30. *ex minimo maximus euadit.* 589.11. *mores & ingenium.* 593.33. *naturaliter caluet.* 593.30. *nidus generatio educatio.* 593 7. *in numismate.* 594.37. *nutritio.* 592 47. *octuaginta ouа excludit.* 593. 13. *oculorum vsus.* 596.25. *pennarum.* 285 7.4.20. 596.45. 58.3.51. *in numis pictæ.* 594 39. *præparati cibus.* 596.19. *prouerbia.* 595.16. *Sceleti descriptio.* 597. 50. *Symbola.* 597.3. *Synonima.* 587. 43. *victus.* 592. 47. *volatus & gressus.* 592. 37. *Vox* 592. 28. *vsus in externis.* 596.8
*Struthio Africanus.* 588.24. *libycus.* 25 *magnus vel lybicus.* 588.22
*Struthiones Mauri.* 588. 18. *miniati.* 594.34. 589.27
*Struthiocamelus herba.* 587.25
*Struthion.* 587.25. 50. 588.28. *mali genus.* 587.36. *pro mentula.* 587. 37.
*Struthiophagi populi.* 592. 16. 594. 13. 596.8
*Studiosi omnes quam vtilitatem percipiant ex numismatum cognitione.* 166 44
*Stultitiæ symbolum.* 595.12
*Sturnus.* 662.15. 776. 50. *agmen.* 760. 56. *loqui discit.* 648.13. *quid sit.* 280. 42. *eius turmā inuadit Aquila.* 42.15
*Stymphalides aues.* 621. 47. *æquinoca* 621.28 *descriptio.* 622.3. *differentiæ* 621.50. *etymum* 621.32. *locus.* 622. 33. *rostri durities.* 623.6. *quomodo capiantur.* 623.16. *Synonima.* 621.32. *victus & feritas.* 623.3. *vngues formidabiles.* 623.9. *vt ab Hercule fugatæ* 623.2.23
*Stymphalides cyrratæ.* 622.7
*Stymphalides insulæ.* 622. 46
*Stymphalus amnis.* 621.28. *oppidum.* 621.28
*Styx quid significet.* 422.17
*Stygiæ canes.* 611.39
*Subaquila.* 216.24.235.36. *sequitur cadauera.* 35.16
*Subaquilus.* 216.41
*Subis auis odium cum Aquila.* 45.13.47
*Subbuteo.* 283.23. *descriptio.* 375.15. *Pygargum volatu superat.* 209. 15. *cum eo pugnat.* 209.18. *Synonima.* 373.30 *venatus.* 375. 50. *volatus.* 375. 40. *vsus.* 376.27
*Sublitius pons.* 404.40
*Subulturius.* 254.14
*Suidæ dictum de Noctuæ saltu.* 548. 22. *pro Sulfure sumitur Aquila.* 22.20
*Superbi mystice indicati.* 66.22
*Superbiæ typus Aquila* 66.11
*Surrentum Campaniæ oppidum.* 625.44
*Sues centum sacrificatæ.* 55. 46. *prouerbium.* 108. 50. 749. 47. *eas horret elephas* 355.43
*Sulli flores.* 324.29
*Syca.* 775.29
*Sycophantæ imago Coruus.* 725.31
*Syderitidem herbam quæ aues inuenerūt* 5.23.
*Syllæ sigillum.* 179.5
*Syluarum dominus.* 384.50
*Symbola ab auibus petuntur.* 5.5. *Pythagorica cur gryphi dicta.* 600.35
*Symmachus correctus.* 692.40
*Symphena herba.* 654.23
*cum Symphito antipathia Aquilæ.* 45. 49.
*Syphona herba.* 654.22
*Symphonia herba.* 654.21
*Syracusanorum numismata cusa in honorem Iouis Elei* 128.7. *alia numismata.* 160.22
*Syrnia nocturnaga.* 561.49.52
*Syrnium.* 562.3
*Sysimbrium.* 423.26


# T


*Abellarij pennas Struthionis portabant.* 596.47. *eorū vice aues functæ.* 4.25
*Tabernaculum in medio castrorum pro signis.* 150.46
*Tafaris pediculus Vulturis.* 252.2.253.2
*Tagodia.* 520.48
*Tagomus.* 253.1
*Talpa.* 572.1
*Tali iactus basiliscus dictus.* 237.43. *Vultur dictus.* 237.11. *vorax* 257.37
*Tarentinorum numus.* 558.36
*Targa quid.* 85.50
*Tarquinio Prisco Aquila imperium portendit.* 58.6. *maiestas.* 82.15
*Tarquinij Superbi exitij signum.* 62.15. 255.23
*Tartari Bubonem honorant.* 517.32
*Tatij Sabini clypeus.* 173.52
*Taurini populi.* 23.8
*Taurus.* 765.34. *eum adoritur Aquila* 17.49.31.36.34.48.40.3.42.21. *ad ueruatur Coruo.* 705.20
*Taurus cornibus excelsis.* 742. 55
*Taxus funesta.* 565.36
*Tempestatis signum.* 581.39. *à Cornice.* 746.2. *à Gracculis.* 10. 30. *à Gallinis* 10.43. *à Gruibus.* 10.54. *à Passeribus* 10.52
*Templum Castori & Polluci sumptuosissimum Locrenses ædificarunt.* 128.37 *Salamonis ex quo ligno* 52.36
*Tendere aucupibus quid.* 397.33
*Tercellinus.* 282. 33. *dicitur plerunque mas omnium rapacium.* 337.45
*M. Terentij Varronis numisma.* 162.7
*Termini hieroglyphicum.* 265.1
*Termites Falconis morbus.* 452. 13
*Teniæ variorum colorum in factione militum.* 85.24
*Terræmotus prædictus.* 800. 9. *quando Ferrariæ factus.* 800.53
*Terripauium.* 12.55
*Tertiarius Accipiter.* 282.38
*Tertiolus Accipiter.* 282.33
*Tessera apud Romanos multiplex.* 85.20
*Testamenti vtriusque doctrina per Aquilam significatur.* 63.56
*Testamentorum captatores Vulturij dicti* 253.40
*Testiculus odoratus.* 363.14

*à Testudine occisus Aeschylus pocta.41. 35.cur ab ea Aquila capi dicatur.41 26.quomodo Aquila eam frangat 31 36.quomodo præbenda Accipitri in deffluuio pẽnarum 313.50.supine coit 41.24*

*Testudo stella 429.50*

*Tetrix Aristotelis.837.24*

*Thalxiope 625.17*

*Thaustion quid.280.46*

*Thelxiepeia.625.14.19*

*Thelxinoë 625.18*

*Theocronus auis quibus victitet.195.10*

*Theodosius Marionus.203.42*

*Theologia quam vtilitatem ab auibus percipiat 5.56*

*Theombrotum Persarum.654.29*

*Theophrastus cur naturam culpet. 706. 42*

*Theriacæ vis.47.21*

*Thesaurus aureorum maximus à Tyberio coactus & à Caio absũptus.164.5*

*Theueti opinio de Psittacorum nido explosa.652.47*

*Thomas de Cauallerijs Romanus . 656. 42.811.10*

*Thornace.422 38*

*Thranias seruus Cornici cõparatus.739. 43*

*Thrasones.426.28.qui sint.424.35*

*Thraces cum Accipitribus prædam partiti.299.37*

*Thrips auicula.39.32.35*

*Thripes vermiculi radices corrodentes. 39.38*

*Thronace.422.38*

*Thronax seu Thornax quid. 427. 23*

*Thuris lachrymæ.823. 6. eis viuit Phœnix.822.19*

*Thyella.612.14*

*Tiberij natura & gesta.163. 57. numisma.145.5.158.56.163.51*

*Tibiæ ex ossibus Vulturum & Aquilarum.262.3*

*Tibia læua ac dextera. 166.1*

*Tigrides omnes mares.244.29*

*Tilgamus rex.49.39*

*Tiliaceis tabulis in pectore positis cur fasciarctur Antonius Pius.157.19*

*Timidorum typus.425.13*

*Timpanum stella.429.50*

*Tinctoria herba.324.48*

*Tinnire cuius vox.361.31*

*Tinnunculus.380.44.æquinoca.336.20 an bibat 35.22. 361. 43. antipathia. 362.30. Columbis amicus. 362. 25. cur habendus cum Columbis.295.22 descriptio & diuersitas. 357. 21.simi vsus.362.41.generatio.362.3. inimicissimus est Accipitri 295. 17. ci libi dinis ardor tribuitur.362. 9. oua quot pariat.362.5.Sympathia.362. 17.synonima.356. 39. vbi niduletur. 361. 53.victus qualis.361.33. vnde dictus 356.48.vox quæ.361.32*

*Tinnunculus veterum.380.15*

*Tinnunculi fœminæ descriptio. 369. 54. icon 359.alterius icon.360*

*Tinnunculi maris icon 358*

*Tintinabula cur pedibus Accipitrinis appendantur.305.48.quando appendenda Falconi.442.6*

*Tirolensis comitatus insigne.97.22*

*Tirones milites quomodo, quãdo & quid in armis suis depingerent.179. 12*

*Titanius ales.819.22*

*Tityi fabula.267.10*

*Titi numisma.129.1*

*Titus Manlius Corui opera Gallum vicit.714.52*

*Titi Vespasiani numisma.129.3.134.37 56*

*ad Tofos.595.58*

*Tolerantiæ typus.406.50*

*Tominci aues.655.41*

*Tonicus motus in auibus quis . 30. 25. 397.24*

*Tora herba dicitur Coracion.704. 29*

*Torgos Vultur quis.250. 43*

*Tormenti genus extremum.249.34. Falco dictum.429.57*

*Torporem quomodo excitet Halietus in piscibus.194.28*

*Torquati Bembi tabula ærea.630.24*

*Torquati vnde dicti.714.54*

*Torquilla auis.838.2. historia 863. 50. æquinoca.864.1.synonima.864.43*

*Torquispinus.384.46*

*Torua auis quid.238.43*

*Tothys regis Thracũ conuiuiũ.783. 37.*

*Tragelaphorum imagines.609.23*

*Tragon Plinij.877.17.20.an sit loxia. 877.25*

*Tragopanæ aues.266.17*

*Tragopa auis.804.17*

*Tragopamenes Pomponij Melæ auis 804.18*

*Tragoponada auis Plinij.804.15*

*Tragopogon.423.27*

*Tragos dicitur Strix.561.31*

*Traiani adlocutio ad milites.141. 8. numisma. 133. 52. 141. 8. 145.8.158. 58.164.16*

*Trigestinus sinus.54.34*

*Tria incognita Salamoni.66.53*

*Triarij qui.273.7*

*Trifolium acetosum.410.13.423.16*

*Triope quid 871.22*

*Triorchis Accipiter.363.23. augurium. 14.21. cum Harpe dissidet. 408. 48. 402.45.371.48.synonima. 363. 32. tres habet testes. 27. 36. de eius testibus opinio Ornithologi refutata.366. 17.vnde dictus.283.21*

*Triorchis herba.363.12*

*Tripudium quid.13. 43.solissimum. 12. 54*

*Tristarellus auis.357.1*

*Tristunculus.356.48*

*Trochilus auis.251.14.rex auium 861. 20.cum Aquila pugnat.44.49.inimicitia cum Noctua.549.44*

*Trogloditarum vox.577.30*

*Troiæ excidium Accipitris & Columbæ parabola monstratum.292.44*

*Troianorum augurium felix ab Aquila sinistra.60.22*

*Troylon auis.251.14*

*Truncalis Alberti.467.45*

*Tubæ ex tibijs Gruum.4.23*

*L.Tuberonis mors.841.10*

*ad Tumores induratos.595.58*

*Tunica pannosa multiplex. 623.17*

*Turbo auis cur sic dicta.864. 49*

*Turdus malum sibi cacat. 79. 18. myrto sibi medetur.5.20*

*Turneri error 377.33.760.6.854. 42*

*turris ingens extructa à Philadelpho, vbi errant accensæ faces.137.29*

*turtur. 512.50. 661. 5. 20. 40. amicus Psittaco. 653.50. ci benignus est Accipiter.296.1.castitas.6.5.in cibo quã do exhibendus Accipitri ægro. 314. 4. horret Circum.353.38.inimicitiam cum Coruo gerit.705.17.partus.738. 45. è nido eius pullos rapit Miluus. 856.5. pro remedio vtitur Helxine herba.5.22.vincitur à Chlorco. 854. 46.*

*turundi quomodo fiunt.315.17*

*ad tussim.718.26*

*tutulus quid.172.36*

*tygris amnis cur Harpys dicatur. 614.4*

*cum tympano auc inimicitiam habet Cornix.739.27*

*typhon dicitur Pluto.612.6*

*typhonides quæ.612.3*

*typhora monstrum Hippopotamo simile. 330.45*

*tyranni Aquilæ comparati. 69. 26. quibus nominib.appellari volucrint.55.8*

*tyrannidis typus.608.55*

*tyris.626.37*


# V


*Vandalorũ insigne. 609. 33.*

*Valentiæ numus.558.27*

*Valeria virgo ab Aquila seruata.49.3*

*Valeriorum Venetorum insigne.98. 35*

*Fl. Valerij Constantij numus. 164. 23. 165.18*

*Valerij Coruus quis.714.41*

*L.Valerius Coruinus cur ita dictus.708. 46.eius historia.731.15*

*C.Valerij Flacci numisma.143.32*

*Valerij prius Valesij dicti.715.12*

*Valesiorum stirps & origo.714.44*

*Vanell° auis cur Stymphal° dicta.622.9*

*Varini error.198.11*

*ad Varices.231.23.79.36*

*Vasa potoria fiunt ex ouis Struthiocamelorum.596.30*

*Vasta auis.588.37*

*Vectius in augurandi disciplina nobilissimus.256.25*


*Velutum*

# INDEX.


*Velutum quid.*707.45
*Venandi ars in quantum creuit.* 298. 51
*Venatio quæ Græcis & Romanis nota.* 299.21
*ad Venatum instituit pullos suos Aquila.* 37.31
*Veneti cum dæmone in Gracculos mutato fœdera sanciunt.*764.12
*ad Vēriculi debilitatem.*79.57.424.48
*ad Ventris profluuium.*595.33
*Venti allegoricè Harpyiæ dicti.* 618. 55. *eorum hieroglyphicū Accipiter.* 330. 28. *quando Coruus præsagit.*692. 28. *quando Mergi.*11.34
*Venus cur Ægyptijs Aquila dicta.* 35. 57. *ad cā extinguēdā.*260.6. *ad incitandam.*627.24.260.1.407.25
*Veris præsagium.* 424.5. *eius signum est Cuculus.*425.20
*Verardorum Venetorum insignia.*102.50
*Verbasculum.*423.20
*Verbenacam supinam nidis imponit Cornix.*739.53
*Vermis nomen commune omnibus insectis.*839.35. *ex vermibus quænam aues nascantur.* 824. 20. *vbi degant.* 839.23
*Vermis Serpentinus.*251.20
*Versipellis.*584.36
*Verticollia auis.*638.3
*L. Veri numisma.*132.3
*Vespa obstrepitans.* 782.39. *genus.*565. 25
*Vesparia.*871.57
*Vespasiani numisma.*135.1.164.10. 53. 129.55 *per Aquilā designatus.*61.30
*Vespertilio.*521.18.544.14.551.34. *enigma.*585.36. *amor.*582.15. *an auis aut quadrupes.* 572. 45. *an habeat pedes* 574. 22. *antipathia & sympathia.* 580.32. *apologi.* 586. 3. *auguria & prognostica,*581.30. *cibus.*579.9. *cognominata.*581.3. *cor eius cur Nocturæ nidis imponunt.* 549. 3. *cur inter aues describatur.*571.33. *damnatus à Moyse.*553.43. *denominata.*581.22 *descriptio.*572.25. *differentiæ desumptæ à sexu.* 572.25. *à coloribus.* 572. 35. *emblemata.*585.10. *fabulosa.*586 13. *fœminæ cōmunis descriptio.* 575.2 *feritas & mordacitas.*579.20. *generatio.*579.44. *genera.*572.45. *hieroglyphica.*583.24. *historica.*586.47. *imago.*571.52. *inusitatæ magnitudinis in Perù.*579.33. *Lac.*572.5. *Locus.* 578 2. *maris forma.*575.32. *Caudati Africani.*574.48. *medicamenta.* 582. 30. *eius morsus curatio.*583. 50. *moralia.* 581.42. *nidus,*579.53. *partes internæ* 575.56. *prouerbia.*584.31. *pulli.*577 31. 579. 46. *in cum quædam mulier versa.*586.14. *quæstio de generatione* 580.16. *quando volet.*577.39. *qui dicantur prouerbialiter.*584.32. *cū quibus plantis & animalibus antipathiā habeat.* 580. 30. *quomodo fœtus nutriat.* 579. 56. *in specubus montium.* 578.12. *synonima.*571.50. *visus.*576 49. *vnde dictus.*572.20. *volatus.*578 20. *vrina.*572.9.583.31. *vsus in cibo* 583. 10. *vulua.* 575. 30. *quaternas aures habentes.*572.33.40.
*Vespillo.*581.18.581.16.584.36
*Vespillio.*581.18
*Vespertillus.*572.28
*Vestes coloratæ cur in bello gerebantur.* 173.36. *corticeæ.* 623. 17. *flauæ aurum referentes.*855.51. *Phloinæ quæ* 623.16. *ex plumis auium.* 655. 50
*Vetonicæ sylvestris species.*743.39
*Vexillum caudatum quid.*151.54. *figura omnibus eadē.*151.38.47. *picta apud veteres.*151. 47. *Senatus erat argenteum.*152.50. *varia genera.* 151.35. *vnde dicta.*151.43
*Viburnum.*765.36
*Victoriæ Aquila hieroglyphicū & quare.*71.20. *Accipiter.*287,58. *cur alatum pingatur.* 330. 14. *numisma.* 131 30. *symbolum.*294.54
*Victorini iunioris numisma.*147.1
*Viennæ Austriæ insigne.*104.48
*Vigilantia medicos decet.*543.20. *eius signum est Noctua.*555.1
*ad Vigilias.*583.35.728.25
*Villani Accipitres.*380.30
*Villanus auis.*363.39. *homo.*360.31
*Vino quæ animalia delectentur.*651.29. *id bibunt libenter Psittaci.* 652. 26. *Scnibus maximè confert.*47.50
*Vinum secundarium quid.*688.6
*Vina Syra quæ.*411.24
*Viperarum membra genitalia.*27. 35. *pugna cum Aquila.* 43. 44. *uis contra omnia venena.*67.43
*Viri illustris typus.*594.52. *iustus notatur per Accipitrem.*327.15
*Vireo auis.*854.40
*Virga Iaualis ex spina alba.*566.40
*Viridis auis quæ.*854.39
*Viscus vnde nascatur.*880.4
*A. Vitellius felix auspicium capit.*59.18 *eius numisma.* 158.57. *per Aquilam significatus.*61.30
*Vitæ spatij hieroglyphicum.*74.7
*Viticis semen quomodo exhibendum Accipitri ægro.* 314. 1. *pro amuleto vtitur Coruus.*704.13
*Vitis flagellum vrbis in militia est.*84.16 *nigra fugat Accipitrem.*295.40
*Vitulus.*765. 34. *marinus à fulmine est immunis.*131.57
*Viuerra.*393.21
*Vlelago.*515.18
*Vlmus.*751.39
*Vlula.*501.4.7.507.11.521.2. 588.2. 592.32. *auguria.* 542. 33. *descriptio.* 539.41. *infestat Picam.*781.1. *Locus & victus.*542.3. *fabulosa metamorphosis.*542.52. *non generat cyanopodem Falconem.* 498.36. *partus.* 542. 23. *prouerbia.*542.44. *quando pascatur & vagetur.*541.51. *de quibus animalibus dicatur.* 541. 30. *querulam vocem edit.*541.18. *Synonima.*539.3 *venatur Picas.*542. 19. *vesperi canūt* 541.49. *victu gemino nutriri quomodo dixerit Aristoteles.* 542. 4. *vnde dicta.*505.32.541.21. 35. *vox.* 540. 45.541.10. *vsus in medicina.*542.38
*Vlulæ quoddam genus.*534.30. *Aegolios* 521.2. *Cornuta.* 531. 4. *flammeata.* 531.45.535.12. *Latinorum.*539.24. *Ornithologi.* 540. 52. *Saxatilis.* 531. 37
*Vlysses Bentiuolus.*106.24
*Vlyssis clypeus.*173.40. *cur Coruus dictus* 706.38. *ab eo exemplum.*628. 1. *fabula moraliter explicata.*627. 4. *insigne* 93.17. *sociorum auribus cera oblitis pereundi periculo liberat.*627.30
*Vmbo quid.*172.16.86.5
*Vnguentorum odore Vultures pereunt.* 252.33
*ex Vngui Gryphis cornu.*604.8
*Vnguiū necessitas in auibus.* 840.9. *quid mysticè significent.*63.37.
*Vngula Aquilina pro manu rapaci.* 55. 18
*Vocales veterum.*167.24
*Voisgræ aues quæ.*13.48
*Volatus & natatus similes.*695.10
*Volaticæ mulieres quæ.*565.41
*Volatilia trifariam diuiduntur.*20.1.
*Volitardus quid.*238.39
*Volscorū oppidum vnde dictum.* 687. 18
*Volucres obscænæ & diræ.* 613. 10.617. 50
*Voluptatibus deditos Corui significant.* 724.23. *Iyngi comparatæ.*868.33
*Vpupa.*237.36.503.44.571. 58.776. 52.782.35.845.23. *adianto sibi medetur.*5.20. *dicitur auis Paradisi.* 806 19. *cum Cuculo confundit Aeschylus.* 417.20. *quomodo educet fœtus* 839. 42. *frater Aedonis dicitur.*197.22
*Vrage Athenicnsium.*837.25
*Vrbinatium ducum origo.*100.10
*Vrbs lustrata.*13.50
*ad Vrinæ difficultatem.*5.12
*Vrinæ Vespertilionis vis.*583.38
*Vrna antiquissima ex terra leuissima in qua includebantur cineres antiquorum nobilium.*133.3. *Septimij Seueri* 132.29
*Vrogallos ore coire credit Vulgus.* 699. 7
*Vrsam minorem dici Phœnicem.* 818. 7
*Vrsus columnæ alligatus in insigni familiæ Vrsinæ.*181.28
*Vua Lupina.*410.22
*Vuittenbergensis regionis insigne.* 95. 13
*Vulcanus per Scarabeum notatur.* 264. 19. *ab eo quomodo captus Mars.* 41. 29
*ad Vulnera.*518.25
*cum Vulpe certat Aesalo.*355.40. *ei amicus est Coruus.*704.46. *aduersus Aesalonem impugnat Coruus.*355.48. *est astuta*

*æstuta & malitiosa.*45. 46. *eam insequitur Aquila.* 34.48. *apologus* 77. 45. *cum Circo odium.*353.32. *eius & Corui fabula.* 730.32. *eam lacerat Aquila* 17. 50. *cur pellis eius recrementa Aquila portet in nidum.*37.1

*Vulcanus per Vulturem notatur.*263. 55

*Vultur.* 392.53.393.10.422.22.516.41 564.17.695.52.776.54. *ab Accipitribus occisi quid portendant.* 255. 18. *adipis facultas.*260.57. *ætas.*253. 8. *æquinoca.* 236. 30. *ætatis humanæ hieroglyphicum est.*253. 11. *alites dicuntur per excellentiam.* 248. 33. *an extruant nidos.*244.15. *an fœminæ tũtum sint.*244. 20. *anni imago & cur.* 257.1. *antipathia.*252. 6. *alæ in antiquissimo numismate.*262.38. *Aquilarum progenies.* 235.35. *pro aspectu pictus apud Ægyptios.*240. 16. *in augurijs vsus.*214. 23. *augurium infaustum.*14.28. *aliud augurium.* 57. 27. 254.41.272.48. *in augurijs eo maximè vsi sunt Romani.*254.46. *augurũ Dario exhibitum.*326.32. *cancm mortuum laniantes comesi sunt ab alijs Vulturibus.*255.26. *cerebri vsus.*259. 47. *cognominata.* 253. 26. *conceptio.* 251.55. *de cordis eius accremento fabula.* 253. 15. *cordis medicina.* 260. *corporis affectus.*252. 40. *Corni vnũ occidunt.* 710. 30. *cur centum annos significarit.*256.57. *cur mutent regiones.*243.13. *cur ex vento quidam generari dixerint.* 245. 56. *denominata.* 253. 44. *differentiæ & species.* 270. 50. *dissidium cum Aquila.*45.17. *duę species Aristotcli.* 270. 58. *duodecim Cæsari quãdo æpparuerint.*257.9. *emblemata.*266. 36. *excrementa quibus morbis medeantur.*260. 40. *etymon.* 238.37. *fabulę* 267.10. *fellis facultas.* 260. 17. *fœminæ gignuntur absque coitu.*245.14. *fimi vsus.* 222. 14. *frequenti foro in tabernaculum volauit.* 255.14. *generatim considerati descriptio.*239.15. *hieroglyphica.*263.5. *historia eius cur Aquilæ annectatur.* 235.25. *in Hetrusca lingua significat regem & regnũ* 75.25 *immundus est.* 249.50. *inauspicati augurij.*255.7. *incredibilii magnitudine.* 603.50. *ingenium.*243.1. *insequitur cadauera.* 35. 12. *Libido.*251.54. *pro limite pictus.* 255.39. *Locus.*241. 17. *magnus numerus apparuit Vitellio ante pugnam.* 272.51. *mali Punici grano perit.*353. 45. *memoria in repetendo cadauere.* 243.17. *mores.*251.29. *moralia.* 257. 27. *motus.*242.22. *neruus eius quibus medcatur.*261.46. *nidus.*604.39. *cur rarò cernatur.* 241. 23. *nulli animali nocet.*14.24. *obstructione laborans vt sibi medetur.* 252. 45. *odoratus.*240. 22. 693.42. *ossium vsus ad candelabra.*262.22. *ex Ossifraga gignuntur.* 246.29. *Oua quot pariat:* 245. 42. *Oua edens quoddam instar nucis in nidum importat.*247. 15. *partes interiores & exteriores quæ facultatem habeant in medicina.*260. 8. *internarum vsus.* 262. 1. *partus qualis* 244. 27. 53. *partus salutiferus Vulturibus assimilatus.* 258.4. *peculiare ei est putridis delectari.* 252. 18. *pediculi eius venenosi & eorum forma.*252.56. *pellis vis.*261.19. *vsus.*262.9. *ventriculo admota concoctionem iuuat.* 5. 12. *pennæ aues terrent.*262.17. *earum facultas.*260.46. *earũ vsus.*262.5. *vsus. ad designandas litteras.*262.20. *pestis præsagus est.*243. 37. *pietas erga pullos.* 247. 26. *erga parentes.* 251. 48. *præsagij causa.* 243. 34. *ei principem locum assignat Bellonius in sua historia.*7.43. *prope Claurum montem immensæ multitudinis carbones portare visi.*273.50. *prouerbia.* 265. 20. *pugnat cum Aquila.*252.8. *pugnat cũ eo Æsalo.*355.55. *prudentia in reseruando cadauere.* 243. 20. *pullus auguria faciens.* 254. 45. *pullorum educatio fabulosa.*247.21. *pulli quomodo eximantur.* 241. 42. *pulmonis facultas.* 259.58. *Renes.* 260.37. *quãdiu gerat viterum.*244. 36. *qui dicti animata sepulchra.*248.55. *quomodo differat ab Aquilis.* 125. 10. *quot oua pariat.* 247 19. *rostrum aduncum non esse necessarium.* 125. 13. *sanguis quibus medetur.*261.48. *cum scarabeo adiunctus.*264.5. *Sensus.* 240. 13. *Steriles vnde.*193.10. *à suo genere se continẽt.* 243.54. *sympathia.*252.3. *Synonima.* 237.21. *transmarina cadauera sentit.* 67. 28. 258. 46. *ei tribuitur clangor.* 33.27. *triplex eius genus secundum Bellonium.*271.13. *vbi nidificet.*245 27. *ventriculus.*260.17. *victus.* 247. 37. *visus.* 240.14. *Volatus.* 242.30. *vox* 242.49. *vsus in medicina.* 259.1 *vsus in picturis.*262.36. *in sacris.* 254 32

*Vultur Africanus.*251.51

*Vultur albus.*237.36.239.6. *vbi.*271.8. *species.*408.29

*Vultur aureus.* 408.31. *Heluetiorum.* 247.2. *Ornithologi.*277.17

*Vultur aureus & niger.*271.23

*Vultures bætici.*271.13. *vt à nigris differant.*273.50

*Vultur cinereus.*271.40

*Vultur equinus.*247.3

*Vultur gryps.*600.18

*Vultur leporarius.*247.3.271.20. *cius forma & descriptio.*274.58. *natura.*276 50. *nidus.*276.53. *synonima.* 274. 48. *venatus.*276.49. *victus.* 276.55. *volatus.*276.52

*Vultur magnus cur sterilis dictus.*246.10

*Vultures maiores ex minoribus.*193.7

*Vultur maximus quid.*603.31

*Vultures minores ex Ossifragis.* 193. 3. 400.14

*Vultures monstrosæ magnitudinis vbi.* 269.19

*Vultures nigri ab albis sexu non differũt.* 271.50

*Vulturis quoddam genus sterile.*245.35

*Vulturis rubicundioris species.*408.29

*Vultur* σποδοειδὲς ἑτέρος. 271.42

*Vulturum species ex Africa.*378. 10

*Vultur tibijs plumeis.*125.1

*Vultur pro astro.*236.30.429.50. *pro herba.*254.22. *pro quadrupede.*236. 51. *pro speluncis.*254.26

*Vulturnum oppidum.*255.50.254. 4. *vicus in Liguria.*254.8

*Vulturaria quid.*253.53

*Vulturinus vnde dicatur.*254.13

*Vulturnus fluuius Campaniæ.*253.55

*Vulturius quid.*238.37

*Vulturnum mare.*254.1. *ventus.*253.45

*Vulturna Dea.*254.4

*Vulturnalia festa.*254.9

*Vulturnalis qui.*254.10

*Vulturinus Gallus.*259.19

## X

*Xenicum herba venenosa.*704.25

*Xenophonti Aquila celebritatis futuræ augurio est.*59.36

*Xercula quid.*734.43

## Z

*Zenobiæ reginæ numismata.*141.55

*Zephiriorum numisma.*161. 14

*Zephyrus Achillis.*612.17

*Zetes & Calais Harpyias fugat.* 614.1

*Ziziri vox Ampelidis.*800.30

*Zinzilulare.*874.25


Græca.

# INDEX.

## Græca.


Ἄγορ quid.23,39.110.23
Ἀεικῶπες.533.9.531.31.quinam esui apti 534.3
Ἀελλόποδες 619.10
Ἀέροπες aues quæ.871.50
Ἀέτειος.55.14
Ἀετὸν piscis genus.21.28
Ἀετὸν quid.54.14
Ἀετὸς 23.19.110.22. vnde dictus. 23, 37
Ἀεταδὴς 55.14
Ἀέτωμα 35.44
Ἀθανάτωσις 56.13
Αἴας 23.42
Αἴβετος 23.40
Αἰγοθήλης 535.29.eius etymũ.567.24
Αἰγιθαλὸς 567.17
Αἰγωλιὸν 539.8.12
Αἰγώτιλος 500.51
Αἰετὸς 23.25
Αἰετὸς ἵππος 35.41
Αἷμα κελαινὸν 611.50
Αἰσάλων 354.42
Αἰσάρων 354.44
Αἴτὸς 110.23
Ἄκμων 216.37
Ἀκυλεὴς quid Hesychio.23.41
Ἀκυλυιὰ 54.32
Ἀλειπτραρέα in vropygio.286.6
Ἀλλοριοφάγος.266.23
Ἀμβυώπειν 547.11
Ἀναπησιοκέρας 393.35
Ἀγγίπους 23.41
Ἀνθρωπόγλοσσος 638.1.650.10
Ἄνορχος 818.38
Ἀντιπελαργῆα 251.48.875.12
Ἀντίφθογγος 778.31
Ἀπήρηνος 818.38
Ἀπτερία quid.321.40
Ἀπειρωλὸς 88.4
Ἀποθέωσις 56.13
Ἀποσκοραμίζειν 724.46
Ἄπτερα vrbs.626.42
Ἄρακος 281.3
Ἀργιόπους 23.40
Ἄρξιφος 23.41
Ἀρπίφαλα 554.39
Ἄρπετὸς quid.393.33.409.7
Ἁρπυία 611.9
Ἀσκαλαφὶ.504.7
Ἀσορία quid.69.50
Ἀτάραμα 205.30
Ἄπελαβος 571.53
Ἀφανὴς auis quæ.231.33
Ἄφλαστα quid.742.13
Ἄφωνοι 531.37
Ἀχερδὸς quid.269.58

Β

Βαθυῤῥηγάλη Lydis quid.393.37
Βάτταλος 777.5
Βατιλέως ficus 743.20
Βερίκοκκα 423.13
Βῆσσειν quid propriè.504.17
Βλάσημα quid 742.21
Βουβὼν.503.5
Βούλιμος vnde 506.44
Βουσέλινον 506.45
Βύταλις 504.21
Βοῦφος 504.25.544.8
Βοράβηλα 423.50
Βραδυπεψία 321.40
Βροτὸς 871.13
Βύας 501.2.504.16.18. unde dictus. 504.22.506.50
Βύζειν quid,508.35
Βωμολόχος quid Suidę.528.31.39.651 24
Βωμολόχος 759.33.767.27. Gracculorum omnium minimus.772.9

Γ

Γαλαξ 543.25
Γάζα quid.777.17
Γασριον 652.30
Γενεὰ apud Hesiodum quid.706.20.significat annum solarem.740.52
Γεραὶ recentioribus Græcis quid.280 52
Γίπας eisdem quid.238.2
Γλαξ 543.25
Γλαυξ 543.51.vnde dicta.543.58.pro saltatione sumitur.543.58
Γλαύκη 572.16
Γλαυκίζειν 547.11.552.22
Γλαυκιὼν quis Homero.551.56
Γλαυκὼν vnde dictum. 552.40
Γλαυκωπίδες aues quænam.500.25
Γλαυκῶπις 551.57
Γλύπος quid.85.51
Γνήσιον 277.36
Γοινεές 688.20
Γοργῶπις 552.20
Γοῦφος quis dicatur 506.27
Γρὶπισμα 609.30
Γρῖπος quid.600.16
Γριφεὺς 600.30
Γρῖφος quid 600.16
Γρυπαίετος 216.26.604.39
Γρύπες 600.15
Γρύπις 601.55
Γρύπος 601.21
Γρύφος 601.25
Γρυφώης λόγος 600.28
Γρῦψ 24.20.601.17.21
Γῦπες 604.38
Γυπάρα 254.26
Γυπάετος 35.17
Γύπον 604.38
Γυπόνες 530.36
Γυποῤῥιόρχης quid.375.34
Γὺψ quid.236.30.237.40.238.2.393. 10.600.19.etymum.238.14

Δ

Δαυλία κορώνη 734.30
Δεκόκλο Cretensibus hodie quid. 412 4.
Δίκτυς 393.38
Δρυκολαπτης 836.42
Δρυκόπος 836.46
Δρυοκολάπτης 836.42
Δρυοκόλαψ 836.43
Δρῦς 836.44
Δρυτομος 836.48
Δυσβλέπειν 505.13.521.31
Δύρφονος 417.11

Ε

Ἐγγλαυκῶσαι Hesichio & Varino quid.662.28
Ἐκκορικορώνη 747.49
Ἐκκορὶ quid 740.25
Ἔλαιος 534.25
Ἐλαιοφορος 303.13
Ἔλανος 393.39
Ἔλαφος 393.5
Ἐλαφρότατος Circus cur dictus. 352 38
Ἐλεὰ aut Ἔλεὰ quæ auis.534.26
Ἔλειος Accipiter. 534.22
Ἔλειος quid. 539.29
Ἔλεος 534.29.42. pro misericordia 534.21
Ἔλεος 534.29
Ἔλη 534.26
Ἐννεάγηρως cur Cornix dicta. 740 39
Ἐξώετος quid.36.36
Ἐπίγυπον rostrum quid notet. 690.2
Ἐπιλλίζειν 547.12
Ἑρτὲς 23.38
Ἔυμορφος 209.45
Ἐυφυία 30.41

Ζ

Ζηλήματα κυλίκια 600.12

Η

Ἡγεμὼν τοῦ τάγματος quis dicatur.84 5.

Θ

Θριπιδέσαι quid. 39.41
Θριπωφάγοι aues quæ. 39. 48. 870. 47
Θράπας Gaza vermes vertit.39.39
Θορυβώδη ὄρνεα 762.46

Ι

Ἴυνος Varino quæ auis.23.39
Ἴεραξ generaliter quid.280.53. vnde dictus.287.25

# INDEX.


Γεραξ λεῖος 355.1
Γερακοτροφος 325.1
Γερογραμματεῖς qui dicantur 70.52
Γκτινος 392.21.57.393.20
Γκτινος αἰτώλιος 394.5
Γκτις 393.20. Luporum genus. 393.26
Γππα Hesychij 845.36
Γππος Ardeolæ inimicus 845.36. pro eo Gaza transfert Pipo 845.35
Γπποτοξόται cur Accipitres dicti. 287.41
Γραξ vnde dictus 280.47
Γρηξ 280.50.392.36. κίρκος 351.35
Γυγγας quæ Græci vocent 864.8
Γυγξ Eustathio, vnde 864.43
Γυξω quid significet 864.43

K

Κασανδήριος quæ auis 393.39
Καταῤῥάκτης Sophocli quid 23.41
Κεγχρηὶς 356.43
Κεγχρίνη 356.31.42
Κέγχρις 356.22.39
Κέγχρος 356.23
Κεγχρίται 356.24
Κέγχρυς 356.23
Κεῖσα Laconibus quid 777.4
Κεκοκκυγωμένος color qui 423.5
Κελάρυζα Cornix dicta cur 737.30
Κελίος 848.18. cum Lybio pugnat. 855.18
Κενοδοξία quid 601.2
κεραις auis quæ Varino 734.46
κερδιος 869.44
κέρκας 281.2
κερκνής 357.9.562.22
κερνηὶς 356.34.564.3
κέρκρυδες aues 356.34
κερκνὸς 280.58
κικκάβα auis 505.9
κικκαβᾶν 541.15.544.2.548.1
κικνοφόρος 782.27
κικυμὶς 505.11.544.3
κικυμώπτειν 505.13.521.30.552.29.
κιναίδιον 864.46
κίναιδος 853.5
κιννάμολγος 834.14
κιννάμωμα 834.21
κιννάμωμον 834.13
κίρκος quid 351.35
κίσα 777.3. 784.23. pro fluuio 775.25. pro monte 775.39. pro pisce 775.29
κισσὸς 776.15
κίττα 784.23. Atticis quid 777.1. quid Auicennæ interpreti. 776.58. pro morbo 775.39
κιτταβίζειν quid 778.17
κίττισις morbus 776.4
κιττὸς quid 776.19
κιττοφορος prouerbium 782.26
κολαφος Miletio quid 836.49
κολιος 848.2.15.20.31.850.3.855.6. quæ auis Aristoteli 845.50
κλάγγος 209.39
κλάζειν quid 23.20
κλωζειν 760.20.22
κλωσμος 760.21
κοβαλος 528.26.31.34
κοκκοβαρὰ 544.6
κόκκυγος μῆλον 423.35
κοκκύζειν vnde dictum 412.2.417.8
κοκκύμηλον 423.8.35
κόκκυς 409.37.410.17.423.11
κόκκυξ 409.47.51. vnde dictus 412.1.
κόκκυγος μῆλον 423.8
κόλαφος Miletio quid 836.50
κολέος, & κολεὸς quid 758.29
κολίας 788.35
κολιος 848.2.15.20.31.850.3.855.6. quæ auis Aristoteli 845.50
κολοβὸς 529.13
κολοιᾶν quid 760.20
κολοιὸς 542.20.752.36.758.6.27.37.763.10. Hesychio quæ auis 758.33
κολοιῶδες ζῶον 758.23
κολωϊον 762.45
κολωὸς 762.45
κομβα 734.45
κοπίβαλος 528.32
κόπις 528.37
κόρκας moderna vox.
κορακεὺς piscis 708.26
κορακίας ὁ μέλας 708.23
κορακίνη σφραγὶς 688.1
κοραξὶς χροα 707.42
κορακοίδη Galeno quid 708.32
κόρακος πάγος mons Europæ 707.34
κορακοπος 707.57
κορακῖνος quis 707.51
κοράκιον emplastrum 707.50
κοράκιος quid 743.19
κόρακον Speusippi 708.30
κοραττεῖν 708.33
κόραξ 280.34.859.12. vnde dicatur. 688.20
κοραξιαι quid 708.33
κορὶ quid significet 734.47.740.25
κορώνεος quid 743.18
κορωνεον σῦκον 708.12
κορὸς nigrum sonat 688.19
κορώνεος 743.20
κορωνη 743.45.734.43. vnde dicta. 734.58. brachij inflexus est. 743.42. pars qua ianua attracta clauditur 742.16.
κορωνὶς 742.19.742.23
κορωνίδες Varino quid 742.21
κορωνιδεῖς 734.53
κορωνίδες naues 742.12.14
κορωνιδεὺς 734.52
κορωνία 734.50
κορώνιος 742.56
κορωνὸν quid 743.42
Κορωνὸς Cyrillo quid 742.52. Varino 742.52
Κόσυφος 418.1
Κοῦκος 412.28
Κουκκουβάγια 572.16
Κουκουυάγια 544.8
Κουκκουλος 411.34
Κούρακα 734.44
Κουρκουνιστὴς quid 836.50.853.7
Κουρώνυα 734.44
Κοῦφος 506.27
Κράγγον quæ auis 777.5
Κράγεται 760.27
Κράζειν 693.6.736.37.737.5.17
Κρατη 237.40
Κρέξ quid 351.14
Κρίγεν 577.34
Κρίγη 544.10
Κρώζειν 693.6.736.35.737.16.749.19.760.20
Κύβηνα quæ auis 544.6
Κυμάτιον 23.29.54.12
Κωδωνοφόροι qui 254.18
Κῶπες quæ aues 530.42

Λ

Λαγωφόνος Aquila quæ dicta 197.47
Λιβυκὸν ὄρνεον 595.16
Λεῖος Accipiter 376.51.377.17
Λίβυσα ὄρνις 588.33.34
Λίθος κοραξὸς 707.47
Λιμὸς 506.44
Λοξίας 877.17
Λοκαλος 534.32
Λούπη 393.41
Λυγγας quid Athenæus vocet 864.8
Λυγὸς 712.34
Λυκος 393.42.759.33.766.4.770.55.

M

Μελανόστος Aquila 198.8
Μεγας θεὸς Ἀψεφὰς 660.29
Μεγασέλινον 606.45
Μετεμψύχωσις 723.52
Μελισσοφαγος 871.47
Μεμαρφα 209.46
Μενὰς 506.44
Μέρμης 281.4.
Μέροψ 871.46
Μιαρὸς Coruus dicitur 723.57
Μιλτοπαριοι naues quæ 742.14
Μιμητὴς 526.26.28. cur dictus Otus. 528.44
Μισάνθρωποι qui 6.18
Μνημόνια 600.31
Μορμολυκεῖος quid 754.4
Μοσκόρνιο 238.34
Μοῦσαι ὄρνιθες 5.50
Μύοψ 528.29

N

Νεκροθάπτης 551.19
Νεκροφόρος 581.19
Νέσα 280.38
Νεφρυφόνος Aquila 205.30
Νηττοφόνος 209.39
Νυκτάλωψ 572.15
Νυκτερίς 571.57.572.10
Νυκτόβας quæ auis 562.11
Νυκτικομα 561.56
Νυκτικόραξ 500.50.562.10
Νυκτίνομα 561.56


Ξυλοκόπος

# INDEX.


Β

Βυλοκόπος.936.46
Βευτέροι.345.6

Ο

Ὀβελὸς ὀυύχων.385.56
Οἰωνὸς.23.42.238.8.735.13
Ὀλέκρανος Atticorum.743.44
Ὀλολυγὴ.539.14
Ὀλολύζειν quid 539.17
Ὀλολυγὼν 539.14
Ὀξυλαβεῖς quas Aquilas Græci vocent 40.57
Ὄρνεον quid.23.43.834.22
Ὄρνεα κορακοειδῆ.689.18
Ὀρνιθόγονος.624.54
Ὀρνιθοθήρας quid.301.3
Ὀρνιθωθεῖται 624.54
Ὀρρὸς quid.409.41
Ὀρλυγόκοπος ludus 4.58
Ὀυροπύγιον 409.41

Π

Παλεύρια auis 298.43
Πανοπαία auis quæ.231.35
Παπαγὰς 635.32
Παραὸς 23.40.280.40
Παρθενοκῶνια 49.2
Πάρκωρακος πέτρη.707.37
Πάρνοπες 565.24
Παχέα κρωζουσα. de quibus dicatur. 736.45
Πεδίος quid 237.40
Πελεκᾶν Arist.quid.835.58.836.1
Πελέκας 835.51
πελεκάω 836.5
Περκαζουσα vua quæ 210.24
Πέρκης 377.53
Περκνὸς 280.40.376.51.377.2
Πέρνης 377.49.52.59
Πέρνος 280.40
Περνὸς κυνηγητικὸς ἀετὸς 377.56
Πέτραπνοι 239.35
Πικὸν 836.26
Πὶξ Aetolis quid 775.47
Πίπο Lycophroni & Varino. 845.20
Πίπρα 845.19.859.13.854.58
Πιππόγκις 290.56
Πλάγγος 209.38
Πνίγειν 561.58
Πνίκα 562.4
Ποδήνεμος 619.10
Ποικιλὶς 777.3
Πολύγηρος 740.40
Πρέσβις quid 251.16
Πρωτέλατα quæ pênæ dicãtur 285.58
Πρωΐελλατα ibidem
Περὰ 286.3
Πτεροφόρος cur Accipiter dictus 287. 47.596.46
Πτερύγα 797.32
Πτερωτὰ προσκεφάλαια 3.48
Πτέρυγες 54.20
Πτίλα 286.2
Πτιλωτὰ προσκεφάλαια 3.48
Πυρὶ 237.40
Πυρίβια animalia quæ 824.8

P

Ῥύζειν 288.37
Ῥυνδακη 816.26

Σ

Σάτη quid Græcis 688.32
Σειρὰ 624.22
Σειρῆνες 624.22
Σειρήνιον μέλος 625.58
Σεισόπυγις 853.5.864.48
Σεισοπύγιος 864.44
Σεισύρια 864.48
Σήλοπα Græci recentiores Bubonem vocant 506.26
Σίππη 853.3
Σίτλη ibidem 852.57
Σιτλακὸς 635.23.28
Σίτλος 544.11
Σκίλλος 393.40
Σκλόπα Bubonem hodie vocant. 504. 24.
Σκώληξ quid 39.3
Σκωπαῖος 533.53
Σκωπίας 530.34
Σκώπτειν 530.50
Σκὼψ 504.23.520.20.522.9.530.42. pro Σκῶπες Bubones traducti.287.5
Σκῶπες Hesychio quæ 758.26
Σκύτος 85.52
Σπαράσσω quid 281.13
Σπέλεκλος Hesychio quid.837.9
Σπερμαλολόγος 752.5
Σπερμολόγος 752.5.37
Σπίζα quid 345.5
Σπιζίας Accipiter. 345. 3. 376. 51. 377.2
Σποδοειδὴς κορώνη 754.13
Σποδοειδὲς χρῶμα 754.16
Σπονδύλιον 409.41
Στρειφοκάμηλος 588.17
Στεφανίαν Monedula 775.9
Στίλπωνες 533.54
Στραλοπεδαρχης τοῦ τάγματος 84.5
Στρίγλος 562.10
Στρὶγξ 562.14
Στρὶξ 562.10
Στροφὴ 613.30
Στρουθιοκάμηλος 588.16
Στρουθὸς 587.58.588.16.28
Στρουθὸς καταγαιος 588.19
Στρουθὸς μεγάλη, vel λυβικὴ 588. 21.
Συκοφάγος 856.8.859.4
Συκοφαν[illegible]ῶ 624.25
Σύρνια 561.50

T

Τάξις 7.4
Ταυγλωσσος 737.39
Ταχυς ἄγγελος quæ auis dicatur.350. 42.
Τετρακναμος Pindari 867.45
Τετρακόρωνος 742.56
Τετριγάσιν 577.29
Τετριγέναι 577.30
Τοργιὸν 238.3
Τοργὸν 238.2
Τοργὸς 238.5
Τουτὼ 547.53
Τρίορχις 763.10
Τρισμὸς 577.26
Τρίζειν 577.18.865.43
Τρυγὼν quid 20.40
Τρύζειν 577.20.34
Τυμβωρύχος 581.17
Τυτὼ 544.9
Τυφλώττειν 552.30

Υ

Ὑδάτιος quid 23.42.
Ὑλοτομοῦσα 853.4
Ὑπαέτος 216.23
Ὑποαέτος 35.17
Ὑπογύπονες 530.36

Φ

Φαβεκλόνος quid.342.37
Φαβολυπος 342.37
Φάλκη 572.13
Φάλκης uiri nomen 459.1
Φαλκόνιλλα 459.1
Φάλκων 430.21
Φαλοκλόνος 342.38
Φαλὸς 342.36
Φαλοφόνος 292.23.342.35
Φάψ 342.37
Φήνης 223.12
Φιλέστερος 572.15
Φιλία 761.12
Φλεγυὰς 209.58
Φλορὸς 871.10
Φλῶρος 871.10
Φοίνικες 818.37.39
Φοινικόρυγχος 767.26
Φοῖνιξ 831.13
Φρυνολοχος 363.57.376.51
Φυλοπρωλείας 601.2

X

Χλωρέω detortum est Chloreus 855. 28
Χλωρὸν quid 855.35
Χλωρὸς Athenæo 856.3
Χρύσης 223.22

Ψ

Ψιτλάκη 635.10.29
Ψιτλακὸς 635.23
Ψώμισμα 315.10

Ω

Ὠκυπέτης 345.7
Ὠκύπορον 561.57
Ὠκύπτερον 286.13
Ὠκυπτερος 278.46
Ὠτίον 520.44

## Hebraica.

*Aiar pro quibus Auibus accipiatur.* 776.57
*Aiah Miluorũ genera significat.* 392.50
*Vulturem* 237.22. *Picam* 776.56
*Ain* 587.51
*Albasi* 461.45
*Albada* 293.12
*Altoriſch* 393.8
*Anaph.* 393.18
*Anapha* 393.17.758.45.836.37
*Aſen* 520.41
*Aſiya* 354.58.355.1
*Aſnyh* 601.20
*Aſſurgal* 280.40
*Ataleph* 571.51
*Atalepha Chaldæis quid* 571.56
*Atelaphin* 571.52.58
*Aultul* 393.6

*Baſi* 461.43
*Bath* 587.52
*Bath iaan* 1 587.50.588.2
*Bath icnah* 539.8
*Bath kanepha Caldæis* 393.19
*Bath naamitha* 587.57
*Bazi* 461.44

*Chaſidach* 393.13.587.48
*Cheporperot* 572.2
*Chiddat* 600.43
*Chidot* 600.41

*Daah* 237.24. 392.50.393.8.430.14
*Daiah* 237.24
*Daiah lebano* 393.14
*Daiatha Chaldæis* 393.3
*Daietha eiſdem* 393.3.11
*Daioth* 237.24
*Dauoth* 393.1
*Deuoth* 393.5

*Gierab* 712.30
*Gorab* 688.40.700.50

*Haſida* 393.13
*Hataph* 543.53
*Hatuphita* 543.53
*Hereb* 719.11

*Iaanath* 588.4
*Iacnah* 539.21.592.29.588.1
*Ianah* 592.29.539.6.543.42.45.588.1
*Ianſcuph* 543.44
*Icanim* 587.52.624.20
*Iim* 539.3

*Kaath* 411.48.425.9
*Kadia Chaldæis* 503.48.
*Kauec* 834.25
*Kauth* 734.38
*Ken* 834.24
*Kik* 411.49.734.40
*Kimas* 543.11
*Kiphupha* 503.51.543.55
*Kipoz* 237.33
*Kos* 439.18.503.33.521.26.543.41
*Kurka Chaldæis* 734.37
*Kutz* 503.39.49

*Laatalephim* 572.2
*Lilith* 539.4

*Naba Chaldæis quid* 280.29
*Nazah* 280.35
*Neelaſa* 587.49
*Neſcheph* 543.45
*Neſer* 23.52.110.20.395.27
*Netz* 280.25.34.395.27.461.43
*Niſra Chaldæis quid* 110.20
*Nozah* 280.38

*Orab* 688.40.758.47. *vnde dictum* 688.44
*Oreb* 688.10.719.1.734.35
*Oßen* 520.42

*Peres* 280.38. 497. 44.601.15.603.20
*Peros* 572.1

*Raah* 237.27.393.12
*Rab* 688.43
*Raham* 776.50
*Ranam* 588.6
*Rauben* 688.40
*Reſcheph* 237.37
*Reſtaphin* 237.37
*Rahamach* 776.50

*Sar* 624.32
*Sarſir* 280.41
*Scacaf* 280.43
*Scanaph* 504.8
*Scaph* 507.7
*Scacaph* 411.53.422.10.503.57.507.7.
*Schachefa Chaldæis* 504.1
*Schachefet* 504.2
*Schalac* 411.52
*Sis* 393.15
*Struza* 587.50
*Sus* 393.15

*Tachmas* 543.50
*Taraphita Caldæis* 392.57

*Vreba* 688.10

*Zar* 624.39
*Zarſir* 776.49

## Arabica.

*Akeb* 23.53
*Abachion* 271.27
*Abbatos* 271.33
*Actiros* 393.18
*Adrias* 393.18
*Aduduc* 504.11
*Agalugin* 21.38
*Akakamati* 216.36
*Albaſi* 280.30
*Alcalgagita* 23.59.110.22
*Alcm* 530.42
*Algorab* 734.36
*Alharbe* 504.14
*Alkait* 21.56
*Allakalicki* 543.56.
*Alkemum* 871.51
*Alkeuium* 871.52
*Almar* 582.42
*Alneſer* 23.52
*Alrachame* 216.36
*Aracamati* 216.36
*Aracham* 237.33
*Aradam* 237.31
*Aratamati* 223.46.216.36
*Aſchyta* 777.1
*Aſchytahez* 777.1
*Aſida* 587.45
*Azalon* 354.45
*Azor* 324.1
*Azphur* 503.54

*Banchen* 412.1
*Baphas* 571.56.57
*Barbaia* 205.31
*Baſi* 280.30
*Belez* 223.45
*Bleſchiat* 836.38

*Cabarum* 223.44.
*Cacha* 776.56
*Cafeſis* 572.4
*Camulgus* 852.58
*Caſeckſo* 572.4
*Cekar* 223.53
*Chafas* 572.3
*Chaſis* 237.35
*Cheda* 393.3
*Chym* 237.46
*Cifeed* 224.2
*Cokym* 251.21
*Corab* 688.17
*Cuni* 224.1.5

*Darharcaria* 848.10
*Dereolirin* 251.18
*Dibachi* 210.11
*Dura* 836.39

*Eſcos* 23.53
*Euchen* 412.1

*Fauorath* 845.26
*Febit* 223.56

*Gadach* 393.10
*Garab* 687.22
*Gaudes* 734.41
*Gerab* 707.58
*Gerabib* 688.11

# INDEX.


Glarus.856.4
Gogoz.864.45

Hacha.734.43
Halatron.545.57
Halydon.860.46
Hamomi.223.46
Haudon.860.46
Hududub.504.12
Hudud.504.12

Itygos.865.4

Kafraheos Cyboleth.836.40
Kiches.777.1
Koduron.836.40
Kokis.734.42
Koraconios.708.25
Kus.503.48
Kym.223.53.224.3.5.237.46
Kynium.224.3
Kyrij.224.3

Marochus.871.47
Melariokon.277.8
Mogol.843.30

Naan.588.9
Nahan.588.10
Nacham.588.11
Neamath.587.57
Nham.588.11

Pialgorab.708.32
Pihaoreb.708.32

Racham.227.47
Raham.223.47
Rachame.80.12
Rachame.216.33.237.30
Radoryz.837.25
Rariocheus.869.45
Regiel.707.57
Rocham.216.37.237.30
Ruboz.836.41

Scaph.504.1
Scerrazirai.572.8
Sceta zirach.572.7
Secranrach.572.8
Seda.392.57
Seph.467.54
Sizarach.572.5.583.30

Tagiptara.237.58
Tagued.237.58
Thalim.588.7
Thaliz.588.8

Tuega.236.36

Zumac.23.52.110.21


## Persica.


An dih.393.3
Anseb perak.571.57
An si mureg.110.20
Aukeb.110.22

Calak.688.11
Calak.689.5

Dedi.252.58

Gakus.503.48

Kalab.688.55.58
Kolc.688.55

Mar an bas.280.31.461.48
Mar an daab.393.10
Marantib.392.57

S hachefa.504.1
Sebperack.572.7

Thalium.588.8


## Aegyptiaca.


Ai.329.5
Baieth.329.4
Bayth.280.44

Eth.329.5


## Indica.


Acatraz.837.39
Allo.665.40

Cachi 636.47
Cerindi.635.58

Guanamaia.665.40

Sciabisi.678.45

Tezcatlipuca.656.51
Topilzin.656.54
Touchan.801.34

Vitzilipuztli.656.48


## Italica.


Acta quid circa Lacum Verbanum 363.39
Agirone.471.39
Aguglia.110.24
Aguila.110.24
Alfiero.55.21
Alocho.534.50
Alocharello.535.4.531.12
Amma.562.16
Aquilastro.210.4.224.9
Aquilone.21.30
Aregata.777.14
Aregaza.777.14
Artigli.112.50
Arzaguole 443.18
Astor vulgò 337.8
Augello quadrupede.651.56
Auoltoio.239.3


## B


Baletta.506.37
Barbaiano.539.8
Barbastrello.572.27
Barello.375.11.376.22
Beccafigo.796.50.856.9
Beccofrisone.796.32
Becquafigo.859.4
Botto.567 27
Baserlotto.380.18.390.35
Bufo.504.26.506.50


## C


Calcabotto.567.26
Canella.834.27
Canna.834.26
Capo de la torre del Farro.625.37
Capotorto.865.1
Capone vulgò piscis.280.10
Capostorno.451.23
Cappa.410.50
Capuzzini.411.31
Cardo fiero 818.20
Castriga.384.45
Ciagula.758.49.770.55
Chio 505.13
Chiù 528.10.530.57.546.8.707.2
Chiuino.530.55.531.51.533.11
Ciuetta.503.55.544.16.546.12.551.20
Coccole.410.20
Collo torto.865.1
Corbo.688.38
Cornacchia.734.53
Cornacchio.734.53
Cornetta.142.41
Cornice.734.53
Cornuto.420.3
Coruo.688.38
Cridare.352.32
Cucco.412.35
Cuculolo.412.35
Cucho.412.35
Cuco.412.35
Cuculo di Leuante.410.15
Cutta.758.51.770.55


## D


Dardano.871.53
Destollo falconiera.384.41
Duco 506.28
Dugo.506.28.507.5

# INDEX.


## F

*Alchetto.492.29*
*Falcon.430. 52*
*Falconello.384.43.492.38*
*Falconi Lanieri.488.42*
*Falcone rosso.493.14*
*Fatturca.561.45*
*Fenice.819.31*
*Formicula.865.3*
*Foutinento.384.17*
*Frisone.796.33*

## G

*Alletto del bosco.796.35*
*Galbedro.856.10*
*Galber.856.10*
*Gaulo.871.55*
*Gaza.175.12.784.26*
*Gaza di Brissiglia.801.34*
*Gaza marina.384.36*
*Gaza Sparuiera.384.37.775.37*
*Gazara.775.12*
*Gazella.467.57*
*Gazuola.775.12.784.25*
*Gay.635.44.47*
*Gimetta.544.17*
*Giù.707.2*
*Giuuetta.544.18*
*Golfo di Triesto 54.35*
*Gracchia.734.53.735.3*
*Gracchiare.737.12*
*Gracchiolare.737.12*
*Grappo.688.5*
*Graspa.688.4*
*Grespia.688.6*
*Grissagno.291.20*
*Grissare.601.56*
*Grissone.601.55*
*Gruccia.551.5*
*Gryphon.601.55*
*Gusso.506.28*
*Guo.507.5*
*Guuo.506.27.533.3*

## H

*Herba della maraviglia. 654.23*

## I

*Anara.561.45*
*Iane.539.20*
*Ieuolo.871.55*
*Ispida.806.19*

## L

*Aniero.380.24*
*Ligurino.356.57*
*Liocorno candido.87.37*
*Locco.534.58*
*Lodro.441.10*
*Logliarola.818.17*
*Lupo dell'api.871.56*

## M

*Agara.561.45*
*Magone.687.5*
*Marzaroli.431.34*
*Mergone.687.5*
*Melziozallo.856.10*
*Monacchia.754.29.770.55*
*Montanaro.477.30*
*Moschetto.280.20*
*Monacchia.754.29*
*Muschetto.395.35*
*Mutarami.431.28*

## N

*Atarone.254.3*
*Nauporto.22.54*
*Nibio.280.29.393.47*
*Nichio.393.47*
*Nottola.572.24*
*Notula.572.24*

## O

*Resto.384.41*
*Oriolo.856.11*

## P

*Aleocastro.626.43*
*Papa.635.35*
*Papagallo.635.33.654.20*
*Parochino.678.41*
*Pason.767 17*
*Passant.461.53*
*Passera Gazera.775.38*
*Pelegrino.461.49*
*Pelerin.461.56*
*Pesce Cappone.409.52*
*Pesce Papagallo.635.3*
*Pesce ratto.21.30.187.57*
*Pica marina.790.26.7.*
*Picchiaferro.871.56*
*Picchio.837.7.848.34.853.8. 858.58*
*Picha.775.12*
*Pico.851.58.853.8.837.7*
*Pico verde.848.34*
*Pigozzo.848.34*
*Piko.775.30*
*Pipistrello.572.27*
*Poiana.363.39.393.47. quas eo nomine Itali vocent.371.35*
*Pola.758.51.770.55*
*Ponte mole.404.43*
*Putta.784.25*

## R

*Affa.688.49*
*Ragazza.784.25*
*Ragazzola.384.36*
*Ratto pennago.572.26*
*Rauancllo.451.17*
*Regazza.384.35*
*Regestiola.380.17.384.34*
*Regestula.775.35*
*Reigalbero.856.10*
*Regalbulo.856.10*
*Rondine pesce.280.9*

## S

*Gaia. 843.33*
*Scartozzo.411.27*
*Smerlo.354.51*
*Smerillo.354.48*
*Sparare.281.20*
*Sparuiero.281.13.29.344.10.395.29. pro conopæo.282.24*
*Speluicre.767.16*
*Sporacchio.754.5*
*Sportilione.572.26*
*Stellatore.836.48*
*Streа.561.45*
*Sria.561.44*
*Stortocollo.865.1*
*Struzo.588.41*

## T

*Taccola.770.55*
*Taccula.767.16.758.50*
*Tatula.758.50.767.16.770.55*
*Terzuolo.282.31*
*Terzuolo pelegrino.461.50*
*Tocca.803.10*
*Tortocollo.865.1*

## V

*Ccello del mondo nuouo. 796.34.*
*Verdiero.854.41*
*Verdone.854.41*
*Verle.390.9*
*Verticilla. 865.2*
*Vilpistrello.572.28*
*Vipistrello.572.27*
*Vrlare.541.26*

## Z

*Afiro.497.47*
*Zane. 539.20*
*Zguetta.544.16*
*Zinzirelle.800.30*
*Ziole.853.8*
*Zorl.767*
*Zuane Longobardis.539.20*
*Zuetta.544.16*
*Zus.546.8*

# Gallica.

*Gasse.775.38.777.19*
*Aigle 23.53*
*Aigle de mer.187.47*
*Aigle royal.110.24*
*Arneat.385.2*
*Astour.337.10*
*Autruche.588.42*
*Austruche.588.43*
*Autur. 337.9*

# INDEX.


## B

Beccaſſe.836.58
Beccus.836.58
Beſchebos.837.8
Bouclier.86.8
Boudree.363.52.eius deſcriptio 366.30. 377.31
Branchiers.302.16.431.28
Buſard.216.39.363.40
Buſand.363.40.364.16.23
Buſe.216.39.eius deſcriptio.218.35.363 41.43.164.16
Busben.364.17
Buſo.364.23
Butor.363.29
Buyſard.363.40.43

## C

Aſteront.506.54
Cercerelle. 357.7
Cha-huan.506.56.521.40.47
Chat.535.8
Chat huant.506.56.57.53.528.8.532. 56.535.8.27.28
Chaulue Souris.572.30
Chcuechc.544.19
Choca.758.53.770.56
Chouca.770.56
Chouca rouge.767.18.769.39
Chucas.758.53.770.56
Chouette.544.20.758.53.767.18.770 56
Chue.758.55
Ciuette.544.20
Cocou.412.35
Cocul.412.35
Colas.689.3
Coquu mary 419.43.412.36
Corb.687.3
Corbeau.688.39
Corbine.708.16
Cormoront.687.5
Cornille.734.54
Cornille Emantelee.754.30
Cornille Sauuage.752.18.754.33
Cornillau.734.55
Creſſerelle.357.16
Cricr.352.33
Crot peſcherot.187.46
Cucu.417.4
Curce.315.22
Cul roſſo.846.40
Cul rouge.845.41

## D

Ame.535.18.777.19
Demy l'autour.338.2
Duc. 504.13.505.23

## E

Ffraye.535.28.33.567.27.570.5.
Effrayer.535.33
Epeiche.845.41
Eſchellette.851.57
Eſcorfle.393.49
Eſcoufle.393.48
Eſmerillon.354.54.355.1
Eſperuiero.292.31.395.30
Eſtorer.314.2
Eſtendere.398.11
Eſtranger.461.56

## F

Aucon.281.55
Faulcon.430.42.472.4
Falcons Laniers.488. 41
Faulcon rouge.493.14
Faulcon de paſſage.461.51
Faulcon pelerin.461.50
Faulcons de repaire.431.4
Fau-perdrieux.351.50.352.5
Ferniers.851.56
Foutiuento.357. 16
Freſaye.535.28.562.49.567.31.570.5
Freux.752.9

## G

Azouiller.737.15
Gay.758.34.54
Gerfault.198.12.210.6.471.57.472.4
Goiran.363.52
Graillat.734.54
Graille.734.54.735.2
Gran duc.506.23
Graye.735.7.752.11
Grimauld.539.23
Grimperau.853.8
Grimperau petit.869.46
Grimperau piochet.ibidem
Grolle.752.12
Grotpeſcherot.191.24
Gruiers.431 9
Gueſpier.871.77

## H

Agar.484.44
Haultains.431.8
Heronniers.431.9
Heurler.541.26
Hibou.503.46.506.50.58.507.2.535 6.
Hibou cornu.507.1.521.39.47
Hobreau.373.18.375.11.47.375.50.
Huant.535.9
Huard.210.6
Huau.393.51
Hucr.535.10
Huette.532.55.535.10.539.22
Hulotte.532.55.539.22.546.18
Hue.393.50.396.28
Hynaire.461.51.467.58

## I

Aquette.777.19
Ierco.865.5
Igle.23.10

## K

Okku.412.31

## L

Aneret.488.41
Lanier.380.27
Loriot.855.29.37
Loriotto.855.32
Lucherant.506.56

## M

Achette.539.23
Mary coqun.419.42
Mattagaſſe Sabaudis.384.53.775. 38.
Mauchet.345.52
Meſange.871.6
Milan.393.48
Mocho 506.53
Montagiers.477.30
Mouchet.377.12
Moucheter.345.53.377.10
Mouſchet.395.35
Moyen duc.521.39
Muſchette.280. 21

## N

Iez.431.27

## O

Rfraye.187.44
Onſeau de proye.281.42
Oyſeauu nieds.302.14
Oyſeau Sant Martin.506.17

## P

Apagay.635.33
Parroquet.635.52.636. 30. 647. 47.678.41
Paſſagers.430.48.461.53.462.10
Pes blaus.497.49
Petit aiglie.198.22
Petit Corbin.734.4.
Petit Couchette.770.55
Petit Duc.528.3.531.3
Petite pie grieſche.389.25
Petit Parroquet.678.42
Peuprenant.338.3
Phenix.819.31
Pic.837.8
Pic de Auuergne.851.52
Pic de muraglie.851.52
Pic rouge.845.41
Picu Mart.837.8
Pie.777.19

*Pie Ancroucile.384.52.775.39*
*Pie es rayere.348.58.388.29*
*Piè Griaybe.775.29*
*Pie grieſche.384.54.385.14.775.41*
*Pimar.837.8*
*Pitſchat.851.58*
*Pinart.848.35*

Q

*Vercercelle.3577.15*
*Queue blanche.208.48*

R

*Amage.302.16.431.28*
*Ratte penaade.572.31*
*Ratte Sauuage.572.32*
*Ratte volage.572.31*
*Repaiſtre 431.7*
*Royale.394.7*

S

*Acre. 364.25*
*Suica.b 375.10*
*Smeriglio.354.51*
*Souette.544.20*
*Souris chauue.572.30*
*Steingal.337.15*

T

*Ercelet.282.31*
*Tracheter.345.54*
*Torchepot.853.8*
*Turcot.865 6*

V

*Aultour 234.3*
*Vaulteur.239.4*
*Vautour.239.3.281.46.393.7*

Z

*Oetta.544.20*

## Hiſpanica.

*Cor 282.38*
*Auestruz.588.41*
*Aue vnica el mundo.819.31*
*Aullar.541.26*

B

*Equeho.837.7.843.34*
*Baeytre.239.3*
*Bufo.506.52*
*Buho.506.50*

C

*Ernicalo.357.6*
*Chebalos.224.9*
*Cornicia.734.54*
*Coruſa.539.22*
*Cutillo.412.35*
*Cuerip.688.39*

E

*Ema.588.42*
*Ema di Gei.588.42*

F

*Enix.819 31*
*Francello.345 58*

G

*Raia.758.52*
*Graio.758.52*

H

*Alcon.430.42.282.36*
*Hidalgo.882.20*

I

*Vruco.855.57*

L

*Echuza.544.19*

M

*Ilano.793.48*
*Mochuelo.521.33*
*Mocho.544.19*
*Morcego.572.29*
*Murziegalo.572.29*

O

*Ropendola.856.11*
*Oroyendola. ibidem*

P

*Apagay.654 32*
*Papagaio.635.33*
*Pega.777.19*
*Picata.777.19*
*Picaza.777.18*
*Pigazza.777 19*
*Pico verde.848.33*

Q

*Verrantabueſſos.224.8*

S

*Cinciało.678.40*

T

*Orzicuello.865.2*

Z

*Ernicalo.357.6*

## Germanica.

*Ar.53.20.110.26*
*Adelar.23.54.110.25*
*Adler.23.54.110.25*
*Aegelaſter.777.21*
*Aegerſt.845.39*
*Aegerſpecht.845.38*
*Aelke.758.55.58 770.57*
*Aegerſten.777.21*
*Agerluſter.777.21*
*Aglaſter.777.21*
*Alkachel.769.15*
*Alprapp.769.15*
*Albim.756.46*
*Amma.562.18*
*Ar.110.26*
*Aren.53.20*
*Arent.110.27*
*Arn.110.27*
*Arnchim 53 26*
*Aſgyr.239.8.274.50*
*Aſtuogel.302.17*
*Atzel.777.20*

B

*Aumfalck.492.13.16*
*Baumhecker.837.11.855.11*
*Beena.759.56*
*Behemle.796.40*
*Beinbrecher.224.9.229.5*
*Bergdol.769.14*
*Berguul.535.19*
*Bergtul.769.15*
*Berguuu.507.9*
*Bierosff.856.14*
*Birgfalck.477.30*
*Blafuſſ.280.30.497.45*
*Blauuſpechtle.853.10*
*Brobuxen.364.17*
*Bruoder beroliff.856.14*
*Buſarn.364.16*
*Bunt.845.39*
*Bunterſpecht.845.38*
*Byrolt.856.14*

C

*Hlaen.853.10*
*Corn hinder.505 26*
*Corrak.689.1*
*Craſpecht.843.26*
*Creutz.551.7*
*Crinne.742.7*
*Critzen.577.35*

D

*Ale 758.57*
*Dole.758.57.758.55.770.56*
*Dule.712.28*

# INDEX.


## E

Elster 777.22
Elsterspecht.845.37
Entestoesser.210.7
Espec.837.10
Estlingen.431.28
Eul.535.14.537.53.539.24.27.541.27.544.21

## F

Falck.430.42
Fischadler.187.47
Fischer.210.10
Fischgyr.239.7
Fladderen.572.34
Flaedderen.572.35
Flaedermaus.572.33

## G

Gaelb.855.44
Gaelortz.854.44
Galgenregel.756.45
Gauchblum.743.39.423.32
Gauchbrot.423.27
Gaycke.770.57
Geinsblumen.324.28
Ger.471.51
Gerfalck 471.51.472.4
Gerolff.836 14
Geuuel.315.23
Gier.471.47
Gir.471.46
Girfalck.471.46
Goldgyr.239.10.408.32
Grae.734.55
Graye.735.7.752.14
Grieff.601.57
Grosserfalck.471.48
Gros Vhu.507.4
Gruonspecht.848.9
Gryff.601.57
Gryp.601.52
Gucker.412.36
Guckuser.412.36
Guggauch.412.36
Gulo.236.45
Gyr.239.5.472.7

## H

Habich.282.45
Haben 282.55
Habichstein.324.14
Hafkin.282.58
Hagerfalck.484.43
Halckregel.759.46
Hanneken.758.57
Hap.282.48
Hapich.282.45
Hasengyr.239.7.274.54
Hanik.282.54
Hauuke.283.1
Heidenelster.756.57.58
Hertzog.507.10
Heuskrae.734.55
Heulen.541.26
Hoger.484.45
Hogerfalck.484.43
Holkrae.843.28
Holtzhun.843.29
Holzgyr.274.52
Hub.506.51
Hubecken.505.13
Hul.505.33.539.25
Huru.507.9
Huruvv.507.9
Huvv.507.8

## I

Iffl.236.44

## K

Aeycke.758.58
Kautz.507.5
Keibgyr.239.8
Kerkvvlen.517.5
Kersenrife 856.15
Kentzlin.531.35.546.16.
Keybgyr.274.50
Klaeher.853.11
Klaetenspecht.851.52
Kolch.688.58.689.5
Kolkraben.688.54.698.58
Kori.740.27
Korracken.699.2
Koutz.521.27.544.20.547.42.551.28
Kra.734.40
krae 734.46.755.2.737.5
Krah.734.55
Kraensus.708.3
Kraespecht.843.26
Krayen.735.5.737.15
Kratzen.737.6
Kreißen.352.24
Kretzet.471.54
Krigelster.756.58
Krinitz.871.7
Krumschnabel.877.15
Krutzuogel.877.15
Kuckkuck.412.36
Kuppel.467.44
Kutz.503.39.49
Kuyckendiess.401.48

## L

Lacchen.394.25.28
Lacchvvy.394.25
Locken.534.50
Locker.534.51.535.3
Lug.712.34
Lugdulen.712.40
Lugk.712.35

## M

Aß.394.28
Massvvy.210.9.534.30.364.19.394.23.393.37
Mercolfus.790.30
Mere-ur.505.42
Meysspecht.853.8
Mirle.354.51
Mosvueich.363.50
Murspecht.851.51
Musketters.280.21

## N

Abelkrae.754.28
Nachtmanle.562.2
Nachtrauen.505.16.521.18
Nachteul.539.24
Nestling.302.14.302.17.431.27
Nestuogel.302.14
Nottler.853.10
Nunmorder.384.48.385.24
Nuntoder.384.48
Nusbicker.853.9
Nußbacker.853.9

## O

Og.12.35
Orhu.507.9
Orlivvy.394.30
Orhuvvel.521.36
Osgyr.239.7

## P

Appengey.801.32
Pfefferfracsz.801.32
Pfefferuoghel.801.32

## R

Ab.688.39.700.50
Ranzeul.521.37
Rapp.688.4.39
Rappen.688.45
Rayke.770.57
Risshorff.708.20
Roller.790.26.
Rosgir.239.8
Roßgyr.274.51
Roterfalck.493.15
Rottelvvy.394.12
Rouch.689.23.752.17.25
Ruttelvvye.364.18
Ruttelvvy.394.12

## S

Achari.467.46
Sacker.467.44
Sat-ur.505.42
Schauytle.546.12
Schiltkrae.754.28
Schractle.562.2
Schleier.535.14


Schleyereul

# INDEX.


Schleyereul.535.12.537.53
Shrike.385.3
Schuffans.507.4.6
Schuffel 507.4
Schunffeul.507.6
Scuoffel.504.7
Schuuarzkrahe.734.55
Schut.85.55
Schuueimmen.380.29
Schuueimer.380.28.384.14
Seeschvvalm.875.43
Seublumen.324.29
Sickust.635.55
Sittich.635.55.636.30
Smirle 354.54
Soker.187.49
Sockerfalck.467.44
Sparren.281.18
Sparuuer.281.16
Specht.837.8
Specmaus.579.14.572.38
Sperber.395.29
Sperren.281.19
Speruuer.395.29
Spotten.530.52
Sprinckelen.345.47
Sprintz.345.38
Sprintzel.345.38
Sprintzle ibidem
Sprintzeln.345.47
Sprintzling.345.38.377.13
Steinauff.507.8
Steinbruckel.229.26
Steinhetz.769.15
Steinfalck.492.13
Steingyr.274.52
Steinkutz.531.38.544.31.545.53
Steintahen.767.19.760.1
Steintulen.767.20
Steinul.531.37.544.23
Stoeßar.40.53
Stockarn.467.45.198.17
Stocker.467.44
Stockeul.544.23
Stoßfalcken.492.40
Stoßgyr.239.9
Strauss.588.43
Streyich.561.42
Struuß.588.43
Strussen.588.44
Strussle.588.44
Strym.561.43
Svvemmen.380.29
Suuemmer.380.27

T

Taha.759.57.760.4
Tahen.769.13
Talche.758.57
Tabenfalcke.342.38
Teutschen Pappengey.756.49
Thornkretzer.384.46
Thorntraer.384.45.388.20
Tottler.853.10
Touch.752.17
Traeehalsz.865.7
Trapp.393.18
Tschafytle.504.7.531.10
Tul.758.55.770.56
Tulla.759.55.760.4
Tyrolt.856.15

V

Vho.507.8
Vhu.507.4
Visarent.187.47
Vilfrass.236.40
Vl.539 24.541.27
Vogielgier.471.47
Vr-halt.505.41
Vr-han.505.41
Vr-os.505.41
Vuachtel.758.56
Vualdaeher.384.50
Vualdherr.384.50
Vuandvvaeher.357.10
Vuandvvehen.357.10
Vuannenvvaher.357.10.384.17
Vuapen.177.9
Vuarchengel.389.10.389.9
Vuecher.397.40
Vuedeuual.856.13
Vuehen.397.42
Vueher.397.40
Vueiden.398.9
Vueienschvuantz.405.4
Vueisgyr.239.6
Vueiteren.398.9
Vuelsch Kutzle.531.9
Vuerhengel.189.9
Vueyen.397.42.398.8
Vueyenschvvantz.324.27
Vuiduual.856.12
Vuiduuol.856.12
Vuiegvvehen.357.11
Vuih.393.4
VVie Vuiheter.397.37
Vuilde holtzkrae.756.45
Vuildetul.769.15
Vuiltfang.302.22
Vuinterkrae.734.57
Vvinthalsz.865.6.871.8
Vuittevvalch.856.13
Vuouvve.394.14
Vuuel.521.34.539.23
Vuurchengel.389.10
Vuye.397.38
Vuyhen.397.36.398.8

Z

Zaucon.408.28
Zeucon.408.29
Zinzirelle.796.41
Zorl.759.58


## Flandrica.


Aar.23.57
Arn.23.56

Besprinckelen.345.49
Bont.754.27
Bontecraey.754.26

Cau.770.57
Chau.758.56
Coucou.412.30
Craey.754.27.760.28
Cracyenbloemkens.743.30
Crauvven.837.36

Die mare.562.2
Dunckercken.712.50
Dunen.712.13

Eeu.521.43
Erna.198.23

Gaey.758.57
Gayli.635.50
Geel.855.44
Goutmerle.856.16
Grypen.601.50

Hanneken.758.57
Hauick.283.2
Hub.506.51
Hubeken.539.29
Huben.539.28
Hulen.541.26

Ka.758.56
Kauu.758.56.770.57
Kerckuul.513.30.521.37
Kockuunt.412.37
Koorekraey.752.27
Kouckouck.412.36
Kratzen.693.8
Kreissen.352.24
Kuckendief.393.52

Nachtemerri.562.3

Oog.12.35
Olimerle.856.17

Pappengeij.635.56.536.30
Picken.837.2

Raffen.688.47
Ransule.535.20
Rant.535.20
Rapen.688.46
Rauch.752.26
Roode valck.493.15
Roeck.752.28
Roffraff.

Spicht.837.10
Valck 430.42


Vuan

# INDEX.


*Vuau* 391.53
*Vl* 500.43.503.37.521.43
*Vlclag* 515.18
*Vlimut* 515.24
*Vlenmut* 515.25
*Vledermuys* 572.38
*Vlecrmuys* 572.39
*Vogelgier* 239.5
*Vogelgryp* 601.58
*Vogelſtruys* 588.45
*Vuinterkraey.* 754.32
*Vuouvve* 393.52


## Anglica.


*Arent* 23.53
*Bal* 572.39
*Balbuſardo* 210.8

*Caddo* 758.58
*Chogh* 758.59
*Coute* 710.57
*Crepera* 864.45
*Croun* 735.7
*Cukkoun* 412.37

*Eagle* 110.28
*Egle* 23.53

*Gier* 239.5
*Gouke* 412.37
*Graye* 738.7
*Gryffon* 601.58
*Grype* 601.57

*Hen herroer* 377.34
*Hobic* 283.2
*Hornoul* 521.37
*Houulet* 539.27.544.23

*Kà* 758.58
*Kaſtrel* 357.14
*Kiſtrel* 357.14

*Lyſche foule* 507.10
*Lyſeoule* 507.11

*die Mare* 562.2

*Oiſtris* 588.45
*Ora piot* 777.23
*Oſprey* 187.45.191.17
*Oſtrige* 588.45
*Oule* 507.11
*Quul* 539.27

*Pie* 777.23
*Popiniay* 635.56.57
*Popingey* 635.57
*Pÿ* 777.23

*Raynbirde* 837.11
*Roare* 732.39
*Rooc k* 752.27
*Shriche oule* 507.10
*Shuyfluunt* 507.3
*Specht* 837.10.845.36

*Vle* 507.11
*Vuideuuol* 856.12
*Vuodpecker* 837.10
*Vuotſpecht* 845.36


## Polonica.


*Bialozar* 603.57.471.56.475.36
*Dzieziol* 837.11

*Metoperſſ.* 672.39

*Papuga* 635.57
*Puſzzyk* 539.28

*Semp.* 239.4
*Sep* 239.4
*Strus* 588.46
*Szouua* 544.24

*Zaſtrzamp* 263.7
*Zegzolka* 758.58
*Zotna* 848.36


## Moſcouitica.


*Bralazor* 295.26
*Kiczoth* 295.25.475.36
*Kreutzer* 603.57


## Illyrica.


*Geſtrzab* 283.5
*Hauuran* 689.2

*Kalaus* 544.23
*Kalus* 544.23
*Kaunka* 768.58

*Lelecc k.* 535.21

*Nctopyrz* 572.40
*Nob* 601.55

*Orel* 110.28
*Orzil* 110.28
*Orzis* 23.54
*Oſtrziſſ* 187.49
*Ozel* 23.54

*Pappauſeck* 635.57
*Pſtros* 588.45

*Raroh* 497.47

*Sokol* 430.43
*Souua* 539.28
*Strakauel kyziſtela* 777.23
*Sup.* 239.4

*Vurana* 735.7
*Vuyr* 507.3

*Zielgule* 412.37


## Turcica.


*Gaskakan* 853.12
*Baigus* 544.24

*Dudi* 635.57

*Gezegan* 385.4

*Scahan* 210.6
*Segarieieck* 837.11

*Tſchauka* 758.58

*Vgu* 507.4


Hæc omnia, & ſingula à me dicta, & ſcripta, dicendasq́, & ſcribenda Correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ libenter ſubmitto.

Errata

# Errata sic corrigito.

PAg.5.versu 10.cædunt l.cedunt. 5.20. fastiduum l.fastidium.6.17.participabantur l.participabant.18.39.quem l.quàm.19.58.nouo l.nono. 28.15.difficulter l.difficulter.92. 19.procedere l.præcedere.154.30.in marg.Antonij l.Antonini.561.33. in nubibus l.è nubibus.156.37.38.bella Scipiades l.belli Scipiadas.170. 48.in marg.corea l.coriacea. 183. 46. propria l.propriæ. 197.20.pelecanem l.pelecanum. 209.46. berytona l.barytona. 216. 41. in marg.Reud l.Rud.242.43. singilis l.singulis.263.19.interca lares l.intercalares.265.53. in marg.mihi qui l.milui qui.269.51. Melampede l.melampode.281.22.Astritotelem l.Aristotelem.282.30.Turcelet l. Tercelet.299.40.Accipiribus l.Accipitribus.301.3. Accipittarius l.Accipitrarius. 306.12.numitæ l.munitæ.309.27. eluolatura l.euolatura.333.19.abnoxie l.obnoxiè. 350.39.visus l.Nisus.356.31. Ischlades l.Ischades.373.47.coq; l.cosq;. 398.41.borphori l.bosphori.47.in marg.redant l.redeãt.412. 51.cermitur l.cernitur.412.58.differet l.differret.413.40. in marg.cuculo l.cuculi. 439.35.gelericulum l.galericulum.

462.38.auda l.cauda. 467. 26. ganere l.genere. 497.30. ad quos l.ad quod.506.45.hypposelinon l.hipposelinon.543.29. in marg.glacium l.glaucium.544.39. in marg. ornithologia nostra l.ornithologi à nostra. 548. 18. histiones l. histriones. 561.24.dissimilem l.dissimili.581.24.in marg. Hyctiporus l. Nyctiporus.583.27.empericus l.empiricus.584.28.in marg. auacis l.audacis.603.57.Kretzer l.Kreutzer. 637.49.Thæmatopodem l. Hematopodem. 734. 38. 39. onocratulum l. onocrotalum.737.22.Pallidis l. Palladis. 739. 25. excedit l. exedit.743.20.Ichades l.Ischades.747.38. zezes l.Tzetzes. 748.4.crocolidorum.l.crocodilorum.759.57.vturtur l.vtuntur.766.23.frumam l.strumam. 766. 26. Grucculus l.Gracculus.794.Argoratensis l.Argentoratensis.807.40.in marg. Ionicus l.Tonicus.826.11.Phlaëtonteis l.Phaëthonteis. 836. 41.perferat l.perforat.836. 48. restellatore l.stellatore.837. 46.sibulare l.sibilare.867.15.in marg.duacis l.loquacis.875. 27.merosq; l.Meropsq;.877.25.in marg.Tragon l.Trogon.

PAg.3.vers.48.πτιλοτα lege πτιλωτὰ.4.8. πηλοκυτους l.πηλοχύτους.14.3.ταχην l.ταχὺν.34. ἐρχὴν l.ἐχρὴν. 15. 53.πειτωμετα l.πειθώμεθα. 23. 43. ἐξοκὴν l.ἐξοχὴν. 61.4. Ξεὺς l.Σεὺς.128.8.ΕΛΕΥΟΣ l.ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ.131.12. Αθηνην l.Αθηνᾶν.133.21.CΕΟΥΡ l.CΕΟΥΗΡ.158.6.ΕΦΕΕΙΩΝ l. ΕΦΕΣΙΩΝ.197.47.λαγοθήρας l.λαγωθήρας 210.22.ὀρναίην l. ὀρφναίην.216.24.ὑπαέτος l.υπάετος.26.γρυπαιέτος l.γρυπάετος.230.9.ἀθροται l.ἀγρόται.47. ἀνόπεια l.ἀνόπαια.238.10 τῷ μονῷ l.τὸ μονῶ. 14. τὴν γῦπα l.τὸν γῦπα. 15.γὺψ l.ὁ γὺψ.27.κηώζων l.κνώζων.28.γαμψόνιχες l.γαμψόνυχες.53. πάφους l.τάφους. 242. 39. γαμψοὶ ἀερονήχεις. Hæc potius nubium, quàm vulturum nomina sunt.266.13. ἅπες γῦπευ l. ἅπερ γῦπες. 24. ἀλλοτριοιφαγους l. ἀλλοπριοφάγους. 288.4. δ' ὥς' ἴρηξ l.δ' ὥσθ' ἴρηξ.12.ὀέων l. ὄρεων.13. ὄκιστος l. ὤκιστος. 323.52. μελεμψὺχωσιη l.μετεμψύχωσιν.330.57.ἐρίω l.ἐρέω 331.12.ρηϊδὶ ὡς l.ρηϊδίως.352.30.γεληκώς l.κεκληγὼς.393 29.ἱκτὸς l.ἰκτὶς.396.43.παντοφταλμον l.παντόφθαλμον.402 6.οἴχοιοθ' l.οἴχοιθ'.409.37.κόκκυς l.κόκκυξ. 417.11. δυσφονος l.δύσφωνος.31.οὐ l.οὖν.33.θρασὴν l.θρασυν'.34. φαίννοντι l.φαίνοντι.424.15. κοκκυξει l.κοκκύζει. 498. 55. Βύα l.Βύαν. 503.17.Βαίνον l.Βάινων. 22. ἰκίου l. ἰχίου. 504. 17. Βήσειν l. Βύσσειν.18.Βυα l.Βύαν.23.σκλόπα l.σκόπα. 41.ούππο l.ἵππο. 43.μενας l.μέγας.506.26.σηλοπα l.σκόπα.522.9. σκώπες l. σκῶπας.528.27.ὄτὸς l.ὠτὸς.31.βομολόχος l.βωμολόχος.39. βομόλοχοι l. βωμολόχοι. 529. 8. ὠτοὶ l.ὠτὸς. 530. 48. εκειν l. ἔχειν.49.σκώπτοντας l.σκώπτοντες. 533.9.ἄεισκωπες l.ἀείσκωπες.16.ἔυγλοττα l.ἔυγλωττα--φονὴν l.φωνὴν.542. 48. μεμίππου l.μενίππου. 49. κακοδαίμον l.κακοδαίμων. 547. 11. ἀμβλύπτειν l. ἀμβλυώττειν. 552.9.γλαύκης l. γλαυκὸς. 20. γοργώπος l. γοργῶπις.--τοῦ γόργου l. τῆς γοργοῦ. 27. αμβλύπτειν l.ἀμβλυώττειν.29.κικυμώπτειν l.κικυμὼττειν. 554. 29.ἄφοω l.ἄφνω.557.47.ἐν ὀίκησουσιν l. ἐνοικήσουσιν. 48.ἠακλεψουσι l.κἀκλέψουσι.559.32.ὕπταται l.ἵπταται. 561.51. πομπόυειν l.πομπειν-δ' τ' ὀλοὸν l.τ' ὀλοὸν-ὠκύπτορὸν τε l.ὠκυπόροντε. 577.30.τετριγασειν l.τετριγάσιν.578.42.προσφὶς l. προσφύς--οὔδεπῃ l.οὐδέ πῃ.51. δεσπεσοίοιο l.θεσπεσίοιο. 581. 10.καιρεφωντι l.χαιρεφῶντι--ὠνομα l.ὄνομα.588.33.& 34.λίβυουσα l.λίβυσα.596.53.πτεροφόρος l.πτεροφόρους.601.4. ἀρκηγὸς l.ἀρχηγὸς.17.& 21. γρύψ l.γρὺψ. 611.18.ἁρπαξω l. αρπάζω.624.21.σείρειν l.σύρειν.24.εἴρεν l.ἔιρειν.625.14.σειρηνοῖν l.σειρήνοιν.627.40. σειρῆμνας l. σειρῆνας. 47.ἀκιττα l. ἀκίττα. 650. 8. ἀνδρωπόγλωττον l. ἀνθρωπόγλωττον. 686. 53. τοῦ κορὰς l.ἀπὸ τοῦ κόρας.688.19.κόραν l.κάραν.22.κροζειν l.κρώζειν.705.26.τὸυπιορκονῦτος l. τοῦ πιορκοῦντος 51. δηστυχὼς l. δυστυχῶς.706.38.διατὸν πολυκρονιον l.διὰ τὸ πολυχρόνιον. 707. 42. κοραξὴν l.κόραξιν. 50. καράκιον l. κοράκιον. 718.27.κεκόπακε l.κεκοπίακε.727.50. πιστὸν l.πιστὸν.57.γονῦ l.γοῦν--δολονῦτα l.δολοῦντα.728.1. κὶ l.καὶ--αὐτικα l.αὐτίκα.734.45.σημάινη l. σημαίνει--κανὸν l.κακὸν.46.κεραὶς l. κεραὶς.50.κορονίαι l.κορωνίαι.51. κορωνὴς l.κορωνὶς --κορονιδεὺς l.κορωνιδεὺς. 735. 4. κεραὶς l. κεραὶς.736.54. εκλαγζα l. ἔκλαγξα.737.29.λακὲρυσαν l.λακέρυζαν.30.κεκάρυζαν l.κελάρυζαν.740.39.ἐννεαγηρα l.ἐννεάγηρως.40. πολυγηρα l.πολύγηρως.49.οἶθ' l.οἶσθ'--λακέρυσα l.λακέρυζα.742.14. μιλτοπαρίον l.μιλτοπαρήων.21.κορονίδες l.κορωνίδες.743.18.κορωνεος l.κορώνεως.25.ὤσον l.ὅσον.745.46.& 47.ἐσαι l.ἔσαι.754. 17.κρῶμα l.χρῶμα.758.24.ἐστί ἡ l.ἐστὶν ἡ.28. κολιὸς. l. κολοιὸς 759.28.φαινικόρυνχος l.φοινικόρυγχος-- βωμολόγος l.βωμολόχος.33.βομολογος l.βωμολόχος. 760.14. στεφάνιων l. στεφανίωνα.53.οὔλων l.οὖλον.54.σμικρῆσι l.σμικροῖσι.761.52. ἐνέκρουειν l.ἐνέκρουεν.762.20.εχείς l.ἔχεις.21.κρατησης l.κρατήσεις.22.λακωνας l.λάκονας.51. τνητῶν ἐριδανετον l.θνητῶν ἐριδαίνετον.54.μονῦος l.μοῦνος.55.ἦσαν l. ἦσιν. 763.4. ἄρχας l. ἀρχοὺς. 30. οὑτοτι ἀνωχεχηκεν l. οὗτος ἄνω κέχηνεν--δεικνὸς l.δεικνὺς.32.κ' ὡ l.χὠ--θεους l.δέους.47.βοῦντε l.βοῶντε.765 48.ακαν l.ἄγραν.49.ταπεννὰ l.ταπεινὰ.766.30.ἀλλοτριωνέρωτες l.ἀλλοτρίων ἔρωτες.31.φερρειν κρέσσονες, 'εικοθεν l. φέρειν κρείσσονες, οἴκοθεν.38.ἀνδρωποι l.ἄνθρωποι--πτερυγιας l.πτέρυγας.767. 25. φοινικορυνχος l. φοινικόρυγχος.27.βωμωλογῷ l. βωμολόχῳ--λοκῶ l. λύκῳ. 772. 9. βωμολόγῳ l. βωμολόχῳ --βωμολόγος l.βωμολόχος.17.βωμολογῶ l.βωμολόχῳ.775.9. στεφανιὸν l.στεφανίωνα. 34. Ζῖττον l.Σῖττον. 776. 15.ἀρτιον l.ἀρτίως.782.23.ἐσχαύτοις l. ἐσχάτοις.27.κικνόφορον l.κιττοφόρον. 41.Ἀκιττα l.κίττα--σειρηνα l.σειρῆνα.816.32.ἐξοκὴν l.ἐξοχὴν 818.37.ἀπερηνους l.ἀπυρήνους.836. ὅσπερ l.ὥσπερ. 840.11. καταπερ l.καθάπερ.12.ἀσκολαβῶτας l.ἀσκαλαβώτας.848.1 ΚΟΛΙΩ l.ΚΟΛΙΩι. 25.κλορος l.χλωρος.855.8.λόγμας l.λόχμας.864.16. δῆτ' ἀγατῶν ἠτέρον l. δῆθ' ἀγαθῶν ἑτέρων.16. ἀπαραίνητον l.ἀπαραιτητον. 18.γενομένη l.γενομένην.19.ᾠετοτας l.ᾤετο ταῖς.20.σιβαστοῦ l. σεβαστοῦ. 23. εἶκε ποτου l.εἶχε πότου. 28. τήρομαι l.τήκομαι. 867. 38.τὸ τήνον l.τὺ τῆνον. 868.1. ποντιαδ' ὀξυτατων l.πότνιαδ' ὠκυτάτων. 4. μαινὄρδα άνιν l.μαιναδ' ὄρνιν.

# FINIS.

# REGISTRVM.

¶ ✣ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii.

Omnes sunt Terniones, præter ✣ quæ est Duernio, & Iiii quæ est Quaternio.

BONONIÆ.

Apud Io: Baptistam Bellagambam. 1599.

*IMPENSIS MAGNIFICI DOMINI*
*Francisci de Franciscis Senensis.*

CVM CONSENSV SVPERIORVM.